Digitized by Google

H.A9Σ.VI.

M

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
18 — M
28

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

HIERONYMI
DANDINI
ETHICA SACRA.

Digitized by Google

Digitized by Google

HIERONYMI DANDINI CÆSENATIS

E SOCIETATE IESU

ETHICA SACRA

HOC EST

DE VIRTVTIBVS, ET VITIIS

LIBRI QVINQVAGINTA,

QUIBUS

Ex Sacrarum Litterarum, & Veterum Patrum Sententiis,

Hominum formantur mores,
Religionis non pauca ſtabiliuntur Dogmata,
Plureſque Antiquitate confirmantur Eccleſiæ Ritus.



ANTVERPIÆ,
Apud Viduam RENERI SLEGHERS Typographi in Plateâ de Cammerſtraet, ſub Inſignijs Artheſiæ. ANNO M. DC. LXXVI.

Cum Gratia, & Priuilegio.

Digitized by Google

Digitized by Google



REVERENDISSIMO
ADMODUM
AC
AMPLISSIMO DOMINO

D. SERVATIO VAES

CELEBERRIMI AVERBODIENSIS MONASTERIJ

ORDINIS S. NORBERTI

PIISSIMO, AC VIGILANTISSIMO ABBATI.

REVERENDISSIME DOMINE

DEPLORANDUM vivimus ſæculum, in quo non ſolùm quotidiè non paucus Chriſtianus ſanguis hoſtili effunditur gladio, multique innocentes hoſtium ſuccumbunt armis, attamen majori furore quaſi bellum contrà veritatem geritur, ac continuò Chri-

ſtiani mores, Evangelica ſimplicitas, ac innocentia deprimitur, ac conculcatur, non ſolùm per illorum malefacta, qui Chriſtiani nominis titulo inaniter gloriantur, ſed & per illorum ſcripta ac doctrinam; qui & ſpecialem à ſæculo abſtractionem profitentur, alioſque docendi officio gaudent; tantò periculoſiùs, quò ſub ſpeciori pietatis quamvis falſæ, ac doctrinæ, licèt inanis & inflantis, pallio ſuos errores detegunt; undè & contingit, non paucas animas pretioſo ſanguinis Filij Dei lytro redemptas, non per arctam virtutum viam, quæ ducit ad cœlum deduci, ſed per latam vitiorum, quæ ducit ad perditionem; idque ita ſecurè, acſi æterna ſalus ipſis deberetur, cùm tamen quàm maximè ab illa declinent; ſanguineis lachrymis deploranda cœcitas ac miſeria! cui medendæ non pauci pij, ac docti indefeſſo zelo inſudant, tum exemplo, tum vivâ voce, tum ſcriptis, quorum hæc tantò utiliora, quò diutiùs perſeverant, & ad plurium legentium utilitatem perveniunt. Inter alia autem ſcripta ad hunc finem elucubrata non infimum locum meretur *Hieronymi Dandini Chriſtiana Ethica de virtutibus & vitijs, ex SS. Patribus deducta*, eò magis commendanda, quò ex purioribus uti & fidei, ita & morum fontibus SS. Patribus eſt hauſta; nam poſt Verbum Dei nullibi puriora, nullibi magis genuina morum principia quis eruere poteſt; cùm, divina adjuvante gratia, tum continuis virtutum exercitijs ad illarum apicem conſcenderunt, tum alios per virtutum viam deduxerunt, tum eximijs, pietatem veram, ac doctrinam cœleſtem ſpirantibus libris, incomparabilibus Eccleſiæ theſauris, ac inexhauſtis ſpiritualibus aurifodinis, poſteritati relictis, nobis ſecuram, planam, ac exercitatam virtutum viam, vitiorumque ſcopulos ac ſyrtes monſtrârunt; In quibus veræ Theologiæ candidati ac ſolidæ pietatis Magiſtri continuò inſudant, ut & ſibi, & alijs, quibus vel tempus, vel occaſio illud faciendi deeſt, id ex illis exhibeant, quod ad veram doctrinam, ac pietatem utile ac neceſſarium eſt. Illud præter cæteros inſigniter præſtitit *R. P. Dandinus* in hoc opere, undè & hoc tempore, in quo quaſi exulat ex orbe Chriſtiano virtus Chriſtiana, omniſque generis dominantur vitia, regnat politia, hypocriſis, &c. Varij judicârunt me orbi Chriſtiano non parvam utilitatem allaturum, ſi illud de novo prælo ſubijcerem, ut multorum manibus teri poſſit, præſertim Paſtorum, & aliorum, quorùm eſt alios erudire in via ſalutis. Verùm tum ſæculum hoc multos alit tum pietatis, tum doctrinæ æmulos ac zoilos, ita ut virtutum, ac doctrinæ comes ſit invidia, eligendus mihi fuit hujus Operis Patronus, qui illud tum ſuâ doctrinâ defenderet, tum ſuâ authoritate muniret. Attamen non diù deliberandum mihi fuit de tali Patrono, ſtatim enim menti meæ ſeſe ingeſſit *Reverendiſſima Paternitas veſtra*, quæ, cùm jam à plus quàm viginti quinque annis Zeloſiſſimi Archimandritæ officio fungeris, non ſolùm in temetipſo, divinâ id efficiente gratiâ veri Religioſi Superioris virtutes, omniumque virtutum radicem charitatem plantâſti, vitia ſuperâſti; omniumque vitiorum originem cupiditatem exſtirpâſti, ſed & in tuis Religioſis ſubditis illud idem ſummo ſtudio, ac vigilanti curâ effeciſti; ita ut Monaſterium veſtrum

Digitized by Google

ſtrum meritò dici poſſit Schola pietatis ac doctrinæ, & ſpiritualis ac frugifera Eremus, in qua Religioſi, ſoli DEO vacantes, ſunt tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecùs decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo, cibati adipe frumenti, & de petra melle ſaturati, quod poſteà eructant in oves CHRISTI paſtorali eorum curæ ſubjectas; ita ut nobiliora viva CHRISTI templa ædificaveris, quàm glorioſum materiale, quod divino cultui extruxiſti. Quis meliùs de virtutibus & vitijs judicare poteſt, quàm is, qui tam diu continuò in illis exercitatus fuit? Si cuilibet in ſua arte credendum eſt, quantùm magis illi, qui ad ſummum artis apicem conſcendit? Non hìc requiruntur obſcuræ Ariſtotelis Categoriæ, non ſubtiles Philoſophorum ratiocinationes, quæ magis inflant, quàm ædificant; ſed ſcientia Sanctorum, ſcientia in charitate fundata, quæ non inani ſpeculatione, ſed praxi acquiritur, ſcientia abſconſa ſapientibus, & prudentibus hujus mundi, & donata parvulis. Tuâ ergò Authoritate *Ampliſſime Præſul* optimè hicce de virtutibus & vitijs Tractatus protegi poteſt. Fatere ergò, ut illum ſub nominis veſtri auſpicio, ac tutela imprimam; parvumque hoc munuſculum tanquam gratitudinis monumentum, & teſſeram aris tuis offeram, & tholo affigam, ut vel ſic aliquo modo ſatisfaciam obligationi, quâ totam noſtram devinxiſti tibi familiam, cùm Fratrem noſtrum in Religioſorum veſtrorum cœtum ac numerum adſcribere dignatus eſt. Cæterùm DEUM Opt. Max. rogo, ut talem Ordini, imò & *Eccleſiæ Præſulem* diù ſervitet & ſoſpitet.

AMPLITUDINIS TUÆ

Obedientiſſimus ac minimus Cliens.

HENRICUS SLEGHERS.

TYPOGRAPHUS LECTORI

QVas reperieris mendas, Lector, benignus emenda, patereque & Typorum fragilitatem, & imbecillitatem illius, cui demandata fuit aſſiſtendi cura; nam oculis & ingenio hebes plura admiſit, quàm correxit errata. Vale.

APPROBATIONES.

EGo Joannes Stephanus Menochius Provincialis Societatis JESU *in Provincia Veneta, poteſtate ad id mihi facta à Reverendo admodùm Patre noſtro Mutio Vitelleſco Generali Præpoſito, facultatem concedo, ut Liber cui titulus* Ethica Sacra *à Patre Hieronymo Dandino Societatis noſtræ Theologo compoſitus, & à quatuor ejuſdem Societatis Theologis, quibus id commiſſum fuit, recognitus, atque probatus, typis mandetur. In cujus rei fidem haſce manu mea ſubſcriptas, ſigilloque officij munitas dedi. Parmæ* 5. *Novembris.* 1632.

Jo. Stephanus Menochius. Loco * ſigilli.

LIbros quinquaginta Adm. R. P. Hieronymi Dandini Cæſenatis Societatis JESU *Theologi Præſtantiſſimi* Ethica Sacra *adtitulatos vidi ego infraſcriptus de mandato Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi D. D. Petri Bonaventuræ Epiſcopi Cæſenatis, & Reverendiſs. Patris Magiſtri Fr. Camilli Campegij Ordinis Prædicatorum hujuſce Provinciæ Generalis Inquiſitoris à Sancta Sede Apoſtolica ſpecialiter deputati. Uno verbo comprehenſurus, quæ in Auctoris doctiſſimi approbationem dici poſſent Ariſtotelem Chriſtianum illum jurè appellandum cenſeo; atque quod opus egregium typis mandari poſſit affirmo.*

Ex Canonica Sanctæ Crucis die prima Januarij. 1650.

Ita eſt D. Celſus Roſinus Abbas, & Definitor, Doctor Theologus, & Conſultor S. Officij.

Imprimatur.

P. Epiſcopus Cæſenæ.

Imprimatur.

Fr. Jo. Dominicus de Roma Vicarius S. Officij Cæſenæ.

HIERO-

Digitized by Google

HIERONYMI DANDINI CÆSENATIS

E SOCIETATE IESV

ETHICA SACRA

LIBRIS QVINQVAGINTA DISTINCTA.

DE VIRTVTE, ET VITIO IN GENERE

LIBER PRIMVS.

CAPVT I.

Virtus omnium eſt.

VIRTUTIS, & vitij non bonam, immò iniquam prorſus partitionem fecerunt illi, quos S. Ioan. Chryſoſt. ſcribit, virtutem dediſſe Monachis, ac religioſis viris, ſibi, ac cæteris hominibus liberiorem in mundo vitam degentibus retinuiſſe vitium. Sic enim ille teſtatur h. 7. in Matthæum his verbis. [Quid ego aliud ingemiſco, „ quàm quòd Monachis ſolis vos putatis hone- „ ſtam vitam, ornatamq; congruere? Et certè „ Chriſtus communia omnibus præcepta conſtituit.] Et in 3. lib. aduerſus vituperat. vitæ monaſt. [Hoc eſt, inquit, quod euertit orbem „ univerſum, quod ſumma vitæ benè agendæ „ diligentia Monachis opus eſſe arbitramur, „ cæteris negligenter viuere licere. Non ita ſa- „ nè, non ita eſt: ſed eadem ab omnibus phi- „ loſophiæ ratio requiritur. Hæc enim ferè „ ſola eſt in utroque genere vitæ differentia; „ quod illi matrimonij ſe vinculis conſtrin- „ gunt, hi verò his liberi perdurant. In reliquis „ verò communis, & eadem ab utriſque vitæ „ totius ratio requiritur; eadem præcepta om- „ nibus propoſita ſunt.] Ac demum in oratione 5. aduerſus Judæos: [Ne dixeris? Homo ſum „ mundanus, vxorem, & liberos habeo: iſta Sa- „ cerdotum ſunt, iſta monachorum.] Itaque, ut eſt in extrema h. 26. in Epiſt. ad Romanos, cùm ex vitioſa Chriſtianorum vita infideles offenderentur Græci, diuinamque Chriſti legem ſeruari non poſſe criminarentur, mittebant illos ad montes, in quibus Monachos eam accuratè obſeruantes viderent. Sapienter autem, inquit Chryſoſt. [Quam mihi neceſſita-

Monachi, & ſæcularis differentia.

Digitized by Google

„ ceſſitatem facis eundi ad montes, ſolitudineſ-
„ que perquirendi? nam præcepit Chriſtus; Lu-
„ ceat lux veſtra coràm hominibus; non co-
„ ràm montibus, neque coràm ſolitudine, aut
„ receſſibus avijs.] Et rurſum h. 12. in Epiſt. ad Philip. [Si, ut ex virtute viuas ſolitariè ti-
„ bi viuendum eſſe dixeris, virtutem contume-
„ lia affeciſti; ipſa poteſt omnibus uti.] Pluribuſque oſtendit; virtutem in omni ſtatu, & hominum conditione vigere poſſe. Sanè non ſolùm monachis, ſed omnibus planè paratum eſt Regnum Cœlorum, omneſque Gloriæ ſuæ capaces creauit Deus: at ſola virtus ad Cœlum, & Gloriam dux eſt: omnes igitur virtuti oportet incumbere, qui eò ſe peruenturos ſperant. Neque ſolis monachis, ſed omnibus dixit Dauid in Pſal. 36. Declina à malo, & fac bonum; hoc eſt, Fuge vitium, & ſemper, atque ubique virtutem perſequere. [Illud enim, ait S. Aug. in lib. de continentia cap. 7. ad conti-
„ nentiam pertinet, hoc ad iuſtitiam.] Et ut adnotauit S. Hilarius com. in Pſal. 144. [Abſti-
„ nere à malo benedictione dignum eſt: ſed ſo-
„ lùm malum non admittere non habet lau-
„ dem, niſi mali abſtinentiam etiam gloria bo-
„ ni operis conſequatur.] Et S. Io. Chryſ. hom. 16. in Epiſt. ad Ephes. [Ut à gehenna libere-
„ mur, opus eſt abſtineamus à malis, ut verò
„ Regnum conſequamur, amplectenda, &
„ uſurpanda eſt virtus.] [Neque, ut ſcribit S. Gregorius Papa lib. 1. moral. cap. 3. bona Deo
„ accepta ſunt, quæ ante eius oculos malo-
„ rum admiſtione maculantur.] Quam ob cauſam 3. lib. in 1. Reg. c. 5. ad hoc demonſtrandum utitur illis verbis, quibus Samuel in 1. Regum cap. 7. affatus eſt vniuerſam domum Iſraël. Si in toto corde veſtro reuertimini ad Dominum, auferte Deos alienos de medio veſtri, & præparate corda veſtra, & ſeruite illi ſoli. [Soli quippe Domino ſeruit, qui bonis
„ operibus praua non inſerit. Nam qui ſic bo-
„ na agit, ut mala non deſerat Deo ſoli nequa-
„ quam ſeruit; quia malo, ſpiritui obſequium
„ exhibet, cuius perficere non metuit volunta-
„ tem.] Hunc S. Hieronymus Onocentaurum appellaret. Nam in 6. lib. comment. in Iſaiam, dum exponit caput 14. Prophetæ, vbi ipſe vertit ululas, ſeptuaginta interpretes habent Onocentauros. [Onocentauri autem, ait, nomen *Onocentaurus quid.*
„ ex Aſino, & Tauro compoſitum, eos ſigni-
„ ficat, qui ex parte aliquid humanum ſapiunt,
„ & rurſum voluptatibus, & cœno turpitu-
„ dinis abducuntur ad vitia.] Sanctus autem Chryſ. h. 16. iam citata utrumque omninò præſtandum affirmat, ut abſtineamus à malis, ut à gehenna liberemur, & amplectamur virtutem, ut Cœlorum Regnum conſequamur. Et S. Auguſtinus dum audit Prophetam in Pſal. 41. deſiderare ad Deum, quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum. [Cervus,
„ inquit in comm. ſerpentes necat, & poſt
„ illorum interemptionem inardeſcit ſiti, & ad
„ fontes acrius currit. Serpentes vitia ſunt,
„ conſume ſerpentes, & ampliùs deſiderabis
„ fontem veritatis.] Vel etiam Philoſophi Senecæ concludam verbis in 3. de beneficijs libro. [Nulli præcluſa virtus eſt; omnibus patet,
„ omnes admittit, omnes inuitat. Non eligit
„ domum, nec cenſum; nudo homine contenta
„ eſt.]

CAPVT II.

Quid Virtus, quid Vitium?

DE virtute igitur, vitioq; dicturus, accipiam Primùm, Quid ſit virtus, quid vitium.

Sanctus Baſilius in regulis fuſ. diſput. 2. Vitium definiuit prauum, & à præceptis Domini abhorrentem uſum earum facultatum, quæ boni cauſa datæ nobis à Deo ſunt: quemadmodum contra: Virtus eſt earumdem uſus bona adhibita mente præceptis Dei conueniens. Nec magnopere dixerim diſcrepare S. Auguſtini definitionem in libro de animæ quantitate cap. 16. ubi virtutem æqualitatem quandam ſcripſit eſſe vitæ, rationi undique *Virtus circulus.* conſentientem. Quam ob cauſam circulo eam voluit eſſe perſimilem, in quo nulla pars maiore, aut minore interuallo magis, quàm aliæ omnes diſtat à puncto medio. Quare & de ſapiente, dixit Poëta.

Fortis, & in ſe ipſo totus teres, atque rotundus. *Hor. ſat 7. lib. 2.*

Verùm quod ratione undiq; conſentientem dixit Aug. præceptis divinis conuenientem affirmauit Baſilius. Nam & præcepta rationi, & ratio recta præceptis planè conſentiunt. Hinc eſt quod idem ipſe Aug. in 4. lib. de Ciuit. Dei c. 21. à veteribus dixit definitam fuiſſe virtutem, Artem benè, rectèque viuendi. Atque à Philoſophis dicta eſt mediocritas inter extrema duo vitioſa, exceſſum, & defectum. Ita Philo Iudæus in lib. cui titulum fecit; Quod Deus ſit immutabilis, interpretatur illud, quod in lib. Deut. c. 2. & alibi legitur; Non declinabimus ad dexteram, nec ad ſiniſtram, ſed media gradiemur via; ut media via ſit hæc virtutis mediocritas; dextera verò, & ſiniſtra, duo extrema vitioſa. Quam interpretationem confirmauit S. Hieronymus lib. 16. in Iſaiam. Sed S. Gregorius Nazianzenus roſæ uſus exemplo eſt, ut ita virtus inter duo extrema vitioſa ſit media, quemadmodum inter ſpinas roſa. Sic. n. habet in carmine, quod appellauit Præcepta ad Virgines.

„ *In medio porrò Virtus eſt fixa malorum:*
„ *Haud ſecus ac ſpinas inter roſa mollis acutas.*

Scio, quid in lib. de vero cultu c. 16. aduerſus hanc à Peripateticis poſitam, atque à Patribus no-

Digitized by Google

noſtris confirmatam mediocritatem, ſcripſerit Lactantius Firmianus: vereor tamen, ne calumniari libuerit. Non enim verè Peripateticos accipit vitia mediocriter temperaſſe, aut mediocritatem in vitijs poſuiſſe. Quin ea illi penitus extinxerunt: neque in mediocritate, ſed in extremis, exceſſu, & defectu, agnoverunt vitia, mediocritatem autem in virtute media collocarunt; quæ vitioſa extrema funditus tollit. Ità profectò efficitur, ut vitia plura ſint, quam virtutes. Nam una virtus inter duo extrema verſatur vitia ſibi contraria, fortitudo inter timorem, & audaciam, inter ignauiam, & temeritatem; & liberalitas inter auaritiam, & prodigalitatem, atque ut ratiocinatur S. Auguſt. in epiſt. 29. ad Hieron. [unum vitium, non ſolùm virtute, „ ſed, & contrario vitio ſuperatur, atque uni „ vitio plura interdum ſuccedunt: velut qui „ ebrioſus fuerit, ſi modicum biberit, & tena- „ citatem, & ambitionem didicerit.] Filij Jſraël terram à Deo permiſſam ingreſſuri, ſeptem ſibi repugnantes gentes ſuperare debuerunt; ut Deut. cap. 7. narratur: & Joannes Caſſianus in 5. collatione Abbatis Seraponis cap. 16. ſignificari voluit ſeptem vitia, contra quæ pugnandum nobis eſt. Plura namque ſunt vitia, quam virtutes, & gentes, illæ numeroſiores, quam eſſent filij Iſraël; ſeptem nimirum gentes contra unum Jſraëlitarum populum, & octaua fuerat Ægyptiorum, quam Jſraëlitæ jam erant egreſſi. Sed hæc Gaſtrimargiam Caſſiano ſignificat, quam reliquiſſe cum oportet, qui de ſæculi laqueis expeditus ad Deum venit.

Vitia plura quam virtutes.

CAPVT III.

Virtus, & Vitium pugnant.

OMNINO virtus, & vitium ſibi viciſſim aduerſantur, pugnantque perpetuò, neque in diuerſis modo hominibus, ſed & in eodem. [Nam boni quidem vitioſis magnopere „ compatiuntur, vicemque illorum dolent: „ at impij, & vitioſi homines, inquit, S. Hilarius „ in Pſalmum 118. lit. Iod, conſpectis religioſis „ viris triſtes ſunt. Oderit enim neceſſe eſt „ ebrioſus ſobrium, continentem impudicus, „ juſtum iniquus: & tanquam conſcientiæ „ onus præſentiam ſancti cujuſq; non ſuſtinet.] Atque; ut ſcribit Lactantius in libro de falſa religione cap. 4. [Amara ſunt vitioſis, & pra- „ ue viuentibus præcepta iuſtitiæ.] De Jacob, & Eſau ſacra narrat Hiſtoria Geneſ. 25. Factus eſt Eſau vir gnarus venandi, & homo agricola; Jacob autem vir ſimplex, habitans in tabernaculis. Sane gnarus venandi & vir ſimplex, & rurſum gnarus venandi, & habitans in tabernaculis; contraria ſunt, & pugnantia. Alter ſymbolum vitij, alter virtutis. „ [Factus eſt, inquit Philo q. 12. in Gen. Eſau „ pravus, & captator, & ruſticus. Sicut enim „ venantibus conſuetudo eſt, canibus, & „ beſtijs conuerſari, ita pravus vitio malitia- „ rum feris aſſimilatur, ſine lenitate, & tem- „ perantia mentem regendo, etiam canibus „ comparatur, qui juſto plus ſatiati, ad rabiem, „ & furorem erumpunt.] Prætereà ruralis exors Ciuitatis, ut refuga legum, atque popularitatis alienus, jugum iuſtitiæ vitando, nullo ſequitur bono manſuetudinis, & beneuolentiæ inimicus; quibus fortunæ hominum conſiſtere videntur. Urbanus autem in utroque viget, ſine fictione, domum habitando, ſine blanditie, ſine inſidijs, ſine illecebris, quæ ſunt atrocitatis fomenta. Jmmò in unoquoque hominum hæc duo contraria, & inter ſe repugnantia reperiri, oſtendit idem Philo in libro, in quo mercedem meretricis non recipiendam tractat. [Duas, inquit, noſtrum quiſ- „ que uxores habet in ſuo contubernio, eaſ- „ que infenſas ſibi inuicem, & animæ domum „ replentes contentionibus zelotypis. Harum „ alteram diligimus, quaſi amicam, blandam, „ & familiarem; quæ voluptas dicitur: alte- „ ram odio proſequimur, ut immitem, & te- „ tricam. Hæc virtus nominatur. Jlla accedit „ cum ornatu meretricio, fracto inceſſu, præ „ mollitie, obtutu laſciuo ineſcans animas ju- „ venum, & quæ ſeq.] Et quid tandem ſibi vult illud, quod Rebeccæ in utero contendebant, & collidebantur duo parvuli, niſi quod in nobis omnibus virtus, & vitium colluctantur aſſiduè? [Sicut ex una ſtirpe, ait Philo q. „ 6. in Gen. duo oriuntur rami: ita ex una „ mente melior, & deterior ſpecies naſcitur. „ Libido enim, & dolor ex una radice. Agi- „ tante enim libidine dolor celatur: porrò ſi is „ tenuerit, illa ſubducitur. Ita omnes virtutes „ contra malitiam habentur, & contra mali- „ tiarum momenta virtutibus aduerſantur,] & „ rurſum q. 9. [Germana ſunt virtus, & mali- „ tia, unius animæ fœtus. Dimicant autem, & „ litigant modo quodam adhærentia diſſocie- „ tatem deſiderant, ſeparata verò, & liberata di- „ ſtant;] quod autem alter egrediens plantam fratris tenebat manu, propterea factum exponit quæſtione 10. [Quoniam ſtudioſus ani- „ mus captator eſt, & naturaliter ſtrenuus; „ ſemper arcendo vitium, & minimè fiduciam „ ei permittendo, ne quando erigatur. Tenere „ autem calcaneum fortiſſimæ mentis eſt, & „ optimi luctatoris non admittentis malum ex- „ aceruari. Quod enim tenetur infirmum eſt: „ præſidente autem animo, & præualente vi- „ tium vincitur, & claudicatur.] Unde & dictum eſt; Major ſeruiat minori. Inveterata eſt enim malitia, ut idem interpretatur q. 4. quæ à prima ætate concreuit. Virtus verò junior, quia in nouiſſimo oritur tempore deficiente vitiorum

Gen. 25.

Digitized by Google

tiorum pondere.] Origines quoque Hom. 12. in Gen. quoniam Rebeccæ conſulenti Dominum reſponſum fuit; [Duæ gentes ſunt in „ utero tuo, & duo populi ex tuo ventre diui„ dentur; Sinagogam quidem, & Eccleſiam, „ duos populos intellexit in utero Rebeccæ: „ ſed & poſt addit: In nobis quoque duo po„ puli ſunt; ſicut in ventre Rebeccæ populus „ virtutum, & vitiorum. De corde enim „ exeunt cogitationes malæ &c. Et item; „ fructus ſpiritus eſt charitas, gaudium, pax, „ patientia,&c. & populus populum ſuperabit, „ & major ſeruiet minori, id eſt caro ſpiritui,& „ vitium virtuti. Numeroſiora enim ſunt vitia „ virtutibus.]& S. Auguſtinus in quæſtionibus ex utroque Teſtam.mixtim. q. 3.cùm in pſal. 23.dicitur hæc eſt generatio quærentium Dominum: [Duæ,inquit,ſunt generationes; una „ ex parte iniquitatis, quæ eſt mater Cain, al„ tera ex parte juſtitiæ, quæ eſt mater Abel. „ Hæc in fide conſiſtit, & bona conuerſatione „ illa in perfidia,& obliquis operibus. Iſtæ ſunt „ duæ leges,boni,& mali,Dei,& Diaboli;quam „ quiſque ſequutus fuerit, ejus appellabitur fi„ lius.] Porrò in lib. Exodi cap. 1.Pharaonem legimus juſſiſſe Hæbreorum mares, qui naſcebantur,occidi;fœminas reſeruari.[Sed fœmineus „ animæ fœtus,ſcribit Philo in lib. de ſacrificijs „ Abelis,& Cain,malitia eſt,& affectio,quibus „ effœminamur in omnibus ſtudijs: maſculus „ autem virtus, & immunitas ab affectibus; „ quæ duo nos confirmant, & excitant.] Pluribus hunc locum tractat Origines Hom. 2. in Exodum. [Præcepit,inquit,Rex Ægypti ma„ res necari, fœminas reſeruari. In fœminis ca„ ro, & affectus carnis deſignatur: mas autem „ rationalis ſenſus, & ſpiritus eſt. Hunc odit „ Pharao; hunc necari cupit, & interimi: cupit „ autem quæ carnis ſunt viuere nec ſolum vi„ vere, ſed & augeri,& excoli;cum ergò vide„ ris homines in voluptatibus,& vitijs viuere;in „ iſtis ſcias,quod Rex Ægypti maſculos necat, „ & viuificat fœminas,&c.]Et rurſum non multo poſt; [Mares virtutes, fœminæ vitia. Ideo „ obſtetrices conſeruaſſe dicuntur mares, non „ autem dicuntur conſeruaſſe fœminas; ſicut „ Rex præceperat. Non enim vitia docentur in „ Eccleſia, aut luxuria prædicatur; aut peccata „ nutriuntur, ſed ſola virtus excolitur, ſola nu„ tritur.] In eandem ſententiam loquitur S. Gregorius Nyſſenus in lib. de vita Moyſis. „ [Pharao,inquit,maſculinam Judæorum pro„ lem juſſit occidi, tuncque Moyſes in matris „ ventre ferabatur. In hominibus ergo carnalis „ hæc,& perturbationem plena diſpoſitio,quæ „ tyranno, & humani generis hoſti placet, ac „ ideo eam fouet,& vita donat; per muliebrem „ ſexum oſtenditur. Virilis vero partus hoſti „ contrarius,ac ſuſpectus virtuoſam vitam ſig„ nificat.Eſt autem in noſtra electione marem, „ aut fœminam naſci.] Munda quoque, & immunda animalia proponit nobis Tertullianus in epiſt. de cibis judaicis cap. 3. & duos hircos, de quibus Leuit. 16. Philo Judæus in lib. de plantatione Noë. [Super duos, inquit, hircos „ ſors mittitur; altera Domino, altera hirco „ emiſſario; id eſt ſuper duas rationes,quarum „ altera Domini ſit, creaturæ altera. Ergò qui „ ſummum auctorem veneratur, ſibi ipſi ho„ noris hæreditatem parabit: qui creaturam, „ exulabit,pulſus è regione ſacratiſſima in pro„ fana, deuiaque tartara.] Et Origenes dexteram Dei ac ſiniſtram. Etenim Homilia 9. in Jeremiam, acceptis illis verbis pſalm. 74. & inclinauit ex hoc in illud. [In manu ait dex„ tera Dei eſt calix virtutum, & præmiorum, „ in ſiniſtra vitiorum,& ſuppliciorum. Si bona „ opera feceris,bibes de calice dexteræ: ſi ma„ la de ſiniſtræ: & quidem calices meri. Si „ autem partim bona, partim mala; tunc mi„ ſcentur, & inclinauit ex hoc in illud, ut juxta „ opera miſceatur tibi ſupplicium aquacius, „ ſeu meracius.] Et S. Ioan. Chryſ. (vel quiſquis fuit autor) Hom. 12. operis imperfecti, oculum dextrum, & ſiniſtrum manum dexteram, & ſiniſtram, voluit eſſe duplicem hominis mentem aut voluntatem; unam animæ, alteram corporis, ſeu ſenſus;& ideo Sanctos omnes virtutem colentes eſſe dextros, & peccatores vitioſos eſſe ſiniſtros. Et rurſum Hom. 13. dexteram manum eſſe animæ voluntatem ad bonum ſemper contendentem; ſiniſtram autem *Mat.16.* voluntatem carnis Deo ſemper contrariam, & vitioſam. Quo circa quod dixit Chriſtus; neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua; ita accepit S. P. Chryſologus in ſerm. 9. ut in dextera ſint virtutes, & in ſiniſtra vitia; neque in virtutis opere partem ullam habeat vitium hypocriſis, aut jactantiæ, aut elationis. Denique capillos capitis virtutes animi dictas fuiſſe à *Mat.10.* Domino, putauit Origenes Hom. 1. in Num. ubi omnes capillos capitis noſtri numeratos eſſe affirmauit: non illos, qui ferro tonderi,& proijci ſolent: ſed qui erant in Nazaræis, quibus inerat virtus Spiritus Sancti ad proſternendos alienigenas. Quod de Sampſonis quoque capillis Sanctus Ambroſius ſenſit in ſecundo libro de Spiritu Sancto ad Gratianum.

CAPVT IV.

Virtus naturæ hominis conformis.

IAM vero ſi virtus eſt actio rectæ rationi conformis, ſeu mediocritas prout recta præſcripſerit ratio: manifeſtum eſt, eam eſſe hominis naturæ conformem. Si enim homo animal eſt ratione præditum, rationeque utens,ac rationis ductu viuens; cum conſequens eſt ex virtute debere viuere, ſi ut homo viuere velit. Hoc eſt illud magiſterium, quod in nobis agno-

Digitized by Google

agnouit, & prædicauit S. Io. Chryſoſt. Hom. 24. in Mat. Sed ſi virtus eſt ſecundum naturam, quia rationi conſentiens; vitium fuerit præter naturam, ſeu etiam contra naturam, quippe à ratione diſſentiens. Idem Chryſoſt. Hom.22. in priorem epiſtolam ad Corint. bonæ & aduerſæ valetudinis exemplo utitur. ,, [Secundum naturam, inquit, eſt nobis vir- ,, tus, præter naturam malitia: non aliter quam ,, bona, & aduerſa valetudo.] Virtus enim velut ſanitas eſt animæ, vitium velut morbus. & S. Auguſt.l.7. de Gen. ad lit. c. 6. [Sicut ,, corpus ſeu caro, & ſalute decoratur, & mor- ,, bis vulneribuſque fœdatur; ſic anima vitijs, ,, & fallacijs deformis redditur; formatur au- ,, tem virtutibus, veritatiſque doctrina.] Itaque, ut natura duce ſanitatem corporis procuramus, morbum auerſamur; Sic à natura nobis inſitum eſt, ut virtutem ſectemur, fugiamus vitium; hoc eſt iuxta præſcriptum rationis viuamus, ab illiſque abhorreamus, à quibus abhorret ratio. Theodoretus in ſerm. 9. virtutis aquiſitionem inſitam eſſe à natura, & ex virtute viuere oſtendit, vel ex vitiorum operarijs, qui clam patrare ſatagunt deprehenſique defendere ſe conantur; & ideo in tenebris agunt, & ſi interdiu, ſolitudinem, & abſentiam hominum quærunt. Immò verò, & proprium erubeſcunt nomen; quod obſeruauit S. Ioan. Chryſ. in ſermone de fide, & lege naturæ, & Spiritu Sancto. [Dic manifeſto adultero. Adul- ,, ter: erubeſcit, ſi adulter vocetur. Dic periuro, ,, Periure; & pro contumelia habebit ſuo- ,, rum operum appellationem. Dic caſto, ,, Caſte; & nomen agnoſcens non erubeſcit, ,, & licet modeſtiæ gratia nomen fugiat, lau- ,, dem tamen in anima ſua accipit.] Eandem ſententiam repetit in ſerm. de virtut. & vitijs. Et S. Baſilius in orat. de anima: [Sicut nulla, ,, inquit, ratio nos docuit morbum fugere, ,, & odiſſe; ſed ſponte, natura duce, ea quæ no- ,, cent, aſpernamur, & declinamus: ita & ani- ,, mi quædam rerum eſt malarum declinatio: ,, non edocta, verum naturæ ipſius inſtinctu ,, prodita. Malum certè omne infirmitas ani- ,, mi eſt, virtus verò ſanitatis rationem ha- ,, bet.] & S. Io. Chryſ. Hom. 66. in Gen. ,, [Unus quiſque noſtrum in natura ſua inſi- ,, tam habet ſcientiam virtutis, & niſi quis eam ,, voluerit per ſuam perdere generoſitatem, ,, nunquam ea priuabitur.] Et Hom. 24. in ,, Matt. [Manifeſtum eſt ſecundum naturam ,, nobis eſſe virtutem; domeſtico ſiquidem ma- ,, giſterio, omnes quæ facere debemus agnoſci- ,, mus: & impoſſibile nobis omnino eſt ad ig- ,, nauiæ præſidiū aliquando confugere.] Quin etiam hom.2.in epiſt.ad Epheſ.cum hanc quæſtionem propoſuiſſet, utrum neceſſitate ac violento naturæ impulſu peccemus, an per ſocordiam noſtram: reſpondet. [Nullam eſſe neceſſi- ,, tatem; immo potius vim infers naturæ, ip- ,, ſamque violas. Nam ab ipſa etiam natura ,, ſeminaria ad virtutem comparandam acce- ,, pimus. Quæ verò ad malitiam, ſcelusque ,, inuitant, præter naturam ſunt: quæ ſi præ- ,, ualeant noſtræ ſunt argumenta ignauiæ.] Et ,, Hom. 2. ad populum. [Ab initio Deus ho- ,, minem formans, legem ipſi naturalem indi- ,, dit: conſcientiam inquam nobis expreſſit, & ,, per ſe diſcibilem conſtituit, bonorum & con- ,, trariorum ſcientiam, & quæ ſequ;] Quòd ſi virtute relicta ſecteris vitium, perinde facis eiuſdem Sancti Patris ſententiâ in Commenta- ,, rio pſal. 7. [Ac ſi mulier in cuius poteſtate ,, ſit cum Rege coniungi, non ſubſtineat; ſed ,, pro illo latronem ac murorum perfoſſorem velit habere coniugem.] [Maximum hoc habemus naturæ meritum, inquit Seneca in 4. de beneficijs libro, quod virtus in omnium animos lumen ſuum permittit; etiam qui non ſequuntur illam, vident.]

CAPUT V.

Virtus hominis bonum.

PROPTEREA virtus dicitur eſſe proprium hominis bonum. [Alia omnia, in- ,, quit S. Baſilius in Hom. de legendis libris ,, Gentilium, non magis poſſidentium, quam ,, quorumlibet, ſunt: velut in talorum ludo ,, hùc, illùc tranſportata. Virtus autem ſola ,, poſſeſſio immortalis, & immobilis, viuenti, ,, & morienti permanet.] Adſertque plura ex Solone, Theognide, Prodico Chio ſophiſta. Et poſt ex Biantis dicto, Viaticum ſenectutis nominat. Eunti namque ad Ægyptios filio, & quærenti, quod ei maximè gratum faceret: ,, [Viaticum, inquit, ſenectutis poſſidendo;] viaticum virtutem appellans. Cæſarium fratrem meritò laudat S. Gregorius Nazianzenus, quod cum multis & magnis floreret dignitatibus, hoc ad decus, & gloriam præcipuum decebat; ut & eſſet, & diceretur Chriſtianus: *Chriſtiani nomen.* idque tanti æſtimabat, ut præ hoc uno reliqua omnia in unum congeſta, ludi, & nugarum inſtar haberet. Et S. Aug. tract. 5. in Ioan. plus ad hominem dixit pertinere, quod Chriſtianus eſt, quam quod homo eſt. Nam quod Chriſtianus, renouatur ad imaginem Dei, à quo homo factus eſt. Et epiſt. 120. ad Honoratum cap. 23. [Rationalis, inquit, creatura ,, ita facta eſt, ut ſibi ipſa bonum, quo beata ,, fiat, eſſe non poſſit: Sed mutabilitas eius ſi ,, conuertatur ad incommutabile bonum, fiat ,, beata: unde ſi auertatur, miſera eſt. Auerſio ,, eius vitium eſt, ſed conuerſio eius virtus eſt.] Et iterum in lib. de duabus animabus contra Manicheos cap. 13. [Homo cum ſectatur vir- ,, tutem, proprium agit; cum vitium, appetit ,, alienum; velut cum ferina ſectatur. Pulchrè

Digitized by Google

„ enim incedit quadrupedans equus:] at ſi hoc „ homo manibus, pedibuſque imitetur, quis „ eum vel palearum cibo dignum non putet? Et S. Io. Chryſoſtomus Hom. quod nemo læditur niſi à ſe ipſo, tom. 5. [Neque diuitiæ, ne„ que libertas, neque ſanitas, neque alia huiuſ„ modi propria hominis bona ſunt; ſed ſola „ virtus animi. Et ideo cum in his, quæ ex„ trinſecus ſunt damnum ſuperuenit, non læ„ ditur homo, quia omne bonum eius in ani„ mi virtute conſiſtit.] Et Hom. 23. in Gen. cùm audiuit illa verba cap. 6. Noë vir iuſtus atque perfectus. [Illum ſolum, ait, Scriptura „ hominem vocat, qui virtutem colit, & homi„ nis imaginem ſeruat. Cæteros non homines „ vocat, ſed interdum carnem, cum ait: Non „ permanebit ſpiritus meus in homine, quia ca„ ro eſt: interdum terram. Corrupta, inquit, „ erat terra coram Domino: interdum eos om„ nino non eſſe putat, ut Iſ. 50. Veni, & non „ erat homo, vocaui, & non erat qui audiret: in „ media ſcilicet Hieruſalem: & Hierem. 5. Vi„ dete, ſi eſt unus, qui faciat judicium.] Et Hom. 13. in priorem ad epiſt. Tim. [Quæ eſt „ hominis definitio ex diuinis litteris? Homo „ inquiunt, fuit iuſtus, verax, pius, abſtinens ab „ omni opere malo: hoc nempè eſt homo.] Et alibi. [Magnum quiddam eſt homo, & pretioſum vir miſericors. Cæteros verò, qui ejuſmodi non ſunt, quantumlibet participes rationis fuerint, non nouit Scriptura appellare homines; ſed canes, & equos, & viperas, & ſerpentes, & vulpes, & lupos, & ſi quid hiſce feris ignobilius eſt.] Et Hom. 21. ad Populum. [Homo non eſt quicunque ſim„ pliciter habet manus, & pedes humanos; „ nec quicunque tantum rationalis eſt: Sed qui „ pietatem, & virtutem cum fiducia exercet.] Cæteros ſolent Patres appellare beſtias, prout alicui fuerit quiſque vitio deditus. Philo Iudæus in lib. de Abraham: [Nemo injuſtus „ eſt homo, ſed beſtia humana forma prædita.] Et q. 12. in Gen. cum de illis geminis dicat ſcriptura. Factus eſt Eſau vir gnarus venandi, & homo agricola; Iacob autem vir ſimplex habitans in tabernaculis; audiſti, c. 3. quid auctor dixerit. Et S. Auguſtinus lib. 7. de „ Gen. ad litt. c. 10. [fieri ſanè vitæ genere nos „ pecoribus ſimiles, & ipſæ res humanæ cla„ mant, & Scripturæ teſtantur. Unde eſt illud; „ Homo cum in honore eſſet, non intellexit, „ comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſi„ milis factus eſt illis.] Quod Philoſophis argumentum fuit animarum tranſmigrationem aſſerendi in beſtiarum corpora. S. Ioan. Chryſoſtomus plurimis in locis hoc idem tradidit: aliquot operæ pretium fuerit commemorare. In Hom. 12. in Gen. [Diuina, inquit, Scrip„ tura propter affectiones interturbantes ab „ irrationalibus, & feris agnominationes nobis „ inponit. Interdum canes, ob impudentiam „ & impetum vocat; dicens: Canes muti non „ valentes latrare. Interdum ob libidinem e„ quos; Equi in fæminam inſanientes, unuſ„ quiſque uxori proximi ſui adhinniebat. In„ terdum verò aſinos ob ſtupiditatem, & ruſti„ citatem; Comparatus eſt jumentis inſipien„ tibus, & ſimilis factus eſt illis. Interdum le„ ones & pardos, ob rapacitatem & habendi „ auiditatem. Aliquando autem Aſpides, ob „ fraudulentiam; Venenum aſpidum ſub labijs „ eorum. Non nunquam ſerpentes, & viperas, „ ob latens venenum & malitiam; ſicut & B. „ Ioannes clamabat: Genimina viperarum, quis &c.] Et Hom. 19. [Sicut magnum, & ve„ nerandum, eſt rationale hoc animal, quod in „ virtutis viam contendit; ità quando in malum „ declinat; truculentarum beſtiarum imitatur „ crudelitatem. Quin & cùm feroces illarum „ mores aſſumpſerit, multis nominibus illarum „ ſuperat ferociam.] Et Commentario in Pſal. „ 48. [Qui ſceleratam, & perditam vitam „ agunt, ſunt brutis deteriores; utpote qui „ fiant ſerpentes, ſcorpij, & lupi, propter im„ probitatem; & oues, & boues, propter igno„ rationem; & canes, propter impudentiam.] „ Et in pſal. 49. [Improbus vitio bellua factus „ eſt; dum naturæ nobilitatem prodidit.] Et „ Serm. de virtutibus & vitijs, tom. 5. [Si Deo „ placuiſſe, hoc demum eſt hominem eſſe; qui „ ne parum quidem audiens dicto præſtiterit, „ quid aliud eſſe, quàm fera, cenſebitur?] Uno verbo dicam; ſolent affirmare Patres, nihil eſſe homini bonum, niſi virtutem; nihil malum niſi vitium. Ita S. idem Chryſoſtomus in Hom. de oratione Annæ, tom. 1. & S. Hier. in commentario ad caput 11. Iſ. & Io. Caſſianus collat. 6. Abbatis Theodori cap. 3. & alij plurimi. Lege quid dicat Seneca ep. 77. & pluribus alijs in locis.

CAPUT VI.

Virtus hominis vita.

SECVNDO dicitur virtus eſſe hominis vita, vitium mors. S. Auguſtinus epiſt. 85. ad Coſſentium; [Anima, inquit, vita cor„ poris, juſtitia vita animæ.] & cùm Deus minatus eſſet primis noſtris Parentibus; Morte moriemini. S. Ambroſius in libro de Paradiſo c. 9. de peccati morte interpretatur. [Hocque „ ait eſſe vita viuere, virtute viuere, beatæ vitæ „ actus habere in iſtius corporis vita: contrà „ autem, morte mori, nil eſſe aliud, niſi morte „ corporis deformitatem ſignificare morientis; „ cujus & caro communi viuendi munere de„ fraudetur, & anima vitæ æternæ uſum habere non poſſit.] Et S. Gregorius Papa lib. 5. in primum regum c. 5. Saulem notat in ſacris litteris dici

dici regnaſſe duobus annis quoniam etſi multis annis regnauerit, illis tamen ſolis regnaſſe dicitur, quibus innocens fuit, & humilis; reliqui non numerantur, quia vitio mortuus erat. „[Illo ergò ſolùm tempore vixiſſe nos gau-„deamus, ait Gregorius, quo innocenter, & „humiliter viximus. Nam illa tempora, quæ „in ſæculi vanitate, & fluxu carnis conſumpſi-„mus quaſi perdita minimè memorantur.] Multis hoc argumentum tractat S. Ioannes Chryſ. h. 6. in poſteriorem Ep. ad Cor. Virtutemque oſtendit eſſe animæ vitam; illamque animam eſſe viuam, quæ ex virtute operatur; illam mortuam, quæ ſecus. Et h. 2. in Pſal. 39. Virtutem addit eſſe panem, quo anima ſuſtentatur, quem niſi comedat, eneruetur, & deficiat. Quòd ſi peccatorum quoque acceſſerit multitudo, duplex erit deliquium, & virium imbecillitas. [Ut enim venter corporis à ma-„lis nutrimentis ſit imbecillior, ita & venter „animæ.] Itaque Apoſtolus de Viduis loquens in priore ad Tim. Epiſtola; Quæ in delicijs, inquit, eſt, viuens mortua eſt. Solus ergò is viuit, qui virtutem colit; qui vitium, mortuus eſt. [Diſcamus planè, ait eo loco Chryſ. h. „13. quod nam ſit viuentium opus, quod mor-„tuorum. Viuentes profectò, quæ ſunt futu-„ræ vitæ, quæ ſola vera vita eſt, gerunt. Non „enim eò ſolùm à mortuis differunt, quòd So-„lem atque aërem cernunt; ſed eò, quòd boni „aliquid faciunt. Id niſi adſit viuentibus, nihilò „defunctis meliores ſunt.] Denique in h. 10. in Ep. ad Ephes, hominem virtute præditum, non ſolùm eſſe affirmat hominem, ſed etiam intra homines velut Angelum; quoniam, quod ille ex natura habet, hoc iſte per voluntatis propoſitum adeptus eſt. [Itaque ſi contra An-„gelos, inquit, nemo erigitur, multò minùs „contra homines in humana natura Angelos „effectos.]

CAPVT VII.

Virtus hominis honor.

TERTIO Virtus proprius hominis honor, & laus eſſe prædicatur. Ita loquitur S. Leo Papa in Ep. 53. ad Anatolium. [Magnus „unicuique honor eſt integritas ſua, quæ in „quibuſlibet locis propria ornamenta non perdit.] Et S. Ambroſius in Ep. 19. ad Conſtantium ſcribit. [Illud præcipuum, ſi magis mores „commendent ſtatum, quàm ſtatus mores. „Etenim quò ſtatus inferior, eò virtus emi-„nentior.] Et Lactantius in libro de iuſtitia c. 15. [Nemo Deo pauper, niſi qui iuſtitia indi-„get: nemo diues, niſi qui virtutibus plenus „eſt: nemo egregius, niſi qui bonus, & inno-„cens fuerit; nemo clariſſimus, niſi qui opera „miſericordiæ largiter fecerit: nemo perfectiſ-„ſimus, niſi qui omnes gradus virtutis imple-„uerit.] In 2. libro Regum c. 13. Thamar ab Amon violata, humiliata fuiſſe dicitur: quod in libro 5. in 1. Regum c. 3. interpretatur S. Gregorius Papa fuiſſe dictum, quia ſublime virginitatis culmen perdidit. Unde & Iſ. c. 51. legimus, Incuruare, ut tranſeamus. Erecta enim ſublimis eſt anima, incuruata humilis; quia per virtutum celſitudinem in alta ſuſtollitur; ſed quando ad vitia defluit, illuc cadit, ubi hanc hoſtis irruens leuiter atterit. Et S. Io. Chryſ. h. 24. in Gen. Vitioſos homines in Scripturis Sacris terram appellari obſeruat. „[Nam Adamo peccatori dictum eſt; Terra „es, & in terram ibis. Peccatum enim homi-„nes facit tales, ut ſuo nomine vocari non ſint „digni.] Itaque in com. Pſal. 48. magnopere hortatur his verbis. [Si ſis memoriæ cupidus, „virtutis curam gere. Nihil enim facit nomen „adeò immortale, ut natura virtutis. Id oſten-„dunt Martyres, oſtendunt Apoſtolorum re-„liquiæ, oſtendit memoria eorum, qui rectè, „& ex virtute vixerunt.]

CAPVT VIII.

Virtutis Splendor.

QVARTO hùc ea omnia ſpectant, quæ de virtutis ſplendore tam magnificè prædicantur. Sanctus Ambroſius in obſeruatione prima in Michæam Prophetam, ad Horontianum; [Nihil ſquallidius iniquitate, ni-„hil ſplendidius iuſtitia.] Et libro 2. offic. c. 1. „[Sicut exortus Sol Lunæ, & cæterarum ſtel-„larum abſcondit lumina; ita fulgor honeſta-„tis cætera, quæ putantur bona ſecundum vo-„luptatem corporis, aut ſecundum ſæculum cla-„ra, & illuſtria, obumbrat.] Et Philo Iudæus lib. 1. allegorarium Legis; [Sicut Sol exortus „caliginoſum aërem replet luce, ſic etiam vir-„tus exorta in anima caliginem eius illuſtrat, „& multum tenebrarum diſcutit.] Et S. Cyrillus Alexandrinus libro 4. in Io. c. 4. [Diuiti-„arum omnis ſplendor aduentitiam, atq; cadu-„cam hominibus gloriam adfert: Virtutis au-„tem, & interioris hominis fulgor proprias, „atque naturales adducit diuitias, quæ non „ſimul cum iſta carne cadere ſolent, ſed animo „inſunt, & cum ipſo euolant, quo creator om-„nium conſtituit.] Et S. Ioannes Chryſ. h. 15. in Matth. [Nihil eſt, quod ſic hominem fa-„ciat inſignem, atq; conſpicuum, etiam ſi ma-„gno ambitu optet latere, ut ſplendor iſte vir-„tutis.] Et h. 62. in Gen. [Tanta res eſt virtus, „ut ubicunque illa apparuerit, omnibus domi-„netur, & præualeat. Etenim ſicut oriente „Sole tenebræ diſcutiuntur, ita & apparente „virtute è medio tollitur omnis malitia.] Et h. 63. margaritam profert in lutu conculca-

Digitized by Google

culcatam; & ſuam nihilominus prodentem pulchritudinem: [Sic enim virtus quocumque „ eam projeceris,ſuam declarat virtutem,etiam „ in ſeruitute, in carcere,in afflictione, in pro- „ ſperitate.] Quin etiam S. Gregorius Papa lib. 10. moral. cap. 12. Luciferum præcedentem Solem eam nominat. Cùm enim diceret Iob. cap. 11. Cùm conſumptum putaueris,orieris ut Lucifer. [Rectè, inquit, Lucifero iuſti vita „ comparatur.Solem quippe præcurrens Luci- „ fer nunciat. Et quid nobis Sanctorum inno- „ centia niſi ſequentis iudicij claritatem clamat? „ In eorum namque admiratione conſpiciemus, „ quid de maieſtate veri luminis æſtimemus.]

CAPUT IX.

Virtus magnum facit.

HINC eſt quintò, quod vitium dicitur facere hominem parvum, & exilem, virtus magnum, & ſupra cæteros; immò & ſupra mundi elementa eleuare. Ita Apoſtolus Paulus in Ep. ad Gal. cap. 4. de antecedente illorum vita loquens antequam Chriſti fidem ſuſciperent, parvulos eos appellat,& ſub elementis mundi huius ſeruientes: Unde ſapienter colligit S. Ambroſius in primo libro com. in Lucam; eum, qui virtutem ſectetur, magnum eſſe, & elementis ſuperiorem. Origenes h. 12. in Leuit. duo ad rem obſeruat. Alterum; Vitium, & peccatum facere hominem parvum, & exiguum, Virtutem eminentem, & magnum;ſimilitudine morbi,& ſanitatis. Alterum; nullum peccatorem in Scripturis Sacris magnum appellari: ſed Iſaac, Moyſen, Ioannem Baptiſtam, & Chriſtum, poſt quem nullus appellatus eſt magnus; quia priuſquam adeſſet is, qui verè magnus eſt, comparatione reliquorum hominum magni vocati ſunt Sancti. At ubi aduenit ipſe, qui non comparatione cæterorum, ſed ſui magnitudine verè magnus erat, nullus alius abſolutè magnus poterat appellari. Comparatione igitur vitioſorum virtus magnum facit; quippe vitium tam parvum, & nullum facit hominem, ut qui virtutem habeat, cum illo comparatus verè magnus ſit. Neque negari poteſt id,quod habet S. Ioannes Chryſ. h.23.in Gen. [Tan- „ tam rem eſſe virtutem, tam in mortalem, „ tam inuictam, tam nihil cedentem huius „ vitæ varietatibus: ſupra enim malitiæ retia „ volitans, quaſi è ſublimi ſpecula quadam, ſic „ omnia humana deſpicit; nihil quod alij mo- „ leſtum eſt, ſentit; & ſicut is, qui ſupra ex- „ celſam petram ſtat, fluctus ridet, quos vi- „ det ad petram magno impetu rumpere, & „ protinus in ſpumam ſolui; ita &c.] Et quoniam hunc locum ſæpiùs tractat Chryſoſtomus, quid is tandem dicat audiamus.

CAPUT X.

Virtus perſecutionem patitur.

SEXTO; Virtus igitur,etſi ipſa per ſe admirabilis ſit, à plurimis tamen perſecutionem patitur. Ut enim vitium virtuti contrarium eſt, & infenſum ſemper, ſic virtutem oderunt ſemper vitioſi homines, & perſequuntur.[Im- „ poſſibile eſt, inquit eodem loco Chryſ. ut „ qui anguſtam, & arctam virtutis viam am- „ bulat, & mandata ſequitur Chriſti, ab omni- „ bus laudetur,& in admiratione ſit.] Propterea Chriſtum,ait Luc. 6. non ſolùm dixiſſe, Ve cùm benedixerint vobis homines; ſed dixiſſe, omnes homines, quoniam non deſunt plurimi, qui virtutem colentibus maledicant. Quos beatos dixit Matt. 5. quia perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, id eſt pro virtute interpretatur ille h. 15. in Mat. Solet enim iuſtitia omnis prorſus appellari virtus. [Furi enim lux inimica eſt, ratiocinatur „ idem h.28.in poſteriorem Ep.ad Cor.mole- „ ſtus eſt iuſtus peccantibus, etiam ſolùm ap- „ parens;grauis ſi vel ſpectetur. Non enim fe- „ runt illius radios,ſicut nec Solis iubar, qui „ oculorum morbo tenentur.] Et in ſermone de virtutibus, & vitijs to. 5. [Fieri non poteſt, „ ut qui virtutibus dediti ſunt, ab omnibus be- „ nè audiant ſemper,& virtutis curam habenti- „ bus multi ubique detractores inſurgunt. Bo- „ na enim apud omnes fama ſignum certè vel „ maximum eſt haud multùm ſanè virtutis ha- „ beri rationem.] Et rurſum; [Qui virtutis ex- „ quiſitus imitator eſſe voluerit, & ſolius Dei „ laudem quærere,is ab omnibus laudari,& be- „ nè ſemper audiri nullo modo poterit; quippe „ in virtutem multa uſque vitij congelaſcit „ inſania.]

CAPUT XI.

Virtus illuſtrior in perſecutione.

SEPTIMO. At in ipſis perſecutionibus, & aduerſis euadit illuſtrior. [Malitia, inquit idem Chryſ. h. 21. in Gen. etiam ſi infeſtet „ & dominetur,extinguitur tamen,&abolentur: „ Virtus autem licèt infeſtetur, & innumera „ grauia ſuſtineat, illuſtrior fit, & clarior.] Et rurſum h. 23. [Eſt Virtus per ſe ipſam admi- „ rabilis:quod ſi quis illam in medio prohiben- „ tium colat, multò admirabiliorem ſe oſten- „ dit. Semper contra virtutem inſanit malitia. „ Atque non ſolùm nihil illi nocet,ſed & infe- „ ſtando fortiorem reddit.] Et h. 51. [Tanta „ tamque valida res eſt virtus, tamq; imbecillis „ malitia, ut illa quidem licèt patiatur,vincat; „ hæc verò, & ſi quid faciat, nihil proficit, „ quàm quòd ſuam prodit infirmitatem.] Et h.

61.

Digitized by Google

„ 61. [Tantam fortitudinem habet Virtus; ut „ clarior fiat, cùm infeſtatur. Nihil enim ea „ fortius, nihil validius.] Et in ſer. 1. de lapſu primi hominis, to. 1. [Tolle perſecutores, & „ non erunt Martyres; tolle congeriem malo- „ rum, & non erit plenitudo virtutum; tolle „ aduaerij amatores, & non erit perfectio ca- „ ſtorum.] Poſtremò exemplis quoque pluribus rem hanc illuſtrat. Nam in Com. pſ. 139. ad hunc modum loquitur. [Beſtia, quæ cum „ magno impetu irruit in haſtæ aciem; vide- „ tur quidem eum ulciſci; qui tenet haſtam: „ verùm ſibi ipſi grauius infligit vulnus. Et qui „ aduerſus ſtimulum calces impingit, itidem „ pedes ſibi cruentat. Talis eſt virtus, ſtimu- „ lus, & gladius acutus. Omnes autem impro- „ bi ſunt deteriores, & rationis magis exper- „ tes, quam beſtiæ. Quando autem bonos in- „ vadunt, ſe ipſos grauiùs confodiunt: &c.] Et h. 13. in Acta, exemplum adiungit ada- „ mantis. [Sicut enim qui adamantem per- „ cutit, ipſe ſibi plagam infert, adamanti nil „ nocet: ita & qui virtutem perſequitur &c.] Iam S. Gregorius Nyſſenus in libro de vita Moſeos, Ægyptium & Hebræum homines contendentes ex. 2. ſignificare voluit vitium & virtutem inter ſe pugnantes: Moyſen verò interficientem Ægyptium, eſſe fidelem hominem pro virtute pugnantem, vitiumque profligantem. Quod etiam quomodo præſtandum à nobis ſit, accuratè ſatis exponit; dum Agni Paſchalis comeſtionem moraliter interpretatur.

CAPVT XII.

Virtus hominis veſtis.

OCTAVO; Hominis propria veſtis eſt Virtus. Adam enim ut Sanctus Ambroſius obſeruauit in 2. libro de Iacob, & vita beata cap. 5. [Spoliatus virtute nudus inventus eſt: „ Ioſeph veſtimento exteriori relicto, nudus „ non erat, qui ſalua habebat indumenta vir- „ tutis.] Et hortatur nos Paulus ad Coloſſ. 3. Induite vos viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam, & omnem omnino virtutem. Porrò Ezech. 16. Ubi Hieruſalem veſtita dicitur varijs coloribus; legis cæremonias intelligit Sanctus Hieronymus; quarum occupata ſtudio idola derelinqueret. Hæ nobis ſunt veræ virtutes, quibus à vitiorum idolis abducimur. Addit Ambroſius, & Ioſeph Gen. 37. His veſtimentis fuiſſe indutum, nec potuiſſe à fratribus vendi, niſi priùs eum tunicæ varietate nudaſſent. Et Sponſa in Pſ. 44. [Aſtitit in „ veſtitu deaurato charitatis, circumdata va- „ rietate cæterarum virtutum.] Et Pontifex ex: 39. varia habebat veſtimenta, quibus induebatur ingreſſurus in Sancta Sanctorum, ut pro populo adoleret in cenſum. Et Sanctus Anſelmus verba Pauli illa conſiderans in Commen. [Veſtis, inquit, qua induimur, ab „ omni parte nos tegit: ità & vos ab omni „ parte circumtegi debetis viſceribus miſeri- „ cordiæ; ut in cunctis actibus veſtris fulgeant „ virtutes omnes.] In poſteriore item ad cor. Epiſtola cap. 6. muniri nos vult idem Apoſtolus armis iuſtitiæ, quæ ſunt virtutes; quibus & à dextris, & à ſiniſtris; hoc eſt, & in proſperis & in aduerſis, exhibeamus nos ſicut Dei miniſtros; ut interpretantur Anſel. eo loco, & Io. Caſſ. collat. 6. Abbatis Theodori c. 9. Propterea loquitur Sanctus Io. Chryſ. in Commen. pſ. 6. [Nihil eſt viro vilius, & ſi ſit „ Rex; quando eſt vitio deditus: ſicut nihil eſt „ captiuo regalius, ac magnificentius, quando „ virtutem poſſederit.] Et in pſ. 7. [Lugea- „ mus eos, qui vitio tenentur, etiam ſi ſericis „ veſtibus ſint induti: eoſque beatos iudice- „ mus, qui ſunt virtute præditi, etiam ſi cum „ extrema inopia colluctentur.] Intelligit nimirum propriam veſtem, & ornatum hominis eſſe virtutem.

CAPVT XIII.

Virtus fortis, vitium infirmum.

NONO. Vitium eſt infirmum, timidum, & imbecillum; Virtus fortis, impauida, & robuſta. Sanctus Ambroſius in 2. libro de „ Iacob & vita beata c. 6. [Perfectorum eſt, „ inquit, non facile mundanis moueri; non tur- „ bari metu, non exagitari ſuſpicione, non ter- „ rore concuti, non dolore vexari: ſed quaſi in „ littore tutiſſimo aduerſum inſurgētes fluctus „ mentem immobilem fida ſtatione placidare.] Et S. Io. Chryſ. h. 61. in Gen. [Magnum eſt „ virtutis robur, & malitiæ infirmitas.] Et „ Com. in pſ. 7. [Vitium & ſi ſecum habeat u- „ niverſum orbem terrarum, eſt omnium ma- „ ximè imbecillum: Virtus autem, & ſi ſola ſit, „ eſt omnium potentiſſima, habet enim Deum ſecum ſtantem.] Et in pſ. 48. [Talis eſt rerum „ natura; ut vitium virtuti ſeruiat eamque for- „ midet, & pertimeſcat: licet illud quidem ſit „ verſutum, exercitatumque ac præclare inſtru- „ ctum; hæc verò nuda; & per ſe ipſam decertans.] & quæ ſeq. Et in pſ. 90. [Quicunque „ peccauerit, quaſi Ericius eſt plenus ſpinis, & „ timidus quaſi lepus, quia peccauit. Et in pſ. „ 3. Nihil eſt virtute potentius. Ea & petra eſt „ ſolidior, & adamante fortior. Quemadmo- „ dum rurſus vitio nihil eſt vilius, nihil imbe- „ cillius; etiam ſi quis ſit munitus infinita vi „ pecuniæ, & extrinſecus maximam habeat potentiam.] Et rurſus poſt aliqua. [Vitium, etiam „ ſi ad ipſa Sceptra aſcenderit, & iuxta eos ſteterit,

Digitized by Google

„ terit, quorum ſunt capita cinta diademate; „ eſt tamen abjectiſſimum, & maxime formi- „ doloſum: quemadmodum Virtus contra. Nam „ licet ad extremam redacta ſit inopiam, & ſit „ in ipſo carcere; eſt Regibus ſplendidior, & „ magna fruitur ſecuritate, & ſedet in portu, „ nullis agitata fluctibus; non modo nihil pa- „ tiens ab improbis, ſed vel ipſo ſilentio potens „ vulciſci improbos, & de improbitate extre- mas pœnas exigens.] Et h. 5. de verbis Iſaiæ: „ [Vidi Dominum &c. to. 1. Nihil eo imbe- „ cillius, qui diuinas conculcat leges: nihil po- „ tentius eo, qui leges diuinas defendit.] Et h. 25. in Matth. [Solus, & quidem multo cum „ cumulo, bonorum ſuorum poſſidet firmita- „ tem; qui potentiſſima virtutum cohorte „ munitur atque intra hos tumentes ſæculi hu- „ jus fluctus plurima tranquillitate perfruitur. „ Hoc eſt enim omnino mirabile, quia cùm „ nulla ſerenitas ſit, immò cùm ſit valida tem- „ peſtas & crebra tentationum; ipſe ne tantu- „ lum quidem poſſit commoueri.] Et h. 81. [Improbitas imbecilla res eſt; virtus validiſſi- ma.] Et h. 13. in Acta: Sicut qui adamantem percutit, &c. Et h. 12. in epiſtolam ad Philip. „ [Quemadmodum pueri quidem nauigantes „ terrentur; gubernator verò ridens ſedet im- „ motus, cum delectatione metum illorum vi- „ dens; ita & animus philoſophicus omnibus „ alijs turbatis, tanquam in ſublimi quodam & „ temone pietatis immotus ſedet.]

CAPVT XIV.

Virtus libertas, Vitium ſeruitus.

DECIMO. Vitium ſeruitus eſt, Virtus libertas: illud hominem facit ſervum, hæc liberum. Habemus Chriſti doctrinam Ioan. 8. Qui facit peccatum, ſervus eſt peccati. Et Apoſtolus Rom. 6. Seruos peccati dicit: & juſtitiæ item liberos. Et Sanctus Auguſtinus lib. 4. de Ciuitate Dei cap. 3. [Bonus, ait, & „ ſi ſeruiat, liber eſt: malus autem, & ſi regnet „ ſervus eſt: nec unius hominis ſed tot domino- „ rum, quot vitiorum.] Et S. Io. Chryſ. in pſ. „ 48. [Nihil æquè liberum, ut virtus; nihil æ- „ què ſervum, ut vitium.] Et h. 18. in prio- „ rem ep. ad tim. [Solus liber eſt ille, qui li- „ bertatem intrinſecùs habet: ſicut ille ſervus „ eſt qui ſuccumbit irrationalibus vitiis.] Clamat quidem Apoſtolus; Neſcitis, quoniam cui exhibuiſtis vos ſeruos ad obediendum, ſerui eſtis eius; ſiue peccati in mortem, ſiue obeditionis ad iuſtitiam: & nos ſeruos Dei vocamus illos, qui iuſtitiam, & virtutem colunt: ſicut ſeruos diaboli illos dicimus, qui ſectantur vitia. Sed ſeruire iuſtitiæ, inquit Sanctus Ambroſius in primo libro de Iacob & vita beata c. 3. Libertas eſt. [Qui enim vocatus eſt in Domino „ ſervus, libertus eſt Domini: & qui liber vo- „ catus eſt, ſervus eſt Chriſti, ait Paulus 1. cor. „ 7. Utraque conditio optima; eſſe ſub Chri- „ ſto, ſub quo & pretioſa ſeruitus, & glorioſa „ libertas. Pretioſa ſeruitus, quaſi tanti ſan- „ guinis pretio comparata: glorioſa autem li- „ bertas; quam nulla ſeruitus culpæ; nulla pec- „ catorum vincula conſtringunt; nulla flagi- „ tiorum onera, nulla criminum commertia, „ degeneris nexui ſeruitutis addicunt. Bonum „ eſt, ut te ſervum Chriſti eſſe cognoſcas; ſub „ quo ſeruitus tuta eſt, & libertas ſecura.] Et quoniam Paulus non liberum, ſed libertum Domini dixit; Id verè dictum addit Ambroſius. Revera enim omnes liberti ſumus, nemo liber. Quia omnes in ſeruitute generati, ſed à Domino redempti: cui duplicem ſeruitutem debemus; & quia creati, & quia, redempti; & quaſi Domino, & quaſi Redemptori. Porrò non ſolum ſeruos Dei, & ſeruos Diaboli dicimus: ſed & homines Dei, & homines Diaboli: Homines Dei, virtutis amantes; homines Diaboli, vitia ſectantes. Sanctus Io. Chryſ. h. 17. in priorem ep. ad tim. „ [Omnes quidem ſunt homines Dei, ab eo „ ſcilicet conditi: ſed iuſti propriè; qui non „ modò conditionis, verùm familiaritatis quo- „ que iure illi coniuncti ſunt; Dei homines „ merentur appellari.] Viciſſimque Deus vocatur hominis virtutem colentis Deus. Quod obſeruauit idem Chryſ. h. 24. in Ep. ad Hebr. „ [Intellige, inquit, quanta eſt magnitudo. Qui „ mundi vocatur Deus, non erubeſcit trium vo- „ cari Deus cùm ait; Ego ſum Deus Abraham, „ Deus Iſaac, & Deus Iacob, & meritò. Non „ ſolùm enim mundo æquales, ſed mille talibus „ æquiparantur meritorum momenta Sancto- „ rum.] Melior quippe unus faciens voluntatem Domini; quam decem millia iniqui, Eccl. „ 6. [Sola virtus puro Deo pura victima eſt] dixit Sanctus Gregorius Nazian. in carmine de ſe ipſo. Eſt enim Deo ſimilis, qui virtutem poſſidet: & ut affirmauit Sanctus Gregorius Nyſſenus in libro de opificio hominis cap. 5. quemadmodum colores imaginem, ſic virtutes animum noſtrum Deo ſimilem faciunt.

Non liberi ſed liberti ſumus.

Homo Dei & Diaboli.

CAPVT XV.

Virtus ſimplex, Vitium ſubdolum.

VNDECIMO. Virtus ſimplex eſt & plana, Vitium varium, & ſubdolum. Sanctus Gregorius Nyſſenus in eodem loco cap. 20. „ [Verum bonum, ait ſimplex eſt & unius mo- „ di quiddam natura ſua malum contrà varium „ eſt & quodam modo veſtitum: quodque „ aliud quoddam initio videatur, quæ eſſe de- „ inde per experientiam deprehendatur.] Itaque in homine permouendo nulla, inquit, vitiorum

Digitized by Google

Gen. 3. tiorum efficacitas foret, ſi non quidam eis boni color additus, homini cupiditate ſui in fraudem illecto fucum faceret. Ideo ſerpens vitioſum peccati fructum demonſtrauit Euæ; non qualis à natura erat, ſed externa venuſtatis ſpecie ornatum; adeoque guſtui eius voluptatis aliquid per quaſdam quaſi præſtigias indidit; ut ita quæ vellet mulieri perſuaderet. Sed de hoc poſtea pluribus. Exemplo familiari & quotidiano confirmat Sanctus Ioannes Chryſ. in Com. pſal. 124. [Virtus, inquit, ,, res plana eſt & expedita: improbitas quid ,, peruerſum, varium, & quod non habet exi-,, tum. Nam qui vult mentiri, & fraudes con-,, ſarcinare; cogita apud te, quot, & quanta ag-,, greditur, quanta opus habet varietate, & qui-,, buſnam fictis orationibus; quanto artificio, ,, & quanta dicendi facultate. Qui autem dicit ,, veritatem non labore, non difficultate, non ,, ſimulatione, non arte, aut machinatione, aut ,, ullo alio hujuſmodi indiget; cum ea ipſa per ,, ſe luceat. Sicut enim deformia corpora mul-,, tis artificiis & argumentis indigent, quæ na-,, turæ deformitatem contegant; quæ autem ,, natura pulchra ſunt, ipſa per ſe, etiam ſi ex-,, trinſecus nihil aduenerit, reſplendent: ita et-,, iam in veritate & mendacio, in virtute, & vi-,, tio, inuenire poſſumus. Undè clarum eſt, ,, quod etiam antè ſupplicium vitium ſupplici-,, um infligat; & ante remunerationem, virtus ,, remuneratur, &c.] Quocirca veriſſimè Sanctus Ambroſius in 2. libro Com. in Luçam, dum agit de mora Mariæ cum Eliſabeth; conſi-

Luc. 1. derans illa Sancti Euangeliſtæ verba, Impletum eſt tempus pariendi; Hoc adnotauit ſolum ,, de iuſtis dici. [Plenitudinem enim iuſti vita ,, habet inanes autem dies ſunt impiorum.] Et Philo Iudæus in libro de congreſſu quærendæ eruditionis gratia, virtutem docuit eſſe & ſterilem & fœcundam. Quantum enim ad res malas ſterilis eſt; bonarum verò tam fœcunda, ut (quod de hebræis mulieribus dicitur ex. 1.) ne obſtetricum quidem opem requirat, partu præueniens earum operam. [Si-,, quidem animantes, ſtirpeſque per interualla ,, ſemel atque iterum ut plurimum in anno ,, ſuos fructus afferunt: virtus verò continuè ſi-,, ne ceſſatione parit omni tempore, non infan-,, tulos, ſed probos ſermones, inculpata con-,, ſilia, facinora laudatiſſima.]

CAPVT XVI.

Virtus ſcala Iacob.

DVODECIMO. Virtutem Patres agnouerunt in ſcala, quam à terra ad cœlum pertingentem, & per eam aſcendentes Angelos, vidit in ſomnis Patriarcha Iacob, Gen. 28. Vitium autem voluerunt eſſe ſcalam illi oppoſitam, à terra in infernum deſcendentem. In quam ſententiam Sanctus Baſilius Com. in pſal. 1. [Pietatis inquit, exercitatio ſca-,, læ Iacob comparatur; cuius pars terram tan-,, gebat, & altera pars in cœlum porrigeba-,, tur. Sic enim, qui ad virtutem inſtituuntur, ,, primo illius primum gradui admouendum ,, eſt veſtigium; indèque paulatim aſcenden-,, dum & progrediendum ad Deum. Dauid au-,, tem tres gradus ſcalæ proponit; Primum non ,, abijſſe unquam in conſilio impiorum: Secun-,, dum non conſiſtere in via peccatorum. Ter-,, tium non ſedere in cathedra peſtilentiæ, & ,, quæ ſeq.] Et Sanctus Gregorius Nazianzenus ad Hellenium, de Monachis exhortatorio carmine; De Theognio loquens. [Poſtre-,, mus, ait, virtutis ſtadium ingreſſus, con-,, ſcenſa ſcala ea, quam è terra in cœlum porre-,, ctam Iacob olim aſpexit; ità ſe comparauit, ,, ut ex illius gradibus alium jam ſcanderit, ali-,, um pedibus terat, alij manu hæreat, ad alium ,, denique aſpiret, oculorumque aciem inten-dat.] Et Sanctus Ioannes Chryſ. h. 82. in Ioan-,, nem. [Scalæ illæ mihi per illam viſionem ,, paulatim per virtutes aſcenſum ſignificare vi-,, dentur, per quam à terra in cœlum aſcendere ,, nobis licet; non gradibus ſenſibilibus, ſed ,, morum incremento & correctione.] Et Philo Iudæus in libro de profugis, ad hunc modum conſentaneè loquitur. [Bonum ſuperna petit, ,, etiam ſi non nunquam ad nos deſcendit; ,, quia Pater eius eſt munificus. Sed meritò cu-,, pit ſurſum recurrere. Malum verò hic per-,, manet, à diuino choro ſemotum quàm lon-,, giſſimè, oberrans circa vitam mortalem.] Et in libro, Quis rerum diuinarum hæres ſit. [Vir-,, tus inquit, ἀρετὴ non ſolùm παρὰ τὴν αἵρεσιν, ,, ab electione nominatur; verùm etiam παρὰ ,, τὸ αἴρεσθαι. Attollitur enim, & in ſublime ,, fertur, cœleſtia ſemper appetens. Vitium ,, autem κακία ἀπὸ τοῦ κάτω κεχωρηκέναι: quod ,, deorſum vergat, & deditos ſibi deprimat, ,, &c.] Nec deſunt, qui claues cœlorum, quas Dominus Petro dedit Matth. 16. ita interpretentur, ut Virtus ſit clauis cœlorum, & vitium clauis inferni. Virtute namque aperitur cœlum, & vitio infernus. Ita ratiocinatur Origenes in tract. 1. in Matt. Ubi virtutes, & vitia, & portas eſſe conſtituit, & claues: totque eſſe cœlorum portas, & claues, quot ſunt virtutes; totque infernorum portas, & claues, quot vitia. Aut ſi mauis cum Sancto Euſebio Emiſſeno in hom. in natali Apoſtolorum Petri, & Pauli; ambas eſſe claues regni cœlorum; virtutem ad aperiendum, vitium ad claudendum. Et quoniam Geneſ. 3. cùm ejeciſſet Deus hominem de Paradiſo; collocauit ante Paradiſum Cherubin, & flammeum gladium atque verſatilem; Sanctus Gregorius Nyſſenus in or. 2. de Sanctis 40. Martyri-

bus

Digitized by Google

bus adnotauit. Non ſemper ingredientibus ex aduerſo ſtantem gladium ſcripturam demonſtrare; verùm etiam verti fingere: [Vt in-,, dignis quidem aduerſus appareat; dignis verò ,, verſus à tergo exiſtat; expeditum eis aditum ,, patefaciens ad vitam.] Sanctus Hieronymus ad caput 46. Ezechielis; Portam meridianam ſcribit eſſe portam virtutis; portam aquilonis portam vitij.

CAPVT XVII.

Virtus difficilis, vitium facile.

TERTIO Decimo. Virtutis quidem certè aquiſitio difficilis eſt & ardua; & ut quiſpiam dixit;

Virtutem poſuere Dij ſudore parandam.

Vitium contra, facile eſt & procliue. Facilis enim eſt & procliuis deſcenſus; aſcenſus arduus & ſudoris plenus. Senſum ſequi facile, difficile ſenſum, & carnis concupiſcentiam frænare ac rationi ſubijcere. Uno verbo dicam facile eſt id agere, quod delectat; difficile contrarium operari, atque à ſenſus delectationibus abſtinere. Sanctus Cyprianus in tract. de habitu virginum. [Non eſt ad magna faci-,, lis aſcenſus. Quem ſudorem perpetimur, ,, quem laborem; cum conamur aſcendere col-,, les & vertices montium? Quid ut aſcenda-,, mus ad Cœlum? Si præmium pollicitationis ,, attendas; minus eſt quod laboras.] Et Lactantius in libro de falſa ſapientia c. 8. [Bonorum ,, natura in arduo poſita eſt; malorum in præ-,, cipitio.] Deque hac duplici via, virtutis, & vitij; eleganter, & copioſè diſſerit in libro de vero Cultu c. 3. & 4. De iuſto dixit Propheta pſal. 91. Iuſtus ut palma florebit; ſicut ce-,, drus libani multiplicabitur. [Quoniam am-,, bæ hæ arbores, (inquit, eo loco Sanctus Ba-,, ſilius) diuturnæ ſunt ac multo tempore vi-,, vunt: ſed multo item tempore opus habent, ,, ut creſcant: taliſque eſt virtutis plantatio, quæ ,, multo cum labore naſcitur.] Sed illius fructus ſuauiſſimus eſt; Vitij amariſſimus & ingratiſſimus, quod plurimis in locis Patres docuerunt. Origenes h. 14. in Ioſue; [Peccatum ,, in principio dulce, in nouiſſimis nihil ama-,, rius. Virtus contra in initijs amarior vide-,, tur eſſe, in nouiſſimis melle dulcior; cum vir-,, tus fructus attulerit.] S. Gregorius Nazian. in apolog. cur in Pontum fugerit. [Cum res ,, quædam facile imitabilis ſit improbitas, ,, nihilque minoris difficultatis ſit, quam ma-,, lum fieri, & ſi nemo ſe ducem nobis ad viti-,, um præbeat: rara tamen atque ardua eſt vir-,, tutis adeptio; quamuis etiam ad eam multis ,, modis inuitemur, ac trahamur. Citius exigu-,, um vitium uberrimmè, largiſſimèque cuipi-,, am impertiri queat; quam velut copioſiſſima ,, virtus parce communicari. Nam & exiguum ,, abſynthium amarorem ſuum melli celerrimè ,, impertit; mel contra ne duplo quidem ma-,, ius dulcedinem ſuam abſynthio infuderit: & ,, paruo quidem lapide ſubmoto flumen totum ,, in pronum trahitur; eiuſdem autem impetus ,, firmiſſimo etiam aggere cohiberi, reprimi-,, que vix poteſt. [Rationem ſi quæras reſpondebit idem Pater in or. ad eos, qui ipſum acciuerant nec poſtea occurrerant. [Facile in ,, contemptum venire quid quid facile ſuperatur.] Plurimum autem intererat ut apud homines virtus magni fieret, atque haberetur in pretio. Sed potior ea eſt cauſa, quæ ex ſenſus concupiſcentiæ, ac perturbationum contrarietate, & pugna petitur. Hæ enim dum adverſantur, & repugnant rationi, ſuperandæ prius ſunt & ſubjugandæ, quam virtutis potiaris fructu: neque vero ſine magno labore, ac ſudore plurimo ſuperantur. Sanctus Ioan. Chryſ. h. 54. in Matth. [Et ſi laborioſa vir-,, tutis operatio eſſe videatur facile tamen effi-,, cit, ut cùm nullis ſtimulis conſcientiæ ani-,, mus pungatur, magno ſemper fruatur gau-,, dio.] Tractat hoc pluribus in h. 14. in priorem ep. ad cor. oſtenditque in artibus humanis laborioſum eſſe principium, finem verò lucroſum: ſed magis omnino eligendum eſſe id, quod principium habet difficile, finem autem utilitatis ac voluptatis plenum; quam contra. Illoque etiam utitur argumento. [In ,, terreni principis regiam, neque ſcortatori; ,, neque ebrio, neque luxurioſo cuipiam aditus ,, patet; in ipſum cœlum delitijs, ebrietate, a-,, uaritia, omni denique malitia perditos ho-,, mines licenter ingredi poſſe arbitraris?] Non eſt opus pluribus. Planè is eo loco demonſtrat; Virtutis poſt immoderatos affectus caſtigatos jam comparatæ, viam aſperam non eſſe, neque difficilem, ſed leuem & faciliorem multò quàm vitioſam. Nam & Chriſtus jugum ſuum ſuaue & onus leue futurum promiſit: jugum autem & onus Diaboli grauiſſimum eſt, & importabile. Sed eſto; moleſtiora ſint initia: ſanè in h. 30. in Epiſtolam ad Hebræos, corporalium medicamentorum exemplo ad hunc ratiocinatur modum. [Qui amara bi-,, bunt antidota, patienter ferunt primò mo-,, leſtiam, & tunc ſenſum percipiunt ſoſpita-,, tis. Tale quiddam eſt etiam virtus; tale quo-,, que illic malitia; In iſta primùm eſt voluptas, ,, & ſequitur ægritudo: in illa verò primùm ,, eſt moleſtia, & tunc iucunditas procreatur. ,, Et illic quidem timor futuræ triſtitiæ præ-,, ſens gaudium imminuit; hic verò ſpes futuræ ,, iucunditatis detrahit præſenti triſtitiæ. Quò ,, fit, ut illic nunquam prorſus gaudeatur, hic ,, autem nunquam triſtitia dominetur. Sed, & ,, in alio eſt differentia; quia malitiæ gaudium ,, temporale eſt; in ſpiritualibus autem gaudium eſt

Digitized by Google

„ eſt & iucunditas ſempiterna.] Et h. 63. ad populum: [Licet in obeundo virtus laboris „ aliquid habeat; multa tamen conſcientiam „ implet delectatione: & tantam intrinſecùs „ adfert voluptatem, quantam ſermo nullus „ exprimere poſſit.] Adæ poſt peccatum maledixit Deus; in laboribus comedes ex ea, hoc eſt ex terra, quam multo cum labore coles. Sed & ex virtute, quam peccando deſeruiſti, & cum labore multo recuperabis. Philo Iudæus in ſecundo Allegoriarum legis „ libro; [In laboribus, inquit, comedes ex ea, „ hoc eſt frueris anima cum moleſtia. Laborioſè „ enim quiuis malus per omnem vitam „ anima ſua utitur; nullam habens cauſam lætitiæ; „ ad quam gignendam nata eſt iuſtitia, „ prudentia, cæteræque virtutes.] Exemplum ex naturalibus adfert Sanctus Ioannes Chryſ. h. 1. in ep. ad Hebr. [Qui enim alicuius, ſiue „ boni, ſiue mali, procreator exiſtit; ipſe pri- „ mus illo bono fruitur, aut illo malo punitur; „ & meritò. Nam ſicut aqua, ſiue ſalſa ſit, ſiue „ potabilis, & vaſa replet haurientium, & ſuum „ fontem, ex quo manat, nequaquam vacuum „ remanere permittit: Sic & nequitia, ſic & vir- „ tus; unde proceſſerit, procreatorem ſuum „ primitus illa lætificat, & illa conſumit.] Et h. 32. ad populum. [Fecit aliquis eleëmoſynam; „ non tantùm futurorum ſpe paſcitur, verùm „ etiam præſentibus bonis exultat. Ante re- „ gnum, iam hic fructum accepit; dum lauda- „ tur, dum admirabilis habetur antè cæteros „ omnes à propria conſcientia. Et bonorum „ operum quodlibet eſt eiuſmodi. Sicut viciſ- „ ſim mala & hic ante gehennam conſcientiam „ torquent.] Vel ante exitum cuiuſque perpendamus utrumq; inquit, in h. 12. in Epiſtolam ad Rom. [Percipiemus vitium quidem „ magno dolore, virtutem autem magna volu- „ ptate conſtare. Quid enim magis triſte, vi- „ tæ malè actæ conſcientia? Quid magis ſua- „ ue bona ſpe? Nihil ſic animos noſtros feri- „ re, nihil ſic premere conſueuit, ut mala ex- „ ſpectatio: nihil ſic illos ſuſtentare, erigere, & „ veluti volatiles reddere; ut conſcientia bona.] Adfert illorum exemplum, qui in carcere detinentur, & delicti aut innocentiæ conſcij ſibi ſunt. [Et ſicut qui lauream exſpectat, labo- „ res non ſentit; ſic qui voluptate peracta, ſup- „ plicia ſibi parata intelligit; non poteſt iuſta „ lætitia perfrui; timore omnia conturbante.] Sed magnopere conſiderandum eſt illud, quod in Commen. ad caput 6. Epiſtolæ ad Rom. particulá 7. adnotauit Sanctus Anſelmus; In vitio timorem ſuperare delectationem; in virtute nequaquam. [Ecce, inquit, neſcio quis „ impudicus adoleſcens injecit oculos in con- „ jugem alienam; adamauit, cupit peruenire; „ quærit tamen latere. Sic enim amat volu- „ ptatem, ut plus timeat dolorem. Suauitas „ enim illa voluptatis non eſt tanta, ut vincat „ etiam dolorem timoremque pœnarum. Pul- „ chritudo autem, delectatioque iuſtitiæ tanta „ eſt, ut cuicunque amorem ſuum perfectè in- „ ſpirauerit, faciat eum contemnere, non ſo- „ lùm quidquid in hoc mundo delectabat; ſed „ & quidquid terret, quidquid cruciat.] Denique Sanctus Auguſtinus in libro 83. qq. q. 82. Cum audiret multos murmurantes; quod iuſtos viderent graues ſæpè moleſtias in hac vita pati; reſpondere non dubitauit; Iuſtitiæ ſuauitatem, atque internum eius gaudium, corporalibus omnibus laboribus, & moleſtijs, quæ cogitari poſſunt, ita præponderare; ut ſequeſtrata ſpe futuræ vitæ, iucundiùs, & lætiùs præ amore virtutis torqueantur; quam luxurioſi quique & vitioſi præ cupiditatis ebrietate epulentur. Et hæc quidem de virtutis iucunditate ac ſuauitate ſatis: Quorum clauſula ſint illa Sancti Bernardi verba in ſermone in ea verba; Ecce nos reliquimus omnia, &c. [Nemo enim ſanæ mentis, inquit, amplio- „ rem eſſe in vitijs credat, quam in virtutibus, „ delectationem: præſertim cùm Deus virtu- „ tum, ſit totius veræ iucunditatis fons, læti- „ tiæ, & exultationis origo.]

Gen 3.

CAPVT XVIII.

Virtutis odor & fama.

QVARTO decimo; Iam virtutis odor accedat ſuauiſſimus, vitijque moleſtiſſimus fœtor. [Huiuſmodi virtutis odoribus ungi- „ mur, (Loquitur Sanctus Ioannes Chryſ. „ hom. 2. in priorem Ep. ad tim.) Cum bap- „ tiſmatis fonte renaſcimur: tunc honeſtiſſi- „ mam hanc fragrantiam ſpiramus. Poſtea ve- „ rò ſtudij noſtri ſit, neceſſe eſt; ſi huiuſmodi „ odorem ſpirare velimus. Id circò & veteri „ unguento inungebantur Sacerdotes, magnæ „ virtutis inditium præferentes. Quippe eum, „ qui Sacerdotio fungitur, odorem ſpirare op- „ timum conuenit.] Cæterùm peccato nihil putidius eſt. Vide quam ſignanter ipſius naturam Propheta deſcribat, dicens in pſal. „ 37. [Putruerunt & corruptæ ſunt cicatrices „ meæ à facie inſipientiæ meæ.] Reuera enim peccatum putredine omni deterius eſt atque fœtidius. Iſaac Gen. 27. Statim ac ſenſit fragrantiam veſtimentorum filij ſui Iacob, benedicens illi dixit; Ecce odor filij mei, ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Anima virtutibus conueſtita filia Dei eſt: horum veſtimentorum fragrantia Deo gratiſſima eſt, & benedictionem meretur. De Iacob ſcribit Sanctus Ambroſius in 2. libro: de Iacob & vita beata cap. 1. [Erat perfectus in om- „ ni flore virtutum, & ſacræ benedictionis, „ atque cæleſtis beatitudinis redolebat gratiam.

Digitized by Google

„ Ipſe enim eſt ager, quem benedixit Dominus:de quo & Dominus in pſ. 49.ait;& pulchritudo agri mecum eſt. In hoc agro uva illa reperitur, quæ expreſſa ſanguinem fudit, & mundum diluit. In hoc agro eſt ficus illa ſub qua Sancti requieſcent ſpiritualis gratiæ ſuauitate recreati. In hoc agro eſt oliua illa fructifera, dominicæ fluens pacis unguentum. In hoc agro florent malogranata, quæ plurimos fructus uno fidei munimine tegunt, & quodam fouent charitatis amplexu. Hos fructus redolebat Iacob, qui Deum per pericula ſequebatur, & tutum ſe eius ubique deductione credebat. Nam licet dulcis & ſuauis odor ſit agri, quia eſt odor naturæ; tamen in Sancto Patriarcha virtutum ſpirabat gratia.] Eadem quoque Iſaac verba tractans Philo Iudæus in libro biblicarum antiquitatum q. 70. [Eſt, inquit, anima, plena ſapientiæ, & ager paſtinatiſſimus diſciplinarum capax. Fruges autem facit laudabiles ipſis operibus veritatis; quarum ſingulæ proprio pollentes odore benedicuntur. De ſingulis enim vitales oriuntur vapores ſuauitatis in dicendis gerendiſque ſuos autem approximantes delectant. Pulſantes enim mentes incorporaliter, exhortantur ampliare charitatem.] Hic quoque erat odor, de quo gloriabatur Apoſtolus in poſteriore ad Cor. Ep. cap. 2. dicens Chriſti bonus odor ſumus in omni loco. [Quomodo?(inquit Origenes h. 11. in Gen.) „ nempè per virtutes.] Et h. 1. in Cant. [Peccatum odoris eſt putidi, virtus ſpirat unguenta; fragrantia unguentis optimis.] Et Sanctus Gregorius Nyſſen.h.4.in cant. [Virtus eſt unguentum,quoniam eſt ſejuncta ab omni tetro odore peccatorum.] Huc porrò ſpectat virtutis fama, quæ facilè diffunditur ac pervagatur. Sanctus Gregorius Papa in primo libro regiſtri cap.74. [Sicut lucernæ lumen per collimitantia quæque loca diffunditur; ità cujuſlibet perſonæ bonorum actuum probitas, non ſolùm quò degit, ſed per diuerſas prouincias fama loquente cognoſcitur.] Et Sanctus Euſebius Emiſſ. h. de Sancto Maximo Epiſcopo; [Hæc eſt natura iuſtitiæ, ut quantò ſtudioſiùs abſcondi optat, tantò clariùs innoteſcat, & occultatio ipſius proditio ſit.] Odore autem, fama, & ſpecie virtutis fit, ut omnes ad ſe facilè alliciat, & trahat. Sanctus Ignatius Martyr in ep. 1. ad Mariam Caſſoboliten, fontium exemplo utitur; qui cùm puriſſimi appareant, homines ad potandum inuitant. [Bonorum, inquit, animæ ſimiles ſunt puriſſimis fontibus. Hi enim vel non ſitientes ad ſe ſuaptè pertrahunt pulchritudine ipſos tranſeuntes ad potum hauriendum.] Et Sanctus Io. Chryſ. h. 6. ad populum;quantum poſſit virtutis exemplum ad alios omnes virtutis amore inflammandos; his verbis demonſtrat. [Sicut decem accenſis lucernis, omnem Domum lumine imples; ſic & in officijs ſpiritualibus, ſi decem ſoli rectè egerint, flammam per totam ciuitatem incendimus. Non enim ſic flamma in materiam delapſa vicina ſemper ligna incendit; ſicut virtutis Zelus in paucas lapſus animas, ulteriùs procedendo omnem implere ciuitatem poteſt.] Et h. 26. in Gen. [Qui virtute præditus eſt, facit ut omnes,qui intuentur eum,Dominum ſuum laudent: & glorificatio hæc ei, qui occaſionem præbuit, magnam & ineffabilem Dei miſericordiam conciliat. Quomodo enim lumen cùm apparuerit, diſpellit tenebras; ita & virtus ſi conſpicua fuerit,& malitiam effugat, & erroris tenebras abigit, mentemque videntium excitat ad Deum glorificandum.]

Virtutis fama.

CAPUT XIX.

Vitium ſimulare virtutem.

TANTA eſt virtutis ſpecies,tanta deformitas vitij;ut plurimum conetur vitium fœditatem occultare ſuam, virtutiſque formam prætendere. Propterea monet Lætam Sanctus Hieronymus, de inſtitutione filiæ ad eam ſcribens. Venena non dari niſi melle illita, & vitia non decipere niſi ſub ſpecie umbraque virtutum. Sed ut ad Celantiam ſcribit cap. 5. [Turpiora ſunt vitia, cùm virtutum ſpecie celantur.] [Nec ulla in homine permouendo, (ut adnotauit Sanctus Gregorius Nyſſenus in libro de hominis opificio cap.20.)illorum efficacitas foret, niſi quidam boni color additus homini fucum faceret.] Audiſti hominis verba in ſuperioribus cap. 15. & rurſum in libro de beatitudinibus orat. 5. [Beati miſericordes; ſi nuda propoſita malitia, nequitiaque & non honeſti quadam imagine obducta eſſet; genus humanum ad eam non tranſfugiſſet.] Ita fit perſæpè, ut minùs oculati homines vitia virtutum appellent nominibus. Sicut contra vitiorum nomine virtutes nominant. Sanctus Gregorius Nazian. in orat. in laudem Baſilij. [Morum illi conſtantiæ & exactæ grauitati faſtus nomen impoſuerunt. Facilèque mihi facturi videntur,ut & fortem temerarij nomine appellent, & prudentem ac circumſpectum timidi, & temperantem agreſtis & inhumani,& iuſtum crudelis atque ab hominum conſortio abhorrentis. Virtutibus enim adiuncta & quodam modo vicina ſunt vitia.] Et Lactantius in epitome cap.1. [Iuſtitia imaginem habet ſtultitiæ,non tamen eſt ſtultitia; & malitia imaginem ſapientiæ, non tamen ſapientia eſt.] Undè Sanctus Auguſtinus in ep. 29. ad Hieronymum. Aſtutiam oſtendit in ſcriptura quoque ſacra interdum in bo-

Vitia virtutes nominar & contrà.

Digitized by Google

in bonum pro prudentia nominari. Sæpè verò à nobis tenacitatem parſimoniam appellari, & prodigalitatem, liberalitatem nominari, vindicandi libidinem iuſtitiam, pertinaciam conſtantiam, &c. Et Sanctus Io. Chryſ. in 3. libro aduerſus vituperatores vitæ monaſt: non parùm indignatur illis. [Neque ,, enim iſtud ſolum, (inquit) indignum eſt, ,, quod Chriſti præceptis contraria docetis; ,, verùm quod fauorabilibus appellationibus ,, vitia obducitis. Quippè circenſibus ludis & ,, reliquis ſpectaculis intereſſe iugiter, urbani- ,, tatem,& facetias vocatis; diuitijs affluere,li- ,, beralitatem; gloriam amare,magnanimitatē; ,, arrogantiam,confidentiam;prodigalitatem; ,, clementiam; in iuſtitiam fortitudinem eſſe ,, aſſerentes. Tum verò virtutem quoque con- ,, trarijs nominibus obnubitis:ruſticitatem qui- ,, dem prudentiam vocantes, formidinem mo- ,, deſtiam,imbecillitatem,iuſtitiam;contemp- ,, tum faſtus & gloriæ, ſeruilis eſſe animi ,, exiſtimantes, malorumque tolerantiam, ig- ,, nauiam, & infirmitatem.] Apud Sanctum Gregorium Papam in libro 3. moral. Caput 19. inſcribitur; quod ſub virtutis ſpecie blanda ad nos facie vitia veniunt. [Quare & ami- ,, ci Iob quaſi pro conſolatione conueniunt, ,, ſed in contumelias erumpunt: quia inſidian- ,, tia vitia virtutum faciem ſumunt. Sed ho- ,, ſtili invectione nos feriunt. Nam ſæpè im- ,, moderata ira, iuſtitia; & ſæpè diſſoluta re- ,, miſſio miſericordia vult videri. Sæpè incau- ,, tus timor humilitas, ſæpè effrænata ſuperbia ,, appetit libertas apparere.] His armis contectum atque armatum nos Diabolum aggredi; affirmat idem Sanctus Pater in lib. 31. Eiuſdem operis cap. 17. dum illa Iob verba interpretatur; In occurſum pergit armatis.

Iob. 39. ,, [Hoſtes enim, inquit, armati ſunt immundi ,, ſpiritus, qui cum ſuadere nobis iniqua ne- ,, queunt; ea ſub virtutum ſpecie noſtris obtu- ,, tibus opponunt, & quaſi ſub quædam arma ,, ſe contingunt; ne in ſua malitia nudi à no-

Iob. 40. ,, bis videantur.] Et lib. 32. cap. 17. cum de Diabolo idem dixiſſet Iob; Carthilago eius quaſi laminæ fereæ: [Carthilago,(inquit) Gre- ,, gorius, ſimulationem ſignificat; quia oſſis ,, ſpeciem oſtendit, ſed oſſis firmitatem non ,, habet. Sæpè autem vitia virtutis ſpeciem ,, oſtendunt, & ſub virtutis colore ſe palliant, ,, ut crudelitas iuſtitia videatur, & ira iuſtus ,, zelus; &c.] Ergo ſi vitia Carthilagines, Virtutes oſſa fuerint: & ut Carthilagines oſſa mentiuntur,ſic vitia virtutes ſimulant. Nam & in Com. pſalmi primi & ſecundi pœnitentialium, idem ipſe virtutes affirmat eſſe oſſa animæ, quæ ſuſtentant illam, & roborant; ſicut oſſa corpus. Sed in h. 5. in Ezech; cum

Ezech. 1. Propheta diceret. Ubi erat impetus ſpiritus, illuc gradiebantur animalia: in electis rurſum admonet eſſe impetum ſpiritus, in reprobis impetum carnis: ſæpèque fieri,ut impetus carnis ſe ſub velamine ſpiritualis impetus palliet: ut iracundia, ſeu vindicta ſub ſpecie zeli & laxitas ſub ſpecie manſuetudinis. [Graviores ,, verò, inquit, culpæ ſunt, quæ hac ſpecie ,, virtutes imitantur: quia illæ in aperto cogni- ,, tæ animum in confuſionem deijciunt, atque ,, ad pœnitentiam trahunt; iſtæ verò etiam ,, mentem operantis eleuant, dum virtutes pu- ,, tantur.] Quam ob cauſam in 3. parte paſtor. curæ cap. 9. rectorem animarum vult hoc ſcire ſollicitè debere quod plerumque vitia virtutes ſe eſſe mentiuntur: non ſolum ut alios ſuæ curæ commiſſos iuvare poſſit, ac dirigere: verum etiam nè [aut ipſius cor tenacia occu- ,, pet, & parcum ſe videri in diſpenſationibus ,, exultet:aut cum effuſè quid impenditur, lar- ,, gum ſe quaſi miſerando glorietur:aut remit- ,, tendo quod ferire debuit; ad æterna ſuppli- ,, cia ſubditos pertrahat: aut immaniter ferien- ,, do quod delinquitur,ipſe grauius delinquat: ,, aut hoc quod agi rectè ac grauiter potuit, ,, immaturè præveniens leuiget; aut bonæ a- ,, ctionis meritum differendo ad deteriora per- ,, mutet.] [Sic vitium ſæpè eſt, (ait Sanctus ,, Bernardus in libro meditationum,) quod ,, virtus putatur: & remiſſa ſegnities manſue- ,, tudo creditur, & pigritiæ vitium quietis vir- ,, tutem imitatur.] Prudenter verò, & ad rem admonet Ioannes Caſſianus in 4. collat. Abbatis Danielis c. 20. [Pernitioſiora atque à re- ,, medijs longinquiora eſſe vitia, quæ ſub ſpe- ,, cie virtutum, & imagine ſpiritualium rerum ,, videntur emergere; quam illa, quæ ex aper- ,, to pro carnali voluptate gignuntur.]

CAPUT XX.

Quid ita?

PORRO totius huius mali, cur inquam vitia tam facilè virtutum nomen accipiant; duplicem apud Sanctum Ioannem Chryſ. reperio cauſam. Alteram in h. 48. in Acta; propter amborum vicinitatem & quaſi cognationem; quæ facilem facit ex uno in aliam tranſitum. [Sunt, inquit, vitia cognata vir- ,, tutibus, & iuxta dicendi libertatem pullulat ,, temeritas, & iuxta æquitatem mollities. Et ,, probè conſiderandum; nè quis virtutem pu- ,, tet poſſidere, qui vitia apprehendit: Quem- ,, admodum ſi quis opinetur ſe jungi Dominæ, ,, & jungitur Ancillæ,& quæ ſequuntur uſque ,, ad finem.] Alteram in ſermone de fide, & lege naturæ & Sancto Spiritu, to. 3. [Quia ,, perſona caret malum; nullam inuenies ma- ,, litiam in ſua apparentem perſona. Non enim ,, niſi perſonam aſſumat virtutis, apparet.] Malum inquam bonitatis priuatio eſt, vitium priuatio virtutis: priuatio non niſi ex ſui ha-

Digitized by Google

bitu cognoſcitur, & vitium virtutis habitum facilè induit. Adde illius turpitudinem, ac fœditatem; quam ſatagit occultare; & palam oſtendere cùm pudeat, honeſta virtutis operit veſte.

CAPUT XXI.

Virtutem à malis quoque laudari.

OMnes verò æquè veneratione ſui virtus afficit; loquitur Sanctus Gregorius Naz. or. in laudem Cypriani Martyris. [Eaque eſt „ illius vis, ut eam etiam in hoſte miremur.] Ut idem habet in oratione in laudem Baſilij. Et rurſum in oratione de Machabæis. [Egre„ giorum hominum virtus hoſtibus quoq; ipſis „ admirationem excitare ſolet; cum ſedata „ iracundia facinus in ſe ipſo perpenditur.] Et Io. Chryſ. h. 5. in Gen. [Tanta virtutis po„ tentia eſt, ut reuereantur & multum laudent „ eam, etiam qui illa carent; ſicut & vitium, e„ tiam ab his, qui mali ſunt, ſubindè accuſatur, & carpitur. [Et rurſum h. 13. Non amici ſoli, „ ſed & inimici reuerebuntur virtutis eminen„ tiam. Tanta enim huius virtus ut & compeſ„ cat ora, & linguas eorum, qui virtuti infeſti „ ſunt. Et ſicut ad ſolis radios infirmi oculis „ non audent reſpicere; ita neque virtutem „ malitia contueri audebit unquam, ſed dorſo „ obiecto diſcedet, victamque ſe fatebitur.] Et „ Tom. in pſal. 3. [Eiuſmodi res eſt virtus ut „ etiam ab ijs, qui illam non ſequuntur, laude„ tur. quemadmodum vitium ijs etiam, qui ei „ ſunt lediti, ſit exoſum & repræhenſione ple„ num.] Et h.49. in Matth. [Talis res virtus „ eſt, ut nequam etiam homines & admirentur „ ipſam, & laudent.] Et h. 24. in Epiſtolam ad Hebr. [Sic manifeſta eſt malitia, ut omnes eam „ accuſent; etian hi, qui eam exercent & in ea „ verſantur: talis eſt etiam virtus, ut ea apud „ illos, qui eam non ſectantur, in admiratione „ ſit.] Et h. 6. ad populum; [Tantum virtus „ bonum, quod & ipſos hoſtes habet admira„ tores & laudatores.] Et in ſermone, quod regulares fæminæ viris cohabitent, tom. 5. „ [Virtus ab omnibus, vel etiam ab inimicis, „ laudatur, vitium ab omnibus repræhenditur; „ etiam ab his, qui virtutem non curant & a„ uerſantur. Et hoc Diuinæ prouidentiæ opus „ eſt; quæ tantam nobis virtutis familiaritatem „ & cognationem, & tantam vitiorum abo„ minationem indidit.] Et in Ep. 4. ad Epiſcopos, & Preſbyteros ob pietatem in carcere incluſos; [Tanta res eſt virtus, ut illam etiam „ impugnatores admirentur; tanta res eſt mali„ tia, ut etiam ij, qui illam operantur, condem„ nent.] Et Philo Iudæus in libro de Abrahamo; [Virtutem etiam peſsimus quiſque ver„ bis honorat & extollit in ſpeciem; ſed moni„ ta eius nemo, niſi probus, recipit.] Itaque iure optimo miratur Apoſtolum Origenes lib. 6. in Epiſtolam ad Rom. dum in c. 6. tantumdem erga illam requirit à nobis obſequij, quantum erga vitium: Sicut exhibuiſtis, inquit membra veſtra ſeruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem; ità nunc exhibete ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem. [In glorioſum „ quidem eſt, air, ut ità quis virtutibus, ſicut vi„ tijs, ſeruiat. Multò enim ampliùs, & intenſiùs „ honoranda iuſtitia eſt.]

CAPUT XXII.

Virtus eſt voluntaria.

ETsi verò, ut dictum eſt in ſuperioribus, inſitum nobis à natura ſit, virtutem ſectari, auerſari vitium; ambo hæc tamen voluntaria ſunt, & libera comparantur actione, & perficiuntur in nobis. Si enim voluntaria non eſſent, nec laude forent digna nec vituperatione; neque præmium mererentur nec pœnam. Hinc doceri virtutem, & diſciplinam, ait Sanctus Ambroſius in primo libro de Iacob & vita beata cap. 3. & nos Dominus inuitat, dicens; Diſcite à me quia mitis ſum, & humilis corde. Indè vocati Diſcipuli; quos item miſit, ut alios docerent; immò & omnes gentes. Voluntas noſtra in Adam primo traxit ad mortem, & in ſecundo Adam reuocauit ad vitam. [Non eſt, inquit Ambroſius quòd „ cuipiam noſtram adſcribamus ærumnam, niſi „ noſtræ voluntati. Nemo tenetur ad culpam, „ niſi voluntate propria deflexerit. Non ha„ bent crimen, quæ inferuntur reluctantibus; „ voluntaria tantum commiſſa ſequitur deli„ ctorum invidia: Voluntarium ſibi militem „ elegit Chriſtus; voluntarium ſibi Diabolus „ auctionatur. Neminem jugo ſeruitutis ad„ ſtrictum poſſidet; niſi ſe prius peccatorum „ ei ære vendiderit, & quæ ſeq.] Et Sanctus Gregorius Nyſſen. h. 3. in cant. [Domino ca„ ret virtus; & eſt voluntaria, & ab omni ne„ ceſſitate libera.] Et Sanctus Io. Chryſ. in ſer. 1. de iejunio, to. 5. [Non vinculis virtus, ſed „ electione conſtat. Non nobiſcum naſcitur, „ ſed operatione acquiritur & imitatione per„ ficitur.] Et h. 13. ad populum, [Virtutis co„ gnitionem indidit Deus animæ noſtræ; a„ ctionem verò & bonam operationem volun„ tati noſtræ conceſſit. Quoniam ſi totum na„ turæ tribuiſſet, ſine coronis & præmijs fuiſ„ ſemus. Et ſicut bruta virtutum, quas ha„ bent, mercedem aut laudem capere non de„ bent; ſic & nos ſi bonum aliquid à natura „ habuiſſemus: naturæ enim munera non ha„ bentium, ſed datoris, ſunt laus & commen„ datio.] Sanctus Bernardus in tractat. de vita ſolitaria, ad fratres de monte Dei, Virtutem dixit

Digitized by Google

dixit non eſſe aliud, quàm ad iudicium rationis uſum liberæ voluntatis. [Bona enim voluntas mater eſt omnium virtutum, & origo omnium bonorum; ſicut mala malorum omnium & vitiorum.] Hinc Sanctus Ambroſius in Comment. ad caput ſeptimum epiſtolæ ad Romanos ſcripſit à Græcis, Græcos ab Hebræis, didiciſſe iuſtitiam. Et lib. 4. comment. in Lucam, dum agit de ductu Chriſti in deſertum; [Eadem, inquit, eſt virtutis natura, quæ nemorum; ut ſi adhuc exigua de terrenis ad ſuperna ſe ſubrigunt; dum teneris ætas adoleſcit frondibus, ſæui veneno dentis obnoxia, facilè aut ſuccidi poſſit, aut uri. Si verò alta ſe radice fundauerit, & ramorum ſublimitate ſuſtulerit; fruſtrà iam, vel ferarum morſibus, vel lacertis agreſtium, vel diuerſorum flatuum procellis arbor robuſta tentetur.] Theodoretus lib. 4. in cant. cùm ſponſus diceret cap. 6. Se in hortum nucum deſcendiſſe; per hortum nucum præſentem intelligit vitam; [Quæ cùm amara ſit & ærumnis atque laboribus plena; reconditum tamen habet virtutis fructum. Nam & nucis fructus cùm extrinſecùs corticem priorem amarum habeat; alterum autem aſperum & durum; intus tanquam in peno nucleum eſculentum continet reconditum, qui ſine labore non poteſt extrahi.] Sed hoc virtutum nobis à natura non inſitam, ſed labore multo parandam oſtendit: de quo in ſuperioribus dictum eſt pluribus. Iam hùc ſpectat Sancti Dorothei ſermo 14. quo docet, quomodo virtutum ædificium ſit conſtruendum; voluntarium ſcilicet ac liberum opus. [Non eſt opus (inquit S. Ioannes Chryſ. hom. 1. in epiſt. ad Philemonem) in longinqua peregrinando tranſire; nec ad remotiſſimas ire nationes; non pericula, nec labores tolerare; ſed velle tantummodo. Faciliima profectò virtus eſt: non hic viribus corporis, non opibus, non pecunijs, non potentia, non amicitia, non alia quauis re opus eſt: ſolùm velle ſufficit.] Et iterum h. 16. in epiſtolam ad Hebr. [Velle hic opus eſt tantum, & omnia ſequuntur. Non poteſt, dicere, non poſſum, neque accuſare conditorem. Si enim impotentes nos fecit, & deindè imperat; culpa eius eſt.] Utitur autem Sanctus Gregorius Nazianzenus in oratione de moderatione in diſputationibus ſeruanda, exemplo generoſi equi; qui freno indiget; alioqui pernitioſus nobis erit. [Sic enim generoſos animos docet, ſi rationis magiſteriò regantur & coërceantur; magnum omnino ad virtutem momentum adferre. Quod ſi à ſcientia & ratione deſerantur; non minus momenti ad vitium habituri ſunt.] Sic enim & fertilis terra ſi probè colatur & bona à nobis ſuſcipiat ſemina; optimum & copioſum reddit fructum; ſi deſeratur inculta, ſpinas & tribulos atque inutiles herbas abundè profert.

CAPUT XXIII.

Diuinâ ope niti.

VERUM id quod dictum eſt, voluntate ſola opus eſſe; non ità intelligendum eſt ut abſque Diuina ope quidquam poſſimus: ſed quid à nobis deſideretur, ſignificatum eſt. Clemens Alexandrinus lib. 1. pædag. cap. 5. Deum, Dæmonemque ponit, velut viros; illum in virtute perfectum, hunc in vitio atque malitia: nos verò omnes eſſe velut pueros apud Deum nec modò comparatione perfectiſſimæ atque infinitæ illius virtutis; verum etiam quia ut pueri à viris manuducuntur, ita nos à Deo oportet ad virtutem tanquam ab optimo pædagogo manuduci. De Vitijs idem intelligendum eſt. Nam & ſingulis vitijs perfectos eſſe Dæmones, qui nos ad illa inſtigent, & manuducant; docuerunt Patres. Inter quos Sanctus Hieronymus ad caput 3. Abacuch; [Cunctorum, ait, Dæmonum Caput Beelzebub: Sed & ſingulæ turmæ habent ſuum caput; ſpiritum fornicationis, ſpiritum auaritiæ, ſpiritum vanæ gloriæ, ſpiritum mendacij, ſpiritum infidelitatis.] Confirmat Sanctus Anſelmus in comment ad caput 2. epiſtolæ ad Coloſſ, & illud Ioannis Caſſiani contrà octo vitia principalia, quæ ſpiritus appellauit, gaſtrimargiæ, fornicationis, ac cæterorum: quod illis ſcilicet ſpiritus Dæmonum præſint. Nunc de virtutum acquiſitione pergamus dicere. Sanctus Gregorius Nazianzenus in carmine de ſe ipſo; [Virtus, inquit, nec Dei ſolùm beneficio contingit, nec ſolius hominis ſtudio comparatur: ſicut nec oculus ſolùm meus quamlibet acutus & perſpicax, ea, quæ in aſpectum cadunt, cernit; niſi ſolis lumen accedat. Verùm ad virtutis adeptionem, Dei partes duæ ſunt; prima & poſtrema: unam autem à me quoque præſtari neceſſe eſt. Ille & boni capacem me fecit, & vires mihi ad id ſuppeditat: at ego intermedius tanquam in ſtadio curſor incedo. Sine Dei namque ope omnes nos inania ludibria ſumus, & viua cadauera ſceleribus fœtida. Ut enim nec auis ſine aëre volat, nec Delphinus ſine aqua natat; ita nec homo ſine Dei adminiculo pedem à terra efferre poteſt.]

CAPUT XXIV.

Cum vera religione cohærere.

CÆTERUM non ſolùm abſque Diuina ope non comparatur virtus; ſed etiam ſine vero Dei cultu & religione virtus vera & perfecta non eſt. Ità Sanctus Auguſtinus in

2. libro de ciuit. Dei cap. 21. Veram iuſtitiam, ſcripſit, non eſſe, niſi in ea republica, cuius conditor, rectorque eſt Chriſtus. Et lib. 5. cap. 19. Sine vero Dei veri cultu nullam eſſe veram virtutem; nec eam eſſe veram, quando humanæ ſeruit gloriæ. Et lib. 19. cap. 25. Virtutes veras non eſſe, niſi referantur ad Deum. [Sicut enim ,, non eſt à carne, ſed ſuprà carnem, quod facit ,, carnem viuere, ſic non eſt ab homine, ſed ſu- ,, prà hominem, quod hominem facit beatè vi- ,, uere.] Et libro 4. contrà Iulianum c. 3. [Pu- ,, dicum vult verè non dici, qui non propter ,, Deum verum connubij fidem ſeruat. Omnes ,, enim virtutes, quæ per corpus operantur, in ,, anima ſunt; nec poteſt verè corpus dici pudi- ,, cum, ſi anima fornicatur à Deo.] Quocircà infidelium ac veterum. Philoſophorum virtutes non eſſe aut fuiſſe veras virtutes, copioſè ac diſſertè oſtendit. Et Sanctus Ambroſius in 2. lib. de Spiritu Sancto ad Gratianum, in proœmio; Sampſoni, ait, manentibus capitis crinibus inuictam duraſſe virtutem; tonſo autem capite fortitudinem omnem fuiſſe ſolutam. [Non ,, quòd tanta eſſet vis corporalium capillorum; ,, ſed quòd quidam ſunt crines religionis & fi- ,, dei; crines Nazaræi in lege, perfecti in parſi- ,, monia & abſtinentia conſecrati: crines ex illo ,, capite pullulantes; de quo dictum eſt, caput ,, viri Chriſtus, 1. Cor. 11.] Et S. Bernardus in tract. de vita ſolitaria; Virtus filia rationis; ſed ,, magis gratiæ. Vis enim quædam eſt ex na- ,, tura. Ut autem virtus ſit, habet ex gratia.] ,, Xenophon Grylli filius, ut ex Xenophonte narrat Plutarchus, obvius Socrati, cùm rara indole adoleſcens & ad virtutem comparatus videretur, iubetur ſiſtere. Interrogatur ubinam variæ vendantur merces; promptè reſpondit. Tum quærit Socrates, ubi homines fiant boni; reſpondit, ſe neſcire. Me igitur, inquit, ſequere, ut hoc diſcas. Sic nimirùm Chriſtus virtutis ſe ducem ac doctorem nobis præbuit, dicens; Venite poſt me, & diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde. Quod autem S. Auguſtinus affirmauit, in veteribus philoſophis, & apud infideles veras virtutes non eſſe, aut fuiſſe; alio loco tractabitur pluribus, in quo de noſtrorum operum intentione dicetur. Interim non ità id accipias, quaſi moralium virtutum habitus in illis fuiſſe negaueris. Repetitis namque actionibus manifeſtum eſt virtutis habitum comparari in illis quoque potuiſſe, ſed eas noluerunt Patres veras, & perfectas virtutes dici, tum quod ultimum, & ſupernaturalem finem Deum non reſpicerent, tum quod per eas ad illum perduci non poſſent: neque tam ſunt perfectæ, quam eſſe deberent, ſi comitem charitatem haberent.

CAPUT XXV.

Virtutum connexio.

DE Virtutum quoque connexione multus apud Patres ſermo: Qui enim unam perfectè poſſidet, eum cæteras ſimul omnes poſſidere voluerunt. Sanctus Hieronymus in Com. ad caput 16. Iſaiæ exemplo uſus eſt Cytharæ alteriuſve inſtrumenti muſici; in quo, ut ſuauis ſit ſonus chordas omnes conſonare oportet. [Quomodo, inquit, cythara non emittit ,, vocalem ſonum atque compoſitum; ſi ſaltem ,, una chorda rupta fuerit: Sic ſpiritualis venter ,, Prophetæ, ſi una in eo virtutum chorda de- ,, fuerit non poterit melos dulce reſonare.] Eodem exemplo uſus eſt, Sanctus Ioannes Chryſoſtomus in ſerm. de virtutibus & vitijs tom. 5. [Sicut in Cythara non unius tantum ,, fidis melodiam excitaſſe ſatis eſt: ſed omnes ,, pari quodam numero percurrendæ ſunt: ſic ,, in virtute animi, non tantùm hæc nobis ad ,, ſalutem ſufficit; ſed omnes æquè diligenter ,, obſervandæ ſunt. Quid enim prodeſt atten- ,, tius orare, ſegnius miſereſcere? Et Sanctus Ambroſius lib. 5. Com. in Lucam c. 13. in ſermone de beatitudinibus; [Connexæ ſibi ſunt, ,, concatenatæque virtutes ut qui plures habet ,, plures habere videatur &c.] Neq; dubitauit S. Bernardus ſer. 1. in annunt. B. Mariæ, affirmare non poſſe eſſe virtutes, ſi ab invicem ſeparentur. Sanctus Gregorius Papa lib. 1. moral. c. 16. accommodatè ad rem præſentem interpretatur convivium, quod filij Iob faciebant, unuſquiſque in die ſuo. [Filij enim per domos con- ,, vivium faciunt; dum virtutes ſingulæ juxtà ,, modum proprium mentes paſcunt; & valdè ,, virtus quælibet deſtituitur; ſi non una alij ,, virtus virtuti ſuffragetur. Et quia alternato ,, miniſterio virtus à virtute reficitur, rectè di- ,, citur, quod ab ſe filij Iob viciſſim convivan- ,, tur. Vocabant autem & tres ſorores ad con- *Iob 1.* ,, vivium; quia & virtutes noſtræ in omni quod ,, agunt ſpem, fidem, & charitatem vocare de- ,, bent. Quæ quaſi ex cibo vires accipiunt; dum ,, bonis operibus fidentiores fiunt. Et dum ,, poſt cibum, contemplationis rore infundi ,, appetunt, quaſi ex poculo ebriantur.] Et ruſſùm cap. 20. Conſiderans Deum exod. 30. præcipiſſe Moyſi, ut ſumeret aromata, & ſtacten, & onychem, & galbanum boni odoris, & thus lucidiſſimum, faceretque thymiama compoſitum opere unguentarij miſtum diligenter, & purum: hoc interpretatur de virtutibus. ,, [Thymiama quippè ex aromatibus compo- ,, ſitum facimus; cum in altari boni operis ,, virtutum multiplicitate redolemus. Quod ,, miſtum & purum fit; quia quanto virtus vir- ,, tuti jungitur, tanto incenſum boni operis ſin-

cerius

„ cerius exhibetur. Neque enim unaquæque „ verè virtus eſt, ſi miſta alijs virtutibus non „ eſt.] Et iterùm in libro 21. cap. 3. dicente Iob, cap. 31. Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine: dum ſtatim ſubjungit, quam enim partem haberet in me Deus &c. [Nulla enim, inquit Gregori„ us, bona ſunt cætera, ſi caſtitatis teſtimo„ nio non approbantur. Omnes quippè virtu„ tes vicaria ope ſe ſubleuant, & quia una ſine „ alia vel nulla eſt omninò, vel minima, vi„ ciſſim ſua conjunctione fulciantur.] Quod argumentum in c. 1. libri 22. multis perſequitur. Et rurſum in Comment. in pſal. 3. pœnitentialem repetit; [Una virtus ſine altera, aut „ omninò nulla eſt, aut minima.] Et Ioan. Caſſianus in libro de ſpiritu gaſtrimargiæ cap. „ 11. [Cunctarum virtutum una natura eſt. „ Itaque nullam perfectè poſſidere probabitur, „ quiſquis eliſus in earum parte dignoſcitur.] Et Sanctus Gregorius Nyſſenus in libro de beatitudinibus oratione 4. Cum Dominus dixit; Beati qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam; Iuſtitiæ voce omnem virtutis ſpeciem ſignificari ait. [Fieri enim non poteſt, ut una aliqua „ virtutis ſpecies à reliquis diſiuncta, ipſa per „ ſe virtus perfecta ſit; nam ſi aliqua deſit, „ contrarium vitium aderit.] Verum aut ſapientiſs. Patres de homine perfecto, & virtute abſolutè prædito locuti ſunt; hunc enim virtutibus omnibus ornatum eſſe oportet. Aut qui unam habet, cum non omnes, ſed plures habere voluerunt; quippè una diſponit ad alias, fouetque ſi adſint. Aut de perfectiſſimis locuti ſunt virtutibus. Aut Hieronymo epiſcopo interprete in 1. libro adverſus Pelagium c. 7. non proprietate, ſed participatione connexas eſſe voluerunt. Alioqui in omni virtutum genere una ſine alia poteſt eſſe, ſi abſolutè loquamur. In Theologicis fides & ſpes in plurimis reperiuntur, qui charitatem non habent, & in acquiſitis illis, quæ in intellectu conſiderantur, quis ſcientiam neget ſine arte, artemve ſine ſcientia eſſe poſſe, paſſimque in philoſophis ac ſcientibus viris alteram, alteram in artificibus reperiri? Ac demùm in moralibus, morales quoque virtutes ſeparatæ conſiſtent, ſi unius aut alterius, & non cæterarum actionibus repetitis (quippè non omnium ſimul omnia poſſunt occurrere objecta, aut ſimul quiſque exerceri) illarum & non aliarum compares ſibi habitum. Neque enim earum una ita pendet à cæteris, quemadmodum omnes à prudentia pendent; ſed habent ſingulæ propria ſua objecta, propriaſque actiones, quibus à prudentia directis habitum virtutis acquirant. Ità virtutes univerſæ integram hominis perfectionem efficiunt, ſingulæque ſingulas illius partes abſolvunt. Poteſt namque res quæpiam parte una perfici, reliquis imperfectis relictis. Neque virtutibus ſingulis neceſſaria eſt prudentia completa, quæ materias cunctas comprehendat; ſed ea eſt ſatis, quæ circà materiam illam ſit particularem. Sanctus quidem certè Bernardus ſub finem ſermonis 70. in cant. dum ſponſum audit inter lilia paſci; „ [Quem dabis, inquit, mihi de filiis capti„ uitatis adeò innocentem & ſanctum, qui to„ tam terram ſuam floribus occupare potuerit? „ Magnus eſt, qui tria vel quatuor lilia ædifi„ care potuerit in terra ſua, in tanta denſitate „ ſpinarum & tribulorum, quæ ſunt germina „ inveterata maledictionis antiquæ.] Verùm quod de virtutum nexu dicitur, de vitiis quoque poteſt intelligi. Nam idem Nyſſenus in libro de Virginitate c. 4. Perindè, inquit, in vitiis, atque in catena evenire. [Ut enim ca„ tenæ principio attracto, neque reliqui orbes „ conſiſtere poſſunt; ſed ultimus catenæ orbis „ cum primo ſimul mouetur: ita & humani af„ fectus impliciti inter ſe atque connexi ſunt; „ ſæpèque fit, ut cùm unius imperauerit, reli„ qua iterū morborum turba animum inundat.] Et verè de illis uſurpari poſſunt illa Iob verba cap. 6. Involutæ ſunt ſemitæ greſſuum eorum: de quibus Sanctus Gregorius Papa lib. 7. c. 12.

CAPUT XXVI.

Virtutum progreſſio.

LOngum eſſet ac penè infinitum ea colligere, quibus nos Patres ad virtutem adhortantur ubicunque enim in moralem inciderint locum, toti in eo ſunt, ut nos à vitijs revocent & ad virtutes impellant. In quibus ut in cæteris rebus, ſuos etiam agnoſcunt gradus; initium, profectum, & perfectionem. „ [Nam & terra, (inquit Sanctus Gregorius „ Papa hom. 15. in Ezechielem,) primùm her„ bam germinat, deindè ſpicam, tum plenum „ frumentum.] Origenes verò h. 9. in Num. *Num. 17.* tractans de virga Aäron, quæ non ſolùm germinauit, ſed & frondes protulit & flores, ac denique fructum; In hac virga Chriſtum ſignificatum putat; atque in his quatuor, germinatione virgæ, frondibus, floribus, & fructu, quatuor indicari ætates eorum, qui in Chriſto renati, in virtute proficiunt: quas Sanctus Ioannes quoque comprehendit in 1. Epiſt. c. 2. cùm dixit, ſcribo vobis Pueri, ſcribo vobis Adoleſcentes, ſcribo vobis juvenes, ſcribo vobis Patres. [In quibus utique, inquit Orige„ nes, non corporales ætates, ſed animæ pro„ fectuum differentias poſuit.] Ita tamen, ut quemadmodum Sanctus Hieronymus dixit. „ [Nullus in hac vita habeat omnes virtutes „ perfectas, ſed participatione.] Nam & Apoſtolus Philip. 3. dicebat; Non quòd jam apprehenderim, aut jam perfectus ſim; ſequor autem

Digitized by Google

autem &c. Quod tamen ad maximam illius humilitatem & perfectionem pertinet. Nos verò quamdiù hic viuimus, ſi dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas non eſt in nobis; ut affirmat alter Apoſtolus. Tribus autem modis peccamus, factis, dictis, cogitationibus. Itaque in his tribus emendandis, eorumque contrarijs inſerendis virtutis noſtræ labor & progreſſio fuerit. Lactantius in libro de vero cultu cap. 13.
„[Primus, inquit, virtutis gradus eſt malis
„operibus abſtinere, ſecundus etiam malis
„verbis; tertius etiam cogitatione rerum ma-
„larum. Qui primum gradum aſcendit, ſatis
„iuſtus eſt; qui ſecundum, jam perfectæ vir-
„tutis; ſiquidem neque factis, neque ſermo-
„ne delinquit: qui tertium. Is verò ſimilitu-
„dinem Dei aſſecutus videtur. Eſt enim penè
„ſuprà humanum modum, nè in cogitatione
„quidem admittere, quod ſit vel factu ma-
„lum, vel improbum dictu.] Ita ratiocinabatur Lactantius. Sed videre potuiſſet, ad juſtitiam & virtutem pertinere, non ſolùm abſtinere à malo, ſed etiam facere bonum; neque virtutem eſſe carentiam malitiæ, ſicut malitia eſt virtutis & probitatis carentia. Eſt enim Virtus habitus in anima, qui operatur bonum. Dimidiata juſtitia eſt declinare à malo; integra, & declinare à malo, & facere bonum. Sic in Pſal. 36. dicitur. Declina à malo, & fac bonum. Tribus illis gradibus, quibus declinatur malum, operis, ſermonis, & cogitationis; totidem addantur, quibus bonum cogitationis, ſermonis, & operis exerceatur. Triplicem quoque vitam hominis ad virtutem progredientis diſtinxerunt periti quique morum Magiſtri; purgantem à vitijs; illuminantem & virtutum ſuppellectilem optimam comparantem; ac demùm perficientem, exercentemque comparatas virtutes.

CAPUT XXVII.

Virtutum diuiſio.

SANCTUS Auguſtinus in libro viginti unius ſententiarum cap. 15. & 19. Ciuiles virtutes memorat, purgatorias, & exemplares. Sed non eſt, quod à communi omnium bipartita diuiſione recedamus. Diuidunt enim virtutes in Theologicas, atque morales. Theologicæ ſunt fides, ſpes, charitas, quæ & à Deo nobis donantur, & circà Deum velut objectum verſantur proprium. Morales ſunt cæteræ, quæ & ſtudio atque induſtria comparantur noſtra, & ad mores noſtros componendos referuntur. Inter quas quatuor illæ, Prudentia, Iuſtitia, Temperantia, & Fortitudo, Cardinales nominantur; hoc eſt principales, & velut aliarum ſeu actionum noſtrarum omnium cardines. Ita habes vocis hujus interpretationem apud Sanctum Ambroſium libro 3. de Sacramentis cap. 2. *Cardinalis quid.* Ubi de ſeptem donis Spiritus Sancti loquens; [Omnes, inquit, vir-
„tutes ad Spiritum pertinent; ſed iſtæ quaſi
„Cardinales ſunt, quaſi principales; quid e-
„nim tam principale eſt, quam pietas?] Et Sanctus Auguſtinus in primo libro de bapt. contrà Donatiſtas cap. 6. Cardinales Donatiſtas dixit, hoc eſt primarios. Et Sanctus Gregorius Papa libro 2. regiſtri c. 6. Cardinalem Epiſcopum, hoc eſt Archiepiſcopum. Et libro 1. c. 77. & 79. & libro 2. c. 25. & 52. Cardinalem Sacerdotem, hoc eſt Epiſcopum. Et lib. 7. cap. 71. & lib. 8. cap. 21. & lib. 10. cap. 12. & lib. 11. cap. 34. Preſbyterum Cardinalem; & libro 5. cap. 3. Diaconum Cardinalem. Et libro 1. cap. 15. Roſellano Epiſcopo præcipit; ut in Populonenſi Eccleſia unum Cardinalem Preſbyterum & duos Diaconos ordinet. Sed & Ioan. Caſſianus in collat. 1. Abbatis Moſis cap. 20. non nulla commemorans, quæ Monachis ſub ſpecie pietatis à Dæmone proponuntur; hæc ait non de Cardinali ac publica collationis patrum officina prodire; ſed furtim fraude Dæmonum fabricata imperitis quibuſque & ignorantibus ingeri. Cardinales verò præſules, quos hodie in Eccleſia Romana nominamus; Erant olim Clerici Romani, propterea Cardinales dicti, quia cardini illi quo cætera mouentur hoc eſt ſummo Pontifici vicinius adhærent. Auctor eſt Leo nonus Papa in libro adverſus præſumptiones Michaelis & Leonis Archidani cap. 32. Nam & tituli Eccleſiarum, quibus nunc Cardinales appellantur, anteà fuiſſe Preſbyterorum Eccleſiæ Romanæ; ſatis cognoſcitur ex Sancto Gregorio Papa libro 9. regiſtri c. 22. Undè & verbum cardinare, ſeu incardinare; quod Cardinalem Preſbyterum ſeu Epiſcopum ordinare, & inſtituere ſignificat; apud Gregorium libro 2. regiſtri c. 25. & libro 3. c. 14. legimus. Verum de his ſatis. Nunc rem ipſam aggrediamur à Theologicis virtutibus ut par eſt, facto principio.

FINIS PRIMI LIBRI.

PRIMA

Digitized by Google

PRIMA PARS DE VIRTVTIBVS THEOLOGICIS.

DE FIDE LIBER SECUNDUS.

THEOLOGICÆ virtutes tres numerantur; Fides, Spes, Charitas; de quibus hoc ordine dicam; nam & hoc ordine de illis Apoſtolus ſcripſit in priore ad Cor. ep. c. 13. Nunc, inquit, manent fides, ſpes, charitas; tria hæc; major autem horum eſt charitas. Nunc tria, quamdiu hic viuimus. Nam in beatis viſio ſuccedit fidei; ſpeique compræhenſio; ſola remanet Charitas, qua Deo perfectè illi cohærent; eoque clarè viſo ac firmiter poſſeſſo fruuntur. Prima omnium eſt fides; deindè ſpes; poſtrema charitas; quoniam ſperare non potes in eo, quem non cognoueris fide; neque charitate amare, quem tui adjutorem & conſeruatorem in hac vita, largumque in futura remuneratorem non ſperes.

CAPUT I.

Fides duplex.

FIDEM in ſacris litteris, tum paſſiuè tum actiuè, video nominari. Paſſiuè, auctoritatem ſignificat, quæ in aliquo ſit, ut ei credatur: actiuè autem, habitum, quo nos alicui credimus; ſiue homini, ſiue Deo: Undè duplex exiſtit fides, humana, & diuina; de qua ſola nunc agimus. Sanctus Athanaſius in or. 3. contrà Arianos. [Fidelis, inquit, in Scripturis „ duobus modis dicitur: nunc ut credens, nunc „ ut qui dignus ſit cui fides habeatur, alterum „ hominibus, alterum Deo convenit. Fidelis „ Abraham, qui credidit Deo; & fidelis Deus „ in omnibus verbis ſuis, pſ. 144. & dignus „ cui fides habeatur, & non poteſt mentiri. Ita „ etiam fidelis dicitur Chriſtus Hebr. 3. non „ credendo; ſed quia filius Dei, dignus cui ha„ beatur fides in ijs, quæ dicit, aut facit.] Et Sanctus Auguſtinus in lib. de ſpiritu & littera c. 31. [Aliter, inquit, dicimus; Non habuit „ mihi fidem; aliter autem; Non mihi ſervauit „ fidem. Nam illud eſt, non credidit quod di„ xi; illud verò: Non fecit quod dixit.] Itaque tum eo loco, tum in prima concione in pſalmum 32. Non hominem modò fidelem appellari obſeruat; ſed etiam Deum, in priore ad Cor. c. 10. & in poſteriore ad Tim. c. 2. Sed Deum prima fidei acceptione; hominem ſe„ cunda. [Habemus, ait, fidelem Deum, di„ ſtinguamus fidelem Deum à fideli homine. „ Fidelis homo eſt credens promittenti Deo; „ fidelis Deus eſt, exhibens quod promiſit ho„ mini.]

Fidelis homo & Deus

CAPUT II.

Fidei definitio.

FIDEM ergò paucis verbis definiuit Apoſtolus in ep. ad Hebr. c. 11. Eam eſſe ſperandarum ſubſtantiam rerum, argumentum non apparentium. Quam ut veriſſimam illius definitionem, non velut laudationem, & commendationem; quemadmodum auſus eſt quiſpiam dicere; veteres ſemper Patres agnoverunt & appellarunt. Sanctus Hieronymus in com. ad caput 5. epiſtolæ ad Gal. ubi fructus ſpiritus enumerat Paulus; [Non mirum, inquit, ſi ſpes in „ hoc catalogo fructuum ſpiritus non refera„ tur; cùm in fide ſit quod ſperatur; & ita eam „ Apoſtolus ad Hebræos ſcribens definiat; eſt „ autem fides ſperandarum ſubſtantia rerum.] Et Sanctus Auguſtinus libro 2. de peccatorum meritis & remiſſione c. 31. & lib. 50. homiliarum h. 32. [Fides ità definita eſt; Fides eſt ſpe„ rantium ſubſtantia, & conuictio rerum, quæ „ non videntur.] Et Sanctus Bernardus ep. 190. ad Innocentium Papam; [Ego ſecurus in „ Magiſtri gentium ſententiam pergo, & ſcio „ quoniam non confundar. Placet mihi illius „ de fide definitio; fides eſt &c.] Omnia enim complexus eſt Paulus, quæ ad fidei naturam pertinent. Primùm; ut ſit velut religionis noſtræ & ſalutis fundamentum firmum ac certum; & inchoatio æternæ vitæ. Propterea dicitur ſubſtantia: ſiue ſubſtantiam interpreteris veritatem eorum, quæ creduntur & non videntur. [Quoniam enim, (ait Sanctus „ Chryſ. h. 21. in eum locum) ea quæ ſunt in „ ſpe, ſine ſubſtantia eſſe putantur; hoc eſt non „ ſubſiſtere. Fides eis tribuit ſubſtantiam; imò „ ipſa eſt eorum, eſſentia. Ut puta, reſurrectio „ nondum facta eſt, nec eſt in ſubſtantia, ſed

Eraſmus

ſpes

Digitized by Google

», ſpes facit eam ſubſiſtere in anima noſtra.] Siue potiùs baſim & fundamentum. Græcè enim eſt ὑπόστασις; quæ vox plures ſanè habet acceptiones apud veteres ſcriptores. Quippè interdùm ſignificat veritatem, hoc eſt veram & realem ſubſiſtentiam, oppoſitam apparentiæ ſeu opinioni: ut eſſe καθ' ὑπόστασιν, opponatur ei quod eſt κατ' ἔμφασιν. Sic auctor libri de mundo, qui Ariſtoteli tribuitur: dixit c. 3. eorum, quæ viſuntur in aëre, alia κατ' ἔμφασιν, hoc eſt ſecundùm apparentiam exiſtere: alia καθ' ὑπόστασιν, hoc eſt verè ſubſiſtere. Et Alexander Apphrod. in primo libro de anima c. 28. materialia cùm non intelliguntur, non eſſe intellectum: at quatenus intelliguntur, habere hypoſtaſim, ut ſint intellectilia. Et Themiſtius exponens textum 19. 2. libri phyſic. Ideas fuiſſe ab illarum aſſertoribus, non ſolùm cogitatione ſeparatas à materia, ſed & ὑποστάσει, hoc eſt vera & propria ſubſiſtentia. Et Græci quoque Patres, præſertim Areopagita, bonum appellant ἐνυπόστατον; malum παρυπόστατον: quia illud naturam veram ſignificat, hoc non naturam, ſed adjacentem illi priuationem. Hanc ob cauſam adductos fuiſſe opinor auctores aliquot; ut fidem interpretarentur eſſe hypoſtaſim ſperandarum rerum: hoc eſt res eas, quas fide tenemus, non eſſe inanes, vanas, & in ſola opinione noſtra poſitas: ſed veras & ſubſiſtentes, quemadmodum creduntur. Sicut etiam in libro ſapien. cap. 16. de manna olim filijs Iſraël, dato dicitur: hypoſtaſis tua dulcedinem tuam ergà filios oſtendebat: hoc eſt cibus ille realis & ſubſiſtens, quem illis repentè ſubminiſtraſti. Sed aliam video magis propriam, & ſacris litteris uſitatam vocis hujus acceptionem; qua baſim & fundamentum ſignificat, quo res quæpiam nititur & ſuſtentatur. Hoc enim & ipſa nominis etymologia indicat, & à Græcis ὑποστάτην appellari furcam, qua quid fulcitur; ſcripſit in Coriolano Plutarchus. Hoc nimirùm intellectu legimus in pſ. 38. ὑπόστασις mea tanquam nihilum antè te; id eſt fundamentum, quo nititur vita mea, breui recidet in nihilum. Et rurſum; Quæ eſt exſpectatio mea? nonnè Dominus, & ὑπόστασις mea apud te eſt: id eſt fundamentum meum eſt in te, nec ulla re alia nitor. In pſalmo item 68. Infixus ſum in limo profundi, & non eſt ὑπόστασις, hoc eſt non habeo fundamentum ſeu rem ullam, qua nitar ad euadendum. In pſalmo 88. memorare quæ mea ὑπόστασις; id eſt quam debile ſit vitæ meæ fundamentum; ſeu te ſolum eſſe vitæ meæ fundamentum. Propterea Deum debere illum conſeruare, ita concludit: Nunquid enim vanè conſtituiſti omnes filios hominum? id eſt, nonnè feciſti ut conſeruares? Et iterum in pſalmo 138. Non eſt occultatum os meum à te quod feciſti in occulto, & ὑπόστασις mea in inferioribus terræ, hoc eſt nihil eſt in me, quod te lateat, nè ipſa quidem oſſa, quæ ſunt occultiſſima; nec ipſa hypoſtaſis mea, hoc eſt primum fundamentum naturæ meæ, in inferioribus terræ, id eſt in viſceribus Matris meæ. Imperfectum enim meum viderunt oculi tui; id eſt primum principium, & fundamentum naturæ meæ adhuc rude & inchoatum. Eodem intellectu à Paulo quoque alibi uſurpatur. Nam in poſter. ad Corint. Ep. cap. 9. Miſi autem, inquit, fratres, ut nè quod gloriamur de vobis euacuetur in hac parte: nè cùm venerint Macedones mecum, & inuenerint vos imparatos, erubeſcamus nos, ut non dicamus vos, in hac ὑποστάσει τῆς καυχήσεως, id eſt gloriæ; hoc eſt, ne erubeſcamus in ea re, in qua maximè ſumus gloriati de vobis, & quam veluti fundamentum laudum veſtrarum, & noſtræ gloriationis poſueramus. Et rurſùm repetit in cap. 11. Quod loquor, non loquor ſecundùm Deum: ſed quaſi in inſipientia in hac ὑποστάσει gloriæ. Quo etiam loco hypoſtaſim gloriæ vocat fundamentum, quo ejus gloriatio nitebatur: ut ſatis explicant ea, quæ ſtatim ſubjungit. Verum in Ep. quoque ad Hebr. cap. 3. Participes, inquit, Chriſti effecti ſumus; ſi tamen initium τῆς ὑποστάσεως, uſque ad finem firmum retineamus. Hypoſtaſim vocat fundamentum Chriſtum, ut idem ipſe expoſuit in priore ad Cor. cap. 3. ſuper quem unuſquiſque ædificat; & aliud fundamentum nemo poteſt ponere; præter id quod poſitum eſt quod eſt Chriſtus Ieſus: atque hoc uſque ad finem firmum vult retineri. Quæ proptereà diligentius collegi; ut intelligatur quemadmodum cap. 11. fides ab eodem Paulo dicta ſit ſperandarum hypoſtaſis rerum. Fundamentum enim & baſim, qua tota ſpes noſtra nititur, fidem eſſe affirmauit. Namque non erat illi propoſitum probare, vera eſſe ea, quæ credimus ſed explicare id, quod paulò antè dixerat; Juſtum ex fide viuere; hoc eſt non requirere à Deo miracula pignusve ullum; ſed ſola fide eſſe contentum; ſolaque ſpe illa ſuſtentari, quæ naſcitur ex fide; & ideò fidei definitionem ſubjungit; fides eſt ſperandarum hypoſtaſis rerum; hoc eſt fundamentum, ſeu fulcimentum, quo ſpes noſtra nititur; ſeu ea, quæ à nobis ſperantur, dum operamur: Argumentum non apparentium; quo ea quoque cognoſcimus & tenemus; quæ nec ſenſibus, nec naturali ratione poſſunt cognoſci. Ex hac porrò hujus vocis acceptione dum id ſignificat, quo res quæpiam ſuſtentatur, deducta eſt ad ſignificandam ſubſiſtentiam ſuppoſitam, ſeu perſonam, qua ſuſtentatur natura. Undè & id quod per ſe cohæret & ſubſiſtit, veteres ſcriptores appellant ἐνυπόστατον; id verò

quod

Digitized by Google

quod in alio ſuſtentatur, ἀνυπόστατον; hocque dixerunt intereſſe inter diuinum verbum, & numerum: quod illud ſit ἐνυπόστατον; per ſe ſubſiſtens hoc autem ἐνυπόστατον; quod vel inhæreat in mente, vel ſtatim euaneſcat ut profertur. Ita Sanctus Athanaſius tradidit in ſermone de Deipara, & Sanctus Cyrillus Hieroſol. catech. 4. & 11. & Sanctus Gregorius Nyſſenus in libro teſtimoniorum adverſus Judæos, & Sanctus Ioannes Damaſcenus lib. 1. de fide cap. 6. & alij plures. Et Trinitatem Sanctus Dionyſius appellare conſuevit ἑνάδα τρισυπόστατον, unitatem triſubſiſtentem, ſeu in tribus hypoſtaſibus, & ſubſiſtentiis cohærentem. Et Paulus Hæbr. 1. de filio dixit; qui cùm ſit ſplendor gloriæ, & χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ. Nam etſi hypoſtaſin aliqui interpretati ſint eſſentiam, quod non in perſona, ſed in eſſentia, filius ſit Patri ſimilis: Ut Sanctus Athan. ſub finem or. 4. contrà Arianos; & dialogo 5. de Trin. Et Sanctus Epiph. hær. 69. Et Sanctus Ambroſius in Comment. Alij etiam de Chriſto homine intellexerint; ut quia Patris diuinitas percipi à nobis non poteſt, niſi quodam modo obumbrata filij humanitate; Chriſtus ſit character Paternæ hypoſtaſeos, dum Patris naturam nobis objicit, quam nunquam cognouiſſemus. Quæ interpretatio fuit Sancti Auguſtini lib. 1. de incarnatione Verbi cap. 12. & confirmare videntur illa Pauli verba ad coloſſenſes cap. 1. Qui eſt imago Dei inuiſibilis: & cap. 2. In ipſo inhabitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter, id eſt ad ſenſum corporeum accommodate, & illa Io. cap. 14. Philippe, qui videt me, videt & Patrem. Probabiliùs tamen intelligi puto perſonam; Filiumque dici characterem Paternæ hypoſtaſeos: hoc eſt Filij perſonam ſimilem & quaſi expreſſam figuram perſonæ Patris. Ita Sanctus Baſilius ep. 43. de differentia uſiæ & hypoſtaſis, & Sanctus Gregorius Nyſſenus in libro de eodem argumento: & Cyrillus Alexandrinus in libro de recta fide ad Theodoſium, & Sanctus Chryſ. Theodo. & Theophilactus in commentarijs. Nam quia imaginem oportet ab eo diſtingui, cujus eſt imago; non videtur, Filius dici poſſe imago Patris ratione eſſentiæ, in qua nulla eſt diſtinctio; ſed magis ratione perſonæ, qua eſt ab eo diſtinctus. Ergò, ut priora verba (cùm ſit ſplendor gloriæ) eſſentiam ſignificant, qua eſt Patri ὁμοούσιος, velut, lumen de lumine; ſic poſteriora (& character hypoſtaſeos ejus) oſtendent eſſe ſplendorem ἐνυπόστατον, Patri perſimilem, velut perſonam à Patre diſtinctam. Videbor fortaſſe cuipiam ab inſtituto nimiùm digreſſus; ego verò mihi non videor quippe ad intelligendam fidei naturam magnopere pertinebat, & verò neceſſarium erat, vim hujus vocis intelligere; qua in ea definienda uſus eſt Apoſtolus. Eſt ergò fides velut viatorum, & peregrinantium baculus; quo in hujus vitæ itinere & difficultatibus plurimis ſuſtentamur; quemque pòſt deponemus, cùm ingreſſi beatam Patriam facie ad faciem Deum videbimus. *Fides baculus.* Et Sanctus Auguſtinus loco antè notato, propterea opinor non ſperandarum rerum, ſed ſperantium ſubſtantiam & hypoſtaſim definiuit, & conc. 2. in pſal. 33. fidem in corde eſſe velut oſſa in corpore, totius corporis firmamentum, & fulcimentum. *Fides oſſa.* Et Sanctus Nyſſenus in diſputatione de anima & reſur. cum ſorore Macrina; [Fides, inquit, ſubſtentaculum ac firmamentum eſt „ incertitudinis earum rerum, quæ ſperantur. „ Nam & ita eam definiuit Apoſtolus, &c.] Et in libro de vita Moſeos, eam voluit eſſe virgam Moſeos, qua ſerpentes Ægyptiorum necantur; & baculum, quo conſolantur & ſuſtentantur, qui arduam, & difficilem virtutis peragunt viam. *Fides virga Moſeos.* Sanctus Anſelmus in Comment. in Ep. ad Hæbr. Fidem ait vocatam hypoſtaſim ſperandarum rerum; quoniam eis ſubſtat, ſicut materia formis; eas ſuſtentando, ut ſint.

CAPUT III.

Fidei officium duplex.

CÆTERVM cùm duo de fide Paulus dicat, & hypoſtaſim, & argumentum, quod convinctionem Sanctus Auguſtinus dixit: duo fidei officia & bona licet intelligere. Alterum; ut ſit nobis velut principium theoreticum aſſentiendi veritatibus reuelatis à Deo atque ab eccleſia propoſitis; & loco argumenti & demonſtrationis, cur illis aſſentiamur, quæ alio modo ſcire non poſſumus, ut Deum eſſe trinum & unum, mundum à Deo fuiſſe creatum. Ideo dicitur argumentum non apparentium; hoc eſt cur aſſentiamur & credamus ea, quæ non apparent: quemadmodum in humanis ſcientijs, ſenſus & principia quædam ſunt, cur intellectus noſter aſſentiatur. Alterum; ut ſit quoque principium practicum & cauſa agendi & tolerandi. Atque hùc ſpectat hypoſtaſis rerum ſperandarum. Hoc enim fundamento nitimur agendo & tolerando. Utrumque habes ex Paulo. Nam quoad primum, ſi quæras quomodo credam creationem mundi; reſpondet ille, fide intelligimus aptata eſſe ſæcula verbo Dei: & ita cæteras veritates. Quoad ſecundum autem; ſi quæras, cur Sancti tam multa egerint & tolerarint; Reſpondet idem Apoſtolus; fide Abel obtuliſſe plurimam hoſtiam Deo: Henoch item, Noë, Abraham, &c. quæ ſubjungit. Exſpectabant enim fundamenta habentem ciuitatem; cujus artifex & conditor Deus: hoc eſt fide

fide & ſpe in Deum & egerunt & tolerarunt.

CAPUT IV.

Fides certa.

RURSUM ex fidei hac definitione à Paulo propoſita, intelligimus fidem noſtram diuerſæ prorſus eſſe naturæ ab humanis omnibus ſcientijs. Scientia enim omnis certitudinem poſtulat & euidentiam; fides certiſſima quidem eſt, ſed obſcura. Certiſſima eſt; non tam credentis conſtantia, quam natura & firmitate rei; quæ nunquam poteſt eſſe falſa, quamvis is, qui credit, vacillet. Quemadmodum Matt. 14. Petrus veram ſanè habens fidem, à Domino tamen fuit repræhenſus modicæ fidei. Et ille Mar. 9. dicebat; credo Domine, adjuva incredulitatem meam. Et Apoſtoli Luc. 17. rogabant; Adauge nobis fidem. Conſtantiam enim agnoſcebant rei; ſed ſuæ aſſenſionis imbecillitatem ſentiebant. Tota porrò certitudo in humanis perſuaſionibus atque ſcientijs, aut principiis nititur & ratiocinatione noſtra; aut hominis aſſerentis vel narrantis auctoritate fides unico ſuſtentatur principio, dicentis Dei, & reuelantis auctoritate. Quare ut Deus mentiri non poteſt; ſic fides noſtra falſa eſſe nequit; ſed certior multò eſt, quam ſcientiæ omnes & perſuaſiones humanæ: quæ vel ratiocinatione noſtra vel humana auctoritate nituntur: quæ errori obnoxiæ ſunt. Quam ob cauſam in ſcholis Theologorum dicitur, res omnes & veritates, quæ creduntur, eſſe objectum fidei materiale: formale autem objectum eſſe ſolam primam veritatem: quoniam hæc ſola eſt ratio credendi, ſeu principium cuius cauſa credimus. Nam in humanis quoque objecti ratio ſumitur ex principijs ratiocinationis: Eademque concluſio ex principijs neceſſariis collecta, eſt ſcientia: ex probabilibus, opinio. Atque ut in humanis reſolutio omnis fit in principia prima: ſic fidei noſtræ reſolutio in Deum primam veritatem terminatur: Quidquid à Deo dictum eſt, eſſe certiſſimum & omninò credendum. Hoc autem vel illud eſſe à Deo dictum: proponit nobis eccleſia & ſemper propoſuit. Veriſſimè pronuntiauit Sanctus Ioan. Chryſ. in hom. de nomine Abraham, tom. 1. [Non tam certa, inquit, ſunt, quæ in manibus, quam ea, quæ „ in ſpe. Non ſic manifeſta eſt præſens hæc „ vita, ut futura illa. Hanc enim videmus ocu„ lis noſtris, illam videmus oculis fidei: hanc „ videmus in manibus noſtris poſitam, illam „ videmus in manibus Dei cuſtoditam, promiſ„ ſiones autem Dei multò certiores ſunt, „ quàm quæ in noſtris ſunt manibus.] Et comment. in pſ. 4. [Nos fideles ea, quæ in ſpe ſunt, „ his quæ ſunt manifeſta, manifeſtiora duci„ mus. Talis enim eſt fidei certitudo.] Et h. 8. in ep. ad Rom. [Fides apertior eſt manife„ ſtiorque Demonſtratione quam perpenden„ tis animi ratiocinatio parit; atque adeo in „ ſuadendo majorem vim obtinet.] Et h. 5. in ep. ad coloſ. [Humanæ rationes diuellunt & „ concutiunt; fides conſolidat & ſtabiles facit. „ Nequit ſolidè conſiſtere, qui rationes huma„ nas conſulit & inquirit.] Et h. 21. in ep. ad Hebr. Audiens fidem appellatam hypoſtaſin & argumentum non apparentium: [Argu„ mentum, inquit, eſt in rebus manifeſtis. Fi„ des igitur viſio eſt non apparentium; & ad „ eandem certitudinem ducit, ad quam ea, quæ „ videntur.] Immò majorem addit in h. 46. ad populum. [Inuiſibilibus enim, inquit, ma„ gis, quàm viſibilibus, oportet credere. Nam „ oculi ſæpè falluntur; lux verò ſcripturarum „ eſt infallibilis.] Undè S. Auguſtinus in orat. de quinque hæreſibus c. 4. Iudæos appellauit cœcos, Hæreticos lippientes, Catholicos benè videntes & oculos ſanos habentes; quoniam veram & ſinceram habent fidem.

CAPUT V.

Fides obſcura.

EST tamen obſcura. Non enim videmus, ſed credimus, quæ non videmus. Nam ut loquitur Sanctus Ath. in libro de ſalutari adventu Chriſti. [Fides de re euidenti concepta, „ fides dici non poteſt. Sed fides eſt, quæ in im„ poſſibili poſſibilitatem, & robur in imbecilli„ tate credit.] Quod & ad fidei dignitatem & ad noſtrum meritum confert plurimum. [Fa„ cilè enim vileſcit, (inquit Sanctus Gregorius „ Nazian. in orat. de pauperum amore,) quid„ quid facilè percipitur. Quod autem ingenij „ noſtri aciem ſuperat, quo aſſequutu diffici„ lius, eo etiam maiorem ſui admirationem mo„ uet.] Et interim in nobis, ut habet Sanctus Hilarius in Com. pſ. 118. littera Iod: [Fides habet „ obedientiæ meritum dum non habet cognitæ „ veritatis fiduciam.] Undè & Paulum oſtendit fidem & cognitionem diſtinxiſſe. In prima ad Cor. c. 12. & lib. 8. de trin. [Præmium igno„ rare quod credas: quia maximum ſtipendium „ fidei eſt ſperare quæ neſcias.] In priore ad Cor. Ep. c. 2. loquimur, ait, Dei ſapientiam in myſterio quæ abſcondita eſt. Myſterium appellatur Chryſoſt. ſententia h. 7. in eum locum. „ [Quoniam non id, quod credimus intuemur; „ ſed alia videmus, alia credimus.] [Eſt autem „ magnarum vigor mentium, (ut in ſer. 2. de „ aſcenſione Domini dixit Sanctus Leo Papa) „ & valdè fidelium lumen eſt animarum, in„ cunctanter credere, quæ corporeo non viden„ tur intuitu: & ibi figere deſiderium, quo ne„ queas inferre conſpectum.] Quamobcauſam in ſer. de aſſumptione ſua ad Pontificatū, in hoc

justi-

Digitized by Google

iuſtitiam agnouit noſtram. [Hæc eſt, inquit, „ iuſtitia credentis: ut recipiat animo, quod „ non cernit aſpectu.] Rachaëlem notat S. Cyprianus in tract. de operibus Cardinalibus; ad odorem non ad eſum Liæ mandragoras concupiſſe: noſq; ſponſo fide, non complexu, conjungi. Et Sanctus Auguſtinus in tract. 79. in Ioan. hanc putauit eſſe fidei laudem: ſi quod creditur, non videatur. Et lib. 4. de trin. cap. 18. A veritatis perſpicuitate tantùm diſtare fidem noſtram, quantùm ab æternitate diſtat mortalitas. Et alibi fidem definiuit eſſe, credere, quod non vides. Quocircà in libro de Magiſtro cap. 11. hanc differentiam docuit eſſe inter ſcientiam, & fidem. [Nam quod intelligo, „ id etiam credo: at non omne quod credo, e„ tiam intelligo. Omne autem quod intelligo, „ ſcio; non omne, quæ credo, ſcio; nec ideò „ neſcio quàm ſit utile credere etiam multa, „ quæ neſcio.] Et Sanctus Ambroſius ſer. 10. in pſ. 118. Fidem affirmat non eſſe cognitionem. „ [Aliud, inquit, eſt credere, aliud agnoſcere. „ Fides timentis eſt, agnitio ſapientis. Qui enim „ timet, rationem non quærit: ſapiens autem „ & agnitionem eorum inveſtigat, quæcunque „ percipere deſiderat.] Itaque Sanctus Auguſtinus in 2. lib. qq. Euang. cap. 39. id, quod diſcipuli dixerunt Domino, Luc. 17. Domine, adauge nobis fidem; [Poſſe quidèm intelligi, „ ait, hanc fidem ſibi eos augeri poſtulaſſe, quâ „ creduntur ea, quæ non videntur; ſed tamen „ præter fidem verborum, dicitur etiam fides „ rerum; cùm rebus ipſis præſentibus creditur, „ quod futurum eſt; cùm non jam per ſpecu„ lum & in ænygmate, ſed per ſpeciem mani„ feſtam ſe comprehendendum Deus præbebit „ ſanctis. Nam & Paulus dixit ad Rom. 1. Iu„ ſtitia Dei reuelatur de fide in fidem; & 2. „ Cor. 3. transformamur à claritate in clarita„ tem, tanquam à Domini ſpiritu: de claritate „ ſcilicet Euangelij, quo nunc credentes illu„ minamur, in claritatem ipſius manifeſtæ veri„ tatis, quâ tunc perfruemur: ex fide verborum, „ quibus nunc credimus, quod non videmus; in „ fidem rerum, quâ, quod credimus, obtinebi„ mus.] Fides ergò aſſenſio eſt certa, ſed obſcura; earum rerum diuinarum, quæ ad ſalutem noſtram pertinent & à Deo nobis reuelantur. Undè Sanctus Baſil. de vera & pia fide. [Fi„ des ait, eſt aſſentiens approbatio ſine ulla hæ„ ſitatione, cum ſeria animi perſuaſione de „ eorum veritate, quæ Dei munere ſunt præ„ dicata.] Aſſenſio potiùs dicitur, quàm cognitio; quia cùm ſit obſcura, ignoratio potiùs eſt, quàm cognitio; ſi propriè & accuratè loqui velimus. Cognitio enim intelligentia eſt clara: aſſenſio approbationem ſignificat. In humanis ſcientijs non aſſentimur, niſi intelligamus, rationúmque momentis convincatur intellectus, & extorqueatur aſſenſus: in

Fides aſſenſio non cognitio.

fide præbemus aſſenſum & Deo dicenti credimus, etiam ſi non intelligamus. Et ideò ab Apoſtolo appellatur argumentum rerum non apparentium. Neque aliam ob cauſam in Chriſto, & Beatis cognitio clara expellit fidem, niſi quia illi clarè vident & intelligunt: Fides autem obſcura eſt & ignorationem habet. Obſeruat Sanctus Cyrillus Alexandrinus libro tertio in Io. cap. 3. Deum daturum legem. Moyſi Exod. 19. non deſcendiſſe in valles, ſed in cacumen montis Sinaï: qui caligine, nube, & fumo totus operiebatur. Ut intelligas, quamvis ad imbecillitatem mentis noſtræ deitatis natura deſcendat, ſeque intelligendam præbeat: altiorem tamen eſſe, quam nos poſſimus intelligere. [Sublimitas enim dogma„ tum per montem intelligitur, qui totus ater „ fumo efficiebatur. Acutæ namque ſunt ni„ mirùm rationes, quæ de Deo à nobis haben„ tur, & oculos mentis more fumi perturbant. „ Propterea Paulus in ſpeculo & in ænygmate „ videre nos ait: & tenebras in occultationem „ eius poſitas eſſe Pſalmiſta cecinit: tenebra„ rum nomine incomprehenſibilitatem eius „ ſignificans.] Hæc Cyrillus. Sanctus Bernardus ſermone 28. in cant. tractans de Chriſto patiente, utitur verbis Iſaac, Gen. 27. Vox quidem vox Iacob eſt, manus autem, manus ſunt Eſau. [Suum enim eſt, quod auditur: no„ ſtrum, quod videtur, quod loquitur, ſpiritus „ & vita ſunt: quod apparet, mortale & mors. „ Aliud cernitur, aliud creditur. Nigrum ſenſus „ renuntiat, fides candidum & formoſum pro„ bat. Niger reputatione Herodis, formoſus „ confeſſione Latronis; Centurionis fidem ni„ mirùm videns, quia ſic clamans expiraſſet, „ ait: Verè hic homo filius Dei erat. Ergò ad „ vocem credidit: ex voce agnouit filium Dei, „ non ex facie. Erat enim fortaſſe ex ouibus „ eius, de quibus ait: oues meæ vocem meam „ audiunt, &c.] Et ſermone 41. Sponſæ inhianti videndæ ſponſi claritati, obſeruat promiſſas fuiſſe murænulas cant. 1. Quia priùs purgandus eſt oculus: purgatur autem fide, act. 15. ideò dantur nunc murænulæ, aurium ornamenta: & præparatio ad id, quod deſiderat: & pſ. 44. Audi filia & vide. Vis videre, priùs audi: gradus eſt auditus ad viſum. Undè pſ. 50. Auditui meo dabis gaudium & lætitiam, &c.

CAPUT VI.

Fides auctoritate nititur.

HINC eſt quod fides noſtra ſola Dei auctoritate, non humanis rationibus, niti prædicatur. S. Cyprianus in libro de mortalitate, quem legitimum opus Cypr. eſſe, confirmat

Digitized by Google

Sanctus Auguſtinus in Ep. 107. ad Vitalem,& libro de prædeſtinatione Sanctorum cap. 14. Nos ait propterea amare terrena nec ad cœleſtia feſtinare, quia deeſt fides: quia [Nemo „ credit futura eſſe, quæ promittit Deus, qui „ verax eſt: cuius ſermo credentibus æternus, „ & firmus eſt. Si tibi vir grauis & laudabilis „ aliquid polliceretur: haberes utiquè pollicenti „ fidem: nec te falli, ac decipi ab eo crederes: „ quem ſtare in ſermonibus & actibus ſuis ſci- „ res: nunc Deus tecum loquitur, & tu mente „ incredula perfidus fluctuas?] Et in ſermone de Spiritu Sancto, perpendens illa verba, quæ Ex. 8. dixerunt Magi Pharaonis: Digitus Dei eſt hic veterum philoſophorum ſubtilitatem in myſterijs fidei noſtræ caligaſſe oſtendit. „ [Spiritum Sanctum, ait, digitum Dei appel- „ lantes Ægypti Magi antiquis Philoſophis „ eius intimàrunt præſentiam defuiſſe. Et licet „ de Patre & Filio aliqua ſenſiſſent Platonici: „ Spiritus tamen tumidus & humani appetitor „ fauoris ſanctificationem intellectus diuini „ mereri non potuit: & ubi ad profunditatem „ Sacramentorum ventum eſt omnis eorum „ caligauit ſubtilitas: nec potuit infidelitas San- „ ctitudini propinquare.] Et Sanctus Hilarius in primo libro de trinitate. [Reſpuit captioſas „ & inutiles philoſophiæ quæſtiones fides con- „ ſtans: neque humanarum ineptiarum fallacijs „ ſuccumbens, ſpolium ſe præbet veritas falſi- „ tati. Hæc à Deo ultrà naturæ humanæ in- „ telligentiam geſta, non ſuccumbunt rurſum „ naturalibus: mentium ſenſibus quia infinitæ „ æternitatis operatio infinitam metiendi exigit „ opinionem.] Et lib. 3. cum illud Pauli commemoraſſet 1. Cor. 1. nonnè ſtultam fecit Deus ſapientiam huius mundi? tandem concludit. [Nihil igitur in diuinis effectibus hu- „ manæ mentis opinione tractandum eſt; neque „ de Creatore ſuo opificij ipſius materia de- „ cernat, &c. Hoc ſolùm de Deo benè credi „ intelligimus, ad quod de ſe credendum ipſe „ ſibi nobiſcum, & teſtis & auctor exiſtit.] Et lib. 4. Ad Diuinarum rerum cognitionem diuinis utendum eſt doctrinis. [Neque enim „ ſcientiam cœleſtium per ſemet humana „ imbecillitas conſequitur; neque inviſibilium „ intelligentiam ipſe ſibi corporalium ſenſus „ aſſumet. Ipſi de ſe Deo credendum eſt, & ijs „ quam cognitioni noſtræ de ſe tribuit obſe- „ quendum.] Et lib. 5. [Ad Diuinæ ſapientiæ „ intelligentiam humanus ſenſus imprudens, & „ ſecundùm cœleſtē prudentiam ſtultus, &c.] Et rurſum poſt multa. [Non eſt de Deo huma- „ nis iudicijs ſentiendum. Neque enim nobis ea „ natura eſt ut ſe in cœleſtem cognitionem ſuis „ viribus efferat. A Deo diſcendum eſt, quid „ de Deo intelligendum ſit: quia non niſi ſe „ auctore cognoſcitur. Adſit licèt ſæcularis „ doctrinæ elaborata inſtitutio; adſit vitæ inno- „ centia: hæc quidem proficient ad conſcientiæ „ gratulationem; non tamen cognitionem Dei „ conſequentur. Et quæ ſeq.] Et lib. 7. [Non „ relictus eſt hominum eloquijs de Dei rebus „ alius quàm Dei ſermo. Omnia reliqua, & „ arcta, & concluſa, & impedita ſunt, & ob- „ ſcura. Si quis alijs verbis demonſtrare hoc, „ quam quibus à Deo dictum eſt, volet; aut ip- „ ſe non intelligit, aut legentibus non intelli- „ gendum relinquit.] Sancti Ambroſij in orat. de fide reſurrectionis, præclara, & tanto doctore digna ſunt illa verba. [Ego rationem à Chri- „ ſto non exigo: ſi ratione convincor, fidem ab- „ nuo.] Et Sanctus Anſelmus in libro de menſuratione Crucis cap. 4. Paulum à Chriſto vocatum ad fidem obſeruat tribus diebus fuiſſe cœcum, & eo tempore didiciſſe Euangelium. Namque ad Diuina & ſupernaturalia cæcutit mens humana.

CAPUT VII.

Fides rationes non quærit.

Credulitas Chriſtianis obiecta. AB Ethnicis ſcimus credulitatem Chriſtianis aliquando fuiſſe objectam; quod nullis uterentur demonſtrationibus, ſed ſola fide niterentur. Auctor eſt Sanctus Cyprianus in expoſitione ſymboli. [Quaſi, inquit, religio „ noſtra rationibus deſtituta, in ſola credendi „ perſuaſione conſiſtat.] Et ſanctus Athan. in orat. contrà Idola. & Orig. lib. 1. contrà Celſum, Theodoretus lib. p. de curandis Græcorum affectionibus. Sed & Sanctus Hieronymus in Com. ad caput 9. Matthæi Porphyrium teſtatur, Iulianumque apoſtatam reprehendiſſe Chriſti Diſcipulos; qui vocantem ſtatim ſecuti fuerint. Et Sanctus Anſelmus libro 1. Cur Deus homo, cap. 1. chriſtianam ſimplicitatem, quaſi fatuam ab infidelibus dictam fuiſſe affirmat. Verum ut ea omittam, quæ ſapienter reſpondet Hieronymus, pulchrè Theodoretus obijcit illis Pytagoricum illud, αὐτὸς ἔφα; & Platonem quoque Poëtis abſque ullis probationibus credendum eſſe, dixiſſe; aliaque permulta. Quis ergò nos reprehendat; quod credamus Deo primæ veritati, quæ mentiri non poteſt? Et Tertullianus in libro de præſcriptionibus aduerſus Hæreticos cap. 7. [No- „ ſtra, inquit, inſtitutio de porticu Salomonis „ eſt; qui & ipſe tradiderat Sap. 1. Dominum „ in ſimplicitate cordis eſſe quærendum. Et c. „ 8. Nobis curioſitate opus non eſt poſt Chri- „ ſtum Ieſum; nec inquiſitione poſt Euange- „ lium. Cùm credimus, nihil deſideramus ul- „ trà credere. Hoc enim priùs credimus, non „ eſſe quod ultrà credere debeamus.] Uno verbo dici poteſt, fidem noſtram humanæ ſapientiæ non eſſe, neque humanis niti ratiunculis. Quod & iam citati Patres docuerunt; & confirmat

firmat

Digitized by Google

firmat Clemens Alexandrinus in 3. libro pædag. cap. 11. dum ait: [Fidem non ſapientum „ ſecundùm mundum, ſed eorum, qui ſecun- „ dùm Deum ſapientes ſunt, eſſe poſſeſſio- „ nem.] Et Sanctus Athanaſius in ep. ad Serapionem; quâ Spiritum Sanctum oſtendit creaturam non eſſe. [Myſteria, inquit, fidei non hu- „ mana ſapientia, ſed auditione fidei decet com- „ prehendere.] Et rurſùm; [Deitas non de- „ monſtratione rationum traditur; ſed fide & „ pia cogitatione cum religione.] Accommodato utitur argumento S. Gregorius Nyſſenus in libro de vita Moſeos; cauſam huius rei docens eſſe, quod illi plus æquo ſenſibus & carni dediti, ad diuina & ſpiritualia erigere ſeſe non valeant. [Qui enim carni & falſis rebus atten- „ dunt: ijs inane quoddam eſſe videtur eum „ audire, qui eſt. Ait enim Pharao ex. 5. quid „ eſt Dominus, cujus vocem exaudiam? non „ cognoſco Dominum. Solum autem putatur „ honorabile & jucundum, quod terreſtre & „ carnale eſt. Qui verò lucis ſplendore corro- „ boratus eſt: virgam illam in manu retinens, „ fidei videlicet enſem, quo Ægyptiorum ſer- „ pentes confodiet atque vincet.] Et S. Anſelmus in libro de incarnatione Verbi, cap. 1. Fidem pronuntiat noſtris argumentis & defenſionibus non egere. Quæ enim fide creduntur, humanam omnem excedunt rationem: & quæ humanam rationem excedunt, ut habet S. Io. Chryſ. h. 4. in priorem ep. ad Cor. Fide dumtaxat, indigent, non rationibus. [Hu- „ manæ enim rationes, (inquit, idem ipſe in h. „ 5. in epiſtolam ad Coloſſ.) diuellunt & con- „ cutiunt; fides conſolidat & ſtabiles facit. Ne- „ quit enim ſolidè conſiſtere, qui rationes hu- „ manas conſulit & inquirit.] Verè ſapiens in lib. ſap. 9. dixit, cogitationes mortalium timidæ; quæ verba interpretatur Chryſ. in ſermone contrà Anomæos, tom. 5. [Ut enim timidus, „ etiamſi ſecuro loco ambulet, non audet, ſed „ formidat ac trepidat; ita quæ propter rationes „ accepta ſunt, etiamſi vera ſint, nondum ta- „ men ſatis certa argumenta; dignamque fidem „ animæ adferunt.] Sed quid opus pluribus? Audiamus Chriſtum Mat. 16. apertè loquentem Petro; caro & ſanguis non reuelauit tibi; ſed Pater meus, qui eſt in cœlis. Non humanæ rationis partus eſt fides; ſed donum Dei in Sacris Scripturis nobis traditum. Et ideò non rationibus diſputandum, niſi fortè cum infidelibus, qui ſcripturarum teſtimonia & auctoritatem non admittant, quod & aliquando fecit Paulus. Alioquin ſacræ litteræ ſunt conſulendæ, & ex illis veritas colligenda.

Credulitas Christianis obiecta.

CAPUT VIII.

In rebus fidei non quærendum, quomodo.

IAM verò illis, qui nobis credulitatem objecerunt, video Sanctos Patres ſolitos fuiſſe reſpondere; in fidei noſtræ myſterijs curioſitate opus non eſſe, neque magnopere quærendum, quomodo hoc, & quomodo illud? Tertulliani verba in libro de præſcriptionibus cap. 8. audiſti jam cap. 7. Sed, & in libro de anima cap. 1. [Præſtat, inquit, per Deum neſcire, quia non „ revelauerit quam hominem ſcire, quia ipſe „ præſumpſerit.] Et cap. 2. [Chriſtiano ampliùs „ quærere non licet; quam quod inveniri licet. „ Infinitas enim quæſtiones Apoſtolus pro- „ hibet.] Et Origenes h. in librum regnorum; utitur verbis illis Annæ, 1. reg. 2. Nolite multiplicare loqui ſublimia. [Non ut omninò non „ quæras; ſed nè de his multiplices quæſtiones „ ſufficiat tibi ea de illis vel inquiſiuiſſe vel pro- „ loqui; quæ vitam vel inquirentibus vel lo- „ quentibus tribuant.] Et nos omnes fatebimur, initium diſciplinæ, ut loquitur S. Cyrillus Alexandrinus lib. 2. in Io. c. 81. quæſtionem eſſe & prudentem dubitationem radicem cognoſcendi. Quemadmodum Samaritana mulier, Io. 4. quæſiuit ex Chriſto: Quomodo tu Iudæus cum ſis, bibere à me poſcis, quæ ſum mulier Samaritana? At in diuinis rebus, fideique myſterijs, quæ mentem noſtram ſuperant, damnatur curioſitas. Video tamen curioſis iſtis, ac ſciolis hominibus multis modis veteres reſpondiſſe Patres. Primum enim nimiam hanc curioſitatem ad incredulitatem pertinere dixerunt; verbumque illud (Quomodo) infidelium eſſe atque hæreticorum hominum, noſque ad infidelitatem, hæreſimve tandem deducere. Quod intelligi ex illis poteſt, qui Io. 6. audientes Chriſtum de carnis ſuæ manducatione diſſerentem, dixerunt; Quomodo hic poteſt carnem ſuam nobis dare ad manducandum? atque increduli abierunt retrò, & jam non cum illo ambulabant. Sic etiam Ariani irridebant illud; Ego in Patre, & Pater in me eſt; ut actor eſt S. Athan. orat. 4. contrà illos. Quomodo enim, inquiebant, poteſt iſte in illo & ille in iſto recipi? Et quomodo poteſt Pater, cum ſit major, in filio, qui minor eſt, comprehendi? & omninò in orat. 3. hæreticorum verbum eſſe oſtendit; & or. Unum eſſe Chriſtum; In rebus diuinis quærere, quomodo, adducit ad infidelitatem. Et Sanctus Iuſtinus in expoſitione fidei de trinitate. [Manifeſto, inquit, „ inditio ſe prodit incredulitas; quando de Deo „ quærit hac voce, quomodo?] Et S. Gregorius Nazian. in orat. de funere Patris; apud Prophanas animas, ſcribit, nullam rem præclaram invenire poſſe fidem: ſed quod aſſe-

Digitized by Google

qui non poſſunt, incredibile pronuntiare. Confirmat alter Gregorius Nyſſenus in orat. 3. de reſur. [Quoniam, inquit, mens eorum, de „ quibus dubitat & quærit, ſolutionem non „ invenit, neque ſuam curioſitatem inventio- „ ne ac diſſolutione ſedare poteſt; deinceps „ propter infirmitatem ſuarum cogitationum, „ & ſenſuum tendit ad incredulitatem; eijciens „ & reprobans rerum veritatem.] Et Sanctus Ambroſius lib. 3. de Spiritu Sancto ad Gratianum. [Non capiunt fidei magnitudinem „ anguſta impiorum pectora.] Quam ob cauſam Sanctus Cyprianus in expoſitione ſymboli; [Quomodo, inquit, Deus Pater genuerit „ Filium; nolo diſcutias; nè fortè dùm inacceſ- „ ſæ lucis fulgorem pertinaciùs perſcrutaris, „ exiguum ipſum, qui mortalibus diuino mu- „ nere conceſſus eſt, perdas aſpectum.]

Secunda reſponſio fuit S. Hieronymi in Com. ad caput 2. Ionæ. Nam cùm incredibile quibuſdam videretur, tribus diebus & tribus noctibus Ionam in ventre ceti potuiſſe ſeruari, quemadmodùm ſcriptura commemorat; [Aut, inquit, hi fideles ſunt, aut in- „ fideles ſunt; ſi fideles, multò maiora cogen- „ tur credere; tres pueros in camino ignis illæ- „ ſos, mare diuiſum inſtar murorum ſtetiſſe „ rigidum, Danielem à leonibus non deuo- „ ratum, & alia plura. Si verò infideles; legant, „ quindecim libros Naſonis Metamorphoſeos, „ & omnem græcam latinamque hiſtoriam: „ ibique cernent vel Daphnem in laurum, vel „ Phaëtontis ſorores in populos arbores fuiſſe „ conuerſas. Quomodo Iupiter ſit mutatus in „ cygnum, in auro fluxerit, in tauro rapuerit; „ & cætera, in quibus ipſa turpitudo fabularum „ diuinitatis denegat ſanctitatem. Sed cùm „ turpibus credant, potentiaque Dei uniuerſa „ defendant; cur eandem virtutem non tribuunt „ & honeſtis?]

Tertia reſponſio fuit, in memoriam reuocando diuinam omnipotentiam, quæ multò plura efficere, quàm mentis noſtræ infirmitas capere, poſſit. Ità Sanctus Hieronymus in regula Monachorum, cap. de laude religionis; „ [Nihil dicas impoſſibile, ubi eſt virtus altiſſi- „ mi. Nihil de humana fragilitate cogites, ubi „ plenitudo adeſt diuinitatis.] Et S. Dionyſius Areop. in libro de divinis nominibus cap. 3. „ [Quæ ſuprà nos ſunt, nè curioſiùs exquira- „ mus; quod & merita noſtra ſuperent, & com- „ prehendi non poſſint.] S. Baſil. h. de humana Christi generatione; [Taceant curioſi & „ in eccleſia Dei ſupervacanea veſtigare deſi- „ ſtant. Laudentur quæ nobis concredita ſunt; „ & de quibus ratio omninò non redditur, „ nè veſtigentur.] Et S. Irenæus lib. 2. adverſus hæreſes cap. 43. [Si quis non inuenerit „ cauſam omnium; quæ requiruntur; cogitet „ quia homo eſt, in infinitum minor Deo; & „ qui parte acceperit gratiam, & qui nondum „ æqualis, & ſimilis ſit factori, & qui omnium „ experientiam & cogitationem habere non „ poſſit, ut Deus, &c.] Qua de re etiam c. 45. 47. 49. Et S. Athan. in compendio de Spiritu Sancto, cùm Ariani audientes filium Dei eſſe ſapientiam; & ſplendorem, & Verbum Patris; pro conſuetudine ſua dicerent, quomodo hoc poterit eſſe? [Reſpondet, quaſi eſ- „ ſe non poterit, quod ipſi nequeunt intellige- „ re.] Et S. Greg. Nyſſenus orat. 3. de reſur. „ [Non poteſt fieri, non poteſt, ut humanæ „ mentis agitationibus diuina vis in rebus effi- „ ciendis inquirendo explorari, & inveſtigari „ poſſit. Nam ſi omnia à nobis percipi com- „ prehendique poſſent; non præſtaret nobis is „ qui præſtat.] Et S. Cyrillus Alex. lib. 1. in Io. cap. 4. [Nec verbis exprimere, nec mente my- „ ſteria diuina concipere poſſumus: ſuperat „ enim diuina res, & verba & ingenium no- „ ſtrum.] Et lib. 12. c. 53. de Chriſti ingreſſu ad Diſcipulos januis clauſis; [Nullus, ait, quærat „ quomodo januis clauſis corpus Domini pe- „ netrauit; cùm intelligat, non de homine nudo, „ ſed de omnipotente Dei filio, hæc ab Evan- „ geliſta conſcribi. Nam cùm Deus verus ſit, „ rerum naturæ non ſubjacet.] Et S. Euſebius Emiſſ. h. 1. de ſymbolo. [Diuina opera non „ diſcutienda ſunt, ſed credenda. Non te con- „ fundat nec trepidum faciat rerum nouitas; ſed „ ſufficiat tibi omnipotentis auctoritas; & ſit „ pro luce rationis magni potentia conditoris. „ Non cauſeris, ſi non ſubjaceat ſenſui tuo or- „ dinationum cœleſtium magnitudo: excedit „ divini opificij dignitas humanæ mentis an- „ guſtias. Quid ſibi ſpeciale, quid proprium „ reſeruaret comprehenſibilis illa majeſtas; ſi „ ſemper comprehendere poſſet ſapientia ho- „ minum altitudines cœleſtium ſecretorum?] Et h. 2. loquens de Chriſti Natiuitate ex Virgine: [Non ſe obijciat, inquit, ſenſibus tuis no- „ uitas operis, ſed virtus operantis. Nec dicas; „ illud fieri non poteſt; quia qui te magna cre- „ dere juſſit, omnipotens eſt. Diuinis rebus ad- „ miratio adhibenda eſt non credulitas abne- „ ganda. In omnipotentem te credere confir- „ mas, ſed ſi de factis eius dubitas, imbecillita- „ tem omnipotentis accuſas.] Et S. Io. Dam. lib. 4. de fide cap. 14. agens de Euchariſtia: [Si „ quo pacto, inquit, id fiat requiris; ſat tibi ſit „ audire, quod per Spiritum Sanctum id fiat, „ quemadmodum & ex Sancta Dei Matre „ per Spiritum Sanctum Dominus ſibi, & in „ ſe ipſo carnem condidit. Nec quidquam „ ampliùs nobis perſpectum, & exploratum eſt „ quàm quod Verbum Dei verum eſt, & effi- „ cax, atque omnipotens: nam modus eiuſmo- „ di eſt, ut nulla ratione indagari queat.] Solis exemplo utitur Sanctus Hilarius in lib. 10 de trinit. [Si contuentibus, inquit, ſolis claritatem

virtus

Digitized by Google

„ virtus intenti luminis obſtupeſcit; ut ſi quando cauſam radiantis luminis ſolertiùs acies „ curioſæ contemplationis inquirat, uſque ad „ emortuum videndi ſenſum oculorum natura „ revocetur, accidatque intendendo magis „ videre, nè videas, quid nobis in Dei rebus, & „ in ſole iuſtitiæ exſpectandum eſt? Nonnè „ incumbet volentibus ſuperſapere ſtultitia? „ Nonnè illud ipſum acre intelligentiæ lumen, „ ſtupor hebetis diſipientiæ occupabit? Non „ enim natura inferior cauſam naturæ potioris „ intelliget, nec ſubjacet humanæ conceptioni „ ratio cœleſtis. Excedit humanam mentem „ Dei poteſtas; ad quam ſi ſe infirmitas protendat, magis infirma reddetur; dum hoc „ ipſum, quod obtinebat, amittit; potiore ad „ obtundendam eam rerum cœleſtium natura: „ quia omnem ejus conſectantis ſe pervicaciam „ ipſa complexu eius maior infirmat. Ut igitur „ Sol ita videndus eſt, ut poſſit videri; tantuſq; „ excipiendus lumine eſt, quantus admittitur; „ nè ſi plus velimus ſpectare, minus quoque, „ quam poſſumus, conſequamur. Ita & ratio „ cœleſtis in tantum intelligenda eſt, in quantum ſe permittit intelligi; in tantum expetenda eſt, in quantum apprehendendam ſe dedit: nè ſi contenti intelligentiæ moderamine „ non ſimus, amittamus indulta.] Hactenus Hilianus. Sanctus Auguſtinus in ep. 3. ad Voluſianum, paucis verbis, in hiſce rebus ſcripſit totam rationem facti eſſe potentiam facientis. Et in libro de agone Chriſtiano cap. 22. „ [Stulti homines & miſeri, quod ipſi facere „ non poſſunt, etiam ab omnipotente Deo fieri potuiſſe non credunt.] Et ſer. 139. de tempore. [Qui infideliter diſputant, argumentantur contrà animas ſuas, diſputantes contrà potentiam omnipotentis. Deus eſt, qui „ facit, & tu dicis, fieri non poteſt. Paganus „ negare Chriſtum poteſt, negare Omnipotentem Deum non poteſt.] Et ſer. 159. [Si rationem poſcis, non erit mirabile: ſi exemplum „ quæritur, non erit ſingulare.] Et ſer. 181. „ [Non quæramus quomodo, qui Deum quærimus omnipotentem.] Et Petrus Chryſologus ſer. 60. & 61. [Qui dixiſti, credo in Deum „ Patrem omnipotentem; ſi dubitas, mentuitus; ſi dicis, quomodo, non credis, ſed diſcutis; ſi putas impoſſibile; omnipotentiam, „ quam confeſſus es, tollis.]

Quarta reſponſio fuit; in divinis hiſce myſterijs fide opus eſſe, non ratione; credenda illa eſſe, non examinanda aut diſcutienda: Dictum hac de re eſt cap. 6. & rurſùm dicendum. Ac primùm Sancti Athanaſij ſententia in or. 3. contra Arianos. [Qui in „ Deo quærit, quomodo; inſanit; quoniam „ rem ineffabilem, & ſoli Deo cognitam, verbis „ interpretari conatur.] Et in ep. ad Serapionem, quâ Spiritum Sanctum docet creaturam non eſſe. [Myſteria ſcribit fidei, non humana „ ſapientia, ſed auditione fidei comprehendenda eſſe: neque in illis quærendum, quomodo? ſed ex ſacris diſcendum litteris. Deitas „ enim non demonſtratione rationum traditur, „ ſed fide, & pia cogitatione cum religione.] Et S. Iuſtinus in expoſitione fidei de Trinitate: [Si unionis verbi cum carne quæras modum; non pudebit ignorantiam fateri; immò „ gloriabor potiùs, quod credā arcana, quæ nec „ ratio nec mens valet percipere.] Et S. Athan. in oratione, Unum eſſe Chriſtum; [Primùm „ credere oportet & glorificare; & ſecundò in „ ſublimi rationem iſtarum rerum quærere; „ non humi ex ſanguine, & carne; ſed ex revelatione divina, & cœleſti. Nam Chriſtus dixit „ Petro, caro & ſanguis non revelauit tibi; ſed „ Pater meus, qui eſt in Cœlis.] Et in Ep. 2. ad Serapionem, de Spiritu Sancto. [Reſponſio, „ quæ hæreticis maximè congruit, ſilentium „ eſt. In rebus enim fidei non eſt quærendum „ quare ſic, & quare non ſic. Nam quæ fide „ traduntur, cognitionem habent curioſitate „ inſcrutabilem.] Et rurſùm in lib. de unita ſubſtantia Trinitatis. [Memento quia inenarrabilia ſunt quæ credimus; quæ omninò credenda ſunt.] Moyſi quidem certè volenti accedere ut ardentem rubum videret, dictum eſt à Deo; nè appropries hùc, ex. 3. Ac ſi diceret, ut Philo Iudæus interpretatur in libro de profugis. [Nè accedas ad hanc cogitationem. „ Nam huic curioſitati ſatagenti humanæ vires „ non ſufficiunt: ſed facta quidem mirare ſtans; „ de cauſis verò ne ſis ſollicitus. Nam locus, in „ quo ſtas ſanctus eſt: locus inquam ad rationes „ cauſarum pertinens; qui tantum diuinarum „ naturarum eſt.] Et S. Gregorius Nazian. in tractatu de fide; [Deus, cui aſſimilari nihil „ poteſt, ſufficiat credi, quod eſſe ſentitur; quia „ ipſe credi ſe voluit non indicari, nec examinari.] Et orat. de moderatione in diſputationibus ſeruanda; [Satis ſuperq; tibi eſt fundamentum habere; ſufficit tibi cor pane fulcire, obſonia copioſis & locupletibus relinque.] Et Sanctus Baſilius lib. 2. contrà Eunomium; „ [Si cuncta intelligentia noſtra menſurare „ voluerimus; & quod mente non capimus; id „ nihil omninò eſſe putauerimus; amittetur „ profectò fidei, amittetur etiam ſpei remuneratio; quomodò autem erimus beatitudine digni, quæ in rerum inviſibilium fide depoſita eſt; ſi ſolis ijs aſſentimus, quæ intellectui dilucida putamus?] Et lib. 4. [Si quomodo de Deo interrogas; & ubi quoque, ut in „ loco, & quando, ut in tempore, interrogabis, „ quod ſi abſurdum de Deo talia quærere, turpiùs profectò erit non credere.] Nam ut ait S. Io. Chryſ. in orat. aduerſus Calum: quod tres Deos colamus. [His, quæ ſcripta ſunt, crede, „ quæ non ſunt ſcripta, nè quæras.] Et h. 6. in prio-

Digitized by Google

priorem ep. ad Cor: fides eò minor eſt, quò cognitio major. [Quantò certiores, inquit,& „ magis neceſſariæ ſunt res, tantò fides eſt mi- „ nor.]Et paulò poſt; [Quantò certiùs demon- „ ſtratur argumentum, tanto fidei præmio de- „ trahitur. Ea enim demùm eſt fides, quâ quæ „ nulla poſſunt ratione inveniri,recipimus.]In Hebræorum celebratiône Paſchæ præceptum erat Ex. 12. ut agnum comederent, oſſa verò traderent igni. [Quoniam (Sancti Gregorij „ Nyſſeni ſententia in libro de vita Moſeos) „ duo ſunt præceptorum Dei genera; alia,quæ „ facilè intelligantur, & quorum probabilis ra- „ tio reddi poſſit; hæc ut fameſcentes debemus „ comedere: id eſt velociter,& libenter tracta- „ re. Alia latent, nec illorum ratio reddi po- „ teſt: hæc Spiritui Sancto, qui profunda Dei „ ſcrutatur,relinquenda ſunt.]Et Sanctus Cy- rillus Hieroſolymitanus catech. 11. [Quòd „ Deus habeat filium, crede; quomodo autem, „ nè ſis curioſus. Quærens enim non invenies. „ Non extollas te,ne cadas.] Quâ de re loqui- tur quoque hoc modo Sanctus Gregorius Nazian. in orat. de dogmate, & ſtatu Epi- ſcoporum. [Mihi audire ſatis eſt, quod filius „ eſt, & quod ex Patre; tum quod ille Pater „ eſt hic filius. Nihil prætereà inveſtigandum „ anxièque perſcrutandum mihi duco; nè mihi „ idem, quod vocibus accidat; quæ immodi- „ ca contentione & erectione omninò colla- „ buntur; aut idem quod oculis aduerſus ſolis „ radios intuentibus. (Quod ex Hilario non multo ante pluribus explicatum eſt.) Audis „ generationem,modum ne curioſus inquiras: „ audis Spiritum ex Patre procedere: Id quo- „ modo fiat, ne ſollicitè perſcruteris: &c.]Et rurſùm in or. 3. de Theologia; [Dei genera- „ tio ſilentij honore decoretur. Abundè ma- „ gnum tibi eſt, ſcire eum genitum eſſe: quo „ autem modo genitus ſit,nè ipſis quidem An- „ gelis, nedùm tibi intelligere conceſſerim. „ Vis declarem quomodo? ut ſcit Pater, qui „ genuit, & filius qui genitus eſt. Quod ſuprà „ hæc eſt, nube obtegitur animique tui cæcu- „ tientiam fugit.] Et iterùm orat 5. [Quæ eſt „ hæc proceſſio, inquies? dic tu, quæ Patris „ ingenitura ſit, & ego filij generationem, & „ ſpiritus proceſſionem explicare aggrediar; ut „ ambo mentis veſania præcipites agamur, in „ Dei myſteria oculos inijcientes. Nempè qui „ nè ea quidem,quæ antè pedes ſunt,nè arenam „ maris,aut pluviæ guttas &c.] Et Sanctus Io. „ Damaſc. lib. 4. de fide cap. 12. [Divinæ res „ omnes, & naturam,& ſermonem,& cogita- „ tionem ſuperant.] Et in hiſtoria Barlaãm & „ & Ioſaphat cap. 19. [Quæ divinitùs nobis à „ ſcriptura ſancta dicta ſunt, fide tenere doce- „ mur:modum autem neſcimus,nec exponere „ poſſumus.] Et Cyrillus Alexand.lib.3.in Io. „ c. 15. [Nihil ſupernaturalium comprehen- „ dere certiùs poſſumus; ſed credimus, nulla „ tenentes principia, undè illa colligere quea- „ mus. Credendo igitur, non quærendo, iſta „ comprehenduntur. Et,ut laudatur,qui credit; „ ità culpa non caret, qui dubitat; & quæ ſeq.] Et lib. 4.c.14. priùs credendum eſſe oſtendit; deindè quærendum, quomodò? Nam ideò Chriſtus Iudæis quærentibus, quomodo poſſet dare carnem ſuam ad manducandum,noluit eos docere modum; quia non credebant, & prop- tereà non poterant intelligere. Sic enim Iſaias dixit c. 7. ſi non credideritis, non intelligetis. Et lib. 2.dialogorum de Trinitate; [Opinor id, „ quod fide ſuſceptum eſt, non ulteriùs inve- „ ſtigationibus audaculis inquirendum.Etenim „ quod ultrà inquiritur,non eſt fides.] Hacte- nùs ex GræcisPatribus ſatis.Iam audiamus La- tinos. Tertullianus in lib. de baptiſmo cap. „ 2. [Fidei myſteria eò magis credenda, quò „ magis miranda, & minùs intelliguntur. „ Qualia enim decet eſſe opera divina, niſi „ ſuper omnem admirationem? Nos mira- „ mur, ſed quia credimus; incredulitas mi- „ ratur, non credit.] De Sancto Hilario ſa- tis multa habes in ſuperioribus; ſed & ad- de illud in lib. 10. de trin.[Pietas enim eſt non „ ambigere, & juſtitia eſt credere, & ſalus eſt „ confiteri. In ſimplicitate fides eſt,in fide ju- „ ſtitia, in confeſſione pietas.] Et in lib. 12. „ [Religioſa eſt fides, ubi eſt etiam naturalis „ inſcitia.] S.Ambroſius ſub finem lib.4.Com. in Lucam; [Non licet mihi ſcire, quomodo „ natus ſit; non licet tamen neſcire quod na- „ tus. Si Deo non credimus, cui credemus?] Et lib. 6. [Non licet mihi ſcire generatiônis „ ſeriem, non licet tamen neſcire generatio- „ nis fidem. Crede igitur, & tu quemadmo- „ dum Petrus credidit; ut & tu beatus ſis.] Et iterùm lib. 1. de fide ad Gratiânum c. 5. [Li- „ cet ſcire quod natus ſit; non licet diſcutere „ quemadmodum natus ſit. Illud negare non „ licet, hoc quærere metus eſt.] Et iterùm; „ [Credere tibi juſſum eſt, & non diſcutere permiſſum.] Et in or. de fide Reſurrectionis; „ [Ego rationem à Chriſto non exigo;ſi ratio- „ ne convincor,fidem abnuo.] Et lib. 1.de vo- catione omnium gentium cap. 7. [Quæ Deus „ occulta eſſe voluit, non ſunt ſcrutanda:quæ „ autem manifeſta fecit, non ſunt neganda: nè „ & in illis illicitè curioſi,& in iſtis damnabili- „ ter inveniamur ingrati.] Et lib. 3. de Spiritu Sancto ad Gratianum c.22. [Deum laudato,nè „ diſcute. Seraphin indefeſſis vocibus laudant, „ & tu diſcutis? oſtendunt nobis non aliquan- „ dò diſcutiendum Deùm,ſed ſemper eſſe lau- „ dandum.] Si autem propterea putes negan- dum iſta eſſe, quia ea non vales cœcis menti- bus cernere; [Debent (inquit, Sanctus Au- „ guſtinus in extremo lib. 12. de trin.)& illi, „ qui ex nativitate ſua cœci ſunt, eſſe ſolem nega-

„ negare.] Sed in ſermone 181. de tempore, dum Apoſtolorum ſymbolum interpretatur; illius principium, ait fuiſſe credo: quoniam Dominus non jubet nos diſcutere, ſed credere; non rationem requirere, ſed fidem ſimpliciter & immobiliter exhibere. Et libro 9. de trin. c. 1. [De credendis, ait, nulla infidelitate dubitemus, de intelligendis nulla temeritate affirmemus: in illis auctoritas tenenda eſt, in his veritas exquirenda.] Sanctus Gregorius Papa h. 20. in Ezech. [Divinæ virtutis myſteria, quæ comprehendi non poſſunt, non intellectu diſcutienda ſunt, ſed fide veneranda, quidquid enim ratione hominis comprehendi poteſt, mirum jam eſſe non poteſt.] Et h. 22. in Evangel. illud, quod de Paſchali agno præcepit olim Deus exod. 12. ſi quid reſiduum fuerit, igne comburetis; tunc fieri aſſerit, quando, quod de his myſterijs intelligere non valemus, poteſtati ſancti Spiritus reſervantes, humiliter credimus. Et hom. 26. [Divina, inquit, operatio, ſi ratione comprehenditur, non eſt admirabilis; nec fides habet meritum, ubi humana ratio præbet exprimentum.] Et Sanctus Leo Papa ſerm. 7. de Nativitate Domini; [Cùm ad intelligendum ſacramentum Nativitatis Chriſti, quâ ex Virgine Matre eſt ortus accedimus; abigatur procùl terrenarum caligo rationum, & ab illuminato fidei oculo ſapientiæ fumus abſcedat. Diuina eſt enim auctoritas, cui credimus; diuina eſt doctrina, quam ſequimur.] Et S. Proſper lib. 1. de vita contemplativa c. 19. [Non fides ex intellectu, ſed ex fide intellectus exiſtit: nec qui intelligit, credit, ſed qui credit, intelligit.] Et S. Maximus Taurinenſis h. 1. in Natali Domini; [Qui opera Dei magis vult examinare, quàm credere; non ſequitur animæ ſenſum, ſed carnis errorem.] Et Lactant. in libro de origine erroris c. 7. [Majoribus noſtris, etiam nulla ratione reddita rationis eſt credere ſi credis, cur rationem requiris, quæ poteſt efficere nè credas? ſi verò rationem requiris, & quærendam putas; ergò non credis; ideò enim quæris, ut eam ſequaris, cùm inveneris.] Et in libro de divino præmio cap. 23. de Reſur. loquens. [Nemo, ait, quærat, quemadmodum fieri poſſit. Nec enim divinorum operum reddi poteſt ratio. Sed ſi à principio Deus hominem neſcio quo inenarrabili modo inſtituit; credamus ab eodem reſtitui veterem poſſe, qui novum fecit.] Et S. Petrus Chryſologus ſer. 58. [Qui fidem quærit, rationem non quærit.] Et ſer. 59. [Diſcutere non licet; credere convenit, non convenit perſcrutari &c.] Et ſer. 62. [Qui interrogas, fidem denegas. Si enim credis, undè venit quomodo? Quomodo, ſermo dubitantis eſt, non credentis.] Et ſer. 141. [Nè minima quidem operum Dei aſſequi poteris ſine fide.. Sed tu hic totum vis de ratione conſtare, ubi totum conſiſtit ex fide: quod tamen non ſine ratione ſubſiſtit; ſed ratione Dei, non tua, homo.] & S. Bern. Ep. 189. ad Innocentium Papam; [Indignam rationem fidei humanis committi ratiunculis agitandam; quàm tam certa ac ſtabili veritate conſtat eſſe ſubnixam.] Et Ep. 190. ad eundem, [Quid magis contrà fidem, quàm credere nolle, quidquid non poſſit ratione attingere?] Denique nè longiorem faciam ſermonem; Ioan. Caſſianus lib. 1. de Incarnatione cap. 5. [Noſtrum, inquit, eſt credere, Dei noſſe.] Et libro 4. c. 2. [Æquum eſt ut de agnitione illius ipſi credamus; cujus totum eſt, quod de eo novimus. &c.] [Rationem dicti quæris? non reddo: Deus hoc dixit; Verbum illius ſumma ratio eſt, ſola mihi ad credulitatem ſufficit perſona dicentis. Quid mihi quærere, quomodo verum ſit, quod Deus dixit; cum dubitare non debeam, quin verum ſit, quod Deus dixerit?] Et rurſùm lib. 5. c. 1. [Si quid in hac re per hominis opus actum eſt humanas quære rationes, ſi autem totum, quod actum eſt, Dei virtus eſt; quid impoſſibilitatem ſpectas humanam, ubi efficientiam vides eſſe divinā.] Loquitur ſanè de Incarnationis myſterio; ſed de cæteris idem dici poteſt: atq; ad Dei omnipotentiam provocat, de qua anteà dictum eſt.

Quinta reſponſio fuit; Modum hunc divinorum myſteriorum, quem Deus noluit nobis indicare; nec à nobis oportuiſſe ſciri. Tertull. verò in libro de anima c. 1. dixit præſtare per Deum neſcire, quàm per hominem ſcire. Et S. Ambr. in lib. de Incarnationis Dominicæ Sacramento c. 3. [Ne quærite hujuſmodi naturam; neſcio multò melius, hoc quàm ſcio. Hoc ſolum benè ſcio, quod neſcio, quæ ſcire non poſſum. Quod vidimus, quod audiuimus, dixit Io. in priorem Ep. c. 1. Ioannes hoc ſolum benè ſcire ſe dixit, quod audiuit, illi ſatis eſt audiſſe mihi non eſt ſatis?] Et Lactantius in lib. de origine erroris cap. 12. paucis verbis reſpondit; [Quomodò id fecerit, ſi nos oporteret ſcire, docuiſſet, ſicut docuit cætera, quæ neceſſaria & utilia nobis erant futura. Immò verò, & ad meritum fidei, & ad humilitatem noſtram & ad dignitatem rerum, ſatius fuit ignorare. Undè illud Auguſtini dictum; ſi ratio quæritur non eſt mirabile.]

Sexta reſponſio fuit; nil eſſe mirum, neque nos dolere poſſe; ſi divinorum myſteriorum modum non aſſequamur; cùm in rebus creatis, & verò in nobis ipſis, plurima non intelligamus. Hoc in expoſitione ſymboli multis perſequitur S. Cyprianus, & S. Hilar. in 2. de Trinit. libro; quo loco agens de æterna filij generatione. [Ceſſet, inquit dolor quærelarum. Nonnè æquanimiter ignorabis Creatoris nativitatem, ignorans originem creaturæ?

„ ræ? ſentiſti te genitum, & quæ ex te generantur intelligis?] Hæc ſi potes enarra. „ [Æquanimiter imperitus in tuis inſolenter „ in Dei rebus ignarus.]Quod etiam repetit in libro contrà Conſtantium Auguſtum jam vitâ functum. Et S. Ioan. quoque Chryſ. h. 4. in priorem Ep. ad Cor. in natura etiam objicit eſſe multa, quorum ratio reddi non poteſt. Et Sanctus Cyrillus Alexandrinus de Incarnatione Unigeniti c. 7. [Nihil mirum, ſi in hujuſmodi cogitatione vincamur, cum res noſtras, „ quomodo ſe habeant inquirentes, ultrà modum noſtræ mentis inventionem eſſe confiteamur.] Et S. Anſelmus in lib. de incarnatione verbi c. 2. [Cujus, inquit, mens obſcura „ eſt ad diſcernendum inter equum ſuum & „ colorem ejus; qualiter diſcernet inter unum „ Deum & plures relationes ejus?] Et S. Gregorius Nazian. in orat. de dogmate, & ſtatu Epiſcoporum. [Audis generationem; modum „ nè curioſius inquiras: audis Spiritum ex Pa„ tre procedere; id quomodo fiat nè ſollicitè „ perſcruteris. Si te ipſum non noſti, quiſquis „ es; qui de his rebus diſputas; ſi hæc nondum „ intellectu comprehendiſti quorum ſenſus ip„ ſe teſtis eſt quo tandem modo, quid & quan„ tus ſit Deus, te certò tenere, & ſcire arbitra„ ris? magnæ profectò eſt ſtultitiæ &c.] Et in orat. 5. de Theologia, agens de filij generatione, ad eundem modum loquitur. [Quæ eſt hæc „ proceſſio? inquies. Dic tu, quæ Patris in„ genitura ſit. & ego filij generationem, & ſpi„ ritus proceſſionem explicare aggrediar: ut „ ambo mentis veſania præcipites agamur in „ Dei myſteria oculos injicientes. Nempè qui „ nè ea quidem, quæ antè pedes ſunt nè are„ nam maris aut pluviæ guttas numerare poſſi„ mus &c.] Et S. Auguſtinus pluribus in locis profert in natura omnia eſſe admiranda; quæ non conſiderata vileſcunt, & tamen vix aut nè vix quidem eorum ratio reddi poteſt: ut in Ep. 3. ad Voluſianum, & lib. 3. de Trin. c. 2. 5. & 6. & lib. 21. de Ciuit. Dei c. 4. & 5. & in pſ. 110. & tract. 8. & 9. & 24. in Ioan. & in libro 50. homiliarum; h. 32.

Septimò reſponderunt, quò obſcuriora ſunt noſtra myſteria, eò magis ſunt veneranda & credenda. Ita Tertullianus in lib. de bapt. c. 2. „ [Fidei myſteria eò magis credenda, quò ma„ gis miranda, & minùs intelliguntur qualia „ enim decet eſſe opera diuina, niſi ſuper om„ nem admirationem?] Et S. Anſel. in libro de Incarnat. Verbi c. 2. [Si poteſt intelligere; „ Deo gratias agat: ſi non poteſt, non immit„ tat cornua ad ventilandum, ſed ſubmittat „ caput ad venerandum. Citiùs enim poteſt „ in ſe confidens humana ſapientia impingen„ do cornua evellere, quàm immittendo petram „ hanc evellere.] Et S. Nazian. in ora. de pauperum amore; [Quò aſſequutu difficiliora, eò „ majorem ſui admirationem mouent.] Et S. Euſeb. Emiſſ. hom. 1. de ſymbolo; [Quiſquis „ es, qui obſcurorum profunda, non fide, ſed cu„ rioſitate rimaris; hoc potiùs inſinua cordi tuo, „ ut diuinas diſputationes, quantò difficilius in„ veſtigare te videris, tantò reverentius admi„ reris. Quid haberent ſuperna prætioſum, ſi „ noſtræ familiariter ſcientiæ ſubjacerent? Et „ ideò quantò minùs capis operis intellectum, „ tantò magis diſpenſationis, mirare conſilium.] Et S. Maximus Taurinenſis h. 5. in Natali Domini: [Eò magis nobis Chriſti ſunt „ veneranda myſteria, quò magnitudine ſui ca„ pacitatem ingenij mortalis excedunt.]

Poſtrema reſponſio fuit; curioſitatem in omnibus rebus vitioſam eſſe, in divinis ſtultiſſimam. Audiſti in 4. reſponſione S. Athanaſium inſaniam appellantem: & poſteà S. Nazianzeni verba duobus in locis; ſed & Cyrillus Alexandrinus de incarnatione tractans in libro de recta fide ad Theodoſium, ſic habet. [Non „ eſt ſine periculo curioſiùs exquirere ea, qui„ bus minùs aſſuevimus: ſtultiſſimum autem „ omninò examini ſubijcere ea, quæ mentem „ noſtram tranſcendunt; & tentare quæ intelli„ gere impoſſibile eſt.] Et S. Hilarius in lib. contrà Conſtantium jam vitâ functum; „ [Stultum eſt calumniam in eo inquiſitionis „ intendere, in quo comprehendi id, undè quæ„ ritur, per naturam ſuam non poteſt.] Et S. Ambroſius lib. 5. de fide ad Gratianum cap. 9. „ [Ve miſero mihi; Impiè diſcutere audemus, „ quem dignè rogare non poſſumus.]

CAPUT IX.

Fidei quæſtiones ad Eccleſiam referendæ.

QUOD ſi quid dubitetur; ad Chriſti Vicarium, & Petri ſucceſſorem, cujus eſt judicare, quæſtiones omnes fidei referantur, ut in ep. 98. habet S. Leo, S. Gregorius libro 4. regiſtri cap. 95. Cyrillus Alexand. ep. 18. ac cæteri Patres. Origenes autem h. 4. in Levit. tractans illa verba (quod autem ſuperfuerit ex ijs, manducabit Aäron & filij ejus) ità interpretatur: [Ut ſi quid ſuperaverit, & ex„ ceſſerit intellectum tuum, ſerues Aäroni, hoc „ eſt Sacerdoti, & reſerues Doctori; ut ipſe „ hæc manducet, ipſe diſcutiat, ipſe exponat. „ Sicut, & alibi Moyſes dicit; Interroga Patrem „ tuum & annuntiabit tibi. Ipſe enim ſcit, quo„ modo hæc azyma debeant manducari, & in „ azymis ſinceritatis & veritatis exponi.] Magiſtratibus ſæcularibus, aut Principibus non permittitur in cauſas religionis, ac fidei ſeſe intrudere; ſed & ipſi, cùm ſint eccleſiæ filij, conſulant Patres. Nam ſi de nullo Epiſcopi negotio ſcribit S. Ambroſius in epiſt. ad Marcellum, fuiſſe permiſſum præfecto Provinciæ judi-

judicare quantò minùs de quæſtionibus fidei? Immò ad Imperatorem Theodoſium idem ipſe ſcribit, ut Epiſcopos conſulat. [Si de „ cauſis, inquit, pecuniarijs Comites tuos con„ ſulis; quantò magis in cauſa religionis, Sa„ cerdotes Domini æquum eſt, conſulas?] Et rurſùm ad eundem; Theodoſij legem commemorat; nè cauſæ fidei, vel Eccleſiaſticæ perſonæ à Laicis judicentur: ſed Sacerdotes de Sacerdotibus judicent, & Epiſcopi de Epiſcopo. Et iterùm; [De fide non in conſiſtorio „ agatur, ſed in Eccleſia inter Epiſcopos.] & in or. in Auxentium, de baſilicis tradendis; „ [Si in conſiſtorio non ſolet Chriſtus reus „ eſſe, ſed judex: cauſæ fidei in Eccleſia agen„ dæ ſunt.] Et rurſùs; [Quid honorificentius, „ quàm ut Imperator Eccleſiæ filius dicatur? „ Imperator enim bonus intrà Eccleſiam, non „ ſuprà Eccleſiam eſt.] Et in Ep. ad Marcellinam ſororem, cùm Imperatoris verbis juberetur tradere baſilicam; liberè reſpondit; [Noli „ te grauare Imperator; ut putes te in ea, quæ „ divina ſunt, imperiale aliquod jus habere. „ Noli te extollere: ſed ſi vis diutiùs impera„ re, eſto Deo ſubditus. Ad Imperatorem pa„ latia pertinent, ad Sacerdotem Eccleſiæ. Pu„ blicorum tibi mœnium jus commiſſum eſt, „ non ſacrorum.] Et S. Bernardus Ep. 188. ad Innocentium Papam. [Ad Romanam ſedem „ referuntur quæſtiones fidei; injuriæ, & pro„ bra patrum.] Hoc ipſum agit Theodoretus libro 4. Hiſt. Eccleſ. c. 8. non debere Imperatores, & Principes ſæculares in rebus fidei ſe immiſcere, ſed eas Epiſcopis relinquere; illorumque ſententiæ ſtare. Et S. Ioan. Damaſc. or. 1. de imaginibus; [Regio non cedimus „ imperio, Patrum conanti evertere conſuetu„ dinem. Neque enim piorum eſt Regum Ec„ cleſiaſtica inſtituta convellere. His de rebus „ ſtatuere non ad Reges pertinet, ſed ad con„ cilia: ligandi, ſolvendique poteſtatem non „ Regibus, ſed Apoſtolis, & eorum ſucceſſo„ ribus, & Paſtoribus Chriſtus dedit.] Et rurſùm orat. 2. [Regum partes non ſunt, ut Ec„ cleſiæ leges præſcribant. Regum eſt ciuilis „ adminiſtratio; Eccleſiaſtica verò inſtitutio, „ Paſtorum atque doctorum. Paremus tibi, „ Rex, in ijs, quæ ad vitæ civilis negotia per„ tinent; At in Eccleſiaſticis rebus ſtatuendis, „ ac decernendis, habemus paſtores, qui nobis „ loquuti ſunt verbum, & leges, atque inſtitu„ ta Eccleſiaſtica tradiderunt.] Et rurſùm; „ [Non ſuſcipio Regem ſibi per impotentiam „ Sacerdotium vindicantem. Non Regijs re„ gulis, ſed patrijs inſtitutis, tàm ſcriptis, quàm „ non ſcriptis, Eccleſiam cenſeo conſtitui, & „ gubernari oportere.]

CAPUT X.

Fides non ſeruiat ſtatui.

NEQVE committendum (quod in principibus hiſce maximè verendum eſſet) ut fides, ac religio ſæculari, ac temporali ſeruiat ſtatui; cùm hic magis illi ſeruire debeat. Non enim diuina humanis, temporalibus æterna, & terrenis cœleſtia; ſed contrà potius, æquum eſt famulari; quod & prudentia docet, & ordinata ſuadet charitas. Tunc ſcribit Sanctus Leo Epiſt. 7. ad Theodoſium. [Eſt „ optimus regni ſtatus, quando ſempiternæ „ Trinitati unius Deitatis confeſſione ſerui„ tur.] Et Ep. 31. ad Pulcheriam. [Res hu„ manæ aliter tutæ eſſe non poſſunt, niſi quæ „ ad divinam confeſſionem pertinent, & regia, „ & Sacerdotalis defendat auctoritas.] Et Ep. 33. rurſùm ad Theodoſium. [Veſtro Imperio „ profuturum eſt, ſi unus Deus, una fides, una „ totius mundi confeſſione teneatur.] Et Ep. 43. Martiano Imperatori de indicenda Synodo ſollicito ſcribit his verbis. [Pio ſtudio hu„ manis negotijs diuina præpoſitis, & ratio„ nabiliter, ac religioſè regni veſtri viribus cre„ ditis profuturum; ſi nulla ſit in Sacerdotibus „ ſenſibus diſſonantia, nulla ſit in Evangelij „ prædicatione diſcordia.] Et Ep. 75. Ita Leonem Imperatorem alloquitur: [Debes aduer„ tere, regiam poteſtatem tibi non ſolùm ad „ mundi regimen, ſed maximè ad Eccleſiæ „ præſidium eſſe collatam.] Et S. Gregorius Nazian. orat. 1. in Iulianum; ſimul cum fide Chriſti Imperium quoquè creuiſſe admonuit; tantopere temporali ſtatui prodeſt religio rectaque fides. His enim verbis eſt apud ipſum. „ [Cum Chriſtianorum rebus Romanorum ſi„ mul increverunt, ſimulque cum adventu „ Chriſti Imperium ingreſſum eſt; cùm non„ dum prius hoc eviciſſet, ut in unius principa„ tum planè deveniret.]

CAPUT XI.

Vna & eadem ſemper fides.

FUIT autem omnibus temporibus fides Chriſti neceſſaria, una ſemper & eadem fides, quâ ſalutem æternam conſequuti ſunt, quotquot eam ſunt conſequuti ſive in lege naturæ, ſive ſcripta, ſive gratiæ. Eadem enim ſemper viguit fides, tùm apud veteres Patres, qui in Chriſtum venturum crediderunt; tùm apud nos, qui jam veniſſe credimus. Ità docuit Petrus Act. 4. Non eſt, inquit, in alio aliqua ſalus; nec aliud nomen eſt ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri, & Paulus prima Tim. 2. Unus eſt Deus: unus

Digitized by Google

unus & mediator Dei, & hominum, homo Chriſtus Ieſus; qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus. Et in 1. Cor. 15. Sicut in Adam omnes moriuntur, ità & in Chriſto omnes viuificabuntur: per unum hominem mors, & per unum reſurrectio mortuorum: & 2. Cor. 4. Habentes eundem Spiritum fidei, ſicut ſcriptum eſt; credidi, propter quod loquutus ſum, & nos credimus. Quo loco S. Anſelmus in Com. [Eadem, inquit, fides incar-„ nationis Chriſti ſalvavit eos, quâ & nos ſal-„ vantur. Quia ſicuti nos credimus, eum ve-„ niſſe, paſſum eſſe, reſurrexiſſe; ità & illi cre-„ diderunt venturum, paſſurum, reſurrectu-„ rum. Tempora variata ſunt, non fides.] Et S. Auguſtinus ep. 89. ad Hilarium; [Eadem „ fides Chriſti & veterum Patrum & noſtra.] Et in libro de patientia c. 21. [Antiqui per fi-„ dem Chriſti juſtificati, hoc credentes futu-„ rum, quod nos credimus factum.] Et in Com. ad cap. 3. ep. ad Gal. [Quod nos credi-„ mus præteritum, antiqui crediderunt futu-„ rum; Et hac fide ſalvati ſunt.] Et libro 18. de ciuit Dei cap. 47. [Eadem fides Chriſti & „ Patribus reuelata & nobis.] Et lib. 1. de peccatorum meritis & remiſs. cap. 11. [Per Chri-„ ſti gratiam ſalvati veteres Patres.] Et libro de natura & gratia cap. 44. [Eadem fides Chri-„ ſti ſalvauit antiquos, & nos.] Sed ex inſtituto de hac re tractat in libro de peccato originali contrà Pelagium, & Celeſtium c. 24. 25. & 26. ac demùm in primo libro retract. cap. 13. „ [Chriſtiana, inquit, religio & fides fuit ab „ initio mundi & apud antiquos, nec defuit „ unquam.] Et in ep. 49. ad Deo gratias q. 2. Cùm Porphyrius Chriſtianis obijceret; ſi Chriſtus eſt ſalutis via; quid actum eſt tot ſæculis antè ipſum? nunquid omnes ſine remedio perierunt? Reſpondet primum idem quæri poſſe de Dijs gentium, quorum religio certis temporibus eſt inſtituta. Deindè nil intereſſe affirmat, ſi pro temporum diverſitate ſunt diverſa ſacramenta; modò quod colitur, ſanctum ſit: ſicut nec linguarum diuerſitas; ſi quod dicitur, verum eſt. Chriſtus autem Verbum & filius Dei, ſemper fuit apud Patrem, & apud homines fuit ſemper illius cultus: licèt ſub diverſis ſacramentis. Et qui in eum credentes, piè vixerunt, omni tempore ſaluati ſunt. Immò verò non ſolùm apud Hebræos, ſed etiam inter gentes fuiſſe ſemper aliquos in Chriſtum credentes, quamvis in eorum non legatur libris. Undè in ep. 56. ad Dioſcorum; [Totum ſcribit „ culmen auctoritatis, lumenque rationis, in il-„ lo uno ſalutari nomine Chriſti, atque in una „ ejus Eccleſia, recreando ac reformando hu-„ mano generi conſtitutum eſt.] Et in libro de catechizandis rudibus c. 19. [Quemadmo-„ dum inter Patriarchas ad hujus rei ſignum „ manu præmiſſa nati ſunt nonnulli; Gen. 25. „ Ità omnes ſancti, qui antè Chriſti Natiuita-„ tem in terris fuerunt, quamvis antè nati ſunt, „ tamen univerſo corpori eccleſiæ, cujus ille „ caput eſt, ſub capite cohæſerunt.] Quod etiam habet conc. 2. in pſ. 36. & libro 3. contrà duas epiſtolas Pelagianorum c. 4. Veteres illos ſanctos noui teſtamenti filios appellat; quia eadem Chriſti fide vixerunt: & illos quidem re ipſa Chriſtianos, nos autem etiam nomine. Eadem fuit Sancto Gregorio Papæ ſententia hom. 17. in Ezechiëlem. Eadem Sancto Leoni Papæ in ſer. 1. & 13. de paſſione Domini, & in ſer. 3. de natiuitate, ità loquitur. [Fi-„ des, quâ viuimus, nullâ fuit ætate diuerſa. „ Verbi incarnatio hæc contulit facienda, quæ „ facta; & ſacramentum ſalutis humanæ in nulla „ unquam antiquitate ceſſauit.] Propterea veteres Patres, addit, conqueri non debere, ſi Chriſtus citiùs non venit, &c. Et S. Ambr. in ep. ad Horontianum. [Ea, inquit, eſt ſola fi-„ des, quæ eſt in Euangelio: nam licèt juſti-„ tia Dei in eo reueletur, quæ eſt ex fide in „ fidem; tamen ſic illa legis eſt fides, ſi ei ac-„ cedat fidei plenitudo. Meritò ergò fides iſta, „ quaſi ſola dicitur; quia illa ſine hac fides non „ eſt, ſed in hac confirmatur.] S. Iuſtinus in apologia pro Chriſtianis ad ſenatum. Chriſtum affirmat, ne Socrati quidem fuiſſe prorſus ignotum. Et apologia 2. ad Antoninum Pium. „ [Qui cum ratione vixerunt, Chriſtiani ſunt; „ etiamſi non nouiſſe Deum exiſtimati ſint. „ Quales apud Græcos Socrates, Heraclitus, „ alijque ſimiles: apud Barbaros, hoc eſt He-„ bræos, Abraham, Ananias, Azarias, Miſaël, „ Elias, &c.] Et S. Cyrillus Alexandrinus lib. 10. in Io. c. 23. hanc ob cauſam Chriſti fidem ſcripſit juſtitia legali antiquiorem fuiſſe. Et S. Epiph. hær. 1. jam ab initio mundi principium habuiſſe. Quod ex Auguſtino quoque paulò antè dictum eſt.

CAPUT XII.

Credere Deum, Deo, & in Deum.

SED in libro 83. qq. q. 48. tria credibilium genera proponit. Alia quæ ſemper creduntur, & nunquam intelliguntur; qualia ſunt ea, quæ in hiſtorijs de temporalibus, & humanis geſtis continentur. Alia, quæ & creduntur, & intelliguntur, nempè ea omnia, quæ humanis rationibus concluſa in humanis ſcientijs, a diſciplinis habentur. Alia demùm, quæ primum creduntur, & poſt intelliguntur. Duo priora genera ad humanam fidem pertinent; tertium hoc ad diuinam, de qua nunc eſt nobis ſermo. Ea enim continet, quæ ad Deum & divina, æternamque vitam ſpectant, & quæ a Deo nobis ſunt revelata, quæ nunc quidem credimus, & non intelli-

telligimus, ſed in beata Patria pro captu noſtro intelligemus, videntes & non ampliùs credentes. Rurſùm cùm de rerum diuinarum fide agimus, intelligere oportet, aliud eſſe credere Deum, aliud credere Deo, aliud credere in Deum; quod in ſymbolo dicimus; Credo in Deum Patrem omnipotentem, & in Iesvm Christvm ejus filium; & in Spiritum Sanctum Dominum &c. Quæ omnia explicare melius non poſſum, quam verbis Sancti Auguſtini in ſermone 181. de tempore. [Credere, inquit, Deo, eſt credere vera eſſe, quæ loquitur; credere Deum, eſt credere, quia ipſe eſt Deus; credere in Deum, eſt diligere illum; credere vera eſſe, quæ loquitur, multi & mali poſſunt, credunt enim eſſe vera, ſed nolunt ea facere ſua, credere autem ipſum eſſe Deum, & Dæmones poſſunt, credere verò in Deum, ſoli nouerunt, qui diligunt illum, qui non ſolùm nomine Chriſtiani ſunt, ſed, & factis & vita; quia ſine dilectione fides inanis eſt; cum dilectione, fides Chriſtiani; ſine dilectione, fides Dæmonum.] Ita triplicem diſtinguimus fidem; Unam Dæmonum, qui Deum eſſe fatentur: nam hoc & Dæmones credunt & contremiſcunt, ut c.2. dixit Iacobus: & Luc.4. exibant dæmonia à multis clamantia & dicentia; Quia tu es filius Dei. Aliam malorum Chriſtianorum, qui Deo etiam reuelanti credunt; ſed ea non faciunt, quæ ipſe præcepit. Hæc eſt etiam fides hæreticorum, qui ſolam fidem abſque operibus bonis putant ad ſalutem ſufficere: & adhuc multò deterior fide malorum Chriſtianorum; quod hi omnia, quæ à Deo dicuntur, credunt; illi multa pernegant, ea ſolùm credentes, quæ volunt, non diuina fide, ſed humana perſuaſione admittentes. Si enim diuina fide dicenti Deo crederent, omnia crederent. Tertia eſt fides bonorum Chriſtianorum; qui non ſolùm Deo, ſed etiam in Deum credunt; ſeruantes ejus præcepta, atque in eum per ſpem & dilectionem tendentes. Atque hæc eſt fides viua, quæ per dilectionem operatur; de quo pòſt dicetur. Interim hoc loco monebo, non eo tantùm loco, ſed alibi ſæpiùs Auguſtinum eodem modo expoſuiſſe eandem ſententiam, credere Deum, Deo, & in Deum. Nam in extremo lib.18.de ciuit. Dei. [Non credimus, inquit, in Petrum, ſed in quem credidit Petrus, ſanè credimus Petrum: & Petro tanquam Chriſti Apoſtolo, at non in Petrum; quia non in eum velut ultimum finem, ſed in Deum ſolum ſpe, & charitate tendimus.] Quo circà in Com.in pſ.77. Credere in Deum oſtendit plus eſſe, quàm credere Deo. [Nam & homini ſæpè credendum eſt; ſed in eum non eſt credendum. Credere enim in Deum eſt credendo adhærere ad benè coöperandum bona operanti Deo.] & tract.29.in Io. rurſum dicens; Credimus Petro, & credimus Paulo; ſed non credimus in Petrum, neque in Paulum: & adferens illud Chriſti verbum, ſi quis voluerit voluntatem eius facere; Hoc eſt, inquit, credere, credere autem, eſſe facere voluntatem Dei, & operari opus eius, & quod illi placet; oſtendit ex illis verbis Io.6. Hoc eſt opus Dei, ut credatis in eum, quem ille miſit. Qui enim credit in eum, credit etiam ei; at qui credit ei, non continuò credit in eum: nam & Dæmones credebant ei, & non in eum. Et mali item Chriſtiani, & iniqui. Atque hæc eſt fides, quæ juſtificat, ſeu deputatur homini ad juſtitiam; quæ, inquam, credendo amat, credendo in eum tendit, & ejus membris incorporatur. Ipſa eſt, quam à nobis exigit Deus, & de qua Apoſtolus Gal.5. Neque circumciſio aliquid valet, neque præputium; ſed fides, quæ per dilectionem operatur. [Hæc fides, (inquit in libro de cognitione veræ vitæ c.37.) Vita eſt animæ, & per hanc juſtus viuit. Hæc fides ſpe nutritur, ut corpus cibo reficitur; Dilectione animatur, ut corpus anima viuificatur. Dilectio autem operatione comprobatur: undè fides ſine operibus mortua eſſe affirmatur.] Et ſer. 61. De verbis Domini; peccatum, de quo prædicit Chriſtus, Io.16. fore ut Spiritus Sanctus arguat mundum, infidelitatem, & non credere in Chriſtum, intelligens; nam peccata omnia per infidelitatem tenentur, per fidem dimittuntur: Subindè exponit, quid ſit credere Chriſtum eſſe, & credere in Chriſtum. [Nam ipſum eſſe Chriſtum, & dæmones crediderunt, nec tamen in Chriſtum crediderunt. Ille enim credit in Chriſtum, qui & ſperat in Chriſtum, & diligit Chriſtum. Nam ſi fidem habet ſine ſpe ac dilectione, Chriſtum eſſe credit, non in Chriſtum credit.] Et in ſer.131.de tempore; In ſymbolo ſapienter obſeruat nos dicere, credo ſanctam Eccleſiam Catholicam, & non in Eccleſiam; quia Eccleſia non eſt Deus, ſed domus Dei. Credere namque in ſoli Deo convenit. Quod S. Anſelmus quoque explicauit in Com. ad caput 4. epiſt. ad Rom. & S. Euſeb. Emiſſ. hom.2. de ſymbolo, & S. Gregorius Nazian. or. 5. de Theologia, & alij omnes.

Fides triplex.

CAPUT XIII.

Fides Dei donum.

Pelagianorum porrò fuit aliquando error, ut ex S.Auguſtino conſtat, fidem liberi noſtri arbitrij eſſe partum; non item ſpeciale Dei donum. Poſſe enim quemlibet cum generali Dei auxilio credere. At negat Paulus in poſteriore ad Cor. Ep. c. 3. nos eſſe ſufficientes cogitare quidquam ex nobis abſque Deo; minus verò eſt cogitare, quàm credere:

quia

Digitized by Google

quia omnis qui credit, cogitat; non omnis qui cogitat, credit; ſed qui cogitationi aſſenſum præber. [Quis non videt (inquit Augu-
„ ſtinus in libro de prædeſtinatione Sanctorum
„ c.2.) priùs eſſe cogitare, quàm credere?nul-
„ lus quippè credit aliquid, niſi priùs cogitauc-
„ rir eſſe credendum; quamuis enim raptim,
„ quamuis celerrimè credendi voluntatem
„ quandam cogitationes antevolent; neceſſe
„ eſt tamen, ut omnia, quæ creduntur, præ-
„ veniente cogitatione credantur. Et quæ ſeq.] Quod ſi id, quod minus eſt, ſine Deo non poſſumus; multò minus id quod majus. Et in priore Ep. cap. 7. ſcribit idem Apoſtolus, ſe miſericordia Dei conſequutum, ut eſſet fidelis. Et cap. 12. inter Spiritus Sancti dona commemorat fidem; Alteri fides in eodem ſpiritu. Et ad Epheſ. 2. Gratiâ eſtis ſaluati per fidem; & hoc non ex vobis: Dei enim donum eſt. Et ad Philip. 1. Vobis donatum eſt, non ſolùm ut in eum credatis, ſed ut etiam pro illo patiamini. Apoſtoli quoque Luc. 17. pecierunt à Chriſto augeri ſibi fidem. Et Matth. 16. Petro dixit Chriſtus: Beatus es Simon Bar-Iona; quia caro & ſanguis non revelabit ribi; hoc eſt non potuit homo credere, quod ru credis: ſed Parer meus, qui eſt in Cœlis. Et in concilio Arauſicano 2. Can.25. decretum eſt eſſe donum Dei.

At non ſine libero arbitrio.

In ſuo tamen genere liberum quoque noſtrum adeſſe arbitrium, atque hoc à nobis exigi; ex multis Scripturæ locis colligitur. Nam Matth. 9. quæritur; creditis, quia hoc poſſum facere vobis? Et cap. 17. ſi habueritis fidem ſicut granum Synapis, &c. & Mar. 9. ſi potes credere, omnia poſſibilia ſunt credenti, & Luc. 8. crede tantùm & ſalua eris. Et Ioan. 10. Si mihi non vultis credere, operibus credite. Et Act. 16. crede in Dominum Ieſum. Et illud Iſa. 1. Si volueritis & audieritis me bona terræ comedetis. Et ubicunque fides noſtra laudatur: ut cum dicitur: Beata, quæ credidiſti. Non enim laudaretur, ſi nihil in nobis eſſet voluntarium. Et ubi fidei proponitur præmium, aut pœna; qui crediderit, ſalvus erit; & credidir Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad juſtitiam. Et contrà; qui non crediderit, condemnabitur, & arguet mundum de peccato, quia ſcilicet in Chriſtum credere noluerunt. Non haberet autem præmium, neque pœnam; ſi nihil in nobis haberet liberum & voluntarium. Accedunt & illa loca, in quibus fides appellatur noſtra; ut Matth. 9. fides tua te ſalvam fecit; & adnotauit Sanctus Irenæus libro 4. adverſus hæreſes, propterea dici noſtram, quod in ea partem quoque ſuam habeat liberum noſtrum arbitrium; alioqui noſtra dici non poſſet. Et Sanctus Cyprianus libro 3. ad Quirinum cap. 52. credendi, & non credendi libertatem in arbitrio poſitam eſſe oſtendit. Sanè Sanctus Auguſtinus cum Pelagianis diſputans, qui libero arbitrio nimiùm tribuebant; ſi ſecùs ſenſiſſet, negare penitùs debuiſſet omnem illius in hac re operationem: ſed ità liberi arbitrij concurſum concedit, ut fidem tamen donum eſſe Dei contendat: quemadmodum videre licet præſertim in libro primo retract. cap. 23. Et libro de prædeſtinatione Sanctorum cap. 3. [Multi, ait, c. 6. audiunt
„ verbum veritatis; ſed alij credunt, alij con-
„ tradicunt, volunt ergò iſti credere, nolunt
„ autem illi quis hoc ignoret? quis hoc neget?
„ Sed cùm aliis præparetur, alijs non præpare-
„ tur voluntas à Domino; diſcernendum eſt
„ utique, quid veniat de miſericordia eius, &
„ quid de judicio.] Tria hæc namque, fides, ſpes, charitas, & omninò gratia; ad ſalutem prorſus noſtram adjumenta ſunt neceſſaria; nec tamen ſalus ſine arbitrij libertate conſtare poteſt: propterea hæc oportuit quoquo modo ex libero noſtro pendere arbitrio.

CAPUT XIV.

Fides implicita & explicita.

FIDEI verò duplex potiſſimùm videtur eſſe diviſio. Altera in fidem explicitam & implicitam. Altera in fidem formatam & informem, ſeu fidem viuam & mortuam. Explicita fides eſt, quâ non generaliter modò, quæcumque Deus, & eccleſia credenda proponunt; ſed ſingula quoque diſtinctè credimus. Cœcus ille Ioan. 9. à Chriſto illuminatus ſtatim credidit, immò & cum Phariſæis diſputauit: & tamen à Chriſto interrogatus, credis in filium Dei? reſpondit, quis eſt Domine, ut credam in eum? Implicitam ergò fidem habebat, explicitam quærebat. Item Act. 8. Eunuchus, qui venerat adorare in Hieruſalem, habebat profectò fidem; alioqui ad orandum non veniſſet: at explicitam didicit à Philippo, & Cornelius c. 10. Vir religioſus ac timens Deum, & eleëmoſynas faciens, & deprecans Deum ſemper, fidem habuit, ut ait Sanctus Auguſtinus libro 1. de prædeſt. ſanctorum cap. 7. explicitam tamen accepit à Petro. Et cap. 19. erant credentes illi, qui Paulo dixerunt; Neque ſi Spiritus Sanctus eſt audiuimus.

CAPUT XV.

Fides informis, & formata.

INFORMEM verò fidem vocamus eam, quæ eſt ſine charitate; formatam, quæ cum charitate conjuncta eſt. Ut enim in moralibus; Prudentia virtutum cæterarum forma eſſe putatur; quia etſi abſque prudentia hæ naturam ſuam habeant; ſi tamen ſine prudentia

Digitized by Google

dentia operentur, moratæ virtutis laudem non habent. Sic in diuinis , charitas virtutum omnium forma vocatur; quoniam fides quidem, ſpes, ac virtutes cæteræ, charitate ſpoliatæ, vim ſuam & naturam retinent; illarum tamen actio nihil apud Deum valet, nullius eſt meriti. Quod dicebat Paulus 1. Cor. 13. illis verbis, ſi habuero tantam fidem, ita ut montes transferam; charitatem autem non habuero, nihil ſum. Ex quibus duo cognoſcimus; & fidem ſine charitate eſſe poſſe; & operationem illius apud Deum nihil valere. Eſt enim charitas velut Imago Principis, quæ monetæ dat valorem. Vbi etiam obiter notandum eſt, non ſolùm poſſe eſſe fidem ſinè charitate; ſed etiam perfectiſſimam, & robuſtiſſimam fidem, quæ miracula quoque perficiat, & montes transferat. Atque hanc vocamus fidem miraculorum; fidem inquam catholicam perfectam, & fortem, quæ miracula quoque perficiat. Accedit, & illud Luc. 12. ſeruus, qui cognouit voluntatem Domini ſui & non facit ſecundùm voluntatem eius, vapulabit multis. Quid eſt noſſe voluntatem Domini, niſi habere fidem? & quid eſt non facere, niſi non habere charitatem? & illud Matt. 7. Non omnis, qui dicit mihi, Domine, hoc eſt, qui fidem habet, & Dominum me confitetur; intrabit in regnum cœlorum, &c. & illæ parabolæ, tritici congregati in horreum, & palearum combuſtarum; ſagenæ ex omni genere piſcium congregantis; Virginum prudentum & fatuarum non habentium oleum, & aliæ his ſimiles; prorſùs oſtendunt multos eſſe in eccleſia, qui fidem habent, ſed charitatem non habent. Nemo enim eſt in Eccleſia, qui non habeat fidem; plurimi, qui charitatem non habeant: & ideò permiſti ſunt & boni & mali. S. Iacobus in ſua ep. cap. 2. Fidem ſine charitate, atque operibus, mortuam appellauit; cum charitate operantem, vivam; etenim viventium eſt operari, moueri ex ſeipſis, & excitare ſeſe ad agendum: mortua quæ ſunt, torpent, inertia ſunt, operari non poſſunt. Viventia animam habent, & formam, quæ in actionem prorumpit; mortua carent anima & ideò operatione. Charitas forma eſt, & velut anima fidei; quam ſi habeat, viva eſt; ſi non habeat, mortua. Ut enim corpus ſine ſpiritu mortuum eſt, inquit Iacobus; ita & fides ſine operibus mortua eſt. Comparatur autem fides, non homini, ſed corpori; quod poteſt quidem habere animam, ſed ſi non habeat mortuum eſt; & tamen verè corpus nihilominus eſt; ſic enim fides poteſt charitate formari & viuere; at ſi ea careat, mortua dicitur; & tamen vera fides eſt. [Fides (inquit Sanctus Leo Papa in ſer. 5. de collectis) ſine operibus mortua nominatur: quia ſicut in fide eſt operum ratio, ,, ita in operibus fidei fortitudo] Et S. Ber. ſer. 2. de reſur. [Sicut corporis hujus vitam ex ,, motu ſuo cognoſcimus; ita & fidem vivam ,, ex operibus bonis. Vndè & Chriſtus dicebat ,, Io. 10. opera quæ ego facio, ipſa teſtimonium ,, perhibent de me.]

Fides miraculorum.

CAPUT XVI.

Fidem ſine operibus ſatis non eſſe.

EX his autem manifeſtum eſt, ſolam fidem mortuam non eſſe nobis ſatis; ſed charitatem quoque & bona opera neceſſaria eſſe; ſi ſalui eſſe velimus. Hæc ipſa fuerunt Pauli verba, in Ep. ad Rom. cap. 2. Non auditores inquit, legis juſti ſunt apud Deum; ſed factores legis juſtificabuntur. Et Iacobi cap. 2. Quid proderit, fratres mei, ſi fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habeat? nunquid poterit fides ſaluare eum? fides ſi non habeat opera, mortua eſt in ſemetipſa. Quod ex inſtituto probat etiam S. Auguſtinus in lib. de fide & operibus cap. 14. 15. 16. de hoc ipſo ſeriò diſputans: aſſeritq; hanc ob cauſam Petri, Ioannis, Iacobi, & Iudæ Epiſtolas fuiſſe ſcriptas: ut hanc adſtruerent veritatem, tollerentq; quorumdam errorem, qui ob quædam Pauli verba obſcura, & malè ab illis intellecta ſecùs ſentiebant. Quod etiam habet in Com. pſ. 31. & Aetij quoque, & Eunomij fuiſſe hæreſim teſtatur in libro de Hæreſibus cap. 54. & confirmat S. Hieronymus ad caput 4. Oſeæ. Et de Simone Mago, atque Carpocrate refert S. Irenæus lib. 1. adverſus hæreſes cap. 20. 24. Sed in libro 21. de Ciuit. Dei cap. 26. multis oſtendit S. Auguſtinus non eſſe ſatis per fidem habere Chriſtum in fundamento; ſi ſuperædifices illi peſſimam vitam, lignum, fœnum, ſtipulam; ut loquitur Paulus 1. Cor. 3. materiam omninò aptam ad comburendum. Et in libro de octo Dulcitij quæſtionibus, in tota q. 1. hoc ipſum agit, aſſeritque Iacobum tam vehementer infenſum fuiſſe illis, qui fidem ſapiunt abſque operibus ad ſalutem valere; ut illos etiam dæmonibus compararit. Eandem porrò ſententiam plurimis ille in locis confirmauit. In lib. Enchri. cap. 67. eos ait humanâ quâdam benevolentiâ falli, qui per ignem ſaluari putarunt homines, qui fidem habeant ſine operibus. Et Paulum adfert Gal. 5. aſſerentem, neque Circumciſionem, neque præputium valere quidquam; ſed ſolam fidem, quæ per dilectionem operetur. Et Iacobum cap. 2. jam citatum. Et in libro de fide ad Petrum cap. 3. [Inter Eccleſiam Catholicam per ,, ſolum baptiſmum vita æterna non acquiritur, ,, ſi poſt baptiſmum malè vivatur; nam & illis, ,, qui benè vivunt, debent operibus miſericor- ,, diæ ſemper inſiſtere.] Et c. 40. [Firmiſſimè

Digitized by Google

„ tene, & nullatenus dubites; non omnes, qui „ intrà Eccleſiam Catholicam baptizantur, „ accepturos eſſe vitam æternam; ſed eos, qui „ percepto baptiſmate rectè vivunt &c.] Et concludens librum 13. de Trinitate; Iuſtum monet Gal. 5. dici ex fide viuere, quæ per dilectionem operatur. Et lib. 15. c. 18. [Sine „ Charitate, inquit, poteſt quidem eſſe fides, „ ſed non & prodeſſe; quippè ſola fides pro„ deſt, quæ per dilectionem operatur.] Et in qq. ſuper Deut. q. 54. ubi dicitur c. 30. Propè eſt verbum hoc in ore tuo & in corde tuo; 70. interpretes, ait, addere, & in manibus tuis: quia intelligi voluerunt manus quoque, quibus opera ſignificantur, in corde accipi debere, ubi eſt fides, quæ per dilectionem operatur. Quâ de re tractat etiam in q. 126. ex utroque teſtamento miſtim. [Quid enim „ prodeſt, inquit, cognitio; ſi manet priſtina „ converſatio?] Et libro de continentia cap. 14. propterea ſcripſit Apoſtolum ad Eph. 5. poſt nominatam fornicationem ac cætera vitia, ſubjunxiſſe illa verba; Nemo vos ſeducat inanibus verbis: propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ; nè putarent fideles, per ſolam fidem ſuam, etiamſi in his malis viuerent, ſe poſſe ſaluari. Et in libro de vita Chriſtiana cap. 13. [Non perfidiæ tantùm, in„ quit, ſed & criminum ultor eſt Deus: & fru„ ſtrà dedit mandata iuſtitiæ, ſi ſola ſine iuſti„ tiæ operibus fides prodeſt. Adam perfidiæ, „ an peccati cauſa damnatus eſt? Ità & Cain, „ & totus mundus diluvio, & Sodoma incen„ dio; non perfidiæ, ſed criminum cauſâ perie„ runt. Et quæ ſequ.] Et in libro homiliarum 50. h. 17. alijſque pluribus in locis, hoc diſtinguit fidem Sanctorum à fide Dæmonum, quòd Sanctorum fides per dilectionem operetur, & ſer. 53. de tempore. [Otioſa, inquit, eſt fi„ des ſine operibus bonis; & nihil proficiunt o„ pera bona ſine fide recta.] Quam ob cauſam in ſer. 75. Abrahæ ſervum, Gen. 24. ut Rebeccam filio Domini ſui deſponſaret: protuliſſe illi putat inaures ad aures, & armillas ad manus. [Inauribus quippè ſignificantur verba „ diuina, & fides, quæ per auditum ſuſcipitur; „ in armillis opera ſancta; quia in manibus o„ pera deſignantur: atque his duobus Eccleſia „ Chriſto deſponſatur.] Et ſer. 216. [Non ſuf„ ficit nobis, quod chriſtianum nomen accepi„ mus: ſi bona opera non fecerimus Chriſtia„ na.] Quod etiam repetit in ſer. 38. de Sanctis. Quo loco, exemplo, ſeu argumento utitur ex nobis ipſis accepto [Sicut enim nobis „ non placet, ſi ſervi noſtri verbis ſe profiten„ tur noſtra mancipia, nec tamen velint imple„ re opera ſua: ità nec Deo placet, ſi te Chri„ ſtianum verbis pronunties, & opera, quæ fie„ ri juſſit Chriſtus, implere diſſimulas.] Itaque in ſer. 237. fidem, ait, fuiſſe dictam; quia fiat,

Inaures & Armillæ quid.

Fides cur dicta.

quod dicitur; prima ſyllaba eſt à facto, ſecunda à dicto. Hæc Auguſtinus, S. Hieronymus quoque in ep. ad Celantiam cap. 1. [Non ſolâ, „ inquit, Dei confeſsione tanti præmij magni„ tudinem promeremur: niſi fidei, & juſtitiæ „ opera coniuncta ſint.] Et in ep. ad Fabiolam de 42. manſionibus; cùm in manu Moyſi & Aâron egreſsi dicuntur de Ægypto filij Iſraël, ut dicitur etiam pſ. 76. intelligit legem, & Sacerdotium; opera & cultum Dei, quorum alterum altero indiget. [Nihil enim prodeſt „ exercere virtutes, niſi noueris creatorem, nec „ Dei veneratio proficit ad ſalutem, niſi præ„ cepta conditoris impleveris.] Et rurſùm in ep. de veſtitu ſacerdotum, ad eandem Fabiolam; cùm Sacerdotes in veteri lege juberentur ex hoſtia pectus & brachium accipere: In pectore, ait, legis notitiam, & dogmatum veritatem intelligi; In brachio bona opera, & contrà Diabolum armatam manum ſignificari; ut quod mente conceperint, exemplo probent. Nam & Ieſus cœpit facere & docere, & in Com. ad caput 41. Ezech. In veſtitu Pontificis idem admonet fuiſſe indicatum. [Hume„ rale namque cum rationali ſtringebatur, ut „ rationi opera copulentur; ut poſsimus dicere „ cum Pſalmiſta, à mandatis tuis intellexi. „ Nam & Iſſachar videns requiem, quia bona „ eſt, & terram quia pinguis; ſuppoſuit hume„ rum ad laborandum, & factus eſt vir agrico„ la, Gen. 49. Humeri enim ſemper referuntur „ ad opera.] Et ad caput 22. Matthæi, veſtem nuptialem, ſine qua nullus admittitur; præcepta Domini interpretatur, & opera, quæ complentur ex lege, & evangelio. Et cap. 25. [Vir„ gines prudentes, quæ habent oleum, juxta „ fidem & operibus adornantur; fatuæ verò, „ quæ non habent oleum, Dominum fide con„ fitentur, ſed virtutum opera negligunt.] S. Ambroſius in lib. 1. de Abel, & Cain cap. 6. „ [Fides, inquit, exigitur, ſtudium deſideratur; „ facta quæruntur. His enim tribus devotionis „ humanæ officia definiuntur.] Et lib. 2. cap. „ 2. [Antè omnia fides nos Deo commendare „ debet, cum fidem habuerimus, elaboremus, „ ut opera noſtra perfecta ſint. Hoc plenum „ eſt, & perfectum ſacrificium.] Et in caput 3. prioris Ep. ad Cor. [Fides eſt velut ſemen „ ſpiritale bonorum operum.] Et in caput 4. Epiſtolæ ad Hebr. [Sola fides non ſufficit ad „ ſalutem; operari per dilectionem fidem ne„ ceſſarium eſt, & converſari dignè Deo: de„ bet addi, & vita fidei condigna: & multum „ ſtudium adhiberi, nè fides ſit otioſa. Si enim „ illi terram promiſſam intrare non meruerunt, „ quia murmuraverunt contrà Deum; quo„ modo nos Cœlum merebimur intrare, indif„ ferenter viventes, ſicut gentes? Opus eſt fi„ dem operibus bonis ornare.] Et in caput 6. „ [Perfectum vocamus, qui cum fide vitam habet

,, habet rectam; ſi horum alterum deſit, perfe-
,, ctus non erit:] In cap. 10. ubi ait Paulus, ac-
cędamus cum vero corde in plenitudine fidei
&c. [Oſtendit, ait, quia non fides ſola; ſed
,, etjam vita cum virtute quæritur, quia fides
,, ſine operibus otioſa eſt.] Et lib. 1. offic. cap.
,, 29. [Iuſtorum corda meditantur fidem, &
,, iuſtitiam ſupra fidem collocant. Et Paulus
,, fundamentum poſuit Chriſtum, ut ſuprà eum
,, opera iuſtitiæ locaremus, quia fides funda-
,, mentum eſt: In operibus autem, aut malis
,, iniquitas, aut bonis iuſtitia eſt.] Et lib. 2. c. 2.
,, [Scriptura diuina vitam beatam in cogni-
,, tione poſuit diuinitatis, & fructu bonæ ope-
,, rationis. De cognitione, Io. 17. Hæc eſt vita
,, æterna, ut cognoſcant te Deum, &c. De ope-
,, ratione, Mat. 19. omnis qui reliquerit do-
,, mum &c.] Et in libro de viduis, duo minuta,
quæ vidua illa miſit in æra Dei, Luc. 21. fidem
cum miſericordia, id eſt cum operibus interpre-
tatur. & S. Greg. Papa lib. 4. moral. cap. 14.
,, [Qui fidem ſine operibus retinent, cùm
,, ſaluari ſe poſſe confidunt, ſpes eorum fru-
,, ſtrabitur.] Et lib. 13. c. 4. cum diceret Iob. c.
Simplicitas. 16. Rugę meę teſtimonium dicunt contrà me.
,, [Rugæ, inquit ſignificant duplicitatem; &
,, rugæ Sanctæ Eccleſiæ ſunt omnes, qui in ea
,, dupliciter vivunt; qui fidem vocibus clamant,
,, operibus denegant. Has rugas in electis ſuis
,, non habet; quia neſciunt aliud foris oſten-
,, dere, & intùs aliud habere.] Undè Eph. 5.
dicitur non habere maculam, neque rugam, id
eſt nec turpitudinem operis, nec duplicitatem
ſermonis. Et lib. 33. cap. 6. [Nemo ſibi fidem
,, ſine operibus ſufficere poſſe confidat.] Et
probat ex Iacobi ep. cap. 2. & in pſ. 5. pœni-
tentialem, collum, ait, ſponſę cant. 1. monilibus
circumdari, dum fides ſanctæ animæ operibus
decoratur. Collum enim eſt fides, per quam
Deo conjungimur. Et in librum cant. Animam,
piam, amicam Chriſti putat dici propter fidem;
columbam propter ſimplicitatem; formorſam
propter operationem. Et cùm dicitur, oſten-
dę mihi faciem tuam; [Facies, inquit, eſt fi-
,, des, quâ à Deo cognoſcimur; & qui dicit ſe
,, habere fidem, neceſſe eſt, ut in bonis operi-
,, bus ſe exerceat, quibus fides interior innote-
,, ſcat.] Et rurſùm. [Vox dicitur dulcis, & fa-
,, cies decora; quia vox placet, & facies deco-
,, ratur; quando prædicationem bona opera
,, comitantur.] Et h. 11. in Ezech. [Omnis ſpe-
,, culator, inquit, hoc habere debet ſtudij, ut
,, priùs ad pietatem fidei, pòſt ad piam vitam,
,, id eſt ad bonam actionem trahat.] Et h. 26. in
Evang. [Ille verè credit, qui exercet operan-
,, do, quod credit.] Et h. 29. [Dicat quis; ego
,, jam credidi, ſalvus ero. Verum dicit, ſi fidem
,, operibus tenet. Vera enim fides eſt, quæ in
,, hoc, quod verbis dicit, moribus non contradi-
,, cit.] Et h. 39. [Quid prodeſt, quod Redemp-
,, tori noſtro per fidem jungimur, ſi ab eo mo-
,, ribus diſiungamur?] Et lib. 6. regiſtri cap.
179. [Nullus ſalvari poteſt eorum, qui fidem
,, tenent, & vitam fidei conformè non habent.]

His quatuor Eccleſiæ Sanctæ Doctoribus
adde S. Cyprianum in tractatu de ſimpl. Præ-
latorum. [Credere ſe in Chriſtum, quomodo
,, dicit, qui non facit, quod Chriſtus facere
,, præcepit? aut undè perveniet ad præmium
,, fidei, qui fidem non vult ſervare mandati?]
Et in lib. 3. ad Quirinum c. 26. pluribus ſcrip-
turæ teſtimonijs oſtendit, parum eſſe bapti-
zari, & fidem ſuſcipere; niſi factis, & opere
perficias: & S. Hilarius can. 6. in Matt. [Do-
,, minus nos voluit & efficere, quæ juſſit, &
,, credere, quæ ſpopondit.] Et S. Leo Papa ſer.
4. de collectis. [Sciens Diabolus Deum non
,, ſolùm verbis, ſed etiam factis negari; multis:
,, quibus auferre non potuit fidem, ſuſtulit cha-
,, ritatem.] Et ſer. 3. de jeiunio decimi men-
ſis. [Ager Dominicus, rorante deſuper gra-
,, tiâ Dei, fide munitur, jeiunijs exercetur; elee-
,, moſynis ſeritur, orationibus fœcundatur.] Et
ſer. 6. de Epiphania. [Fruſtrà de fidei libertate
,, ſecuri ſunt, qui vitiorum deſiderijs non reſi-
,, ſtunt. Cor hominum de operum oſtenditur
,, qualitate, & formas mentium ſpecies dete-
,, git actionum: nam ſunt quidam, ſicut ait A-
,, poſtolus, qui Deum profitentur ſe ſcire, factis
,, autem negant.] Et ſer. 7. de quadrag. [Chari-
,, tas robur fidei, fides fortitudo eſt charitatis.
,, Et tunc verum nomen, & verus eſt fructus
,, ambarum, cùm inſolubilis utriuſque manet
,, connexio. Ubi enim non ſimul fuerint, ſimul
,, deſunt. Hic eſt efficaciſſimus geminarum
,, alarum volatus, quo ad promerendum, & vi-
,, dendum Deum puritas mentis attollitur; nè
,, onere curarum carnalium deprimatur: nam,
,, qui ait, ſine fide impoſſibile eſt placere Deo;
,, idem dicit, ſi habuero omnem fidem, chari-
,, tatem autem non habeam, nihil ſum.] Et
ſer. in feſto omnium Sanctorum: [Secura eſt
,, operantium fides.] Et S. Proſper in lib. pri-
mo de vita contemplatiua cap. 6. [In hac vita,
,, ubi per fidem benè vivendo proficimus, bo-
,, norum operum quodammodò paſſibus am-
,, bulamus.] Et c. 19. [Eum, qui poteſt uti li-
,, beræ voluntatis arbitrio, nec opera ſine fide,
,, nec fides ſola ſine operibus iuſtificat.] Et S.
Bernardus in ſer. de ſex tribulationibus. [Ut
,, membra intrent cum capite in gloriam, o-
,, portet ut ſint cohærentia, & conformia ca-
,, piti; cohærentia fide, conformia moribus.] Et
ſer. 51. in cant. cùm ait ſponſa, fulcite me flo-
ribus, ſtipate me malis. [Flores, inquit, ſunt
,, fides, fructus opera.] Et in lib. de paſſione
Domini, ſuper, ego ſum vitis vera, cap. 45. Vi-
num dignum dilecto ad potandum, ait, eſſe
vinum conditum, & miſtum malorum grana-
torum. Cant. 8. hocque eſſe fidem bonis virtu-

tum operibus conditam. Et in lib. de modo benè vivendi ad ſororem c. 1. [Fruſtrà ſibi de ,, ſola fide blanditur, qui bonis operibus non ,, ornatur.] Ac demùm S. Anſel. in caput 1. Epiſtolæ ad Rom. & caput 3. prioris ad Cor. & caput 5. Epiſtolæ ad Gal. bis, & in cap. 28. Matthæi in ea verba, docentes eos ſervare omnia, quæcunque mandaui vobis; & in caput 21. Apoc. Civitatem in quadro poſitam exponit Eccleſiam, ſeu regnum Cœlorum, quia quatuor habet æqualia latera, fidem, ſpem, charitatem, & opera.

CAPUT XVII.

Græcorum teſtimonia.

ET hæc quidem fuit ſemper latinæ Eccleſiæ ſententia hæc fides. Quid vero Græca? De S. Dionyſio Areop. refert in ipſius vita Michael Syngellus; cum ſolitum fuiſſe dicere fidem ſine operibus ſimilem eſſe arboribus foliorum ubertate ornatis, cæterùm ſterilitate laborantibus. Et S. Cyrillus Hieroſ. in præfatione ad ſuas catecheſes. [Flores, ,, inquit, arborum apparuerunt; utinam & fructus perficiatur.] Et catecheſi 3. [Pietas in ,, duobus conſiſtit, fide, & operibus; quorum ,, unum ſine altero acceptum Deo non eſt.] Et catech. 4. [Cultus Dei ex his duobus con- ,, ſtat; piorum dogmatum certitudine, & operibus bonis exequendis.] Et catech. 15. judicium aſſerit futurum de operibus, non de fide. [Non confidas, quod ſolam lampadem ,, habeas; ſed cuſtodi illam ardentem. Non ,, confidas, quod credis; ſed fidem ardentem ,, conſerva.] Et Origenes h. 3. in Gen. [Non ,, ſufficit ſolo nomine, & verbo confiteri Chriſtum; ſed rebus oportet implere. Si enim ſolam fidem habeas, non habes teſtamentum ,, Dei in carne tua, ſed in voce; neque regnum ,, Dei eſt in ſermone, ſed in virtute &c.] Et h. 7. in Leuit. [Qui legem Dei in ore habent, ,, ſed vita, & actus à verbis diſcrepant: ruminant, ſed non dividunt ungulam. Ideo immundi ſunt, qui verò benè vivunt, & non ,, credunt, dividunt ungulam, ſed non ruminant, & hi immundi ſunt. Mundi autem ,, qui & ruminant, & dividunt ungulam, ſunt, ,, qui & fidem habent, & convenientem vitam.] Et h. 27. in Num. illud, quod dictum eſt, filios Iſraël exijſſe ex Ægypto in manu Moyſi, & Aäron; eodem modo de fide, & bonis operibus interpretatur; quo non multò antè dictum eſt ex S. Hieronymo. [Ad exeundum, ,, inquit, de Ægypto non ſufficit una manus ,, Moyſi; quæritur & manus Aäron. Moyſes ,, indicat ſcientiam legis, Aäron ſacrificandi ,, Deo, & immolandi peritiam. Opus eſt ergo, ,, ut non ſolùm ſcientiam legis & fidei, ſed ,, operum, quibus Deus placetur, fructus habeamus.] Et h. 3. in librum Iudicum; Sanctos omnes, ait, eſſe ambidextros; velut Aöd ille Iudic. 3. nec quidquam habere ſiniſtrum, neque in fide, neque in actibus; contrà, Diabolum, & Angelos ejus eſſe ambiſiniſtros, & fide, & operibus. Et h. 9. milites Gedeonis adfert linguâ, & manu lambentes aquam; id eſt, & confeſſionis verbo, & opere. Et h. in librum regnorum duas uxores Elcanæ Annam, & Phenennam, fidem, & opera &c. & h. 3. in Cant. Chriſtum capreæ hinnuloque ceruorum comparari; quia duobus conſtat ſalus noſtra agnitione fidei, & operum perfectione. Caprea enim acutè videns ſignificat fidem; & cervus ſerpentes necans, opera. Et lib. 2. in Ep. ad Rom. in caput 2. [Ne putent, inquit, ,, fideles ſibi hoc ſolum ſufficere, quod credunt, ,, ſed ſciant iuſtum iudicium Dei reddere unicuique ſecundùm opera eius.] Et rurſùm poſt multa, poſita duplici circumciſione, cordis, & carnis. [Circumciſus ait corde, eſt, qui habet ,, fidem, circumciſus carne, qui habet opera; alterum ſine altero reprobatur. Undè bis Iudæi ,, iuſſi ſunt circumcidi, ſecundo inquam ſub Ioſuë quod ad litteram fieri non potuit, quia ,, nihil erat, quod ſecunda circumſione amputaretur, ſed in nobis ſecundum ſpiritum impletur per Chriſtum; cum prima idolorum cultum, & infidelitatē, & ſecundá veteris hominis conſuetudinem, & vitia carnis abſcindit.] S. Irenæus lib. 1. adverſus hæreſes cap. 1. Valentinianos quoque facit operum aſſecutores; dum neceſſarium eſſe bonam converſionem reſponderent, aliterque impoſſibile eſſe ſalvari. Et lib. 5. c. 8. hæreticos, qui operibus juſtitiæ non adornantur, etſi fidem ſe habere dicant, animalia ſcribit eſſe immunda: quia dividunt quidem ungulam, ſed non ruminant. S. item, Athanaſius, in lib. de virginitate, & fidei, & operum aſſertor eſt. Et in tract. de definitionibus, Chriſtianum veram definit eſſe domum Chriſti, per bona opera, & dogmata rectà extructam. Et S. Gregorius Nazianz. or. in Maximum; [Ut actio, ait, ſi à fide deſeratur, ,, laudem non meretur; ita fides ſine operibus ,, mortua eſt.] Et in orat. in ſanctum baptiſma; ,, [Super hoc dogmatum fundamento bona ,, opera extrue: quandoquidem fides ſine operibus mortua eſt; quemadmodum & opera, ,, ſi fides abſit.] Et S. Gregorius Nyſſenus h. 8. in Eccleſiaſten; [Fides abſq; operibus iuſtitiæ ,, non ſufficit ad ſervandum: nec rurſùs, vitæ ,, iuſtitia per ſe tuta eſt ad ſalutem ſi ſejunctà ſit fides.] Et h. 12. in cant. enarrationem faciens illorum verborum, adhibitis manibus clauſtro aperui dilecto meo. [Aperit, inquit, ſibi regni oſtium per hæc duo; per manus, quæ operum ſignificationem habent; & per clauſtrum ,, fidei; nam per hæc duo, per fidem, inquam, & opera,

Pſ. 76. *1. Reg. 1.* *Cant. 8.* *Duplex circumciſio.* *Cant. 5.*

Digitized by Google

,, opera;clavis regni nobis paratur.] Et iterùm
h. 13. utitur verbis Apoſtoli, 1. Cor. 12.
Non poteſt dicere oculus manui, non es mi-
hi neceſſaria. [His enim verbis docere voluit
,, corpus Eccleſiæ ab utroque rectè compara-
,, tum eſſe; tàm percipiendi veritatem, quàm
,, agendi vi inter ſe quaſi temperata: quippè
,, neque contemplatio per ſe animam perficit;
,, niſi adſint & opera vitam egregiam abſol-
,, ventia; oculus fidem ſignificat, manus ope-
,, ra.] Et or. adverſus eos, qui differunt bap-
tiſmum; [Fides ſuam requirit ſororem, nem-
,, pè quæ eſt ex charitate, vitæ inſtitutionem.]
Et S. Ioannes Chryſ. h. 2. in gen. [Cum rectè
,, fidei dogmatibus vitam quoque veſtram dili-
,, genter curate; ut & vita conſonet fidei dog-
,, matibus,& dogmata prædicent vitam. Fides
,, enim ſine operibus mortua eſt, & opera ſine
,, fide mortua ſunt, neque unum ſine altero
,, quidquam nobis proderit. Unde Matt. 7.
,, qui audit hos ſermones,& facit eos,aſſimila-
,, bitur viro prudenti: qui verò ad ſermones
,, pervenit, & non ad opera,ſtultum eum voca-
,, vit meritò, &c.] & h. 13. [Si recta ſciamus
,, fidei dogmata, vitam autem negligamus;ni-
,, hil nobis profuerit: neque ſi vitam habeamus,
,, & rectas negligamus doctrinas. Nam ſi vo-
,, luerimus à gehenna liberari, & regnum aſ-
,, ſequi; operæ pretium eſt, utrinque ornari,&
,, dogmatum rectitudine, & vitæ diligentiâ.
,, Quid enim utile fuerit arbori, quæ folijs
,, frondet, ſi fructu careat? Sic & Chriſtiano
,, nihil proderunt recta dogmata,ſi vitam ſuam
,, non bene inſtituat.] Et h. 47. [Oro, ut ad
,, agenda opera feſtinemus; neque enim aliter
,, ſalvari nos poſſibile eſt.] Et h. de Anna, &
Samuëlis educatione, tom. 1. [Profeſſio non
,, tantùm fit per fidem,verùm etiam per opera:
,, adeò ut ſi hæc abſint,veniamus in periculum,
,, nè cum abnegantibus pœnas luamus.] Et
Com. in pſ. 44. [Circumdata,inquit,varietate,
,, quia non conſtat veſtis ex uno genere. Neque
,, enim licet ſervari ſolùm ex gratia, ſed fide
,, opus eſt,& poſt fidem virtute.]Et in pſ. 46.
Pſallite ſapienter; [Non voce tantùm, ſed
,, & factis;non lingua tantùm,ſed & vita.] Et
h. 11. in Matt. [Sola fides nulli ſufficit ad ſa-
,, lutem,nam & Dæmones credunt:Sed maxi-
,, mo etiam prorſus morum indigemus orna-
,, tu.] Et h. 25. [Non modò qui habet fidem
,, converſatione neglecta, regnum non poterit
,, introire cœlorum:ſed & ille, qui fide multa,
,, etiam ſplenduit claritate ſignorum; nec ta-
,, men in vita aliquid boni operis exercuit; à
,, cœleſtibus januis repelletur.] Et h. 48. [Nè
,, confidamus, quoniam Evangelium ſuſcepi-
,, mus; neque opinemur ſufficere nobis ſolùm
,, fidem ad ſalutem. Ideò adfertur parabola
,, ſagenæ miſſæ in mare,& ex omni genere pi-
,, ſcium congregantis; in qua malè viventes
,, pereunt, etiamſi in reti piſcatorum incide-
,, rint.] Et h. 56. [Non quoniam, ô Petre,me
,, filium Dei confeſſus es, coronæ tibi exſpe-
,, ctandæ ſunt; & quaſi hoc tibi ad ſalutem
,, ſuffecerit, totaq; res conſummata ſit; in otio,
,, & voluptate vivendum. Volo,ut & ipſe ali-
,, quid afferas &c.]Et h. 31. Operis imperfecti
in Matt.[Fructus verbi Dei eſt duplex;in bonis
,, operibus,& in confeſſione fidei.] Et h. 33.
,, [Prima juſtitia eſt cognoſcere Deum Patrem
,, & Chriſtum eius:noviſſima autem juſtitia eſt
,, facere opera bona:] Et mox animalia, quæ
fiſſam habent ungulam, homines, ait, eſſe
habentes fidem; & opera. Et h. 42. Diaboli
affirmat primum conatum fuiſſe extinguere
cognitionem Dei, falſos Deos introducendo:
Deindè cùm hoc non poſſet, hoc procuraſſe,
ut etſi cognoſcatur Deus, nullus tamen præ-
ceptis ejus obediat. Et h. 44. [Omnibus ho-
,, minibus duo hæc neceſſaria ſunt ad ſalutem;
,, fides vera & bona opera.]Quæ in h.46.pro-
pterea cum maximè, ait, requirere, ut omnes
intelligant, eum cum iuſtitia iudicare; & h.
52. fatuas virgines eſſe eos,qui fidem quidem
integram habent, opera autem iuſtitiæ non
habent. Fidem verò ex verbo quidem Dei
accendi, ſed per opera bona nutriri; & niſi
ſubminiſtraveris opera bona, deficit; & h. 53.
Eum abſcondere talentum in terra, qui acci-
piens fidem contemnit opera, & vitam bonam;
eſſeque homini perſimilem, qui ſeminan-
di cauſa accipiens ſemen, non ſeminaverit;
ſemen enim iuſtitiæ, ac bonorum operum eſt
fides,& h. 3. in Io. [Demus, inquit,Deo glo-
,, riam fide, & operibus; nulla enim bonorum
,, dogmatum ad ſalutem utilitas, ſi vita vitio-
,, rum ſordibus inquinatur.]Et h.9.[Non ſatis
,, eſt baptizari & credere; ſed dignam vitam
,, exhibere oportet. Nolimus fidem nobis ad
,, ſalutem ſatis eſſe exiſtimare;niſi puram vitam
,, exhibuerimus.] Et h. 30. objiciens ſibi di-
ctum à Chriſto: Hæc eſt vita æterna, ut cog-
noſcant te ſolum verumDeum;& alibi,qui cre-
dit in filium, habet vitam æternam: Addit ta-
men. [Si rectè credideris,non autem rectè vi-
,, xeris, nulla tibi ad ſalutem utilitas. Opus
,, enim eſt & vitæ,& morum puritate pollêre.]
Et h. 45.& 66. [Glorificemus non fide tantũ,
,, ſed & operibus.]Et h. 50.[In rectitudine fi-
,, dei gloriantes, non exhibendo vitam fidei
,, convenientem, Deum inhonoramus;menda-
,, cem eum facientes,&c.]Et h.62.[Nihil pro-
,, ficit fides noſtra,ſi vita prava ſit.] Et h. 83.
fidem non eſſe ſufficientem, ſed malè viuentes
condemnatum iri;probat ex Luc. 12.Qui novit
voluntatem Domini, & non fecit, plagis va-
pulabit multis; & Io. 15. Si non veniſſem &
locutus eis non fuiſſem &c. & ſer. de fide, &
lege naturæ, & Spiritu Sancto,to. 3. pluribus
hoc ipſum tractat; fideique ait pediſſequa eſſe

opera : noſque vult olivam eſſe fructiferam
per opera bona; ſed in domo Dei per fidem.
Et in ſer. de Euchariſtia,in encænijs, tomo eo-
dem; [Fides,& Chriſtiani nominis appellatio
„ nihil nobis proderunt ſine mandatorum Dei
„ operatione.] Et h. 5. in epiſtolam ad Rom.
Non oportere oſtendit fiduciam in ſola fide
habere:nam illud prætorium Dei,& facta item
examinat. Et h. 11. [Nullum Chriſtiano lu-
„ crum accedet, qui fidem habuerit,affectibus
„ autem obnoxius fuerit: Sic enim major illi
„ contumelia,majus dedecus inuretur,&c.] Et
h. 19. [Si permanſeris, inquit Apoſtolus, in
„ bonitate; non dicit, ſi permanſeris in fide.
„ Non enim ſola fide opus eſt, ſed ſi feceris,
„ quæ divinæ bonitati dignè correſpondeant.]
Et h.22.in priorem ad Cor. [Omnes currunt,
„ ait idem Apoſtolus, ſed ad unum defertur
„ corona; nec ſatis eſt ſedere in ſpectaculo,
„ neque ungi tantùm. Ita non ſatis eſt fidem
„ habere; ſed niſi ita nos curſu exercuerimus,
„ ut ad metam uſque invictos nos præbeamus;
„ nihil conſequi potuerimus.] Et ſer. in illud;
Nolo vos ignorare fratres, &c. Virgines obſer-
vat non propter fidem, ſed propter perverſam
vitam reprehenſas fuiſſe, & thalamo excluſas;
& eum,qui ſordida erat indutus veſte,vinctum
ejectum,non quòd non haberet recta dogmata;
ſed quia vitam ſordidam. [Et quare iuſſit in
„ ignem trudi ? non quià fide exciderant, ſed
„ quia nullius miſerti erant.] Undè tandem
colligit; ſine vitia optima, nulla rectorum
dogmatum utilitas. Et h. 2. in poſteriorem
ad Cor. [Dogmata vitæ acceſſionem deſide-
„ rant. Quid refert, ſi iuſtus fias,ſed ſola fide ?
„ at nos optamus, ut etiam ex benefactis ha-
„ beas fiduciam.] & h. 1. in Epiſtolam ad
Ephes.dixiſſe ait Apoſtolum, ut ſimus Sancti,
& immaculati, nè exiſtimes tibi fidem ſuffi-
cere ſolam; adjecit & vitam; & h. 4. Nè ope-
ris vacuos; & marcentes ignauia crederes ad
ſalutem pervenire. [Talem, inquit, Deus re-
„ quirit à nobis fidem, quæ non ſit vacua boni
„ operis. Alioqui quo pacto nos ſervare queat
„ fides,quæ ſine operibus eſt?]Et h.11.in Ep.
ad Philip. [Non ſimpliciter oportet fidem
„ habere, ſed quæ ſit per opera.] Et h. 1. in
priorem ad Theſſ. [Fides per opera probatur.]
Et h. 3. in priorem ad Tim. [Non fide ſolum
„ opus eſt,ſed & charitate.] Et h.4.[Gloria,&
„ honor Deo non verbis redditur, quia & ipſe
„ nos non verbis honorauit, ſed rebus, ac per
„ opera.] Et h. 7. [Quid conferre poteſt, ſi
„ ſervata fidei pietate operibus impius ſis ?]
Aviculæ utitur exemplo in h.6.in Ep.poſterio-
rem. [Ut enim auis, & ſi non toto corpore,
„ ſed uno tantùm pede capta teneatur, in po-
„ teſtate eſt eius, qui laqueum tetendit: ita &
„ nos,cum & vitę,& fidei perverſitate capi va-
„ leamus, ſi vita ſolum oberraverimus, in jus
„ Diaboli labimur. Non enim omnis,qui dicit
„ mihi Domine, intrabit in regnum Cœlo-
„ rum.] Et rurſum.[Neſcio vos;diſcedite à me
„ operarij iniquitatis.Vides,ut nullum ſit fidei
„ lucrum, quandoquidèm Dominus nos igno-
„ rat.] Et h. 8. [Fides ſine operibus figura ſo-
„ lum abſque virtute eſt. Quid ex fide vera
„ lucrabitur, ſi nihil habet ex his, quæ debet
„ habere Chriſtianus?] Et h. 2. in Ep. ad
„ Philem.[Fides efficax eſt; ſi habeat opera.]
Et h. 6. in Ep. ad Hebr. [Magna res eſt fides,
„ & ſalutaris; verum per ſe ipſam non eſt ſuffi-
„ ciens,opus eſt & converſatione recta.Proin-
„ dè & Paulus admonet; feſtinemus intrare in
„ requiem, quoniam non ſufficit fides; ſed de-
„ bet addi & vita, & multum ſtudium adhi-
„ beri.] Et h.19. idem colligit ex illis verbis:
Aſperſi corda noſtra à conſcientia mala [Quia
„ non fides ſola, ſed & vita cum virtute quæ-
„ ritur;& ut nihil ſibi quiſque conſcius ſit ma-
„ li.] Et libro 4. de Sacerdotio; [Neque fidei
„ integræ atque incolumis, uſus fuerit ullus,ſi
„ perditè alioqui, & corruptè vixeris.] Et lib.
„ 1. adverſus vituperatores vitæ Monaſticæ;
„ [Quid fides confert emolumenti,ſi vita ſin-
„ cera non fuerit, & pura?] Probatq; ex pluri-
bus Scripturę locis.Et in or. 5.adverſus Iudęos.
„ [Id etiam ad condemnationem facit; cum
„ auditis ſermonibus non adjungitur operum
„ demonſtratio.Etenim propterea Chriſtianus
„ es; ideò hoc nomen accepiſti; ut Chriſtum
„ imiteris,ejuſque legibus operum exhibitione
„ pareas.] Et Cyrillus Alexandrinus lib. 9. in
Io.c.9.[Si quis unum Deum eſſe noverit;me-
„ rietur tamen, niſi operum fulgor cognitioni
„ adveniat.]Quod etiam habetur lib.10.c.18.
& lib. 11. cap. 16.Et in libro de adoratione in
Spiritu Sancto;[Qui in ſola fide ſerviunt Deo,
„ ij ſunt, qui in Ægypto ſacrificant; qui verò
„ liberi omninò ſunt à mundana confuſione;
„ quaſi in deſerto liberam vitam puri purè ſacri-
„ ficant.] Et lib.1.de recta fide ad reginas.[Ubi
„ fides recta cum bonorum operum honeſtate
„ coniungitur, & æquo curſu admittitur;illic
„ omninò fuerit in omni bono perfectio, &
„ ſanctificationis integritas.]Et Thedor.q.63.
in Exod. cùm Sacerdoti juſſum audiret, ut ex
victima ſumeret pectuſculum, & dextrum ar-
mum; cognitionem, & actionem intelligit;
quod & anteà diximus ex S.Hieronymo.[Non
„ enim, inquit,ſufficit ſola fides ad ſalutem,ſed
„ operibus indiget ad perfectionem.] Quod
etiam in Com.pſ.96.repetit,& in pſ.127.& in
epiſtolam ad Rom.c.12. [Quod eſt oculus in
„ corpore, hoc eſt animæ fides. Habet enim
„ opus activa virtute; quemadmodùm oculus
„ manibus,& alijs partibus corporis.] Et in ſe-
cundam ad Cor.cap.5. [Non ſufficit fides,ſed
„ convenit benefactorem colere,& obſeruare.]
Idem habet in ep. ad Titum cap. 3. & pluribus
ad ini-

Digitized by Google

ad initium libri 12. de curandis Græcorum aſfectionibus, qui eſt de virtute activa; exemplis uſus arborum, in quibus ſi fructuum ramos abſcindas, inutiles radices ſunt: & corporum noſtrorum, quæ non oculis modo egent, ſed & manibus; & telarum, quibus texendis præter ſtamina, opus eſt etiam ſubtegmine, quod ſtaminibus intexatur. Ac demùm S. Io. Damaſc. in hiſtoria Barlaäm, & Ioſaphat cap. 9. & 11.

CAPUT XVIII.

Sacræ Scripturæ teſtimonia.

HABES, ni fallor totius catholicæ eccleſiæ, tam Latinæ, quàm Græcæ explicatam ſententiam; pluribus fortaſſe, quàm deſideraſſes. At niſi bonorum operum fundamentum ſit firmum, ac certum, fruſtrà de virtutibus, & vitijs agendi labor eſſet ſuſceptus. Sed quoniam ſacris potiſſimum ſcripturis nititur fides noſtra; harum quoque teſtimonia ponenda ſunt; ex quibus, & Sancti Patres ſententiam hauſerunt ſuam. Nec ſolùm habemus duo illa loca principio poſita; Rom. 2. & Iac. 2. quæ ſanè evidentiſſima ſunt; ſed univerſam penè dixerim ſcripturam Sacram hoc apertis verbis prædicare. Nam Petrus Act. 10. In veritate, inquit, comperi, quia non eſt perſonarum acceptor Deus: ſed in omni gente, qui timet eum, & operatur juſtitiam, acceptus eſt illi. Et 1. Ioan. 3. Qui facit juſtitiam juſtus eſt. Non dicit, qui credit, ſed qui facit. Hinc eſt, quod viri juſti à Deo petunt ſua opera examinari, & ſecundùm illa judicari. Ut in pſ. 7. Iudica me Domine ſecundùm juſtitiam meam, & ſecundùm innocentiam meam ſuper me. Et pſal. 16. exaudi Domine juſtitiam meam. Et pſal. 17. retribuat mihi Dominus ſecundùm juſtitiam meam, & ſecundùm puritatem manum mearum, id eſt operum meorum, retribuat mihi: pſal. 25. Iudica me Domine, quoniam ego in innocentia mea ingreſſus ſum. Et alia hujus generis plurima. Et illud Iob cap. 10. Indica mihi, cur me ita judices. Et Paulus in ſecunda Cor 1. Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ. Et de Zaccharia ejuſque uxore dicitur Luc. 1. Erant juſti ambo. Quid ita? nunquid quia credebant? non: ſed quia incedentes in omnibus mandatis, & juſtificationibus Domini. Pluribus etiam in locis Deus oſtendit nobis rectam viam ad æternam vitam eſſe bona opera; ut Matth. 19. Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata: quod juveni de hoc ipſo ſuſcitanti reſponſum eſt. Et illud; Vende omnia, quæ habes, & da pauperibus. Et Luc. 16. facite vobis amicos de mammona iniquitatis, &c. Et prima Tim. 6. Divitibus præcipe, non ſuperbè ſapere; ſed benè agere; divites fieri in bonis operibus, &c. Et 1. Cor. 6. neque fornicarij, neque Idolis ſervientes, neque adulteri &c. regnum Dei poſſidebunt. Sed, & noſtris operibus promittit Deus vitam æternam: ut in pſal. 61. Quia tu reddes unicuique juxtà opera ſua. Et Eccleſ. 35. Donec reddat hominibus ſecundùm actus ſuos. Et Ierem. 32. Ut reddat unicuique ſecundùm vias ſuas; & Thren. 3. reddas eis vicem Domine juxtà opera manuum ſuarum. Et Matthæi 16. Filius hominis venturus eſt in gloria Patris ſui, & tunc reddet unicuique ſecundùm opera ejus. Et Ioan. 5. procedent, qui bona fecerunt in reſurrectione vitæ. Et Rom. 2. benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit, &c. qui reddet unicuique ſecundùm opera ejus. Et 2. Cor. 5. Omnes nos manifeſtari oportet antè tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque prout geſſit, ſive bonum, ſive malum. Et Apoc. 22. Ecce venio citò, & merces mea mecum eſt, reddere unicuique ſecundùm opera ſua. Quo etiam ſpectat illud Ioan. 6. Operamini cibum, qui permanet in vitam æternam, quam Filius hominis dabit vobis. Et Philip. 2. Cum metu, & tremore ſalutem veſtram operamini, & alia plurima. Immò verò dum judicat, apertis verbis profitetur Deus ſe reddere vitam æternam propter opera. Ut Matth. 25. Venite benedicti, &c. Eſurivi enim, & dediſtis, & quæ ſeq. & quod ſæpius dictum eſt juxtà vel ſecundùm opera ſua. Hoc enim ſignificat proportionem, & menſuram mercedis & laboris noſtri. Et Matth. 19. Cùm quæreret Petrus, quam mercedem habituri eſſent ipſi, qui relictis omnibus Chriſti ſecuti fuerant; reſpondit ipſe, multò majorem; quàm cæteros: ſedebitis, inquit, & vos ſuper ſedes, &c. Immò omnis qui reliquerit domum, &c. centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit. Et parabolà ſeminantis cap. 13. Semen enim eſt fides; quæ pro terræ fœcunditate, & voluntatis conatu affert fructum trigeſimum, ſexageſimum, centeſimum. Et Paulus Gal. 6. Qui parcè ſeminat, parcè & metet; & qui ſeminat in carne, de carne metet corruptionem, & qui ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternam. Et Chriſtus Matth. 11. Regnum Cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud; id eſt non hæreditate, ſed ſtudio, & conatu acquiritur. Ideò Ioan. 14. In domo Patris mei manſiones multæ ſunt. Et in 1. Cor. 15. ſtella differt à ſtella in claritate; & pluribus in locis, vita æterna vocatur merces, & præmium noſtrorum operum ſecundo Paral. 15. confortamini, & non diſſolvantur manus veſtræ. Erit enim merces operi veſtro. Et Proverb. 11. Impius facit opus inſtabile; ſeminanti autem juſtitiam merces fidelis. Et Sap. 5. Juſti in perpetuum vivent, & apud Dominum

Digitized by Google

minum eſt merces eorum. Et Matth. 5. Gaudete, & exultate quoniam merces veſtra copioſa eſt in Cœlis. Et cap. 10. qui potum dederit aquæ frigidæ, non perdet mercedem ſuam. Et 1. Cor. 3. Unuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundùm ſuum laborem. Et rurſùm; ſi cujus opus manſerit, quod ſuperædificavit, mercedem accipiet, & cap. 9. Si volens hoc ago, mercedem habeo. Et Io. Ep. 2. Videte, nè perdatis, quæ operati eſtis; ſed ut mercedem plenam accipiatis. Et Paulus ſecundâ Tim. 2. ob hanc cauſam hæc patior: ſcio enim, cui credidi; & certus ſum, quia potens eſt depoſitum meum ſervare in illum diem; & cap. 4. Bonum certamen certavi, curſum conſumavi: in reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus juſtus judex: & Hebr. 6. hortatur, ut fortiter tolerent afflictiones: non enim injuſtus eſt Deus, ut obliviſcatur operis veſtri, & laboris, &c. Et Apo. 11. Advenit ira tua, & tempus mortuorum, judicari & reddere mercedem ſervis tuis Prophetis, & Sanctis, & timentibus nomen tuum; puſillis, & magnis; & cap. 22. Ecce venio citò, & merces mea mecum eſt, reddere unicuique ſecundùm opera ſua.

CAPUT XIX.

Loca contraria exponuntur.

DUo ſunt apud Paulum loca in epiſtola ad Romanos quæ fidei favere videantur. Alter locus eſt in cap. 3. Arbitramur, inquit, hominem juſtificari per fidem. Alter in c. 4. credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam. Verùm in priori loco, ſi bona fide agas, neque calumniari delectet; addes ea, quæ ſequuntur, verba. Non enim abſolutè ait Apoſtolus, per ſolam fidem juſtificari nos ſine operibus; ſed Chriſti fidem veteri Moſis legi opponens; non per veterem legem, ſed per fidem Chriſti abſque operibus legis juſtificari affirmat. Fidem tamen Chriſti vivam dicitque, opera fidei ſecum habeat. S. Auguſtinus in libro de vita Chriſtiana cap. 13. [Iuſti-„ficari, inquit, hominem, ait Apoſtolus per „fidem ſine operibus; ſed ſine operibus legis „dicit non ſine illis operibus, de quibus alte-„rum Apoſtolum audio dicentem; fides ſine „operibus mortua eſt. Paulus enim de operi-„bus legis locutus eſt; hoc eſt de circumciſio-„ne carnali, & neomenia, & ſabbato, & hujuſ-„modi cæteris, quæ lex antè præcipiebat, & „jam Chriſti tempore non erant neceſſaria. „Iacobus verò de operibus juſtitiæ loquitur; „quæ qui non fecerit, verè mortuus eſt, quam-„vis ſe ſimulet eſſe fidelem.] Eodem intellectu interpretantur S. Hilar. Can. 8. & 21. in Matthæum, & S. Io. Chryſ. in cap. 3. epiſtolę ad Galatas, fides juſtificat, id eſt non lex; & juſtus ex fide vivit, id eſt non ex lege, & h. 5. in ep. ad Epheſ. ex ſola fide nos ſalvavit, id eſt non ex lege, & h. 4. in priorem ad Tim. ex fide ſola; id eſt non ex lege; & h. 3. in ep. ad Titum. Quamquam & in h. 12. in Matth. alio modo interpretatur ſolam ſufficere fidem, hoc eſt ſine miraculis. Altera S. Auguſtini reſponſio fuit in libro de prædeſtinatione Sanctorum cap. 7. [Ex fide inquit, ideò dicit Apoſtolus juſti-„ficari hominem, non ex operibus; quia ip-„ſa prima datur, ex qua impetrentur cætera, „quæ propriè opera nuncupantur, in quibus „juſtè vivitur. Nam dicit etiam ipſe Eph. 2. „Gratia ſalvi eſtis facti per fidem, & hoc non „ex vobis, ſed Dei donum eſt; & quæ ſe-„quuntur; Iuſtificatur ergò homo ex fide, *Rom. 4.* „quia ipſa eſt principium, & fundamentum operum.]

Ubi verò dicitur Abrahæ reputatum ad juſtitiam, quia credidit; oſtendit idem S. Auguſtinus in Com. pſ. 31. Sermonem eſſe de operibus ſine fide, aut antè fidem; ex quibus nec Abraham juſtificatum fuiſſe, nec infidelem ullum, qui alioquin benè vivat, juſtificari poſſe, contendit Apoſtolus; ſed neceſſariam eſſe fidem in Chriſtum. Nam per bona opera ſine fide habet quidem gratiam apud homines, ſed non apud Deum: Accedente autem fide, habet etiam apud Deum. Nam & Abraham cum fide habuit opera, dum filium immolavit. [Magnum opus, inquit Auguſtinus, ſed „ex fide. Laudo ſuper ædificationem operis, „ſed video fidei fundamentum. Laudo fru-„ctum boni operis; ſed in fide agnoſco radi-„cem. Si enim hoc præter fidem rectam face-„ret Abraham, nihil illi prodeſſet; qualecun-„que illud opus eſſet. Rurſum ſi ſic teneret „fidem Abraham, ut cùm ei Deus imperaret, „offerre ſibi immolandum filium ſuum; dice-„ret apud ſemetipſum, non facio, & tamen „credo; fides ſine operibus mortua eſſet, & tan-„quam radix ſine fructu ſterilis, atque arida re-„maneret.] Quam ſententiam pluribus eo loco perſequitur; & confirmat Origenes lib. 4. in illam Pauli epiſtolam; [Iudicium, inquit, fidei „veræ eſt ubi non delinquitur; ſicut è contra, „ubi delinquitur, infidelitatis indicium eſt. „Ideò Abraham ex operibus fidei juſtificatus „dicitur; quia certum eſt, eùm qui verò „credit, opus fidei, & juſtitiæ operari, &c.]

CAPUT XX.

Fidei neceſſitas quanta.

SUMMAM fidei neceſſitatem, vel etiam ex humanis licet cognoſcere. Quam multa enim, & quæ in hiſtorijs continentur, & quæ ab alijs narrantur nobis, nec unquam vidimus ipſi; credimus tamen, nec de illis ullo modo dubi-

Digitized by Google

dubitamus; & ineptus; ac ſtultus qui dubitet,
ab omnibus judicabitur. [Quod eſt oculus in
,, corpore, hoc eſt fides in diſcurſu animi, & ra-
,, tione (inquit Theodor. in primo libro de
,, Græcarum affectionum curatione) oculus in-
,, diget luce, quâ ſibi aſpectabilia oſtendantur;
,, & intellectus indiget fide, quâ ſive abſentia
,, in humanis, ſive occulta in divinis proponan-
,, tur.] Et in 2. libro. [Marinis piſcibus quam-
,, quam ſalſedini plurimæ innutritis, ad condi-
,, turam tamen non minus, & ſale adhibito opus
,, eſt: & ad intuendam veritatem ſatis non eſt
,, naturalis ratiocinatio, & eloquentium viro-
,, rum diſciplina; ſed divina quoque opus eſt fi-
,, de.] Iſaias quidem certè c. 7. Nos monuit il-
lis verbis: Niſi credideritis, non intelligetis.
Et Apoſtolus ad Hebræos 11. Accedentem ad
Deum oportet credere, quia eſt, & inquiren-
tibus ſe remunerator ſit. Et in expoſitione
Symboli adnotavit S. Cyprianus, verbum hoc,
credo, primo loco ſtatim fuiſſe poſitum. [Ut
,, intelligentiæ tibi pateſcat aditus, quia nec
,, navem quis ingreditur, & liquido, ac profun-
,, do vitam committit elemento; niſi ſe priùs
,, credat poſſe ſalvari. Nec agricola fulcis ſe-
,, mina obruit, & pro frugibus ſpargit in ter-
,, ram; niſi crediderit venturos imbres, affutu-
,, rum quoque ſolis teporem; quibus terra con-
,, fota, ſegete multiplicata, frugem producat, ac
,, ventis ſpirantibus nutriat. Nihil deniq; eſt,
,, quod in vita geri poſſit, ſi non credulitas antè
,, præceſſerit.] Et S. Gregorius Papa in quarto
libro dialogorum c. 2. non dubitavit pronun-
tiare, neque infidelem ſine fide vivere. [Nam
,, ſi ab eo quæſieris, quem Patrem vel Matrem
,, habuerit; protinùs reſpondebit, illum, atque
,, illam. Quem ſi ſtatim requiras, utrum nè no-
,, verit, quando conceptus ſit vel viderit, quan-
,, do natus; nihil horum ſe, vel noſſe, vel vidiſſe
,, fatebitur; & tamen quod non vidit, credit.
,, Nam illum Patrem, illamq; ſe habuiſſe Ma-
,, trem; abſquè dubitatione teſtabitur.] Sed
hinc, ſubjungit Gregorius; [In ſua perfidia
,, redarguendi ſunt, hinc ad fidei gratiam pro-
,, vocandi. Quia ſi de ipſo ſuo viſibili corpore
,, credunt, quod minimè viderunt; cur inviſibi-
,, lia non credunt, quæ corporaliter videre non
,, poſſunt?] Sanè perſimili argumento adjutum
ſe aliquandò fuiſſe ad divinam amplectendam
fidem, quâ ſacris litteris crederet; teſtatur S.
Auguſtinus in 6. lib. confeſſ. c. 5. Naturamq;
ipſam nos ad fidem inducere, ſcripſit S. Am-
broſius ad caput 6. epiſtolæ ad Rom. [In na-
,, tura enim habemus, ut cognoſcamus, à quo,
,, & per quem, & in quo ſumus creati. Quod
,, tamen abſque Deo non perficitur: Quippè
,, fides, ut anteà dictum eſt, donum eſt Dei.]
Et Tertullianus in libro de anima c. 1. de Socra-
tis diſputatione de animæ immortalitate diſ-
ſerens; [Cui veritas, inquit, comperta ſine
,, Deo? cui Deus cognitus ſine Chriſto? cui
,, Chriſtus exploratus ſine Spiritu Sancto? cui
,, Spiritus Sanctus ſine fidei Sacramento?]

CAPUT XXI.

Sine fide non eſt meritum.

ACCEDIT, quod & ſine fide nullum opus eſt bonum ad æternæ vitæ meri-
tum. Hoc enim eſt, quod in domo fratris pri-
mogeniti convivabantur reliqui filij Iob, S.
Gregorio Papa interprete in ſecundo lib. mor.
cap. 24. [Dum virtutes reliquæ epulantur in
,, fide. Quæ ſi non prima in corde noſtro gi-
,, gnitur, reliqua quæcunque eſſe bona non
,, poſſunt; etiamſi bona videantur.] Et lib. 3.
regiſtri c. 33. Theodelindam Longobardorum
reginam hoc argumento ad Eccleſiæ commu-
nionem revocare conatur; Nè tot illius lachry-
mæ tantaque bona opera pereant, ſi à fide ve-
ra inveniantur aliena. [Sicut enim rami ſine
,, virtute radicis areſcunt; ità opera quamtum-
,, libèt bona videantur, nulla ſunt, ſi à ſolidi-
,, tate fidei diſiungantur.] Nam & Paulus ju-
ſtum dixit ex fide vivere, Rom. 1. Gal. 3. &
Hebr. 10. & fidem ſignaculum juſtitiæ voca-
vit, Rom. 4. Et ſine fide impoſsibile eſſe pla-
cere Deo, affirmauit Hebr. 11. Undè S. Au-
guſtinus in 1. libro de nuptijs, & concupiſcen-
tiâ cap. 3. in infidelibus quidem dixit conju-
galem pudicitiam eſſe poſſe; ſed eam donum
Dei non eſſe quemadmodùm de fidelium affir-
mavit idem Apoſtolus 1. Cor. 7. [Quoniam
,, cùm eam ſervare videntur homines ſine fide;
,, ſive hominibus placere quærentes, vel ſibi,
,, vel alijs; ſive humanas moleſtias devitantes;
,, ſive dæmonibus ſeruientes: non peccata co-
,, ërcentur, ſed alijs peccatis alia peccata vin-
,, cuntur. Abſit enim pudicum veraciter dici,
,, qui non propter Deum verum fidem connu-
,, bij ſervat uxori.] Et rurſùm in 4. libro con-
trà Iulianum cap. 3. de hac re copioſè, & ex in-
ſtituto diſputans; eo rem deducit, ut bona
quoque infidelium opera ſint peccata: quia
non ſunt ex fide; bonaque illi opera non benè
faciunt, hoc eſt non ex fide: neque hæc ope-
ra ipſorum ſunt, ſed Dei, qui malis benè uti-
tur. Ipſorum autem eſſe peccata; quibus &
bona malè faciunt: & S. Proſperi illa fuêre
verba in libro primo de vocatione gentium
cap. 7. [Sine cultu veri Dei etiam quod vir-
,, tus videtur eſſe, peccatum eſt, nec placere
,, ullus Deo poteſt ſine Deo, qui vero Deo
,, non placet, cui niſi ſibi, & Diabolo pla-
,, cet?]

CAPUT

CAPUT XXII.

De gentilium virtutibus.

HINC eſt, quòd tùm in veteribus philoſophis, tùm in infidelibus omnibus, atque hæreticis, non veras, ac legitimas, ſed fucatas & adumbratas virtutes fuiſſe, aut eſſe; ſemper judicatum eſt. Etſi enim dùm honeſtum, & rationis bonum ſpectant; aliquam habeant bonitatem, quæ moralem virtutem conſtituat: abſolutæ tamen, & integræ virtutes non ſunt, niſi referantur ad Deum. Itaque Origenes h. 11. in Num. tractans quemadmodùm Deus in veteri lege offerri ſibi juſſiſſet primitias ex omnibus; quæ ſanctificabantur à filijs Iſraël.
Num. 18. „[Nec hoc, inquit, ſine Sacramento dicitur; „non vult enim Deus aliundè accipere primitias, niſi à ſanctificatis Iſraël. Poterat enim „fieri, ut & apud gentiles invenirentur aliqua „opera digna Deo. Excoluerunt enim, & inter illos aliqui virtutes animi; & philoſophia „in nonnullis egit aliquantulùm: ſed non vult „iſta offerri in primitijs. Gentilis enim etſi aliquid honeſtum, & probabile habere videatur in moribus; hoc ipſo, quod non Deo „aſcribit animi virtutem, ſed jactantiæ ſuæ deputat; non eſt, ſanctificata hujuſmodi probitas; & ideò non recipitur inter primitias.] Et
Matth. 26. tract. 35. in Matthæum, loquens de unguento effuſo ſuper caput Domini; [Opera, inquit, „bona facta ex naturali juſtitia, & honeſto rationis, non propter Deum; qualia etiam „apud gentes, & multi faciunt homines; ſunt „oleum vulgare, non magni odoris: acceptabile tamen apud Deum. Et eis in hoc ſæculo „proſunt, non tamen ad vitam æternam conſequendam: quia nec illi propter Deum faciunt, ſed propter ipſam naturam humanam. „Quæ autem propter Deum faciunt fideles; „non ſolùm in hoc ſæculo proficiunt eis; ſed „magis etiam in illo. Hoc eſt unguentum boni odoris. Quæ ſi fiant ad utilitatem hominum ut eleëmoſyna, infirmorum viſitationes, „peregrinorum ſuſceptiones; pedes Domini „unguntur; qui autem caſtitati ſtudet, in jejuniis, & orationibus permanet, in adverſis „patientiam habet, & ſimilia, quæ tantùm „ad gloriam Dei proficiunt; pretioſo unguento ungunt caput Chriſti, cujus odore tota repletur Domus, id eſt Eccleſia, primum illud „eſt oleum pœnitentium proprium; hoc ſecundum perfectorum Sanctorum.] Extant quoque de infidelium operibus illa ejuſdem Patris verba in 2. lib. in epiſtolam ad Rom. in caput 2. [Infidelis, ſi ſecundùm virtutem moralem vivit, etſi vitam non habeat æternam, „gloria tamen operum ejus, & honor non perit.] Et S. Leo Papa in ſer. 6. de quadrageſima. „[Quæ per ſe ſunt vilia, fides efficit pretioſa; & quæ ab infidelibus miniſtrantur, etſi „fuerint ſumptu magna, omni tamen juſtificatione ſunt vacua.] In pſ. 133. dixit David, in noctibus extollite manus veſtras in ſancta, quæ verba dum interpretatur S. Hieronymus. „[Manus, ait, ſignificant opera: Gentiles, & „Iudæi levant manus, cùm faciunt eleëmoſynam: ſed non levant in Sancta; Quia Chriſtum non confitentur: Et Chriſtianus ſi facit „eleëmoſynam, ut laudetur à populis, & hùc, „illùcque circumſpicit; & niſi teſtem viderit, „pecuniam non dat, manum contrahit, &c.] Et S. Aug. lib. 2. de moribus eccleſiæ Catholicæ c. 13. [De Catilina, inquit, memoriæ proditum eſt, quòd frigus, ſitim, famem, ferre poterat. Hæc erant illi ſpurco ſacrilegoq; etiam „cum Apoſtolis noſtris communia. Undè ergò „diſcernitur parricida iſte ab Apoſtolis noſtris; „niſi fine, quem diverſiſſimum ſequebatur? „Namq; ille iſta tolerabat, ut immoderatiſſimas, & immaniſſimas expleret cupiditates; „Illi è contrà, ut eas premerent, & dominanti „rationi ſervire cogerent.] Et univerſè in libro de ſpiritu, & littera c. 28. Bona gentilium opera nil eis prodeſſe aſſerit; quemadmodum nec peccata venialia impediunt nos ab æterna vita. „[Bona, inquit, opera gentilium nil proſunt „eis; niſi fortè ut mitiùs puniantur. Sicut enim non impediunt à vita æterna juſtum „quædam peccata venialia, ſine quibus hæc „vita non ducitur: ſic ad ſalutem æternam nihil proſunt impio aliqua bona opera, ſine „quibus difficillimè vita cujuſlibet peſſimi hominis invenitur.] Et in Com. pſ. 31. [Opera „antè fidem, quamvis videantur hominibus „laudabilia, inania ſunt: ità mihi videntur eſſe, „ut magnæ vires, & curſus celerrimus præter „viam.] Si cauſam quæras; mox eam ſubjungit. [Bonum enim opus intentio facit; intentionem fides dirigit. Non valdè attendas, „quid homo faciat; ſed quid cùm facit, aſpiciat; quò lacertos optimæ gubernationis dirigat (adſertque navis exemplum) ſi gubernator perdidit quò tendat.] Hos omninò affirmat habuiſſe quidem ex ſuis virtutibus gloriam; ſed apud homines; non apud Deum. Temporali ſolent à divina juſtitia fœlicitate compenſari; quemadmodùm de Romanis idem ratiocinatur lib. 5. de Civitate Dei cap. 15. Quorum bonis moribus (qui tamen æterna beatitudine digni non erant) imperij amplitudinem, velut temporalem mercedem, à Deo redditam fuiſſe affirmat. Sed & S. Ambroſius in 2. libro de interpellatione Iob c. 4. „[Conſidera, inquit, hæreticum intentum abſtinentiæ, & contemplationi cœleſtium Sacramentorum: non habet æternæ vitæ ſtipendium; quia fidei non habet veritatem.] Quod multò magis de infideli dicendum eſt, qui fidem

Digitized by Google

fidem omninò non habet. Et in Comment. in pſal. 1. [Virtutes, ait, ſine fide folia ſunt non ,, fructus: videntur virêre, ſed prodeſſe non ,, poſſunt, agitantur à vento, quia non habent ,, fundamentum. Hæc ſunt folia, quæ Salvator ,, in illa ficu reperit; Matt. 21. Sed fructum non ,, invenit.] Et Lactantius Firmianus in libro de vero cultu c. 9. Philoſophorum virtutes ſimiles fecit humano corpori caput non habenti. In quo ſunt omnia membra ſuis depoſita locis: quia tamen deeſt id, quod eſt principale, & vita, & omni ſenſu carent; formam membrorum habent, uſum non habent.

CAPUT XXIII.

Vera fidei argumenta.

IAM ſi vera quæratur fides, reſpondebit ſtatim S. Ambroſius in Epiſt. 28. ad Horontianum; [Ea eſt ſola fides, quæ eſt in Evangelio. ,, Nam licèt juſtitia Dei in eo reveletur, quæ ,, eſt ex fide in fidem, tamen ſic illa legis eſt ,, fides, ſi ei accedat fidei plenitudo. Meritò ,, ergò iſta quaſi ſola dicitur; quia illa ſine hac ,, fides non eſt, ſed in hac confirmatur.] Nos verò in ſuperioribus oſtendimus, eandem fuiſſe veteris, & noui teſtamenti fidem; ibi adumbratam, & minùs apertam, hic explicatam magis, & claram. At quoniam poſt prædicatum quoque Evangelium plurimæ fuerunt, & ſunt ſectæ, & hæreſes; quarum unaquæque veram prætendit fidem: quæri adhuc poteſt, quænam ſit vera fides. Duo planè fidei veræ teſtimonia. Sanctus Cyprianus commemorat in libro de duplici martyrio; [Miracu- ,, la, & martyrium; ſed efficacius, inquit, pro- ,, fuſi ſanguinis teſtimonium.] Quæ duo in

1. Miracula. noſtra eccleſia, quam ſint illuſtria, non eſt opus dicere. Sed hæretici quoque, ut ſuam probarent hæreſim, & miracula affectarunt, & arte magica tentarunt, ut ait S. Irenæus lib. 2. cap. 58. nunquam tamen perfecerunt; ut de Simone Mago, & alijs narratur. S. Auguſtinus in lib. de hæreſibus cap. 24. illud commemorat à Philumena perfectum; dum in anguſtiſſimi oris ampullam vitream panem grandem immitteret. Quod non miraculum fuit, ſed oculorum illuſio, & dæmonum præſtigiæ. Deus quippè ſumma, & prima veritas mendacium, & falſitatem miraculo vero confirmare non poteſt. Certè Ioan. Caſſianus in collat. 15. Abbatis Neſterotis cap. 3. Beatum Macharium refert cum hæretico diſputantem ad miracula provocaſſe, hæreticumque ſtatim aufugiſſe. Manes regis Perſarum filium cùm ſe curaturum jactaſſet, qui in morbum quendam inciderat; effecit, ut in graviora mala caderet. Auctor eſt Theodoret. cap. ultimo libri primi hæreticarum fabularum. Valentis item Imperatoris filius, qui S. Baſilio accerſito convaluerat, vocatis Arianis hæreticis extinctus eſt. S. Epiph. hæreſi 19. [Sputa, & reliquas cor- ,, poris ſordes ſuorum Magiſtrorum auferebant ,, (ô ſordidos, & ſtolidos homines) in auxilium ,, videlicet morbuorum; nihil tamen efficiebant.] Noſtris temporibus accidiſſe ſcimus, ut cùm mortui reſurrectionem pollicerentur, mortem attulerint vivo, qui ſe mortuum ſimulabat. Itaque verè Tertullianus, quamquàm alio intellectu, in lib. de perſcript. c. 30. [Apoſtoli ,, de mortuis viuos faciebant, iſti de viuis mor-

,, tuos faciunt.] Et nè longum faciam, hæretico homini dictum legimus apud S. Epiphanium hæreſi 30. [Neque nomen Chriſti in di- ,, vinis ſignis invocare poteris; etſi invocave- ,, ris, nihil efficies.] Et Martyrij quoque gloriam affectarunt, & auctoritatem prætenderunt. Nam & Donatiſtæ veritatis Martyres ſe dicebant; ut ſcribit S. Auguſtinus in primo libro contrà epiſtolam Parmeniani c. 8. [Et ,, ſi quid patiuntur, martyres ſe ſtatim dictitant.] ut habet in lib. 3. c. 6. & lib. 2. contrà litteras Petiliani cap. 83. & in libro ad Donatiſtas poſt collationem c. 1. & in ſer. ad plebem Cæſarienſem, de emerito, & in libro primo contrà Gaudentium c. 20. quod propterea illos facere affirmat in ſer. 50. de verbis Domini, ut hoc pallio dealbati faciliùs furentur, quia lupi ſunt. Sed conſtanter illis reſpondit Auguſtinus, tùm iiſdem in locis, tùm in epiſtola 61. ad Dulcitium; eos nequaquam habere martyrum gloriam, quia non habent martyrum cauſam. Non enim propter Chriſtum patiuntur, immò contrà Chriſtum; neque martyrem facit pœna, ſed cauſa. Et Sanctus Cyprianus in tractatu de ſimplicitate Prælatorum; [Ardeant licet flammis, & ignibus tra- ,, diti, vel objecti beſtijs animas ſuas ponant; ,, non erit illa fidei corona, ſed pœna perfidiæ: ,, nec religioſæ virtutis exitus glorioſus, ſed ,, deſperationis interitus.] Et in epiſtola ad Cornelium; conſtat ſi occiſi extrà eccleſiam fuerint, fidei coronam non eſſe, ſed pœnam perfidiæ. Audiant verba Iob c. 28. Habet argentum venarum ſuarum principia; & auro locus eſt, in quo conflatur. Argentum enim interpretatione S. Greg. Papæ lib. 18. cap. 14. eloquium ſignificat, cujus nitore illi ſuperbiunt; ſed eloquij noſtri venæ ſacri ſunt libri, quorum illi auctoritate nulla ſolidantur. Et venæ ſapientiæ, quæ auro indicatur, locus eſt eccleſia; ut de ſua hæretici increpari ſtulta paſſione videantur. [Nam qui extrà eccle- ,, ſiæ veritatem patitur, pati pœnas poteſt, ,, ſed purgari non poteſt; incendi tantùm po- ,, teſt, non purgari. Undè Ier. cap. 6. dicitur, ,, fruſtrà conflavit conflator: malitiæ enim eo- ,, rum non ſunt conſumptæ. Ecce ignis exte- ,, riùs conflans, & duræ paſſionis admovet pœ-

2. Martyrium.

na;

Digitized by Google

,, na; & tamen erroris non excoquit culpam; ,, & tormenta crudelium dat pœnarum, & bo- ,, norum non facit incrementa meritorum.] Et Paulus 1. Cor. 13. dixit; Si tradidero corpus meum, ità ut ardeam, charitatem autem non habeam; nihil mihi prodeſt.

3. Conſenſio. Tertium veræ fidei teſtimonium addit S. Athan. in Ep. de decretis Nicenæ Synodi ſuper hæreſi Ariana; conſenſionem, atque unionem. [Ibi eſt, inquit, ut Patres tradiderunt, ,, veræ diſciplinæ, & magiſterij argumentum, ,, ubi eadem confitentur, nec à ſe invicem, nec ,, à majoribus diſſentiunt. Qui tales non ſunt ,, mali potius, quam veri præceptores appella- ,, ri debent.] Noſtra fides à Chriſto, & Apoſtolis prædicata, eadem ſemper fuit, & eſt apud omnes, qui catholicæ Eccleſiæ gremio continentur. Apud hæreticos quot capita, tot ſententiæ; unuſquiſque fidei ſuæ ſibi eſt auctor. Quibus veriſſimè dixerit S. Auguſtinus in libro de utilitate credendi cap. 7. [Terentium ,, ſine magiſtro non audes attingere; & in li- ,, bros ſanctos, & divinos irruis, & de his ſine ,, præceptore audes ferre ſententiam? Et reli- ,, gionem ſanctiſſimam, cujus opinio totum ,, jam terrarum orbem occupavit, miſerrimi ,, pueri pro noſtro arbitrio judicioque damnamus?] Sæpiſſimè idem Auguſtinus hoc utitur argumento à nomine, atque appellatione ducto; ut eam oſtendat veram eſſe fidem, ac religionem, quæ catholica dicitur, & univerſalis eſt, ab omnibus per totum mundum recepta; non ab uno aliquo excogitata, & à paucis quibuſdam in aliquo mundi angulo approbata. Longum eſſet loca commemorare; paſſim apud ipſum reperies. Sæpiſſimè enim hoc argumento Donatiſtas convenit. [Una eſt eccleſia, & ,, fides catholica; hæreſes ſingulæ proprijs vo- ,, cabulis appellantur.]

4. Continuata ſucceſſio. Quartum argumentum fuit antiquitas, & continuata ſemper, nec unquam interrupta Pontificum in Petri cathedra ſucceſſio, à Chriſto & Petro uſque ad noſtra tempora. ,, [Numerate, (inquit S. Auguſtinus in pſal- ,, mum contrà partem Donati;) Numerate Sa- ,, cerdotes, vel ab ipſa Petri ſede; & in ordine ,, illo patrum, quis cui ſucceſſit, videte: Ipſa ,, eſt petra, quam non vincunt ſuperbæ infero- ,, rum portæ.] Eodem argumento utitur libro 33. contrà Fauſtum c. 6. Et lib. de unico baptiſmo contrà Petilianum c. 14. & lib. 3. contrà Creſconium cap. 18. & lib. 4. contrà duas epiſtolas Pelagianorum c. 12. In libro autem de utilitate credendi c. 8. narrans quomodo ipſe ab hæreſi converſus fuerit; hoc potiſſimum argumentum antiquitatis, & ſucceſſionis ab ipſo Chriſto per Apoſtolos ad nos uſque perductæ, & hinc ad poſteros permanſuræ, ſe adductum fuiſſe teſtatur. Et Tertullianus libro 4. adverſus Marcionem cap. 5. [Si conſtat id verius ,, eſſe, quod prius; id prius, quod ab initio; ,, ab initio, quod ab Apoſtolis, pariter utique ,, conſtabit, id eſſe ab Apoſtolis traditum, ,, quod apud eccleſias Apoſtolorum fuerit Sa- ,, croſanctum.]

Quintum argumentum eſt integritas vitæ & morum; quàm fides noſtra poſtulat. Cùm enim fides, & religio ad Dei cultum noſtrarumque animarum ſalutem referatur; manifeſtum eſt, illam eſſe veram fidem, ac religionem, in qua & Deus maximè colitur, & animarum noſtrarum ſanctitas à nobis quæritur. Hæreticarum omnium ſectarum immunditias, impuritates, & ſpurcitias, non eſt opus commemorare: fidei noſtræ ſanctitatem, & perfectionem nec adverſarij ipſi negare poſſunt. In libro ad Scapulam Tertullianus c. 2. [Nos, ,, inquit, quos ſacrilegos exiſtimatis, nec in ,, furto unquam deprehendiſtis, nedùm in ſa- ,, crilegio.] Et c. 4. [Depoſitum non abne- ,, gamus, matrimonium nullius adulteramus, ,, pupillos piè tractamus, indigentibus refri- ,, geramus, nulli malum pro malo reddimus, &c.] Et rurſùm in Apologico adverſus gentes cap. 2. hoc refert Plinij ſecundi ad Imperatorem ſcribentis de illius temporis Chriſtianis teſtimonium. [Præter obſtinationem non ,, ſacrificandi; nihil aliud ſe de ſacris illorum ,, comperiſſe, quàm cœtus antelucanos ad ,, canendum Chriſto, & Deo; & ad confœ- ,, derandam diſciplinam; homicidium, adul- ,, terium, fraudem, perfidiam, & cætera ſcelera ,, prohibentes.] S. Auguſtinus quoque in libro citato de utilitate credendi cap. 17. morum integritatem, virtutis ſtudium, continentiam, jejunia, caſtitatem, patientiam in tormentis, temporalium bonorum contemptum; veræ religionis argumentum eſſe putavit. Quæ omnia in noſtra religione, in alia nulla vigent. Ad integritatem, & ſanctitatem vitæ, pertinet etiam confeſſio, & pœnitentia peccatorum; quam fides noſtra profitetur, & præcipit. Quod obſervavit Lactantius in libro de vera ſapientia capite ultimo. [Quia, inquit, ,, ſinguli quique cœtus hæreticorum ſe potiſſi- ,, mum Chriſtianos, & ſuam eſſe catholicam ,, eccleſiam putant; ſciendum eſt, illam eſſe ,, veram, in qua eſt confeſſio, & pœnitentia, ,, quæ peccata, & vulnera, quibus ſubjecta ,, eſt imbecillitas carnis, ſalubriter curat.]

5. Vitæ integritas.

Sextum argumentum petitur à dæmonum confeſſione. [Etenim (ut eodem libro cap. 27. ,, verè adnotauit Lactantius) dæmones adju- ,, rati per Jovem, aut alium falſum Deum, nil ,, verentur; adjurati per Deum noſtrum, vel ,, Chriſtum, fugiunt.] & Tertullianus in lib. ad Scapulam cap. 2. tanquam Chriſtianorum ſingulare privilegium profert; [Dæmones non ,, tantùm reſpuimus, verùm & revincimus; & ,, quotidiè traducimus, ac de hominibus expellimus;

6. Dæmonum confeſſio, & exorciſmi.

Digitized by Google

„ limus; ſicut plurimis notum eſt.] Quod fuiſſe Chriſtianis omnibus commune; manifeſtum eſt ex Apolog. cap. 23. [Edatur, inquit, hic „ aliquis, quem Dæmone agi conſtet: Iuſſus à „ quolibet Chriſtiano loqui ſpiritus ille, tàm ſe „ confitebitur Dæmonem de vero, quàm alibi „ Deum de falſo.] Et iterùm. [Omnis hæc no„ ſtra in illis dominatio, & poteſtas de nomi„ natione Chriſti valet. Chriſtum timentes in „ Deo, & Deum in Chriſto, ſubijciuntur ſeruis „ Dei, & Chriſti. Ità de contactu, deq; afflatu „ noſtro, de corporibus noſtro imperio exce„ dunt inviti & dolentes, & vobis præſentibus „ erubeſcentes.] Et c. 43. [Quantos habetis, „ qui jam de vobis dæmonia eijciant, & pro „ vobis quoque vero Deo preces ſternant?] Et in libro de teſtimonio animæ c. 3. Hoc Chriſtianorum dumtaxat fuiſſe donum teſtatur. „ [Dæmonia, inquit, ſoli de corporibus exigi„ mus.] Similia habet etiam in libro de anima cap. 57. & lib. de ſpectaculis c. 26. 29 & lib. de idololatria cap. 11. & S. Cyprianus in ep. ad Magnum. [Hodiè etiam geritur, ut per exor„ ciſtas voce humana, & poteſtate divina fla„ gelletur, & uratur, & torqueatur diabolus.] Et in tractatu contrà Demetrianum provocat ad exorciſmos Eccleſiæ. [O ſi audire eos „ velles, & videre, quandò à nobis adiuran„ tur, & torquentur ſpiritualibus flagris, & „ verborum tormentis de obſeſſis corporibus „ eijciuntur. Quandò ejulantes, & gementes „ voce humana, & poteſtate divina, fla„ gella, & verbera ſentientes, venturum ju„ dicium confitentur.] Et in tract. de Idolorum vanitate. [Adjurati per Deum verum, nobis „ ſtatim cedunt, & de obſeſſis corporibus exire „ coguntur. Videas illos noſtra voce, & ora„ tione, occultè cædi, igne torqueri, ejulare, „ gemere, deprecari, undè veniant & quò diſce„ dant; ipſis etiam, qui ſe colunt, audientibus „ confiteri, & vel exiliunt ſtatim, vel evaneſ„ cunt gradatim; prout fides patientis adiuvat, „ aut gratia curantis aſpirat.] Et in ſer. de bono patientiæ; [In nomine Chriſti nunc à ſeruis „ ſuis Zabulus cum Angelis ſuis flagellatur, „ &c.] Et S. Hilarius exponens illius pſ. 57. Furor illis ſecundùm ſimilitudinem ſerpentis &c. [Non hic, ait, Marſorum cantus, & con„ ſopita viperarum ſibila memorat: quia hæc „ eadem maiore cum Energia per fidem no„ minis Dei virtutemque torpeſcunt. Cum ei „ quotidiè, nè fallat, nè ſubrepat, nè mordeat, „ etiam ſub divini nominis denuntiatione man„ detur.] Et in pſ. 64. [Nunc verò Chriſto Do„ mino prædicato ſilêre omnia confutata, & „ trepida; cùm hi templorum, & gentium „ Dij virtute fidelium ſubijciuntur ad pœnam; „ cum credentium verbis torquentur, lanian„ tur, uruntur; & inviſibiles nobis atque incom„ prehenſibiles naturæ, verbo continentur, „ puniuntur, abiguntur.] Et Lactant. in lib. de origine erroris c. 16. [Dei nomine adiura„ ti de corporibus excedunt: quorum verbis „ (id eſt iuſtorum) tanquam flagris verberati, „ non modo dæmones ſe eſſe confitentur; ſed „ etiam nomina ſua edunt: quia nec Deo, per „ quem adjurantur; nec iuſtis, quorum voce „ torquentur, mentiri poſſunt.] Et in lib. de vera ſapientia cap. 27. [Quanto terrori ſit dæ„ monibus hoc ſignum Crucis; ſciet, qui vide„ rit quatenùs adjurati, per Chriſtum de cor„ poribus, quæ obſederint, fugiant. Nam ſi„ cut ipſe cùm intrà homines ageret, univer„ ſos dæmones verbo fugabat; ità nunc ſecta„ tores eius eoſdem ſpiritus inquinatos, de „ hominibus, & nomine magiſtri ſui, & ſigno „ paſſionis excludunt &c.] Et in lib. de juſtitia c. 22. [Hi cùm corpora hominum occu„ pant, animaſque divexant; adiurantur ab his, „ & nomine Dei veri fugantur. Quo audito „ tremunt, exclamant, & uri ſe, verberarique „ teſtantur; & interrogati, qui ſint, quando „ venerint, quomodo in hominem irrepſerint, „ confitentur. Sic exorti, & excruciati virtute „ divini nominis exulant.] Et S. Petrus Chryſologus in ſer. 18. [Dæmones ſub manibus „ noſtris torquentur imperantibus nobis; qui „ nos ſubijciebant lignis, lapidibùs addice„ bant.] Plurima eſt apud omnes veteres Patres exorciſmorum, & exorciſtarum mentio: Neque nunc opus eſt pluribus. Nullum tamen reperias hæreticum, aut falſæ alterius religionis hominem, qui hæc tentare audeat; aut ſi temerè tentet, perficere contrà dæmones poſſit. Illis ſolis obediunt, & ſubijciuntur ſuperbi ſpiritus; qui catholicæ Eccleſiæ fidem habent; hæc eſt igitur ſola vera fides. Ut enim Chriſto jubente exibant dæmonia à multis clamantia, ipſum eſſe filium Dei, ut Luc. 4. narratur: ita nunc ſectatoribus Chriſti nomine, ac virtute illius agentibus dùm obſeſſa deſerunt corpora; ſi non voce, re ipſa certè hanc eſſe veram fidem, hominemque adjurantem, legitimum Chriſti miniſtrum, & ſectatorem proclamant. *7. Prædicatio.*

Septimum & quidem magnum argumentum eſt & illud; quô apud S. Io: Damaſcenum legimus uſum fuiſſe Barlaãm, dum de vera fide inſtrueret Ioſaphat c. 32. Quod ab idiotis hominibus prædicata, & à ſapientibus mundi, atque Imperatoribus viribus omnibus oppugnata; totum tamen occupavit mundum. Romulum olim in Deorum relatum numerum laudare ſe plurimum credidit Tullius, ut eſt apud S. Auguſtinum in lib. 22. de Ciuit. Dei c. 6. Cum eum dixit non priſcis, ac minùs eruditis hominum ſæculis habitum fuiſſe Deum; ſed excultis iam hominibus, neque ad credendum procliuibus. At id verius de Chriſto &

E ejus

Digitized by Google

ejus fide dici poteſt; quæ difficilioribus ſæculis, & philoſophicis, atque humanis diſciplinis aſſuetis, à piſcatoribus, & idiotis hominibus promulgata, non ab una tantùm Ciuitate ut Romulus, ſed à toto mundo, & omni hominum genere ſuſcepta eſt.[Chriſtus elegit diſci-„ pulos humiliter natos (ratiocinatur Aug. lib. „ 18. ejuſdem operis c.49.) inhonoratos, illit-„ teratos; ut quidquid magnum eſſent, & face-„ rent, ipſe in eis eſſet & faceret.] Et conc. 2. in pſ. 36. [Non de oratore piſcatorem; ſed de „ piſcatore lucratus eſt oratorem; de piſcatore „ lucratus eſt Senatorem; de piſcatore lucratus „ eſt Imperatorem.] Et in tr.7. in Io.[Chriſtus „ volens ſuperborum frangere ceruices, non „ quæſiuit per oratorem piſcatorem; ſed per „ piſcatorem lucratus eſt Imperatorem.] Et ſer. 29. de verbis Apoſtoli: [Petrus fuit piſca-„ tor, & modò magnam laudem habet orator, „ ſi potuerit ab illo intelligi piſcator. Si Chri-„ ſtus eligeret oratorem; diceret orator elo-„ quentiæ meæ merito electus ſum. Si eligeret „ ſenatorem, diceret Senator, dignitatis meæ „ merito electus ſum: ſi eligeret Imperatorem, „ diceret Imperator, poteſtatis meæ merito „ electus ſum. Quieſcant iſti; non contem-„ nantur, ſed aliquantulùm differantur, nè poſ-„ ſint gloriari de ſemetipſis in ſemetipſis, & „ quæ ſeq.] Quid plura ſectamur? Ipſemet Apoſtolus Paulus in priore ad Cor. c. 1. duplicem expoſuit cauſam. Alteram; quia per ſapientiam non cognouit mundus Deum, ſed ut loquitur ad Rom. 1. Cùm Deum cognouiſſent, non ſicut Deum glorificaverunt, ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis; placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſaluos facere credentes. Alteram; quæ ſtulta ſunt mundi, elegit Deus, ut confundat ſapientes; & infirma mundi elegit, ut confundat fortia &c. ut non glorietur omnis caro in conſpectu eius; ſed tota gloria ipſi ſoli tribuatur; & ipſe bonorum omnium, & ſalutis noſtræ auctor agnoſcatur. Propterea Nathanaëlem, virum alioqui bonum, & verum Iſraëlitam, in quo ipſiuſmet Chriſti teſtimonio Io. 1. dolus non erat; non elegit in Apoſtolum; ut docuit S. Auguſtinus in pſ.65.& tr. 7. in Io. quia doctus erat, & peritus legis; nè propter doctrinam ſe electum diceret, aut per doctrinam convertiſſe homines putaretur, & Nicodemum ad Ieſum nocte veniſſe, ut teſtatur Io. c. 3. interpretatur idem Auguſtinus in epiſt. 28. ad Hier. [Quia fortaſsis e-„ rubeſcebat diſcere, qui docere conſueverat. „ Chriſtus autem humiles vult nec alta de ſe „ ſentientes.] Et S. quoque Hieronymus in Com. ad caput 4. Matthæi. [Piſcatores, ait, & „ illitterati mittuntur ad prædicandum, nè fides „ credentium non virtute Dei, ſed eloquentiâ, „ atq; doctrinâ fieri putaretur.] Sic igitur iam poſſumus ratiocinari cum Auguſtino lib. 22. de Civitate Dei c. 5. dùm de reſur. loquitur. Totus mundus Chriſti fidem, quam & nos ſequimur, amplexus eſt: ſi rem credibilem credidit; ſtolidi ſunt, aut maligni, & proterui, qui non credunt: ſin autem incredibilem; hoc profectò magis eſt incredibile, totum mundum rem incredibilem; idiotis dumtaxat, & illitteratis hominibus prædicantibus credidiſſe. Quâ in re ſunt plurima perpendenda. Primum quod non pauci aliqui homines crediderunt, ſed totus mundus; & doctiſsimi quique, ſapientiſsimi, & potentiſsimi; & cùm multi fuerint legiſlatores, Græci, Latini, Barbari; nullus potuit exteras nationes adducere, ut ſuas leges ſuſciperent; vixq; à ſua gente id quiſpiam obtinuit. Deindè non armis, & bello; non potentiâ, ſapientiâ, aut doctrinâ humanâ; ſed ſimplici paucisſimorum, & indoctiſsimorum hominum prædicatione; & alij omnes errores extincti, & hæc una fides eſt conſtituta. Tum verò non blanditijs, aut pollicitationibus allecti fuerunt homines: ſed à voluptuoſa vita, longaq; conſuetudine confirmata, ad arctam, & difficilem traducti, ab epulis ad ieiunium, à divitijs ad paupertatem, ab honoribus ad contemptum, à luxu ad temperantiam; propoſitis etiam contumelijs, flagris, vexationibus, cædibus, crucibus. Poſteà converſi ſunt ad hominem crucifixum, in quo ſpem omnem ſuam collocarent. Accedunt perſecutiones maximæ, quas, & Chriſtus à Iudæis, & Apoſtoli ac ſectatores à gentibus omnibus atque Imperatoribus uſquè ad Conſtantini tempora, tùm verò à Iudæis, atque hæreticis, qui religionem hanc omni humano præſidio deſtitutam impedire ſemper, & evertere conati ſunt: & tamen ea ſemper in perſecutionibus creuit. Adde divinam ultionem in eius perſecutores. Mitto miracula ad eam confirmandam, ſtabiliendam, & propagandam; vel etiam ſola invocatione nominis, Ieſu, aut Crucis ſigno facta; lege S. Auguſtin. in lib. de fide rerum inviſibilium c.7. & alios Patres. Itaque velùt clauſulam huius diſputationis verba ſubijciam eiuſdem Auguſtini in libro contrà epiſtolam Fund. capitulo 4. quibus quatuor omninò ex commemoratis, atque explicatis argumentis ità comprehendit. „ [Tenet me in eccleſiæ huius gremio conſen-„ ſio populorum, atque gentium; Tenet aucto-„ ritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, chari-„ tate aucta, vetuſtate firmata; Tenet ab ipſa „ ſede Petri Apoſtoli uſque ad præſentem Epi-„ ſcopatum ſucceſſio Sacerdotum; Tenet ipſum „ catholicæ nomen, quod non ſine cauſa inter „ tàm multas hæreſes iſta eccleſia ſola obti-„ nuit. Apud hæreticos autèm nihil horum „ eſt, quod me invitet, ac teneat: ſola perſonat „ veritatis pollicitatio, ſi autem tantummodò „ promittitur & non exhibetur; nemo me mo-

Digitized by Google

vebit ab ea fide, quæ animum meum tot, & tantis nexibus Chriſtianę religioni aſtringit.]

CAPUT XXIV.

Fidei confeſsio.

VERVM enimverò non defuerunt hæretici; qui fidem in perſecutione negari ore poſſe, & verò negandam eſſe docuerint, modò corde retineatur. Teſtatur hoc de Elceſæis S. Auguſtinus in lib. de hæreſibus num. 10. Ex Euſebio lib. 6. c. 28. & universè Priſcillianiſtas dogmatizaſſe mendacium; nullum aſſerentes eſſe peccatum ore proferre falſum, ſi in corde retineas, quod verum eſt; auctor eſt idem S. Auguſtinus in lib. contrà mendacium cap. 2. Undè illa apud eos ſolemnia verba, quæ idem Aug. refert in libro de hæreſibus num. 70. [Iura, periura; ſecretum prodere noli.] De mendacio non eſt nobis hoc loco diſputandum; ſatis ſit Auguſtini confutatio. De fide noſtri quoquè temporis hæretici contendunt poſſe negari ore. Sed verè adverſus Priſcillianiſtas argumentatur Auguſt. Si mentiri liceat, veritate in corde ſeruata; tolluntur martyres, & martyria; quæ non aliam ob cauſam ſunt in eccleſia; niſi quià martyres conſtanter fidem, quam in corde habent, confitentur & ore. Et aperta fuit Pauli ſententia in ep. ad Rom. cap. 10. Corde creditur ad iuſtitiam, ore autèm confeſſio fit ad ſalutem. Si ergò velis eſſe ſalvus, neceſſe eſt & ore confiteri. S. Gregor. Nazian. in or. de moderatione in diſputationibus ſervanda; [Iuſtitia quidem eſt vel ſolùm credere: at plena numeriſque omnibus abſoluta ſalus in eo poſita eſt, ut etiàm confiteamur, & cognitioni profeſſionem dicendiq; libertatem adjungamus.] Et S. Io. Chryſ. h. 31. operis imperf. [Fructus boni operis gratioſior eſt apud Deum in pace: quàm in perſecutione: fructus autem confeſsionis fidei in confeſsione gratioſior eſt; quàm in pace.] Et S. Auguſt. in lib. de fide & ſymbolo c. 1. [Salvi fieri non poſſumus, niſi etiàm ore profiteamur fidem, quàm corde geſtamus.] Sed extant Chriſti Domini verba Matt. 10. omnis, inquit, qui confitebitur me coràm hominibus, confitebor, & ego eum coràm Patre meo, qui in cœlis eſt: qui autem negauerit me coràm hominibus, negabo & ego eum coràm patre meo, qui in cœlis eſt. Coràm hominibus ait; Non ergò ſatis eſt in corde coràm Deo: undè & Paulus ſecunda Tim. 2. Si negauerimus, & ille negabit nos. S. Auguſtinus in pſal. 39. accommodat verba pſalmi; Ecce labia mea non prohibebo, Domine tu ſciſti; [Nè credat corde, & præ timore labia prohibeat annuntiare, quod credidit. Dicant labia, quod habet cor; hoc contrà timorem habeat cor, quod dicunt labia; hoc contrà ſimulationem habeant labia, quod credit cor. Conſentiant labia tua cordi tuo. Quærens pacem à Deo, tibi ipſi eſto pacatus: non ſit inter os tuum, & cor tuum mala rixa, &c.] Qui ſecùs agat, veritatis eſt proditor. [Non ſolùm enim (inquit S. Ioan. Chryſ. h. 25. operis imperfecti) ille proditor eſt veritatis, qui tranſgrediens veritatem, palàm mendacium pro veritate loquitur. Sed etiàm ille, qui non liberè pronuntiat veritatem, quàm liberè pronuntiare oportet: aut non liberè veritatem defendit, quàm liberè defendere oportet.] Ex quibus verbis intelligimus, non ſolùm negare fidem, ſed & tacere, nec illam liberè profiteri, peccatum eſſe. [Multi enim Chriſtianorum (ſubjungit ille) palàm quidem tranſgredi veritatem putant peccatum; tacere autem veritatem coràm infidelibus, non putant eſſe peccatum, & proptereà multi inveniuntur in eodem reatu.] Eòque tandem rem deducit, ut ſi provocatus aſpicias idolum, hoc ipſo fidem negaveris. [Si quis, inquit, tibi dicat, non manduces idolothytum, ſed aſpice tantùm ad idola, quomodo ſpecioſa ſunt: ſi aſpexeris provocatus, oculis tuis negaſti Chriſtum? Non quia aſpicere idola aliquid ſit, ſed quia invitatus aſpicis, peccas. Si autem non aſpexeris, oculis tuis confeſſus es Chriſtum, idemque de cæteris affirmat ſenſibus.]

Extant porrò aperta Pauli verba ad Rom. 10. Corde creditur ad iuſtitiam, ore autèm confeſsio fit ad ſalutem. [Et ſi enim (ut habet S. Auguſt. in ſer. 181. de tempore) hanc in cordibus noſtris agnoſcat, qui ſcrutatur renes & corda; propter conſeruandam tamen Eccleſiæ unitatem, cum fide cordis neceſſaria eſt oris confeſsio.] Fidei autèm tribuit Paulus iuſtitiam, & fidei confeſsioni ſalutem: quià poteſt quis eſſe iuſtus, & non conſequi ſalutem æternam; quoniàm inter hæc ſunt intermedia multa, quæ obſeruare oportet eum, qui vult ſalvus eſſe: poteſt autem habere fidem nec eam confiteri. Petrus ore negauit Chriſtum, & negando peccauit grauiter; & corde tamen retinuit fidem; [Quis ita evaneſcat (inquit S. Auguſtinus in lib. contrà mendacium cap. 6.) ut exiſtimet Apoſtolum Petrum hoc habuiſſe in corde, quod in ore, quandò Chriſtum negauit? Nempè in illa negatione intùs veritatem tenebat, & foris mendacium proferebat. Cur ergò lacrymis diluit, quod ore negauerat, ſi ſaluti ſufficiebat, quod corde credebat?] Oportet ergò & confiteri fidem, aut ore, aut externis ſignis, & cæremonijs, ubi & quando opus eſt. Eſt enim præceptum affirmativum, quod non ſemper obligat; ſed quando res exigit; hoc eſt, quandò negantibus nobis, aut diſsimulantibus, detrimenti aliquid acceptura ſit religio noſtra, aut contra-

Digitized by Google

Diſſimulare fidem, ut liceat.

ria confirmationem. Alioqui & in veteri lege, & in noua ſæpius legimus diſsimulatum. David 1. reg. 21. coràm Achis idolatra rege occultans quis eſſet, ſimulauit ſe ſtultum. At non erat neceſſe profiteri quis eſſet; nec divino cultui detrahebatur quidquam diſsimulando: plurimùm autem ſuæ proderat vitæ. Et lib. 4. c. 5. Naäman Syro conceſsit Eliſæus, ut flecteret genu, cùm rex innixus ſuper manum ſuam ingrederetur in templum Remmon, ut adoraret: quoniàm nemo ſciebat illum eſſe veri Dei cultorem, neque in tanta multitudine hominum obeſſe illius exemplum poterat. Eliſæus omnibus notus id non feciſſet. Et cap. 10. ejuſdem libri Iehu cultorem ſe Baäl ſimulauit; ut Sacerdotes omnes, & cultores falſi Dei interficeret. Aſtutia illius fuit, & deceptio; minimè tamen imitanda. Sed veniamus ad noſtra. Paulus Act. 16. Timotheum gentilis hominis filium circumcidit; propter Iudæos; cùm tamen ipſe fidelis eſſet. Quo conſilio id fecerit, expoſuit ipſemet in 1. Cor. 9. cùm dixit; factus ſum Iudæis tanquàm Iudæus, ut Iudæos lucrarer; & omnia omnibus factus ſum, ut omnes lucrifacerem. Sed de Petri ſimulatione major difficultas, & actis inter Auguſtinum, & Hieronymum diſceptatio. Illum enim cum gentibus ediſſe, ſeque mox ab illis propter Iudæos ſubtraxiſſe; ſcribit ad Gal. c. 2. Paulus; à quo & reprehenſus fuit. Iulianum apoſtatam propterea illum appellaſſe hypocritam, teſtatur S. Cyrillus Alexandrinus extremo lib. 9. contrà ipſum. Et Porphyrius alter apoſtata, Petrum erroris, & Paulum procacitatis, noſque omnes ficti dogmatis accuſauit; ut auctor eſt S. Hieronymus in Ep. ad Auguſtinum; & in proëmio Com. in Epiſtolam ad Galatas. Sed ut mittam non defuiſſe, quemadmodùm ſcribit S. Gregorius Papa h. 18. in Ezech. qui non hunc Petrum Apoſtolum, ſed alium quemdam à Paulo dicerent reprehenſum: S. Auguſtinus verè, & ex animo reprehenſum contendit: S. Hieronymus cum Origene contrà argumentantur, ſeriò reprehendi non potuiſſe; quià nil aliud fecerat, quàm quod ipſemet Paulus; qui & ipſe ſimulaverat. Verum tunc fortaſſè diſſimulatio magis obeſſe poterat, & ideò fuit à Paulo reprehenſa. S. item Io. Chryſ. in Com. illius loci, Petrum ait nequaquam fuiſſe reprehenſum, cùm illius optimam mentem optimè noſſet Paulus; ſed in ſpeciem reprehenſum; nè diſcipuli fortaſſe offenderentur; qui aliud Hieroſolymis, aliud Antiochiæ agentem Petrum videbant. Et S. Cyrillus diſpenſationem addit fuiſſe; quâ ſe Petrus omni modo ijs, qui ad ipſum accedebant, prodeſſe ſtudebat. Et optimè meo judicio Tertullianus in lib. de præſcriptionibus cap. 23. & lib. primo adverſùs Marcionem c. 20. & lib. 4. c. 3. reprehenſum fuiſſe reſpondit ob vitium converſationis; non prædicationis, aut fidei alioquin in prædicationis unitate dexteras junxerant.

Petrus à Paulo reprehenſus.

CAPUT XXV.

Myſteria non prodenda.

NEQVE verò permiſerunt veteres Eccleſiæ Patres, temerè curioſis hominibus fidei noſtræ myſteria reuelari, tùm propter eorum dignitatem, ac venerationem maiorem, tùm nè ab imperitis, & minùs eorum capacibus hominibus irriderentur. Ità monuit Tertullianus in ſecundo ad uxorem libro c. 5. & delictum arbitratus eſt, quod Gentiles noſtra noſſent. Eamque Chriſtianam latere voluit, cùm lectulum, corpuſque ſuum ſignaret; cùm per noctem ad orationem ſurgeret; nè Magiæ aliquid operari crederetur; ac demùm cùm Euchariſtiam ſumeret. [Non ſciet maritus, quid ſecretò antè omnem cibum guſtes; etſi ſciuerit panem, non illum credet eſſe, qui dicitur.] Et in apologetico c. 7. [Omnibus myſterijs ſilentij fides debetur.] Et Ambroſius in pſal. 45. acceptis illis verbis pſalmi 50. Occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi. [Ergò, inquit, in occultis cordis noſtri occulta ſapientiæ recondamus; non temerè aliquibus divulgemus, niſi ſacramentorum conſortibus, quos Dominus vocauit ad gratiam ſuam. Nam ipſe Dominns ad percipiendam legem ſolum Moyſem voluit in montem aſcendere, & Chriſtus Petro, Iacobo, & Ioanni ſolis ex omni numero diſcipulorum reſurrectionis ſuæ gloriam revelauit: ſed nec illi potuerunt fulgorem gloriæ ſuſtinere, ſed ceciderunt in terram, & Chriſtus præcepit illis, nè cui dicerent.] Et in ſer. 2. in pſ. 118. dùm illa verba conſiderat. In corde meo abſcondi eloquia tua, ut non peccem tibi: Secretum obſeruat quatuor ob cauſas detegi, aut adulatione, aut avaritia, aut jactantia, aut loquacitate. Sed Paulus Corinthijs dixit, lac vobis potum dedi, non eſcam; nondùm enim poteratis. Apud Epheſios autem diutiùs manſit, quod oſtium magnum apertum videret; notum facere gentibus myſterium Chriſti. Et Dominus Cœlorum Regnum dixit ſimile theſauro abſcondito in agro; quem qui invenit homo, abſcondit in corde ſuo: & qui theſauros ſuos oſtendit Babylonijs Iſ. 39. amiſit illos; & Matt. 7. monemur, nè margaritas noſtras mittamus antè porcos; & Maria Luc. 2. conſervabat omnia verba Domini in corde ſuo. [Quædam enim ſunt myſteria religionis noſtræ (ut idem habet in Com. 2. c. Epiſtolæ prioris ad Theſſ.) quæ propter carnales ſenſus, nè ſcandalum patiantur, facilè publicari non debent; quia non omnibus dicenda ſunt omnia, ſed pro uniuſcujuſq;

Digitized by Google

„ cujuſq; captu moderanda ſunt dicta; aliter ru-
„ dibus, aliter fundatis.] Curioſis præſertim, qui non cupiunt indè proficere, exponenda non eſſe, dixit S. Proſper in pſ. 136. S. Cyr. Alex. lib. 3. in Io. c. 36. Propterea Chriſtum ſcribit parabolis, & enygmatibus uti ſolitum fuiſſe, nec apertè locutum, nè res divinæ ſceleſtis hominibus in deriſionem paterent. Et Theodoretus lib. 1. de Græcarum affect. curatione, nè theologiam quidem ethnicorum toti populo communem fuiſſe, & cognitam, ſed ſolis ſacerdotibus; Verùm ex enygmatibus tota conſtabat, & ſymbolis; nè paſſim ab omnibus intelligeretur. Et S. Io. Chryſ. in pſ. 136. Iudæos affirmauit in captivitate noluiſſe cantare cantica Domini; quia non oportebat prophanas aures arcana illa audire. Ac demùm S. Greg. Nazian. orat. 2. in paſcha, propterea cogitauit de agno paſchali juſſum fuiſſe, nè quid efferretur, aut uſquè manè relinqueretur. [Ut intelligeremus, nè exteris
„ quidem, & prophanis hominibus myſterio-
„ rum noſtrorum partem efferendam.] Inter cætera, ſymboli præſertim, & orationis Dominicæ myſteria non prodenda; monet S. Ambr. in lib. 1. de Abel, & Cain c. 9. [Caue nè in-
„ cautè ſymboli, & orationis Dominicæ divul-
„ ges myſteria.]

CAPUT XXVI.

Fidei ſymbolum.

HÆRETICI autèm, ut veræ fidei puritatem conati ſunt ſemper corrumpère, ac perturbare; ita ſymbolum illius aut perverſis interpretationibus inquinârunt, aut novum novæ doctrinæ confaſcinârunt. Nam, & Photinum ſcripſiſſe in ſymbolum, ſcimus ex S. Cypriano in expoſitione in ſymbolum, quæ inter Hieronymi quoque opera adſcripta habetur, titulo, Ruffini: & Arianorum ſymbolum ab ipſis ſymbolo Nicenæ ſynodi oppoſitum, legimus apud S. Athan. in ep. de ſynodis Arimini, & Seleuciæ celebratis: & omninò ſcribit S. Auguſt. in libro de fide, & ſymbolo cap. 1. in ſymbolo eos conatos fuiſſe venena ſua occultare.

Symbolum triplex. Catholica eccleſia triplex agnoſcit ſymbolum: Primum, quod Apoſtolorum dicitur; alterum Nicenæ ſynodi à 318. Epiſc. celebratæ, tertium S. Athanaſij. Primum omnium breuiſſimum, & omninò conciſum; ſecundum, ac tertium explicata magis, proptèr Arij hæreſim excitatam. *Symbolum quid.* Sed ſymboli nomen primùm eſt intelligendum. Symbolum Græca vox eſt; quæ collationem ſignificat; hoc eſt, quod plures in unum conferunt: à verbo συμβάλλω, quod eſt confero. Et ſymbolum ſeu ſymbola, cœna illa dicebatur, in quam comparandam plures conferebant. Sic Plaut. in Curt.
„ [Symbolorum collatores apud forum piſca-
„ rium.] Et Terent. in Andr. [Symbolum
„ dedit, cœnauit;] Et in eun. [Coimus in Pi-
„ ræo, ut de ſymbolis eſſemus.] Sic, & inter noſtros Tertull. in libro adverſus Valentinianos c. 12. [Nautæ ad ſymbolam ſemper exul-
„ tant.] Id eſt ad collationem: & Salomon Prov. 23. Noli eſſe in commeſſationibus eorum, qui carnes ad veſcendum conferunt, quia dantes ſymbola conſumentur. Quod in Laodiceno quoque concilio prohibitum legimus c. 55. [Non oportet, inquit, miniſtros altaris,
„ vel quoſlibet clericos, vel etiam laicos Chri-
„ ſtianos ex ſymbolis (quæ vulgus commiſſa-
„ lia appellat) conviuia celebrare.] Symbolum etiam dicitur ſignum, & teſſera militaris, quâ eiuſdem militiæ ſocij ab hoſtibus dignoſcuntur. Plaut. in Bacc: [Homini oſtendit ſym-
„ bolum, quem tutè dederas, ut ferret filio.] Et in Pſeud: [Miles hic reliquit ſymbolum, ex-
„ preſſam in cera ex annulo ſuam imaginem.] Hinc etiàm ſymbola dicuntur teſſeræ quædam, quæ aut publicè à ciuitatibus, aut à priuatis hominibus dantur quibuſdam, ut amicè accipiantur aut ad colloquendum, & contrahendum admittantur. S. Cypr. utramque ob cauſam dictum vult Apoſtolorum ſymbolum, velùt collationem Apoſtolorum omnium; qui ad prædicandum Chriſtum per totum mundum diſceſſuri, ſingulis aliquid conferentibus, hanc veluti fidei, & prædicationis regulam compoſuerunt, ut eadem eſſet, & conformis omnium prædicatio, & una fides in toto mundo annuntiaretur: & velut ſignum, & teſſera, quâ veri Apoſtoli à pſeudoapoſtolis dignoſcerentur. [Multi enim ex Iudæis ſi-
„ mulabant ſe eſſe Apoſtolos Chriſti, & lucri
„ alicujus, vel ventris gratia ad prædicandum
„ proficiſcebantur, non integris traditionum
„ lineis Chriſtum nuntiantes.] Quid autem ſinguli Apoſtoli ad conficiendum Symbolum attulerint; habes apud S. Auguſtinum in ſer. 115. de tempore. [Eſtque ut idem habet,
„ ſimplex, breue, & plenum, ut ſimplicitas con-
„ ſulat audientium ruſticitati, breuitas memo-
„ riæ, plenitudo doctrinæ.] Fidei catholicę fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum manibus conſtructum, appellauit idem Aug. in 3. libro de Symbolo ad Catechumenos cap. 1. quod carnaliter cogitatum eſt lac parvulorum; ſpiritualiter autèm conſideratum cibus fortium, ut habet in Enchyridio c. 114. Eſt etiam ſpeculum noſtrum, in quo nos ipſos videmus, an credamus omnia, quæ nos credere profitemur. Sic enim habet in extrema h. 42. libri. 50. homiliarum. Namque regula eſt fidei noſtræ, ſententia Tertull. in libro de præſcriptionibus adverſus hæreticos c. 13. & adverſus Praxeam c. 2. & de virginibus velan-

dis c. 1. Cypr. loco notato, S. Leonis ſer. 11. de paſſione Domini, S. Auguſt. lib. 8. confeſſ. c. 2. & lib. de fide, & ſymbolo c. 1. & lib. 1. de ſymb. ad catechumenos c. 1. & ſer. 115. & 181. de tempore. Eſt ſumma divini cultus, in Enchyr. cap. 7. & ſumma profeſſionis noſtræ, Chryſ. h. 1. in ſymbolum. Integrum ſymbolum recitat Tertull. in libro de præſcriptionibus cap. 13. ſed non parùm mireris, ſi in cap. 14. legas à Chriſto fuiſſe inſtitutum; niſi intelligas dictum, quia Chriſti fidem Apoſtolis ab ipſo traditam continet. Alioquin ab Apoſtolis, non à Chriſto, compoſitum fuiſſe, conſtat apud omnes, quos jam ſignificaui; & apud Auguſt. ſer. 181. de temp. & S. Amb. in ſer. de jejunio Eliæ; [Clauis, inquit, Petri fides, „ quam 12. Apoſtoli, velut periti artifices, in „ unum convenientes ſuo conſilio conflaue- „ runt, ſymbolum componentes.] Et ſer. 38. „ [Duodecim Apoſtolorum ſymbolo fides ſan- „ cta concepta eſt, qui velut periti artifices in „ unum convenientes clauem ſuo conſilio con- „ flauerunt.] Et Ep. 7. ad Siricium Papam; „ [Credatur Symbolo Apoſtolorum, quod Ec- „ cleſia Romana iteratum ſemper cuſtodit, & ſervat.] Et S. Cyrillus Alexandrinus lib. 1. de recta fide ad reginas, traditionem Apoſtolicam appellat Symbolum. Et S. Leo ſer. contrà hæreſim Eutychetis; & ep. 13. & 25. ab Apoſtolis ait, inſtitutum. Magis mireris Euſebium Emiſſ. h. 1. de Symbolo ita loquentem. [Ec- „ cleſiarum Patres de Populorum ſalute ſolli- „ citi ex diverſis voluminibus ſcripturarum „ collegerunt teſtimonia, divinis grauida Sa- „ cramentis &c.] Sed cum totus ille ſermo ſit contrà Arianos, loqui videtur de Symbolo Nicæno, aut Athanaſij. Breviarium fidei appellauit S. Leo Ep. 56. & verbum abbreuiatum, de quo Iſ. 10. Cypr. vel quiſquis fuit auctor expoſitionis in Symbolum. Paucis enim verbis multa continet. Monet tamen S. Anſel. in tract. de Sacramento Altaris c. 15. non omnia credenda in Symbolo contineri, quod ſatis manifeſtum eſt; cùm & ex ſacris litteris & ex Eccleſiaſtica traditione habeantur in Symbolo non contenta. Denique S. Aug. in lib. 50. homiliarum h. 42. Symbolum, & quando ſurgimus è lecto, & cum imus ad ſomnum vult à nobis recitari quotidiè. Addit S. Ambr. in tertio libro de virginibus; [Si quando ali- „ quid occurrat periculi, Symbolum, inquit, „ ſpecialiter debemus tanquàm noſtri ſigna- „ culum cordis antelucanis horis quotidiè re- „ cenſere. Quo etiàm cùm horremus aliquid, „ animo, recurrendum eſt. Quando enim, ſinè „ militiæ ſacramento miles in tentorio, bella- „ tor in prælio?] De Symbolis, Nicæno, & Athan. non eſt neceſſe plura dicere. Eandem enim fidem ſed magis explicatam, proptèr Arianorum hæreſim continent. Satis eſt adnotare id quod habet auctor expoſitionis citatæ in Symbolum. In diverſis eccleſijs aliqua Apoſtolorum ſymbolo fuiſſe adjecta; proptèr hæreſes ſcilicet inſurgentes: In Eccleſia Romana non item; ſed illæſum ſymbolum Apoſtolorum fuiſſe ſemper conſervatum, quòd nulla ibi hæreſis ſumpſit exordium quod & S. Leo confirmat in ſer. contrà hæreſim Eutychetis, quin potiùs illa hæreſes omnes expugnavit; ut ſcribit Leo nonus in libro adverſus præſumptiones Michaëlis, & Leonis Archidani cap. 7.

Symbolum à quo compoſitum.

CAPUT XXVII.

Fidei bonum.

At huic tractatui imponamus finem, ut progrediamur ad alia. Fidem omninò S. Auguſt. in pſal. 134. primogenitam noſtram appellauit. Eſt enim virtus intellectus, qui eſt prima hominis virtus, & facultas: & ut ipſemet loquitur, vel quiſquis fuit auctor libri de fide ad Petrum, in prologo, eſt initium ſalutis noſtræ, & bonorum omnium, eſſe clavem regni cœleſtis à Chriſto datam Petro atque totius religionis noſtræ fundamentum, in ſuperioribus audiſti. Undè S. Hilarius lib. 6. de Trin. [Hæc fides, inquit, eccleſiæ fundamen- „ tum eſt: per hanc fidem infirmæ adverſùs eam „ ſunt portæ inferorum. Hæc fides, regni cœ- „ leſtis habet claues: hæc fides, quę in terris ſol- „ verit aut ligaverit, & ligata ſunt in cœlis, & „ ſoluta.] Eſſe pretioſiſſimum lapidem, S. Io. Damaſ. in hiſtoria Barlaäm; qui ut admitteretur ad Joſaphat Evangelium Chriſti prædicaturus; pretioſiſſimum lapidem, qui omnes alios ſuperàret, donare illi ſe velle dixit. Nam & Chriſtus Matt. 13. pretioſæ comparauit margaritæ eſſe Chriſtiani hominis veſtimentum, peccati noſtri obnubens turpitudinem, S. Baſil. ad caput 9. Iſaiæ. Quicumque enim in Chriſto baptizati ſumus, Chriſtum induimus; ut in ep. ad Gal. cap. 3. ſcripſit Paulus. Et in Prov. c. 31. Byſſus, & purpura dicitur indumentum eius. [Quoniam, ut in libro de Tobia c. 20. „ Ambr. loquitur, indumentum fidei ex præ- „ dicatione cœleſtium, & Dominicæ paſſionis „ ſanguine conſtat.] Eſſe ſacram quamdam anchoram, quæ undique ſuſtentet eum, qui illi adhæret. Quod tunc maximè oſtenditur, quando in maxima rerum difficultate perſuadet, ut bonam ſpem exſpectet: fuerunt verba S. Io. Chryſ. in pſ. 115. quæ à Paulo confirmantur in ep. ad Hebr. cap. 6. cùm ait, fortiſſimum nos ſolatium habere, qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpem, quam ſicut anchoram habemus animæ tutam, ac firmam, & incedentem uſquè ad interiora velaminis, eſſe loricam, & ſcutum, S. Aug. in pſ. 34.

Digitized by Google

pſ. 34. [Scutum; quia tela inimicorum excipit, & repellit: Loricam; quia interiora noſtra transfigi non ſinit. [Undè hortatur Paulus Eph. 6. In omnibus ſumentes ſcutum fidei; & 1. Theſ. 5. induti Loricam fidei. Et idem Auguſt. in ſer. de S. Vincentio; [Fides pugnat, & quando fides pugnat, fidem nullus expugnat.] Eſſe pecuniam probatam, & ſiculum ſanctum, quo jubebatur emi aries, hoc eſt Chriſtus, immolandus Domino; hæreſim verò eſſe pecuniam reprobam, & adulterinam, quæ nomen quidem regis habeat, ſed veritatem regiæ figuræ non teneat; habes apud Origenem ſub finem h. 3. in Levit: eſſe denique lumen intelligentiæ noſtræ ad cognoſcendum Deum; eaque intelligenda, quæ ad æternam ſalutem noſtram pertinent; S. Cyrillus Hieroſolym. cathec. 5. [Hanc, inquit S. Emiſſenus h. 2. de ſymbolo, nobis fidem velut magnam lampadem Chriſtus adveniens errantibus viam monſtraturus exhibuit; per quam poſſit Deus ignotus requiri, quæſitus credi, creditus inveniri.] Appoſitè obſervat S. Auguſt. in pſal. 64. fidem noſtram fuiſſe ſplendorem in facie Moyſi, in quam intendere non poterant filij Iſraël; ſed velamen erat inter faciem loquentis Moyſi, & populum audientem verba; per velum enim audiebant verba, faciem non videbant. Sed patiente Chriſto velum templi ſciſſum eſt, & ablatum velamen, & jam ſplendore fidei coruſcante quod in figura contingebat illis, & futurum adumbrabatur, nos factum habemus. Sed neque hoc noſtrum lumen caret umbra, & tenebris. Quia clarè non videmus quod credimus; ſed velut per ſpeculum, & in enygmate: ſperantes aliquando videre facie ad faciem. [Bona fidei umbra (inquit S. Bernardus ſer. 31. in Cant.) quæ lucem temperat oculo caliganti, & oculum præparat luci; fide mundans corda noſtra, Actor. 15. nam, & Mater Domini habuit de Chriſti corpore umbram, & virtus altiſſimi obumbravit ei; ut quod impoſſibile erat mortali fœminæ, objectu involucri viuifici corporis ferret præſentiam majeſtatis, & lucem ſuſtineret inacceſſibilem.] Et ſer. 33. Chriſtum adnotat Io. 12. dixiſſe diſcipulis, adhuc modicum lumen in vobis eſt: eò quòd aurora eſſet fidei, & initium diei; dum ſol Chriſtus adhuc abſconderet radios ſuos, nec eos ſpargeret ſuper terram. Et Paulus Rom. 13. Nox præceſſit, dies autem appropinquavit; ſignificans eſſe adhuc modicum lumen. Et Matt. 16. Valdè manè veniunt ad monumentum, orto jam ſole; [Quia Chriſtus reſurgens attulit ſereniorem ſolito lucem, & fugavit auroram. Sed ad meridiem non perveniet, donec glorioſus veniat, aut à beatis videatur in cœlo; quod deſiderans ſponſa dicebat: Indica mihi ubi cubes in meridie.]

2. Cor. 3.

CAPUT XXVIII.

Fides tenenda.

EX quibus jam intelligas, quàm conſtanter, & firmiter tenenda ſit ſemper fides. Serpentis prudentiam voluerunt Patres à Chriſto nobis propoſitam ad imitandum; cùm dixit, eſtote prudentes, ſicut ſerpentes. Ita Sanctus Hilar. Can. 10. in Matth. & S. Ambr. in pſal. 37. & ſer. 20. in pſal. 118. & S. Aug. lib. 2. de doctrina Chriſtiana c. 16. & lib. qq. Evangelicarum ſecundùm Matthæum q. 8. & ſer. 4. ad fratres in eremo, ubi quadruplicem memorat ſerpentis prudentiam. Et S. Io. Chryſ. h. 34. in Matthæum. [Ut enim ſerpens totum corpus exponit, nec minimum curat ſi corpus inciditur, modò caput ſuum integrum ſervet; ſic & nos cætera perdere non curemus, modò Chriſtum caput noſtrum, & illius fidem illæſam conſervemus.] Et Sanctus Cyrillus Alexand. in epiſtola 10. hùc etiam adfert illa ejuſdem Chriſti verba; Veni ſeparare hominem adverſus Patrem ſuum &c. [Si quidem, inquit, ubi fides læditur; valeat tanquam inanis, & perículoſa, quæ ergà parentes eſt reverentia; quieſcat lex illa amoris ergà liberos, & fratres; & jam pijs melius ſit mori, quàm viuere; ut meliorem acquirant reſurrectionem.]

FINIS SECUNDI LIBRI.

Digitized by Google

DE VITIIS FIDEI OPPOSITIS.

LIBER TERTIVS.

TRIPLEX fidei opponitur vitium; Infidelitas, Apoſtaſia, Hæreſis. Infidelitas privatio eſt fidei, Apoſtaſia abjectio, Hæreſis vitiatio. Infidelitas fidem non admittit, Apoſtaſia admiſſam abijcit, Hæreſis corrumpit, erroreque aliquo vitiat. Infidelitas autem, vel eſt quod nullus Deus eſſe credatur, vel quòd falſus colatur; vel demùm, quòd ſi verus colatur, Chriſtus tamen illius filius non credatur. Hinc infidelitas triplex; Atheiſmus, Paganiſmus ſeu Gentiliſmus, & Iudaiſmus.

CAPUT I.

Atheiſmus.

DEUM eſſe, eſt quidem ſuaptè natura per ſe notum; quoniam inter attributum, & ſubjectum nullum eſt medium; neque in Deo ulla eſt diſtinctio exiſtentiæ ab eſſentia; quæ fit ex natura rei. Nobis tamen fortaſſè non item. Nam quod eſt per ſe notum, à nullo negatur, ut totum ſua parte majus eſſet: at complures legimus Atheos pernegaſſe Deum: ut Diagoram, Protagoram, Theodorum, & alios apud Ciceronem in libris de natura Deorum, & Plutarchum libro 1. de placitis Philoſophorum cap. 7. Athenagoram in or. pro Chriſtianis, & Lactant. in libro de falſa relig. cap. 2. & libro de falſa ſapientia cap. 10. & 28. & libro de ira Dei cap. 9. & S. Iren. libro 2. cap. 19. S. Greg. Nazian. in carminibus jambicis, Arnobium libro 8. adverſus gentes, Euſeb. Cæſar. libro 14. de præpar. cap. 6. Epiphan. in Ancorato, & S. Ioan. Chryſ. hom. 4. in priorem ep. ad Cor. Quin etiam Socratem propterea fuiſſe ab Athenienſibus necatum, quod Deos negaret; tradidit Tertull. in apolog. cap. 46. & poſt eum alij, quamquàm non de vero Deo, ſed de gentium Dijs hæc interpretentur nonnulli; ut Clemens Alexandrinus in or. adhortatoria ad Gentes, Sanctus Juſtinus in or. ad Antoninum Pium, & Euſeb. libro 13. de præpar. cap. 4. ſed multa eſt apud Patres Atheorum mentio, & multa contrà eos ſcripta; ut apud Sanctum Baſilium in homilia quod Deus non ſit auctor malorum. Cum Atheis conjungi poſſunt illi Philoſophi; qui in omnibus rebus ſuſtinentes aſſenſum, Sceptici, ſeu Aporithici, & Effectici, dicti ſunt. Hi enim æquè probabile eſſe utrumque dixerunt, & eſſe Deum & non eſſe. Inter quos Pyrrhonij, & Academici: & à veteribus Chriſtianis numeratus eſt Cicero; quem propterea ſcripſiſſe crediderunt libros de natura Deorum, non magis ut probaret eſſe, quàm non eſſe. Quod intelligitur ex S. Aug. lib. 4. de Civit. Dei c. 30. & lib. 5. c. 9. etſi ſecus ſcribat Arnobius lib. 3. adverſus gentes. Scitumque eſt illud Platonis in Timæo, & velut Socratis dictum adfert S. Iuſtin. in orat. ad gentes; [Deum neque invenire facile, neque „ inventum in vulgus promulgare, tutum eſt.]

CAPUT II.

Deum eſſe.

AT Dei cognitio inſita prorſùs eſt nobis à natura. Nam ut verbis utar Tertull. in libro de Carne Chriſti; [Nihil adhuc de Deo „ diſcens Deum nominat: Nihil aliud de iudi- „ cio ejus admittens, Deo commendare ſe dicit.] Hoc argumento idem Tertullianus in Apolog. c. 17. & de teſtimonio animæ c. 2. & S. Cypr. in tract. de Idolorum vanitate, & S. Hieronymus in pſal. 95. libenter utuntur, quod ex animæ noſtræ teſtimonio ſumptum eſt. Etenim nullo docente, ſola ſuggerente natura per Deum iuramus, Deum in neceſſitatibus & periculis invocamus; idque reſpicientes ad Cœlum; quaſi ibi ſupremum agnoſcamus Numen. Tùm verò ita etiam loquimur natura ipſa docente; Deus videt, Deus dedit, Deo commendo, Deus reddet, Deo volente, benedicat tibi Deus, & ſimilia. Omninò Deus non poteſt eſſe ignotus, ut in lib. 1. adverſus Marcionem c. 9. habet idem Tertullianus. Pluri-maque adferri poſſent, tùm ex Philoſophia, tùm ex Theologia argumenta; ſed illud fuit veteribus Patribus maximè familiare quod ex rebus effectis, atque ex earum multitudine, ordine, pulchritudine, & adminiſtratione, ducitur. Neque enim ex cauſa peti de hoc demonſtratio poteſt; ad effectus eſt confugiendum. Hoc argumento uſi ſunt, non ſolùm Cicero in ſecundo de natura Deorum, Seneca in libro de providentia, Stoici apud Plut. libro 1. de placitis c. 6. Philo Iudæus in libro de opificio mundi, & libro de monarchia: ſed etiam S. Dionyſius Areop. de Dei nom. cap. 7. S. Iren. lib. 4. c. 14. Tertullianus in Apolog. cap. 17. Origenes lib. 1. periar: c. 1. Lactant. libro de falſa relig. c. 2. Euſeb. lib. 7. de præpar. c. 2.

S. Athan.

Digitized by Google

S. Athan. in or. contrà Idola. S. Gregorius Naz.or.2.de Theologia. S.Gregorius Nyſſen. in lib.de vita Moſcos,& h.11.in Cant.S.Cypr. in prologo de operibus Cardin. Arnobius lib. 8. contrà gentes, Theophylus Antiochenus lib. 1. ad Autolycum. S. Ioan. Chryſoſt. in Pſal.13.& 143. & h.4.in Gen.& h. 9.& 49. ad populum, & S. Cyrillus lib.11.& 3.contrà Iulianum,& S.Auguſt,lib.2.de Civit.Dei cap. 4. S. Bern. ſer. 31. in Cant. & alij plures. Additisque exemplis non paucis hoc illuſtrarunt. Quis enim cytharam videt, & eius ſonum audit, & cytharæ conditorem, & cytharedum non ſtatim cogitat? quis muſicam, & harmoniam; quis ædificium, ſtatuam, agrum benè cultum, nauim benè inſtructam, regnum, aut exercitum benè gubernatum; qui muſicum aliquem peritum, ædificatorem, ſtatuarium, agricolam, gubernatorem, regem, aut imperatorem non id intelligat? Et apud Plutarchum in libro adverſùs Celotem legimus pronunciaſſe quempiam, facilius urbem condi ſine ſole poſſe, quàm opinione de dijs ſublata civitatem coïre, aut conſtare. Pluribus hæc explicare ſuperſedeo, nè nimis longum faciam. Hoc ſolum addam; etiam in ſacris ſcripturis idem nobis ſæpè inculcari. Iob 12. Interroga jumenta, & docebunt te, & volatilia Cœli, & indicabunt tibi: loquere terrę, & reſpondebit tibi, & narrabunt piſces maris. Quis ignorat, quod manus Domini hæc omnia fecerit? & c. 36. Omnes homines vident eum, unuſquiſque intuetur procul: quià interpretatione S. Gregorij Papæ cognoſcitur eſſe, ſed quid ſit, non poteſt clarè perſpicere. Pſal. 18. Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum; Dies diei eructat verbum; & nox nocti indicat ſcientiam; hoc eſt, præcedens dies, & nox ſequenti loquitur ſe factam eſſe à Deo. Non ſunt loquelæ, neque ſermones, quorum non audiantur voces eorum: hoc eſt, ut exponit S. Ioan. Chryſ. h. 9. ad populum. Non eſt gens, neque lingua, quæ hanc vocem cœlorum, & creaturarum intelligere, non poſſit; quâ Deum omnes clamant. Sap. 13. A magnitudine ſpeciei, & creaturæ cognoſcibiliter poterat creator horum videri. Et ad Rom. 1. Inviſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur. Et Act. 14. Non ſine teſtimonio ſemetipſum reliquit benefaciens de cœlo, &c. Mitto argumenta alia plurima, tùm theologica, tùm metaphyſica, phyſica & moralia; quibus idem Atheis demonſtratur. Mihi ſatis fuerit Sanctorum Patrum, & ſcripturarum ſacrarum doctrinam indicaſſe.

CAPUT III.

Atheiſmi origo.

NUNC Atheiſmi cauſas, & originem placet exponere. Fuit igitur Atheiſmus ſemper pauciſſimorum hominum, vixque ullos habuit aſſertores; tùm quia etiam ſi Deum eſſe non ſit nobis per ſe notum, facilè tamen cuilibet licet colligere; tùm quia fuit ſemper à principibus, & regibus ipſis ſopitus; propterea quòd reſp. & regna deſtruat: & Athenienſes legimus apud Arnobium lib. 8. & Lactan. lib. de ira Dei c. 9. Protagoræ libros, quibus Deum vocabat in dubium, in concione exuſiſſe, eumque finibus expuliſſe ſuis. Et Socrates quoque extinctus dicitur, quòd Deos negaret. Tum verò, quia nullos unquam habuit viros ſapientes aſſertores ſui: Ut vel etjam Epicurus Deum confeſſus fuerit; ſolam negauerit providentiam. Diagoram autem, & alios; qui Athei fuiſſe dicuntur, Atheos nequaquàm fuiſſe ſenſit Clemens Alexandrinus in or. adhortatoria ad gentes. Verùm quidquid ſit: complures ſanè habet hic error cauſas, & aliquas ſcriptura ſancta ſignificat.

Prima, ac potiſſima fuit hominum inſipientia. In turpiſſimos enim errores inſipientes ſolent, vel etiam repugnante ſenſu, prolabi; 1
& Sancti Anſelmi interpretatione in prologo c. 3 addidit David hanc vocem in Pſal. 13. & 52. Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus. Inſipientiam enim dixit tanquam cauſam tam impiæ, atque abſurdæ cogitationis.

Altera cauſa fuit, quòd homines iudicio ſuo divina conſilia metientes; dum aſſequi ea 2
non potuerunt, in eam venerunt amentiam, ut Deum non eſſe dicerent. Significat hoc S. Baſilius in hom.quòd Deus non ſit auctor malorum: & in Pſalmo 72. Cur homines impij divinam providentiam negarent, dicentes; Quomodo ſcit Deus, etſi eſt ſcientia in excelſo; hæc affertur cauſa. Ecce ipſi peccatores, & abundantes in ſæculo obtinuerunt divitias: quod humano iudicio æquum non videbatur.

Tertia quòd homines ità ferè ſentire ſoleant, quemadmodùm optant: optarunt autem 3
homines ſcelerati, Deum non eſſe, qui eos puniret, & ut liberiùs peccarent. Colligitur hoc ex verbis illis Pſalmi 39. Viduam, & advenam interfecerunt, & pupillos occiderunt; & dixerunt, non videbit Dominus, nec intelliget Deus Jacob. Sic enim ipſi voluiſſent.

Quarta fuit hominum impatientia: qui niſi 4
obtinuerint ſtatim id, quod petunt à Deo; vel, ut ait S. Baſil. ſi ſe viderint diù detentos in ijs, quæ nolunt; Deum ſuſpicantur non eſſe; quòd illorum votis non ſatisfaciat. Sic

Ex. 17.

Ex. 17. Cùm non haberet populus aquam, dicebat, eſt nè Deus in nobis, an non?

5. Quinta quòd aſſueverint homines cernere ſemper eundem ordinem, & modum rerum omnium naturaliùm, & totius mundi. Undè enim debuiſſent cognoſcere ſapientem aliquem illarum auctorem, & moderatorem; collegerunt ità ſemper fuiſſe, & ſua ſponte progredi. Ità impiorum quorundam verba adfert Petrus in 2. ep. cap. 3. Ubi eſt promiſſio aut adventus ejus? ex quo enim Patres dormierunt, omnia ſic perſeverant ab initio creaturæ.

6. Sexta nimia difficultas cognoſcendi Deum. Nimio enim deſiderio languens animus, ægrèque hoc damnum ferens, eò ſe convertit, ut Deum omninò non eſſe diceret. Hanc idololatriæ cauſam expoſuit Sanctus Nazianzenus in or. 2. de theologia. Eandem credi poteſt Atheiſmi quoque fuiſſe.

7. Septima nimium philoſophiæ ſtudium: quod omnes ſanè ad Deum cognoſcendum ducere debuiſſet, quibuſdam obeſſe potuit: ſive quòd hæc homines reddat impudenter incredulos, & nullam vim argumentorum pertimeſcentes; ſive quòd dum aſſueſcunt rationibus metiri omnia: ſi eis proponantur divina, quæ rationem omnem ſuperent, Deum ipſum negabunt. Ità ferè obſervatum eſt, nullos fuiſſe Atheos, niſi philoſophos. Idem penè dixerim de nimio Poëtarum, ethnicorum præſertim ſtudio; quia dum fabulis, & fictionibus aſſueſcunt, eò tandem adducuntur, ut fabuloſa, & ficta omnia eſſe arbitrentur; & ut de Dijs gentium, ità & de vero ſuſpicentur Deo.

8. Octava hæreſis; ſive Deo juſtè tradente hæreticos in reprobum ſenſum, quòd obedire noluerint veritati; ſive quòd ipſimet homines, ubi à veritate receſſerunt, ipſo errore vexati, eò confugiunt, ut nihil credant; nè ſtimulis illis agitentur: ſivè demùm quòd hæreſis, & Atheiſmus cognata magnopere ſint, habent enim communem originem, incredulitatem; & hæreſis optima ad Atheiſmum via eſt. Nam ejuſmodi eſt hæreticorum ingenium, ut eò ſe quiſque acutiorem putet; quò pauciora credit. Ità paulatim ad Atheiſmum pervenitur.

9. Poſtrema eſt Sacerdotum, & eorum, qui res divinas tractant, corrupta vita; ea enim adducit cæteros in rerum divinarum, ac tandem ipſius Dei contemptum.

CAPUT IV.

De Idololatria.

POST Atheiſmum numeratur ſecundo loco Paganiſmus, ſeu Gentiliſmus; hoc eſt Idololatria eorum, qui falſos coluerunt Deos, & Deum quidem venerandum ſuſceperunt, ſed falſum. Ea credi non poteſt, quam fuerit varia: tùm propter gentium diverſitatem, & hominum multitudinem, tùm propter Deorum varietatem. Non ſolum enim gens unaquæq; ſed unuſquiſque etiam, penè dixerim, homo, ſuum ſibi Deum finxit; nihilq; eſt in mundo, licet abjectiſſimum, & ſordidiſſimum, quod aliqui tanquam Deum non coluerint: ut videre eſt apud S. Athanaſium in or. contrà Idola, & S. Gregorium Nazian. or. jam citata, & Arnobium in libris contrà gentes, & Lactant. lib. 1. & 2. & S. Cyprianum in libro de Idolorum vanitate, & Clementem Alexandrinum, & Euſebium, & alios Patres.

Origo illius fuit, quòd homo peccans, & à Deo recedens, rebusque corporeis, & creatis deditus; ad eas quoque paulatim, & quibuſdam quaſi gradibus, divinitatem traduxit. Primum enim coluerunt Cœlum, ſolem, lunam, & aſtra cætera: deindè æthera, aërem, & elementa reliqua: tùm homines, partim viuentes, partim mortuos: poſteà lapides, ligna plantas, reptilia, aquatilia, & beſtias terræ: ac demùm ea quoque, quæ nullo modo erant, ſed ſola illorum fictione conſtabant: quales erant apud Ægyptios Cynocephali, Ophiocephali, Onocephali. Hos gradus fecit S. Athanaſius. Alij à ſtellis deſcenderunt ad fruges, à frugibus ad homines, ab his ad abſtracta quædam undè Furiæ, Parcæ, & ſimilia ab illis conficta: tùm ad Dæmones; maximè in ſtatuis & oraculis. *Idololatria origo.*

Hominum porrò referendorum in Deorum numerum hoc traditur fuiſſe principium, vel quod Principes ſuos & Reges honorare vellent; aut etiam quoſvis de illis benè meritos, reique cujuſpiam utilis, ac neceſſariæ inventores: vel quod, ut legimus in libro Sap. c. 14. nimio affectu compulſi ergà parentes, fratres, aut amicos vitâ functos, pinxerunt eos, pictiſq; immolarunt hoſtias. Poſteri autem propter operis elegantiam, & artificis peritiam, tanquam Deos coluerunt. S. Nazianzenus difficultatem addit cognoſcendi Deum; quam non ſuſtinens homo illius cognoſcendi deſiderio flagrans, convertit ſe ad ea, quæ ſub ſenſum cadunt, quæque cognoſci poſſunt. Nec dubium eſt, iuviſſe plurimum figmenta poëtarum; Principes, qui honorem illum ſibi poſtulabant; ac demùm Dæmones divinitatem affectantes. *Homines in Deos relati.*

Quod autem ſpectat ad tempus, tres in partes tribuit S. Epiphanius initio Panarij, & in Anacephalæoſi; In Barbariſmum, ab Adam per malos homines uſque ad Noë; Scytiſmum, à Noë uſque ad turrim Babel, & aliquos amplius annos; & Græciſmum, poſt ea tempora in quo Idola ceperunt, & ſimulacra, ſtatuæ, & picturæ. *Idololatria partes.*

His poſteà ſucceſſerunt philoſophi; qui Deum

Digitized by Google

De Philoſophis quid. Deum quidem eſſe cognoverunt, ſeparatam mentem ſupremam; atque adeò rationibus comprobarunt, Deus enim illis manifeſtavit, ut loquitur Paulus Rom. 1. ſed multa illi falsò attribuerunt, eſſe virtutis finitæ, agens non liberum; non habere providentiam inferiorum rerum, & ſimilia. Itaque, ut de hæreticis ſcripſit Tertullianus, ſeu Novatus in libro de Trinitate cap. 3. eum non eſſe Deum, qui hæretici ingenio fictus ſit; dici quoque poteſt de philoſophis. Si enim vel unam perfectionem ab eo tollas, non eſt Deus: neque illi verum cognoverunt Deum; ſed ad Paganiſmum, ſeu gentiliſmum ipſi quoque pertinent. Excuſari autem non poſſunt, quod naturæ fortaſſè lumine progredi ulterius non valerent: tùm quia inexcuſabiles dicuntur à Paulo: tùm quia multa eo lumine cognoſci poterant; nempè ea, quæ commemoravi; & ex ijs, quæ invenerant ipſi, colligere alia poterant, etſi non ſine majori difficultate; vel ſi non poterant, debebant in ijs conſiſtere, quæ cognoverant, neque de Deo contraria, & falſa affirmare. Interim verò ab intellectu progredi ad affectum: hoc eſt enim, quod reprehendit Paulus; quod cùm Deum cognoviſſent, non ſicut Deum glorificaverunt. Accedit, quod ſi in veritatibus cognitis conſtitiſſent, atque ex naturæ ductu benè vixiſſent; Deus, qui vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, præſtò illis fuiſſet. Origo igitur erroris illorum ſuperbia fuit, & curioſitas nimia, cum malis moribus, & depravatâ ratione vitæ conjuncta. Quibus difficultas addebatur ex parte objecti; & pòſt acceſſit prava conſuetudo, & diuturnus habitus in errore: quibus hebetatus magis eſt intellectus, atque in errore confirmatus: ut quoſdam etiam adoraſſe Idola legamus: quemadmodùm Platonem ſcribit S. Athan. cum Socrate in Pyræum deſcendiſſe, ut Dianæ ſtatuam adorarent.

CAPUT V.

De Iudaiſmo.

SUPEREST Iudaiſmus. Judæi enim, dum legem à Moyſe acceptam retinent, verum ſanè Deum colunt; ſed in fide tribus præſertim modis peccant. Primùm quòd Trinitatis myſterium non ſatis intelligunt. Deindè quòd incarnationis myſterium non credunt. Poſtremò quòd Chriſtum Meſſiam in lege promiſſum adhuc venturum exſpectant, neque jam veniſſe credunt. Itaquè Ieſum, quem nos filium Dei naturalem, & verum Deum factum hominem, & de Virgine natum credimus, pernegant ipſi, & maledictis omnibus inſequuntur. Hæc eſt eorum perfidia, hæc infidelitas. S. Epiph. hær. 29. & S. Hieronymus in cap. 5. 49. 52. Iſaiæ, & in caput 1. Amos, & 12. Matth. & in pſalmum 108. eos ſcribunt ter in die, manè, meridiè, & veſperi, in ſuis ſynagogis ſolitos fuiſſe Chriſtianis maledicere, dicentes; Maledic Deus Nazaræis. S. Auguſt. in or. de quinque hæreſibus c. 4. eos dixit pejores eſſe dæmonibus, qui tremuerunt Chriſtum, & confeſſi ſunt. Eorum duritiam, & obſtinationem in tract. De eo, quod ſcriptum eſt: Ego ſum, qui ſum; ſignificatam putat in rubo, qui non cremabatur. Sic enim Iudæorum corda legi Dei reluctantur, & S. Greg. Papa lib. 2. mor. cap. 22. in Joſeph, qui relicto pallio fugit à domina; quià dum ſynagoga dominum purum hominem credens, quaſi adulterino complexu conſtringere voluit, ipſe tegmen litteræ ejus oculis reliquit, & ad cognoſcendam divinitatis ſuæ potentiam conſpicuam ſe gentibus præbuit; & S. Cyprianus in ſermone de Spiritu Sancto, cur primæ legis tabulæ fuerint fractæ, & ſecundæ ſervatæ; ideò factum putat, ut populus ille prior divinis colloquijs, & ſpiritualibus mandatis oſtenderetur indignus, nec poſſe mentes perfidias ſancta percipere, nec intelligere ſacramenta, quæ exemplarium tegmine velabantur. Nec ſinè cauſa factum eſt, ut quæ ſtella Magos gentiles duxit ad Chriſtum natum, à Iudæis non videretur; ſed ut habet S. Leo Papa in ſer. 5. de epiphania, illuminatio Gentium ſignificata eſt, & cœcitas Iudæorum. Et S. Petrus Chryſologus in ſer. 55. Chriſtum, qui nobis omnibus venerat panis de cœlo deſcendens, Iudæis affirmat converſum fuiſſe in lapidem; juxtà illud; ſi petierit panem, nunquid lapidem dabit illi? In lapidem inquam offenſionis, & petram ſcandali; quià & illi, ut eſt in pſal. 21. velut canes circumdederunt Chriſtum; qui non pane nutriendi, ſed lapide repellendi, & necandi erant.

Iudæorum maledicta.

Iudæorum obſtinatio.

Ex. 32.

Non eſt mihi propoſitum hoc loco illorum errorem confutare, & emollire duritiam. Satis multa à Sanctis Patribus, & alijs de hoc argumento ſcripta ſunt; neque hic locus à me hoc poſtulat. Tria tamen obiter adnotabo. Primum eſt; eos ita fuiſſe à Deo reprobatos, dum ad fidem electi gentiles ſunt; ut non penitus extincti, immò reſervati, atque per totum mundum diſperſi, ut fidei noſtræ teſtimonia portarent, Hebræos codices; nè quis fortaſſè calumniaretur; ea inquiens, quæ à nobis de Chriſto dicuntur, nova eſſe, atque à nobis Chriſtianis excogitata, & commentitia. Nam in veteribus, & Hebraicis libris omnia demonſtrantur figurata, atque à Prophetis prædicta, ac demùm in Chriſto noſtro completa. Hanc Iudæorum conſervationis, & diſperſionis cauſam adfert S. Auguſt. in ep. 3. ad Voluſianum, & ep. 59. ad Paulinum, & in lib. 65. quæſtionum q. 61. & in lib. 16. contrà Fauſtum

1. Iudæorum diſperſio.

Digitized by Google

Fauſtum. c. 21. & in pſ. 40. 47. & 52. & ſer. 30. de tempore. Undè, & interdùm Scriniarios, & Capſarios Chriſtianorum eos appellat. *Gen. 4.* Hujuſque diſperſionis figuram fuiſſe parricidam Cain; cui data eſt ſententia à Deo, ut vagus, & profugus, pavens, & tremens per varia loca diſcurreret; nec uſquàm tutus, & ſecurus maneret; auctor eſt S. Hieronymus in caput 5. Threnorum.

Recipient Antichriſtum. Secundum Iudæos, qui non receperunt Chriſtum recepturos eſſe Antichriſtum. Ità S. Hieronymus ad caput 23. & 59. Iſaiæ, & ad caput 40. Ezech. & ad caput 3. Ioëlis, & in ſer. de reſur. Domini (ſi modo eſt Hieronymi) & S. Greg. Papa lib. 1. in primum Regum c. 2. & S. Cyrillus Alexandrinus lib. 3. in Ioan. c. 6. & S. Cyrillus Hieroſ. catech. 12. & S. Ioan. Chryſ. h. 3. de verbis Iſ. Vidi Dominum &c. Et h. 33. in epiſtolam ad Hebræos.

Tandem & Chriſtum. Tertium, eos in fine mundi ſuſcepturos Chriſtum, & fidem noſtram. Nimirùm intelligent tandem non eſſe ampliùs ſperandum, aut exſpectandum Chriſtum Meſſiam; Ità S. Hilarius confirmat Can. 26. in Matth. S. Anſ. in caput 11. Ep. ad Rom. & in caput 2. prioris ad Theſſ. & in caput 3. Apoc. & in caput 2. 9. 10. 19. Matth. & S. Hieronymi in caput 5. Thre. & in 2. caput Micheæ, & in ea verba pſal. 20. In reliquijs tuis præparabis vultum eorum; & S. Ambr. in libro de Joſepho Patriarcha cap. 14. id ſignificaſſe putat Joſephum tangentem oculos morituri patris. Et Sanctus Aug. lib. 17. de ciuit. Dei c. 11. & lib. 20. c. 29. & 30. & S. Greg. Papa præfatione in Job, c. 10. & lib. 2. c. 22. & lib. 4. c. 4. & lib. 9. c. 3. & lib. 11. c. 9. & lib. 19. c. 9. & lib. 27. c. 7. & lib. 30. c. 8. & lib. 35. c. 9. 10. & lib. 2. in primum Regum c. 2. & Com. in c. 3. & 6. & 7. & 8. Cant. & h. 6. & 12. & 16. in Ezech. & h. 26. in evangelia, & S. Bern. Ep. 322. ad Epiſcopum, clerum, & populum Spirenſem, & S. Cyrillus Alexandrinus lib. 2. in Io. c. 122. 123. & 126. & S. Io. Chryſ. h. 46. operis imperf. & h. 12. in Marcum, & Origenes in caput 11. Epiſtolæ ad Rom. ſed cùm cæteri ferè dicant eos ad Eliæ, & Enoch, prædicationem convertendos Origenes in tract. 30. in Matthæum; [Apparente, inquit, ſigno Crucis in Cœlo, Iudæi plangent, & convertentur.] [Tunc Eccleſia, (inquit, S. Greg. lib. 35. mor. c. 9.) ſicut Iob, poſt tribulationes accipiet duplicia; Gentes ſcilicet, & Iudæos.]

CAPUT VI.

Infidelitatis peccatum.

HACTENUS de infidelitate dictum eſt. De qua illud extat apud S. Aug. lib. 3. contrà duas Epiſtolas Pelagianorum c. 3. Eam ſolam facere filios Diaboli, cætera peccata filios hujus ſæculi. Eamque ſignificari, ubi peccatum abſolutè, & ſine additione nominatur: ſicut Ioan. 15. ſi non veniſſem, & loquutus fuiſſem eis peccatum non haberent; nunc autem excuſationem non habent de peccato. Peccatum enim dicit infidelitatem, quâ Chriſto credere noluerunt: alioqui peccatis alijs non carebant: & tamen dicit, peccatum non haberent. Et cap. 16. de Spiritu Sancto dicitur; Arguet mundum de peccato: quod infidelitatem fuiſſe declarat, dum ſubjungit; quia non crediderunt in me. Ideò & Iudæos incredulos filios Diaboli appellavit Chriſtus Ioan. 8. Vos inquiens, ex parte Diaboli eſtis, & deſideria patris veſtri vultis perficere. Cur autem infidelitas peccatum abſolutè dicatur, ea eſt apùd eundem Sanctum Patrem ratio, tùm eo loco, tùm in pſalmum 109. quia tollit fidem, ſinè quâ nullum remittitur peccatum; & quæ ſi admitterentur, omnia relaxerentur.

CAPUT VII.

De Apoſtaſia duplici.

IAM de Apoſtaſia dicendum eſt. Apoſtata vox græca eſt, à diſcedendo dicta; ut placuit S. Ambroſio ſer. 15. in pſ. 118. nam ἀποστατεῖν rebellare ſignificat, & ἀποστάτης. Deſertor dicitur; qui à ſuo Duce ad hoſtes transfugit. Indè apud noſtros apoſtatæ dicti ſunt fidei deſertores; & S. Cyprianus ad Cornelium ſcripſit, eos, qui velut apoſtataverunt, ad hæreticos transfugas factos: & in libro Sap. 10. Initium ſuperbiæ hominis, apoſtatare à Deo; & quid ſit apoſtatare, exponens adjungit; quoniam ab eo, qui fecit illum, receſſit cor ejus. Et Eccleſ. cap. 19. Vinum, & mulieres apoſtatare faciunt ſapientes; hoc eſt à Deo deficere, & rebellare. Sicut accidit Salomoni, ut narratur in tertio Regum cap. 11. Sed Iob cap. 34. pronunciatum legimus; Qui dicit Regi, Apoſtata. Apoſtata enim vocatur Rex, ut exponit S. Greg. lib. 24. cap. 14. qui tumore cordis elatus pro Domino à ſubditis venerari vult. Ac demùm Ezech. 2. Mitto te ad gentes apoſtatrices, quæ receſſerunt à me. Apoſtatare ergò eſt recedere à Deo. *Apoſtata, & Apoſtatare quid.*

Sed obſervat eo loco Gregorius h. 9. duobus modis poſſe nos à Deo recedere; aut inquam fide, aut opere. Nam aut à fide, aut à mandatis illius recedimus; Eſtque Apoſtaſia duplex; Altera eorum, qui ſuſceptam fidem deſerunt; altera illorum, qui retinentes fidem ad perverſa, quæ deſeruerunt, opera redeunt. De priore nos nunc loquimur, cùm de fidei oppoſitis vitijs agimus. *Apoſtaſia duplex.*

Apoſtaſia utilis. Utilem eccleſiæ hanc apoſtaſiam eſſe, cenſue-

Digitized by Google

cenſuerunt Patres; ſicut, & prodeſt corporibus noſtris, cùm mali, & noxij ab eo purgantur humores, & frumentis bonum eſt à paleis ſeparari. [Avolent (inquit Tertull. in libro „ de præſcriptionibus c. 3.) quantùm volunt, „ paleæ levioris fidei quocumque afflatu tentationum; eò purior maſſa frumenti in horrea „ Domini reponetur.] Et S. Cyprianus in tract. de ſimplicitate Prælatorum; [Gratulandum „ cùm tales de eccleſia ſeparantur; nè columbas, & oves Chriſti ſævâ ſuâ, & venenatâ „ contagione prædentur. Nemo æſtimet bonos de eccleſia poſſe diſcedere. Triticum „ non rapit ventus, nec arborem ſolida radice „ fundatam procella ſubvertit: inanes paleæ „ tempeſtate jactantur, invalidæ arbores turbinis incurſione evertuntur; & quæ ſeq.] Bonos verò non abſolutè negat poſſe diſcedere; ſed quia dum boni ſunt, non deſeruntur à Deo, ſed perſeverantiæ gratiam conſequuntur.

Apoſtaſia Religioſorum.

Huic Apoſtaſiæ à fide catholica à Deo accepta, eſt altera ſimilis, à fide Deo, aut etiam hominibus data: cùm quis poſt habitum religioſi cujuſpiam ordinis ſuſceptum, & vero vota quoque Deo, & hominibus nuncupata, deſerit ordinem, atque abjecto habitu redit ad ſæculum. Noxia eſt homini, & pernitioſa hæc apoſtaſia; ſed ordini plerumque ſalutaris. Huc adfert S. Auguſtinus in ſecundo libro de Gen. contrà Manichæos c. 22. Illud, quod Adamum peccantem dicitur Deus, Gen. 3. emiſiſſe de Paradiſo. [Emiſit, inquit, non excluſit: ut ipſo peccatorum ſuorum pondere, „ tamquam in locum ſibi congruum videretur „ urgeri. Quod patitur plerumque malus homo, cùm inter bonos vivere cœperit, ſi ſe in „ melius commutare noluerit; ex illa bonorum „ congregatione pondere ſuæ malæ conſuetudinis pellitur; & illi eum non excludunt reluctantem, ſed dimittunt cupientem.] Et S. Ambroſius in pſal. 36. [Nonnè etiam de his „ pulchrè dicitur, quia effuſi ſunt greſſus eorum; quorum ſpes lapſæ, in vanum effuſus labor, vota ſunt deſtituta? conſidera enim aliquem per aliquot annos habuiſſe ſtudium pietatis, caſtitatis cuſtodiam, vitæ attentionis „ affectum, piæ propoſitum ſervitutis, ſedulæ „ obſervationis officium; ſubitòq; eum eſſe mutatum, diſceſſiſſe de monaſterio, valedixiſſe „ jeiunijs, continentiæ renuntiaſſe, indulgere „ delitijs, ſtudere luxuriæ. Dudùm de monaſterijs exierunt, & nunc luxuriæ ſunt magiſtri, „ diſſeminatores incontinentiæ, incenſores petulantiæ, obtrectatores pudoris.] Quanto dolore afficiantur Sancti, cùm aliquem vident apoſtatare; perſequitur S. Ber. ſer. 2. in vigilia nativit. Domini; & rem ipſam conſiderans in ſer. 35. in Cant. appoſitè accommodat illa verba, quæ Sponſæ fuerunt dicta; Egredere, & abi poſt veſtigia gregum tuorum &c. [Du- *Cant. 1.*

Apoſtaſia duplex.

Apoſtaſia utilis.

„ rum, inquit, verbum; quod ſervi audire ſolent „ ab iratis dominis; ſed undè, & quò egredi jubetur? de ſpiritu ad carnem, de bonis animi „ ad ſæcularia deſideria, de interna requie mentis ad mundi ſtrepitum, & inquiëtudinem curarum exteriorum; in quibus non eſt niſi labor, & afflictio ſpiritus. Neſcio an, vel ipſam „ gehennam ad tempus experiri, horribilius, „ pœnaliusvè ducat; quàm poſt ſpiritualis ſtudij hujus guſtatam ſemel ſuavitatem exire denuò ad illecebras, vel potiùs ad moleſtias carnis, ſenſuumq; inexplebilem repetere curioſitatem.] Addit & libertatem peccandi in tract. de gradibus humilitatis; [Cum jam nec „ magiſtrum videt, quem timeat; nec fratres, „ quos revereatur.] Omitto ea, quæ habet in tract. de vita ſolitaria ad fratres de Monte Dei: ſed non prætermittam, quod in ſer. in ea verba; Ecce nos reliquimus omnia, cauſam tanti mali adfert propriam voluntatem. [An ex collegio, inquit, diſcipulorum reprobari quis poteſt niſi loculos habens? ſunt enim loculi non „ modò pecuniæ, ſed propriæ voluntatis. Scrutetur proindè vias ſuas, & ſtudia ſua, qui promiſſam centupli gratiam ſibi deeſſe cauſatur, „ nec dubium quin inveniat angulum, diverſorium, reclinatoriumquè non quidem filij hominis, ſed aut foveam vulpis, aut volucris „ nidum, & quæ ſeq.] Extat h. 4. ad monachos, in qua ſic loquitur S. Euſebius Emiſſ. [Dicat „ aliquis; Nunquid de hoc loco diſcedere ruina „ dicenda eſt? Non grandis ſpes eſt; ſi in naui „ es in fluctibus conſtitutâ; licet ipſa non pereat, tamen iacturam maximam faciat de onere, ac mercibus ſuis, & ad portum inanis, & „ vacua perveniat. Sic non grande gaudium eſt, „ ſi ſeculi ad fluctus reuertens negligentijs tabeſcas, & diffluas. Quid gravius; quàm ut „ ſubitò tamquàm ales repentinùs eradiceris de „ loco, ad quem te Dominus vocauerat; in „ quo te primùm illuminaverat; in quem te „ poſt mala ſæculi quaſi ad portum de graui „ tempeſtate induxerat? Obliuiſci ſubitò fraternitatis, ſocietatis, & conſolationis; obliuiſci „ loci illius, in quo priſtinum habitum, & nomen ſeculare exueras. Aues ipſæ diligunt nidos ſuos; amant feræ loca in quibus nutritæ „ ſunt, amant cubilia, & paſcua &c.] Hominum hoc genus eſſe excommunicatum conſtat, & confirmat S. Anſel. in ep. 144. libri 3. ad Adrianum. S. Gregorius lib. 2. dialog. c. 24. Monachum narrat ex monaſterio ſine ſuperioris ſcitu egreſſum, eodem die fuiſſe mortuum, moxque ſepultum, ſemel atquè iterùm è ſepultura fuiſſe projectum. Et c. 25. alium memorat importunè petentem fuiſſe dimiſſum; ſed dracone in via reperto, qui eum devorare volebat, ad monaſterium rediiſſe. Et quinque virgines fugam ex monaſterio meditantes à dæmonio correptas, legis apud Sophronium

c. 135. Multaque ad revocandos hoſce apoſtatas habes ſcripta ab eodem S. Greg. lib. 1. regiſtri c. 33. & lib. 12. c. 20. S. Io. Chryſ. ep. 5. ad Theodoſium lapſum, & S. Bernardo ep. 1. ad Robertum nepotem, & ep. 70. ad Guidonem Abbatem, & ep. 232. ad Abbatem Ioannem. Interim verò eos in clerum non eſſe recipiendos, cenſuit S. Auguſtinus in ep. 76. ad Aurelium. [Ordini clericorum, inquit, fit in„ digniſſima iniuria, ſi deſertores monaſterio„ rum ad militiam clericatus eligantur: cùm ex „ ijs, qui in monaſterio permanent, non niſi „ probatiores, & meliores in clerum aſſumere „ ſoleamus.] Neque ad militiam, aut matrimonium admittendos, S. Leo Papa ep. 92. ad Ruſticum c. 12. Sic enim ſcribit. [Etſi inno„ cens militia, & honeſtum poteſt eſſe coniu„ gium; electionem tamen meliorem deſe„ ruiſſe, tranſgreſſio eſt, &c.]

CAPUT VIII.

De Iuliano Apoſtata.

SED hæc omnia, quæ de apoſtaſia à religione dicta ſunt; multò potiori jure de apoſtaſia à fide intelligenda ſunt. In qua inter omnes celebris fuit apud Veteres Patres Iulianus Imperator; tùm propter dignitatem perſonæ; tùm propter inſignem nequitiam, & perſecutionem fidei. Undè, & apoſtatæ nomen præ cæteris eſt adeptus. Hic S. Ioan. Chryſoſtomi teſtimonio homilia 44. in Matth. omnes homines impietate ſuperauit. Nam etſi, ut habet S. Cyrillus Alexandrinus in præfatione ad Theodoſium, antè libros, quos contrà Iulianum ſcripſit, in monaſterijs fuiſſet enutritus; poſt tamen, ut erat eloquens, & lingua diſertus, ità tres libros ſcripſit contrà Evangelia, Chriſtique religionem, teſtatur Cyrillus eodem loco, & libro ſexto contrà ipſum. Adoleſcentem fuiſſe in Eccleſia lectorem, cœpiſſeque Martyrum Eccleſiam extruere, teſtatur idem Cyrillus lib. 3. c. 2. & 3. Undè illa S. Nazianzeni verba in or. 1. contrà illum; [In cleri ordinem ſe ipſos coap„ tarunt; Gallus ſcilicet, & Iulianus fratres; „ adeò ut divinos quoque libros plebi lectita„ rent, &c.] Et rurſum; [Martyribus ambo la„ borabant, munificentiaq; & liberalitate præ„ clarè inter ſe contendebant: ſed alterius opus „ perficiebatur, ac ritè procedebat: alterius non „ ſecùs, ac Cain ſacrificium Deus martyrum „ repudiabat: terrâ ſcilicet ſubindè dehiſcente, „ & collabente ædificio &c.] Et multò poſt; „ [Divina oracula pro lectore recitarat, atque „ inter magni ſacrarij miniſtros aſcriptus fue„ rat; Martyreſque templis, & delubris ornave„ rat.] Eum à malis ſocijs fuiſſe ſeductum, ait Cyrillus; Sed Theod. regni cupiditate factum

Iulianus qualis aliquando.

Vt ſeductus.

apoſtatam ſcribit lib. 3. hiſt. cap. 3. Iudæis, atque hæreticis plurimùm fauit, eorumque res promouit, ut Chriſtianam religionem opprimeret, quod de Donatiſtis ſcribit S. Aug. in 2. lib. contrà litteras Petiliani cap. 92. Baſilicas enim à Conſtantino ereptas illis reſtituit; ut proptereà apud Iulianum ſolam Iuſtitiam habere locum dicerent Donatiſtæ. Iudæos autem contrà Chriſtianos ſollicitans, illis voluit reſtaurari templum Hieroſolymis; ſed divinitùs fuit prohibitus; ut narrant Theod. lib. 3. hiſt. c. 20. Niceph. lib. 10. c. 32. & 33. alijque hiſtoriarum ſcriptores. Et S. Ambroſius Ep. ad Theodoſium, S. Ioannes Chryſ. h. 4. in Matt. & h. 41. in Acta, & h. 3. de laudibus Pauli, & in demonſtratione adverſùs Gentiles, quod Chriſtus ſit Deus, tom. 5. & in libro contrà Gentiles, ſeu de vita Babylæ, & or. 2. contrà Iudæos; & S. Gregorius Nazian. or. 2. in Iulianum. Chriſtianos, immò & Chriſtum ipſum per contemptum Gallilæos, & Gallilæum vocabat, vocarique publica lege decreuit, ut in oratione 1. teſtatur Nazianzen. Martyrij gloriam, & honorem invidens Chriſtianis, id egit, ut qui Chriſti cauſâ cruciabantur; non ut Chriſtiani, ſed ut facinoroſi ſupplicio afficerentur; idem in oratione in laudem Cæſarij fratris. Humaniorum litterarum poëticæ, rethoricæ, & verò etiam philoſophiæ ſtudia Chriſtianis interdixit: Idem oratione 1. citatâ, & Theod. lib. 3. hiſt. cap. 8. & S. Auguſt. lib. 18. de Ciuit. Dei cap. 52. & lib. 8. confeſſ. c. 5. & S. Ambr. ep. ad Valentinianum, legem ab illo promulgatam commemorat, nè Chriſtiani litteras docerent; confutationes, ſcilicet eorum extimeſcens, ut Nazianzenus loquitur. Omninò grauiſſima fuit Iuliani perſecutio; qui Diocletianum quoque, Maximianum, & Maximinum ſuperaſſe videatur. Conſtituerat enim Chriſtianos omni libertate ſpoliare, atque ab omnibus rebus arcêre; à conſilijs, foro, publicis cœtibus, ipſiſque adeò tribunalibus. Tantus porrò erat idololatra; ut quemadmodùm S. Chryſ. loquitur, ob hoc unum imperare videretur, ut univerſi terrarum orbis pecudes inſumeret: ſic largiter, & affatim ad aras oues, & boues mactabat: & multi coquum ipſum, & carnium cauponem vocitabant. De illius morte video non ſatis conſtare, ut videre eſt apud S. Nazian. or. 2. contrà illum. Alios refert Chryſ. eum voluiſſe à quodam lixâ rerum indignitatem non ferente percuſſum interijſſe, alij, à Perſis in prælio jaculis confixum volunt. Inter quos Eutropius hiſtor. Roman. lib. 10. & S. Auguſt. lib. 4. de Ciu. Dei c. 29. Alij gladio transfixum à Romano milite, quòd non cunctos in prælio occubuiſſe doleret; inter quos Ammianus rumore. jactatum refert telo eum cecidiſſe Romano. Libanius dum mortuum laudat apud

Iudæis, & hæreticis fauit.

Iuliani perſecutio.

Idololatra.

Mors.

Digitized by Google

apud Niceph. lib. 10. c. 36. necis auctores Chriſtianos facit. Alij nè illum quidem vidiſſe à quonam percuſſus fuerit. A' Sancto Mercurio martyre occiſum aliqui putant, propter viſionem, quam S. Io. Damaſc. ex Helladio refert in or. 1. de imaginibus, S. Baſilium orantem vidiſſe martyrem cruentam haſtam tenentem manu. Theodoretus cap. 13. putreſcentibus inteſtinis mortuum narrat; & cap. 25. repentè ictum fulmine; ex quo implens manum ſanguine, & ſpargens in aëra, dixit; Viciſti Gallilæe. Et S. Hieronymus in ep. ad Magnum oratorem, conto in ilijs perfoſſum ſcribit. A dæmone quopiam divinæ ultore juſtitiæ credi poteſt ſublatum fuiſſe.

Audita ejus morte ad martyrum monumenta choreas agebant Chriſtiani, inquit; Theod. c. 27. & eleganter unus de ethnicis: Quomodo, inquit, Chriſtiani dicunt, Deum ſuum eſſe patientem, & ἀνεξίκακον? nihil iracundius, nihil hoc furore præſentius: nè modico quidem ſpatio indignationem ſuam differre potuit. Auctor eſt S. Hieronymus in caput 3. Habacuch. Illius tamen impietatem ſcimus multo tempore toleratam. Sed, & mortuum, non fuiſſe ad ſepulturam aſſumptum, legimus apud S. Nazianzenum in or. in laudem Athanaſij. Nam à terra, quæ propter ipſius ſcelus tremore affecta fuerat, excuſſus, æſtuque vehementi projectus fuit; inſequentis ſupplicij primordium.

Sepultura.

Cæterùm futuram hanc Iuliani perverſitatem multò antè proſpexit Sanctus idem Gregorius, ut ipſemet in or. 2. teſtatur, & Greg. preſbyter in ipſius vita confirmat: cùm enim adoleſcens eſſet Athenis, Iulianus, & Ludimagiſtris operam daret; ſubdolum eum, impium, infidum, & ad omne ſcelus procliuem futurum, prædixit Nazianzenus. [Neque enim, in„ quit, mihi boni quidquam ſignificare vide„ bantur, ceruix non ſtata, humeri ſubſultan„ tes, & ad æquilibrium ſubindè agitati, oculus „ inſolens, & vagus, furioſèq; intuens, pedes „ inſtabiles, & titubantes, naſus contumeliam, „ & contemptum ſpirans, vultûs lineamenta „ ridicula, riſus petulantes, & effrænati, nutus, „ & renutus temerarij, ſermo hærens, ſpirituq; „ conciſus, interrogationes ſtultæ, & præcipi„ tes, reſponſiones his nihilo meliores, &c.] Sed de hoc homine nimis multa.

Phyſionomia.

CAPUT IX.

De Hæreſi.

Hæreſis quid.

TERTIVM fidei oppoſitum vitium eſt hæreſis, Græca vox, quæ latinè electionem ſignificat; quòd eam ſibi quiſque eligat diſciplinam, ut ait S. Hieronymus in caput 4. epiſtolæ ad Gal. & in caput 3. ep. ad Titum, quam putat eſſe meliorum. Vel ut definit S. Athan. q. 72. ad Antiochum; quòd quis eligat, & ſequatur ſententiam ſuam priuatam, & propriam; communi ſanctæ Eccleſiæ ſententiâ contemptâ: ſiue, addit Tertull. lib. de præſcript. c. 6. eam ipſe primus inſtituat, ſiue ab alio inſtitutam ſuſcipiat, & S. Auguſt. confirmat lib. de utilitate credendi c. 1. [Hæreticus, inquit, „ eſt, qui falſas, & nouas opiniones vel gignit, „ vel ſequitur.] S. Io. Damaſc. in libro de dialectica c. 6. dixit, eſſe opinionem multorum inter ſe conſentientium, atque ab alijs diſſidentium. At hominum multitudo non videtur eſſe neceſſaria; & primi hæreſum inventores, non illicò habuerunt ſectatores; & in ipſis nihilominùs ſolis conſtabat hæreſis. Itaque tribus omninò abſolvitur hæreſis. Primum enim oportet eum, qui hæreticus dici debet, Chriſtianus fuerit, & baptizatus, eccleſiæque membrum. Deindè, ut aliquem habeat errorem, eccleſiæ ſenſui non conſentientem in ijs rebus, quæ ad religionem, & fidem pertinent. Poſtremò; ut pertinax ſit in ſua opinione, licèt contradicat eccleſia. Pertinacia enim veluti forma eſt, ſine qua non eſt hæreſis, neque hæreticus quiſquam dicitur. S. Auguſt. lib. 18. de Ciu. Dei c. 51. [Qui ergò, „ inquit, in eccleſia Chriſti morbidum aliquid „ pravumque ſapiunt; ſi correpti, ut ſanum, re„ ctumq; ſapiant, reſiſtunt contumaciter, ſuaq; „ peſtifera, & mortifera dogmata emendare „ nolunt; ſed defenſare perſiſtunt; hæretici fi„ unt. &c.] Et lib. 2. de bapt. contrà Donatiſtas c. 5. [In nullo aliter ſapere, quàm res ſe „ habet, angelica perfectio eſt: aliquid aliter „ ſapere, humana tentatio eſt: nimis amando „ ſententiam ſuam uſquè ad ſchiſma, vel hæ„ reſim pervenire, diabolica præſumptio eſt: „ Hoc enim pertinaciam diaboli habet, illud „ non habet.] Et ep. 162. ad Epiſcopos Donatiſtarum; [Hæreticorum filij quærentes veri„ tatem, & corrigi parati cùm invenerint; non „ ſunt inter hæreticos deputandi. Hæreticus „ enim odioſa ſuperbia tumidus eſt, & pervica„ cia malæ contentionis inſanus.] Et lib. 3. de anima, & ejus origine c. 15. [Hæc ſi pertina„ citer ſingula defendantur; tot hæreſes facere „ poſſunt, quod opiniones eſſe numerantur. „ Abſit, ut te arbitreris hæc opinando, à fide ca„ tholica receſſiſſe, ſi veraciter te dixiſſe reſipi„ ſcis, &c.] Et lib. 4. de baptiſmo contrà Do„ natiſtas c. 16. [Hæreticus non eſt, niſi qui ma„ nifeſtata ſibi doctrina catholicæ fidei illi re„ ſiſtit.] Undè in libro de utilitate credendi c. 1. Eum qui hæreticis abſque pertinacia credit, non hæreticum appellat, ſed imaginatione quâdam veritatis, ac pietatis illuſum.

Hæreſis pertinax.

Propter primam autem conditionem, quâ hæreticum diximus debuiſſe eſſe Chriſtianum, & baptizatum; quæri poteſt, an poſt ſuſceptam hæ-

Hæreticus an Chriſtianus. reſim ſit Chriſtianus adhuc appellandus. Veteres patres non Chriſtianum, ſed pſeudo-Chriſtianum appellârunt; ut S. Auguſtinus lib. 1. contrà Fauſtum, & lib. 4. de Bap. contrà Donatiſtas c. 3. Undè illud in ſer. 181. de tempo„ re cap. 12. [Chriſtianus non eſt, qui in Chri„ ſti Eccleſia non eſt.] Et lib. 1. de moribus eccleſiæ catholicæ cap. 30. hæretici non ſunt Chriſtiani. Et illud apud S. Hilarium in libro contrà Conſtantium; [Chriſtianus ſum, non „ Arianus.] Et rurſùm; [Cogunt ut non Chri„ ſtiani ſint, ſed Ariani. Ariani ergò non ſunt „ Chriſtiani.]

Ipſi ſanè Chriſtianos ſe vocitant, atque hoc nomine gloriantur plurimùm; ut ait S. Aug. in lib. de agone Chriſtiano c. 12. & de Manichæis nominatim teſtatur in libro contrà Epiſtolam Fund. c. 8. adeò ut Manichæus Apoſtolum ſe Ieſu Chriſti prædicaret; imitatione Pauli ad Rom. 1. ut idem eſt auctor c. 5. ejuſdem libri. Et Donatiſtę non ſolum Chriſtianos, ſed ſolos ſe Chriſtianos dicebant; ut legimus in primo libro contrà epiſtolam Parmeniani cap. 2. & lib. 4. contrà Creſconium cap. 59. Falſos tamen, non veros Chriſtianos vocat in 2. libro de doctrina Chriſtiana cap. 35. & in enchiridio cap. 5. & quoquo modo Chriſtianos in lib. 18. de Ciuit. Dei c. 51. hoc eſt quoquo modo Chriſtiano nomine dealbatos, ut loquitur in 1. libro contrà epiſtolam Parmeniani cap. 9. & confirmat S. Leo Papa ſer. 18. de Paſſ. Domini. Non enim, inquit, templum Dei ſunt nec membra Chriſti: Immò adverſarij Chriſti, & Antichriſti paſſim appellantur à Tertull. lib. 3. adverſùs Marcionem cap. 8. & à S. Cypriano in ep. ad Magnum, & ep. ad Ianuarium, & ad Iubajanum de hæreticis baptizandis, & ad Pompejum contrà epiſtolam Stephani, & ep. ad Quirinum, & in Concilio Cartagin. Et à S. Ambr. lib. 10. in Lucam c. 4. & à S. Greg. Papa lib. 20. moral. cap. 9. & pluribus alijs. Satanæ Angelos, & hoſtes Chriſti, vocauit S. Hilarius in libro contrà Arianos, & Auxentium; Iudæorum hæredes, Nouatus in libro de Trinitate, qui tribuitur Tertull. c. 23. Iudæorum fratres, S. Ambroſius libro 8. in Lucam c. 3. & lib. 3. de Spiritu Sancto ad Gratianum c. 18. Immò, & Iudæis in Chriſto perſequendo pejores; idem Ambroſius or. in Auxentium, de baſilicis tradendis; & S. Hilar. libro de eſſentia patris, & filij: Eorum enim prædicatio Apoſtolorum prædicationi contraria eſt, ut in libro alt. ad Conſtantium loquitur S. Hilarius, & S. Ambroſius ſer. 22. in pſal. 118. & in com. ad caput 2. & 3. prioris ep. ad Cor. Chriſtiano enim nomine ſe tegunt, ut nos decipiant; quemadmodùm idem habet in libro de Incarnationis Dominicæ Sacramento cap. 2. [Sed non „ agnoſcit Chriſtus nomen ſuum, ubi non ag„ noſcit doctrinam ſuam, ubi non agnoſcit ſpi„ ritum ſuum.] Ut idem loquitur in libro 3. de Spiritu Sancto jam citato. Itaque ad rem S. Anſel. in extremo libro Elucidarij, quatuor Evangeliſtas, velut Dei quadrigam cœleſtem, ac divinam Chriſti doctrinam continentem conſiderauit; Equos autem doctrinam hanc per totum mundum trahentes fuiſſe Apoſtolos; hæreticoſque lapſos de curru hoc cecidiſſe. *Evangelium Quadriga Dei.* Ab ipſis dum Chriſtus prædicari creditur, denegatur; ut loquitur S. Hilarius in libro contrà Arianos, & Auxentium. Quam ob cauſam S. quoque Greg. lib. 6. moral. c. 1. & lib. 12. c. 15. amicos Iob, qui ad eum conſolandum venerant, ſed ad verba aſperæ invectionis exceſſerunt, hæreticorum ſpeciem tenere voluit; qui cùm Chriſtum prædicare ſe dicunt, blaſphemant, & pernegant. *Hæretici quales.* Apud ipſos etiàm non eſſe fidem; nec aliud quidquam niſi perfidiam, & blaſphemiam, & contentionem ſanctitatis, & veritatis inimicam; verba fuerunt S. Cypriani in ep. de hæreticis baptizandis ad Iubajanum. Non ſunt eccleſiæ Chriſti membra; ſed ab ea præciſi, ejecti; excommunicati, ut membra putrida, quæ communi fide, & charitate nolunt viuere: ſuas habent particulares Synagogas, & conventicula: & ut bellè Tertull. pronuntiauit in 4. libro adverſùs Marcionem cap. 5. Ipſi faciunt ſibi eccleſias, ut fauos veſpæ. [Faciunt, „ inquit, fauos, & veſpæ, faciunt eccleſias, & „ Marcionitæ.] Et S. Auguſt. in lib. qq. Evangelicarum ſecundùm Matthæum, q. 12. conſiderans illa Chriſti verba cap. 13. Alligate ea in faſciculos ad comburendum; [Non unum, „ inquit, faſcem, aut acervum dicit: propter „ varietatem hæreticorum; qui non ſolùm à „ tritico, ſed etiàm à ſe ipſis diſcordant: & una„ quæque hæreſis habet propria conventicula, „ in quibus dejuncti ſunt.] Eccleſiam S. Epiphanius hæreſi 61. naui dixit ſimilem eſſe, & ex multis conſtare lignis; hæreſim ex uno conſtare ligno, & eccleſiæ formam non oſtendere. Sunt ſanè hæreſes omnes eccleſiæ filiæ, ut habet S. Ambr. in enarratione in caput 31. Proverb. c. 12. Et eccleſiam conantur imitari; undè, & eccleſiæ ſimiæ vocitantur à S. Cypr. in ep. ad Iubajanum ſæpiùs citata, & à S. Io. Chryſ. h. 19. operis imperfecti, ſed, & ipſi adulteri ſunt eccleſiæ Chriſti ſponſæ, ut habet S. Auguſt. ſer. 107. de tempore, & eorum eccleſijs adulteris, quia non ſunt legitimo conjugio Chriſto copulatæ; ut loquitur S. Ambr. in ep. ad Marcellinam ſororem. Eccleſiam martyres facere, hæreſim apoſtatas tantùm; ſcripſit Tertull. in libro de præſcript. cap. 4. & ab idololatria nihil diſtare, c. 40. & nullam apud eos eſſe eccleſiaſticam diſciplinam, cap. 41. quod præclarè, & ad hæreticos noſtri temporis accommodatè perſequitur.

Quip-

Digitized by Google

Quippè doctrinæ index eſt diſciplina, cap.43. Deniquè S. Auguſt.in 2.libro contrà Gaudentium cap.11. hæreſim oſtendit religionem non eſſe, ſed ſuperſtitionem; quoniàm religio non in falſitate, ſed in veritate dicitur; & S. Hieronymus in Com. ad caput 2. Iſaiæ de hæreſi, verba illa interpretatur; Et repleta eſt terra idolis ejus; opus manuum ſuarum adoraverunt. [Omne enim, inquit, dogma contra-„rium veritati adorat opera manuum ſuarum „(errores, ſcilicèt, à ſe excogitatos) & con-„ſtituit Idola in terra ſua; & incurvatur ho-„mo, & humiliatur vir, & ſe erigere non po-„teſt; quia eſt à Diabolo colligatus; niſi illum „erexerit Dominus: exemplo illius mulieris, „quam Satanas vinxerat annis 18. ut nequa-„quàm cœlum, ſed terram ſemper aſpiceret.] Hæc omnia verè, & ſancto catholicæ fidei, ac religionis zelo à Sanctis Patribus dicta fuiſſe non dubito. Quos tamen ſi accuratè loqui velimus, negaturos non credo, hæreticos verè Chriſtianos eſſe. Si enim in eccleſia Chriſti ritè baptizati ſunt, characterem Chriſti indelebilem ſuſceperunt, quo Chriſti nomine, ac profeſſione ſignati ſunt, & licèt transfugæ à Chriſti ad Diaboli caſtra tranſierint; chriſtianæ tamen militiæ ſignum retinent. Quo Chriſtiani ſunt, ſed mali, & rebelles Chriſtiani, & velut Antichriſti, & Antichriſtiani, adverſùs Chriſtum, & illius caſtra pugnantes. Itaque verè, & re ipſa Chriſtiani ſunt, opere, moribus, vitâ, & fide non Chriſtiani; ſed contrà Chriſti eccleſiam militantes. Propterea eccleſiæ quoquè cenſuris, & pœnis ſubjecti ſunt, atque ab illa puniri poſſunt; non item Iudæi, & Ethnici, qui ad eccleſiam numquàm pertinuerunt. In hæreticos enim retinet ſuum jus eccleſia, quod primùm acquiſivit. In Iudæos, & Ethnicos nullum habet.

CAPUT X.

Contrà Hæreticos quid Patres.

Hæreſis Eva. MIRUM autem eſt, quàm multa, & gravia adverſùs hæreſes, atque hæreticos ſcripſerint veteres Patres. Eva olim blanditijs ſuis ſeduxit Adamum; & univerſum perdidit genus: quod ſapienter S. Ambr. lib. 7. in Lucam cap.27.accommodat hæreſi. [Hæreſis, in-„quit, velut Eva fœmineo rigore fidei tentat „affectum, & lubrica facilitate prolabens le-„nocinia falſi decoris affectat; intemeratam „negligens pulchritudinem veritatis.] *Meretrix.* In libro Num. c. 25. fornicatus eſt populus Iſraël cum filiabus Moab, quæ vocaverunt eos ad ſacrificia ſua; at illi comederunt, & adoraverunt Deos earum. Hæreſis quoquè meretrix feralis eſt; ait idem Ambr. ſer. 18. in pſ. 118. & contrà illam inſurgere debet Sacerdos, ſicut Phineës, qui arrepto pugione ingreſſus perfodit ambos ſimul, virum, & mulierem. Et S. Bernard. in ep. 323. ad Henricum Maguntinum Archiepiſcopum, Hæreſim vocat meretricem impraægnatam de ſpiritu falſitatis; & S. Aug. ſer. 200. de tempore, duas meretrices coràm Salomone litigantes 3.Reg.3. eccleſiam interpretatur, & hæreſim, quarum altera unitatem petit, altera diviſionem. Sed & quid aliud, quam hæreticos adverſùs eccleſiam inſurgentes, ſignificârunt Dathan, & Abiron adverſùs Moyſen rebellantes? [Per Dathan, *Dathan & Abiron* „& Abiron, inquit S. Ambroſius in tract. de „42. manſionibus, manſ. 15. quid aliud, quàm „qui hæreſes, & ſchiſmata in eccleſiam intro-„ducunt, ſignificantur? Ij Sacerdotis auctori-„tate contempta, à Deo, & Dei Eccleſia ſe ſe-„gregantes, alias Eccleſias, aliud altare, alios „mores ſomniant; & Dei ordinatione rejecta „proprias conantur ſtatuere vanitates.] Gigantem Goliath ſuperbè, & cum magno ap- *Goliath.* paratu procedentem adverſùs Davidem, addit S. Bern. ep. 189. ad Innocentium Papam. *Amici Iob.* Amicos Iob, S.Greg.Papa in præfatione mor. c. 6. & 7. & lib. 3. c. 14. & lib. 11. c. 13. & lib. 12. c. 15. & lib. 14 c.1. & lib.23.c.1. & lib. 35. c. 6. & 7. Tùm quià ſub ſpecie conſulendi negotium agunt ſeducendi; ſicut amici Iob, dum conſolantur, invehuntur. Tùm quià nimium ſapere videri volunt, non ut benè viuant, ſed ut elatè loquantur, nec eſſe docti, ſed videri appetunt. Tùm quià mendacij, & falſorum dogmatum fabricatores ſunt; quemadmodùm, & de amicis Iob dicitur. Tùm etiam quia contrà bonos, & catholicos contumelioſa verba pronuntiant: & cùm vera in eis mala non inveniant, fingunt, ut ipſi juſti eſſe videantur. Denique ut illi quædam recta, & quædam ſtulta loquebantur, ſic hæretici quædam vera & quædam falſa pronuntiant; multiſque veris aliqua falſa intermiſcent. Non enim veterem fidem abijcere ſe profitentur; ſed reformare, & corrigere. At dùm emendare aliqua volunt totam abijciunt: qui enim offendit in uno, factus eſt omnium reus, Iacob. 2. & verè dixit Tertull. in lib. adverſùs Praxeam cap.8. Hæreſim ex veritate accipere, quod ad mendacium ſuum ſtruat. [Eſt autem „(inquit S. Aug. in lib. de mendacio c.21.) ma- *Hæreſis peccatum, & pœna, & cauſa peccati.* „gnum ſcelus, & primum genus deteſtabilis „mendacij mentiri in doctrina pietatis.] Hæreſimque dixerim, & eſſe peccatum, & peccati cauſam, & pœnam peccati. Sic enim S. Ioan. Chryſ.h.31. operis imperfecti. [Quia, inquit, „habentes fidei veritatem; & non viventes ſe-„cundùm eam, ablata eſt ab eis; ut crederent „pro veritate mendacijs.] Et h. 47. in Acta. „[Anima multis malis immerſa has ſibi con-„ſolationes excogitat &c.] Et iterùm. [Opi-„nor non facilè reperiri non rectè viventem, non

Digitized by Google

,, non innumera ſatanica ſentire &c.] Undè nequitiam hominum ſedem eſſe perverſæ doctrinæ pronuntiauit S. Anſel. in caput 4. epiſtolæ ad Epheſios. [Nam hæreſis, inquit, non ,, eſt, niſi in anima ſubdita peccatis; quià pec- ,, cata commiſſa ſunt cauſæ, ut Deus permit- ,, tat eos corruere in baratrum hæreſis.]Ideoq; Orig. h. 12. in Num. fidem Chriſti oſtendit eſſe puteum aquæ, quâ catholici omnes potantur : hæreticos autem, non ad hunc puteum venire, ſed ad vallem ſalſam, in qua ſunt multi putei bituminis. Omnis enim hæ- *Hæreſis vallis ſalſa.* reſis, & omne peccatum in valle eſt, & valle ſalſa; quia non aſcendit ſurſùm, ſed ſemper ad ima, & inferna deſcendit. Eſtque in valle & ſalſus, atque amarus omnis hæreticus ſenſus. Quid enim dulce, quid ſuave poteſt habere peccatum? ſed & ampliùs aliquid habet, puteos bituminis. Eſt autem bitumen eſca, & nutrimentum ignis; & quæ ſeq. Sed & alios etiam inficit, & ſeducit. Ita S. Aug. lib. 3. confeſſ. cap. 6. [Hæretici, ait, ſuperbè delirantes ,, homines, & carnales nimis, & loquaces, in ,, quorum ore laquei diaboli, & viſcum confe- ,, ctum commiſtione ſyllabarum nominis Dei, ,, & IeſuChriſti, &SpiritusSancti.]Hęreſimq; *Mulier Proverbiorum 9.* addit mulierem illam eſſe audacem, prudentiæ inopem, ſedentem ſuper ſellam in foribus, & dicentem; Panes occultos libenter edite, & aquam dulcem furtivam bibite; ut eſt in libro Prover. c. 9. & libro 2. de Geneſi, contrà Manichæos c. 25. & 26. hæreticorum figuram voluit fuiſſe ſerpentem Euæ ſeductorem, dùm *Serpens Euæ ſeductor.* ſcientiam illi boni, & mali promiſit. Sic enim apud illos, ut idem Auguſt. loquitur in lib. contrà epiſtolam Fund. cap. 4. [Sola perſonat ,, veritatis pollicitatio quæ tamen numquàm ,, exhibetur.] Hinc eſt quod venenum, & canceris virus appelletur à S. Ambr. in lib. de fide *Ceraſtes.* orthodoxa cap. 1. Ceraſten ſerpentem profert S. Epiph. hær. 24, qui arena obruitur, & per cornu in aëre eminens aves ad ſe ſollicitat; ut narrat etiam Plin. l. 8. c. 23. Sic enim, & hæreſis occultata malitia ſollicitat, ac ſeducit homines, & rurſum hær. 25. [Eſt, inquit, ve- *Tibia.* ,, lut flatus in tibia, diverſis motibus concitans ,, contrà veritatem. Nam, & ipſa tibia inci- ,, tamentum eſt draconis, per quem locutus eſt ,, diabolus, & decepit Euam.] Peſtis, ſeu peſti- *Peſtis.* fera ægritudo, à S. Cyrillo Alex. lib. 2. in Ioannem c. 70. & ab Origene tr. 28. in Matth. & à S. Greg. Nazian. in or. de ſe ipſo, & cathedræ conſtantinopol. affectat: nec poſſe majorem *Lethale poculum.* reipub. peſtem, ac perniciem adferri, in or. in laudem Baſilij. Lethale poculum, ab eodem Nazian. in tract. de fide. Pix, quæ coïnquinat *Pix.* puritatem, & pulchritudinem eccleſiæ, S. Io. Chryſ. in pſal. 14. Myſterium iniquitatis, de *Myſterium iniquitatis.* quo in poſteriore ad Theſſ. ep. cap. 2. loquitur Paulus, Theodor. in com. ad eum locum. [Per ,, hæreſim enim multis à veritate abductis, præ- *Porta Inferi.* ,, parat Diabolus exitium deceptionis.] Portæ inferi, ab Origene libro 1. in Iob, & S. Epiph. hær. 74. & in Ancor. & S. Emiſs. h. in natali S. Petri, & alijs pluribus : atque ità intelligunt illud, Matth. 16. Portæ inferi non prævalebunt adverſus eam; hoc eſt hæreſes omnes, & ſectæ infidelium. Lepra eccleſiæ, à S. Auguſt. *Lepra Eccleſiæ.* ſer. 10. de verbis Apoſtoli. [Doctrina, inquit, ,, inconſtans, non habens unum colorem, men- ,, tis lepram ſignificat.] Nevus Eccleſiæ ve- *Nevus Eccleſiæ.* lut in medio formoſiſſimi oris, à S. Io. Damaſc. or. 1. de Imaginibus. Dæmonum fœ- *Dæmonum fœtus, & ſibili Draconum.* tus, & ſibili draconum, à S. Epiphanio hær. 31. Sed de his nimis multa.

CAPUT XI.

Hæreſes undè.

PAULUS in epiſtola ad Gal. c. 5. hæreſim inter opera carnis numerauit : quod mirari poſſit. Sed ad initium libri 6. in epiſtolam ad Rom. propterea factum dicit Origenes, quoniàm ea de ſenſu carnis procedit. Si enim *Hæreſis cur inter opera carnis.* hæreſum cauſas omnes perquiras; carnales eas eſſe reperies. Carnalis quippè eſt nimius affectus ad corpus, & ad ea, quæ corporis ſunt. Hanc enim cauſam apud S. Auguſt. re- 1. peries in libro de vera religione cap. 10. Quo loco ità loquitur; [Sit tibi manifeſtum, atque ,, perceptum; nullum errorem in religione eſſe ,, potuiſſe; ſi anima pro Deo ſuo non coleret ,, animam, aut corpus, aut phantaſmata ſua, ,, aut horum aliqua duo conjuncta, aut certè ,, ſimul omnia.]Et apud S. Io. Chryſ. h. 1. operis imperf. propoſito exemplo Salomonis, & Roboämi, ſub quibus ſciſſum eſt regnum. ,, [Sic, inquit, populus Chriſtianus in primis ,, quaſi benè agens proſperatus eſt; proceden- ,, te autem tempore, cùm cœpiſſet delinquere, ,, & amare, quæ carnis ſunt, & mundi, exci- ,, tauit Deus ſuper eum ſchiſmatis ſpiritum, & ,, conſciſſus eſt in hæreſes &c.]

Secunda cauſa fuit mala vita, & corrupti 2. mores. Hanc ex Paulo colligimus in priore ad Tim. ep. c. 1. & collegit Theod. in præf. lib. 2. hæretic. fabularum : [Habens, inquit, bonam ,, conſcientiam; quam quidam repellentes, ,, circà fidem naufragaverunt.] Quarè Theod. malam vitam affirmat fundamentum eſſe impietatis, & hæreſum, & libro 3. ejuſdem operis c. 1. ex ignorantia, & intemperantia, & impudicitia ortas fuiſſe. S. Io. Chryſ. ſer. in dictumPauli; Nolo vos ignorare fratres &c. [Si- ,, cut mala dogmata impuram inducere con- ,, ſueverunt vitam; ità & vita perverſa dogma- ,, tum perverſitatem ſæpè parit.] S. Hier. gulam præſertim, & luxuriam ſolet objicere, In Com. ad 3. caput Ierem. [Nulla Hæreſis

niſi

Digitized by Google

„ niſi propter gulam, ventremque conſtitui-„ tur; ut ſeducat mulierculas oneratas peccatis.] Et ad caput 7. Oſeæ; [Raró hæreticus diligit „ caſtitatem.] & rurſum ad caput 9. [Difficilè „ eſt hæreticum reperire, qui diligat caſtita-„ tem. Non quòd eam præferre deſiſtat in la-„ bijs; ſed quòd non ſervet in conſcientia, aliud „ loquens, & aliud faciens.] Paulum Samoſa-tenſem, ut mulieri cuidam remigratam facereret, ſalutem ſuam contempſiſſe, & in hære-ſim incidiſſe, ſcimus ex S. Io. Chryſ. h. 7. in Io. & Scythicanum refert S. Epiph. hær. 66. propter luxuriam, & carnis voluptates factum hæreticum, & S. Io. Damaſc. in lib. de hæreſi-bus, Marcionem, ſcribit, cùm virgini ſtuprum intuliſſet, & ab eccleſia expulſus eſſet, Ro-mam veniſſe; cumque pœnitentiam non im-petraſſet, factum hæreticum. Carpocratia-nos autem ità omnem libidinem & obſcœni-tatem explendam eſſe dixiſſe; ut ſi quis per omnia ſcelera non volutaretur, eum ad ſum-mum Cœlum pervenire poſſe negarent.

3\. Tertiam cauſam, impatientiam putat eſſe S. Cyp. in ſer. de bono patientiæ. [Ut enim „ patientia, inquit, bonum eſt Chriſti; ſic im-„ patientia Zabuli malum: & ſicut in quo habi-„ tat, & manet Chriſtus, patiens invenitur; ità „ impatiens ſemper exiſtit, cujus mentem Za-„ buli nequitia poſſidet.] Et rurſùm paulò poſt; „ [Impatientia in eccleſia hæreticos facit, & „ ad Iudæorum ſimilitudinem contrà Chriſti „ pacem, & charitatem rebelles ad hoſtilia, & „ furioſa odia compellit.]

4\. Quarta cum hac conjuncta eſt inobedientia ergà ſuperiores, & Prelatos; propriaq; cujuſque voluntas. Propterea Tert. lib. 2. adverſus Marc. c. 2. Adæ peccatum hæreſim appellat, & hæ-reſum omnium principium; quòd propriam ſecutus eſt voluntatem. Quis dubitabit ipſum Adæ delictum hæreſim pronuntiare; quod per electionem ſuæ potiùs, quàm divinæ ſen-tentiæ admiſit? Sic enim omnis hæreticus ſuam potiùs, quàm catholicæ eccleſiæ ſenten-tiam ſequi mavult. Et S. Cyprianus in ep. ad Cornelium. [Neque enim aliundè hæreſes „ obortæ ſunt, aut nata ſunt ſchiſmata; quàm „ quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur: nec „ unus in eccleſia ad tempus Sacerdos, & ad „ tempus Iudex vice Chriſti cogitatur. Cui ſi „ ſecundùm magiſteria divina obtemperaret „ fraternitas univerſa; nemo adverſus ſacerdo-„ tùm collegium quidquam moveret.] Et in ep. ad Rogatianum. [Hæreſum initium, ut „ præpoſitum ſuperbo tumore contemnant.] Et ep ad Florentium Pupianum; [Undè ſchiſ-„ mata, & hæreſes obortæ ſunt, & oriuntur; niſi „ dum Epiſcopus, qui unus eſt, & eccleſiæ „ præeſt, ſuperbâ quorumdam præſumptione „ contemnitur; & homo dignatione Dei hono-„ ratus, ab indignis hominibus iudicatur?] Et in tract. de ſimplicitate Prælatorum; [Hinc hære-„ ſes, & factæ ſunt frequenter, & fiunt; dùm „ perverſa mens non habet pacem, dùm perfidia „ diſcordans non tenet unitatem.] Et poſt ali-„ qua; [Hæreſes, & ſchiſmata nata ſunt, dùm „ conventicula ſibi diverſa conſtituunt, & ve-„ ritatis caput, atque originem reliquerunt.] Ita S. Auguſt. lib. 2. contrà litteras Petiliani c. 95. diſſenſionem dixit, & diviſionem facere hæreticos; pacem, & unitatem catholicos.

Quinta cauſa eſt, quod gravis illis videatur Eccleſiæ diſciplina; dùm majorem vivendi li-centiam quærunt. S. Greg. Papa lib. 7. regi-ſtri c. 5. [Non ob aliud ignorantiæ ſuæ cæci-„ tate volvuntur; niſi ut Eccleſiaſticam fugiant „ diſciplinam, & perverſè habeant, ut volue-„ rint viuendi licentiam: quià nec quid defen-dant, nec quid ſequantur, intelligunt.] Et c. 53. [Hæretici Eccleſiæ, & Romano Pontifici „ ſubeſſe nolunt, quia de ſuis carnalibus acti-„ bus reprehendi pertimeſcunt.] Tertull. li-bro de præſcript. cap. 41. nullam apud eos oſtendit eſſe eccleſiaſticam diſciplinam. 5.

Sexta eſt ſuperbia. Ità S. Auguſt. conc. 26. in pſ. 118. Hæreticos, & Schiſmaticos ſuper-bia de membrorum Chriſti compage præci-dit. Et S. Greg. Papa lib. 3. mor. c. 13. [Hæ-„ reticorum locus eſt ipſa ſuperbia: quia niſi „ priùs in corde intumeſcerent, ad pravæ aſ-„ ſertionis certamina non convenirent. Ità „ namq; malorum locus eſt ſuperbia, ſicut hu-„ militas locus bonorum.] Eandem agnoſcit cauſam S. Proſper lib. 3. de vita contempl. c. 4. & Athan. in lib. de Incarnatione Chriſti, & S. Io. Chryſ. h. 2. & 22. in ep. ad Rom. & h. 5. ex varijs Matthæi locis. [Multos, inquit, „ hæreticos de altitudine catholicæ fidei, in „ ima deijcit, cùm ab humilitate Dominica ſe-„ paraverit, & in ſuperbiam mentis extulerit.] Incredibilem Eunomij ſuperbiam, & arro-gantiam commemorat Theod. in 4. libro hæret. fabul. c. 3. qui auſus ſit dicere, ſe ni-hil ex rebus divinis ignorare; ſed ipſam etiam Dei ſubſtantiam exactè ſcire; Eandemque ha-bere de Deo cognitionem, quam ipſe de ſe ipſo habet Deus. Quis ineptum ferat homi-nem? Marcionitam quoque narrat in primo libro c. 29. ſputo lavantem faciem; quod ſe diceret nolle opus habere creatore, qui aquam ad lavandum ſuppeditaret. O inſulſum, ac ineptum homuncionem! Sed verè de illis pro-nuntiavit Tertull. loco proximè citato; [Om-„ nes tument, omnes ſcientiam pollicentur ip-„ ſæ mulieres hæreticæ, quàm procaces.] S. Iren. l. 2, c. 54. & 55. aliquos refert Deo ſe meliores dicentes. 6.

Septima eſt ambitio. Valentinum ſcribit Tertull. in libro adverſus Valentinianos c. 4. Ideò factum hæreticum, quòd alius obtinuit Epiſcopatum, quem ipſe ſperaverat, & Ae- 7.

rium eandem ob cauſam, quod Epiſcopus non potuit ordinari refert S. Aug. in lib. de hæreſibus 53. & S. Epiph. hær. 75. & Novatianum S. Amb. lib. 1. de pœnitentia c. 15. & S. Pacianus ep. 2. ad Symphorianum hæreticum Novatianum; & ep. 3. contrà tractatus Novatianorum, & Iulianum apoſtatam S. Bern. ep. 1. ad Robertum nepotem, & Theod. lib. 3. hiſt. c. 3. Montanum quoque hæreticum, Theod. lib. 3. hæret. fab. c. 2. & Arium lib. 4. c. 1. & Doſitheum S. Epiph. hær. 13. Et Melitianos S. Athan. or. 1. contrà Arianos; & univerſæ hæreſes omnes ex ambitione, & invidia ortum habuiſſe, S. Iuſtinus q. 4. ad Gentiles, & S. Io. Chryſ. h. 37. in Io. & in c. 5. ad Gal. & h. 11. in ep. ad Epheſ. & h. 2. in priorem ad Tim. & S. Cypr. in ſer. de zelo, & livore, & Lactantius Firmianus in libro de vera ſapientia c. 30. Undè S. Aug. in lib. de utilit. credendi c. 1. & S. Anſelmus in caput 11. prioris ep. ad Cor. non dubitârunt hæreticum definire. [Qui alicujus temporalis com„ modi, & maximè gloriæ, principatuſque ſui „ gratiâ falſas opiniones, ac novas vel gignit, „ vel ſequitur.] Sanè S. Epiph. hæreſi 75. plures viſus eſt enumerare cauſas, ſed hanc unam credi poteſt pluribus appellaſſe nominibus; cùm dixit; [Omnis hæreſis aut ex vana gloria, „ aut ex ſuperbia, & elatione, aut ex concupi„ ſcentia, aut ex æmulatione ergà proximos, „ aut exacerbatione, aut petulantia.] Hæc enim omnia in ambitioſo homine contineri mihi videntur.

8. Octava eſt mala, & perverſa, non ex veterum patrum, & eccleſiæ, ſed ex privato & proprio ſenſu, ſacrarum ſcripturarum intelligentia. Hoc non ſemel indoluit Tertull. nam in libro de reſur. carnis c. 40. [Hæreſes, inquit, „ eſſe non poſſent, ſi non & perperam ſcriptu„ ræ intelligi poſſent.] Et c. 63. [Hæreſes ſine „ aliquibus occaſionibus ſcripturarum audere „ non poterant.] Et in libro de præſcriptionibus c. 39. [Ipſæ quoque ſcripturæ ſic ſunt ex „ Dei voluntate diſpoſitæ, ut hæreticis mate„ rias ſubminiſtrent: cùm legam, oportet hæ„ reſes eſſe, quæ ſine ſcripturis eſſe non poſſent.] Et S. Hilar. lib. 7. de Trin. [Negari non „ poteſt ex vitio malæ intelligentiæ fidei exti„ tiſſe diſſidium, dùm quod legitur, ſenſui po„ tius coaptatur, quàm lectioni ſenſus obtemperat.] Vel etiàm ex incompoſita ſcripturarum dictione, occaſionem eos erroris ſumpſiſſe: teſtatur in com. pſ. 137. Sed quid mirum? Vel etiam Alphabetum græcum dediſſe hæreſi locum; legimus apud Tertull. c. 50. libri de præſcriptionibus. Sanctus item Auguſt. in libro 83. qq. q. 69. & lib. de catechizandis rudibus c. 8. hæreticorum errores permultos ex ſcripturis non intellectis ortos eſſe affirmavit.

9. Nona eſt nimia curioſitas in occultis fidei noſtræ myſterijs perquirendis. S. Auguſt. lib. 3. de peccatorum meritis, & remiſſione cap. 8. „ [Plerumquè, inquit, convaleſcit error, cùm „ homines idonei ſunt ijs rebus interrogandis, „ quibus intelligendis non ſunt idonei.] Et S. Greg. Nyſſen. or. 3. de reſur. [Quoniam mens „ eorum, de quibus dubitat, & quærit, ſolutio„ nem non invenit; neque ſuam curioſitatem „ inventione, ac diſſolutione ſedare poteſt; „ deinceps propter infirmitatem ſuarum cogi„ tationum, & ſenſuum tendit ad incredulita„ tem; eijciens, ac reprobans rerum veritatem.]

Decima fuit etiam interdùm cauſa ſimplicitas nimia, ruditas, imperitia, & ruſticitas: quemadmodùm de Serapione, qui in Anthropomorphitarum inciderat hæreſim, commemorat Io. Caſſianus coll. 10. Abbatis Iſaäc. 10.

Undecima huic contraria eſt incredulitas nimia, quâ ijs non aſſentiuntur, quæ non intelliguntur; quæ in philoſophis præſertim, & ijs, qui humanis ſcientijs, & doctrinis ſunt aſſueti, quique Chriſtianis nimiam ſimplicitatem aliquàndo objecerunt, eſſe ſolet. [Diaboli ver„ ſutiam ſequitur, quiſquis hujuſmodi eſt; qui „ incredulitatis corruptionem humanæ menti „ induxit.] Dixit S. Epiph. hær. 64. c. 6. 11.

Cæterùm hæreſum omnium parens, & auctor eſt Diabolus; atque hæc duodecima numeretur cauſa. [Hæreſum princeps Diabolus;] inquit S. Athan. or. 1. contrà Arianos; & or. 2. [Hæreſum excogitator, & inventor Dia„ bolus.] Et ep. de ſententia Dion. contrà Arianos. [Hæreſû ſuppeditator eſt diabolus.] Et ep. de decretis Nicenæ Synodi. [Diabolus hæreſum „ auctor, & ſuaſor.] Et S. Aug. lib. 18. de Civit. Dei c. 51. [Diabolus contrà fidem Chriſti ex„ citavit hereticos.] Diabolum ab idolis pulſum ad hæreticos confugiſſe, hæreſeſque idolis, & idololatriæ ſucceſſiſſe; voluit S. Cypr. in tract. de ſimplicitate Prælatorum. Sic enim habet. „ [Diabolus videns idola derelicta, & ſedes „ ſuas, ac templa deſerta; excogitavit novam „ fraudem; ut ſub ipſo Chriſtiani nominis titu„ lo fallat incautos. Hæreſes invenit, & ſchiſ„ mata; quibus ſubverteret fidem, veritatem „ corrumperet, ſcinderet unitatem.] Itaquè quod Iudæis propter illorum incredulitatem dixit Chriſtus, Io. 6. Vos ex patre Diabolo eſtis; poſſumus & nos hæreticis dicere, & dixerunt Veteres Patres, diabolum eſſe illorum patrem; Tertull. in libro adverſus Praxeam; & S. Cypr. in ep. ad Novatum, S. Leo Papa ſer. 5. de jeiunio decimi menſis, & ep. 63. & S. Hieronymus ad caput 57. Iſaiæ, & S. Auguſt. lib. 1. contrà Fauſtum, & S. Ambr. in caput 3. poſterioris ep. ad Tim. & lib. 5. de fide ad Gratianum c. 6. Et S. Irenæus lib. 3. c. 3. refert S. Polycarpi verba ad Marcionem; [Cognoſco te „ primogenitum Satanæ.] Et S. Ignat. ep. ad Philadelphenſes, & ep. ad Smyrnenſes, & S. Athan. 12.

Hæreſum parens Diabolus.

Digitized by Google

Athan. or. 1. & 4. contrà Arianos, & in apologia de fuga ſua, & in ep. de ſententia Dionyſij contrà Arianos, & S. Greg. Nazian. or. 2. in Paſcha, & or. in Chriſti nativitate, & S. Cyrill. Alex. lib. 3. Theſauri c. 1. & S. Epiph. hær. 64. c. 6. & S. Io. Damaſc. in hiſt. Barlaàm c. 16. itaquè verè Tertull. in libro adverſùs Valentinianos c. 18. Deus pater omnium præterquàm hæreticorum; hi enim patrem habent Diabolum.

3. Decimatertia cauſa fuit, & eſt ſomnus, & negligentia catholicorum, ac præſertim Epiſcoporum, ac Doctorum Eccleſiæ catholicæ. Quam cauſam interpretatione S. Auguſt. in lib. qq. Evangelicarum ſecundùm Matth. q. 11. & S. Io. Chryſ. h. in dictum Pauli; Oportet hæreſes eſſe; ſignificavit nobis Dominus, Matth. 13. in parabola hominis ſeminantis bonum ſemen, hoc eſt rectam fidem in agro ſuo, in eccleſia, cùm autem dormirent homines, hoc eſt Epiſcopi, & Prælati, inimicus homo Diabolus, & illius miniſtri, ſuperſeminavit hæreſum zizania. Et in caput 1. epiſt. ad Gal. idem Chryſ. [Ob id majora ſcelera ſubierunt, quòd minoribus debita correctio non adhibetur; & ut in corporibus, qui vulnera neglexerunt, febres gignunt, & putrefactiones, & mortem denique: ità & in animis, qui puſilla diſſimulant, majora invitant.] Loquitur autem de hæreſibus, quæ ex paſtorum negligentia invaleſcunt.

CAPUT XII.

Hæreſes Eccleſiæ nihil obeſſe.

ET hæ quidem fuerunt hæreſum cauſæ. Quæ tamen Eccleſiæ nihil obfuerunt; quin potiùs plurimùm profuerunt. Sibi ipſis, & ſuis ſectatoribus nocent. [Hæreticæ pravitatis nocens factio, ſcribit ad Cornelium Cyprianus, ipſa jam perdita, & alios, qui ſibi conſenſerint, perditura.] De eccleſia verò S. Hier. libro 2. adverſùs Iovinianum capite 12. [Eccleſia non conſtupratur dogmatum varietate, nec hæreſibus ſcinditur; virgo permanet.] Et re ipſa comprobatur illud Tertull. in libro de præſcriptionibus cap. 2. [Hæreſes apud eos valent, qui in fide non valent; ſicut in pugna interdùm quis vincit, non quia fortis eſt; ſed quia ille, qui victus eſt, nullis viribus fuit.] Ergò prima illarum utilitas eſt, quod ita probantur, & manifeſtantur, quinam ſint veri, & legitimi eccleſiæ filij, qui ſpurij, & illegitimi, quæque vera fides. [Hæreſes (inquit Tertull. in eodem lib. c. 1.) ad hoc ſunt, ut Fides habendo tentationem habeat etiam probationem.] Et. S. Cypr. in tract. de ſimplicit. prælatorum. [Fieri hæc Dominus permittit, & patitur, ut dum corda, & mentes noſtras veritatis diſcrimen examinat probatorum fides integra manifeſtà luce clareſcat.] Et S. Aug. in libro de vera religione c. 6. [Eccleſia omnibus errantibus utitur ad profectus ſuos; gentibus ad materiam operationis ſuæ, hæreticis ad probationem doctrinæ ſuæ, ſchiſmaticis ad documentum ſtabilitatis ſuæ, Iudæis ad comparationem pulchritudinis ſuæ.] Et lib. 12. contrà Fauſtum c. 24. [Iudæi utiles eccleſiæ ſunt ad atteſtationem, hæretici ad probationem.] Denique aperta eſt Pauli ſententia 1. Cor. 11. oportet hæreſes eſſe, ut qui probati ſunt, manifeſti fiant. Quod verbis quoque illis pſ. 67. congregatio taurorum, id eſt, hæreticorum in vaccis populorum; ut excludantur ij, qui probati ſunt argento; ſignificatum credit in com. Aug. illius loci; & in pſ. 54. [Multis eſt aucta Eccleſia viris doctis, qui latebant, atq; hæreſum occaſione pro eccleſiæ defenſione prodierunt.]

Prima utilitas.

Secunda utilitas eſt, dum armant nos. Ut enim pacis tempore nullus eſt timor, nullus belli apparatus: Inſurgente autem hoſte armantur omnes, & ad pugnam ſe comparant. Sic excitatis hæreſibus, collegerunt plurimum belli apparatum, quo veram tuerentur fidem. [Armant nos (ſcribit ad Cornelium S. Cyprianus) hæretici, dum nos putant ſua commitatione terreri: nec in pace nos dejiciunt, ſed magis erigunt, atque accendunt; dum ipſam pacem perſecutione pejorem fratribus faciunt.] Et S. Greg. Papa libro 7. regiſtri c. 3. [Sancta eccleſia ſubtili in ſua ſemper eruditione inſtruitur, dum hæreticorum quæſtionibus impugnatur: ità ùt apertè impleatur, quod per Pſalmiſtam contrà hæreticos de Deo dictum eſt, pſ. 54. Diviſi ſunt ab ira vultus ejus, & appropinquavit cor illius. Nam dum ipſi in ſuo pravo errore dividuntur, cor nobis Dei appropinquant; quià eruditi adverſitatibus intellectum ejus ſubtiliùs invenimus.] Niſi enim fuiſſent hæreſes, non haberet eccleſia tam multa à Patribus adverſus illos ſcripta; ſive impugnando errores, ſive argumentis, & objectionibus reſpondendo, ſive ſcripturas interpretando, quibus plurimùm & armata fuit, & ditata. [Didicimus enim (ut loquitur S. Auguſt. in libro de bono perſeverantiæ cap. 20.) ſingulas quaſque hæreſes intuliſſe eccleſiæ proprias quæſtiones, contrà quas diligentiùs defenderetur ſcriptura divina, quàm ſi nulla talis neceſſitas cogeret.] 2.

Tertia utilitas eſt, quòd excitant nos, exercent, vigilantioreſque faciunt. [Dum enim in hypocriſi vigilant illi nocituri; nos quodam modo excitant dormientes, ut arrepto clypeo veritatis, falſitati eorum corde reſiſtente vigilemus.] Ut in principio libri Hypognoſticon dixit S. Auguſt. qui etiam in com. 3.

Pſal. 7.

Digitized by Google

Pſal. 7. Vaſa mortis interpretatur hæreticos. Quorum tamen morte; ac perditione, tamquàm ſpinis à ſomno excitantur eccleſiæ filij, ut ad intelligentiam divinarum proficiant ſcripturarum, & quod in ſermone 95. de tempore. Ægypti ranas clamantes in paludibus limoſis, hæreticos, & philoſophos ſignificare arbitratur; propterea maximè probaverim, quòd inani contentione, & importuno vocis ſtrepitu nos excitant ad veræ ſapientiæ doctrinam defendendam. [Multi enim ſenſus ſcripturarum „ ſanctarum latent (ait idem in comment. „ pſal. 67.) nec afferuntur commodiùs, & „ acceptabiliùs, quàm cùm reſpondendi hære- „ ticis cura compellit. Tunc enim etiam qui „ negligunt ſtudia doctrinæ, ſopore diſcuſſo ad „ audiendi excitantur diligentiam, ut adverſa- „ rij refellantur.] Et in tractatu 36. in Io. [Ad „ hoc, inquit, hæreticos Deus abundare permi- „ ſit, nè ſemper lacte nutriamur, & in bruta in- „ fantia remaneamus. Quia enim non rectè ſa- „ piendo quæſtiones moleſtiſſimas intulerunt; „ ceperunt fluctuare corda fidelium: undè ne- „ ceſſitas facta eſt ſpiritualibus viris, ut contrà „ arma Diaboli Chriſti arma proferrent, & „ adverſùs illos pugnarent; nè cùm ipſi tace- „ rent, alij perirent.] Denique S. Anſelmus in caput 11. prioris ep. ad Cor. divina providentia factum putat, ut multi eſſent hæreticorum errores. [Ut cùm inſultant nobis, & interro- „ gant ea, quæ neſcimus, vel ſic diſcutiamus „ pigritiam, & divinas ſcripturas noſſe cupia- „ mus.]

4. Quarta utilitas fuit, quod ità clariores res noſtræ factæ ſunt. Sic S. Aug. lib. 7. confeſſ. cap. 19. [Improbatio hæreticorum facit emine- „ re, quid eccleſia ſentiat. Multa enim (addit „ lib. 16. de Civit. Dei c. 2.) ut adverſus eos de- „ fendi poſſint, & conſiderantur diligentiùs, & „ intelliguntur clariùs, & inſtantiùs prædican- tur.] Oppugnationes quoque illorum, confirmat S. Anſelmus in tract. de Sacramento Altaris cap. 13. clariorem efficiunt fidem noſtram. Et illud eſt apud S. Leonem ep. 22. ad Conſtantinopolitanos. [Splendeſcit fidei puritas, „ cùm ab ea ſordes ſeparantur errorum.] Et ep. 52. ad Epiſcopos Galliæ. [Catholica fi- „ des per ipſas adverſantium exercitationes, & „ validior efficitur ſemper & clarior.] Et ep. 54. ad Marcianum. [Hæreſum confutatione „ firmior, & clarior redditur fides, & magis „ confirmantur fideles.] Et ep. 63. ad Theodoricium. [Veritas, & clariùs reniteſcit, & for- „ tiùs retinetur; dùm, quæ fides priùs docue- „ rat, hoc poſteà examinatio confirmauit.]

5. Quintam utilitatem addit S. Aug. in Com. pſal. 9. Ut enim comparatione tenebrarum gratior eſt lux; ità comparatione hæreſum jucundior eſt inventio veritatis. Inter hæc tamen magnoperè dolendum eſt, id quod monet S. Greg. Papa libro 23. mor. cap. 3. cum his eccleſiæ bonis hæreſum occaſione collectis, datum eſſe arrogantiæ locum; quod ſanè maximum eſt malum. [Poſt exorta, inquit, hæreticorum „ bella eſſe intrà eccleſiam faſtu ſcientiæ arro- „ gantes cœperunt. Cùm enim graviora ho- „ ſtium prodiere certamina; tunc ſunt ſubti- „ liora ſenſuum ſpicula requiſita; tunc argu- „ mentorum obſtacula; tunc perplexior inda- „ go verborum, quæ ſæpè viri ferventes in- „ genio, dum congruè inveniunt, arroganter „ intumeſcunt, &c.]

CAPUT XIII.

Hæreticos eſſe vitandos.

De hæreticis quid Sancti Patres, & quomodo loquuti ſint ſemper, tàm Græci, quàm Latini; quamque injurioſa multa, non tamen injurioſè ſed ad detegendam peſſimam, & eccleſiæ pernitioſiſſimam illorum conditionem; ſuperſedeo dicere. Nimis enim longum eſſet, & moleſtum mihi colligere, & alijs legere. Hoc unum addam, & præcepto divino cautum, & omnibus ſæculis ſervatum, & confirmatum ſemper fuiſſe; ut catholici fideles hæreticum vitarent hominem. In veteri lege Iudæorum populo prohibita fuit familiaritas, & conſuetudo, & conjugium cum gentibus, nè ab illis ad idola pertraherentur; ut videre eſt, Deut. 7. & alijs in locis; undè illud Io. 4. non contuntur. Iudæi Samaritanis: & in pſ. 105. objicitur illis, quod commiſti eſſent inter gentes, & didiciſſent opera eorum. In nova autem lege ipſemet Chriſtus, Matt. 7. dixit: Attendite à falſis prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium, intrinſecùs autem ſunt lupi rapaces. Et quinam ſunt hi, niſi hæretici? Sic enim eos appellant S. Ignat. epiſt. ad Philadelphenſes, & ep. ad Epheſios, & Clemens lib. 6. conſtit. c. 15. & S. Cypr. ep. ad plebem univerſam, & S. Leo Papa ep. 3. & S. Auguſt. lib. 1. contrà litteras Petiliani c. 25. & lib. 2. c. 73. & lib. 3. contrà duas epiſtolas Pelagianorum c. 12. & libro de cantico novo c. 4. & S. Cyrill. Alex. lib. 7. in Io. c. 5. & S. Greg. Naz. or. in laudem Cypriani, & S. Io. Chryſ. h. 12. ex varijs Matt. locis; S. Paulus in priore ad Cor. ep. c. 5. de peccatoribus loquens, cum illis prohibuit nec cibum ſumere: quid de hæreticis pronuntiaſſet? & in poſteriori ep. c. 6. nolite jugum ducere cum infidelibus; id eſt nè habeatis cum illis familiaritatem: multò minùs cum hæretico. Et in poſteriori ad Tim. c. 2. prophana, & inaniloquia devita: ſermo eorum ut cancer ſerpit; ex quibus eſt Hymenæus,

Digitized by Google

næus, & Philetus; qui à veritate exciderunt, &c. Et ad Titum 3. Hæreticum hominem poſt unam, & ſecundam correptionem devita, &c. Et S. Io. in ep. 2. Nolite eum recipere in domum, nec Ave ei dixeritis. Et poſt Apoſtolos S. Clemens Rom. lib. 6. conſtit. c. 18. Hæreticos eijcite, & à Dei eccleſia exterminate: præcipiteque fidelibus, ut ab eorum conſuetudine omnibus modis ſe abſtineant, nec ſermonis cum ijs, nec precum communionem habeant ullam, & mox teſtatur, Apoſtolos hæreticos obſtinatos ejeciſſe ab eccleſiæ ovili, nè valentes agnos morbi contagione inficerent, & libro. 7. recogn: Petrum facit monentem ipſius Clementis matrem, non licere Chriſtianis menſam habere communem vel etiam cum patre, & matre non Chriſtianis. Et S. Irenæus lib. 2. c. 57. [Hæ-„reticos ſicut dæmonem devitare oportet.] Et lib. 3. c. 3. Ioannis Apoſtoli exemplum narrat illicò exilientis ex balneo, ut audivit Cerinthum eſſe intùs; & S. Policarpi; qui Romæ occurrentem ſibi Marcionem, quaſi hominem non noſſet, noluit ſalutare; cùm tamen Satanæ primogenitum optimè noſſet. S. Ignat. ep. ad Philadelphenſes, & ad Smyrnenſes, & ad Antiochenos, & ad Epheſios, graviſſimis item verbis vitandos monet. Et Tertull. in libro de præſcriptionibus c. 16. cum illis non aliter agendum quàm correptionis cauſâ. Moxque hoc illis objicit, quod præter eccleſiæ conſuetudinem cum omni hominum genere verſarentur; cum Gentilibus, Iudæis &c. Et Sanctus Cypr. epiſt. ad Cornelium tertiâ. „[Declinent fortiter, & evitent fratres no-„ſtri verba, & colloquia eorum, quorum ſer-„mo ut cancer ſerpit. Nulla cum talibus com-„mertia copulentur, nulla cum malis convi-„via miſceantur; ſimuſque ab eis tàm ſeparati, „quàm ſunt illi de eccleſia profugi &c.] Et ep. ad plebem univerſam. [Vitate lupos, qui „oves à paſtore ſecernunt; vitate linguam dia-„boli venenatam, qui ab initio mundi fallax „ſemper, & mendax mentitur, ut fallat; blan-„ditur, ut noceat &c.] Et in tract. de ſimplicitate Prælatorum. [Vitate vos ejuſmodi homi-„nes, & à latere, atque auribus veſtris pernitio-„ſa colloquia velut contagium mortis arcete. „Averſandus talis, atque fugiendus quiſquis „fuerit ab eccleſia ſeparatus.] Et S. Aug. lib. 4. de ſymbolo ad Catechum. c. 8. [Cavete doctri-„nas hæreticorum, tanquam inſidias luporum.] Et epiſt. 162. ad Epiſcopos Donatiſtarum; „[Hæreticum, ſicut vitandum monemus, nè „infirmos, & parvulos fallat; ita non abnui-„mus quibuſcumque poſſumus modis corri-„gendum.] Hancq; ipſam ob cauſam vitandum cenſuit in 2. libro qq. Evangel. quæſt. 40. ob bonum inquam ipſius. Tractans enim de decem leproſis Luc. 17. qui ſtantes à longè Dominum invocârunt; Ieſu præceptor miſerere noſtri: leproſos oſtendit ſignificare hæreticos; qui vitandi ſunt Eccleſiæ, ut ſi fieri poteſt longius remoti magno clamore Chriſtum interpellent. Omitto S. Leonem in ſer. 4. de Epiphania, & cæteros, qui in eandem ſententiam ſæpiſſimè locuti ſunt. Et S. Cyrillus Alex. in ep. 25. hæreticos ſcripſit eſſe impudentem mulierem meretricem, quam Salomon fugiendam dixit, & B. Virginem refert Sophronius c. 46. intrare noluiſſe ad quemdam monachum, quod Neſtorij libros apud ſe haberet. Et c. 48. & 49. hæreticos homines divinitùs fuiſſe prohibitos ſanctum Chriſti ſepulchrum ingredi.

Sed tria actionum genera diſtinguere oportet. Quædam ſunt Chriſtianorum propriæ, & quæ ad Dei cultum, & religionem pertinent; ut orationes, & ſacrificia: atque in his omninò vitandi ſunt, neque cum illis ullo modo communicandum. *Quatenus vitandi.* Aliæ ſunt hominibus omnibus communes, vel etiam Iudæis, Gentilibus, & alijs cujuſcumque fidei, ac religionis ſint; ut conjugium, non Sacramentum, ſed contractus. Atque in his item vitandi ſunt, quoniam cùm ſine magna familiaritate, & conſuetudine nequeant exerceri, plurimum habent periculi. Sic enim Deus Iudæis prohibuit conjugium cum gentibus, nè ab illis ad idolatrandum inducerentur. Aliæ demùm ſunt actiones communes; ut ſalutationes, emptiones, venditiones, & ſimiles, quæ non omninò prohibentur, ſed ſi periculum ſit, nè obſint nobis, aut alijs pariant ſcandalum. Et præter præceptum, de quo dictum eſt, cuique non obtemperare peccatum ſit; eſt etiam eccleſiæ excommunicationis cenſura, quâ tùm hæretici nominatim denuntiati, tùm illi, qui cum hæreticis familiariter agunt comprehenduntur.

CAPUT XIIII.

De hæreticorum libris.

QUOD de conſuetudine, & converſatione dictum eſt, de illorum quoque libris intelligendum eſt: quippè, ut meditatiùs, ita, & pernitioſiùs loquuntur ſcripto, quàm ore. In libro Actorum Apoſtolicorum c. 19. qui fuerant curioſa ſectati, contulerunt libros, & combuſſerunt coràm omnibus. Idem hæreticorum libris fieri debet, & in Concil. Nicæno voluit Conſtantinus libros Arij comburi, & in Epheſino Conc. combuſti ſunt libri Neſtorij, Theodoſio, & Valentiniano jubentibus, & petentes S. Cyrillo Alexandrino, & apud Sophronium c. 46. ejuſdem Neſtorij, quem B. Virgo Dei genitrix ſuum appellârat inimicum, duo combuſti ſunt libri, & in Concil. Chalcedon. combuſti ſunt libri Eutichetis vide l. Damnato

nato,& l. Quicunq; C. de hæreticis. Et in ep. 1.ſynodali Epheſina, oramus, ut univerſam ipſius (Neſtorij videlicet) doctrinam ex ſanctis eccleſijs tolli, & libros eius ubicumque inventi fuerint, igni tradi iubeat, & libri Ioannis Hus combuſti ſunt in Conc.Conſtantienſi ſeſſ.15. Et Sanctus Leo Papa in ep. 93. ad Turribium c. 15. & 16. omninò vult epiſcopos, falſatos codices, & apochryphas quaſdam ſcripturas ex eccleſia tollere, & ignibus concremare: hæreticorum verò libros nullo modo legi. Et Sanctus Greg.lib.5.regiſtr.c.164.nec legi,nec teneri;& in 5.ſynodo Conſtantinopolitana legitur Iuſtiniani Imperatoris conſtitutio;quâ amputationis manus pœna imponitur illis, qui ſcripta illorum ſcripſerint. Quoniam tamen non omnia, quæ in illorum libris continentur, hæretica ſunt, & à catholica fide aliena, ſed multis veris aliqua falſa permiſta, quæ ab eccleſia catholica confutari oportet, atque illorum objectionibus reſponderi: viris doctis, qui confutare poſſint, & reſpondere, atque in fide recta conſtantibus, qui detrimentum indè pati non poſſint; permittere interdum neceſſe eſt illorum librorum lectionem. Nam, & in Concilio Cartag. 4. capite 16. epiſcopis prohibetur quidem gentilium librorum lectio, ſed hæreticorum pro neceſſitate,& tempore permittitur, & S. Auguſtinus in libro 3. de doctrina Chriſtiana capite 30. Ticonij hominis Donatiſtæ librum regularum ad intelligendam ſcripturam, non comburendum, ſed legendum à ſtudioſis putat; cautè tamen legendum: & Orig. h. 9. in Num. hoc ſignificatum fuiſſe ait,in batillis à Chore, & ſectatoribus ejus oblatis; quæ non proijci voluit Deus, ſed ignem quidem alienum in batillis oblatum diſpergi, & effundi; ex batillis autem fieri laminas, & circulos in altaris uſum. Sic enim ſi ſcripturæ ſacræ alienum ſenſum, & intelligentiam imponant hæretici; reijciantur ea, quæ à veritate ſunt aliena; reliqua Deo ſanctificata retineantur. Namque de Gentilium quoque libris hæc fuit Patrum ſententia; eos à Chriſtianis doctoribus non eſſe penitùs reijciendos, ſed à fabulis, & impietatibus purgatos in ſuum uſum convertendos. Loca Patrum commemorare, non eſt hujus loci. Verùm nè in domibus quidem, in quibus aliquandò habitârunt hæretici, habitandum eſſe, miraculum docet, quod apud Sophronium legitur cap. 177.

Quatenus permittendi.

CAPUT XV.

Cum Hæreticis quomodò agendum.

NEQVE verò diſſimulandum cum hæreticis eſſe, docent illa S.Hieronymi verba in epiſt. ad Pammachium adverſus errores Ioannis Hieroſolymitani c. 1. [Nolo in ſuſpicione „ hæreſeós quemquam eſſe patientem, nè diſ„ ſimulatio,conſcientia judicetur,ſi taceat.] Et „ illa c. 3. [Ego ſi patrem,ſi matrem,ſi germa„ num audiviſſem iſta dicentes; quaſi rabidi „ canis blaſphemantia ora laceraſſem, & fuiſſet „ in primis manus mea ſuper eos.] [Ille nam„ que (ut idem loquitur in lib. 3. adverſùs Pe„ lagium c. 6.) hæreticum interficit, qui eſſe „ hæreticum patitur. Noſtra correptio vivifi„ catio eſt; ut hæreſi moriens viuat catholicæ fidei;] Alteram addit cauſam in ep. ad Theo„ philum; [Nè interim alij pervertantur.]

Non diſſimulandum.

Secundò non eſſe cum illis ferro, & bello agendum; Sententia fuit aliquando veterum Patrum. S. Ignatius in ep. ad Philadel. [Non „ oportet, inquit, percutere,aut perſequi illos, „ ut gentes faciunt, quæ ignorant Deum; ſed „ pro hoſtibus habêre tales, & ab ijs fugere.] „ Et S. Athanaſius poſt epiſtolam Vrſatij, & „ Valentis ad Athanaſium; [Non gladijs, aut „ jaculis, aut militari manu veritas prædicatur; „ ſed ſuadendo, & conſulendo.] Et rurſùm. „ [Piæ religionis eſt non cogere, ſed ſuadere. „ Dominus enim non cogens, ſed libertatem „ ſuam voluntati relinquens, dicebat; Si quis „ vult venire poſt me,&c.] Et S.Cyrillus Alexand.libro 11. in Io. c.35.propterea vult Evangeliſtam mentionem feciſſe Petri à Chriſto reprehenſi dum in horto eduxit gladium, ut nos diſceremus in ſimili certamine non accipiendum ferrum, non lapides proijciendos, non fuſtes in adverſarios Chriſti erigendos. Non enim carnalia ſunt arma noſtra,ut ait Paulus. Et S. Greg. Nazian in or. ad 150. Epiſcopos. „ [Non contumelijs adverſarios, & convitijs „ inceſſimus: Verum nos pro Chriſto bellum „ gerere perſpicuo argumento declaramus,dum „ ſecundùm pacificum illum, & clementem „ Chriſtum dimicamus, & quæ ſeq.] Et S.Io. Chryſ. h.47.in Matth. utitur verbis illis Chriſti, Matt. 13. prohibentis eradicari zizania; ſinite utraque creſcere uſque ad meſſem; [Hoc „ enim, inquit, dicebat, ut bella, & effuſionem „ ſanguinis prohiberet, nam ſi trucidarentur „ hæretici, abſque fœdere pacis, atque inducijs „ bellum orbi inferretur.] Et addit;[Non pro„ hibet autem conciliabula hæreticorum diſſi„ pare, ora obſtruere,libertatem loquendi conci dere; verùm interficere, ac trucidare.] Et in libro contrà Gentiles to. 5. [Adverſùs vos in„ quit(idem de hæreticis dicas)nullus unquam „ bellum geſſit.Neque enim Chriſtianis fas eſt „ neceſſitate ac violentiâ illatâ errorem ſub„ vertere; ſed tùm ſuadela, tùm ratione, tùm „ manſuetudine, hominum ſalus concilianda „ eſt.] Quarè & S. Pacianus in ep. 2. ad Simphorianum; Hæreticos ſcripſit dentibus cum catholicis confligere; catholicos cum illis ore columbæ non dentibus. Fuit & S. Aug. aliquandò

Non porrò agendũ.

Digitized by Google

quandò in eadem ſententia, nam in ep. 158. Marcellino ſcripſit, pœnam de illis præter ſupplicium mortis ſumendam, & quæcumque præter ſanguinem vindicta proceſſerit, magna lenitas apparebit. Et in primo libro contrà partem Donati; non eſſe ſchiſmaticos ad Communionem per vim arctandos; ſed hoc retractavit, in 2. retract. c. 5. & in ep. 48. ad Vincentium; expertus quantum mali eorum auderet impietas. At fortaſſe non de bellorum, & ſanguinis violentiâ locutus eſt. Sed legibus latis cohibendos, & continendos in officio eſſe voluit. Quemadmodùm ab Honorio, & Theodoſio Imperatoribus aliquando factum fuiſſe, ipſemet teſtatur in 2. lib. retract. cap. 26. 48. & 59. & ep. 50. ad Bonifacium, & ep. 127. ad Donatum Proconſulem: quem obnixè rogat, nè eos interficiat, ſed legibus corrigat; & ep. 129. ad Olympium comitem, petit, ut Theodoſij leges adverſus Donatiſtas divulget. Ità enim concione ſecunda in pſalm. 101. impletum eſſe ait illud; (Et reges ut ſerviant domino) quia & Imperatores contrà hæreticos leges propoſuerunt.

Ergò cùm apud omnes Gentes ſeverè ſemper animadverſum fuerit in eos, qui deorum violarent, turbarentvè religionem; eccleſia quoque temporibus omnibus quantùm potuit, hæreticis reſtitit, eoſque punivit: ſed alijs atque alijs temporibus alia fuit, atque alia pœna, ut conditio temporum, & eccleſiæ ſtatus permittebant. Principio nulla fuit temporalis pœna; quòd eccleſiæ parvulæ vires, atque Imperatorum graves perſecutiones non permitterent. [Quis enim (ſcribit S. Auguſt. ep. „ 50.) tunc in Chriſtum crediderat Impera„tor, qui ei pro piëtate contrà impiëtatem le„ges ferendo ſerviret?] At ubi Conſtantinus credidit, exilium illis primùm decretum fuit; ſexq; cum Ario Nicenæ ſynodi fidem non recipientes in exilium miſſi leguntur in illius Concilij præfatione. Euthycen multò poſt in exilium quoq; miſſum, voluit S. Leo Papa in ep. 68. ad Martianum Auguſtum procùl, & in remotiſsima relegari loca. Quod ita lege mox ſanxit Iuſtinianus in conſtitutione, quæ in 5. Synodo habetur, ut non in civitatibus, ſed in aliqua ſolitudine, & in ſilentio eos habitare, & non corrumpere cæteros omninò voluerit. Deindè addita fuit tùm ſpiritualis pœna gravior, tùm temporalis; ſpiritualis, inquam, excommunicatio, & pecuniaria mulcta. Extat Anaſtaſij primi ep. ad Germaniæ, ac Burgundiæ epiſcopos, quâ Manichæis communicare, ullamvè cum eis participationem habere prohibuit: Atque Innocentij 3. decretum in generali Concilio, cap. Excommunicamus, de Hæreticis: & Imperatoris Theodoſij lex, quâ decem auri libris hæreticos univerſos mulctauit, cap. Ipſa piëtas, 23. q. 4. (Quam legem ab Honorio confirmari obnixè poſtulavit Aphricanum Concilium c. 60. prohibendo etiam, nè aut ipſi teſtari poſſent, aut ab alijs donatum, vel teſtatum accipere.) Ac demùm à Martiano, & Valentiniano addita, & capitalis pœna, l. Quicunque C. de hæreticis, & ab Honorio, & Theodoſio, l. Si quis rebaptizaret. C. Nè ſanctum Baptiſma iteretur: & Lucius Papa, ut habetur in cap. Ad abolendam, extrà de hæreticis, eos tradidit brachio ſæculari puniendos. Eſſeque penitùs occidendos, cenſuit aliquando Archelaüs catholicus epiſcopus agens cùm Mane, nè Chriſti gregem perderent; ut S. Epiphanius refert hæreſi 66. Atque in Concilio Conſtantienſi ſeſſ. 15. damnatus fuit art. 14. Ioannis Hus juſtiſſimæ huic definitioni contrarius. Non enim minùs pernitioſæ ſunt hęreſes, quàm facinora cætera, quæ ſummo jure legibus puniuntur, & Deut. c. 13. & 17. interfici juſsit Deus prophetam, aut ſomniatorem illum, qui ad alienos deos ſequendos induceret, alienamvè prædicaret doctrinam. Et Mathatiam in 1. lib. Machab. c. 2. interfeciſſe hominem, qui ad aram ſacrificaturus acceſſerat, addit S. Cyprianus in lib. de exhort. martyrij cap. 5. multòque id magis poſt Chriſti adventum fieri debêre contendit. Sed & Matt. c. 7. & Io. c. 10. & Act. cap. 20. hæretici appellantur falſi prophetæ, lupi rapaces, & fures, ſeu latrones, & arbor mala; nec dubium, quin falſos prophetas, lupos, fures, atque latrones fas ſit occidere, malamque excindere arborem, & in ignem mittere. S. Hieronymus dum illud Pauli tractat ad Gal. 5. Modicum fermentum totam conſperſionem fermentat. [Doctrina, „ inquit, perverſa ab uno incipiens, vix duos, „ aut tres primùm reperit auditores; ſed pau„latim ut cancer ſerpit in corpore; & juxtà „ vulgare proverbium, unius pecudis ſcabies „ totum commaculat gregem. Scintilla ſtatim „ ut apparuerit, extinguenda eſt; & fermentum „ à maſſæ vicinia ſemovendum; ſecandæ putri„dæ carnes, & ſcabioſum animal è caulis ovi„um repellendum; nè tota domus, maſſa, cor„pus, & pecora, ardeat, corrumpatur, putreſ„cat, intereat. Arius in Alexandria una ſcintilla „ fuit, ſed quia non ſtatim oppreſſa eſt, totum „ orbem ejus flamma populata eſt.]

Sanè hæc omnia mortem, & extinctionem „ peſtibus hiſce decernunt. Nam & omnis recta ratio bonum commune particulari ſuadet anteponendum eſſe; & propter totius corporis incolumitatem amputandum vitioſum membrum; atque ut civitas univerſa, reſq; publica conſervetur, flagitioſos tollendos; & in libris Regum falſos prophetas pij reges interfecerunt; Priſcillianumque hæreticum à Maximo tyranno cæſum refert S. Hieronymus in libro de ſcriptoribus eccleſiaſticis, ſæculique

gladio damnatum, in lib. adverſus Pelagianos c. 2. & Baſilium magum Romæ exardeſcente zelo Chriſtiani populi fuiſſe igne crematum; narrat S. Greg. in primo dialog. lib. c. 4. & ſub Innocentio 3. Pontifice centumoctoginta Albigenſes hæreticos, S. Antoninus in tertia hiſtoriæ parte, & in Concilio Conſtantienſi Ioannes Hus & Hieronymus de Praga traditi brachio ſæculari, combuſtique fuêre. Quin & in Chalcedonenſi 630. Patrum; actione 1. dum examinaretur libellus confeſſionis Eutychetis, Dioſcôrus dixit; ſi Eutyches præter dogmata Eccleſiæ ſapit, non ſolùm pœna dignus eſt, ſed & igne. Sanè in libro Exodi c. 32. cùm idolatraſſet populus; Si quis, inquit Moyſes, eſt Domini, jungatur mihi: & poſitis gladijs ſuper femur ſuum, juſſit unumquemque occidere fratrem, & amicum, & proximum ſuum: cæſiſq; triginta tribus millibus hominum, dixit illis; conſecraſtis manus veſtras hodiè domino unuſquiſque in filio, & in fratre ſuo, ut detur vobis benedictio. Hoc & principibus, & magiſtratibus dici poteſt, quando pertinaces hæreticos de medio tollunt, nè pervertant cæteros. Qui ſi dicant, ſe à catholicis perſecutionem pati; legant S. Auguſt. tract. 11. in Io. quo loco is proferens ex libro Gen. cap. 21. Iſmaëlem ludentem cum Iſaäc (quem ludum perſecutionem gravem interpretatur Apoſtolus Gal. 4. quia ut ait Auguſt. non erat luſio, ſed illuſio atque deceptio) hæreticos magis oſtendit nobiſcum ludere, hoc eſt, nos perſequi, dum illudendo conantur ſeducere atque à recta fide abducere. Itaque ſi quam illi à nobis tolerant corporis afflictionem; ea ſalutem procurat animæ illorum, aut conſervationem certè noſtram. Nos ab illis graviſſimam animarum, & ſalutis æternæ perſecutionem patimur, & dùm obſtinatos eijcimus, atq; à nobis omnibus modis repellimus, juxtà prudentis Saræ petitionem, dominique præceptum Abrahæ factum operamur. [Quid enim (argumentatur idem Auguſt. libro 1. contrà „ epiſt. Parmen. c. 7.) non iſti iuſtè patiuntur, „ cum ex altiſſimo Dei præſidentis, & ad ca„ vendum ignem æternum flagellis talibus ad„ monentis judicio patiuntur, & meritò crimi„ num, & ordine poteſtatum? & quæ ſeq;] Nequè dum hæc facimus, ad fidem invitos cogimus (quamquàm Luc. 14. dictum ſit, compelle eos intrare) quoniam ut Petiliano reſpondit aliquando Auguſt. lib. 2. contrà ipſius litteras c. 83. & habetur cap. Ad fidem, 23. q. 5. non coguntur ad fidem, ſed flagellis eorum perfidia caſtigatur. [Nunquid enim quia boni mo„ res libera voluntate eliguntur, ideò peſſimi „ mores non legis integritate puniantur?] Contrà illos non ſecùs, ac contrà reliquos diverſorum ſcelerum reos, qui pœnas legibus pendunt, puniendo agimus; eo ſcilicet jure, quod

Eccleſiæ ius in hæreticos

propter characterem, ac profeſſionem baptiſmi quem aliquando ſuſceperunt, habet in illos eccleſia. Cum illis, qui fidem nunquam ſuſceperunt, mitiùs agimus, fidemque illis ſuaviter perſuadêre conamur: velut hominibus, qui nondùm ad eccleſiam pertinent: at ubi fidem ſemel profeſſi ſunt, jàm ſunt eccleſiæ ſubjecti, poſſuntq; ab illa puniri. Atq; hæc eſt ratio, cur eccleſia Gentiles toleret, & Iudæos; hæreticos non toleret, ſed pertinaces, & relapſos extremo afficiat ſupplicio. [Fruſtrà dicis, re„ linquar libero arbitrio (inquit Auguſt. lib. 3. „ contrà Creſconium c. 51.) cur enim non in „ homicidijs, & in ſtupris, & in alijs facinoribus „ & flagitijs libero te arbitrio dimittendum eſ„ ſe proclamas? quæ tamen omnia juſtis legi„ bus comprimi utiliſſimum, ac ſaluberrimum „ eſt. Dedit Deus homini liberam voluntatem; „ ſed nec bonam infructuoſam, nec malam „ eſſe voluit impunitam.] Et rurſùm in 2. lib. contrà Gaudentij epiſtolas; [Clamate ſi aude„ tis; puniantur homicidia, puniantur adul„ teria, puniantur cætera facinora, ſeu flagitia, „ ſed ſacrilegia volumus à regnantium legibus „ impunita. Nulla hominis poteſtas contradicat „ atque obſtrepat noſtro libero arbitrio, quando „ injuriam facimus Deo.]

Tertio cum verò, qui velit cum illis agere, ut ad ſaniorem revocet mentem, ſapienter monet S. Gregor. Nyſſenus in præfatione ad orat. catecheticam, non eodem modo agendum eſſe cum omnibus. Quippè non eadem omni morbo eſt opportuna medicina: ſed ſingulorum conſiderandæ ſunt opiniones, & ex proprijs ipſarum principijs agendum, & S. Iren. in præfatione libri 4. nos vult optimè ſcire regulas, & argumenta ipſorum. Tertullianus tamen in libro de præſcriptionibus cap. 15. eos non putavit ad ullam de ſcripturis diſputationem admittendos, & cap. 16. non eſſe omninò cum illis diſputandum; neque agendum aliter, quàm correptionis cauſâ, & S. Io. Chryſ. h. 24. in Matth. eos non eſſe docendos, ſed contemnendos. [Non enim inquit, ex his, „ quæ didicerint, armantur, ſed eorum occa„ ſione ſuperbiùs efferuntur, atque inſolentia „ fœdiori complentur. Quarè non exiguum „ lucrum eſt in ſua illos ignorantia permanê„ re.] S. Athan. ep. 2. ad Serapionem, reſponſionem illis maximè congruentem dixit eſſe ſilentium. Et S. Cypr. multo tempore Demetrianum toleravit, nec illi voluit quidquam reſpondêre; [Quippè, inquit, & labor irritus, „ & nullus effectus, offerre lumen cœco, ſer„ monem ſurdo, ſapientiam bruto: cùm nec „ ſentire brutus poſſit, nec cœcus lumen ad„ mittere, nec ſurdus audire.] Ut ipſemet in tract. contrà eum loquitur. Eundem tamen Tertull. video in lib. adverſus Gnoſticos c. 11. ad ſcripturas eos provocantem; & Chryſ. in ſer.

Vt cum hæreticis diſputandum.

2. de

Digitized by Google

2. de providentia, & fato, non rationibus, ſed ſcripturarum teſtimonijs agentem. Et Chriſtum Dominum, Matthæi 4. iiſdem armis contrà diabolum utentem; ut nos doceret; quomodo cum diaboli filijs agendum ſit. Ac cæteros omnes plurimùm ex ſcripturis diſputâſſe. Et cùm fides noſtra ſcripturæ auctoritate præſertim nitatur; ubi de illa diſputatur, & quæritur, quodnàm poteſt eſſe accommodatum magis argumenti genus? Hoc eccleſia uſa, ſua tutata eſt dogmata; ut apud omnes veteres Patres videre eſt. Moleſta prorſùs, & difficilis diſputatio. Quoniam apud adverſarios nulla verecundia, nulla fides. Si proferant ipſi, & obijciant nobis ſcripturas, truncatas, & corruptas adſerunt: Si à nobis proponantur, pernegant ipſi, aut ex ſuo, non Patrum ſenſu interpretantur. Hæc apud Patres paſſim reperies; & nimis moleſtum eſſet recenſère. Satis fuerit illud S. Auguſt. in lib. 10. contrà Fauſtum. [Vos cùm vobis objecta „ fuerint, quæ in ſacris libris ſcripta ſunt; nec „ accipiuntur à vobis, deficientes in reſpondendo, & manifeſta veritate faucibus preſſis, „ anhelitu ſaucio dicitis eſſe falſata.] Et rurſùm lib. 11. [Ubi ſic manifeſta veritate præfocantur, ut obſeſſi dilucidis verbis ſanctarum „ ſcripturarum, exitum in eis fallaciæ ſuæ reperire non poſſint; id teſtimonium, quod „ prolatum eſt, falſum eſſe reſpondent: & quæ „ ſeq.]

Hæreticorum pertinacia.

Quartò. Planè incredibilis eſt, & omnem hominum exiſtimationem ſuperans hæretici hominis obſtinatio. At quid mirum? pertinacia, & obſtinatio hæreſeos naturam conſtituit, ut initio definitum eſt. S. Athan. poſt epiſtolam Urſatij, & Valentis, & S. Ambr. in ſer. in feſto SS. Gervaſij, & Protaſij, Pharäoni comparantes eos, dixerunt malis ſuis indurari, quemadmodùm in Ægypto Pharäo. Et S. Bern. ſer. 66. in Cant. [Nec rationibus, „ inquit, convincuntur, quia non intelligunt; „ nec auctoritatibus corriguntur, quia non „ recipiunt; nec flectuntur ſuaſionibus, quia „ ſubverſi ſunt. Mori magis eligunt, quàm „ converti.]Ità conficit, meliùs procul dubio gladio coërcerentur. S. Baſilius Æthiopis, & pardi utitur exemplo in ep. 15. ad Theodotum Epiſcopum. [Fieri enim non poteſt, „ ut pellem mutet Æthiops, vel maculas pardus; vel qui perverſis eſt dogmatibus innutritus, malum hæreſeos abſtergere queat.] Et S. Hier. in dialogo adverſùs Luciferianos extremo; [Mores meorum apprimè noui; faciliùs „ eos vinci poſſe, quàm perſuaderi.] Error enim, ut habet S. Epiph. hær. 19. ſemper pertinax, eſt cœca malitia, & error ſtolidus. Ut facilè credi poſſit illud S. Auguſt. in lib. de moribus Manichæorum c. 2. Eos cognoſcere veritatem, ſed mala voluntate oppugnare. Nam etſi omnes fortaſſè ejuſmodi non ſint, plurimi tamen ſunt, & ipſe interdùm aliquos noui. Sed ut verè loquitur in 3. libro contrà Creſconium cap. 3. [Sicut vera laus eſt, à verà „ ſcientiâ non amoueri; ita culpabile perſiſtere in falſa; quam nunquàm tenere prima laus „ eſt, ſecunda mutare.] Et in ſer. 24. de verbis Apoſtoli; [Humanum eſt errare, diabolicum „ per animoſitatem in errore manère. Et quid „ aliud faciunt Diaboli filij?]

Pro Hæreticis orandum.

Quintò Propterea difficilis omninò eſt hæreticorum converſio: & ut cenſuit S. Auguſt. lib. 4. de bapt. contrà Donatiſtas c. 10. Difficilior multò quàm malorum Chriſtianorum: Et in libro de natura, & gratia c. 25. non tàm diſputationibus, quàm orationibus cum illis agendum duxit: fuiſſeque veterem Eccleſiæ conſuetudinem pro illis orare, manifeſtum eſt ex ep. S. Ignatij ad Smyrnenſes, in qua pro illis orandum dicit, ſi quandò pœnitentiâ ducantur. Et ex verbis illis S. Leonis Papæ in ſer. 4. de Epiphania, cum enim vitandos eos dixiſſet; ſubjungit tamen; [Eccleſiaſticum, „ atque divinitùs inſtitutum non ſolùm non „ inhibemus, ſed etiam incitamus affectum, ut „ etiam pro talibus nobiſcum Domino ſupplicetis: quia dùm in hoc corpore vivitur, nullius deſperanda reparatio, ſed omnium eſt „ optanda correctio!] Et in libro de bono perſever. Cypr. teſtimonio confirmat Auguſt. Et orabat S. Epiph. cujus illa ſunt verba in Ancorato. [Pro te verò preces effundo, ut venias „ ad Dei veritatem.]

Reſipiſcentes ut recipiendi.

Sextò. Si quando ad differendum cum illis veniamus, leniter prorſùs, ac blandè agendum eſſe, ut intelligant, ſanari nos eos potiùs, ſi fieri poteſt, quàm oppugnari velle; admonent S. Auguſt. in libro de moribus eccleſiæ catholicæ cap. 1. & ep. 104. ad Sixtum preſbyterum, & S. Greg. Papa lib. 11. regiſtri c. 15. & alij plures. Quod ſi veritatem agnoſcant, & ad Eccleſiam catholicam redire velint, libenter recipiendi, & admittendi ſunt, ut docent S. Cypr. ep. ad Stephanum, & S. Leo Papa ep. 13. 14. 15. 18. 19. 20. 39. 40. & 46. Quamquam S. Cyrillus Alexand. in ep. 20. de Neſtorio loquens, vix hæreticis veniam dandam eſſe cenſuit; nimirùm quia vix ſeriò, & ut par eſt reſipiſcunt, & dolent, & alter S. Cyrillus catech. 6. non fidendum illis, niſi poſt longam pœnitentiam, & S. Aug. ut eſt in ep. ejùs 74. ad Deuterium, ſuſcipere noluit Victorinum ſubdiaconum reſipiſcentem Manichæum quia petenti pœnitentiæ locum tùnc credendum eſt, ſi & alios, quos nouit, manifeſtaverit. Quod ſi, & ſeriò reſipiſcant, & recipiendi ad pœnitentiam judicentur; abjurationem, ac deteſtationem præteriti erroris exigere ab illis ſolet Eccleſia. Ita legimus in Conc. Arelat. 2. cap. 9. Novatianum in communionem

 recipi

recipi non debere, niſi ſuſceptâ pœnitentiâ incredulitatis, præteritum damnet errorem. Et Anaſtaſius Papa ep. 1. cap. 3. Manichæos Romæ deprehenſos ad publicam in Eccleſia' profeſſionem, & manus ſuæ ſubſcriptionem compulit. Et in 3. Toletano Concilio Gothi ad fidem cum Recharedo rege converſi & Arianam hæreſim deteſtari, & catholicam fidem publicè profiteri compulſi ſunt. Et apud S. Leonem ep. 2. ad Epiſcopos Italiæ. [Ut „ damnarent Manichæum cum prædicationi- „ bus,& diſcipulis ſuis publicâ in Eccleſia pro- „ feſſione,& manus ſuæ ſubſcriptione compu- „ limus.]&ep.15.adEpheſinam ſynodum.[De „ ipſius, qui imprudenter erravit, reſtitutione „ tractetur; ſi tamen ſenſus hæreticos planè „ apertèq; propria voce, & ſubſcriptione dam- „ naverit.]Et ep.18.adPulcheriamAuguſtam. „ [Quod malè ſenſerat,propria voce,& ſubſcri- „ ptione condemnet.] Et ep. 39. ad eandem. „ [Correctis, & quæ malè ſunt facta, propriâ „ ſubſcriptione damnantibus, pacis gratia tri- „ buatur &c.] Idem habet ep. 46. 77. Et S. Greg. Papa lib. 16.mor.c.2. [Eccleſia hæreti- „ cos ad veritatem fidei revertentes recipit; ſed „ ut priùs confiteri erroris ſui culpam debeant „ perſuadet, id eſt, ut abjurent.] Et in lib. 5. regiſtri cap. 164. Anaſtaſij preſbyteri legitur abjuratio,& lib. 9. c. 61. Quinimò,& cæteris Hiberniæ Epiſcopis mandat, ut qui à Neſtorij errore revertuntur ad eccleſiam,coràm Epiſcopo Neſtorium,& omnes illius hæreſes anathematizent, & eccleſiæ ſynodos recipere ſe promittant. Quocircà in lib.35.mor.c.7. quemadmodùm amici Iob, quos hæreticorum figuram tenêre ſæpè jam dixerat tauros, & ariëtes, ſuperbâ ſcilicet animalia, ſacrificare juſſi ſunt. „ [Ita & hæretici, inquit, cùm ad eccleſiam „ redeunt,ſuperbię elationem deſerant:nec jam „ quaſi ſequentes greges populorum cuneos „ ad interitum ducant; ſed obediendo diſcant „ ſequi,qui docendo præire conabantur.]

Septimò. Jam verò, ſi obſtinati perſiſtant in errore,nec correctionem ſuſcipiant;puniendi ſunt, & ut antè dictum eſt caſtigandi. Ideò inquirendos eos eſſe, & prodendos voluit S. Hier.in ep.ad Pammachium;[Nè diſſimulatio, „ conſcientia judicetur,ſi taceat.] Et in ep. ad Theophilum. [Nè interim alij pervertantur.] Et in com. in Abdiam prophetam, primam de hæreticis victoriam dixit eſſe, patêre, quæ tegebantur occulta. Et S. Leo ſer. 4. de collectis; [Manichæos ubicunquè latentes veſtris „ preſbyteris publicetis. Magna eſt enim piëtas „ prodere latebras impiorum, & ipſum in eis, „ cui ſerviunt, diabolum debellare.] Et ſer. 5. de jejunio decimi menſis; [Si cui veſtrum „ innotuerit, ubi habitent,ubi doceant;noſtræ „ ſollicitudini fideliter indicate.]

Inquirendi hæretici.

CAPUT XVI.

De Schiſmate.

AT quoniam non ſemel cum hæreſi ſchiſmatis quoque facta eſt mentio; concludenda non eſt de hæreſi tractatio, niſi anteà quid inter hæreſim interſit, & ſchiſma conſtituatur: Hoc autem intereſt; quod hæreſis perverſum habet dogma, & falſa credit; Schiſma autem non fides diverſa facit, ſed communionis ab eccleſia diſſenſio. Ità definivit S. Hieronymus in com. ad caput 3. epiſtolæ ad Titum, & S. Aug. in lib. qq. Evangelicarum ſecundùm Matthæum q. 11. & lib.20. contrà Fauſtum c. 3. ubi hæreſim ſectam nominans; [Schiſma, inquit,eſt eadem opinan- „ tem,atque eodem ritu colentem,quo cæteri, „ ſolo congregationis delectari diſſidio. Secta „ vero eſt longè alia opinantem, alio etiam „ ſibi, ac longè diſſimili ritu divinitatis inſti- „ tuiſſe culturam.] Undè S. Cypr. in tract. de ſimplicitate Prælatorum, duo poſuit hæreſeos ſigna: ſacerdotibus non obedire, & aliud altare conſtituere: Alterum ad ritum pertinet, alterum ad Dei cultum. [Contemptis,inquit, „ Epiſcopis,&DeiSacerdotibus derelictis,con- „ ſtituere audet aliud altare, precem alte- „ ram illicitis vocibus facere.] Itaque hæreſis maximè videtur contrà fidem pugnare; ſchiſma contrà charitatem. Sanè Clemens lib. 6. conſtit. c. 1. & hæreſes præcepit vitandas, & ſchiſmata. Nam nec ad hæreſes fas eſt inclinare mentem, nec ab ejuſdem ſententiæ fratribus ob imperandi cupiditatem licitum eſt recedere. Hæreſis ergò ad mentem pertinet; ſchiſma ad voluntatem. Quam ob cauſam S. Auguſt. lib. 1. de bapt. contrà Donatiſtas c. 8. Schiſmaticum eſſe voluit velut hominem ſanum reliquis membris, & uno malè habentem; ſanum ſcilicet fide, malè habentem charitate, & c. 11. Schiſma fraternitatis odium appellavit. Creſconius quoquè, ut eſt apud eundem Auguſt.lib.2.adverſùs ipſum cap. 3. & 4. hæreſim definiebat diverſam ſequentium ſectam; Schiſma verò eadem ſequentium ſeparatio. Sed tamen Auguſtino libuit c. 7. ita hominem corrigere;ut Schiſma ſit recens congregationis ex aliqua ſententiarum diverſitate diſſenſio; hæreſis autem ſchiſma inveteratum. Solet porrò Auguſt. graviſſimum æſtimare ſchiſmatis ſcelus; quoniam charitatem ſcindit, & unitatem Chriſti; & ſcelera omnia ſupergredi dixit lib. 1. contrà epiſtolam Parmen. cap. 4. & lib 2. de bapt. contrà Donatiſtas cap. 7. [Et quamvis „ Schiſmaticus homo laudabiliter vivere ſe „ exiſtimet, quia tamen à Chriſti unitate diſ- „ junctus eſt, non habet vitam; ſed ira Dei manet

Schiſmatis malum.

Digitized by Google

„ manet ſuper eum.] inquit, in epiſtola 152. ad populum Donatiſtam. Cæterum Sanctus Hieronymus ex quo deſumpſit etiam Sanctus Anſelmus in extremo com. in epiſtolam ad Titum, nullum addit eſſe ſchiſma, quod non aliquam ſibi confingat hæreſim, ut rectè ab eccleſia receſſiſſe videatur. Sed Sanctus Baſilius in epiſtola ad Amphilochium, quâ canones continentur, non propter fidem; ſed propter eccleſiaſticas potiùs cauſas, & quæſtiones oriri putavit ſchiſmata, quod accommodatè magis videtur dictum, quo hæreſim, & ſchiſma diſtinguamus: & Hieronymi definitio, & diſcrimen conſtent. Addit, & Baſilius παρασυναγωγάς, hoc eſt, congregationes, quæ ab inſolentibus presbyteris; vel Epiſcopis fiunt; qui peccati cujuſpiam correctionem non admittant. Sed hæc particularia ſunt, nec ad univerſalis eccleſiæ ſtatum pertinent.

FINIS TERTII LIBRI.

DE SPE, ET DESPERATIONE.

LIBER QVARTVS.

CAPUT I.

Fidei, & ſpei comparatio.

MAGNA omninò eſt fidei, & ſpei conjunctio; quæ ex fidei definitione ab Apoſtolo tradita ſatis cognoſcitur; de qua anteà dictum eſt. Et ideò S. Bern. in ſer. 10. in pſ. 90. germanam dixit eſſe illarum cognationem, quià quod una futurum credit, hoc ſibi altera futurum ſpetat. Et in 1. lib. pædag. capite 6. Clemens Alexandrinus ſanguinem fidei voluit ſpem eſſe. [Ut enim fides in anima, „ ſic ſpes in fide continetur: quæ ſi expiraverit, „ perindè ac ſi ſanguis effluxerit, vitalis fidei „ facultas diſſolvitur.] Et ideò alteram ſine altera ſtare non poſſe, affirmavit Sanctus Io. Chryſ. in ſer. de fide, ſpe, & charitate. [Quid- „ quid enim fides credendo acquirit, hoc „ ſpes ſuſtentando præſumit.] Sed S. Auguſt. in enchyr. c. 8. tres inter eas agnovit differentias. Prima eſt; quòd fides ad omne tempus pertinet, præteritum, præſens, & futurum. Nam & Chriſtum credimus veniſſe, quod eſt præteritum; & ſedêre ad dexteram Patris, quod præſens eſt, & venturum iudicem, quod eſt futurum. At ſpes futuri tantùm temporis eſt. Secunda eſt; quòd fides & bonarum rerum eſt, & malarum: credimus enim bonos conſecuturos vitam æternam, quod eſt bonum; & malos gehennæ ſupplicia, quod eſt malum. Spes autem bonarum dumtaxat eſt; bona enim ſperamus; mala timemus, non ſperamus. Tertia eſt; quòd fides non ſolùm eſt rerum noſtrarum, ſed & alienarum. Non ſolùm enim credimus, dandam nobis vitam æternam, ſed etiam omnibus bonis, & juſtis: At ſpes cuique propria eſt; nec de alijs, ſed de ſe unuſquiſque ſperat. In hoc conveniunt; quod utraque eſt rerum non apparentium; utraque circà Deum verſatur. Verùm, & Paulus in priore ad Cor. capitulo 13. velut diſtinctas virtutes enumerat, fidem, ſpem, & charitatem. Et Fides Deum reſpicit, ut eſt quiddam verum; & ideò ad mentem pertinet. Spes autem eſt Dei, ut eſt quoddam bonum, atque in voluntate magis conſideratur, Fides hoc principio nititur. Deum eſſe primam veritatem, nec poſſe mentiri: Spes verò hóc altero, Deum eſſe bonum, & miſericordem. Fides eſt ordine prior, Spes poſterior: undè & fides ſine ſpe eſſe poteſt. Nam & Iudas deſperavit, nec tamen fidem perdidit; immò ſi perdidiſſet, non ſe ſuſpendiſſet: & fides interdùm, non per ſe, ſed ex accidenti, deſperationis eſt cauſa; dum religione tangitur, & quià divinâ non nititur miſericordiâ, deſperatur. Diſtinguitur etiam ſpes à charitate; tùm eodem Pauli teſtimonio qui diſtinctè utramque commemoravit; tùm quià dùm utraque tendit in Deum, quærens bonum; altera tamen propter ipſum Deum, altera propter nos ipſos: altera nititur charitate, altera miſericordiâ: altera numquàm, altera perſæpè eſt in peccatoribus;

Spei, fideique cognatio.

Spes fidei ſanguis.

Spei, & fidei differentiæ.

Virtutes tres Theologicæ.

altera poſterior eſt; altera prior; ſæpèq; ſpes eſt abſque charitate.

Spei definitio. Ergò ſpes certa eſt expectatio futuræ beatitudinis, & eorum, quæ ad illam pertinent, divinâ innixa miſericordiâ, & ex Dei gratia, & meritis veniens.

CAPUT II.

Spei neceſsitas, & bonum.

PHILO Iudæus in libro de Abraham ſpem bonorum omnium dixit eſſe principium; ſine qua homo non eſt homo, ſed beſtia. [Spes, „ inquit, principium parandorum bonorum. „ Et ſolus verè homo eſt, qui res bonas expe„ ctat, & bonâ ſpe ſe ſuſtinet. Nam ſpe carens „ non eſt homo, ſed beſtia humanâ formâ præ„ dita; cui deſit ſpes proprium ornamentum hu„ manę animę.] Et rurſùm in libro de præmijs, „ & pœnis; [In rationali anima præcipuum „ ſemen eſt ſpes; à quo fonte victus ratio pro„ manat: nam ſpe lucri negotiator varios quæ„ ſtus aggreditur &c.] Quos ſanè ſi non ſperaret, negotiationem non aggrederetur: ſicut nec agricola ſereret, nec nauta navigaret, nec ullus artifex laboraret. Et Sanctus Petrus Chryſologus ſer. 71. [Agricola nunquàm „ ſereret anhelus, ſi fructum laboris ſui de tem„ pore non ſperaret: viator laborem prolixi „ itineris non ſubiret, niſi ſe ad deſtinata cre„ deret pervenire: nauta mare non intraret „ incertus, ſi ſe lucris ſequentibus compenſatu„ rum viarum diſcrimina non ſperaret: filius „ paternæ dominationis tempora non duraret, „ ſi ſe ſubſtantię paternę non ſperaret hęredem. „ Et tu ſi te jam filium Dei credis, expecta „ Dominum, viriliter age, & confortetur cor „ tuum; & expecta, ut hæreditatem Dei de „ expectationis fide, & de virtute patientiæ „ conſequaris.] Et ſer. 118. [Agricola fructus „ uberes cantat, ut vomeris laborem non ſenti„ at, & ſudorem. Nauta portus modulatur, & „ lucra; nè undarum ruinas, nè maris diſcrimi„ na pertimeſcat. Miles nè vulnera metuat, „ gladios non pertimeſcat; prædas perſonat, „ & triumphos. Undè reſurrectionem mente, „ ore, oculis aſpectet, cantet, cogitet Chriſtia„ nus, ut totam mortis poſſit deſpicere, & cal„ care formidinem:] Et S. Aug. in ſer. 16. de verbis Apoſtoli, ſpem dixit eſſe nobis neceſſariam, & ad juſtitiam pertinêre peregrinationis noſtræ; quià conſolatur nos in via. [Via„ tor enim quando laborat ambulando, ideò „ laborem tolerat, quià pervenire ſperat. Tol„ le illi ſpem perveniendi, continuò franguntur „ vires ambulandi.] Perbellè Plato, & confir-

Spes ſomniantis ſomnium. mat quoque S. Baſilius in ep. ad Greg. quæ inter S. Nazian. extat epiſtolas, ſpem velut ſomniantis ſomnium eſſe cogitavit. Ut enim ſomniantes vera eſſe putant, quæ ipſi ſomniant, indèq; lætantur, & exultant; ita nos ſpe devoramus quidquid animo concupiſcimus. Hinc ad labores tolerandos erigimur; quique hoc eſſe dixerunt in anima ſpem, quod ſunt in corpore oſſa, ad illud ſcilicet firmandum, ſuſtentandum, & erigendum; optimè dixiſſe mihi videntur: ſpemq; oſſium nomine in ſacris litteris ſignificari, auctor eſt S. Hilar. in pſ. 52. quo loco de ſpe reſurrectionis atq; æternitatis illa interpretatur pſalmi verba; Diſſipavit Dominus oſſa eorum, qui hominibus placent. [Spes enim, inquit, æternitatis in oſſibus „ ſignificari ſolet. Ideò in Domini corpore „ vulnerato os non frangitur; quia cum fuerit „ iniquis jus paſſionis in corporis carne; in „ æternam tamen divinitatis, & impaſſibilem „ naturam nihil licuit paſſioni. Integram au„ tem, & incorruptam ſpem æternitatis in oſſi„ bus ſignificari; etiam illic meminimus, ubi „ dicitur: Cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum „ &c. Quia ſecundùm Ezechielis viſionem Sa„ cramentum reſurrectionis ſub oſſium ſigni„ ficatione ſit revelatum.] S. Greg. Nyſſenus in lib. de vita Moyſeos, velut baculū nobis eſſe ſpem tradidit, quo & ſuſtentamur in vitæ præſentis peregrinatione; & tentationum ac peccatorum beſtias abigimus. [Baculus, inquit, „ quo & feras repellimus, & ſuſtentamur non„ numquàm; ſpes eſt. Hâc enim ſolâ induimur, „ ut labores ſimul, & dolores ſufferamus, feſ„ ſoſq; animos recreëmus. Hac fit, ut arden„ tiùs plerùmque in latrantes canes, alienas vi„ delicet à veritate beſtias inſurgamus: hac „ armati longè illas ab ovibus noſtris arcea„ mus.] S. Io. Chryſ. in Cōm. pſ. 129. velùt murum infractum conſideravit, velùt invictam munitionem, turrim inexpugnabilem. Verba illius ſunt. [Nihil eſt ad ſalutem præ„ ſtantiùs, quam perpetuò aſpicere, & ab illa „ ſpe pendêre; licèt innumerabilia accidant, „ quæ nos impellant in deſperationem. Hic eſt „ murus infractus, invicta munitio, turris inex„ pugnabilis.] S. Paulus tùm galeam, tùm anchoram appellavit. Galeam in priore epiſt. ad Theſſ. c. 5. Induti loricam fidei, & charitatis, & galeam ſpem ſalutis. Quorum verborum interpretationem faciens S. Io. Chryſ. h. 9. „ [Ut enim, inquit, galea principale mem„ brum eorum, quę in corpore noſtro ſunt, con„ ſervat, dùm caput circumdat, & undiquè te„ git, ita & ſpes cogitationem noſtram concide„ re non ſinit, ſed capitis inſtar erigit; nihil ex„ traneum in illam incidere permittens.] Anchoram autem tutam, & firmam, in ep. ad Hebr. c. 6. firmiſſimum ſolatium habemus, qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpem, quam ſicut anchoram habemus animæ tutam, ac firmam. S. Chryſ. h. 25. in Gen. [Spes, inquit, „ tanquàm anchora tuta, & ſtabilis, ut non laborem

Spes oſſa in corpore.

Spes baculus.

Spes murus.

Spes Galea, & anchora.

,, borem virtutis, ſed magis retributionem la-
,, boris conſiderantes, leviter omnia feramus.]
Et ut interpretatur S. Anſel. [Nè in hujus ſæ-
,, culi mari frangamur ſcopulis adverſitatum:
,, Velut navis tempeſtate agitata &c.] Undè &
illud S. Cypr. in tract. contrà Demetrianum.
,, [Viget apud nos ſpei robur, & firmitas fidei;
,, & inter ipſas ſæculi labentis ruinas erecta
,, mens, & immobilis virtus, & nunquam niſi
,, læta patientia, & de Deo ſuo ſemper anima
,, ſecura.] Portum maluit appellare S. Greg. *…es por- …s.*
Papa lib. 26. mor. c. 16. [Spes, inquit, portus
,, in quem ſe colloeat mens concuſſa deſpera-
,, tionis procellà.] Et tutiſſimum refugium
noſtrum, S. Io. Chryſ. in pſal. 90. exponens
enim illa verba: Et refugium meum. [Ma-
,, gnum, ait, refugium. Nam petra refugium
,, erinaceis, & leporibus. Quicumque pecca-
,, verit, quaſi ericius plenus eſt ſpinis; quicun-
,, que timidus erit: quia peccavit; quaſi lepus
,, eſt conjunctis auribus fugiens à mala conſue-
,, tudine Diaboli. Et ubi fugit à ad petram,
,, magnum refugium. [illegible] Petra autem eſt Chri-
,, ſtus.] S. Greg. Nazian. in or. ad cives Na- *Spes medicina.*
zianzenos, anguſtarum rerum medicinam.
Et or. de pauperum amore, unicum afflictis,
& calamitoſis remedium. Atque hùc adfert
S. Ambr. ſer. 7. in pſ. 118. illa pſ. verba. Hæc
me conſolata eſt in humilitate mea. [Si quis
,, enim vult adverſa ſuperare, ſi eſt perſecutio,
,, ſi eſt periculum, ſi mors, ſi ægritudo gravis,
,, & incurſus latronum, ſi facultatum proſcrip-
,, tio, ſi quid eorum, quæ putantur in iſto ad-
,, verſa ſæculo; facilè ſuperantur, ſi ſit ſpes, quæ
,, conſoletur. Quiſquis enim meliora ſperat,
,, nunquam levioribus frangitur.] Lucernam
idem Ambr. in caput Prover. 31. c. 5. per quam *Spes lucerna.*
operamur in nocte hujus vitæ; & oleum ver-
bum Dei, quo illa nutritur. [Catenam au-
,, ream, & firmam (S. Io. Chryſ. ep. 5. ad *Catena.*
,, Theodorum lapſum) quâ de Cœlo protenſâ
,, ſubducimus animas noſtras; quæ brevi ſur-
,, ſùm in illud ſummum faſtigium retracta, eos,
,, qui illam fortiter manibus ſervant, evellit, &
,, rapit ſuprà fluctus præſentis vitæ.] Hæc enim
ipſa fuerunt illius verba. S. Auguſtinus aliquan-
do vitæ vitam nominavit. Namque vita ſi- *Vitæ vita.*
ne ſpe falſò, & immeritò vocatur vita, cum
ſit morte deterior. Et ut eſt apud S. Ambr.
ad c. 5. prioris ep. ad Cor. [In quo ſpes non
,, eſt, pro mortuo habendus eſt: & ideò Domi-
,, nus dixit: Qui non credit jam judicatus eſt.]
Quique à ſpe dicti ſunt Elpiſtici Philoſophi,
nihil eſſe pronuntiârunt, quod vitam magis
contineat, atque ſpes: quâ non condiente eam
vita ſit intolerabilis, teſtis eſt Plutarchus lib.
4. Sympoſ. quæſt. 4. Nec diſplicebit, quod
aliqui eam dixerint eſſe velut ſalſamentum, *Salſamentum.*
quo duriores omnes vitæ hujus moleſtiæ ve-
lut cibi devorantur. Et S. Ambroſius lib. 1.
de pœnitentia cap. 16. Dominum obſervat,
quia ſtudium omne dilatione torpeſcit; ut
præſentium fructu cumularetur devotio di-
ſcipulorum, illis dixiſſe. Qui dimiſerit om-
nia ſua, & ſecutus me fuerit, ſepties tantum
hic accipiet, & in futurum. Priùs enim hic
promiſit, ut faſtidia dilationis auferret. Re-
muneratio quippè præſentium teſtimonium
futurorum eſt. [Quid namque graviùs, ait S.
,, Greg. lib. 1. moral c. 6. eſſe poteſt, quàm
,, afflictionem ſæculi prætereuntis perpeti, &
,, nequaquàm ad relevationem mentis gaudia
,, remunerationis ſperare?] [At verò (addit
,, lib. 8. c. 5.) quod valdè eſſe importabile ex
,, dolore oſtenditur; conſideratione provida
,, ex remuneratione levigatur.] In libro Gen.
c. 49. Benedicens Iacob moriturus filijs ſuis,
cum veniſſet ad Iſſachar, dixit illi; Iſſachar
aſinus fortis inter terminos accubans; vi-
dit requiem, quòd eſſet bona; & terram, quòd
optima, ſuppoſuit humerum ad portandum.
Sic enim homo juſtus inter duos terminos
poſitus, inter Cœlum, & gehennam, ſperanſq;
ſe perventurum ad Cœlum, ſupponit humeros
ad portandos labores. [Ad portandum onus,
,, inquit, S. Greg. lib. 1. mor. c. 6. hume-
,, rum ſupponit; quia conſpecta ſuperna requie
,, præceptis etiam gravibus in operatione ſe
,, ſubijcit, & quidquid intolerabile puſillanimi-
,, tas aſſerit, hoc ei leve, ac facile ſpes remu-
,, nerationis oſtendit.] Hæc effecit, ut Sancti
illi Patriarchæ relinquerent ſuam patriam,
de quibus Paulus ad Hebr. 11. fide demora-
tus in terra promiſſionis tanquam in aliena,
in caſulis habitando cum Iſaac, & Iacob co-
hæredibus promiſſionis ejuſdem. Hæc in-
clinabat David ad faciendam voluntatem
Dei, ut ipſemet fatetur in pſal. 118. Inclinavi
cor meum ad faciendas juſtificationes tuas
propter retributionem. Hæc faciebat, ut
Paulo labores viderentur parvi, & leves,
quos in poſter. ad Cor. ep. c. 11. narrat. Et
quamvis c. 1. diceret, ſe ſuprà modum grava-
tum, ita ut etiam tæderet vivere; hoc tamen to-
tum videbatur parum, cùm futuram cogita-
bat gloriam; & ad Rom. 8. dicebat: Non
ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad
futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis;
& 2. Cor. 4. Propter quod non deficimus. Id
enim quod in præſenti eſt momentaneum,
& leve tribulationis noſtræ, ſuprà modum in
ſublimitate æternum gloriæ pondus opera-
tur in nobis; non conſiderantibus nobis quæ
videntur; ſed quæ non videntur; quæ enim vi-
dentur, temporalia ſunt, quæ autem non vi-
dentur, æterna ſunt.

In libro Iudith. c. 10. milites Holophernis
videntes pulchritudinem Iudith, dixerunt; quis
contemnat populum Hebræum, qui tam
decoras mulieres habet; ut non pro his meri-

Digitized by Google

tò pugnare contrà eos debeamus; Quid nos pro cœleſti pulchritudine, & divina gloria æquum eſt dicere, & facere? Cùm milites vellent S. Martinum occidere, & ille hilari, ac ſereno vultu nihil turbaretur, admirati illi, ſciſcitati ſunt cauſam; reſpondit Martinus, cauſam eſſe, quod totam ſuam ſpem collocâſſet in Deum, à quo liberandum ſe confidebat. Et de Sancta Fœlicitate legimus, quod cùm eſſet in doloribus partûs, magnoperè ingemiſcebat; eamque tortores irridentes, dicebant, & quomodo in martyrio eris conſtans, ſi hos dolores non toleras? Illa reſpondit; Ego nunc id ago, quod eſt naturæ meæ fragilis: tunc autem Deus pro me operabitur: *Pſ. 56.* In umbra alarum tuarum ſperabo, donec tranſeat iniquitas.

CAPUT III.

De ſpe, & timore.

Spes timoris fur.

VERE mihi videtur is pronuntiâſſe, qui ſpem timoris furem eſſe affirmavit. Timor quippè impedit, ac prohibet, ſpes urget, ac promovet operationem. Democritus duo, inquiebat, luminaria gubernare mundum: quæ nimirùm creavit Deus, ut diei, noctiq; præeſſent, Gen. 1. Ariſtoteles in 10. lib. moralium ad Nicomachum cap. 9. ſpem præmij, & pœnæ metum proponit. Oderunt enim peccare mali formidine pœnæ: oderunt peccare boni virtutis amore. *Spes, & timor, duæ molæ.* Hæc duo timor, & ſpes, ſunt velut duæ molæ, ſuperior, & inferior, quibus in animæ molendino mundatur triticum, detractoque cortice, farina remanet pura, & candida. Namquè Anima inter timorem, & ſpem conſtituta, omnem à ſe imperfectionem pellit; puraque & candida farina ſupereſt, ut Dei ſit cibus. Spes eſt inferior mola, quæ animam ſuſtentat, nè per deſperationem cadat, & diffidentiam: Timor autem ſuperior mola, quæ illam deprimit, nè per ſuperbiam extollatur. In lib. Deut. cap. 24. prohibuit Deus filijs Iſraël. Non accipies loco pignoris inferiorem, & ſuperiorem molam; quia animam ſuam appoſuit tibi; hoc eſt, quia pignus, quod ille tibi offert, eſt ad victum illi valdè neceſſarium. At hæc duo timor, & ſpes, magis ſunt animæ neceſſaria, quàm duæ illæ molæ Hebræo. Audiamus S. Gregorium in lib. 33. mor. c. 11. ità loquentem: [Spes, & timor „ ſuperior, & inferior mola. Spes enim ad alta „ ſubvehit; timor autem cor inferiùs premit. „ Non accipias loco pignoris ſuperiorem, „ aut inferiorem molam; quia una ſine altera „ inutiliter haberetur. *Spes, & timor jungantur.* Et in peccatoris pectore „ inceſſanter ſpes, & formido conjungi debent: „ quia incaſſum miſericordiam ſperat, ſi non „ etiam juſtitiam timeat: incaſſum juſtitiam „ metuit, ſi non etiam de miſericordia confidat.] Duo ſunt, quæ retinent hominem, nè convertatur ad Deum; præſumptio, & deſperatio; contrà præſumptionem eſt timor, contrà deſperationem ſpes. Conſequi gratiam Dei, eſt ex ipſius miſericordia: Sed præſumptio, & deſperatio adverſantur miſericordiæ; altera per exceſſum, altera per deffectum: timor verò, & ſpes miſericordiam ad ſe trahunt, & provocant. De timore dicitur, Luc. 1. Et miſericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum: & de ſpe in pſal. 31. Sperantes in Domino miſericordia circumdabit: & de utroque ſimul in pſ. 32. Ecce oculi Domini ſuper metuentes eum, & in eis, qui ſperant ſuper miſericordia ejus. [Duo pedes Dei (ra- „ tiocinatur S. Ber. ſer. 6. in Cant.) miſericor- „ dia, & judicium ſunt: quibus in nobis reſpon- „ dent ſpes & timor; ſpes miſericordiæ, & ti- „ mor judicij. *Miſericordia, & judicium pedes Dei.* Ideò in pſal. 146. Beneplacitum „ eſt Domino ſuper timentes eum, & in eis, qui „ ſperant ſuper miſericordia ejus. Quia ſapien- „ tiæ initium eſt timor, ſpes profectus, conſu- „ matio verò charitas. Sed utrumquè pedem „ Domini tenère oportet: nam alterum ſine „ altero oſculari non expedit; quia judicium „ ſine miſericordia deſperationem generat, & „ miſericordia ſine judicio peſſimam ſecuritatem.] Dormiamus igitur inter medios cleros, ut eſt in pſ. 67. hoc eſt, inter deſperationem, & ſecuritatem. *Spes inter præſumptionem, & deſperationem media.* Eſt enim locus medius ſpes; ut interpretatur Idem Bern. ſer. 51. Ità cum ſponſa dicamus; *Cant. 2.* Læva ejus ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Siniſtra enim & dextera ſponſi adverſa, & proſpera, comminationem judicij, & promiſſionem regni, timorem, & ſpem ſignificant. Et S. Greg. Papa h. 4. in Ezech. conſiderans illa Prophetæ viſionis verba. *Ezech. 1.* Duæ pennæ jungebantur, & duæ tegebant corpora eorum; [Amor, inquit, „ & ſpes mentem noſtram ad æterna elevant; „ timor, & pœnitentia ab oculis Dei præteri- „ ta mala abſcondunt. Ità duæ pennæ jungun- „ tur ſurſum, & duæ tegunt corpora. Tegi- „ mus enim peccata, cum bona facta malis acti- „ bus ſuperponimus.] *Spes, & timor duæ pennæ.* Hæ omninò ſunt duæ pennæ, quibus ad Deum volamus, & cœlum. Timor operatur in nobis horrorem peccati, & velut frenum nos à peccando retinet, adfertque pœnitentiam, & emendationem: ſpes excitat, & dat deſiderium, & ſitim gratiæ, bonorumque cœleſtium: & præterea vires addit, nè laborantes fatigemur quouſquè laborum præmium conſequamur. Quoniam debet in ſpe, qui arat, arare; & qui triturat, in ſpe fructus percipiendi, 1. Cor. 9. & S. Aug. in ſer. 40. de tempore, & Abrahæ, & Iacob mutatum à Deo fuiſſe obſervat nomen. *Nominis mutatio.* Sed Abraham nunquàm poſteà vocatum fuiſſe Abram, ſicut anteà vocabatur. Iacob autem, & Iacob,

& Iacob, & Iſraël fuiſſe nominatum: Quia nomen Abrahæ ad præſens ſæculum pertinet, in quo pater factus eſt multarum gentium; at Iſraël ad futurum ſæculum, in quo Deum videbimus; Chriſtianus autem populus habet utrumque nomen, Iacob in re, Iſraël in ſpe.

CAPUT IV.

Spem in Deo ponendam eſſe.

SED magnoperè intelligere oportet, ſpem noſtram in Deo ponendam eſſe, non in re ulla creata. Aulus Gellius in 2. libro noctium Atticarum c. 29. Æſopum memorat, ut feſtivis, delectabilibusque apologis ea proponere conſueverat, quæ utilia monitu, ſuaſuque forent; ita Caſſitam aviculam (quam Alaudam, alij Galeritam dicunt) propoſuiſſe, ut doceret ſpem, fiduciamque rerum, quas efficere quiſquis poteſt, non in alio, quàm in ſemetipſo habendam eſſe; longior paulò eſt fabella; ſed ille apologus; Non amicis, neque propinquis fidendum, ſed nobis agendum eſſe. At Ezech. 33. minatur Deus; Vivo ego; qui habitant in locis ruinoſis gladio cadent. Ruinoſus planè locus eſt omnis res creata. Et David pſal. 32. fallax equus ad ſalutem; in abundantia autem virtutis ſuæ non ſalvabitur. Et pſ. 48. Qui confidunt in virtute ſua, & in multitudine divitiarum ſuarum gloriantur. Sapienter monet S. Gregorius Papa h. 1. in Evang. [Nolite fratres diligere mundum, quem „ videtis diù ſtare non poſſe.] Et S. Gregorius Nazian. in or. ad cives ſuos; [Ventis tutiùs, „ aut lineis in aquis deſcriptis fides haberi poſ„ ſit, quàm hominum fœlicitati.] Proverbium fuit antiquum; Non vulgari nitendum anchora. Et nos ſcimus argentum vivum adhiberi ad purgandum aurum, ſed illo pereunte in igne, atque in fumum evaneſcente, ſolum remanet aurum. Sic humana omni ſpe pereunte, ſola in Deum perſiſtit ſpes. Nullus enim ſperavit in Domino, & confuſus eſt, Eccleſ. 2. Propterea David in pſ. 72. dicebat: Mihi adhærere Deo bonum eſt, ponere in Domino Deo ſpem meam. Et pſ. 36. ſpera in Domino, & fac bonitatem, & paſceris in divitijs ejus, & pſ. 90. Qui habitat in adjutorio altiſſimi, in protectione Dei cœli commorabitur. Et rurſum, Deus meus, ſperabo in eum. S. Bernard. tria hominum genera negat habitare in adjutorio altiſſimi: Primum, eorum, qui in ſuis meritis, & virtute confidunt, & in multitudine divitiarum ſuarum gloriantur. Secundum, eorum, qui imbecillitatem ſuam conſiderantes, obruuntur à puſillanimitate ſpiritus, & tempeſtate. Tertium, eorum, qui fruſtrà ſperant, & ſibi de miſericordia Domini blandientes, de ſuis peccatis non emendantur. Illos ſolos habitare concludit in adjutorio altiſſimi, qui id ſolùm obtinêre deſiderant, id ſolùm amittere trepidant: hoc eſt qui de ſuis, & creaturarum omnium viribus diffidentes, in Deo ſpem omnem collocârunt ſuam. Et S. Auguſt. in eundem pſalmum. [Quis eſt, „ inquit, qui habitat in adjutorio altiſſimi? Qui „ non habitat in adjutorio ſuo. Qui non eſt ſu„ perbus: ſicut illi, qui manducaverunt, ut eſ„ ſent quaſi Dij, & perdiderunt, quod facti „ erant homines immortales, Gen. 3.] Adonias 3. Reg. 1. volens fieri Rex, confidebat in adjutorio Ioab, & Abiatar, qui adjuvabant eum. At nihil profecit, nihil obtinuit. Et omninò de humano quovis adjutore ſcriptum eſt, Eccl. c. 51. Circumdederunt me undique & non erat, qui adjuvaret: reſpiciens eram in adjutorium hominum, & non erat. Memoratus ſum miſericordiæ tuæ Domine; quoniam eruis ſuſtinentes te, & liberas eos de manibus Gentium. Hoc adjutorium implorabat Iob. c. 31. Quando dicebat; Quis mihi tribuat adjutorem, & deſiderium meum audiat omnipotens? Impotens fuit Adamus, qui confidebat in adjutorio ſuo, non in adjutorio Dei. Impotens Goliath, impotens Adonias, impotens Nabucodonoſor, impotens Holophernes, impotens Antiochus: Potens autem David, potens Iudith, potentes Apoſtoli. Ideò Chriſtus pauperes elegit, & piſcatores, & infirma mundi eligit Deus, ut confundat fortia: Ut non glorietur omnis caro in conſpectu Dei, 1 Cor. 1. Ut illius cognoſcatur virtus, & nos diſcamus non in hominibus, ſed in Deo ſolo confidere. Nos debiles ſumus, & impotentes, quamvis de viribus noſtris blandiamur nobis. Mundus multa pollicetur: ſed fallax eſt, & inconſtans. Solus Deus conſtans, & immutabilis, nec mentiri poteſt. Immò tunc maximè adjuvat, & ſubvenit nobis, quando res in majori ſunt periculo, prorſùſque deploratæ videntur. *Deum deploratis rebus ſubvenire.* Exemplo ſit Suſanna. Quis eam non lapidandam putaſſet? & tamen cum ad lapides traheretur, à Deo fuit miro modo liberata. Quis Daniëlem miſſum in lacum leonum non credidiſſet ab illis devoratum? Et Deus ad illum miſit Habacuc, & de lacu liberavit. Quid de Bethuliæ dicam civitate? Meritò dixit David pſ. 10. In Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ transmigra in montem ſicut paſſer. Et Iſ. 28. Qui crediderit, non feſtinet. Patienter agat, & divinam expectet opem. Nolite, inquit, Paulus ad Hebr. 10. amittere confidentiam, quæ magnam habet remunerationem. Propterea Iudith c. 8. reprehendit Oziam, quod Aſſyrijs ſtatuiſſet tradere civitatem, ſi intrà quinque dies Deus eos non liberaſſet. Quod eſt hoc verbum, in quo conſenſit Ozias? Et qui eſtis vos, qui tentatis Dominum? Non eſt hic ſermo, qui miſericordiam provocet,

ſed

ſed potiùs qui iram excitet, & furorem accendat. Poſuiſtis vos tempus miſerationis Domini, & in arbitrium veſtrum diem conſtituiſtis ei. Quamvis interdùm noſtri videatur oblitus, numquam tamen obliviſcitur. Conquerebatur Iob cap. 13. Quare faciem tuam avertis, & arbitraris me inimicum tibi? Qui tamen tentationes illas non toleraſſet, niſi à Deo adjutus. [Si quis dicat (inquit Clemens Alex. „ in 4. lib. ſtrom.) Quomodò fieri poteſt, ut „ caro imbecilla reſiſtat poteſtatibus, & ſpiritibus dominationum? ſciat, quod omnipotenti, „ & Domino freti, in eoq; habentes fiduciam, „ adverſamur poteſtatibus tenebrarum, & morti. Adhuc te loquente dicet, ecce adſum. Vi„ des adjutorem invictum, qui nos defendit.] Et ſurſùm multò poſt. [Cur autem inquiunt „ Ethnici, cum nos perſequuntur; Nihil vobis „ affertur auxilij? Duobuſq; modis reſpondet. „ Primum quid nobis fit injuriæ; cum morte „ diſſolvamur, ituri ad Dominum? Deindè, ſi „ autem ſapuerimus, gratias ijs habebimus, qui „ nobis præbuerint occaſionem celeris migrationis; ſi teſtimonium feramus propter dile„ ctionem.] Et quidem prima reſponſio fuit etiam S. Ambr. in illud Pauli Rom. 8. Confido, quia neque mors, neque vita, &c. [Quid enim, „ inquit, ſi mors illata fuerit? nonnè lucrum „ eſt maximum, occaſionem invenire, quâ „ citius eatur in regnum promiſſum?] At expendenda quoque ſunt illa verba Sponſæ, Cant. 5. Ego dormio, & cor meum vigilat; quæ duplicem poſſunt habere intellectum. Alterum: ſive ego dormio; ſive vigilo, ſemper de Deo meo cogito. Alterum ad rem magis præſentem. Ut cor dilectum ſignificet, eo ſcilicet intellectu, quo rem amatam ſolemus appellare cor noſtrum. Sic enim Deus, dum nos dormimus, vigilat pro nobis, & de nobis ſollicitus cogitat, quemadmodùm adjuvet; nolens nos ulli alteri obligari, aut debêre quidquam, quàm ſibi. Sic etiam Gen. 14. Cùm Rex Sodomorum omnia offerret Abrahæ, dicens: Da mihi animas, cætera tolle tibi, reſpondit ille: levo animam meam ad Dominum Deum excelſum, poſſeſſorem Cœli, & terræ. (In quem ſcilicet ſolum ego ſpero, & à quo nihil mihi deerit;) quòd non accipiam ex omnibus rebus, quæ tua ſunt; nè dicas ego ditavi Abraham. Quaſi diceret; Ego nulli volo me obligare, aut debere quidquam, niſi ſoli Deo, in quem omnem ſpem collocavi meam. S. Aug. ſer. 82. de tempore cùm Ioſeph: Gen. 40. 41. Magiſtro pincernarum ſe commendaſſet in carcere; Deo permittente factum putat, ut is obliviſceretur illius; quia majorem viſus erat in illum habêre ſpem, quàm in Deum. Et S. Io. Chryſ. h. 18. imperf. Deum propterea ait cætera animalia creaſſe armata, & munita cornibus, dentibus, unguibus, veloci curſu, hominem autem ſolum inermem; quia virtus illius eſt ipſe, & in ipſo fortiſſimus omnium eſt. Lege S. Hier. in ea verba pſal. 107. In Deo faciemus virtutes.

CAPUT. V.

Spem virtute niti debêre.

VERUM enimverò tota ſpes noſtra fundari debet in virtute, ac bona vita. Sic enim Oſ. 2. dicitur: Miſericordiam, & judicium cuſtodi, & ſpera in Domino ſemper. Nam ſi illud prius non habeas, vana fuerit ſpes tua. Primùm fac miſericordiam, & judicium; & ſic ſpera in Deo. Hoc optimè ſervabat David, qui dicebat pſal. 51. Ego autem ſicut oliva fructificavi in domo Dei, abundans bonis operibus, & ideò ſperavi in miſericordia Dei in æternum, & in ſæculum ſæculi. Et in Cant. c. 4. Spem hanc in ſponſa plurimùm commendat ſponſus; cùm ait; Naſus tuus ſicut turris Libani. Certè non eſt magna laus, nec magna mulieris pulchritudinis commendatio habere naſum tam magnum; immò ſumma deformitas. Sed naſus ſignificat ſpem, quoniam ut nos naribus odoramur, & ſentimus res procul à nobis diſſitas; ità ſpes quoquo modo odoratur cœleſtia; atque hoc odore invitati ad illa currimus: Quemadmodùm pollicebatur ſponſa eadem, Cant. 2. Curremus in odorem unguentorum tuorum. Eſt item turris ſpes noſtra propter firmitatem; quod anteà ex S. Io. Chryſ. adnotavimus: Et turris Libani, quoniam Libanus mons eſt fertilis, ſpecioſus, odoratus, & ſignificat vitam virtutis cultricem; in qua fortitudo, & ſpes noſtra fundata eſt. Iob quoque dicebat c. 19. Repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo. Quoniam bona ſpes reponi debet in ſinu; ut ibi calorem, & fervorem habeat charitatis. Hæc erat Petri, & primorum illorum Chriſtianorum ſpes; de qua 1. Petri c. 1. Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui ſecundùm miſericordiam ſuam magnam regeneravit nos in ſpem vivam; quæ nimirùm per charitatem operatur. At contrà audi, quid loquatur Iſaias c. 59. Non eſt, qui invocet juſtitiam; neque eſt, qui judicet verè: ſed confidunt in nihilo, & loquuntur vanitates. Telas araneæ texuerunt. Telæ eorum non erunt in veſtimentum, neque operientur operibus ſuis. Opera enim eorum inutilia, & opus iniquitatis in manibus eorum. Namque ex malis operibus naſcitur deſperatio; vel etiam ex accedia, ut in ſecunda ſecundæ q. 20. art. 4. S. Thomas ratiocinatur. Ex luxuria, inquàm, & indulgentia corporis, aut ex accedia, &c.

Spes naſus ſponſæ.

Spes turris.

Deſperatio unde.

Digitized by Google

CAPUT VI.

A Deo nos in omnibus adiuvari.

IAM ſi quæras quatenùs à Deo iuvemur; uno verbo reſpondebo, in omnibus nos iuvari. In 4. lib. Reg. c. 2. dixit Eliſæus Eliæ; pater mi, pater mi currus Iſraël, & auriga ejus. Et David in pſ. 17. Factus eſt Dominus protector meus. Et pſal. 26. Dominus protector vitæ meæ. Et alia plura his ſimilia. Non enim poſſumus nos ipſi viribus noſtris boni aliquid facere; nec tueri nos à malo. Deus adiuvat nos ad omne bonum, & tuetur ab omni malo. Primùm enim dat nobis gratiam, tùm prævenientem, tùm ſubſequentem. Quæ nimirùm eſt duplex illa pluvia, fœcunda agri animæ noſtræ; de qua Deut. 11. Dabit Dominus pluviam terræ veſtræ temporaneam, & ſerotinam; ut colligatis frumentum, & vinum, & oleum, fœnumque ex agris ad paſcenda jumenta. Pluvia temporanea eſt præveniens gratia; & ſerotina gratia ſubſequens. In pſ. 126. dixit Propheta; Niſi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui ædificant eam. Quem locum citans S. Ambr. libro 2. in Lucam c. 3. [Audeo, inquit, etiam dicere, quòd „ homo viam ſuam adoriri non poteſt, niſi do„ minum habeat præviantem.] Quocircà Deut. 13. præcipitur; Poſt Dominum tuum ambulabis. Et Prover. 20. A Domino diriguntur viæ viri. Et pſ. 24. Vias tuas edoce me. Et exeunti populo ex Ægypto, Ex. 14. Miſit Deus columnam nubis per diem, & columnam ignis per noctem; ut viam illi præmonſtraret. pſal. 28. Miſericordia ejus præveniet me. Et Phil. 2. Deus eſt, qui operatur in nobis & velle, & perficere. Et Apoc. 3. Ego ſto ad oſtium, & pulſo; ſi quis mihi aperuerit, introibo &c. Deus ſtat ad oſtium peccatoris, & pulſat; quia in domo juſti eſt intùs. Pulſat ad oſtium, ſed non ſentitur; quia in anima peccatoris multus eſt ſtrepitus. Quando domi ſonatur, cantatur, & tripudiatur; ſi quis ad oſtium pulſet, non ſentitur: & appetitiones inordinatæ faciunt in anima ſtrepitum, & Deus non ſentitur. At ſi appetitiones hæ non adſint, facilè Deus auditur. Et ipſe viciſſim nos audit orantes, & ad ipſius oſtium pulſantes: ſicut Ex. 14. Etſi Moyſes non loqueretur, nec aperiret os; Deus tamen illi dixit, cur clamas ad me; Et pſal. 9. Deſiderium pauperum exaudivit Dominus, præparationem cordis eorum audivit auris tua. Ut ergò tollantur ſtrepitus, & vox Dei pulſantis audiatur, ſedandæ ſunt appetitiones hæ, nè obſtrepant nobis. Sedantur autem, ſi non concedatur illis id, quod póſtulant; quia ſi concedatur, magis clamant. Pudeat nos; quòd ad minimum dæmonis nutum, & carnis, reſpondemus, & aperimus; at dùm clamat Deus, cordiſque noſtri oſtium pulſat, non reſpondemus. Cant. 5. Aperi mihi ſoror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea: quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium. Et Ier. 7. Conqueritur Deus dicens; loquutus ſum ad vos manè conſurgens, & non audiſtis; & vocavi vos, non reſpondiſtis. Et miſi ad vos omnes ſervos meos Prophetas per diem, conſurgens diluculò, & mittens; & nón audierunt me, nec inclinaverunt aurem ſuam: ſed induraverunt cervicem ſuam, & pejùs operati ſunt quàm patres eorum. Et Prov. 1. hortatur nos his verbis. Convertimini ad correptionem meam, & proferam vobis ſpiritum meum. Vocavi, & renuiſtis; extendi manum meam, & non fuit, qui aſpiceret. Deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis. Ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo &c. Initium ſalutis noſtræ eſt à Deo, inquit S. Auguſt. vel quiſquis fuit auctor libri de eccleſiaſticis dogmatibus: & quando minùs homo cogitat, à Deo vocatur. Sicut Saül. 1. Reg. 9. & 10. quando paſcebat aſinas patris ſui: & Saulus Act. 9. adhuc ſpirans minarum, & cædis in Diſcipulos Domini.

Præ-[...], & [...]ns.

Sed & adeſt ſubſequens gratia, Oſ. 11. ego quaſi nutritius Ephraïm, portabam eos in brachijs meis (quod dicitur, & propter amorem, & propter opem, & auxilium, quod puſioni dat nutrix. Statim enim cadit ille, niſi à nutrice teneatur) & ero illis quaſi exaltans jugum ſuper maxillas eorum &c.

Deus iuvat ad bonum, & à malo.

Secundò liberat etiam nos Deus à malo. Ita Eccleſiaſtici 51. adjutor, & protector factus es mihi: Adjutor in bono, & protector à malo. Et pſal. 90. In protectione Dei cœli commorabitur. Liberat autem, primum quidem à peccato, quod eſt abſolutè malum, & perniciesanimæ. Undè dicebat ille; liberaſti corpus meum à perditione, hoc eſt à peccato, quod animæ perditio eſt; & verò etiam corporis, nam malum pœnæ eſt malum ſecundùm quid, non abſolutè; quia bono ſolùm utili privat: ac malum culpæ privat bono honeſto, quod eſt abſolutè bonum, & Deo, qui eſt omne bonum. Thren. 1. Miſit manum ſuam hoſtis ad omnia deſiderabilia ejus. Hoc eſt, quod Deus minabatur civitati Hieruſalem, Iſ. 1. Derelinquetur filia Sion ut umbraculum in vinea, & ſicut tugurium in cucumerario, & ſicut civitas, quæ vaſtatur. Peccatum namque bonis omnibis ſpoliat animam; etiamſi nihil in corpore foris appareat; ſed pulchrum ſit, & integrum, ſicut erat anteà. De Lucifero dixit Dominus, Luc. 10. Videbam Satanam ſicut fulgur de Cœlo cadentem: comparat fulguri non ſolùm propter impetum, quo cecidit; ſed etiam propter ſtragem, quam peccatum facit in anima, & ut ful-

Peccati malum.

Digitized by Google

ut fulgur deſtruit enſem, relinquens vaginam integram; ſic peccatum perdit animam, & ſpoliat, relicto corpore illæſo. Propterea homines non curant peccatum; ſed ut loquitur Iob cap. 15. bibunt ſicut aquam iniquitatem. Ab hoc malo protegit nos Deus, nec ſolum nè cadamus in illud; ſed etiam ut ab illo cadentes liberemur. Petro multum videbatur, ſi peccanti fratri ſepties dimiſiſſet; at uſquè ſeptuagies ſepties, hoc eſt toties, quoties opus eſſet, condonari voluit Dominus.

Dei auxilium ſpeciale. Tertiò præter duplicem gratiam, quam diximus prævenientem, & ſubſequentem, dat etiam Deus ſpeciale auxilium, neceſſarium nobis, ut perſeveremus, & ſalvemur. Ita Celeſtinus Papa in ep. 1. cap. 2. [Renatus, ait, „ fonte baptiſmatis non poteſt vincere omnes „ tentationes ſine auxilio ſpeciali.] Et Arauſicanum Conc. & S. Aug. in libro de gratia, & libero arbitrio ad Valentinum c. 6. citat illud Cant. 8. Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto delitijs affluens, innixa ſuper dilectum ſuum? Delitijs affluens propter gratiam; & innixa ſuper dilectum, propter ſpeciale auxilium. Denique Eccleſiaſtici c. 34. divina hæc protectio verbis illis præclarè oſtenditur: Oculi Domini ſuper timentes eum. Protector potentiæ firmamentum virtutis, tegimen ardoris, deprecatio offenſionis, adjutorium caſus, exaltans animam, illuminans oculos, dans ſanitatem, & vitam, & benedictionem, de quibus ſingulis dicendum eſſet.

CAPUT VII.

Deum ſpem noſtram eſſe debère.

Sperare in Deo, & Deum. SED Davidem non ſolùm dicentem audio, ut anteà dixi, ſperare ſe in Domino, nobiſque eſſe ſperandum. Verum etiam Deum ipſum ſpem ſuam eſſe. Tu es Domine ſpes mea, inquit in pſal. 90. Altiſſimum poſuiſti refugium tuum. Quæ verba tractans S. Bernardus. „ [Non dicit, inquit, in te ſperavi, ſicut & in „ alijs pſalmis,ſed tu es Domine ſpes mea,quod „ ampliùs fortè aliquid ſonat, & ſublimiùs. „ Quod videlicet non modò in eo ſperat, ſed „ eum. Convenientiùs ſiquidem ſpes mea di„ citur, quod ſperamus; quàm in quo ſperamus.] Multi ſunt, qui à Deo deſiderant,& ſperant bona temporalia, & bona ſpiritualia: ſed perfecta charitas ſolùm deſiderat ſummum bonum, & clamat ad Deum in pſ. 72. Quid mihi eſt in Cœlo, & à te quid volui ſuper terram? Deus cordis mei,& pars mea Deus in æternum. Tu es Domine ſpes mea. Spes mea à juventute mea, pſ. 70. Immò & de ventre Matris meæ; ſpes mea ab uberibus Matris meæ, pſal. 21. Quod ſi Deus, ut Ieremias teſtatur Thren. 3. bonus eſt ſperantibus in eum; quantò melior erit illis, quorum ipſe eſt ſpes tota? & quidem S. Bern. Ieremiam notat de illis, qui ſperant in Deo, numero plurium fuiſſe locutum; at de anima, quæ toto illum affectu quærat, & cujus ipſemet ſit ſpes, numero unius dixiſſe: quia hoc ſingularis eſt puritatis, ſingularis perfectionis, ſingularis charitatis. Itaque jure optimo dicitur, Altiſſimum poſuiſti refugium tuum. Non enim humi ſerpit per res creatas, ſed Deum ipſum in cœleſti beatitudine quærit. Dixi, tu es ſpes mea; portio mea in terra viventium: pſal. 141. Quærit Deum non ſolum ſuprà Cœlum, ſed etiam ſuprà Angelos, Archangelos, & ſuprà omnes Spirituum cœleſtium choros. Quam ob cauſam inquiebat ſponſa, Cant. 8. Fuge dilecte mi, aſſimilare capreæ, hinnuloque Cervorum ſuper montes Bethel: hoc eſt, res omnes creatas fuge, & ſuprà illas omnes Deus ſolus ſpes tua ſit. Bethel domum Dei ſignificat, & montes Bethel ſunt omnes Angelorum chori, ſuprà quos omnes aſcendere vult dilectum ſponſa. Altiſſimum poſuiſti refugium tuum. Aliquibus Deus eſt refugium altum, alijs refugium humile, & baſſum. Refugium altum illis eſt, qui quærunt illum propter ipſum, propter ſuam ipſius bonitatem, propter ſpiritualia, & cœleſtia. Refugium humile, & baſſum eſt illis, qui quærunt ſolum propter res temporales, vel ut moleſtias vitæ hujus fugiant. Noſtrum refugium debet eſſe ipſemet Deus altiſſimus; altiſſimè; hoc eſt propter ſeipſum quæſitus. Namque illud (Altiſſimum) generis eſt maſculini, Deumque ipſum ſignificat quod articulus græcus oſtendit, τὸν ὕψιστον. ſuntque Prophetæ verba juſtum hominem alloquentis: cui dicenti: Tu es Domine ſpes mea; ille ſubjungit, Altiſſimum poſuiſti refugium tuum, hoc eſt Deum poſuiſti refugium tuum. Quo loco S. Aug. [Hoc affectu, „ inquit,colendus eſt Deus,ut ſui cultus ipſe ſit „ merces. Qui enim ita Deum colit, ut aliud „ magis,quàm ipſum Deum promereatur,non „ jam ipſum Deum colit, ſed magis id, quod „ aſſequi concupiſcit.] Eccleſiaſtis c.2. Oculi ſapientis in capite ejus,hoc eſt in Deo. Et David pſ. 24. Oculi mei ſemper ad Dominum. Quoniam ut naturalis vita conſiſtit in unione animæ cum corpore; ſic & divina vita in unione animæ cum Deo. S. Greg. Nazian. in apolog. primo. Cur in Pontum fugerit, Deum primam omnium ſpem appellat. [Ut enim, inquit, de „ Deo, ac re omnium maxima, ſaluteque adeò „ ipſa,primariaque omnium ſpe, certamen habentes & quæ ſequuntur.] Hæc nimirùm Chriſtiani viri profeſſio eſſe debet,hæc hominis ſpiritualis vita, ut ad Deum totus referatur abſq; ullo rerum creatarum contagio. Quod longa oratione Sanctus Greg. Nyſſen. perſequitur in ep. ad Harmonium de profeſſione Chriſtiana.

Deus refugium altum & humile.

Deus prima ſpes.

Et inter

Digitized by Google

Christianiſmus quid. Et inter cætera, Chriſtianiſmi definitionem ait eſſe; [Chriſtianiſmus eſt imitatio divinæ „ naturæ : quippè prima hominis fabricatio „ ad imitationem divinæ ſimilitudinis fuit, ejuſ„ que profeſſio eſt, ut homo ad priſtinam fœli„ citatem reducatur.] Homo ſpiritualis, cujus ſpes eſt Deus, dicit Deo: Deus meus, & omnia. Quidquid extrà Deum eſt, mihi nihil eſt. „ [Quidquid declinandum, ait S. Bern. quid„ quid tolerandum, quidquid optandum, tu es „ Domine ſpes mea. Hæc una mihi omnium „ promiſſionum cauſa, hæc tota ratio meæ ex„ ſpectationis. Prætendat alter meritum; ſuſti„ nêre ſe jactet pondus diei, & æſtus; jejunarè „ bis in ſabbato dicat; poſtremò non eſſe ſicut „ cæteros homines glorietur. Mihi autem ad„ hærêre Deo bonum eſt, ponere in Domino „ Deo ſpem meam. Sperent alij in divitijs ſuis, „ alij in ſua nobilitate, alij in alijs rebus; ego „ Domine hæc omnia arbitratus ſum ut ſter„ cora, quoniam tu es Domine ſpes mea.]

CAPUT VIII.

Vitia ſpei oppoſita.

PORRÒ vitia ſpei oppoſita duo ſunt, inter quæ illa tanquam inter duo extrema verſatur. Aut enim de divina miſericordia, aut meritis noſtris nimiùm confidimus; & eſt præſumptio, temeritas, arrogantia. Aut minùs, quàm par eſt, miſericordiæ Dei tribuimus; & eſt deſperatio. *Spei oppoſita præſumptio, & deſperatio.* Quod quàm grave peccatum ſit, habes apud S. Aug. in libro ſoliloq. c. 23. & libro de natura, & gratia cap. 35. & lib. 50. homiliar. h. 21. Et S. Hier. in ep. ad Ruſticum c. 2. & ad Sabinianum diaconum c. 2. Eam ex ignavia naſci, & contrà ex deſperatione ignaviam, ſcripſit S. Io. Chryſ. ep. 5. ad Theodorum lapſum. Eſſeq; ſummam inſipientiam, ideoq; à Græcis ἄνοιαν dici, quod procùl à mente ſit, in ſer. contrà deſperationem, & ſuperbiam to. 5. Duo in ſcriptura deſperationis inſignia ſunt exempla. Alterum Cain; alterum Iudæ. *Deſperationis exempla.* De quo præſertim S. Aug. in libro de utilitate pœnitentiæ c. 3. ita ſcripſit. [In Iuda „ deſperante, quod factum eſt in corpore, fa„ ctum eſt & in anima. Qui ſibi collum ligant, „ indè ſe occidunt, quia ad eos non intrat ſpi„ ritus aëris: qui deſperant, intùs ſe ſuffocant, „ ut eos Spiritus Sanctus viſitare non poſſit.] Quod etiam repetit in libro 50. homiliarum h. 27.

FINIS LIBRI QUARTI.

DE CHARITATE.

LIBER QVINTVS.

CAPUT I.

Charitas quid.

Charitas, & Amor. SIVE amorem dixeris, ſive dilectionem, ſive charitatem, amatam vocem, dilectam, & charam dixeris. Nihil enim amore dulcius, nihil dilectione ſuavius, nihil charum magis charitate: Dulci ſcilicet, & ſalubri vinculo mentium, ut loquitur S. Auguſt. ſer. 39. & 42. & 44. de tempore. Nec mirabilem minùs, quàm ſuavem prædicavit S. Fulgentius ad initium libri 3. ad Maximum. Rem tamen eandem dixeris. Nam etſi Origenes in prologo ad comment. alterum in Cant. turpem, & obſcœnum corporum amorem conſiderans, ſacram adnotavit ſcripturam, repudiatâ hâc voce, charitatem potiùs, ac dilectionem honeſtiori vocabulo dicere voluiſſe, ut omnem mali tolleret ſuſpicionem: neque amorem eam nominare conſueviſſe, niſi ubi nulla ſuſpicio ſubſit. Sanctus tamen Aug. lib. 14. de Civ. Dei, cap. 7. uſitatiùs quidem ait charitatem nominari, ſed tamen & amorem dici; & S. Dionyſius Areopagita in lib. de div. nom. cap. 4. Timendum nobis amoris nomen non eſſe, optimèque divinis rebus convenire demonſtrat. Quippè corporeus amor non eſt, verus amor; ſed amoris imago, aut magis ab amore vero prolapſio, quare qui rectè, inquit, divina accipiunt pro eodem ponunt à Sanctis Theologis ἀγάπης & ἔρωτος id eſt charitatis, & amoris nomen uſurpatum. Corporeus amor, ſi propriè, & accuratè loqui volueris, non amor, ſed cupiditas, dicendus erit. Et amorem noſtrum S. Io. Chryſ. *Cupiditas.*

h. 26. Ex varijs Matthæi locis, in amorem cordis,& amorem animæ partitus eſt. [Alius eſt,inquit,amor cordis,& alius eſt amor animæ. Amor cordis quodam modo carnalis eſt, nec intelligitur in corde,ſed ſentitur. Amor autem animæ non ſentitur in corde, ſed intelligitur; quia amor animæ indicium eſt.] Uno verbo dixeris, alterum eſſe carnalem, alterum ſpiritalem. S. autem Auguſt. in libro 3. de Doctrina Chriſtiana c. 10. Charitatem, & cupiditatem ſeparavit. [Non præcipit, inquit, ſcriptura niſi charitatem, & culpat niſi cupiditatem; & eo modo informat mores hominum. Charitatem voco motum animi ad fruendum Deo propter ſe ipſum, & ſe atq; proximo propter Deum: cupiditatem autem motum animi ad fruendum ſe, & proximo,& quolibet corpore,non propter Deum.] Et lib.9.de Trinitate c.8.[Amanda eſt creatura: ſed ſi ad Creatorem refertur,ille amor non jam cupiditas, ſed charitas erit. Tunc enim eſt cupiditas, cùm propter ſe amatur creatura, tunc non utentem adjuvat, ſed fruentem corrumpit.][Etenim qui amat homines (ut idem loquitur lib. 8. cap. 6.) aut quia juſti ſunt, aut ut juſti ſint, amare debet. Sic enim & ſe ipſum amare debet,aut quia juſtus eſt, aut ut juſtus ſit. Qui enim aliter diligit, injuſtè diligit;quoniam ad hoc diligit; ut ſit injuſtus; & qui hoc modo diligit, jam non diligit,quia qui diligit iniquitatem,odit animam ſuam. Ea ergò dilectio dicenda eſt, quæ vera eſt, alioquin cupiditas eſt.] Hæc ille. Ergò verus, & propriè amor dictus, non eſt niſi charitas: quæ & generali amoris, & ſpeciali charitatis voce nominatur; germana, ut in libro de charitate ſcripſit Philo, gemellaq; pietatis ſoror. [Quid enim eſt pietas (ait S.Aug.ep.29.ad Hieronymum) niſi Dei cultus? Dei autem amor,& cultus conjuncti, copulatiq; inter ſe ſunt.]Itaque charitas ſpecies eſt amicitiæ,quâ Deum diligimus propter ſe, & proximum propter Deum.

CAPUT. II.

Charitatis vis quanta.

PORRò de charitate, loco notato inquit Origenes,tam multa ſunt,quę dici debeant, quanta & de Deo: ſiquidem ipſe eſt charitas. Eoque nomine, ait S. Greg. Nazian. or. 3. de pace, vehementiùs, quàm alioquovis, delectatur. [Deus charitas eſt (inquit S. Bern. in libro de nat. & dignit.amoris divini c.5.) brevis laus,ſed concludens omnia. Quidquid de Deo dici poteſt,poteſt & de charitate dici. Sic tamen, ut conſiderata ſecundùm naturam doni, & dantis, in dante nomen ſit ſubſtantiæ, in dono qualitatis: ſed per Emphaſim donum etiam charitatis Deus dicatur; in eo, quod ſuper omnes virtutes virtus charitatis Deo cohæreat, & aſſimiletur.] Hinc illud eſt S. Io.Chryſ.ſer. in dictum Pauli; Nolo vos ignorare fratres,&c. [Nihil charitati conferendum, & ſummum dignitatis genus charitas eſt.] Et illud Tertull. in libro de patientia. [Dilectio ſummum fidei ſacramentum, Chriſtiani nominis Theſaurus.] S. Ambr. in caput 13. prioris ep. ad Cor. eſſe religionis caput affirmavit. Et S. Leo ſer. 7. de quadrag. virtutem, & ſapientiam fidei chriſtianæ. Et S. Chryſ. h. 6. in epiſtolam ad Titum; proprium Chriſtianæ religionis inſigne, per quod diſcipuli Chriſti noſcuntur. Et S. Auguſt. tr. 5. in epiſtolam Ioannis, characterem filiorum Dei; [Dilectio, inquit,ſola diſcernit inter filios Dei, & filios Diaboli. Signent ſe omnes ſigno Crucis Chriſti; reſpondeant, Amen; cantent omnes Alleluia; baptizentur omnes;intrent omnes Eccleſiam; faciant parietes baſilicarum: non diſcernuntur filij Dei à filijs Diaboli, niſi charitate.] Et S. Greg. h.24. in Evang. quaſi titulum divinæ poſſeſſionis eſſe dixit ſpiritum amoris. Quam ob cauſam; Rom. 8. ſcripſit Paulus; qui ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus. Plerique virtutum omnium Matrem, ac parentem, ut S. Hier. ep. ad Theophilum, & S. Leo ſer. 7. de Epiphania, & ſer. 10. de quadrag. [Nudæ ſunt omnes ſine charitate virtutes, nec poteſt dici in qualibet morum excellentia fructuoſum, quod non dilectionis partus ediderit.] In eandem ſententiam Io. Caſſianus collat. 7. Abbatis Paſnutij cap. 8. fontem virtutum omnium appellavit; & S. Aug. tr. 7. in epiſtolam Ioannis, eſſe velut fontem, quem in hac eremo, in qua peregrinamur, Deus nobis poſuit, nè ibi periremus. Et S. Greg. lib. 7. regiſtri c. 112. bonorum omnium magiſtram, & S. Ambr. in caput 8. prioris ep. ad Cor. bonorum omnium matrem; & S. Chryſ. h. 47. in Matt. & h. 1. de incomprehenſibili natura Dei, & S. Ambroſ. precatione ſecunda antè miſſam, caput, fundamentum, radicem, fontem,parentem bonorum omnium; ſine qua nullam cætera præſtant utilitatem. Hinc eſt illud apud S. Greg. h. 27. in Evang. [Ut multi arboris rami ex una radice procedunt,ſic multæ virtutes ex una charitate generantur, nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, ſi non manet in radice charitatis.] Propterea S. Hier. lib. 3. in c. 5. epiſtolæ ad Galatas, cùm inter fructus Spiritûs charitatem primo commemoraſſet Paulus loco. [Et quæ alia, inquit, inter fructus Spiritûs debuit tenere primatum, niſi charitas, ſine qua virtutes cæteræ non reputantur eſſe virtutes,& ex qua naſcuntur univerſa,quæ bona ſunt? ſiquidè & in lege, & in Evangelio ipſa obtinet

Deus charitas.

Charitatis bonum.

Digitized by Google

„ obtinet principatum.] Itaq; illi uni noſtrarum omnium actionum pretium, ac meritum totum tribuitur. S. Bern. in apologia ad Guillielmum Abbatem. [Fieri poteſt, inquit, ut tu fruſtrà „ laboraveris: ut autem ego fruſtrà diligam bo„ num, quod operaris, fieri omninò non poteſt. „ O quanta fiducia charitatis! Alius operatur „ non amans, & alius amat nihil operans: ille „ ſuum opus perdit, hujus verò charitas nun„ quam excidit.] Et S. Ambr. lib. 2. de vocatione Gentium c. 3. [Facilè quælibet bona ſine „ charitate poſſunt perire, quæ non poſſunt ſine „ charitate prodeſſe.] Et S. Greg. 3. parte paſtoralis curæ, admonit. 10. [Virtus eſt coram ho„ minibus adverſarios tolerare, ſed virtus coram „ Deo diligere: quia hoc ſolum Deus ſacrifi„ cium accipit, quod in altari boni operis flam„ ma charitatis incendit.] Proptereà Cant. 4. tam ſollicitè de horto Domini fugatur aquilo frigidus, & charitati contrarius ventus. Quod ad cap. 40. Ezechiêlis obſervavit S. Hier. Surge aquilo, & veni auſter, perfla hortum tuum, & fluant aromata illius. [Fugatur, inquit, de horto „ Domini aquilo ventus duriſſimus, nè refrige„ retur dilectionis calor, floreſq; marceſcant.] S. verò Greg. lib. 28. mor. c. ult. optimo conſilio perfectionis vinculum à Paulo appellatam fuiſſe charitatem admonuit. Omnes namque operationes noſtras aſtringit, eaſq; velut vectis firmat, quæ ſine illa diſſolutæ caderent, ac perirent. [Virtutes, inquit, oſtia operationum „ noſtrarum; charitas vectis, quæ eas firmat, „ & aſtringit, ideò vinculum perfectionis „ dicitur. A tentatione namque citiùs quodli„ bet opus evellitur, ſi ſolutum à vinculo chari„ tatis invenitur. Si autem mens Dei, ac pro„ ximi dilectione conſtringitur, cum tentatio„ num motus quælibet injuſta ſuggeſſerint, „ objecta ſe illis ipſa dilectio opponit, ac vecte „ intimi amoris frangit.] Neque dubitavit S. Aug. in libro de motibus Eccleſiæ catholicæ capite 15. hanc unam affirmare eſſe virtutem, quoniam cæteras omnes ab hac una mutuantur, ut ſint virtutes. Sic enim loquitur: [Nihil „ omninò eſt virtus, niſi ſummus amor Dei. „ Nam quod quadripartita dicitur virtus, ex „ ipſius amoris vario affectu dicitur: Tempe„ rantia enim eſt amor integrum ſe præbens „ ei, quod amatur: hoc eſt Deo: Fortitudo amor „ tolerans omnia, propter quod amatur: Iuſti„ tia amor ſoli amato ſerviens, & proptereà re„ ctè dominans: Prudentia amor ea, quibus „ adjuvatur ab eis, à quibus impeditur, ſaga„ citer ſeligens.] Ex quo conficit in c. 33. Si una charitas abſit, inania, ſi adſit, plena eſſe omnia. Sed tamen dum omne charitati tribuitur meritum, non eſt credendum, ſola opera à charitate imperata, æternæ vitæ habere meritum. Habent enim & opera omnia moralia juſti hominis. Quia dùm ab hoc fiunt, atq; ex adoptionis filiorum Dei gratia oriuntur; ſatis ſunt beatitudini, & ſupernaturali fini proportionata, & dùm ſoli charitati tribuitur meritum, homo Deo gratus, & charus, Deiq; filius intelligitur.

Charitas perfectionis vinculum.

[M]eritum [o]mne, ut [ch]aritati [tri]buatur.

Sapienter igitur dixerunt, S. Proſper in libro contrà collatorem cap. 30. charitatem in omnium arce virtutum eſſe, & S. Io. Damaſcenus or. de Domini transfiguratione, virtutum omnium apicem, ac veluti arcem, & S. Ambroſius ad caput 14. ep. ad Rom. quaſi animarum matrem; & S. Auguſt. ſer. 42. de tempore, eam inter virtutes omnes oleo inter liquores cæteros comparari. Et S. Greg. cordis noſtri ſanitatem appellat, ſic enim habet lib. 6. mor. cap. 14. [Corda noſtra malè ſa„ na ſunt, cum nullo Dei amore ſauciantur, cum „ peregrinationis ſuæ ærumnam non ſentiunt; „ cum ergà infirmitatem proximi, nec minimo „ affectu langueſcunt.] Et h. 15. in Ezech. citans illud Cant. 2. Vulnerata charitate ego ſum; [Malè, inquit, eſt ſalus cordis, quæ dolo„ rem hujus vulneris neſcit.] Docuerunt etiam Patres, charitatem eſſe optimam actionum noſtrarum regulam, rectamq; viam, per quam incedamus ad Deum tutiſſimè. Sic enim loquitur S. Ioannes Chryſ. h. 19. in epiſtolam ad Hebræos. [Sicut in via publica contingit, „ ſi quis initium ejus apprehendat, recta duci„ tur, & non habet opus, ut manuducantur: Sic „ etiam in charitate, tantum accipe principium, „ & ſtatim manum tibi præbens ipſa te deducit, „ & dirigit.] Et rurſum in ſer. de charitate, tom. 5. [Charitas via quædam eſt ad virtutem „ proclivior. Nam quemadmodùm qui callem „ fuerit non obliquum ingreſſus, nullo egebit „ ad progreſſum duce, tramite ipſo recta du„ cente: ſic charitas ubi initium dederit ad re„ ctum deferet.] Et quidem via eſt recta, quæ ad cœleſtem patriam, atq; ad Deum videndum ducit. [Non enim clareſcit anima (inquit S. „ Gregorius lib. 18. mor. c. 15.) in fulgore æ„ ternæ pulchritudinis, niſi prius hic arſerit in „ officina charitatis.] Et S. Proſper lib. 3. de vita contemplat. cap. 13. inter plurima, quæ in charitatis commendationem diſſerit; [Verè, „ inquit, ipſa eſt via, quæ ambulantes ducit ad „ patriam. Quia ſicut ſine via pervenit nullus, „ quo tendit; ità ſine charitate non ambulare „ poſſunt homines, ſed errare.] S. verò Bernardus non ſolùm eam dixit, velut viam deducere nos ad patriam, ſed etiam domicilia in ea, & manſiones ſingulis aſſignare. In apologia enim ad Guillielmum Abbatem, cum illa Chriſti verba pronuntiaſſet; In domo patris mei manſiones multæ ſunt: [Sicut, inquit, „ illic multæ manſiones in una domo; ita hic „ multi ordines ſunt in Eccleſia una; & ibi, & „ hic una charitas.] Pſ. 22. Deduxit nos ſuper ſemitas juſtitiæ propter nomen ſuum. Semitæ multæ pluraliter; juſtitia una, ſingulariter.

Charitas via ad cælum.

Digitized by Google

Tob. 13. Plateæ tuæ Hieruſalem ſternentur auro mundo, & per omnes vicos tuos alleluia cantabitur: Plateæ, & vici multi; aurum, & alleluia unum. Eſt & illud apud S. Auguſtinum lib. 15. de Trin. c.18. Nullum eſſe hoc Dei dono excellentius, quod ſolum dividit inter filios regni æterni, & filios perditionis æternæ. Sed in libro de ſpiritu, & anima cap. 16. charitatem non ſolùm vult eſſe viam hominum ad Deum; ſed Dei quoque ad homines. [Per charitatem enim venit Deus ,, ad homines, venit in homines, factus homo. ,, Et per charitatem homines diligunt Deum, ,, eligunt Deum, ad Deum currunt, ad Deum ,, perveniunt.] Ut accommodatè omninò dixerit idem S. Pater in lib. qq. in Gen. q. 70. in nobis impletum fuiſſe illud, quod Gen. 25. legitur, Abrahamum dediſſe Iſaäc cuncta, quæ poſſederat; filijs autem concubinarum largitum fuiſſe munera. Hæc quippè munera, quædam ſunt dona Dei Iudæis, atq; hæreticis data, velut concubinarum filijs, cùm hæreditatis bonum, quod eſt charitas, & vita æterna, non niſi ad Iſaäc pertineat; hoc eſt ad filios promiſſionis. Atq; hæc demùm eſt vera animæ requies, tùm in via, tùm in patria; tùm in præſenti vita, tùm in futura, quam ſperamus. Sanè Gen. 1. die ſeptimo quieviſſe dicitur Deus cum univerſa creaſſet. [Quia (inquit S. Aug. lib. 4. de Gen. ad litteram c. 9.) ,, creaturæ rationali, & homini, quem creavit, ,, in ſe ipſo requiem præbuit poſt ejus perfe- ,, ctionem, per donum Spiritus Sancti, per quem ,, diffunditur charitas in cordibus noſtris: ut il- ,, luc feramur appetitu deſiderij, quò cùm per- ,, venerimus, requieſcamus.] Sic enim dicitur Deus facere, quod nos ipſo operante facimus. Ut Gen. 22. Nunc cognovi, quod timeas Deum, id eſt feci, ut cognoſceretur.

Charitas via.

Charitas hæreditas.

CAPUT III.

Charitas ignis.

INTERIM verò dum hic vivimus, ubi vel etiam juſtus ſepties in die cadit, non ſolùm, ut loquitur S. Hilarius cap. 4. in Matt. [Charitas errorum noſtrorum ambitioſa apud ,, Deum patrona eſt.] Verùm etiam operit multitudinem peccatorum, animamque ab illis purgat, velut ignis omnia devorans. Ita ſanè loquitur S. Io. Chryſ. h. 7. in poſteriorem epiſtolam ad Tim. [Sicut ignis, inquit, ubi ,, ſylvam occupaverit, omnia purgare conſue- ,, vit; ità & charitatis fervor quocunque inci- ,, derit, omnia perimit, atque perrumpit, quæ ,, divinam ſegetem demoliuntur, emundatque ,, humum ſuſcipiendis, atq; fovendis altè ſemi- ,, nibus, & quæ ſequuntur.] S. Greg. h. 33. in Evang. peccata, velut rubiginem animæ, charitatem velut ignem conſiderat rubiginem abſumentem. [Dilectio ignis, culpa rubigo. ,, Remittuntur ei peccata multa, quoniam di- ,, lexit multum. Tantò enim amplius peccati ,, rubigo conſumitur, quantò peccatoris cor ,, magno charitatis igne concrematur.] [Ni- ,, hil enim (inquit S. Aug. lib. de moribus Ec- ,, cleſiæ Catholicæ c. 22.) eſt tam durum, & ,, ferreum, quod non amoris igne vincatur.] Sed & præclarè, & copioſè tractat hunc locum S. Amb. lib. de Iſaäc, & anima c. ultimo, & inter cætera; [Chriſtus, inquit, diligens ,, Moyſen, in igne ei apparuit. Et Ieremias ,, habens in ſe focum divinæ charitatis dice- ,, bat; & erat ignis inflammans in oſſibus meis; ,, & diſſolutus ſum undique, & ferre non poſ- ,, ſum. Bona ergò Charitas habens alas ignis ,, ardentis, quæ volitat per pectora, & corda ,, Sanctorum, & exurit quidquid materiale, ,, atq; terrenum eſt: Quidquid vero ſyncerum ,, eſt probat, & quod contigerit ſuo igne, me- ,, liorat.]

CAPUT IV.

De vi charitatis iterùm.

ITAQUE Eccleſ. c. 9. Omni tempore ſint veſtimenta tua candida; hoc eſt conſcientia munda: quod fiet, ſi oleum de capite tuo non deficiat. Oleum enim in capite interpretatur S. Gregorius lib. 2. mor. cap. 26. charitatem in mente. Et deficit oleum à capite, cùm charitas diſcedit à mente. Itaque Chriſtum adnotavit Origenes h. 9. in Num. cùm charitatem præciperet, novum appellâſſe mandatum, Io. 13. Mandatum novum do vobis; quia charitas nunquam cadit, & cuſtodientes in ſe charitatis mandatum, novos ſemper reddit in ſpiritu. At contrà charitate carêre malum eſſe omnium longè graviſſimum; velut oculo privationem luminis, atque animali ademptionem vitæ; S. Baſilius tradidit in regulis fuſius diſput. 2. [Quod, inquit, eſt oculo lu- ,, men, & animali vita; hoc eſt animæ charitas, ,, quæ illam ſpecioſam, & Deo gratam, ac pla- ,, centem facit.] Velut veſtis nuptialis, cùm qua ad ſponſi, & ſponſæ nuptias venire debemus; ut in prologo in Cant. ſcripſit S. Gregorius. S. Bernardus ſer. 59. in Cant. non dubitavit Deum ipſum affirmare cedere charitati, proferens namque illa Chriſti verba; Iam non dicam vos ſervos, ſed amicos; [Vides, in- ,, quit, amori cedere etiam majeſtatem. Nemi- ,, nem ſuſpicit amor, ſed nec deſpicit quidem. ,, Omnes ex æquo intuetur, qui perfectè ſe ,, amant, & in ſe ipſo celſos, humileſq; contem- ,, perat, nec modò pares, ſed unum eos facit.] Fatetur ſe hac charitate vulneratum ſponſus Cant. 4. Vulneraſti cor meum in uno oculorum tuorum,

Charitas car mandatum novum.

Digitized by Google

rum, & in uno crine colli tui; In uno torque colli tui, legit Theodoretus lib. 3. in Cant. atq; unum illud ornamentum, quod ſponſæ collo circumdatum cæteris antecellit, charitatem eſſe interpretatur. Neque dubitavit S. Bernardus affirmare, charitatem de Deo prorſus triumphare. His enim verbis eſt apud ipſum ſer. 64. in Cant. [Amor dignitatis neſcius, dignatione dives, affectu potens, ſuaſu efficax. Quid violentiùs? triumphat de Deo amor. Quid tamen tàm non violentum? amor eſt.] Et ſer. 83. in hac re ſola poſſe nos ex æquo cum Deo contendere. [Solus eſt amor ex omnibus animæ motibus, ſenſibus, & affectibus, in quo poteſt creatura, etſi non ex æquo, reſpondere auctori, vel de ſimili mutuam rependere vicem. Si mihi iraſcatur Deus, nùm egò illi ſimiliter re iraſcar? parebo, contremiſcam, veniam deprecabor. Si me arguat, non redarguetur à me, ſed ex me potiùs juſtificabitur; nec ſi me judicabit, judicabo ego eum, ſed adorabo. Si dominatur, me oportet ſervire; ſi imperat, me oportet parêre. At cùm Deus amat, non aliud vult, quàm amari: quippè non ad aliud amat, niſi ut ametur, ſciens ipſo amore beatos, qui ſe amaverint.] Magna prorſùs eſt vis charitatis. Omnia vincit, omnia ſpernit: [Nihil eſt (inquit S. Chryſ. h. 9. in ep. ad Rom.) quod non vincat amor. Cùm autem & Dei amor extiterit, tùm demùm omnia infrà ſe poſita habet, quo amore quiſquis incenſus fuerit; huic neque ignis, neque ferrum, neque paupertas, neque morbus, ac nè ipſa quidem mors, aut quidvis aliud id genus grave, moleſtumq; videbitur.] Confirmant hoc Sancti Chriſti martyres. Nec modò ad perferendum fortem, atq; invictum facit, ſed etiam ad contemnendum, perindè ac ſi ſolus in mundo eſſet. [Qui enim amore Chriſti captus fuerit (verba ſunt ejuſdem S. Chryſoſtomi h. 52. in Acta) talis fit, qualis eſſet homo ſolus ſuper terram habitans, adeò nihil curæ eſt illi gloria, & ignominia. Tentationes autem ſic contemnit, & flagella, & carceres, quaſi in alieno corpore pateretur, vel quemadmodùm ſi adamantinum poſſideret corpus. Ea verò, quæ ſuavia ſunt in hac vita, ita ridet, & non ſentit, ſicut nos vel ipſi mortui mortua corpora. Tantùm autem abeſt, nè ab affectione quapiam capiatur, quantùm aurum, quod igne probatur à macula abſcedit. Et ſicut muſcæ in modicum flammæ non incidunt, ſed fugiunt, ita & affectiones illis accedere non audent.] Et rurſùm h. de profectu Evangelij, tom. 4. eò rem deducit, ut charitas inſanum hominem, & mente captum faciat: quod & ſenſualis, & malus amor facit. [Anima, inquit, quæ divino amore, ac deſiderio verè corripitur, ad nihil hujus vitæ ſe convertit; ſed ſicut mente moti contemnunt ignem, & ferrum, & feras, & pelagus, & omnia; ita pij furore quodam maximè ſpirituali, & honeſtiſſimo inſaniunt, deridentque omnia, quæ vident.]

CAPUT V.

Charitas fortis ut mors.

ITAQUE Cant. 8. dicta eſt fortis ut mors dilectio. Cujus rei plures à Sanctis Patribus explicatæ rationes fuerunt. Illa fuit S. Bernardi in modo benè vivendi c. 5. [Quia, ſicut mors violenter ſeparat animam à corpore; ita dilectio Dei violenter ſeparat hominem à mundo, & carnali amore.] Quæ fuit, etiam S. Gregorij lib. 10. mor. c. 12. [Quia mentem, quam ſemel cœperit, à dilectione mundi funditùs occidit: Et tantò hanc valentiùs in auctoritatem erigit; quantò & inſenſibilem contrà terrores reddit.] Ac rurſùm h. 11. in Evang. [Quia ut mors corpus interimit; ſic ab amore rerum corporalium æternæ vitæ charitas occidit, & ad terrena deſideria inſenſibilem reddit.] Illa verò S. Ambroſij ſer. 15. in pſ. 118. [Quia culpam, & omnia peccata mortificat, & ſicut mortis ictus interimit. Morimur flagitijs, àtque peccato, dùm Domini mandata diligimus.] Quam ob cauſam S. Auguſt. tr. 65. in Io. appellatam à Chriſto fuiſſe tradit mandatum novum, quamvis in veteri quoque lege præcepta jam pridem fuiſſet, quia novum hominem facit. *Charitas cur mandatum novum.* [An ideò, inquit, eſt mandatum novum, quia exuto vetere induit nos hominem novum?] Porrò is fortem ut mortem dilectionem interpretatur; [Quia hac dilectione fit ut in iſto adhuc corruptibili corpore conſtituti, moriamur huic ſæculo, & vita noſtra abſcondatur cum Chriſto in Deo. Si enim mors eſt, quando de corpore anima exit; quomodo non eſt mors, quando de mundo amor noſter exit?] [Sanè magnificentiùs (ut idem loquitur in com. pſ. 121.) exprimi non potuit fortitudo charitatis, quàm ut diceret, valida eſt ſicut mors dilectio; quis enim reſiſtit morti? Et quia ipſa charitas occidit, quod fuimus, ut ſimus, quod non eramus; facit in nobis quamdam mortem dilectio.] Et iterùm in pſ. 47. fortem dicit ut mortem; [Quoniam ùt morti, quando venit, reſiſti non poteſt; quibuſlibet artibus, & medicamentis occurras. Sic contrà vim charitatis mundus nihil poteſt. Sed ſimilitudo è contrario data eſt. Mors violentiſſima ad auferendum; charitas violentiſſima ad ſalvandum &c.] Cæterùm in ep. 29. ad Hier. paucis omninò verbis tres rationes colligit. [Fortis, inquit, eſt ut mors dilectio, ſivè quod nemo eam vincit, ſicut mortem, ſivè quia in

„ hac vita uſque ad mortem eſt menſura cha-
„ ritatis; Io. 15. Majorem charitatem nemo
„ habet, quàm ut animam ſuam ponat quis
„ pro amicis ſuis: ſivè potiùs quia ſicut mors
„ animam avellit à ſenſibus carnis, ſic charitas
„ à concupiſcentijs carnalibus.] Quocircà lib. 13. conf. cap. 7. & 8. Spiritum, qui ferebatur ſuper aquas, Gen. 1. Charitatem is interpretatur, quæ diffuſa in cordibus noſtris, eripit de aquis, & tempeſtatibus mundi huius. Charitatemque vult eſſe velùt levitatem in elementis, quâ ſurſùm anima ad cœleſtia levetur. Sic enim ait c. 9. [Omnia ponderibus
„ ſuis aguntur, loca ſua petunt, ut quieſcant;
„ Pondus meum, amor meus; eò feror, quo-
„ cunque feror. Dono tuo accendimur, & ſur-
„ ſùm ferimur.]

Charitas Spiritus, qui ferebatur ſuper aquas.

CAPUT VI.

Charitas præſtantior ſignis.

ETENIM S. Io. Chryſ. h. 71. in Ioannem plus omninò charitati tribuit, quàm miraculis; tùm ad Sanctitatis noſtræ teſtimonium, tùm ad aliorum converſionem; ad hunc enim loquitur modum: [Charitas majus eſt ſancti-
„ tatis indicium, quàm miracula; charitas magis
„ convertit mundum, quàm miracula. Nihil
„ magis perturbat Gentiles, quàm quòd nulla
„ eſt charitas. Gentiles non ita ſignis adducun-
„ tur ut vitâ, quam nihil adeò ut dilectio com-
„ mendat. Qui enim miracula faciunt, non
„ numquàm deceptores ab illis appellantur:
„ vitæ puritas non niſi bonum arguit &c.] Immò verò, ſi fides donum dicitur habêre miraculorum, ut dixit Paulus; Si habuero fidem ita ut montes transferam; eam S. Ambroſius ep. 44. ad Horontianum, ſinè charitate affirmat eſſe non poſſe. [Non mihi videtur,
„ inquit, qui habeat omnem fidem ita, ut
„ montes transferat, charitatem non habêre:
„ quomodo & illud; ſi habuerit omnia myſte-
„ ria, & omnem ſcientiam, quomodo non ha-
„ beat charitatem?] Omnem enim fidem perfectam fidem dicit, fidem vivam, charitateque formatam. Nam ſi ſola ſumatur, ſeparari eam poſſe à charitate, in peccatoribus fidelibus manifeſtum eſt; ſin autem, ut juſtificat, & ad gratiam, atque adoptionem filiorum Dei extendit, charitatem planè includit. Nam & eodem modo de arbore loquimur: quæ ſi ſola ſumatur, fructus nequaquàm includit; ſi ampliore acceptione, includit. Et ut diceres; ſi arborem habeas, & fructus non habeas, nihil tibi prodeſt: ſic ait Apoſtolus, ſi fidem habeas, & charitatem non habeas, nihil tibi prodeſt. Hæc enim fructus eſt fidei, qui nos juſtificat, & ſalvat. Ambroſius autem fidem perfectam, & gratiâ, juſtitiâq; formatam accipit; atq; Apoſtolum propoſiti gratiâ loquutum interpretatur, hoc eſt velut hypotheſim, & conditionem proponendo, quæ alioqui eſt impoſſibilis; Si habuero, inquit, omnem fidem; quaſi diceret; ſi per impoſſibile fides plena, & perfecta ſeparari poſſet à charitate; nihil prodeſſet ad juſtitiam, & ſalutem. Simili namque modo loquitur; Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt; quod S. Ioan. Chryſ. & alij de martyrio interpretantur; ut ſit hypotheſis, & conditio impoſſibilis; hoc eſt ſi per impoſſibile martyrium ſeparari à charitate poſſet, nihil mihi prodeſſet. Hunc eſſe Ambroſij ſenſum illa teſtantur verba, quibus loqui ſe ait de fide quæ per charitatem operatur. Et illa: [Credendo unuſquiſq; diligere inci-
„ pit; & Abraham credidit, & ſic diligere cœpit;
„ fides excitat ad diligendum: & niſi credit om-
„ nia, non eſt perfecta charitas.] [Fides enim
„ (ut idem ipſe loquitur) prævia charitatis oc-
„ cupat animam, & præparat ſemitas venturæ
„ dilectioni. Sic omnis fides eſt, ubi perfectio
„ charitatis. Et ideò major charitas, quia ſpem,
„ fidemq; complectitur.] Sanè fides, quæ montes transfert, etſi à charitate; ut teſtatur Apoſtolus ſeparari queat, vix tamen ſeparata, fuiſſe creditur, nec ab ullo, qui charitate careret, montes tranſlatos legimus. Omnem igitur fidem interpretatur Ambroſius fidem charitate perfectam, quæ ipſam facit omnia credere. Quippè ut fides inchoat charitatem, ſic viciſſim charitas perficit fidem ut perfectiùs credat. Ioannes quoque in 1. epiſtola cap. 5. dixit; omnis qui credit. Quoniam Ieſus eſt Chriſtus ex Deo natus, & ideò juſtus, & Sanctus eſt; & S. Auguſtinus exponit de fide viva, & charitate formata. Et Paulus non ſemel fidem affirmavit juſtificare; ſub fide quaſi radice, & arbore gratiam, & charitatem velut fructum intelligens. Uno verbo concludam ferè cum eodem Ambroſio lib. 2. offic. cap. 7. [Nihil tam
„ utile, quàm diligere, & diligi: nihil tam inu-
„ tile, quàm non amare, nec amari: odio au-
„ tem habêre, & habêri, exitiale & nimis capi-
„ tale.] [Si una charitas abſit (ſcribit S. Aug. de
„ moribus Eccleſiæ catholicæ c. 33.) inania; ſi
„ adſit, plena ſunt omnia.]

1. Cor. 13.

CAPUT VII.

Charitas cibus, potus, jugum.

Cibus.

DULCIS animæ cibus charitas, dulcis potus, jugum ſuave. [Verè dulcis, & ſuavis
„ cibus charitas (ait S. Bern. in tract. de gra-
„ dibus humilitatis) quæ feſſos alleviat, debi-
„ les roborat, mœſtos lætificat. Jugum verita-
„ tis facit ſuave, & onus leve. Bonus cibus
„ charitas, quæ media in ferculo Salomonis

conſiſtens,

Digitized by Google

„ conſiſtens, diverſarum odore virtutum, velut „ diverſi generis fragrantia pigmentorum, eſurientes reficit, jucundat reficientes. Ibi ſiquidem apponitur pax, patientia, benignitas, „ longanimitas, gaudium in Spiritu Sancto.] Apud S. Aug. reperias libro 2. qq. Evangelicarum q. 22. charitatem eſſe panem, & tam neceſſarium, ut ſinè illa cætera nihil ſint. [Sinè pane cæteri cibi non eduntur, & ſinè pane „ inops eſt menſa.] Ita & nos, operaq; noſtra ſinè charitate, quod & ſuperiùs diximus. Quarè cùm Luc. 11. piſcem, ovum, & panem Dominus nominaſſet; idem ipſe Auguſt. epiſt. 121. ad Probam c. 8. [Fides, inquit, ſignificatur in piſce; vel propter aquam baptiſmi, „ vel quod in hujus ſæculi fluctibus integra „ eſt. Spes ſignificatur in ovo; quia vita pulli „ non eſt, ſed futura eſt, & ſperatur. Charitas „ in pane; quia in cibis vincit cætera panis.]

Potus. De potu autem S. Bernardus ſerm. 4. ſuper „ Salve Regina; [Vinum amoris Dei inebriat „ ad contemptum mundi; calefacit, quia ferventes facit; acuit, quia erudit: audaces facit „ contrà adverſa, fortes contrà carnem, mundum, & Diabolum; obliviosos eorum, quæ „ retrò ſunt; diſcretos, erudiens ad juſtitiam; „ ſomnolentos ad temporalia, & ad ſpiritualia „ pronos, & promptos.] Ita quæcunque vinum in corpore operatur, operatur & in anima noſtra charitas. Quin etiam Deum ipſum, divinamque Trinitatem hoc cibo vivere, ac ſuſtentari hic idem Sanctus vir affirmavit in tractatu de diligendo Deo: adferens namque illud ex pſal. 18. Lex Domini immaculata, convertens animas; [Lex, inquit, Domini dicitur, ſivè quòd ipſe ex ea vivat, ſivè quòd „ eam nullus ſinè ejus dono poſſideat. Deum „ autem etiam dixi vivere ex lege; non alia, „ quàm charitate. Quid enim in ſumma, & „ beata illa Trinitate ſummam, & ineffabilem „ conſervat unitatem, niſi charitas; lex eſt ergò, & lex Domini charitas, quæ Trinitatem „ in unitate quodam modo cohibet, & colligat in vinculo pacis.]

Iugum. Deniquè charitas, inquit idem in lib. de natura, & dignitate amoris divini c. 5. eſt jugum Domini ſuave, & onus leve. [Onus quod „ portantem portat, & levigat onus leve „ Evangelij, ſuave eis, quibus dicitur; jam non „ dicam vos ſervos, ſed amicos meos. Qui enim priùs portare non poterant præcepta „ legis, poſteà levia ſunt præcepta Evangelij. Qui non poterat implère; Non occides; „ poſteà leve habet pro fratribus animam „ ponere. Sic avicula, quæ implumis, & „ ſine alis ſe ipſam non poteſt portare „ pondere plumarum, & alarum áddito advolat ſinè labore.] Et S. Aug. lib. 2. qq. Evangel. q. 33. [Ut cupiditas nihil ſinè anguſtia; ita nihil cum anguſtia charitas tenet.] Atque hùc demùm ſpectat illud, quod de Iacob Patriarcha legimus, Gen. 29. qui cùm pro amata Rachele ſeptem annis ſerviſſet, tam illi levis, ac ſuavis fuit labor, ut pauci viderentur dies præ amoris magnitudine. [Quando enim (ratiocinatur S. Io. Chryſ. h. 55. „ in Gen.) ſauciatur quis charitatis deſiderio, „ nihil difficile ſpectat, ſed id, quod fuerit „ plenum periculis, & multâ miſeriâ leviter „ fert; ad unum hoc videns, quomodò ſuo potiatur voto, & deſiderio.] Iureq; optimo dolet, quod ſi ille pro puella ſuſtinuit tanta, nos pro Deo nihil tolerare velimus: ſi propter lucrum temporale omnia toleramus, quid pro ſalute animæ tolerare oporteat? Adſertque illud Pauli; Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti; &c. & ea quæ ipſe pro Chriſto pertuliſſe ſe commemorat 2. Cor. 11. Ter virgis cæſus ſum, &c.

CAPUT VIII.

Charitas bipartita.

CÆTERUM bipartita charitas eſt. Sic enim habes, Matt. 22. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua: & proximum tuum ſicut te ipſum. In his duobus mandatis univerſa lex pendet & prophetæ. Nam etſi, ut eſt apud S. Baſilium in regulis fus. diſp. 2. una tantùm ſit virtus; ejuſmodi tamen vim habet ut cætera mandata omnia conficiat, atque comprehendat. Qui enim diligit me, inquit, mandata mea ſervabit; quoniam qui amat, amatum non lædit, nec offendit; quarè ſi Deum, & proximum amat, nec in Deum, nec in proximum peccabit. Totam ergò legem implebit. Et omninò ſapienter S. Io. Apoſtolus, ut refert S. Hieronymus ad caput 6. epiſtolæ ad Galatas, diſcipulis ſuis ſemper inculcabat illud; filioli diligite alterutrum. Quia præceptum Domini eſt, & ſi ſolum fiat, ſufficit. Origenes autem verbum breviatum, quod dixit Paulus, & velut univerſæ legis compendium appellavit lib. 7. in epiſtolam ad Rom. [Verbum, inquit, breviatum, duo præcepta charitatis, quibus tota lex, & prophetæ continentur.] *Charitas verbum breviatum. Rom. 9.*

Sanè ſe ipſum quoquè debet quiſq; diligere. Sed optimè S. Aug. reſpondet in ep. 52. ad Macedonium. [Homo diligere debet Deum, „ & ſe ipſum, & proximum. Nec tamen ex „ hoc data ſunt tria præcepta: ſed neque dictum in his tribus; ſed in his duobus præceptis tota lex pendet, & prophetæ. Ut intelligeretur, nullam eſſe aliam dilectionem, quâ „ quiſq; diligit ſeipſum, niſi quâ diligit Deum, „ qui enim aliter ſe diligit, potiùs ſe odiſſe dicendus eſt. Quia ergò nemo niſi Deum *Dilectio ſui.*

,, diligendo, diligit ſe ipſum; non opus erat, ut
,, dato de Dei dilectione præcepto, ſe ipſum
,, homo diligere juberetur, cùm in eo diligat
,, ſeipſum, quod diligit Deum. Hoc qui eligit,
,, prudens eſt; qui nullâ hinc affectione averti-
,, tur, fortis eſt; qui nullâ aliâ delectatione, tem-
,, perans eſt; qui nullâ elatione, juſtus eſt.] Et
,, rurſùm ep. 121. ad Probam. c. 7. [In eo noſ-
,, metipſos diligimus, ſi Deum diligimus: Ut
,, ex alio præcepto proximos noſtros, ſicùt nos
,, ipſos, ità verè diligimus, ſi eos ad Dei ſimi-
,, lem dilectionem, quantùm in nobis eſt, per-
,, ducamus.] Itaque cùm in libro primo de do-
Frui, & uti. ctrina Chriſtiana c. 4. docuiſſet, quid inter frui
interſit, & uti; nempè frui eſſe amore alicui rei
inhærêre propter ſe ipſam: uti autem, quod in
uſum venerit, ad id, quod amas, obtinendum re-
ferre. Mox c. 22. ſubjungit: [Homo nec ſe ip-
,, ſum, nec proximum diligere debet propter
,, ſe, ſed propter Deum; nec illo frui, ſed uti.]
Et cap. 26. dilectionem ſui addit ſub dilectione
proximi contineri, cùm dicitur; Diliges pro-
ximum tuum ſicut te ipſum. [Omnis enim ho-
,, mo, inquantùm homo eſt, diligendus eſt
,, propter Deum; Deus verò propter ſe ipſum.
,, Etſi Deus omni homine ampliùs diligen-
,, dus eſt, ampliùs quiſque debet eum dili-
,, gere, quàm ſe ipſum.] Ac demùm c. 30.
Angelorum dilectio. Proximi nomine oſtendit homines omnes, &
verò Angelos ſignificari, atq; hoc de proximi
dilectione præcepto Angelos quoq; contineri.
Cùm autem duo ſint præcepta charitatis, Dei,
& proximi; ſæpè ſcriptura ſacra (inquit idem
S. Pater lib. 8. de Trinit. c. 7.) unum pro
utroque ponit; ſivè tantùm Dei, ſivè tantùm
proximi; quia qui diligit Deum, facit, quod
præcipit Deus, is autem præcipit dilectionem
proximi. Et contrà qui diligit proximum,
ipſam præcipuè dilectionem diligit, quæ De-
us eſt.

Charitatis duo præcepta. Iam verò de hoc duplici præcepto ità lo-
quitur S. Cyprianus ſer. de Chriſti baptiſmo.
,, [Præcipis mihi Domine Deus, ut diligam te:
,, hoc & poſſum, & debeo. Et de proximo
,, jubes, ut ad meam eum menſuram comple-
,, ctar. Gratias tibi ago clementiſſime Deus;
,, quia quod quæris à me, priùs ipſe donâſti:
,, & quomodò tu me dilexeris, ſi linguis homi-
,, num, & Angelorum loquar, nec dignè poſ-
,, ſum eloqui, nec univerſa complecti, quæ mi-
,, hi gratiæ tuæ contulit amplitudo.] S. Aug.
Peccati jugum, & charitatis. lib. 5. hypogn. verè peccatum dixit eſſe grave
jugum ſuper filios hominum; & quidem ju-
gum, quia ex duobus venit, Adam, & Eva; &
duorum maris, & fœminæ colla conterit, ſed &
illud veriſſimè; charitatem eſſe jugum Chriſti
ſuave, amorem Dei, & proximi. Et ſer. 32. de
tempore, voluit hæc duo præcepta eſſe velùt
bimatum infantium, olim pro Chriſto occi-
ſorum. Duo juſtitiæ officia libuit appellare
Lactantio in epitome c. 3. [Primum enim, ait,
,, Deum cognoſcere ut parentem, eumq; me-
,, tuere, ut Dominum, diligere ut patrem; ſe-
,, cundum juſtitiæ officium eſt, hominem a-
,, gnoſcere, ut fratrem.] Sponſa verò Cant. 1.
,, bis pulchra nominatur, propter geminam
hanc pulchritudinem dilectionis Dei, & proxi-
mi; quemadmodùm eo loco S. Greg. ſenſit.
Atq; hæc duo ubera ſponſi, quibus ſponſam la-
cte pietatis nutrit, & inter tentationes fovet,
aut ut perſiſtat reficit; ut habet eodem loco, &
c. 4. idem S. Greg. Sed S. Bernar. in modo benè
vivendi c. 5. Ubera ſponſæ maluit dicere chari-
tatem hanc geminam, & unguenta virtutes,
quæ ex charitate naſcuntur. Duas columnas,
quibus eccleſia nititur tota, interpretatus eſt S.
Greg. Nyſſenus h. 14. in Cant. exponens illud;
Crura ejus columnæ marmoreæ. Vel duo cru-
ra, quibus Dei verbum in animabus fidelium
incedit; Theodoretus lib. 3. in Cant. Fuerint
etiam duo pedes, quibus ad cœleſtem patriam
pergimus: Quemadmodùm Sancto Leoni li-
buit ratiocinari in ſer. de martyribus; qui San-
cto quoque Auguſtino tribuitur, 47. de San-
ctis. Undè in pſal. 33. conc. 2. idem Auguſt.
,, [Charitas Dei, & proximi duo pedes animæ.
,, Duos pedes habes, noli eſſe claudus: iſtis pe-
,, dibus curre ad Deum;] Hic, & alibi ſæpiùs
inculcat. Duæ alæ, quibus à terrenis evehi-
mur, atque ad Deum volamus; ut voluit S.
Io. Chryſ. in pſ. 90. & S. Auguſt. lib. 4. de con-
ſenſu Evangel. c. 10. & S. Proſper in pſ. 103. &
134: & S. Bern. c. 13. libelli notati; [Ala, in-
,, quit, dextera eſt dilectio Dei; ſiniſtra dilectio
,, proximi: nullus hominum cum una ala vola-
,, re poterit in cœlum.] Hùc etiam adfert S.
Greg. lib. 7. regiſtri c. 3. verba pſalmi. 67. Pen-
næ columbæ deargentatæ. [Pennæ quippè,
,, inquit, ſunt charitas Dei, & proximi. Per ip-
,, ſas enim Sancta Eccleſia evolat; per ipſas ter-
,, rena omnia tranſcendit.] & S. Auguſt. in
pſal. 103. [Qui diligit Deum, & proximum,
,, animam habet pennatam liberis alis ſancto
,, amore volantem ad Dominum. Qui implica-
,, tur amore carnali, viſcum habet in pennis.] Et
in pſ. 138. [Cupiditas viſcus pennarum noſtra-
,, rum, quo elidimur de libertate aëris captiva-
,, ti in aucupis poteſtatem, &c.] Contrà cha-
ritas, ut idem habet in pſ. 62. gluten eſt, quo
anima agglutinatur Deo. Nam & David
pſallebat: Agglutinata eſt anima mea poſt
te. Nec modò Deo, ſed & proximo; quare lib.
12. contrà Fauſtum c. 12. Bitumen, quo arca
intùs, & foris erat linita, dilectionis ardorem
fuiſſe vult. Eſt enim ferventiſſimum, & vio-
lentiſſimum gluten, vi magna ſocietatem
omnem ſpiritalem tenens. In ornamento
quoque veteris tabernaculi coccus bis tinctus
offerri præcipiebatur, Ex. 35. [Ut antè Dei
oculos (inquit Sanctus Greg. h. 17. in Evang.)
cha-

Digitized by Google

„ charitas noſtra Dei, & proximi amore colo„ retur. Tunc enim coccus bis tingitur, quando „ ergà ſe, & proximum ex amore veritatis ani„ mus inflammatur.] Sed & in veſte Pontificis Ex. 28. coccus bis tinctus ponendus erat; ut duplici charitate Sacerdos ornaretur, quod adnotavit idem S. Greg. lib. 6. in primum

Ezech 40. Reg. c. 3. & h. 16. in Ezechielem. Et civitatis, quam hic Propheta vidit in monte conſtitutam, portæ veſtibulum duobus menſurabatur cubitis. [Quia (ut eſt apud S. Greg. h. 38. „ in Evang.) acceſſus cœleſtis civitatis non „ panditur, ſi in hac Eccleſia, quæ illius veſti„ bulum eſt, Dei, & proximi dilectio non te„ netur.] Quo ipſo loco charitatem inculcans

Charitas veſtis nuptialis. nuptialem eſſe veſtem, quam conditor noſter habuit, dùm ad aſſociandæ ſibi Eccleſiæ nuptias venit; juxtà illud Io. 3. Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret: Eum addit ſine veſte nuptiali eſſe in Eccleſia, qui fidem habet, & charitatem non habet. Et ſicut in duobus lignis, ſuperiore, & inferiore, veſtis texitur, ita in duobus præceptis charitatem habêri, dilectione Dei, & proximi. Illud quoq; quod Cant. 1. loquitur Sponſa; tigna domorum noſtrarum cedrina laquearia noſtra cypreſſina; duplicem hanc eandem charitatem, quâ Eccleſiæ domus eſt colligata, ſignificari voluit. Sic enim habet in com. [Ligna dile„ ctionem Dei ſignificant, laquearia proximi.] Quæ cedrina dicuntur, & cypreſſina, quia ſicut hæc ligna incorruptibilia ſunt, ità charitas nunquam excidit. Samaritanæ quidem certè mulieri dixit Dominus, Io. 4. Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum; ſed fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Sed duos fontes agnovit S. Io. Damaſcenus in ep. de Triſagio; charitatem ergà Deum velut fontem primum, & charitatem ergà proximum velut ſecundum fontem, ac primi ſignum, ſanè charitatem eſſe Spiritus Sancti donum, manifeſtum eſt. Sed Chriſtus bis de-

Apoſtolis cur Spiritus Sanctus bis datus. dit Apoſtolis Spiritum S. & in terra adhuc vivens, cùm in eos inſufflavit, & dixit, Accipite Spiritum S. & rurſum è cœlo mittens eum in die Pentecoſtes. [Quia (ut loquitur S. „ Gregor. h. 26. in Evang.) duo ſunt præcep„ ta charitatis. In terra datur, ut diligatur proxi„ mus; è cœlo, ut diligatur Deus. Et ut una „ eſt charitas, & duo præcepta; ita unus eſt „ ſpiritus, & duo data.]

Duo etiam viduæ minuta, duosq; nummos pro vulnerati Samaritani ſanitate datos, duos dies Samaritanis tributos, binoſque ad prædicandum miſſos Apoſtolos, commemorare licet. Namque S. Aug. tract. 17. in Ioannem proferens illa verba; In his duobus præceptis tota lex pendet, & prophetæ; proptereà meritò inquit; & illa vidua omnes facultates ſuas, duo minuta miſit in dona Dei: [Meritò, „ & pro illo languido à latronibus ſauciato ſta„ bularius duos nummos accepit undè ſanare„ tur: meritò apud Samaritanos biduum fecit „ Ieſus, ut eos charitate firmaret.] Et S. Greg. h. 17. in Evang. [Binos ad prædicationem di„ ſcipulos mittit, quia duo ſunt præcepta cha„ ritatis.]

CAPUT IX.

De charitate Dei.

AT ſeorſim jam aliquid de utrâque dicendum eſt. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua. Ità ſanè præcipit Deus; jureque optimo miratur S. Ambroſius libro 3. exam. c. 17. quod in mundi molitione ſtatim atque Deus dixit, univerſa paruerit, vel etiam ſenſu carens creatura. Solus homo mente præditus tam ſuavi, atque utili præcepto non pareat. [Germinet, inquit, terra, & ſtatim „ omni germine terra completa eſt. Et homi„ ni dicitur, dilige Dominum Deum tuum, *Mat. 22.*
„ & non eſt charitas Dei omnium infuſa viſ„ ceribus. Surdiora corda hominum ſunt, quàm „ dura ſaxorum. Terra indebitos fructus nobis „ miniſtrat, dum obſecundat auctori: nos „ debitum munus negamus, dum non venera„ mur auctorem.] Et tamen, ait S. Baſilius in reg. fusè diſp. 2. [Inſita nobis eſt à natura *Dei charitas inſita à natura.*
„ charitas in Deum; ſicut aut luce gaudêre, aut „ vitam diligere, aut eos charos habêre, à qui„ bus geniti educativè ſumus, à nullo didici„ mus.] Et in eandem ſententiam S. Petrus Chryſologus ſer. 55. [Ideò, inquit, te Deus „ patrem fecit; ideò à te voluit hominem pro„ creari; qui utique, quod te de terra fecerat, „ poterat feciſſe quàm plurimos: ſed egit, ut „ generando ſcires, quanta eſſet generantis „ affectio, & in te amorem tui tantum pro„ bares auctoris, quantum ipſe auctor pignoris „ tuo pignori conaris impendere.] Adde, & nihil eſſe in rebus, ut loquitur S. Ber. in parvis ſermonibus ſer. 18. quod poſſit replêre creaturam ad imaginem Dei factam, niſi charitas Deus, qui ſolus major eſt illâ. [O tortuoſas „ vias (inquit S. Aug. lib. 6. confeſſ. c. 16.) „ vah animæ audaci, quæ ſperavit, ſi à te re„ ceſſiſſet, ſe aliquid melius habituram. Verſa, „ & reverſa in tergum, & in latera, & in ven„ trem, & dura ſunt omnia; & tu ſolus requiès.] Et lib. 10. cap. 6. [Et Cœlum, & terra, & om„ nia, quæ in eis ſunt, ecce undique mihi di„ cunt, ut te amem, nec ceſſant dicere omni„ bus, ut ſint inexcuſabiles.] Et alibi. [Feciſti „ nos Domine ad te, & inquietum eſt cor no„ ſtrum, donec requieſcat in te.] Sed neſcio quo inexplicabili modo inquit S. Anſelmus ad caput 3. poſterioris ep. ad Tim. [Quiſquis

ſe ip-

Digitized by Google

ſe ipſum, non Deum, amat, non ſe amat. Et quiſquis Deum, non ſe ipſum, amat, ipſe ſe amat. Qui enim non poteſt vivere de ſe, moritur utique amando ſe.]

CAPUT X.

Cur Deus amandus.

Amoris Cauſæ tres. VERUM quibuſnam modis ad Deum amandum excitabimur? [Tria ſunt, inquit S. Chryſ. in pſ. 41. quæ amorem apud nos efficere ſolent: forma corporis, magnitudo beneficij, & quod ab eo amemur.] In Deo autem hæc omnia tanta ſunt, & tàm inſignia, ut nulla omninò ratio explicare poſſit. Quod longâ is oratione perſequitur. Et rurſum h. 22. ad populum. [Nos propter hæc tria quemque diligimus; vel propter pulchritudinem, vel propter beneficium, vel ſi quis nos amet.] De divina pulchritudine, quid attinet
2 dicere? Beneficia verò quis commemoret? Teneri amicitias utilitate maximè videmus, dixit idem h. 34. in priorem epiſt. ad Cor. & ideò cum quæſiſſet S. Baſilius in regulis brev. 212. quomodò acquiratur charitas ergà Deum; reſpondit ex conſideratione beneficiorum illius. Quod quidem naturaliter ineſſe brutis animalibus videmus. Nam canes eos diligunt, qui ſibi panem ſubminiſtrant. Undè Iſ. 1. Filios enutrivi, & exaltavi, ipſi autem ſpreverunt me. Cognovit bos poſſeſſorem ſuum, & Aſinus præſepe, &c. Et or. 1. de amore in Deum, & proximum; [Si naturâ duce eos amamus, qui nos beneficijs cumulant; quantò magis Deum, cujus beneficia tanta ſunt, ut nulla unquam oratio ea pro dignitate complecti queat; quorumq; tantus eſt numerus, ut numerando percenſeri non poſſint. Denique talia, & tanta; ut etiam vel unum eorum ſatis eſſe poſſit ad obſtringendos nos &c. contentus, ſi ſolum amore ipſum ob ea, quæ in nos contulit, ex animo complexi fuerimus.] Et ſtatim ſubjungit. [Dæmon capitalis noſter hoſtis ſolet noſtram Domino exprobare negligentiam, & ſuper inobedientia noſtra ſuperbè gloriari. Quod cùm neque finxerit nos; nec mortem pro nobis oppetierit; habet nos tamen, & inobedientiæ ſuæ, & negligentiæ, quâ in præceptis Dei tenendis ſumus, imitatores ſedulos.] S. verò Bernardus in tract. de diligendo Deo, beneficiorum horum conſideratione ſuperatus; atque confuſus, in ea prorupit verba. [Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Urget me ratio, & juſtitia naturalis, totum me tradere illi, à quo me totum habêre, & ex me toto debêre diligere. Fides verò tantò plùs indicit amandum, quantò & eum me ipſo pluris æſtimandum intelligo: quippè illum non ſolùm mei, ſed ſui quoquè ipſius teneo largitorem. Quod ſi totum me debeo pro me facto; quid addam jam, & pro me refecto, & refecto hoc modo? Nec enim tam facilè refectus, quàm factus. Si quidem non ſolùm de me, ſed de omni quoq; quod factum eſt, ſcriptum eſt; Dixit, & facta ſunt. At in reficiendo profectò, & dixit multa, & geſſit mira, & pertulit dura: nec tantùm dura, ſed & indigna.] Immò verò ab infidelibus quoquè ex toto corde amandum Deum eſſe oſtendit. [Meretur, inquit, amari propter ſe ipſum Deus, & ab infideli, qui etſi neſciat Chriſtum, ſcit tamen ſe ipſum. Proindè inexcuſabilis eſt omnis etiam infidelis, ſi non diligit Dominum Deum ſuum toto corde ſuo, totâ animâ, totâ virtute ſuâ. Clamat nempè intùs ei innata, & non ignota rationi juſtitia, quià ex toto ſe illum diligere debeat, cui ſe totum debêre non ignorat.] Verum id difficile, immò impoſſibile eſt naturæ viribus, quæ ſemper quærit, quæ ſua ſunt. At per Chriſtum, & paſſionem ejus multò majorem in nobis demonſtrat, excitari debêre charitatem Dei.

Cæterùm nihil ſic amicitiam facit, inquit 3
S. Chryſ. h. 14. in poſteriorem ep. ad Cor. ut dum is, qui diligitur, diſcit, quod amans valdè amorem ſuum deſiderat. Et ſcitum eſt illud poëtæ de impuro amore loquentis; Si vis amari, ama. Sed audi S. Aug. lib. de catechizandis rudibus cap. 4. [Ipſum Deum ſi amare pigebat, ſaltem nunc redamare non pigeat. Nulla enim eſt major ad amorem invitatio quàm prævenire amando. Et nimis durus eſt animus, qui dilectionem, ſi nolebat impendere, nolit rependere.] Et S. Bernardum de divina charitate dicentem ſignificato jam loco. [Quid magnum tanto, & tanti reperiatur amori, ſi pulvis exiguus totum ſe ad redamandum collegerit; quem illa nimirum majeſtas in amore præveniens, tota in opus ſalutis ejus intenta conſpicitur? Deum meum teneo vitæ meæ, non ſolùm gratuitum largitorem, largiſſimum adminiſtratorem, pium conſolatorem, ſollicitum gubernatorem; ſed inſuper & copioſiſſimum redemptorem, æternum conſervatorem, dictatorem, glorificatorem.]

Quartam ad amorem Dei nos excitantem 4
cauſam apud Theodoretum reperias in or. de charitate, quæ habetur poſt Sanctorum Patrum hiſtoriam ex divinarum, ſcilicet; rerum contemplatione ductam. [Sicùt enim ignis, quò plus accipit nutrimenti, eò majorem accipit operationem. Eâ namque acceſſione materiæ augetur, non obtunditur. Ità in Deum dilectio accenditur divinarum rerum contemplatione. Et quò magis in rebus divinis verſatus quis fuerit, eò magis accendit flammam dilectionis.] Adfert etiam ex amore cor-

Digitized by Google

te corporum, qui eorum aſpectu fit vehementior. Undè illud Cant. 2. Oſtende mihi faciem tuam, &c.

5. Et quintam S. Auguſt. in lib. de ſpiritu, & anima c. 35. Ex modo creationis noſtræ præ cæteris omnibus rebus creatis: tùm, inquam, adhibito quaſi Sanctiſſimæ Trinitatis conſilio; tùm ad imaginem, & ſimilitudinem Deitatis creato homine, quæ ibi copioſiùs legenda erunt.

6. Et ſextam S. Nyſſenus, mortificationem ſenſualitatis, atquè amoris proprij. Sic enim habet h. 6. in Cant. [Divinus amor fit ex ijs, ,, quæ ſunt contraria corporali cupiditati. Propterea lectulum Salomonis ſexaginta fortes ,, ambiunt, &c.] Quæ terrorem potiùs incutiunt, quàm amorem. Ità ſapienter ratiocinatur S. Chryſ. h. 5. in poſteriorem epiſt. ad Theſſ. [Nè mihi dicas, diligo Deum, etiam ,, pluſquàm me ipſum. Verba ſunt iſta. Oſten- ,, de hoc ipſis operibus. Si diligis eum pluſ- ,, quàm te ipſum; dilige pluſquàm argentum, ,, & tùnc credam, quòd & pluſquàm te ipſum ,, illum diligas. Cùm verò pecunias propter De- ,, um non contemnas, quomodò teipſum con- ,, temnes?] Et hæc quidem ad amandum Deum excitare non poſſunt, & debent.

7. Veriſſimè tamen dixit S. Bernardus. [Cau- ,, ſa diligendi Deum, Deus eſt. Propter ſe ip- ,, ſum enim diligendus eſt ob duplicem cauſam, ,, quia nihil juſtius, quia nihil diligi fructuoſius ,, poteſt. Suo ſcilicèt merito, & noſtro com- ,, modo. Multum quippè meruit de nobis, qui ,, & immeritis dedit ſeipſum nobis, quò nihil ,, melius dare poterat. Dignus planè qui reda- ,, metur; quia ipſe prior dilexit nos.]

8. Et rurſùm poſt: [Non ſinè præmio diligi- ,, tur Deus, etſi abſquè præmij intuitu diligen- ,, dus ſit. Vacua enim vera charitas eſſe non ,, poteſt, nec tamen mercenaria eſt; quia non ,, quærit, quæ ſua ſunt. Affectus eſt, non con- ,, tractus; nec acquiritur pacto, nec acquirit. ,, Spontè afficit, & ſpontaneum facit. Verus a- ,, mor ſeipſo contentus eſt: habet præmium, ſed ,, id, quod amatur. Nam quidquid propter ,, aliud amare videaris, id planè amas, quò amo- ,, ris finis pertendit, non per quod tendit.]

Filij Amor, Mercenarij, & Servi.

Atque hoc demùm inter filios, & mercenarios tradiderunt intereſſe Patres; inter quos, ut cæteros nunc prætermittam, ſic habet S. Baſilius in proœmio ad regulas fuſiùs diſputatas: ,, [Parendi Deo triplex neceſſitas. Prima metu ,, ſupplicij; hoc ſervorum eſt. Secunda ſpe mer- ,, cedis; & hoc mercenariorum eſt. Tertia ho- ,, neſtate ipſa, & charitate ergà ipſum, & hoc ,, eſt filiorum. Atq; hi nihil prætermittunt eo- ,, rum, quæ fieri oportêre officij neceſſitas præ- ,, ſcribat. Quis enim eſt filius, qui propoſitâ ipſi ,, parentis gratiâ, cùm in rebus illi majoribus ,, obſequatur, in ijs, quæ levioris momenti ,, ſunt, prudens, velit oſtendere?] Sed quamvis hæc ità ſint; nullatenùs tamen, ut ait S. Anſelmus in monologio c. 68. verum videri poteſt, ut juſtiſſimus, & potentiſſimus nihil retribuat amanti ſe perſeveranter; cui non amanti tribuit eſſentiam, ut amans eſſe poſſet. Et rurſùm c. 70. [Nihil certius, quàm hominis animam ,, ſic eſſe factam, ut ſi contemnat amare ſum- ,, mam eſſentiam, æternam patiatur pœnam; ,, ut ſicùt amans æterno gaudebit præmio, ita ,, contemnens æternâ pœnâ doleat.]

CAPUT XI.

Quatenùs amandus.

IAM verò quatenùs diligere oporteat apertis verbis dicitur; Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua. [Quid tibi ſum ipſe ,, (loquitur S. Aug. lib. 1. conf. c. 5.) ut amari ,, te jubeas à me; & niſi faciam, iraſcêris mihi, ,, & minaris ingentes miſerias? parva-nè ipſa ,, eſt miſeria, ſi non amem te?] Et lib. 10. cap. 6. ,, [Et cœlum, & terra, & omnia quæ in eis ,, ſunt, ecce undiquè mihi dicunt, ut te amem; ,, nec ceſſant dicere omnibus, ut ſint inexcuſa- ,, biles.] At qui totum dixit, nihil reliquit, quod ſibi ipſi, ac cæteris creatis rebus tribuere liceat. [Divinus ſermo (inquit S. Greg. lib. 10. ,, mor. c. 4.) cùm Deum diligi præcipit, non ſo- ,, lùm narrat ex quo, ſed etiam informat ex ,, quanto: cùm ſubjungit, ex toto. Ut videlicet, ,, qui perfectè Deo placêre deſiderat, ſibi de ſe ,, nihil relinquat.] Et S. Leo ſer. 10. de quadrag. ,, [Si dilectio eſt, nullum habêre terminum de- ,, bet charitas. Quia nullo poteſt claudi fine ,, divinitas.] Vaſis cujuſpiam utitur exemplo S. Baſil. in com. ad caput 1. Iſaiæ. [Ut enim in ,, vaſculo liquore quopiam pleno, quantùm ,, ex eo foras defluxerit, tantùm deeſt ad com- ,, plementum: Sic in anima, quantùm ex cha- ,, ritate detraxerit per ea, quæ non convenie- ,, bat diligere; tantùm indigna eſt ad dilectionē ,, Dei.] Cordis noſtri vaſculum divina charitate plenum eſſe oportet: & [Omnis charitas (ait ,, Origenes lib. 9. in caput 12. epiſtolæ ad ,, Rom.) quæ non eſt ſecundùm Deum, & quæ ,, aliud diligit, quàm Deum, & quæ Deo pla- ,, cent, ſimulata eſt, & non vera charitas.] Porrò quid ſit diligere Deum ex toto corde, quærit S. Chryſ. h. 42. operis imperfecti, & h. 26. ex varijs Matthæi locis; atque reſpondet. ,, [Id eſt, ut cor tuum non ſit inclinatum ad ,, ullius rei dilectionem, ampliùs quàm ad Dei; ,, nec delecteris in aliqua ſpecie mundi am- ,, pliùs, quàm in Deo.]

Amandi Præceptum.

Ex toto corde.

Præcepit olim Deus, Deut. 22. non arabis in bove, & aſino. S. Greg. lib. 5. in primum Regum c. 1. [Aſinus, inquit, amorem carnalem ſigni-

Digitized by Google

„ ſignificat; quia qui portat, quos amat, quaſi „ forte eſt animal: & quia inordinatè idem „ non pro Deo diligit, laſcivum. In bove ergò, „ & aſino arari non poteſt; quia fructu æter„ næ mercedis anima non excolitur, ſi puritas „ amoris, quo Deo conjungitur, inordinato „ proximi amore polluitur.] Itaque h. 37. in Evang. ità ſtatuit. [Ametur quilibet in hoc „ mundo; etiam adverſarius: ſed in via Domi„ ni contrarius non ametur, etiam propinquus. „ Amandi ſunt proximi, impendenda eſt cha„ ritas omnibus, & propinquis, & extraneis: „ nec tamen pro eadem charitate à Dei amo„ re flectendum. Nam & vaccæ, quæ arcam „ Domini trahebant, ibant in directum, per„ gentes, & mugientes, & non declinabant nec „ ad dexteram, nec ad ſiniſtram 1. Regum 6.]

Univerſè autem pronuntiavit S. Bern. tr. de diligendo Deo; Modum diligendi Deum eſſe ſine modo diligere: hoc eſt quàm maximè diligi à nobis poteſt. Quam ob cauſam in libro de amore Dei cap. 3. [Injuſtum affirmavit „ eſſe eum, qui non tantùm deſiderat vel de„ bêre ſe ſentit amare Deum, quantùm ab ali„ qua creatura rationali poteſt amari. Amoris „ quippè (c. 4.) vel nomen, vel affectus nulli „ competit, vel debetur, niſi Deo ſoli. Nec ipſe „ (c. 8.) dignatur amari cum aliqua omninò „ re, ſive carnali, ſive ſpirituali, ſive terreſtri, „ ſive cœleſti, quæ non ametur propter illum.] Concludam verbis S. Leonis ſer. 5. de jejunio ſeptimi menſis. ſic enim habet. [Rationalis „ animus, qui ſine dilectione eſſe non poteſt, „ aut Dei amator eſt, aut mundi. In dilectione „ Dei nulla nimia; in dilectione mundi cuncta „ ſunt noxia, & ideò æternis bonis inſeparabi„ liter inhærendum; temporalibus verò tranſe„ unter utendum eſt, ut peregrinantibus no„ bis, & ad patriam redire properantibus, quid„ quid de proſperitatibus hujus mundi occur„ rerit, viaticum ſit itineris non illecebra man„ ſionis.]

Quorum, & qualis hic amor.

Quamquam amorem hunc paucorum eſſe, non omnium, ſed eorum, qui in via Domini non mediocriter profecerint; S. Nyſſenus h. 1. in Cant. appoſitè collegit ex illis verbis; Adoleſcentulæ dilexerunt te. [Amore namq; non „ tanguntur infantes, nec ſenes. Ita ſola illa ani„ ma, quæ ſtatum tranſijt infantilem, & ad ſpi„ ritualis ætatis florem pervenit, nec maculam „ accepit, aut rugam, &c.] Paret primo legis præcepto, toto corde, & totis viribus diligens Deum. S. verò Bern. in hoc amore tres omninò conditiones adnotavit, in parvis ſer. 66. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, ex tota anima, & ex tota virtute tua; [Prima „ dilectio dulcis, Secunda prudens, Tertia for„ tis eſt.] Totidem enim conditiones in amore Dei ergà nos obſervavit in ſer. 20. in Cant. „ [Deus inquit dilexit nos non exiſtentes, & „ adjecit reſiſtentes diligere; Rom. 5. Cùm ini„ mici eſſemus &c. Dilexit autem dulciter, „ quia carnem induit; cautè, quia culpam cavit; „ fortiter, quia mortem ſuſtinuit. Amicus dul„ cis, conſiliarius prudens, adjutor fortis. Diſ„ ce & tu amare Chriſtum. Zelum tuum in„ flammet charitas, informet ſcientia, firmet „ conſtantia: ſit fervidus, circumſpectus, invi„ ctus.] Atque hanc animi fortitudinem effectum eſſe charitatis, confirmat quoque S. Chryſ. h. 9. in ep. ad Rom. [Nihil eſt, inquiens, „ quod ſic ad gloriam, & fiduciam excitare „ queat, quàm ſi te contingat; tùm à Deo amari; „ tùm illum viciſſim amantem tui redamare.] Nam & idem accidit ijs, qui à principibus, & magnatibus viris amantur; quemadmodùm idem adnotavit h. 30. in ep. poſter. ad Cor. hoc argumento nos ad diligendum Deum adhortans. [Diligamus, inquit, Deum, ut ab illo „ diligamur. Nam cùm à potentibus homini„ bus diligimur, terrori ſumus hominibus; mul„ tò magis à Deo, etiamſi oporteat divitias, „ vel corpora, vel animam ipſam pro hac di„ lectione dare, nè parcamus.]

CAPUT XII.

Chriſtus, ut diligendus.

ORIGENES autem h. 25. in Lucam, quomodo Chriſtus diligendus ſit quærens, reſpondit; [Diliges Dominum tuum in „ Chriſto. Putas diverſam habere poſſe in Pa„ tre, & Filio charitatem? Simul dilige Chri„ ſtum, dilige Patrem in Filio, Filium in Patre, „ ex toto corde & tota anima, & ex tota virtute.] Sed in caput 13. ep. ad Rom. Dilectionem Chriſti ad alterum præceptum dilectionis proximi revocare videtur. Nam cùm diceret Paulus: Dilectio proximi malum non operatur, aut id interpretatur, quia qui diligit proximum, non occidet, non adulterabit, non alio cum offendat modo. Aut proximum intelligit Chriſtum, qui proximus noſter vocatur in parabola ejus, qui incidit in latrones. Sed omninò ad primum præceptum pertinet hæc dilectio. Quoniam & Chriſtus eſt Deus; & humana illius natura divino unita Verbo eſt. Quarè ut adoratur Latriâ, ſic divina charitate amatur.

CAPUT XIII.

Charitatis præceptum ut ſervetur.

VIDEO tamen Sanctos Patres admonuiſſe, charitatis hoc præceptum diligendi Deum ex toto corde, &c. Haud quamquam in hac, quam nunc vivimus, vita poſſe impleri: ſatis & ea perfectione amoris, quâ diligendus eſſet;

Digitized by Google

dus eſſet; ſed in futura, quam ſperamus. Ita S. docuit Auguſt. lib. 1. retrac. c. 7. & libro de ſpiritu, & littera c. 36. [Ideò tamen, inquit, „ nobis nùnc præceptum eſt; ut admoneremur, „ quid fide expoſcere, quò ſpem præmittere „ debeamus. Quod ſi nùnc non poteſt homo „ tantùm amare Deum, quantùm amare po- „ teſt conſpectum, debet nihil appetere illici- „ tum. Sicùt poteſt oculus nullis tenebris de- „ lectari; quamvis non poſſit in fulgentiſſima „ luce defigi.] Propterea in ſecundo retrac. lib. cap. 33. ſubjungit, quotidiè nos orando dicere Deo; Dimitte nobis debita noſtra. [Quia ne- „ mo in hac vita, ita ſervat mandata juſtitiæ, ut „ non ſit ei neceſſarium pro ſuis peccatis oran- „ do dicere; Dimitte nobis debita noſtra.] Atquè in eandem ſententiam S. Bernard. ſer. 50. in Cant. ad hunc modum loquitur. [Charitas „ in actu præcipitur ad meritum; Charitas in „ affectu in præmium datur; etſi enim initium, „ & profectus illius in hac vita non negetur; „ conſummatio tamen eſt futuræ vitæ.] Et rurſùm. [Præceptum charitatis à nullo hominum „ in hac vita poteſt, aut potuit adimplêri. Quis „ enim arrogare ſibi audeat, quod Paulus fate- „ tur, ſe non comprehendiſſe? Deus tamen in „ hoc charitatis præcepto præcepit impoſſibi- „ lia.] Bernardi ſunt verba, quæ quomodo intelligenda ſint ſatis apparet. Utile judicans nos admonêre inſufficientiæ noſtræ, & humiles facere. Et ep. 11. ad Carthuſienſes. [Sanè neſcio, „ ſi à quoquam hominum in hac vita gradus „ hic charitatis perfectè apprehenditur; ut ſe „ homo diligat tantùm propter Deum. Mihi „ fateor impoſſibile videtur. Erit autem, cùm „ introductus fuerit ſervus bonus, & fidelis in „ gaudium Domini ſui, & inebriatus ab uber- „ tate domus Dei.] Ac demùm in tract. de diligendo Deo; [Ego puto non antè ſanè perfectè „ impletum iri; Diliges Dominum Deum tuum „ ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex „ tota virtute tua; quouſquè ipſum cor co- „ gitare jam non cogatur de corpore; & anima „ eidem in hoc ſtatu vivificando, & ſenſifi- „ cando intendere deſinat; & virtus ejuſdem „ relevata moleſtijs, in Dei potentia roboretur. „ Impoſſibile namquè eſt tota hæc ex toto ad „ Deum colligere, & divino infigere vultui: „ quamdiù ea huic fragili, & ærumnoſo cor- „ pori intenta; & diſtenta neceſſe eſt ſubve- „ nire; &c.] Atquè hûc ſpectare videtur illud; Iſ. 31. Dixit Dominus, cujus ignis eſt in Sion; & caminus ejus in Hierùſalem; ut præclarè interpretatus eſt S. Greg. h. 21. in Ezech. [Plus e- „ nim eſt eſſe caminum, quàm ignem. Quia ig- „ nis, & parvus eſſe poteſt; in camino vaſtior „ flamma ſuccenditur. Sion verò ſpeculatio, „ Hierùſalem viſio pacis dicitur. Amor ergò „ Dei hic incipit, in æterna patria perficietur. „ Ignis eſt in Sion, caminus in Hierùſalem. „ Quia hìc amoris flammâ aliquatenùs arde- „ mus, ubi de illo aliquid contemplamur; ſed „ ibi plenè ardebimus, ubi eum plenè videbi- „ mus, quem amamus.]

CAPUT XIV.

De proximi dilectione.

VENIO ad alterum præceptum; Diliges proximum tuum ſicut te ipſum. [Quid „ hoc faciliùs eſſe poſſit? (inquit S. Io. Chryſ. „ in pſ. 5.) odiſſe enim grave eſt, & turbans, ac „ tumultus excitans. Amare autem facilè eſt, & „ expeditum. Vel etiam apud beſtias naturæ „ cognatio conciliat amicitiam.] Scimus tamen mutuam hanc Chriſtianorum charitatem, quæ in principio naſcentis Eccleſiæ maximè viguit, fuiſſe aliquando ſuſpectam. Nam & à Celſo Iudæo habitam fuiſſe conjurationem; auctor eſt Origenes lib. 1. adverſus ipſum. Atque à Gentilibus irriſam, his omninò verbis teſtatur Tertull. in Apologetico adverſus Gentes c. 39. [Ejuſmodi dilectionis notam nobis „ inurit penes quoſdam. Vide, inquiunt, ut „ invicem ſe diligant, & ut pro altero mori ſint „ parati. Sed & quod fratres nos vocamus, non „ aliàs opinor, infamant; quàm quòd apud ipſos „ omne ſanguinis nomen de affectione ſimu- „ latum eſt. Fratres autem etiam veſtri ſumus, „ jure naturæ matris unius. At quantò digni- „ ùs fratres dicuntur, qui unum patrem Deum „ agnoverunt, qui unum ſpiritum biberunt ſan- „ ctitatis; qui de uno utero ignorantiæ ejuſdem „ ad unam lucem expaverint veritatis?] Et quidem, quod ad hanc fratrum appellationem attinet; charitatis vocabulum appellavit quoque S. Chryſ. h. 4. in ſymbolum. Et ideò pòſt ad religioſorum hominum familias eò potiori derivatum eſt jure; quòd illi de uno religionis unius ſpiritu regenerati majorem inter ſe charitatem profitentur. Quod autem ad charitatem ipſam attinet. Ea nimirùm gratiſſima Deo eſt, inimica diabolo. [Nihil, „ inquit S. Ber. in modo benè vivendi c. 13. Deo „ ſpecialius virtute dilectionis; nihil deſidera- „ bilius diabolo, quàm extinctio charitatis.] Sed triplicem is amoris affectionem diſtinguit in ſer. 50. in Cant. Tractans enim illa verba Pauli, Rom. 1. & 2. Tim. 3. Homines ſine affectione. [Affectio, inquit, triplex eſt. Una quam „ caro gignit. Secunda, quam caro regit. Ter- „ tia, quam ſapientia. Primam ait Apoſtolus „ legi Dei non eſſe ſubjectam, nec eſſe poſſe. „ Secundam perhibet conſentientem legi Dei, „ quoniam bona eſt. Tertia guſtat, & ſapit, „ quoniam ſuavis eſt Dominus: primam elimi- „ nans, ſecundam remunerans: Prima dulcis, „ ſed turpis; Secunda ſicca, ſed fortis: Tertia „ pinguis, & ſuavis.] Origenes quoquè h. 25. in Lucam. Dilectionem monuit periculum habêre, ſi modum excedat. Itaquè non ita

Dilectio proximi facilis.

Charitas chriſtianis obiecta.

Chriſtiani fratres.

Religioſi fratres.

Digitized by Google

Dilectio proximi qualis. accipias illud ; Diliges ſicùt te ipſum ; hoc eſt
ſicùt te ipſa diligimus nos ; ſed ſicùt debemus
diligere. Sæpè enim nos non benè diligimus.
Etſi priori modo intelligeretur, dediſſet Deus
præceptum peccandi, cùm ſæpè nimis nos
diligamus. Nequè quoad affectum tenemur
tanto affectu proximum, quanto nos ipſos
diligere. Sed quoad effectum ; ut eadem illi
bona, eandemque, quam nobis, optemus fœli-
citatem æternam.

CAPUT XV.

Dilectionis modus.

QUIS autem in diligendo modus tenen-
dus ſit, pluribus proſsùs modis doceri
poteſt. Origenes h. 2. in Cant. [Nequè
„ proximos, inquit, nequè inimicos jubemur
„ diligere ex toto corde, ſicut Deum: ſed ſolùm
„ diligere, nec odio habere. Ità Deus ex toto
„ corde, proximus ut tu ipſe, inimicus ametur
„ ſolùm, non odio habeatur.] Accuratè ma-
gis S. Aug. lib. 1. ſoliloq. c. 2. [Homines amo,
„ non eò quòd animalia ; ſed eò quòd homi-
„ nes ſunt, & rationales animas habent, quas
„ amo etiam in latronibus. Licet enim mihi
„ in quovis amare rationem : cùm illum jure
„ oderim, quòd malè utitur eò, quod amo.]
Itaquè ſicùt amor carnalis amat corpus, ità
charitas rationalem animam. Et cùm pòſt
in c. 9. ſubjungit, neſcire ſe, an præter Deum
aliquid amet ; intelligere oportet, eum & ho-
mines, & rationales animas non niſi propter
Deum, & in Deo amare, quatenùs imagines
illius ſunt, atquè illius beatitudinis capaces.

Secundus dilectionis modus, quem ſignifi-
cavit S. Ber. ſer. 50. citato, eſt, ut rationales
amentur animæ, aut quia ſint juſtæ, & gratæ
Deo, aut ut ſint juſtæ, & gratæ; [Charitas, ait
„ ille, diligit proximum, vel quia diligit Deum;
„ ſicùt bonos, & juſtos; vel ut diligat, ſicùt pec-
„ catores, & inimicos.] Hoc S. quoq; Aug. do-
cuit lib. 8. & 9. de Trin. ut in principio diximus.

Tertiò ſit amor purus, atq; ab omni huma-
no, & terreno affectu purgatus. [Puram
„ namque (ut eſt apud S. Baſilium lib. de vera
„ virginitate) nec ullius affectionis labe inqui-
„ natam oportet eſſe charitatem, nec decet
„ nomen falſæ charitatis inſequendo, verè di-
„ lectionis dignitatem, ac meritum tollere.
„ Quamdiù enim propter Deum diligis fra-
„ tres, & ad eum, & ad illos integra ſervas cha-
„ ritatis jura. Ubi verò eos non ſponſi gratiâ,
„ ſed propter ſe ipſos diligere ex conſuetudine
„ cœperis; dilectio tua, & ergà illum corrupta
„ prorſùs efficitur, & falſam non veram habes
„ charitatem. Sancta enim charitas carnis
„ non tangitur vitijs.]

Quartò amor non ſubſit, ſed ſuperſit rei
amatæ. Ità S. Aug. lib. 1. de Gen. ad lit. c. 7.
interpretatur illud, Gen. 1. Et ſpiritus Domi-
ni ferebatur ſuper aquas. [Quoniàm hoc in-
„ tereſt inter terrenum amorem, & divinum ;
„ inter cupiditatem, & charitatem: quòd ege-
„ nus, & indigus amor ità diligit, ut rebus,
„ quas diligit, ſubijciatur: At amor Dei ſuper-
„ ferri dicitur, nè faciendo opera ſua, per indi-
„ gentiæ neceſſitatem potiùs, quàm per abun-
„ dantiam beneficentiæ Deus amare putare-
„ tur.] Talis & amor noſter eſſe debet.

Quintò fervidum, atque ardentem amorem
eſſe oportet. Ad hunc modum S. Baſilius in
reg. brev. 242. accepit illa Pauli verba, Rom.
12. Charitate fraternâ invicem diligentes:
hoc eſt magna, & ardenti charitate. Nam
Græcè eſt φιλόστοργοι στοργὴ verò intenſionem
quamdam charitatis vim exprimit : cùm is,
qui alterum diligit, cupidè eum, & ardenter
diligit. Omninò ſit talis charitas, qualem in
Paulo, Iob, Ioſeph, Samuële, Moyſe, & Davide
longâ prorſùs oratione deſcribit S. Bernard.
in ſer. 12. in Cant.

Sextò non ſit charitas ficta, & ſimulata ;
ſed vera, & ſincera: non in exterioribus ſignis,
ſed interior in corde. Hoc eſt, quod deplo-
rat S. Chryſ. lib. 1. de compunct. cordis. [Nos,
„ inquit, imaginem quidem colimus præcepti;
„ veritatem verò ipſam, virtutemq; negligimus.
„ Nam oſculum pacis porrigere tempore, quo
„ offeruntur munera, in uſu eſt. Sed vereor,
„ nè fortè plures ex nobis labijs hoc tantùm
„ faciant : Cùm Chriſtus pacem non ex ore,
„ ſed ex corde deſideret, & affectu velit proxi-
„ mum, non labijs ſalutari. Si enim pax non
„ habetur in corde, quaſi in ſcena res agitur,
„ & ludo; &c.] Propterea h. 4. operis imperfe-
cti ſervos diaboli aſſerit reliquas poſſe virtu-
tes quodammodò habêre, aut certè ſimulare,
charitatem omninò non poſſe: Sed hanc pro-
priam eſſe virtutem ſervorum Dei ; quoniam *Charitas bonorum*
virtus interior eſt, atquè in corde reſidens. *propria virtus.*
„ [Ideò, inquit, Spiritus Sanctus columbæ ſpe- *Spiritus Sanctus Columbæ ſpecie.*
„ ciem ſuſcepit; quia præ omnibus animalibus
„ hæc cultrix eſt charitatis. Omnes enim ſpe-
„ cies juſtitiæ quas ſervi Dei in veritate, poſ-
„ ſunt habêre ſervi diaboli in ſimulatione. Ha-
„ bet enim Diabolus & manſuetos, & humiles;
„ habet caſtos, & eleëmoſynarios, & jejunos,
„ &c. ut ſimplices homines, qui boni veri, &
„ boni ſimulati differentiam intelligere cautè
„ non poſſunt ; dumque bonos Dei viros, in-
„ currant in ſeductores Diaboli. Solam autem
„ charitatem Sancti Spiritus non poteſt im-
„ mundus ſpiritus imitari. Ideò hanc privatam
„ ſpeciem charitatis ſibi ſoli ſervavit Spiritus
„ Sanctus; ut per nullius juſtitiam, & teſtimo-
„ nium ſic cognoſcatur, ubi eſt Spiritus Sanctus
„ quemadmodùm per gratiam charitatis.]

Septimò dilectio proximi duobus præcep-

tis

Digitized by Google

tis naturalibus continetur, ut adnotavit Sanctus Gregorius h. 38. in Evang. Quorum alterum eſt Tob. 4. Quod tibi non vis fieri, alteri nè feceris, alterum Matt. 7. Quæ vultis, ut faciant vobis homines, & vos eadem facite illis.

Octavò vera charitas omnes propter Deum amplectitur, vel etiam inimicos. Si enim in Deo, & propter Deum diligendus eſt proximus; ſivè amicus, ſivè inimicus, quia eſt proximus, omninò diligetur. Alioquin ſi ſolus amicus diligatur, affectus potiùs eſt carnis, quàm charitatis virtus. [Probari charitas, inquit „ Sanctus Gregorius eodem loco, per ſolam „ odij adverſitatem ſolet; Charitas enim vera „ eſt, cùm & in Deo diligitur amicus, & prop- „ ter Deum inimicus, illeq; propter Deum di- „ ligit eos, quos diligit, qui & eos diligit, à qui- „ bus non diligitur.]

CAPUT XVI.

Charitatis ordo.

NONò Charitatem ordinatam eſſe oportet. Accuratè ſatis hunc locum tractat Origenes, dùm illa ſponſæ verba interpretatur, Cant. 2. Introduxit me in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem. Namq; h. 1. [Plu- „ rimorum, inquit, inordinata eſt charitas, „ quando quod primo loco debent diligere, „ diligunt in ſecundo, quod in ſecundo, diligunt „ in primo: ſanctorum verò charitas ordinata „ eſt. Te vult divinus ſermo diligere Patrem, „ filium, filiam: vult te diligere Deum. Sed nè „ primum patrem, aut matrem, deindè Deum „ diligas: nè filij, aut filiæ magis, quàm Dei „ charitate tenearis. Ut autem poſt Deum, „ etiam inter nos ordo ponatur; primum man- „ datum eſt, ut diligamus parentes; ſecundum, „ ut filios, tertium, ut domeſticos noſtros. Si „ autem filius malus eſt, & domeſticus bo- „ nus; domeſticus in charitate filij collocetur.] Atque hic eſt primus ordo charitatis. Alterum ſubjungit, qui modum, & intenſionem, ſeu gradum charitatis continet. Ait enim. [Or- „ do charitatis eſt, ut Deum diligas ex toto cor- „ de, totâ animâ, totâ virtute tuâ. Secundò „ proximum, non ex toto corde, totâ animâ, „ & totâ virtute tuâ: ſed ſicùt te ipſum. Tertiò „ diliges inimicum tuum; non appoſuit, ex to- „ to corde, nec ſicùt te ipſum: ſed tantùm dili- „ ges: ſufficit, ut diligas, & odio non habeas.] Hæc ille. Qui rurſum in altero com. in quatuor homilias diſtincto, h. 3. eorumdem verborum interpretationem faciens; [Dicitur, „ inquit, contrà ordinem eſſe in aliquo chari- „ tas, cùm aut id diligit, quod non debet; aut „ quod debet, plùs juſto diligit, aut minùs ju- „ ſto. Eſt autem ordo ejuſmodi. Deum dilige- „ re, nullus modus, nulla menſura eſt, niſi hæc „ ſolâ, ut ei totum exhibeas, quantùm habes, „ ex toto corde, ex totâ animâ, ex totis viri- „ bus. Diligere verò proximum, eſt menſura „ aliqua; dilige ſicùt teipſum. Si minùs ali- „ quid feceris, non eſt in te charitas ordinata. „ Et quoniam 1. Cor. 8. ſumus invicem mem- „ bra; proximos non quaſi aliena corpora, ſed „ velut membra noſtra diligamus; æquali om- „ nes dilectione. Quia tamen in corpore quæ- „ dam ſunt membra alijs honorabiliora, pro „ membrorum meritis, & honore; dilectionis „ etiam librari debet modus. Quemadmodùm „ qui laborat in verbo Dei; animas noſtras in- „ ſtruit, & illuminat, viam ſalutis docet &c. „ Qui de peccato me ad lucem revocat pietatis, „ qui eſt ſanctæ vitæ, innocens, & immaculatus „ &c.] Inter inimicos quoque plùs eſt diligendus, qui alioqui benè vivat, & mandata Dei obſervet; quàm qui animæ etiam ſit inimicus, & malus vir. Inter fœminas porrò, diligendas eſſe conſtituit matrem, ſororem, & uxorem; caſta ſcilicet dilectione: aliarum verò fœminarum nullam, aut certè non niſi pro earum meritis, & particularibus cauſis.

S. Nyſſenus quoque h. 4. in Cant. illa ipſa ſponſæ verba conſiderans. [Ex hac, inquit, „ voce docemur, cujuſmodi ſit Deo tribuenda „ charitas, & quemadmodùm in ſe invicem „ affectos eſſe oporteat. Si enim oportet omnia „ ordine, & honeſtè fieri, multò magis in his „ eſt ordo conveniens. Nequè enim condem- „ natus eſſet Cain, quòd malè divideret, ſi cum „ eo, quod rectè obtuliſſet, etiam id, quod de- „ cet, in ordine ſervaſſet. Cùm enim opor- „ teret ex ijs, quæ primò nata erant, Deo of- „ ferre primitias; ipſe repletus ijs, quæ erant „ pretioſiora, reliquias obtulit Deo. Oportet „ ſcire quemadmodùm Deum oporteat dilige- „ re, & uxorem, & inimicum. Deum oportet „ diligere ex toto corde, & animâ, & potentiâ, „ & ſenſu. Proximum autem tanquam ſe „ ipſum. Uxorem, ſi purioris eſt animæ, ſicut „ Chriſtus Eccleſiam. Sin autem eſt animæ pau- „ lò magis obnoxiæ animi perturbationibus, „ ſicùt corpus proprium. Inimicum autem, ut „ non reddat malum pro malo: ſed pro injuria „ conferat beneficium.] Legendus eſt S. Proſper lib. 3. de vita contemplativa c. 15. ſed S. Hieronymus in com. ad caput Matthæi 10. exponens illa verba. Qui amat patrem, aut matrem pluſquàm me, non eſt me dignus: „ [Hic ordo, inquit, in omni affectu neceſſa- „ rius eſt. Ama poſt Deum patrem, ama ma- „ trem, ama filios; ſi autem neceſſitas venerit, „ ut amor parentum, ac filiorum Dei amori „ comparetur, & non poſſit utrumque ſervari, „ odium in ſuos, pietas in Deum ſit.] Et in eo, quod habet S. Aug. lib. 1. de doctrina Chriſtiana c. 23. [Quatuor ſunt diligenda. Unum, quod „ ſuper nos eſt; alterum, quod nos ſumus; ter-

 tium,

Digitized by Google

tium, quod juxtà nos eſt, quartum, quod infrà nos eſt.] Ordinem charitatis agnoſcas, ut primò diligas Deum, ſecundò te ipſum, tertiò proximum, quartò corpus tuum, ac cætera omnia. Quam ob cauſam in libro de mendacio c. 6. [Temporalem, ait, vitam ſuam pro æterna vita proximi non dubitabit Chriſtianus amittere. Hoc enim præceſſit exemplum, ut pro nobis Dominus ipſe moreretur. At pro temporali vita alterius, non eſt amittenda æterna. Ideò nec mentiendum, nec aliter peccandum.] Addit quoque in ep. 158. ad Marcellinum contrà Donatiſtas; [Charitas, quæ tanquàm nutrix fovet filios ſuos; non ordine amandi, ſed ordine ſubveniendi, infirmiores fortioribus anteponit, quos tales eſſe vult, quales jam ſunt, quos non contemnendo, ſed de illis confidendo interim prætérit.] Denique S. Ber. ſer. de vita, & quinque ſenſibus animæ, quinque amoris gradus diſtinguit, & ordinat. Amorem ſanctum, & devotum ergà Deum, pium ergà parentes, jucundum ergà ſocios, juſtum ergà omnes, violentum ergà inimicos.

CAPUT XVII.

De fraterna charitate, & pace.

SED jam aliquid ſeorſim dicendum eſt de fraterna charitate, animorumque unione, & pace, quam inter nos, & verò in quavis hominum congregatione eſſe oportet. S. Ber. in parvis ſer. 63. cùm illud pronuntiaſſet Cant. 4. Dentes tui ſicut greges tonſarum, quæ aſcenderunt, &c. pulchrè de religioſorum familijs interpretatur. Atque inter cætera religioſos viros affirmat eſſe velùt dentes, qui candidi ſunt, & fortes, carnem non habent, corio carent, clauſi labijs ſunt, nè videantur, toti corpori maſticant cibum, ſed nullum indè ipſi ſaporem habent, per ordinem poſiti ſunt, ſuperiores alij, alij inferiores, & cùm inferiores moveantur, ſuperiores numquàm moventur, etſi quid inter ipſos interponitur moleſtiſſimum, id eſt, nec pati poſſunt. Sic enim graviſſimum omninò eſt, quidquid vel minimum accidat, quod eorum unionem, atque fraternam charitatem perturbet. Etenim nihil pace præſtantius, nihil contentione damnoſius, & gravius (dixit S. Ioannes Chryſ. h. 36. in Gen.) [Pax amica (inquit S. Greg. Nazian. or. 3. de pace) non re dumtaxat, ſed nomine quoquè ipſo ſuavis, & jucunda. Pax amica, ubinàm nos tanto jam temporis ſpatio reliquiſti? ecquando ad nos reditura es? Equidem te ſuper omnes mortales expeto, atque exoſculor, & præſentem amplector, & abſentem eo animi affectu revoco; ut nec Patriarcha ille Iacob paribus unquàm luctibus, lachrymiſq; Ioſephum deſiderârit. Nec David amicum ſuum Ionatham in acie extinctum, aut poſteà filium Abſalonem &c.] Charitatem, & pacem colere, ac retinêre debemus, velut Chriſti optimum patrimonium nobis teſtamento relictum, cùm dixit; Pacem do vobis, pacem meam relinquo vobis, Ioan. 14. Quod ſi paternam hæreditatem quiſque mordicus tenet, nec eripi eam ſibi patitur; meritò deplorat S. Baſilius or. adverſùs eos, qui calumniantur, quod tres Deos colamus; [Lachrymæ, inquit, procidentes intercipiunt vocem, cùm cogito, quòd charitate, & pace nobis à Domino relictâ non quærimus id, quod relictum eſt. Charitas relicta eſt, & pugna inter nos verſatur. Unio data eſt, & odium accenſum eſt, &c.] Meritò argumentatur S. Chryſ. ſer. de libello repudij, tom. 4. [Si ſæpè hoc ſervis mutuæ dilectionis cauſa fuit, quia ambo uni, & eidem Domino ſerviunt; multò magis nobiſcum hoc fieri convenit, quando eundem conditorem, & opificem habemus.] Cæterùm h. 34. in priorem ad Cor. epiſtolam, alia plura adducit unionis, & concordiæ argumenta.

Dentes religioſi.

Pax Chriſti patrimonium.

Hominis creatio.

Primum illud eſt; Deum propterea in hominum creatione unum feciſſe primum hominem, omneſque alios voluiſſe originem ab illo uno ducere, ut major eſſet inter homines charitas, & unio, tanquàm ab uno derivatos, & ſanguinis cognatione conjunctos. Quod etiam habet S. Auguſtinus lib. de bono conjugali c. 1. & lib. 12. de Civ. Dei c. 21. & 26. [Alia animalia creavit Deus maſculum, & fœminam, & hominem ſolum, formavitq; mulïerem ex illius coſta. Ut vehementiùs commendaret unitatem, & vinculum concordiæ; ſi non tantùm inter ſe naturæ ſimilitudine, verùm etiam cognationis affectu necterentur.]

Secundum propterea etiam virum præeſſe, mulïerem ſubeſſe voluiſſe, quoniàm inter æquales eſt æmulatio; itaquè noluit eſſe democratiam, ſed regnum.

Tertium eandem ob cauſam mulïer ex viri coſta, filij ex utroque, viro, & mulïere; ut major charitas, & concordia.

Quartum aliam conjunctionis formam commentus eſt inſuper, cognatorum connubio interdicto; ad alienos nos eduxit, illos viciſſim ad nos pellexit.

Quintum nec fuit hoc ſatis: ſed ut opus nobis invicèm haberemus, fecit, ut hinc quoquè nos congregaret, quando teneri amicitias utilitate vel maximè videmus. Hinc eſt, quod non omnia omnibus in locis naſcuntur; ut alij aliorum opera, & ſubſidio indigerent. Duas accipe civitates, pauperem unam, alteram opulentam, ac divitem: neutra ſibi ſufficiens eſt, nec ſola poteſt per ſe ſola conſiſtere;

Digitized by Google

ſtere: ſed & pauperes divitum egent ſubſidio, & hi rurſùm pauperum opera, & labore; Ità Deus charitatem vult intra utroſque foveri.

At quartum hoc argumentum rurſùm idem auctor inculcat in h. 20. in epiſtolam ad Epheſ. his verbis. [Permiſit Adæ, ut ſororem ſuam „ in uxorem duceret; immò & filiam, quin & „ propinquiùs quiddam, quàm filiam; carnem „ ſcilicet ſuam ipſius; ut in unum eos conjun- „ geret. Poſt verò cavit, nè ducerentur ſoro- „ res, ac filiæ, nè dilectionem rurſùm in unum „ conſtringeremus.]

Primum verò argumentum extendit Lactantius in epitome c. 7. non ſolùm nos ab uno homine genitos, ſed etiam ab uno Deo creatos inquiens. [Si facti ab uno Deo, & orti ab uno „ homine conſanguinitatis jure ſociamur; om- „ nem igitur hominem diligere debemus.] Addit etiam ex Chriſti fraternitate, & cognatione, quâ omnes conjuncti tenemur; S. Maximus Taurinenſis Epiſc. h. 2. de Avaritia; quam majorem multò, quàm ſanguinis fraternitatem, debêre in nobis vim habêre ratiocinatur. „ [Major eſt, inquit, fraternitas Chriſti; quàm „ ſanguinis. Hæc enim ſimilitudinem tantùm „ corporis refert; illa unanimitatem cordis, ani- „ mæq; demonſtrat; Act. 4. Erat cor unum, & „ anima una.]

Sed quintùm fuit etiam S. Gregorij h. 10. in Ezech. [Poterat, inquit, Deus unicuique „ regioni fructus omnes tribuere; ſed ſi alterius „ regionis fructu non indigeret, communica- „ tionem cum altera non haberet. Ità etiam „ virtutes ſanctorum diſtribuit, &c.]

Sextum argumentum habet S. Chryſ. ex matrimonio, h. 12. in ep. ad Coloſſ. de quo Gen. 2. dicitur: Erunt duo in carne una. [Si „ enim duo non fierent unum, non efficerent „ multos. Quando verò in unitatem deveni- „ unt, tùnc efficiunt.] Magna eſt unitatis potentia. Id ipſum de ſpiritualium filiorum procreatione affirmare licet. Non enim juvantur à nobis proximi, dum inter nos diſcordias, & diſſenſiones obſervant. Plurimùm verò ſi charitatem, atque animorum unionem animadverterint. In oratione in laudem S. Athanaſij ſcribit S. Nazianzenus. [Athanaſius percu- „ tientibus adamas, diſſidentibus magnetes ar- „ canâ naturæ vi ferrum trahens, ac duriſſimam „ omnium materiam ſibi adjungens.] Alterum ſcilicet operabatur patientia, invictaque animi fortitudo; Alterum eximia charitas. Et veriſſimè S. Io. Chryſ. h. 71. in Io. [Charitas ma- „ gis convertit mundum, quàm miracula: Ni- „ hil magis conturbat Gentiles; quàm quòd „ nulla eſt charitas. Non enim ita ſignis addu- „ cuntur, ut vitâ; quam nihil adeò, ut dilectio „ commendat.] Et h. 81. potentiorem eſſe ad perſuadendum pacem demonſtrat, quàm miracula; ſicùt diſcordia debilitat; ita concordia corroborat. Et Chriſtus Apoſtolos miſſurus ad mundi converſionem, oravit pro illis Patrem, Io. 17. Ut ſint unum, ſicut ego, & tu unum ſumus.

Septimum argumentum eſt; quia unio, atque concordia terribilis eſt hoſtibus noſtris Cant. 6. Terribilis ut caſtrorum acies ordinata. „ [Si milites (inquit, eo loco S. Gregorius) ſtri- „ ctim, & concorditer gradiuntur, ab hoſtibus „ timentur, quia dum in eis aditum per ſciſſu- „ ram non aſpiciunt, qualiter eos penetrent, non „ inveniunt. Sic in multitudine fidelium neceſ- „ ſe eſt, ut pugnans contrà malignos ſpiritus „ pace charitatis conſtringatur, quò ſalva ſit. Si „ enim pacem tenet, terribilis hoſtibus appa- „ ret: ſi per diſcordiam ſcinditur, undique ab „ hoſtibus leviter penetratur.] Eandem ſententiam habet h. 8. in Ezech. [Caſtrorum, in- „ quit, acies tùnc terribilis hoſtibus eſt, quando „ ita fuerit conſtipata, ut in nullo loco inter- „ rupta videatur. Nam ſi locus vacuus, per „ quem hoſtis poſſit ingredi, dimittatur, jam „ ſuis hoſtibus terribilis non eſt. Nos ergò cùm „ contrà malignos ſpiritus aciem ponimus, ne- „ ceſſe eſt, ut per charitatem ſemper uniti, & „ constricti, numquam interrupti, per diſcor- „ diam inveniamur. Quia ſi charitas deſit, per „ malum diſcordiæ locus aperitur in acie, undè „ ad feriendos nos hoſtis valeat intrare. Caſti- „ tatem is non timet, quia carne non premitur: „ abſtinentiam non timet, quia cibo non utitur: „ eleemoſynam non timet, quia divitijs non e- „ get. Charitatem mutuam timet, & invidet „ concordiæ; quia hanc tenemus in terrâ, quam „ ipſe amiſit in cœlo.] Et S. Anſelmus in caput 3. ep. ad Coloſſ. [A tentatore citiùs quodli- „ bet opus evellitur, ſi ſolutum à vinculo cha- „ ritatis invenitur. Si verò mens charitate duci- „ tur, & proximi dilectione conſtringitur; cùm „ tentationum motus quilibet ei injuſta ſug- „ geſſerint; obicem ſe illis ipſa dilectio opponit, „ & naſcentia in corde vitia reprimit.]

Octavum argumentum ſumitur ex animalibus mutis, & beſtijs. Nam charitatis, & mutui auxilij, & opis exempla ex avibus, cornicibus, inquam, & gruibus, proponit S. Baſilius or. 19. de provid. & S. Euſeb. Emiſſ. h. de eo; Arundinem quaſſatam non confringes. „ [Alter, inquit, alterius commodis ſtudeamus, „ invicem labores, & onera noſtra portemus; „ Quem affectum etiam feræ, & aves habêre „ dicuntur. Nam aves, quæ ex partibus tranſ- „ marinis ad nos advolant, ſi quæ fortè illarum „ volando laſſetur, imbecillam ſuſcipiunt for- „ tiores, alarum remigio ſubjecto, levem ſarci- „ nam junctis viribus ferunt &c. Cervorũ item „ greges, cùm aquas natatu trajiciunt, alter „ ſuper alterum capita cornibus onerata com- „ ponunt; & ſi primus fatigetur, alter illi ſuc- „ cedit.] S. Aug. lib. 83. qq. q. 71. & in pſ. 41.

& ſer. 23. de verbis Apoſtoli, cùm verba propoſuiſſet Pauli; Alter alterius onera portate. [Cùm in hac,inquit,vitâ,id eſt,in hac via ſumus, onera invicem noſtra portemus, ut ad eam vitam, quæ caret onere,pervenire poſſimus.] Adſertq; cervorum exemplum,quod ex Plinio ſumptum eſt lib.8.c.32. Et quoniam ut monuit Paulus,ſumus omnes invicem membra unius myſtici corporis, quod eſt Eccleſia; opportunè ex mutuo ejuſdem corporis amore ratiocinatur S. Aug. lib. 50. homiliarum h. 15. [Qualiter nos invicem diligere debeamus,etiam de ſanitate,vel firmitate membrorum corporalium poſſumus evidentèr agnoſcere quando ſanum eſt caput,quomodo congaudent omnia membra, & placent ſibi de ſingulis cætera membra? & quando aliquid mali patitur unum membrum,compatiuntur omnia membra; ſpinam calcat pes,illùc convertuntur omnia membra; ſpina dorſi incurvat ſe, & deponunt ſe omnia membra, oculi non ceſſant quærere, aures audire, manus operari,& quæ ſequuntur.] Sed & corporis noſtri membra mutua ſibi præſtare officia, monet S. Greg. tertia parte paſtor. admon. 11. idemq; & corporis unius myſtici membra debêre. [Sic ſunt, inquit,univerſi conſiſtentes in fide,ſicùt multa membra uno continentur corpore, quæ per officium quidem diverſa ſunt; ſed eo, quo ſibi viciſſim congruunt, unum ſiunt. Unde fit, ut pes per oculum videat, & per pedes oculi gradiantur,ori auditus aurium ſerviat.]

Rurſùm verò ex animalibus, aut univerſa potiùs natura, alio modo ratiocinatur S. Aug. lib. 3. de lib. arb. c.32. & omninò 9. fuerit argumentum univerſam quippè naturam unitatis amantem, unitatis tenacem in omnibus eſſe oſtendit, ex animalibus cunctis,quæ percuſſa, aut diviſa dolent;unitatis ſcilicèt,&conjunctionis cupida. Dolor enim ex continui diviſione naſcitur. [Non appareret, ait ille, quantus in inferioribus creaturis eſſet appetitus unitatis, niſi dolore beſtiarum. Ideò enim Deus eas dolere voluit, ut appareret, quàm ſit illa anima in ſui corporis univerſitate avida unitatis, & tenax.]

Hùc etiam decimum ſpectat argumentum ex eorundem animalium partibus, quæ vinculis, & membrorum omnium colligationibus conſtant, quibus ſublatis diſſolvuntur omnia, nec ſtare poſſunt, nec operari. Sic enim & univerſum eccleſiæ, & cujuſvis hominum congregationis corpus,mutuæ charitatis,atque unionis vinculo, & colligatione ſuſtentatur, & ſtat. Tolle charitatem, tolles congregationem. Ita S. Baſilius interpretatur illud pſ. 140. Diſſipata ſunt oſſa noſtra ſecùs infernum. Ut enim oſſa in corporibus noſtris connectuntur commiſſuris articulorum nerviſque firmantur, & ligamentis; ſic charitatis, paciſque colligatio in Dei eccleſia, veluti cognationem quamdam efficit ſpiritualium oſſium, atque in unum conſpirationem. De his à concordi harmonia ſemotis, ſolutiſq; & quaſi laxatis dicitur; Diſſipata ſunt oſſa noſtra ſecùs infernum.

Simile argumentum eſt ex ædificijs, quæ colligationibus item parietum conſiſtunt: & navium eodem modo. Ita S. Baſilius or. adverſùs calumniatores, quod nos tres Deos dicamus. [Ædificationem, ait, conſiſtere impoſſibile eſt ligamentis detractis,& Eccleſiam in altum creſcere vinculis non colligatam pacis, & charitatis.] Et rurſùm or. 1. de amore in Deum,& proximum: [Ut nullum ædificium ſtare poteſt, vincula ubi ſuſtuleris; ſic nec Eccleſia augeri, & ad ſuum faſtigium perduci poterit,niſi pacis,&charitatis vinculo conſtricta fuerit.] Et S.Io.Chryſ.h.8.in epiſtolam ad Coloſſ. [Ut in navi etſi magna ſint inſtrumenta, niſi fuerint ſubligacula, nihil proderunt. Et in domo,niſi ſint colligationes, & contignationes:& in corpore etiam ſi magna ſint oſſa, ſi non fuerint vincula,& compagines, nihil proderunt. Ita quicunque habuerint rectè facta, inania ſunt omnia,niſi ſit charitas,quæ vinculum eſt.] Idem argumentum ſumitur ex cœmento. Non enim faciunt domum lapides, & ſaxa, niſi cœmento jungantur. Quod eſt ibi cœmentum, hoc eſt, charitas, & unio in Eccleſia,& congregatione quâvis. Hoc argumento uſus eſt S. Chryſ.h.7. operis imperfecti. [Sicùt, inquit, in corporali ædificio lapis ad lapidem cœmento mediante conſtringitur; ſic in ædificio eccleſiæ Chriſtianus ad Chriſtianum charitate mediante connectitur. Si ergò tollatur cœmentum, corruat ædificium, neceſſe eſt, & pereunte charitate,perit omninò congregatio:] S.Bernard. etiam ſer.1.de dedicatione Eccleſiæ.[Disjuncta ligna, & lapides domum non faciunt, nec in eis habitare quis poteſt:ſola verò conjunctio domum facit, ſic &c.]

Decimum tertium argumentum eſt ex fundamento domus, charitas quippè velut eccleſiæ fundamentum eſt. Undè S. Greg.h.13. in Ezech. [In ædificio, inquit, lapis lapidem portat, & qui portat alterum, portatur ab altero. Sic in Sancta Eccleſia, unuſquiſque & portat alterum,& portatur ab altero. Nam viciſſim ſe proximi tolerant, ut per eos ædificium charitatis ſurgat. Omne autem pondus fabricæ fundamentum portat, quia mores omnium ſimùl ſolus Redemptor noſter tolerat.] Propterea S. Io. Chryſ. loco proximè adnotato, Chriſtum obſervat non ſolùm in charitate, ſed in fraternitate, nec ſolùm in una, ſed in gemina, fundaſſe eccleſiam. Vi- *Matth. 4.*
dit, inquit, duos alios fratres &c. [Super fraterni-

„ ternitatem charitatis, eccleſiæ compoſuit „ fundamentum: ut radicibus charitatis exuberans quaſi humor aſcendat in ramos. In „ veteri teſtamento ædificaturus populum illum per legem, ſuper Moyſen, & Aaron fratres poſuit ædificationis initium. Quoniam „ autem abundantior gratia futura erat novi „ teſtamenti, quàm veteris, ideò populum illum ædificavit ſecundùm unam fraternitatem, hunc autem ſecundùm duas.]

Decimum quartum argumentum non abſimile ducitur ex arborum radicibus, quo S. Chryſ. utitur h.27.in poſteriorem ad Cor.epiſtolam. Sic autem loquitur. [Non tantùm timeo externum bellum, quantùm pugnam „ domeſticam, quoniam & radix, quando benè compacta fuerit in terra, nihil à ventis „ patietur arbor, licèt concutiatur: ſi autem „ illam intùs vermes devorent,etiam nullo turbante cadet.]

Decimum quintum petitur ex naturali viventium omnium vita. Ut enim humore ſuſtentatur naturalis vita, eoque deficiente pereunt univerſa. Ità ſpiritualis vita, charitate atque unione vegetatur, creſcit, & deficit: S. Chryſ. h. 32. operis imperfecti. [Quod eſt in „ herbis, aut arboribus humor, hoc eſt in hominibus amor; ſicùt herbæ ex humore naſcuntur,& creſcunt, ſic homines per amorem „ incipiunt,& augentur.] Totidem verbis eandem ſententiam repetit h. 21. ex varijs Matthæi locis. Atque hùc etiam ſpectat illud S. Auguſtini ep.34.ad Paulinum. [Quis dubitet „ nos uno ſpiritu vegetari, niſi qui non ſentit, „ quâ nobis dilectione vinciamur?] Omninò Charitas, & unio vita eſt ſpiritualis cujuſque congregationis, & quæ hominem facit ſpiritualem. S.Greg.tertia parte paſtor.admon.23. „ [Diſcordes, inquit, certiſſimè ſciant, quia „ quantiſlibet virtutibus polleant, ſpirituales „ fieri nullatenùs poſſunt, ſi uniri per concordiam proximis negligunt.] Et adfert illud Pauli, Gal. 5. fructus ſpiritûs eſt charitas, gaudium, pax. Et 1. Cor.3. cùm ſit inter vos zelus,& contentio,nonnè carnales eſtis? Et pſal. 150. Laudate eum in tympano,& choro. [In „ tympano namquè ſicca, & percuſſa pellis reſonat, in choro autem voces ſociatæ concordant. Qui ergò corpus affligit, ſed concordiam deſerit, Deum laudat in tympano, ſed „ non in choro.] Ità etiam S. Proſper hunc interpretatus eſt locum. At idem S. Greg. h. 8. in Ezech. virtutes omnes abſque hac nullas eſſe demonſtrat. [Sinè concordia, inquit, „ virtutes reliquæ virtutes non ſunt. Non abſtinentia; undè pſ.150. Laudate eum in tympano, & choro. Tympanum, in quo corium „ ſiccum reſonat, eſt abſtinentia: chorus verò, „ ubi voces concorditer cantant,charitatis concordia. In utroque ſimul laudandus Deus,

„ Non ſapientia,Mar. 9.Habete in vobis ſal,& „ pacem habete inter vos. Et univerſè Hebr. „ 12. Pacem ſectamini cum omnibus,ſinè qua „ nemo videbit Deum. Et Matt. 5. Si offers „ munus tuum ad altare,&c. Hinc perpendite, „ quantum ſit malum diſcordiæ,propter quod, „ & illud abijcitur,per quod culpa laxatur, hoc „ eſt ſacrificium.] Et Petrus Chryſologus ſer. 53.qui eſt de pace. [Meritò Chriſtianæ virtutes vireſcunt in eo, qui unanimitatem Chriſtianæ habet pacis, nec pervenitur ad vocabulum filij Dei,niſi per nomen pacifici:Beati „ pacifici, quoniàm filij Dei vocabuntur.]

Decimum ſextum eſt ex circulo. In quo lineæ, quò magis accedunt ad centrum, eò magis uniuntur. [In circulo (inquit S.Dorotheus „ ſer. 6. quod proximum judicare non debemus) quò magis lineæ accedunt ad centrum, „ eò magis inter ſe propinquæ fiunt.Deus velut centrum; lineæ ad centrum ſunt viæ, & „ converſiones hominum.] Quò magis Sancti ad interiora penetrant, ut ad Deum accedant, magis etiam inter ſe conjunguntur per charitatem, & quò magis inter ſe uniuntur, magis etiam uniuntur cùm Deo.

Decimum ſeptimum ex malo punico ſumitur à Theodor. lib.3. in Cant. Dum enim interpretatur illa verba; Emiſſiones tuæ Paradiſus malorum punicorum. [Pro malo, ait, punico, charitas intelligitur. Quandoquidem „ ſub uno ejuſdem mali cortice multa ſunt grana, ita mutuò inter ſe conſerta ut ſe viciſſim „ non comprimant, neque corrumpant; ſed „ integra conſerventur, niſi aliqua in medio „ putredo naſcatur. Diviſiones autem illæ diverſos gradus, & ſtatus ſignificant &c.] Sed & rubicundus granorum color ardentem oſtendit charitatem, & S.Bern. in modo benè vivendi c.41. [Propter hoc, ait, ſumus congregati in unum, ut ſervitio Dei omnes unum „ ſpiritum, & unum animum habeamus. Nihil „ prodeſt, ſi nos contineat una domus,& ſeparet voluntas diverſa.] Cant. 4.

Decimum octavum ex hominis compoſitione ex carne, & ſpiritu, ex corpore, & rationali anima. Ita S. Bernardus ſer. 2. in die Natalis Domini, adducens illud, Gen. 1. Inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ. [Qualis, inquit, artifex, qualis unitor rerum, ad „ cujus nutum ſic conglutinantur ſibi limus „ terræ,& ſpiritus vitæ? Iuxtà ſapientiam filiorum hujus ſæculi, ubi ſociantur ſummis inferiora, prævalent, qui poteſtatem habent, & „ humilioribus utuntur pro libitu ſuo. Conculcat fortior minùs fortem,ridet ſapiens indoctum,ſimplicem fallit aſtutus,potens deſpicit „ imbecillem. Non ſic in operè tuo Deus. Non „ ad hoc ſociaſti ſpiritum limo, ſublimem humili,dignam,& excellentem creaturam abjectæ,& humili maſſæ. Charitatem mihi con-

,, junctio iſtà commendat; charitatem in hac
,, ipſa conditionis propriæ pagina lego; chari-
,, tatem in ipſo ſtatim principio, non ſolùm
,, prædicat, ſed ingerit mihi manus benigniſſi-
,, ma creatoris.]

Decimum nonum ex concordia, & pace
malorum,atque unione ad malum aliquod per-
petrandum. Ità S. Nazian. argumentatur in
or. 3. de pace: [Latrones ſceleris vinculo inter
,, ſe devincti pacem colunt, & tyrannidis ſocij,
,, aut furti conſortes,aut conjurati publicę tran-
,, quillitatis perturbatores, aut adulterij parti-
,, cipes. Nos autem eâ animi perverſitate ſu-
,, mus, ut nec concordiæ ullius fœdere,ac vin-
,, culo conſtringi, nec unquam in unum coire
,, poſſimus; nec ratio,atque oratio ulla exiſtat,
,, quæ huic morbo medeatur. Quin potiùs,
,, quaſi malitiæ, non virtutis doctores,ac diſci-
,, puli, multos diſcordiæ igniculos adijcimus;
,, pacis autem, & concordiæ leviſſimam,immò
,, nullam prorſus curam habeamus.]

Charitas æs alienum.

Vigeſimum eſt, quia charitas hæc, & dile-
ctio mutua eſt veluti æs alienum quoddam,
& præcipuum, vel etiam unicum debitum
noſtrum, juxtà illud Apoſtoli, Rom.13. Ne-
mini quidquam debeatis, niſi ut invicem dili-
gatis. Ideò S. Baſilius in regulis fuſioribus 2.
,, [Ut æs alienum, inquit,à nobis charitas exi-
,, gitur.] Et S.Ambroſius lib.6.in Lucam c.4.
,, [Vah mihi, ſi non dilexero. Reddamus licet
,, crucem pro cruce, funus pro funere,nunquid
,, reddimus, quod ex ipſo, & per ipſum, & in
,, ipſo habemus omnia? Reddamus ergò amo-
,, rem pro debito, charitatem pro munere,gra-
,, tiam pro ſanguinis pretio.] Et S. Aug. ep.
62. ad Cæleſtinum diaconum. [Sola charitas
,, etiam reddita, ſemper detinet debitorem.
,, Redditur enim cùm impenditur;debetur au-
,, tem, etiàm ſi reddita fuerit, quia nullum eſt
,, tempus,quando impendenda jam non ſit, nec
,, cùm redditur, amittitur,ſed potiùs reddendo
,, multiplicatur. Habendo enim redditur,
,, non carendo.] Et ep. 135. ad Severum Ab-
batem. [Charitatis perpetui debitores ſumus,
,, eamq; tantò magis debemus,quantò ampliùs
,, impenderimus.] Et S. Anſelmus in caput 13.
epiſtolæ ad Rom. [Cætera cùm reddita fue-
,, rint, non debentur. Dilectio autèm tantò
,, magis debetur, quantò amplius impenditur.
,, Ipſa eſt, quæ ſemper redditur, & ſemper de-
,, betur. Debetur enim etiam ſi reddita fuerit,
,, quia nullum tempus eſt, quando impenden-
,, da non ſit.] Ac demùm S. Bern. ſer. 12. in
pſ. Qui habitat, illa Pauli verba tractans;[Non
,, hoc inquit, voluit, ut alia debita negarentur
,, cum idem ipſe dicat, cui honorem,honorem.
,, Sed ſicut inter radios ſolis minora luminaria
,, non videntur, non amota, aut extincta, ſed
,, ampliori charitate tecta interim apparêre
,, non poſſunt: Sic dilectio debita quævis ſupe-
,, rans, quaſi ſola regnare debet in nobis, ut
,, quidquid debetur cæteris, ſibi vendicet, &
,, ex dilectione omnia faciamus.]

Vigeſimum primum ex ipſa hominis ap-
pellatione S. Ambroſius lib. 3. off. c. 3. [Ho-
,, mo, inquit, ab humo dictus, quæ nihil cui-
,, quam eripit, ſed omnia largitur omnibus., &
,, diverſos in uſus omnium animantium fructus
,, miniſtrat: Indè appellata humanitas, ſpecia-
,, lis,& domeſtica virtus hominis,quæ conſor-
,, tem adjuvet. Nunquid membrum tuum alte-
,, rius membri officium ſibi vendicat? Quin
,, potiùs ſi dolet unum membrum,compatiun-
,, tur omnia membra,&c.Sic naſcimur,ut con-
,, ſentiant membra membris, & alterum alteri
,, adhæreat,&obſequantur ſibi mutuo miniſte-
,, rio. Chriſtus quoque pro univerſis mortuus
,, mercedem ſanguinis ſui evacuatam dolebit.]

Vigeſimum ſecundum ſumi poteſt ex bo-
no pacis, & unionis, maloq; ac damno diſcor-
diæ. Scitum eſt illud; Concordia parvæ res
creſcunt, diſcordia maximæ dilabuntur. Sed
S. Chryſ. h.40. in Acta; [Ubi eſt charitas,in-
,, quit, & anima una; quàvis cytharâ, & tibiâ
,, conſonantiùs, & ſuaviùs omnia ſonant. Hæc
,, melodia & Deum, & Angelos lætificat, dæ-
,, monum furorem compeſcit, & afflictionum
,, demulcet impetus, nec exurgere ſinit, ma-
,, gnumq; ſilentium facit.] Et h. 2.in poſterio-
,, rem ad Cor. epiſtolam; [Si cui quid acciderit
,, grave,modò pax ſit, leve eſt: Eoq; Chriſtus
,, dixit; Pacem meam do vobis. Nulla enim
,, ſunt arma tam valida Diabolo, quàm pugna,
,, quàm inimicitia, quàm bellum.] Multa de
charitatis bono habet idem S. Chryſ. h. 32. in *Diſcordia.*
priorem ad Cor. De malo autem diſcordiæ ſa-
tis fuerit illud,quod habet S.Nazian.illam eſſe
fumum illius ignis, qui in fine mundi crema-
bit omnia. Sic enim loquitur ille or.3.de Pace.
,, [Vereor, nè præſens calamitas ignis illius in
,, expectatione poſiti fumus quidam ſit. Ve-
,, reor, inquam, nè huic antichriſtus ſuperve-
,, niat, noſtroſq; lapſus, & morbos in ſui prin-
,, cipatus occaſionem arripiat. Nec enim ſanos
,, adorietur, nec charitate ſeptos, atque fir-
,, matos. Verùm regnum in ſeipſum priùs di-
,, viſi neceſſe eſt, atque ita fortem eam ratio-
,, nem, quæ nobis inſita eſt,tentari,atque vin-
,, ciri, ac tùm vaſa diripi.]

CAPUT XVIII.

Charitatem celari vix.

PORRò etſi verum ſit id, quod loquitur S.
Greg. h.34. in Evang. in corde interdùm
latêre charitatem, neque ſe in opere prodêre.
,, [Plerumquè, inquit,charitas occupationibus
,, præpedita,& intùs flagrat in corde,& tamen
,, non monſtratur in opere,quia & ſol cum nube
tegitur

Digitized by Google

„ tegitur, non videtur in terra, & tamen ardet „ in cœlo.] Vix tamen ità occultari poteſt, ut quavis occaſione data ſeſe non prodat. [Ardens enim (inquit S. Chryſ. in pſ.41) res eſt „ natura dilectionis, nec poteſt anima ſuſtinere, ut eam ſilentio teneat,& ideò amans Paulus dicebat, 2.Cor.6.Os noſtrum ad vos apertum eſt Corinthij;hoc eſt non poſſum continere, & ſilentio premere dilectionem; ſed „ vos ſemper,& ubiquè, & in mente,& in lingua circumfero.] Sed & idem ipſe S. Greg. „ h. 30. [In dilectione,dixerat,conditoris,lingua, mens,& vita requirantur. Nunquàm eſt „ Dei amor otioſus. Operatur enim magna,ſi „ eſt;ſi verò operari renuit,amor non eſt.] Atque hùc ſpectat illud S. Hieronymi ep. 1. ad Heliodorum c. 1. [Quod ardenter volebam, „ diſſimulare non poteram.] [Impatiens namque eſt animus (loquitur S. Auguſt. lib.2. ſoliloq.c.1.)nec lachrymis modus fit,niſi amori detur, quod amatur.] At de amoris vi,atque efficacitate à ſcriptoribus, tùm prophanis, tùm ſacris narrantur plurima, quæ longum eſſet,ac penè infinitum commemorare. S. Dion. Areopagita in lib. de div. nom. c. 4.ex Hierotheo in libro de amoris laudibus, duo præcipuè amori attribuit; Vim uniendi, & dimovendi amantem de ſuo ſtatu, & transferendi in rem amatam;ità ut de illa ſemper cogitet,maximèq; ſit ſollicitus. [Amor, inquit ille, vim habet „ faciendi unum, & colligandi, præſtantique „ modo res inter ſe miſcendi &c.Dimovet autem de ſtatu, nec ſuos eſſe amantes patitur, „ ſed eorum etiam, quæ amantur. Undè Paulus,vivo ego, jam non ego, vivit verò in me „ Chriſtus. Immò Deus ipſe omnium amore „ ductus extrà ſe fit rerum omnium procuratione; atque ex ſtatu, quo ſuperat omnia,& „ ab omnibus ſecretus eſt, ad eum, quo in „ omnibus eſt, demittitur &c. Itaquè Zelotem „ ipſum appellant; ut magno, ac benigno in „ ea, quæ ſunt,amore præditum,excitantemq; „ ad ſtudium amatorij ipſius deſiderij.] Et rurſum paulò poſt. [Amorem vim quamdam „ conjungentem, & miſcentem intelligamus, „ quæ ſuperiora impellit, ut inferioribus proſpiciant, & conſulant; paria, ut inter ſe ſocietate jungantur; inferiora, ut ſe convertant ad ſuperiora.] Hæc ille:quibus non otioſum, ſed maximè operativum amorem eſſe declarat.

Amoris vis.

CAPUT XIX.

Charitatem quæ turbent.

SUNT autem multa,quæ charitatem turbant, atquè impediunt, noſq; tanto ſpoliant bono. Charitatem ergà Deum turbat, ac tollit peccatum, de quo non eſt nunc pluribus dicendum; hoc enim directè cum divina charitate pugnat. Mutuam verò inter nos, duobus maximè turbari ſcripſit S. Bern. ſer. 5. in Aſſumpt. B. Mariæ; obſtinatione, & ſuſpicione. *Suſpicio, & obſtinatio.* Charitas enim non quærit, quæ ſua ſunt; obſtinatio ex abundantia naſcitur in proprio ſenſu. Ideò S. Paulus hortabatur, ut idem omnes ſapiamus, idem dicamus, nè ſint in nobis ſchiſmata. Et pſ. 54. In domo Dei ambulavimus cum conſenſu. *Proprium judicium.* Diverſitas voluntatum mater diſcordiarum eſt, quibus ſi pertinaciam addideris, & obſtinationem, mater quoque contentionum, & pugnarum erit. [Angelis „ (ait Sanctus Ber. ſer.1. in feſto S. Michaëlis) „ multa placent in nobis, ſobriëtas, caſtitas, „ paupertas voluntaria, crebri in cœlum gemitus, & orationes cum lachrymis, & cordis „ intentione,ſed ſuper omnia hæc unitatem,& „ pacem à nobis exigunt Angeli pacis: quia „ formam quandam civitatis ſuæ repræſentant „ in nobis: & quæ ſequuntur.] At quis neſciat, obſtinationem, ac proprij judicij abundantiam ex ſuperbia naſci? S. Auguſt. in epiſt. 120. ad Honoratum c. 22. cùm apud S. Paulum legiſſet; Charitas non æmulatur, non inflatur; *1. cor. 13* „ [Ideò, inquit, non æmulatur,quia non inflatur. Ubi enim præcedit inflatio, continuò „ ſequitur æmulatio, quoniam ſuperbia mater „ eſt invidentiæ.] Hoc intelligens moriturus Iacob, atque in pace, & charitate fraterna filios ſuos vivere volens, primogenito Ruben dixit, Gen. 49. Non creſcas, id eſt, nè ſuper fratres tuos extollaris, neque ſuperbias, eò quòd primogenitus ſis, quæ dignitas apud Hebræos erat maxima; quia aſcendiſti cubile patris tui; hoc te in humilitate contineat. Nobis verò religioſis loquitur S. Bern. lib de modo benè vivendi c. 41. [Proptereà ſumus „ congregati in unum, ut ſervitio Dei omnes unum ſpiritum, & unum animum habeamus. Nihil prodeſt, ſi nos contineat una „ domus, ſi ſeparet voluntas diverſa.]

Alterum, quod plurimos, & maximè turbat,ſunt leves,atquè inanes ſuſpiciones. Namquè in omnibus malè ſuſpicantur quidam,omnia in deteriorem interpretantur partem. Ità & ipſi turbantur, & turbant cæteros, cum quibus vivunt. Intelligant illud Pauli: Charitas non cogitat malum; charitas omnia credit. Et illud S. Bernardi epiſt. 178. ad Papam Innocentium. [Non eſt ſincerus amor, ubi dubiëtatis ſcrupulus ſuſpicionis fecem retinet. „ Agnoſcant in ſe charitatis defectum, quam „ ſi haberent, optimè de omnibus opinarentur, nihil mali vererentur.]

Tertium addit ſimulationem idem Ber. in parvis ſermonibus ſer. 44. [Unitatem, inquit, *Simulatio* „ & pacem fraternam turbat obſtinatio, ſuſpicio, ſimulatio. Charitas enim tota ſimplex „ eſt, & aperta, ab omni dolo, & ſimulatione aliena:

„ aliena: Simulare non didicit; ſed nec ſimulantes diligit.] Lege S. Greg. lib. 10. mor. c. 16. ubi pulchrè interpretatur illa verba Iob. Deridetur juſti ſimplicitas. Oſtenditq; quàm ſit diverſa juſtorum ſapientia, à ſapientia hujus mundi. Et adfert illud, Ex. 8. Abominationes Ægyptiorum immolabimus Domino Deo noſtro? [Ovem enim, quæ ſimpliciſſimum eſt, „ & candidum animal, edere Ægyptij dedignabantur. Sed quod abominantur Ægyptij, hoc Iſraëlitæ offerunt Deo. Sic ſimplicitatem conſcientiæ, quam injuſti quique velut abjectam deſpiciunt, hanc juſti in virtutis ſacrificium vertunt.]

Affectio ſingularis & propria commoda.

Quartum his addi poſſunt affectio ſingularis ergà aliquem, quæ plurimum offendere cæteros ſolet. Amor, & ſtudium propriorum commodorum. Dùm enim quiſque, quod ſuum eſt, quærit, oritur diviſio, & charitas læditur, quæ non quærit, quæ ſua ſunt, quemadmodùm loquitur Apoſtolus, ſed quæ aliorum, & alia ejuſmodi plura, quæ obſervare unuſquiſque poterit. Iam enim nimis multa video me de charitate ſcripſiſſe, quàm rebus magis, quàm verbis, exhibendam eſſe non ignoro, hoc unum admoneo; Ut inæſtimabile charitatis, & pacis bonum tuearis, atque retineas; multa ab ijs, quibuſcùm vivis, toleranda eſſe; atquè à multis abſtinendum tibi, nè offendas cæteros.

Patientia.

„ [Quibus vero laudibus (inquit Sanctus Ber. ſer. 1. in feſto omnium Sanctorum) dignum putas facere illum, qui ſine querela converſans inter fratres, tota ſolicitudine cavet, nè quid in eo ſit, quod ab alijs tolerari oporteat, & quidquid in alijs eſt oneroſum, patientiſſimè portat?] [Non cavendum autem, addit ſer. 29. in Cant. tantùm ab offenſis gravioribus, ut ab aperto convitio, ſeu maledicto, clandeſtinovè ſuſurrio, ſed cavenda ſunt, & levia: ſi tamen leve debet dici, quodcunque in fratrem præſumpſeris voluntate lædendi.]

FINIS LIBRI QUINTI.

DE ODIO, ET INIMICORVM DILECTIONE.

LIBER SEXTVS.

CAPUT I.

De duplici Odio duplici Charitati oppoſito.

Odium duplex.

CHARITATI odium adverſatur: atquè ut duplex eſt charitas, Dei, & proximi; ità duplex odium conſiderare licet, quod duplicem oppugnet charitatem. De priori S. Auguſt. in ſecundo libro de ſer. Domini in monte; cap. 22. tractans illa Domini verba, Matt. 6. Nemo poteſt duobus Dominis ſervire: aut enim unum odio habebit, & alterum diliget: odio, inquam habebit Diabolum, & diliget Deum. Aut alterum ſuſtinebit, ſcilicet diabolum; & alterum contemnet, ſcilicet Deum: obſervat illud verbum, contemnet. Non enim dixit, odio habebit; quoniam nullius ferè conſcientia Deum odiſſe poteſt: contemnit autem, & non timet, qui quaſi de ejus bonitate ſecurus eſt. Sed hunc locum retractat in primo libro retrac. c. 19. Multi enim ſunt, de quibus ſcriptum eſt in pſ. 73. ſuperbia eorum, qui te oderunt, aſcendit ſemper. Origenes quoque ſub finem h. 2. in pſ. 37. Non poſſe hominem in hac vita non haberi odio, hoc argumento confirmat; quod & Chriſtus à Iudæis odio habitus fuit, & Deus ipſe odio ab aliquibus habeatur. Nam & Propheta ait in pſ. 138. Nonnè odientes te Domine oderam, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam? perfecto odio oderam illos. Hæreticos quoque addit odio habere Deum, & illius verba, & Spiritum S. Verùm quod ad Chriſtum attinet, is à Iudæis odio habitus eſt, ut homo erat, nequà odium illud fuit odium Dei, niſi materialiter; hoc eſt hominis, qui Deus quoque erat; ſed illi Deum non credebant. Quod autem ad Deum ſpectat; ſivè hæretici, ſivè peccatores, quicumque odiſſe Deum dicantur; odium eſt materiale, non formale; implicitum, non explicitum: non, inquam, habent actum odij elicitum, ſed contemptum præceptorum Dei peccatores. Aut impugnationem veritatis, & fidei divinæ, & eccleſiæ Dei, Hæretici. Hoc igitur accipiamus; objectum voluntatis noſtræ eſſe bonum,

Odium Dei.

Digitized by Google

Voluntas circà bonum.

bonum, Deumque eſſe ſummum, & omne bonum. Alterum item accipiamus, quod probatione non indiget. Quilibet enim concedet facultates, & vires animæ noſtræ tùm cognoſcentes, tùm appetentes, ità eſſe naturâ comparatas, ut in objectum ſuum ſibi, ut par eſt, propoſitum, atquè conjunctum, una quæque natura feratur, nec poſſit non ferri. Itaque ut veritati clarè propoſitæ non poteſt non aſſentiri mens noſtra; ità voluntas, etſi circà bonum majorem habeat libertatem amplectendi, aut repudiandi hoc, aut illud particulare bonum, aut etiam ſuſtinendi actum, bonum tamen univerſum repudiare, aut odiſſe non poteſt, & ſummum bonum ſibi clarè propoſitum non poteſt non amplecti, & amare, repudiare, & odiſſe non poteſt. Ita conficitur, in beatis Dei odium eſſe non poſſe; ſed ſummum ſemper amorem, & charitatem adeſſe. In damnatis, & dæmonibus eſſe ſanè odium, quo & Deum blaſphemant; ſed non eſt odium Dei, ut Deus eſt. Quis enim ſummum, & omne bonum oderit? ſed Dei, ut ſcelerum vindex eſt, & cruciator ipſorum, hoc eſt ut illis rationem habet mali. Denique de viatoribus, aut idem dici poteſt, ſi quis tàm malus reperiatur, qui in odium erumpat: Qui enim divinam eſſentiam non vident, & particulares experiuntur effectus, qui illorum voluntati adverſantur, in odium auctoris illorum provocantur. Aut intelligere oportet odium materiale, quo Dei juſſa violantur, & contemnuntur. Quemadmodùm de peccatoribus univerſè pronuntiavit David.

Odium hominis.

De poſteriore autem hominis odio apud prophanos ſcriptores celebris eſt. Athenienſis Timon, qui non unum aliquem particularem hominem, ſed omnes homines, vel etiam ſeipſum ſummo proſequebatur odio. Duoque de illo præſertim commemorantur. Alterum; quod Alcibiadem puerum obvium complexus eſt, & oſculatus, magnoque amore proſecutus; quod Athenienſibus magnorum malorum cauſam futurum prævideret. Alterum; quod ficum exciſurus horti, in qua jàm multi ſeſe ſuſpenderant, in ſenatu priùs edixit; ſi quis vitæ affectus tædio ſuſpendium cogitat, properet ad laqueum priuſquàm ficum ſuccidam. At hæc pluſquàm beſtialis fuit, ac feralis ſævitia hominis, totique repugnat naturæ, quæ docet illum amare, qui ſit ejuſdem naturæ conſors, & particeps, quod in cunctis quoque beſtijs manifeſtum eſt. Multò magis eum, qui ſanguinis etiam cognatione ſit conjunctus; quique ſit tibi utilis, ac beneficus; quem ſi non ames, & habearis ingratus, & inhumanus, & contrà juſtitiam pecces.

CAPUT II.

Inimicorum dilectio ex Sacris litteris.

De inimicis, quos adverſarios, atquè maleficos experiaris, aut expertus fueris, quoſque propterea refugit, & averſatur natura, diſputari magis poteſt. Dualque habet hæc diſputatio partes. Alteram de illorum dilectione; Alteram de injurijs, & damnis ab illis nobis illatis non ulciſcendis, ſed condonandis.

Cæterùm cùm is, quem inimicum dicimus, homo ſit, ut & nos ſumus, proximus ſanè eſt, eodemque continentur præcepto, quo jubemur diligere proximum: nequè ſolum in novo, ſed etiam in veteri teſtamento, diligendus præcipitur inimicus. Namque Ex. 23. ita habemus: Si occurreris bovi inimici tui, aut aſino erranti, reduc ad eum. Si videris aſinum odientis te jacere ſub onere, non pertranſibis, ſed ſublevabis cum eo. Et Levit. 19. prohibemur de inimicis vindictam ſumere; Non quæras, inquit Deus, ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum. Et Prov. 25. Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitierit, da ei aquam bibere. Prunas enim congregabis ſuper caput ejus, & Dominus reddet tibi. Itaquè interrogatus Dominus, Matt. 22. de legis mandatis, primum reſpondit mandatum eſſe. Diliges Dominum Deum tuum, &c. Secundum autem, diliges proximum tuum ſicut te ipſum: Proximum, inquam, hominem quemlibet, vel etiam inimicum, qui proximi nomine continetur, quia homo eſt, ſicùt & tu. In novo autem teſtamento Chriſtus præcepit Matt. 5. Ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros &c. [Non dedit conſilium, ſed „ præceptum, ait S. Aug. ſer. 61. de tempo- „ re.] Etenim ijs adverſari videntur ejuſdem Domini verba c. 5. Ait enim; Audiſtis, quia dictum eſt, diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Sed cùm hoc nuſquàm legatur veriſimile fortaſſè fuerit id, quod non pauci ſuſpicati ſunt, poſteriorem ſermonis hujuſce partem à Phariſæis fuiſſe adjunctam. Aut ſi id non credatur; Diabolum inimicum noſtrum, vel hominem malum, quatenùs malus eſt, interpretabitur S. Aug. ſer. 168. de tempore. Aut certè credi poteſt; quemadmodùm Paulus, Rom. 4. citans pſal. 31. Sicùt, inquit, David dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert juſtitiam ſinè operibus &c. Cùm tamen David non dixiſſet (ſine operibus) ſed cùm nominaſſet juſtitiam, & non opera; occaſionem ſumpſit argumenti: Ità & Chriſtum, cùm Levit. 19. ſcriptum ſolùm eſſet; Diliges proximum tuum ſicut teipſum, deq; inimicis nulla eſſet expreſſa mentio; dictum antiquis, dixiſſe; Diliges proximum, & odio habebis inimicum tuum; non quòd hoc

Inimici dilectio ex veteri testamento.

Ex novo.

Quomodo odio habebis inimicum tuum

Digitized by Google

hoc dictum eſſet, ſed quòd non dictum eſſet expreſſè; Diliges inimicum tuum; etiamſi proximi nomine contineretur. Atque hoc eſt, quod ille addidit; Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros; hoc ſcilicet veteri addendo præcepto, atque apertè declarando id, quod in eo implicitè continebatur. Sic etiam Ioan. 13. Mandatum, quod dedit de mutua dilectione, appellavit novum; Mandatum novum do vobis, non ſolùm, ut habet Orig. h. 9. in Num. quia charitas nunquam cadit, nec mandatum charitatis unquam veteraſcit; ſed novos ſemper in ſpiritu conſervat homines: Verùm etiam, quòd etſi in veteri quoq; lege fuiſſet præcepta dilectio proximi, ipſe tamen renovaret, explicaret magis, & illuſtraret, addendo etiam nomine proximi hominem omnem intelligi.

Charitas mandatum novum.

Aliqua tamen ſunt, quæ ad inimicos pertinent, quæ conſilij ſunt, non præcepti. Præceptum namq; eſt, ut odio eos non proſequamur, ſed diligamus, optando ſcilicet illis vera, & æterna bona, neque de illis expectemus vindictam; ſed ſalutantes reſalutemus, neque ullum omninò malevolentiæ, aut odij præbeamus indicium. Ut autem percutienti agamus gratias, & alteram præbeamus maxillam, intimamq; cum illo familiaritatem habeamus, hæc majoris ſunt perfectionis; & conſilij, non præcepti. Itaquè quod in libro enchyr. c. 73. de hac re loquens S. Auguſt. diligere inimicum (ſcripſit) non eſſe tantæ multitudinis, quanta in oratione Dominica dicit; Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris: Sed hominum ſolùm perfectorum, intelligere oportet quoad ea, quæ ſunt conſilij, non præcepti, & eo modo, quo amicum diligimus. Alioqui præceptum ad omnes pertinet, omneſq; qui dicunt; Dimitte nobis debita noſtra; dicunt etiam, ſicùt, & nos dimittimus debitoribus noſtris; quatenùs ſcilicet obligamur præcepto.

De inimicis præceptum & conſilium.

CAPUT III.

Inimicos diligi poſſe.

PORRò hanc inimicorum dilectionem non defuerunt, qui impoſſibilem judicarent. Auctor eſt S. Auguſt. in ſer. 59. de tempore. Carnales ſcilicet homines, & omnia ſenſu metientes, quibus ille reſpondet; Chriſtum impoſſibilia non præcepiſſe, ſed perfecta. Quòd ſi in ſcripturis multæ interdùm imprecationes legantur ſanctorum contrà inimicos; non ſunt, inquit, optantis voto, ſed ſpiritu prævidentis, ſed & Io. Caſſ. coll. 7. Abbatis Sereni c. 21. de Dæmonibus potiùs, quàm de hominibus, vult intelligi, & optimè in ſer. 61. homines oſtendit Auguſt. poſſe ſe à pluribus alijs operibus propter impoſſibilitatem excuſare; at nullum omninò poſſe dicere, ſe non poſſe amare. Et plura eorum, qui re ipſa inimicos dilexerunt, profert exempla, tùm Chriſti Domini, & Stephani in eodem loco, tùm Iacob, & Ioſeph Patriarcharum, & Moyſis, & Iob, & Davidis, in ſer. 168. Iſaäcum addit S. Chryſ. h. 52. in Gen. Addit etiam Deum, Moyſen, Chriſtum, Paulum, h. 7. in ep. ad Epheſ. & S. Leo Papa in ſer. de martyribus (qui Sancto Auguſtino quoque tribuitur, & eſt 47. de Sanctis) longiore oratione perſequitur, omnes omninò poſſe inimicos diligere; tametſi Sancto Ioanni Chryſoſtomo in h. 4. in Gen. valdè arduum videatur.

Diligi poſſe.

Plurima verò paſſim apud Patres omnes repetiuntur, quæ nos urgeant. Primum enim amicos diligere, omnium eſſe affirmant, inimicos autem proprium Chriſtianorum. Nam & Dominus, Matt. 5. dicebat. Ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros. Et, ſi diligatis eos, qui vos diligunt, nonnè & Publicani hoc faciunt? Itaquè Tertull. in lib. ad Scapulam c. 1. [Diligere, inquit, inimicos, propria „bonitas noſtra, non communis. Amicos e„nim diligere omnium eſt, inimicos autem „ſolorum Chriſtianorum:] Et cùm Gentiles aliquando Chriſtianis objicerent, quòd rempublicam perturbarent, & commoverent bella, reſponderunt ſemper Patres; tantùm id à veritate abeſſe, ut Chriſti præcepto debeant etiam inimicos diligere; ut videre eſt apud Tertull. eo loco; & S. Iuſtinum in 2. defenſione pro Chriſtianis, & Arnob. lib. 1. contrà Gentes. Et propterea Orig. h. 9. in Num. Moyſen, & Aäron diſcipulos potiùs appellavit Evangelij, quàm legis, quòd inimicos diligerent, & pro perſecutoribus orarent. Et S. Ambr. in ſer. 10. [Si te, inquit, non læſit „frater, obſequium meretur, ut diligas: ſi læſit, „magis obſequium meretur, ut vincas. Hæc „enim noſtræ Chriſtianitatis ſumma eſt, ut a„mantibus viciſſitudinem, lædentibus patien„tiam rependamus.] Et S. Aug. ſer. 28. ad fratres in eremo. [Cæteræ virtutes fidelibus, & in„fidelibus communes ſunt, diligere inimicos „proprium Chriſtianorum eſt.] & S. Leo Papa „ſer. 10. de quadr. [Servi Dei, & Diſcipuli ve„ritatis, etiam diſſimiles ſui diligunt, & bellum „vitijs potiùs quàm hominibus, indicunt, nulli „malum pro malo reddentes, ſed correctionem „peccantium ſemper optantes. Pulchrum enim „valdè eſt, & divinæ benevolentię comparan„dum, amare propriam etiam in hoſte naturam.] Denique S. Ber. ſer. 48. in Cant. Eum qui inimicum diligat, agnoſcit velùt lilium inter ſpinas, quòd inter malos Evangelij impleat perfectionem. [Non mediocris, inquit, titulus pro„fectò virtutis, inter pravos vivere bonum, „& inter malignantes innocentiæ retinêre cando-

Proprium Chriſtianorum.

Digitized by Google

,, candorem. Magis autem, ſi his, qui oderunt ,, pacem, pacificum te, & amicum exhibeas. ,, Lilium ipſas utique pungentes ſe ſpinas candore proprio illuſtrare, ac venuſtare, non ceſſat, & implere quodammodo videtur Evangelij perfectionem, quâ orare jubemur pro calumniantibus nos &c.]

Admirabilius nihil. Secundò nihil admirabilius eſſe in mandatis Dei, ait S. Auguſt. conc. 7. & 9. in pſ. 118. quàm [Diligite inimicos veſtros, hoc eſt, retribuite bona pro malis.] Quod Bernardo in libro de paſſione Domini ſuper Ego ſum vitis vera cap. 11. divinum magis viſum eſt eſſe, quàm humanum. Nihilque adeò Deum placare, nobiſque propitium reddere, affirmavit S. Io. Chryſ. h. 83. in Io. & 51. ad populum Antiochenum. Et cùm charitas ſummum ſit religionis noſtræ bonum, & proprium, ac præcipuum Chriſti mandatum. [Ille veraciter (ut ait S. Greg. Papa in primum pſ. pœnitentialem) charitatem habet, qui & amicum diligit in Deo, & inimicum diligit propter Deum.] Quam ob cauſam meritò S. Chryſ. h. 27. in ep. ad Rom. [Nè frigidum, inquit, illud, & imbecilli animi verbum proferas; ſi me dilexerit, diligam. Nè dixeris talia: ſed ſi amare te nolueris, majorem etiam dilectionem oſtendito, ut ipſum attrahas. Membrum ſiquidem eſt. Membrum verò ſi neceſſitate quapiam à reliquo fuerit corpore abſcindendum, nihil non molimur, quo illud uniamus iterùm, & quæ ſeq.] S. quoquè Auguſt. ſer. 61. antè citato; [Sunt, inquit, aliqui qui teſtimonio divinæ ſcripturæ iracundiæ ſuæ exiſtimant ſuffragari. Dicunt enim; Amat anima mea amantem ſe. Sed hæc verba de Deo ille intelligi vult, quia nullus nos meliùs, quàm ipſe diligit.]

Charitas vita, odium mors animæ. Tertiò Charitatem monent vitam eſſe animæ odium autem mortem. Quocircà S. Greg. lib. 10. mor. c. 11. [Vitam ait animæ quælibet culpa polluit; ſervatus verò, contrà proximum dolor occidit. Menti enim ut gladius figitur, & in mucrone illius ipſa viſceruni occulta perforantur, qui ſi à transfixo corde priùs non educitur; nihil in precibus divinæ opis obtinetur; quia & vulneratis membris imponi ſalutis medicamina nequeunt, niſi ferrum à vulnere antè ſubtrahatur.]

Odit Deus. Quartò Deum addunt maximè odiſſe hominem inimicorum odium in corde ſervantem. Ita S. Io. Chryſ. h. 27. in Gen. [Nihil omnium ,, Deus ità odit, ut hominem ultionis avidum, ,, & in animo ſuo perpetuas ſervantem inimicitias.] Atque hinc argumentum ſumit S. Maximus Taurinenſis in ſer. de S. Stephano. [Si enim potens perſona injuriam faciat, patienter toleramus, nè pejora nobis faciat. Quod à nobis extorquet hominis timor, non extorquebit Dei timor, & amor?] [Si rex aliquis terrenus (ratiocinatur S. Chryſ. h. 4. in Gen.) legem tibi poſuiſſet, ut vel inimicorum tuorum curam geras, vel morte puniaris; an non metu mortis corporalis omnes accurrerent ad implendam legem?]

Separandus homo, & peccator. Hinc eſt, quod 5. loco dicunt, ſubtili opus eſſe diſtinctione; ſeparandumque hominem ab inimico ſeu peccatore, & amandum hominem, licèt inimicus ſit; & odio habendum peccatum, quod in eo eſt. Namque hoc modo in ſacris litteris plurimùm, ac ſæpiſſimè commendatur charitas; & amor Dei ergà peccatores, ut etiam propter illorum ſalutem, ac redemptionem factus ſit homo, & crucis mortem acerbiſſimam tolerârit. Undè voces illæ Pauli, Rom. 5. Commendat charitatem ſuam Deus in nobis; quoniam cùm adhùc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt. Et rurſùm, cùm inimici eſſemus reconciliati ſumus Deo per mortem filij ejus. Et tamen nihil toties inculcatur, quàm Dei odium adverſus peccatores, & iniquos. Sed dum amat homines quos creavit, odit peccatum, quod homo contrà voluntatem Dei fecit. Ità & nos amare oportet hominem, & odiſſe peccatum in homine, non naturam, vel perſonam. Ità Orig. lib. 9. in epiſtolam ad Rom. dùm interpretationem facit capitis decimi in ea verba; Cùm omnibus pacem habentes. [Aliud eſt, inquit, homines amare, aliud crimina diligere. Qui homines amat, amat creaturam Dei; qui crimina diligit, diaboli ſectator invenitur. Qui ergò perfecti ſunt: hoc ipſo, quod oderunt crimina, homines amant, & odio habentes in eis illud, quod peccant; illud, quod Deus creavit, amare non deſinant.] Et S. Io. Chryſ. in expoſitione pſ. 11. verba illa: Diſperdat Dominus univerſa labia doloſa, & linguam magniloquam; obſervat non contrà ipſos peccatores, ſed pro ipſis fuiſſe dicta. [Non enim orat Propheta, ut perdantur illi; ſed ut eorum vitium de medio tollatur. Non enim dixit, perdat ipſos Dominus; ſed labia doloſa: Non ſubſtantiam ſed linguam, arrogantiam, fraudem vult auferri, ſuperbiam excindi.] Et S. Auguſt. in ep. 54. ad Macedonium. [Facile eſt, atquè proclive malos odiſſe, quia mali ſunt; rarum autem, & pium eoſdem ipſos diligere, quia homines ſunt: ut in uno ſimul, & culpam improbes, & naturam approbes: ac propterea culpam iſtius oderis, quod eâ fœdatur naturâ quam diligis. Non eſt igitur iniquitatis, ſed potiùs humanitatis ſocietate devinctus, qui propterea eſt criminis perſecutor, ut ſit hominis liberator.] Et ep. 121. ad Probam Viduam c. 6. [Nemo eſt in genere humano, cui non dilectio, etſi non pro mutua charitate (hoc eſt quia amicus ſit, & diligat te) pro ipſa tamen communi ſocietate debeatur;

Digitized by Google

„ hoc eſt quia homo ſit.] Et in pſalmum 100. cùm ait David; Facientes prævaricationem odio habui; [Odiſſe, inquit, debes prævari- „ catores, non homines: hominem Deus fecit, „ prævaricatorem ipſe homo ſe fecit. Ama, „ quod Deus fecit; perſequere, quod ipſe „ ſibi fecit.]Et tract.8. in epiſtolam Io. amandum affirmat in inimico, non quod eſt, ſed quod poteſt eſſe; nempè ut ſit frater noſter, & æternæ vitæ cohæres. Quemadmodùm faber videt lignum non dolatum, & amat illud; non amat id, quod eſt, neque ut ſemper ſic maneat; ſed quod ipſe indè facturus eſt. Sic & Deus diligit peccatores, & nos debemus inimicos diligere non id, quod ſunt, ſed quod eſſe poſſunt. Atque hoc item argumento utitur in lib. 50. homiliarum; h.6. quia qui nunc eſt inimicus, fortaſſè ſic ad pœnitentiam convertetur, ut in cæleſti Hiëruſalem concivis tuus eſſe mereatur; & fortè etiam major te efficiatur. Et adfert exemplum Pauli, qui anteà perſecutor Eccleſiæ, factus eſt prædicator &c. Et nè nimis longum faciam. Audi poſtremò S. Euſebium Emiſſenum in h. fer. 6. poſt cineres. [Inimicus, inquit, homo „ eſt; Inimicus, quia peccator; amicus, quia „ homo. Duo enim audiſti; hominem,& pec- „ catorem. Dilige hominem, habe odio pec- „ catorem; dilige naturam,non vitium,odi vi- „ tium, non naturam. Quod enim Deus in „ homine fecit, amicum tibi eſt: quod verò „ Diabolus in homine fecit, inimicum tibi eſt, „ tibique inſidiatur. In uno igitur, eodemque „ homine &amicum diligamus, & odio ha- „ beamus inimicum.]Hoc tamen perfectorum eſſe judicat S. Auguſt.in libro contrà Adimantium c. 17. ut non oderint in peccatoribus niſi peccata, ipſos autem homines diligant: & cùm vindicant,non vindicent acerbitate ſævitiæ,ſed moderatione juſtitiæ.

Sextò ex eo, quòd homo inimicus eſt malus,& peccator; ratiocinatur S. Auguſt. conc. 3. in pſ. 30. te quoquè,ſi oderis illum,& fueris illi inimicus, fore malum, & peccatorem; itaquè eritis duo mali, & peccatores: ſi diligas illum,ille erit malus, & peccator, tu bonus,& juſtus. [Inimici,inquit,homines qualeſcunque „ fuerint, non ſunt odio habendi: nè cùm odit „ malus, quem patitur malum, ſint duo mali. „ Diligat bonus, & quem patitur malum; ut „ vel unus ſit malus.]

Septimum motivum dilectionis hujuſce apud eundem Auguſt. eſt; ut eos Deo lucremur,atq; ad æternam ſalutem juvemus. In primo retrac. lib. cap. 19. quærens cur Dominus diligendos præceperit inimicos; cùm alio loco velit odio haberi parentes, & filios: reſpondet, debere nos inimicos diligere lucrandos regno Dei; & in propinquis odio habendum, ſi impediant à regno Dei. Et in primo libro de doctrina Chriſtiana c. 29. [In theatris, in- „ quit,nequitię,qui aliquem diligit hiſtrionem, „ vult eum ab omnibus diligi,& diligit omnes, „ qui eum diligunt ſecum,& quantò eſt in ejus „ amore ferventior,tantò agit omnibus modis, „ ut à pluribus diligatur.]Quid ergò nos in ſocietate dilectionis Dei agere convenit? propterea, & nos inimicos etiam noſtros diligamus, ut divinæ dilectionis ſocios habeamus illos.

Octavum eſt; quia Deus propter hominem factus eſt homo: & quis poteſt odiſſe hominem,quem tantoperè Deus amavit;&(ut ratiocinatur in Manuali Aug. c.26.)cujus naturam & ſimilitudinem videt in humanitate Dei? Reverà,inquit ille,qui odit hominem,odit Deum.

Nonò ex elementis quoquè argumentatur S.Io.Chryſ.h.12.in Gen. [Imitemur, in- „ quit, tantam ratione carentium elemento- „ rum obedientiam, nos qui ratione inſigniti „ ſumus. Nam ſi ignis, qui ità edax, ità vehe- „ mens, corporibus corruptibilibus, & tam te- „ neris pepercit(tribus,inquam,pueris in forna- „ ce)quam meretur veniam homo ſuum refre- „ nare furorem propter mandatum Domini, „ & iram ergà proximum è pectore ſuo elimi- „ nare nolens? Et quod majus eſt;ignis tantam „ urendi vim habet, & ſuam operationem non „ oſtendit:homo autem manſuetum animal,& „ rationale, & benignum,contraria ſuæ naturæ „ facit, & mores ſuos in ferinos vertit.]

Decimò ex communi natura oſtendit Lactan.Firm. in libro de vero cultu c. 10. contrà naturam eſſe inimicum odiſſe; conſentaneum naturæ diligere. [Si enim ab uno homine, „ quem Deus finxit,omnes orimur,certè con- „ ſanguinei ſumus: & ideò maximum ſcelus „ putandum eſt odiſſe hominem vel nocen- „ tem. Si ab uno Deo inſpirati omnes, & ani- „ mati ſumus:quid aliud,quàm fratres ſumus? „ ergò pro belluis immanibus ſunt habendi,qui „ hominibus nocent, qui contrà jus humanita- „ tis, & fas omne ſpoliant, cruciant, occidunt, „ exterminant.] Et rurſùm in epitome c.7. [Si „ facti ab uno Deo, & orti ab uno homine; „ conſanguinitatis jure ſociamur; omnem igi- „ tur hominem diligere debemus.]

Undecimò S. Aug. in com. pſ.54. [Homo, „ quem vides; & diabolus,quem non vides;ini- „ micus duplex, volunt nos ſuperare,& humi- „ liare in eo, in quo à nobis vincuntur: homo „ in divitijs, honore, viribus à nobis ſuperatus „ conatur facere pauperem,abjectum,debilem; „ diabolus inimici dilectione victus, hanc ille „ conatur nobis auferre.]

Duodecimò ex turpiſſimo meretricum amore argumentum ſumit S. Io. Chryſ. h. 7. in ep. ad Ephes. [Non videtis, ait, amatores „ illos, quomodò tot damnis affecti,nihilominùs affixi teneantur, & ardeant; ac muliër- „ culas illas, antè quarum januas integram noctem

Digitized by Google

,, noctem contempti perdurant, plùs diligant,
,, quàm ſuas ipſorum animas? Hinc ſumamus
,, exemplum, ut adhùc modum diligamus ini-
,, micos. An non enim contumelioſius illis abu-
,, tuntur, quàm ſi inimicæ eſſent? An non ſub-
,, ſtantiæ involant? An non in faciem proca-
,, citer contumeliantur? An non illis plùs,
,, quàm ſervis, imperant? Et tamen non ab-
,, ſiſtunt iſti; tametſi talem nemo habeat ini-
,, micum, qualem habet, qui amicam diligit.]

Ex inimicis utilitas.

Decimum tertium argumentum ſit ex utili-
tate, quæ ex inimicis in nos copioſa derivat.
,, [Etſi enim (ut S. Greg. Papa loquitur libro
,, 22. mor. c. 6.) humana mens omnem inimi-
,, cum, quem tolerat, impium, & iniquum pu-
,, tat; quia ejus culpas apud cogitationem ſuam
,, livor accuſator exaggerat. Si tamen alijs bo-
,, nus eſt, nobis malus non eſt.]

Prima autem, & maxima utilitas eſt, quòd
1. majori ad Deum confidentia accedimus, &
faciliùs noſtrorum delictorum veniam impe-
tramus; juxtà illud, quod in oratione domini-
ca dicimus; Dimitte nobis debita noſtra, ſi-
cut & nos dimittimus debitoribus noſtris.
,, [An non (inquit S. Io. Chryſ. h. 4. in Gen.)
,, pro beneficio habendum, quòd occaſio tibi
,, præbetur, dùm inimico benefacis; ut aperian-
,, tur tibi januæ fiduciæ veniendi ad Deum, &
,, redimendi peccata tua?] Et h. 51. ad populum
nihil ità Deum reddit propitium, ſicut inimi-
cos diligere, & calumniantibus bene facere.

2. Altera eſt, quòd illi ſunt nobis velut moni-
tores; qui dùm nobis vitia exprobrant no-
ſtra, emendationis, & melioris vitæ ſunt cauſa.
,, [Sicùt enim amici pervertunt (inquit S. Aug.
,, lib. 9. confeſſ. c. 8.) ſic inimici litigantes ple-
,, rumque corrigunt.] Et S. Chryſ. h. 3. de Da-
vid, & Saüle; [Amici frequenter ad gratiam
,, adulantur, hoſtes delicta proferunt in mediũ.
,, Quoniam cùm nos noſtra peccata non vide-
,, mus ob amorem noſtri nobis inſitum; illi quia
,, propter odium ea meliùs, quàm nos, perſpi-
,, ciunt, opprobrando nos ad correctionis ne-
,, ceſſitatem impellunt.] Et homilia 13. ad
,, populum; [Sæpè & ab inimicis non minùs
,, lucramur, quàm ab amicis: Cùm enim
,, nobis peccata exprobraverint, etiam invitos
,, in ipſorum correctionem excitant.] Alias
plures colligit utilitates, & commoda in hom.
20. ex varijs Matthæi locis; ſic autem habet.
,, [Vide quæſo, quantum lucreris, inimico-
,, rum æquè ferens inſolentias. Primum qui-
3. ,, dem, & maximum quod à peccatis abſolve-
4. ,, ris. Secundò tolerantiam acquiris, & patien-
5. ,, tiam. Tertiò manſuetudinem, & clemen-
6. ,, tiam. Quartò mentem ſemper ab ira ſince-
7. ,, ram. Quintò fies & venerabilis ipſis adver-
8. ,, ſarijs, licèt etiam dæmones ſint. Sextò quòd
,, omnium maximum eſt, & primum, Dei lu-
,, craberis amicitiam &c.] Extat & Plutarchi
opuſculum de utilitate ab inimicis capiendã.

Decimum quartum eſt; quòd hac ratione
Dei ſimiles ſumus. Quod ipſemet Dominus 9.
propoſuit; dum præceptum de inimicis dili-
gendis publicavit, Matt. 5. Ut ſitis filij patris
veſtri, qui in cœlis eſt: qui ſolem ſuum oriri
facit ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper ju-
ſtos, & injuſtos. Undè S. Auguſt. conc. 2. in pſ.
70. [Qui benè vult inimico ſuo, Deo ſimilis
,, eſt: nec iſta ſuperbia eſt, ſed obedientia, quia
,, ad imaginem Dei facti ſumus.] Et ſer. 61. de
tempore. [Si boni tantummodò amandi ſunt,
,, quid dicemus de Deo noſtro, de quo ſcriptum
,, eſt; ſic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum
,, unigenitum daret? quid enim boni fecerat
,, mundus, ut illum ſic dilexerit Deus &c.] Et
S. Chryſ. h. 4. in Gen. cùm verba illa Chriſti
pronuntiaſſet; [Imitare, inquit, pro humanis vi-
,, ribus Deum. Nam ſicùt ille, non ſolùm ju-
,, ſtis, ſed & his, qui mala operantur, ſolem ori-
,, ri facit; & pluviam, & imbres annuos ſuppe-
,, ditat; ſic & tu, ſi non ſolùm diligentes diligis,
,, ſed & inimicos, pro virili Dominum tuum
,, imitaris.] Et h. 7. in epiſtolam ad Eph. [Imi-
,, tatio Dei, dilectio eſt inimici. Cogita, te non
,, inimico, ſed tibi ipſi benefacere: non inimi-
,, cum diligere, ſed Deo obaudire.] Et ſub finem
h. 19. in ep. ad Hebr. [Dilige inimicum. Non
,, enim illi præſtas, ſed tibi. Quomodò? ſimilis
,, efficeris Deo. Ille ſi ametur à te, nihil lucra-
,, tur; à conſervo quippè dilectus eſt: tu autem
,, ſi dilexeris conſervum, magnum lucrum fa-
,, cies, & efficieris ſimilis Deo.] Deniq; in ſer.
Nè virtutibus progenitorum confidamus, to.
5. Nihil nos Deo tam proximos facit, quam
benè de inimicis mereri.

Injurias condonandas eſſe.

Decimum quintum petitur ex illis verbis,
quibus in oratione dominica, Matt. 6. à Domi-
no petimus; Dimitte nobis debita noſtra, ſi-
cùt & nos dimittimus debitoribus noſtris. Si
ergò nos non dimittamus, nec nobis à Deo
dimittetur. Ita S. Cypr. in ſer. de oratione
dominica, quem eſſe Cypriani agnoſcit S. Aug.
ep. 107. de prædeſtin. Sanctorum c. 8. & de bo-
no perſeverantiæ c. 2. 3. 4. 6. 19. & 21. [Sic no-
,, bis dimitti debita poſtulamus, ſecundùm
,, quod, & ipſi debitoribus noſtris dimittimus:
,, ſcientes impetrare non poſſe, quod pro pec-
,, catis petimus, niſi & ipſi circà debitores no-
,, ſtros patientiã fecerimus.] Et S. Ambr. lib. 5.
de Sacramentis cap. 4. [Vide quid dicas: quo-
,, modò ego dimitto, & tu dimitte mihi. Si non
,, dimittis, quomodò eum convenis, ut dimittat
,, tibi?] Et S. Leo ſer. 5. de quadrag. [Non exa-
,, ctor ſit vindictæ, qui petitor eſt veniæ.] Et S.
Auguſt. in ſer. 28. de verbis Domini. [Si dimi-
,, ſeris; benè convenis, ut dimittatur tibi: ſi non
,, dimittis, quomodo eum convenis?] Et S. An-
ſelmus lib. 1. cur Deus homo c. 19. [Qui non
,, ſolvit, fruſtrà dicit; Dimitte: qui autem ſol-

„ vit, ſupplicat; quia hoc ipſum pertinet ad ſo- „ lutionem, ut ſupplicet.] Et S. Auguſt. in libro de perfectione juſtitiæ c.8. [Si quis in Chriſto „ parvulus eſt, & nondùm diligit inimicum; „ pœnitenti tamen, & veniam petenti ex inti- „ mo cordis affectu ignoſcat; ſi vult, ut ejus „ orationem Pater cœleſtis exaudiat.] Et libro de utilitate pœnitentiæ c.2. [Conſtituit medi- „ cinam, firmavit pactum. Dimitti vis, dimit- „ te ait.] Et non multò pòſt, aliquos teſtatur, qui nolebant dimittere, prætermiſiſſe hæc verba in oratione dominica; [Ecce, inquit, „ venit orandi hora: venturus es ad hunc ver- „ ſum. Deviabis à Chriſto, nè tibi citò re- „ ſpondeatur; ſic dimitto, quomodo & tu di- „ mittis. Deviabis ab hoc verſu, & prætermit- „ tes; & dices, quod ſequitur. Sicùt qui in vico „ occurrit ei, cui aliquid debet, ſi ad manum eſt „ diverticulum, dimittit, quò ibat, & it per ali- „ am partem, nè faciem videat creditoris; &c.] Quod ipſum repetit in lib. 50. homiliarum h. 27. Et Io. Caſſianus collat. 9. Abbatis Iſaäc cap. 21. hæc ipſa dominicæ orationis verba tractans, ineffabilem Dei clementiam admiratur, qui orantibus nobis poteſtatem quodammodò tribuit, judicis noſtri ſententiam temperandi; ad veniam delictorum noſtrorum exemplo eum noſtræ remiſſionis arctantes. „ [Itaquè quiſquis in ſe delinquenti fratri „ non ex corde remiſerit, non indulgentiam, „ ſed condemnationem deprecatione hac ſibi- „ met impetrabit, ſuaq; profeſſione ſemetipſum „ poſſet duriùs judicari, dicens; Remitte mihi, „ ſicut, & ego remiſi.] Contrà ſi ex corde dimittamus, certiſſima eſt S. Leonis ſententia in ſer. 6. de quadrageſima, quòd cùm aliorum delictis veniam tribuimus, divinam nobis clementiam præparamus. Itaque verè S. Petrus Chryſologus in ſer. 71. Eadem Chriſti verba conſiderans? [Homo, dixit, penès te eſt poteſtas „ veniæ; in te eſt indulgentiæ jus; tu tibi remiſ- „ ſionis auctor es conſtitutus. Gratis petis ve- „ niam, qui tibi in alio indulgere contemnis. „ Homo, tu tibi miſericordiæ factus es ipſe mẽ- „ ſura: quantum vis miſericordiæ, fac tantum.]

CAPUT IV.

Condonandas injurias eſſe.

VErum enimverò dum de inimicorum dilectione diſſero, video me ad injuriarum condonationem deveniſſe, de qua ſecundo loco dicendum propoſueram. Totum hoc enim ultimum argumentum quod tractavi, ad injurias pertinet condonandas. Sed hæc duo inimici, & injuriæ ità conjuncta ſunt, ut de uno dici non poſſit, niſi & de altero ſimùl dicatur. De injurijs tamen, quæ ſivè cauſæ, ſivè affectus inimicitiarum fuerunt, ſeorſim *Injuriæ quot.* rurſùm dicendum eſt; injuriarum nomine, tùm verborum contumelias, & convitia, tùm rerum aut perſonarum damna comprehendendo.

Ergò illud principiò ſtatuimus; Ultionem quidem injuriæ, ut Tertull. ſcripſit in libro de patientia penès errorem ſolatium videri doloris, ac penès veritatem redargui malignitatis: nequè Chriſtiano homini permiſſum eſſe de illa cogitare. *Vlciſcendum non eſſe.* Scriptum eſt enim Deut. 32. Mea eſt ultio, & ego retribuam eis in tempore: & Eccleſiaſt. 28. Qui vindicari vult, à Domino inveniet vindictam; & Rom. 12. Non voſmetipſos defendentes; ſed date locum iræ. Scriptum eſt enim: Mihi vindictam, & ego retribuam, dicit Dominus. [Et quem „ honorem, ait eodem loco Tertullianus, lita- „ bimus Domino Deo, ſi nobis arbitrium de- „ fenſionis arrogaverimus?] Quin etiam legiſlator noſter Chriſtus, Matt. 5. veterem legem commemorans, quæ ultionem quoquomodò permittebat. Audiſtis, quia dictum eſt, oculum pro oculo, & dentem pro dente; majorem ſubjungit perfectionem; Ego autem dico vobis non reſiſtere malo; ſed ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram, &c. S. Aug. ep. 5. ad Marcellinum; Maxillam alteram patientiam interpretatur. Et obliviſci injurias utile oſtendit eſſe reipublicæ, & ab Ethnicis etiam factitatum; & ut habet Origenes lib. 7. contrà Celſum, Plato quoque docuit in Critone; & quatenùs in veteri lege permiſſum eſſet vindictam repetere; in lib. contrà Adimantium c. 8. & lib. 19. contrà Fauſtum c. 25. Auguſt. expoſuit. Et S. Chryſ. h. 16. in ep. ad Eph. ait non fuiſſe permiſſum, ut oculos invicem effoderent, ſed ut metu idem patiendi licentia lædendi cohiberetur. Sed in ep. nominata Auguſt. ultimam vindictam juſtè, ait, poſci, quandò nullus jam reſtat correctioni locus extremo ſcilicet ſummoq; judicio. [Nùnc „ verò cavendum eſſe, nè vindicandi cupiditate „ amittatur ipſa patientia, quæ pluris eſt ha- „ benda, quàm omne, quod poteſt etiam invi- „ to inimicus auferre.] [Nec verò putes te „ fortem, inquit in pſalmum 92. quia percutis „ pugno victus convitio. Non eſt iſta fortitu- „ do, ſi convitiatus percutias; quoniam ab ira vi- „ ctus es; & valdè ſtultum eſt hominem victum „ fortem dicere.] Et in pſ. 108. Injurias ulciſci, & reddere malum pro malo injuſtitiam appellat. Et S. Chryſ. h. 16. in 1. Cor. [Vince „ eum malè ferendo, non malè faciendo. Eâ „ namque manifeſta victoriâ, & clarâ. Utrum *Luc. 22.* „ victorem admirabimur; diabolum percutien- „ tem, an Iob percuſſum? Sanè perſpicuum eſt, „ quod Iob.] S. Amb. lib. 10. in Luc. c. 10. duos gladios offerenti Petro putat Chriſtum dixiſſe, ſatis eſt; quaſi licuerit uſque ad Evangelium;

quo

Digitized by Google

non ſolum ſe defendere, ſed etiam ferientem referire; at in Evangelio ſola permittitur defenſio,non ultio. Et in or. de obitu Theodoſij Imperatoris, eum, refert, beneficium putaſſe ſe accepiſſe, cùm rogaretur ignoſcere; tuncquè propiorem fuiſſe veniæ, cùm commotio major fuiſſet iracundiæ. Prærogativa ignoſcendi erat indignatum fuiſſe;& optabant in eo, quod in alijs timebatur, ut iraſceretur. Et in libro de vita Moyſis,Philo Iudæus,ad rem interpretatur ardentem rubum,quem Moyſes vidit, ſignificâſſe injuriâ oppreſſos Hebræos urentemque ignem oppreſſores Ægyptios. [Quod ,, autem non exurebatur rubus, eos portendebat non perituros, qui inimicorum violentia ,, affligebantur; ſed irritum forè horum conatum,illos verò evaſuros incolumes.]Hæc ille S.Gregor.Nazian.in or.ad 150.Epiſcopos ſufficientem vindictam judicavit eſſe ulciſcendi poteſtatem. [Mihi, inquit, adverſus eos, qui ,, intulerunt injuriam, ſatis gravis pœna eſt referendæ pœnæ poteſtas. At iſtis aliter videtur: per quam enim exacti, ac ſeveri ſunt ad ,, ulciſcendum:atque idcircò exigunt, ut oblatam vindicandarum injuriarum occaſionem ,, amplectamur.] Et S. alter Gregorius Nyſſenus h. 4. in Cant. ita diligendum putat inimicum, ut non reddas malum pro malo; ſed pro injuriâ referas beneficium. Et in libro de oratione, tractans illa verba; Dimitte nobis debita noſtra; Eum, qui remittit injurias, Deo affirmat aſſimilari, & alium Deum eſſe, dùm ea facit, quæ ſolius Dei eſt facere. Debitorum enim remiſſio proprium, ac peculiare Dei officium eſt; nec ullus poteſt remittere peccata, niſi ſolus Deus. Et S. Io. Chryſ. h. 17. in ep. ad Eph. [Si pecunias remiſeris, ,, Deum nondum imitaberis. Delicta verò ſi ,, remiſeris, Deum imitaberis.] Et h. 20. in Matt. [Nihil eſt, quod ſic Dei ſimiles faciat, ,, ut malignis, atq; lædentibus eſſe placabilem. ,, Labor in remittendo nullus,in retinendo inimicitias maximus.] Et S. Hieronymus in commentario pſalmi 93. hanc eſſe unicam affirmat viam convertendi inimicum. Et quis neſciat converſionem peccatorum divinum eſſe opus? [Si ſagittam, inquit, dirigis in lapidem durum, non ſolùm non infigitur, ſed ,, reſilit. Sic inimicus tuus, ſi te percuſſerit,& ,, percuſſus non fuerit, patientia tua ſuperatus ,, ad meliora convertitur.] Propterea Romanos monuit Paulus cap. 12. Nulli malum pro malo reddentes. [Si enim, ut eo loco habet ,, Origenes,malum inferre peccare eſt;reddere ,, malum gravius eſt. Quia qui malum prior ,, intulit, non ſenſit malum eſſe, quod fecit. ,, Qui autem reddit malum, eo ipſo, quòd ad ,, ulciſcendum eſt motus, confeſſus eſt ſenſiſſe ,, ſe malum eſſe, quod reddit.] Addit Paulus: Date locum iræ; quod duobus modis exponit

Rubus ardens Ex. 3.

Origenes. [Primùm enim,ſi non reddis malum ,, pro malo,iræ illius,qui fecit injuriam,evaneſcendi das locum. Nemo enim illatâ injuriâ, ,, ſi vicem non recipiat, iterum ſæviet; ſed effuſo furore miteſcet. Deindè date locum iræ ,, Dei, quam ille injuriam inferendo ſibi theſaurizat, & Deus reddet in die iræ ſuæ unicuique ſecundum opera ejus.] Sed tertia expoſitio ſit; Date locum iræ veſtræ; hoc eſt, patienter agite, donec efferveſcat ira veſtra, neque ſubito furore, & iracundiâ rapi vos ad vindictam patiamini. [Date locum iræ (addit S. Baſ. in reg. brev. 244.) vel eſt non reſiſtere malo,ſed percutienti dexteram maxillam vertere aliam. Vel illud;cùm perſequentur vos in civitate iſta,fugite in aliam.] [Aliquis tibi maledixit(ait S. Io. Chryſ. h. 3. de ,, David, & Saüle) adulterum,& ſcortatorem ,, appellavit: hoc ſi verè dicit,corrige,ſin falsò, ,, irride. Si tibi conſcius es eorum, quæ objiciuntur, reſipiſce; ſi non es, deſpue.] Et rurſum poſt aliqua; [Si quando hoſtis inciderit ,, in manus tuas,nè illud ſpecta,quomodo illum ,, ulciſcaris, innumeriſq; convitijs conſperſum ,, remittas: ſed quomodo ſanes, quomodo ad ,, ſobrietatem reducas: neque priùs deſiſtas ,, omnia tùm facere, tùm pati;donec tua manſuetudine ſuperaris illius truculentiam.] Et h.8.in epiſtolam ad Rom. [Injuria te affecit? ,, lachrymare; non ob tuam injuriam, ſed ob ,, illius exitium:ſicùt & Dominus tuus Iudam ,, lachrymatus eſt; non quando ille crucifigebatur,ſed quando ille prodebat;& quæ ſeq.] Et S. Anſel.lib.1.Cur Deus homo c.20.nullo modo ad te pertinere vindictam, hoc argumento confirmat; [Quia nec tu tuus es, nec ,, ille tuus, aut ſuus,qui tibi fecit injuriam;ſed ,, ambo unius Domini ſervi. Quare ſi de conſervo tuo te vindicas; judicium, quod proprium Domini,& Iudicis omnium eſt,ſuper ,, illum ſuperbè præſumis.] S. Auguſtinus in ſer.28. ad fratres in eremo,Simplicianum Monachum memorat ad ſæculum rediiſſe, ut interfecti Patris ulciſceretur mortem. At multò ſatius, & Chriſtiano homine dignius eſt,Euſebium Epiſcopum imitari, quem apud Theodoretum lib.5.eccleſiaſticæ hiſtoriæ c.4.legimus à muliere Ariana in capite percuſſum tegula, antequàm moreretur, adſtantes jurejurando adſtrinxiſſe non daturam illam mulierem pœnas facti.

CAPUT V.

Quomodo reſpondendum objectionibus.

NEque velim quemquam ad ulciſcendum moveri,dùm in 4.libro Reg.c.2.Eliſeum legit maledixiſſe, & per urſos de ſaltu evocatos necaſſe contumelioſos ſibi pueros, aut

Eliſeus ut pueros ultus eſt.

Digitized by Google

Paulum in priore ad Cor. c. 5. tradidiſſe hominem peccatorem ſatanæ. Quoniam (ut de Eliſæo dicam) non eſt dubium divino illum fuiſſe actum Spiritu, & aliquando reſpondit S. Iuſtinus q. 80. ad orthodoxos. [Cùm noſtra pa-„tientia non emendantur, qui injuriam infe-„runt; ſeveritas illis utilior eſt, quàm patientia. „Deindè voces illas contumelioſas didicerant „pueri à parentibus; ideò occiſione puerorum „æquum fuit caſtigare parentes, ut diſcerent „non afficere contumelia prophetas, & per „eos Deum.] Tertia reſponſio fuerit ex Paulò deſumpta 1. Cor. 10. quo loco omnia, quæ priſcis illis temporibus Patribus contigerunt, in figura illis contigiſſe affirmat. Eliſæum autem calvum à pueris irriſum, S. Aug. ſer. 204. de tempore, & com. in pſalmum 82. vult figuram fuiſſe Chriſti à Iudæis irridendi, & in Calvariæ loco crucifigendi. Itaque Eliſæi vindicta de pueris ſumpta, figura fuit vindictæ, quam Deus de Iudæis ſumpturus erat propter necem filij ſui: nequè tam fuit vindicta, quàm figura, & ſignificatio futurorum, & zelus, ut corrigeret populum irridentem prophetas.

Paulus Hominem tradens ſatanæ. Ex altero autem Pauli facto colligit S. Aug. lib. contrà Adimantium c. 17. poſſe in aliquem inimicum vindictam cùm charitate procedere; & Paulus ſe id feciſſe teſtatur, ut ſpiritus ſalvus eſſet. Lege S. Ambr. l. 1. de pœnitentia cap. 12. & 13.

Altera excuſatio eorum, qui minùs ſunt ad condonandum propenſi, magis ad ulciſcendum prompti, hæc eſſe ſolet; Iſte me non rogat; quomodo ergò condonem? His optimè reſpondet Auguſt. in ſer. 170. dè tempore; [Ro-„ganti dimittendum, & pro non rogante *Pro inimicis orandum.* „orandum, ut roget.] Et iterùm ſer. 233. [Si „te ille non rogat, tu pro illo roga.] Hoc enim, ut collegit S. Chryſ. h. 1. de cruce, & latrone, exemplo ſuo oſtenderunt Moyſes, Samuël, David, Chriſtus, Stephanus, Paulus. Cùr autem orandum pro inimicis noſtris, addit Auguſt. in Enchyr. c. 32. utique nolentibus piè vivere, niſi ut Deus in illis operetur, ut velint? Hæc eſt optima de inimicis ultio; quâ in pſ. 117. gloriabatur David, dicens: In nomine Domini ultus ſum in eos. [Quomodo? (inquit Aug. „h. 35. lib. 50. homiliarum) occidendo in eis „errorem, & ſuſcitando fidem.] Ita in h. 6. Paulum ait, perſecutorem eccleſiæ orationibus chriſtianorum fuiſſe occiſum; quia non ampliùs perſecutor, ſed prædicator. Et vos orate pro inimicis veſtris, ut eos Deus occidat, id eſt malitiam eorum, quæ vobis inimicatur. S. Cypr. in ſer. de oratione Dominica, ad verba illa: Fiat voluntas tua, ſicùt in cœlo, & in terra, tùm de nobis interpretatur, tùm de inimicis: *Mat. 6.* De nobis; ut & ſpiritus, & caro ſint concordes: De inimicis; ut oremus pro illis: ut qui adhuc terreni ſunt, cœleſtes eſſe incipiant, & divinæ charitate conjuncti. Et ideò Samuëlem S. Greg. Papa lib. 5. in primum Regum c. 2. ſervaſſe ait præceptum dilectionis inimicorum; quia dixit, Abſit à me hoc peccatum, ut ceſſem orare pro vobis: qui tamen abjecerant illum. Cæterùm S. Io. Chryſ. mutuas requirit preces; ut læſus oret pro lædente, & lædens pro læſo. Nam in h. 11. in epiſtolam ad Eph. hæc illius ſunt verba; [Multam fiduciam obti-„net læſus; ſi quando pro eo oraverit is, à quo „læſus fuerat.] Et rurſùm h. 6. in priorem ad Tim. illa. [Noſtris proſpicimus commodis, „dùm pro inimicis oramus. Qui pro inimico, „orat, pro ſe magis, quàm pro illo, orare co-„gnoſcitur.]

CAPUT VI.

In injurijs non iraſcendum.

SI igitur à quopiam ſivè verbo, ſive facto afficiamur injuriâ; tria omninò præſtanda ſunt nobis; Non iraſcendum, tacendum, obliviſcendum.

Primum commoveri iracundiâ non oportet. Hæc enim ad arma, & vindictam provocat, atque impellit. *In injurijs non iraſcendum.* Sed S. Hilarius in pſalmum 128. illud habet argumentum, quoniam illi, à quibus patimur, miniſtri diaboli ſunt; & deteſtandum potiùs eſt illud miniſterium, quàm contrà illos iraſcendum. Et S. Greg. Papa lib. 4. dialog. c. 19. Magis dolendum eſſe ait de peccato illorum, qui nos offendunt; quàm de damno, quod nobis inferunt; Stephanique utitur exemplo. Et apud Io. Caſſianum in collat. 12. Abbatis Cheremonis c. 13. legimus exemplum ſenis cujuſdam, qui cùm apud Alexandriam ab infidelibus, & maledictis, & graviſſimis afficeretur injurijs, ab eiſque interrogaretur, quid miraculi Chriſtus feciſſet, ille reſpondit; [Ut his, ac majoribus, ſi in-„tuleritis, non movear, nec offendar injurijs.] Verè S. Ambr. ſer. 6. in pſ. 118. [Quàm bo-„num eſt ferre convitium, & non referre? De-„um præſulem acquirit, qui convitianti ne-„ſcit iraſci.] Et in exhortatione ad virgines; „[Criminator aliquis opprobria jacit? Habes, „quod intrà te rideas, ſi crimen conſcientiæ „non recognoſcis.] Hortatus eſt Philippenſes cap. 4. aliquando Paulus: Gaudete in Domino ſemper; & Orig. h. in librum regnorum, Gaudêre in Domino dixit eſſe, gaudêre, quod dignus habitus ſis pro nomine Ieſu injuriam pati, quod injuſtè odio habearis, quod impugneris propter verbum Dei &c. Quemadmodum de Apoſtolis narratur in Actis c. 5. Ibant enim gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati. Quod tantoperè deſiderabat etiam S. Baſilius ut in ſer. 1. de inſtit. monachorum,

ne

ne ſignum quidem commotionis animi ap-
parêre vellet. [Iracundiæ, inquit, aut me-
,, moriæ injuriarum, aut contentionis, nullus
,, prorſus ſit, neque geſtus, neque motus; non
,, verbum, non oculorum acris obtutus, non
,, vultus conformatio ulla, non aliud quid-
,, quam, ex quo eorum quibuſcum vivimus ir-
,, ritari animus poſſit.] Quod tamen ipſemet
in or. 17. de humilitate, & vana gloria loquens,
in eo, qui non ſit benè humilis, perdiffici-
le eſſe fatetur. [Difficile enim eſt, ut is qui
,, nec omnium infimus eſſe, nec poſtremum te-
,, nere locum cupit, unquam poſſit aut convi-
,, tijs jactatus iracundiæ reſiſtere, aut multis
,, coöpertus miſerijs tolerando, aut patienter
,, ferendo tentationibus eſſe ſuperior.]

In injurijs Patientia. Sed nullum eſſe efficacius remedium ad
inimici furorem temperandum docet S. Ioan.
Chryſ. h. 18. in Matt. [Nihil, inquit, ita læ-
,, dentes coërcet, ut patientia, modeſtiaque
,, læſorum; nec ſecuturum modò coërcet im-
,, petum, ſed de præcedente exigit pœniten-
,, tiam, cogitque cædentem, ut à percuſſo cum
,, modeſtiæ illius admiratione diſcedat.] Ean-
dem ferè ſententiam perſequitur pluribus in
h. 15. & 16. in ep. ad Epheſ. ſed & in h. 78 ad
populum minùs quoque lædi, minùſque pati
oſtendit patienter tolerantem hominem,
quàm iraſcentem. [Hunc enim adverſarius
,, coëgit dolêre, & ad judicium confugere, vel
,, ulciſci, quod ſi pertuleris, victor es.] Et h. 6.
in priorem epiſtolam ad Timot. & 22. in
epiſt. ad Hebr. infantium exemplo nos ur-
get. [Cùm enim is, qui à patre portatur, in-
,, fantulus, patris cæciderit faciem, nihil ex
,, hoc obtundetur dilectionis affectus, neque
,, iraſcitur, ſed ridet ille; ità & nos cùm cædi-
,, mur, nihil ex priore benevolentia remittere
,, omninò debemus.]. In primo autem libro
Patientia Annæ. Reg. c. 1. inſigne extat exemplum tolerantiæ
Annæ, quæ non ſolùm in privatis ædibus af-
fligebatur plurimùm ab æmula ejus Phenen-
na, ſed ad templum confugiens ad Dominum
ab Heli quoque Sacerdote æſtimata eſt, & ap-
pellata ebria; nec quidquam propterea com-
mota eſt. S. Chryſ. in h. de fide Annæ to. 1.
non ab Heli, ſed ab illius puero appellatam
putat; atque his verbis Annæ patientiam com-
mendat. [Domi exprobabat æmula; venit
,, in templum, & ſacerdotis puer afficit illam
,, contumelia. Effugerat domeſticam tempe-
,, ſtatem, venit in portum, & rurſum invenit
,, undas: venit acceptura medicamen, & vul-
,, nus exaſperatum eſt. Scitis quomodo animi
,, in mœrore conſtituti adverſus contumelias,
,, & convitia ſint affecti: Quemadmodùm acer-
,, ba vulnera nè levem quidèm manus conta-
,, ctum ferunt; ſic & animus perturbatus diſ-
,, ficilis eſt, ac moroſus, & ad omnia indigna-
,, tur, quovis verbo mordetur, & offenditur.

,, Si Sacerdos fuiſſet convitiatus, non erat per-
,, indè miranda tolerantia; propterea quòd di-
,, gnitatis magnitudo, ac magiſtratus auctori-
,, tas vel invitam illam compuliſſet ad mode-
,, ſtiam; nunc verò nec adverſus Sacerdotis
,, puerum indignata eſt. Quò magis etiam ſi-
,, bi conciliavit Deum. Quoties enim oppro-
,, brijs, milleq; malis affecti, convitiantes excel-
,, ſo ferimus animo, majorem nobis à Deo be-
,, nevolentiam conciliamus.] Et mox rurſùm
de Davide quoque patienter Semei maledicta
tolerante, 2. Reg. 16. [Non perindè, inquit,
,, mirarer eum, ſi diadema geſtans, & regno
,, potiens, inque throno ſedens, convitiantem
,, pertuliſſet; ut nunc illum & laudo, & admi-
,, ror tempore calamitatis philoſophantem, ani-
,, moq; moderantem. Neq; enim æquè nos in
,, rerum proſperitate, atque in adverſis oppro-
,, bria mordent. Sed ubi concidimus, tunc ma-
,, gis pungunt, acriùſq; mordent convitia.] De-
niq; in 2. lib. de ira, Seneca magni animi eſſe
admonuit injurias deſpicere; ultioniſque con-
tumelioſiſſimum genus eſſe, non eſſe viſum
dignum, ex quo peteretur ultio, exemplo
uſus beſtiarum. [Ille, inquit, magnus, & no-
,, bilis eſt, qui more magnæ feræ latratus mi-
,, nutorum canum ſecurus exaudit.] Omitto
quæ in 2. item libro de tranquillitate vitæ
diſputavit, ut ſapientem oſtenderet injuriam
accipere, aut contumeliam poſſe.

Hæc ſanè tùm argumenta, tùm exempla, *Injuria facientis eſt.*
ſatis nobis eſſe poſſent, nè inimicorum in-
jurijs ad iracundiam commoveremur. Aliud
tamen adhuc eſt argumentum non præter-
mittendum hoc loco: Quod injuriæ facientis
potiùs ſunt, quàm ſuſcipientis. Sic enim lo-
quentem audio Sanctum Cyprianum in
epiſtola ad Cornelium. [Non qui audit, ſed
,, qui facit convitium miſer eſt: nec qui à fratre
,, vapulat, ſed qui fratrem cædit, in lege pec-
,, cator eſt. Et cùm nocentes innocentibus in-
,, juriam faciunt, illi patiuntur injuriam, qui
,, facere ſe credunt.] Et S. Hilarius in pſ. 118.
littera Zain. [Sanctus quiſq; cùm cæditur non
,, humilitatis ſuæ, qui cæſus eſt, ſed inſolentiæ
,, ejus, qui cædit, miſeretur.] S. Chryſ. h. 68.
ad populum, apis exemplo, quæ mordens alium
ſeipſam lædit, & perdit aculeum, lædentem
oſtendit lædere magis ſeipſum, quàm illum,
quem lædit. [Nonne inquit, videtis apem,
,, quemadmodùm immoritur aculeo? Per il-
,, lud enim nos animal docet Deus, nè proxi-
,, mos afficiamus triſtitia. Ipſi enim priùs
,, mortem excipimus; & illos quidem fortè
,, paululùm lædimus; nos autem non ampliùs
,, vivemus, quemadmodùm nec illud animal.]

Digitized by Google

CAPUT VII.

In injurijs tacendum.

Silentij bonum.

SECUNDÒ ò tacendum dicebamus eſſe; dum ab alio provocamur injurijs, & contumelijs; nec illi quidquam reſpondendum. Audi quid loquatur S. Ambr. in pſal. 38. [O validum ,, ſcutum circumſpectæ munitionis ſilentium. ,, O fidiſſimum ſtabilitatis fundamentum, in ,, quo ſi quis potuerit ſtare, lubricum verbi ti- ,, mère non poſſit. Viciſſemus, ſi Eva tacuiſ- ,, ſet. Primum illud proceſſit ex voce peccatum ,, & ſerpens verſutus per vocem nos antè ten- ,, tavit. Utinam aut Adam ſurdus fuiſſet, aut ,, Eva obmutuiſſet. Silentium & tutum eſt, & ,, decorum, quod ſervat cum gravitate caute- ,, lam. Meditabatur Iudas vendere Chriſtum; ,, ſed auſus non fuiſſet, nec erupiſſet in ſcelus, ,, niſi ſe in cor ejus diabolus demerſiſſet. Non ,, ergò dubites, quando aliqui tibi moleſti ſunt ,, volenti ſervare juſtitiam miniſtros eſſe illius ,, nequiſſimi qui omnium auctor eſt flagitio- ,, rum. Semei maledicebat, & lapidabat, & Da- ,, vid tacebat; & Chriſtus tacebat antè Pilati ,, judicium conſtitutus, ut nobis daret formam ,, tacendi. Et Suſanna tacuit in periculis ſuis. ,, Convitiatur ergò aliquis juſtum? Dolet, & ,, tacet. Tace & tu, cùm tibi indignus convi- ,, tiatur.] Et libro 7. in Lucam capite 5. ,, [Graviora contumacibus manſuetudo vul- ,, nera refert. Chriſtus Apoſtolos miſit ſine ba- ,, culo; & Paulus virgam quidem minatur, ſed ,, in ſpiritu manſuetudinis viſitat delinquen- tes.] Sanè in primo libro offic. c. 3. Suſannam dixit nullum majus indicium ſuæ caſtitatis habuiſſe, quàm ſilentium, dicemus & nos nullum te majus innocentiæ, & virtutis tuæ habère, quam ſilentium. Tractat verò hoc ex inſtituto idem S. Pater & Doctor in c. 5. & 6. & omninò ſilentium vult eſſe rixarum remedium, & arma juſti, quibus cedendo vincit. ,, [Sicut periti jaculandi cedentes ſolent vince- ,, re & fugientes gravioribus ſequentem ictibus ,, vulnerare: Nam & David pſ. 38. dice- ,, bat: Obmutui, & humiliatus ſum, & ſilui à ,, bonis.] Et S. Anſel. in Comm. ad caput 12. epiſtolæ ad Rom. dum illa tractat verba: Noli vinci à malo, ſed vince in bono malum, hanc ſilentij victoriam prædicat. [Ille, in- ,, quit, dicitur viciſſe, qui alterum ad ſuam tra- ,, duxerit partem: ſi ergò mali viciſſitudinem à ,, te receperit, ille te vicit, & paſſionis ſuę ſimili- ,, tudine vitio ſuo ſubdidit. Si autem per patien- ,, tiam tuam ceſſare eum ab ira, vel injuriæ fe- ,, ceris; tu viciſti, & de peccato ad ſalutem lu- ,, crando proximum triumphaſti.] Porrò idem S. Ambr. c. 48. ejuſdem libri, & Origenes h. 1. in pſ. 38. In injurijs illatis imperfectum ajunt crimen diluere reſpondendo; Eum verò qui proficit, tacère; Eum denique, qui eſt perfectus, maledicentem benedicere; & S. Greg. Papa h. 18. in Evang. & S. Cyrillus Alex. lib. 6. in Io. c. 12. glorioſius eſſe injuriam tacendo fugere, quàm reſpondendo ſuperare. Eſt enim fortis animi indicium, qui accepta contumelia non commoveatur. [Et ,, quale ſpectaculum, quàm grave, & admiran- ,, dum; & nonnihil etiam naturam humanam ,, ſuperans (inquit S. Baſilius or. 9. de ira & ini- ,, micitijs) hominem multis convitijs jactatum ,, non ira accendi, ſed manſuetum, ac ſinè ira ,, pro eo, qui ſibi injuriam intulit preces exhi- ,, bère;] Et poſt pauca; [Contumeliam tibi ,, impoſuit iratus? Siſte ſilentio malum, & nè ,, veluti fluxum quemdam, illius iram in cor ,, tuum ſuſcipiens, ventos imiteris, qui per refla- ,, tum id; quod appulſum eſt, repellunt; & quæ ,, ſeq.] Quin etiam illam vulgarium hominum excuſationem. Alter initium dedit, majore dignam putat reprehenſione. [Nam ille ,, non habuit exemplum, quod ad modeſtiam ,, invitaret; tu verò iratum videns turpiter ,, agere, operam non dediſti, nè illi ſimilis eſ- ,, ſes, ſed viciſſim iracundiâ inflammaris.] Quamquàm in reg. brev. 232. cùm quæſiviſſet, an injuria affectus ab aliquo, ſi exercendæ patientiæ cauſâ taceat, faciat ſecundùm Deum: Reſpondet idem S. Pater, eum animi lenitatem in eo debère oſtendere; ut Deum oret pro illo: admonitione tamen leni, & caſtigatione uti, ut illum ab ira liberet, quæ venit ſuper contumaces: nec ipſe taciturnitate ſua peccantis particeps fiat. Ergò ſilendum eſt, & abſtinendum à contumelioſis verbis, quibus par pari referre videatur; non à debita correctione modeſta, quæ ex charitate procedat. Puſilli, & miſeri hominis eſt, ait Seneca, repetere mordentem; ut muris, & formicæ, ad quas ſi manum admoveris, ora convertunt.

Sed opportunè in ſer. 7. de accuſatione, & reprehenſione ſui ipſius, quærit S. Dorotheus, qui fiat, ut aliquando ex quolibet verbo, aut facto perturbemur; aliquando ſine perturbatione omnia toleremus. Multiplex poteſt eſſe cauſa. Prima alia atque alia animi diſpoſitio; ſi aut in oratione, vel contemplatione, & in bono ſtatu, aut ſecùs deprehendamur. Secunda ex bono, aut malo affectu noſtro ergà hominem illum. Tertia quod eum, qui affecit injuriâ, contemnamus, aut non magni faciamus. Quarta quod nos ipſos ſedulò non accuſemus, neque ut par eſt arguamus.

Cur aliquando toleremus, aliquando non item.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT VIII.

Injurias obliviſci.

TERTIO loco injurias obliviſci oportet; quod & utile Reipublicæ eſſe, ut in ea ſervetur pax & quiës civium; & ab Ethnicis quoque factitatum, antè diximus ex S. Auguſtino; quòd ſi in primo lib. contrà Iulianum; primis ſtatim verbis contemnere ſe non poſſe fatetur contumelias, & maledicta Iuliani. Quâ integritate animi, & ſanctitate id dicat, manifeſtum eſt: non enim aut odio aut ulciſcendi propoſito illarum memoriam retinebat, ſed tùm gaudens pro ſe, tùm dolens pro illo, iiſque qui decipiebantur ab illo. Nos verò de illa injuriarum memoria loquimur, quæ & malevolentiam habet, & vindictæ deſiderium. S. Greg. Papa h. 35. in Evang. & in tertia parte paſtoralis curæ admonitione 11. [Callidus, inquit, hoſtis bellum contrà duos movet; unum inflammans, ut contumelias prior inferat, alterum provocans, ut contumelias læſus reddat: & dùm unius victor eſt, qui injuriam irrogat; ſæpè ab illo vincitur, qui illatam injuriam æquanimiter portat. Unius ergò victor totâ contrà alterum virtute ſe erigit; quem quia commovere in ipſâ injuriarum jaculatione non potuit, ſecreta ſuggeſtione cogitationem laceſſens aptum tempus deceptionis inquirit. Quietis enim tempore ad illius animum redit, & rerum damna vel injuriarum jacula ad memoriam reducit, cunctaque exaggerans intolerabilia oſtendit. Qui ſimiles ſunt his, qui per fortitudinem in campo victores ſunt, ſed per negligentiam poſtmodùm intrà urbis clauſtra capiuntur: Vel iis, quos irruens gravis languor à vita non ſubtrahit, ſed leviter veniens recidiva febris occidit.] Hi fortaſſè in duobus prioribus fortes fuerunt non iracundia ſuperati, nec verbo lapſi dùm injuria fuerunt affecti, ſed poſt in tertio periclitantur, dùm injuriæ memoria ſollicitantur. Solebat S. Auguſtinus, ut vidêre eſt apud ipſum in Enchyr. c. 73. & in lib. 50. homiliarum h. 6. & ſerm. 203. de tempore duplicem agnoſcere eleëmoſynam; Unam pecuniæ, quæ pauperibus diſtribuitur; alteram cordis, quâ lædentibus ex corde injurias dimittimus, & S. Greg. h. 35. in Evang. martyrium duplex; unum in aperto opere; alterum in occulta cogitatione, & mente, per patientiam, & injuriarum tolerantiam. Quod autem Petro ſciſcitanti, Matt. 18. quoties adverſùm ſe peccanti fratri dimitteret. Reſpondit Dominus uſque ſeptuagies ſepties; certum eſt definitum numerum pro indefinito poſitum fuiſſe; ſivè cum ſancto Auguſtino in ſer. 15. de verbis Domini; peccata omnia interpreteris; ſivè cum S. Hieronymo in illius loci comm. quoties ille peccaret, aut etiam peccare non poſſet. Quæ ſanè poſterior interpretatio interrogationi Petri magis videtur accommodata. Non enim quæſierat, quæ peccata, ſed quoties dimittendum eſſet. Ergò ut de hoc diſputationis genere dicendi finem faciam; totum hoc cùm inimicis negotium quinque omninò verbis abſolvitur; Diligendum; Non ulciſcendum, Non iraſcendum, Tacendum, Obliviſcendum.

Eleëmoſyna duplex.

Martyrium duplex.

Quoties dimittendum.

FINIS PRIMÆ PARTIS.

HIE

HIERONYMI DANDINI CÆSENATIS

E SOCIETATE IESU

ETHICA SACRA

DE MORUM VIRTUTIBUS.

SECUNDA PARS.

DE VIRTUTIBUS CARDINALIBUS

LIBER SEPTIMUS.

HABES quid, & quomodò de virtutibus illis, quæ circà Deum verſantur, locuti ſint veteres Eccleſiæ Patres. Altera laboris noſtri pars de virtutibus erit morum quæ, inquam, in noſtris informandis, & componendis moribus occupantur. Hæ ut plures numero ſunt, ita longiorem multò tractationem habebunt. Primùm autem de illis, quæ Cardinales vocantur, deindè & de cæteris dicam.

CAPUT I.

Cardinales virtutes quatuor.

Virtutes quatuor Cardina. les quales.

CARDINALES quatuor nominantur, hoc eſt præcipuæ, ac velùt cardines omnium; Prudentia, Iuſtitia, Fortitudo, & Temperantia. Etſi S. Greg. Papa hom. 3. in Ezechialium magis probaverit ordinem, ut prima ſit Prudentia, ſecunda Fortitudo, tertia Iuſtitia, quarta Temperantia: Sed quidquid ſit, quatuor has virtutes eſſe velùt quatuor flumina Paradiſi, quæ corpus, & animam noſtram irrigant, ſcripſerunt Philo Iudæus lib. primo allegoriarum legis, & S. Aug. in 2. lib. de Gen. contra Manichæos cap. 9. &. 10 & S. Ambr. in lib. de paradiſo c. 3. & in pſ. 35. & 45. & S. Greg. Papa lib. 2. moral. c. 26. Item quatuor angulos quibus interior domus noſtra ſubſiſtit; quoſque magnoperè concutit Diabolus, ut & angulos domus Iob concuſſit, Gregorius eodem loco. Et quatuor illos, qui paralyticum ex tecto de miſe-

miſerunt antè pedes Chriſti, S. Ambr lib. 8. in Lucam cap. 6. Et quatuor optimos equos, qui quadrigam animæ noſtræ trahunt & ad Cœlum perducunt; idem in libro de Iſaâc, & anima c. 8. & S. Ber. in tract. de ordine vitæ, & morum inſtitut. *Cur qua-tuor.* Porrò hanc quadripartitam partitionem ex eo principio colligit S. Aug. in lib. de moribus Eccleſiæ catholicæ c. 15. quòd nulla virtus eſt abſque Divina charitate, ſed indè omnis derivatur virtus. [Quadripartita, inquit, dicitur virtus ex amoris vario affectu. Temperantia enim eſt amor integrum ſe præbens ei, quod amatur, ſcilicet Deo. Fortitudo, amor tolerans omnia propter id, quod amatur. Iuſtitia, amor ſoli amato ſerviens, & propterea rectè dominans. Prudentia, amor ea, quibus adjuvatur, ab ijs, à quibus impeditur, ſagaciter ſeligens.] Hæc de vera, perfectaque virtute, quæ apud Deum meritum habeat, veriſſima ſunt: ſed Philoſophis quoque, qui rectam tantùm rationem in operatione virtutis ſpectârunt, aliquid dandum eſt, & in morali virtute conſiſtendum, ut quod de Dei charitate Auguſtinus ratiocinatur, nos de amore honeſti, rectæque rationis hoc loco dicamus.

CAPUT II.

De prudentia.

Prudentia quid. DE his plura diſputârunt Philoſophi, quæ curioſiùs perſequi non eſt inſtituti noſtri, qui ſacrarum ſcripturarum, & Sanctorum Patrum doctrinam nunc quærimus. Prudentiam Ariſtoteles in 6. de moribus ad Nicomachum lib. c. 5. habitum eſſe definivit cum vera ratione agendi ea, quæ homini bona ſunt: prudentiſq; viri proprium eſſe, poſſe rectè de his, conſultare, quæ agenda ſunt, & bona ſunt, atque ad benè vivendum utilia. Cicero in primo offic. libro, expetendarum rerum, & fruendarum ſcientiam appellavit. Quam ob cauſam S. Io. Chryſ. in com. pſ. 13. lucernam dixit eſſe animæ, reginam cogitationum, magiſtram eorum, quæ bona ſunt, & honeſta. Et S. Proſper in tertio libro de vita contemplativa cap. 29. nec ſapientem dici poſſe voluit eum, cui prudentia deſit, nec prudentem illum, cui ſapientia. Græci φρόνησιν appellant, à verbo φρονέω quod eſt, mentis ſum compos. Ariſtoteles temperantiam ſcripſit σωφροσύνην nominari; veluti prudentiæ conſervatricem; & apud Platonem Socrates quaſi σωτηρίαν τῆς φρονήσεως. S. Chryſ. h. 20. in epiſtolam ad Rom. σωφροσύνη, ait, dicitur ἀπὸ τοῦ σῶας τὰς φρένας ἔχειν; quod mens habeatur ſana. Et Paulus ad Titum ſcribens c. 2. Senes moneri vult, ut ſint prudentes. Quippè interprete eodem Chryſ. h. 4. ſunt inter eos, qui rabie ferantur immodica, atque in ipſam præcipitentur amentiam: Apoſtolumque notat uſum verbo σωφροσύνη, quæ eſt ἤτων φρένων σωτηρία. In libro autem 83. quæſtionum q. 31. tribus partibus abſolvi prudentiam S. Aug. memorat: memoria eorum, quæ fuerunt; intelligentia, quà perſpicit ea, quæ ſunt; & providentia, per quam futurum aliquid videtur, antequàm factum eſt.

Sed adnotavit idem Aug. in primo lib. contrà Gaudentium c. 5. non bonos modò, ſed & malos in ſacris litteris dici prudentes: neque ſemper virtutem eſſe prudentiam; ſed vitium interdùm reputari, atque aſtutiam, & calliditatem ſignificare. *Prudentia interdum aſtutia.* Propterea Gaudentius reſpondet innocentem nunquàm, prudentem interdùm fuiſſe dictum, hoc eſt callidum, & vafrum hominem. Sic enim in ſcripturis ſanctis, non ſolùm boni, verùm etiam mali vocari ſolent. Nam hoc ibi nomen etiam ſerpens hominis deceptor accepit, Gen. 3. Quod enim quidam interpretati ſunt, ſapientiſſimum omnium beſtiarum; prudentiſſimum potius Græci codices habent, φρονιμώτατον; Undè in latinam linguam ſcriptura illa tranſlata eſt. Noſtra verſio calidiſſimum habet; ſerpens erat callidior cunctis animantibus terræ. Itaque & in prudentia calliditas, & malitia vitanda eſt; & in ſimplicitate ſtoliditas, & ſtultitia. Quoniam ut habet S. Io. Chryſ. h. 36. in priorem ep. ad Cor. [Ut prudentia connexam malitiam habens, non eſt prudentia; ità ſimplicitas ſtultitiæ conjuncta, ſimplicitas nequaquàm eſt. Sed in ſimplicitate cavenda ſtultitia, in prudentia verò malitia. Quemadmodùm enim amara pharmaca, præterquàm oportet, nec dulcia conferunt quidquam; ità nec ſimplicitas per ſe, nec prudentia.] Undè miſcere Chriſtus utrumque jubens, Matt. 10. Eſtote, inquit, prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ. [Quia nec ſimplices (interpretatur eodem loco S. Proſper) circumvenire aliquos poſſunt nec prudentes circumveniri ſe permittunt.] *Serpentis prudentia.* Quadruplicem ſerpentis prudentiam commemorat S. Aug. in ſer. 4. ad fratres in eremo; quæ apud ipſum legi poteſt. Et S. Bernardus in modo benè vivendi ad ſororem cap. 56. [Prudentia, inquit, ſerpentis eſt, ut mala caveas; ſimplicitas columbæ, ut bona facias. Prudentia ſimplicitatem ſollicitat, ut mala caveat; & prudentia ſimplicitatem temperat, ut bona faciat.] Prudentia ſerpentis caveat malum, ut habet S. Aug. in lib. qq. Evangelicarum ſecundùm Matthæum q. 8. tùm cuſtodiendo caput, quod eſt Chriſtus, tùm per anguſtias ſe coarctando, ut veterem tunicam exuat. Simplicitas autem columbæ nulli noceat, omnibus benè faciat. Nam hoc genus avis nullum omninò animalium, ſivè

Digitized by Google

ſivè grandium, ſivè etiam minutiſſimorum, necat. Poſtremò quæ ſit vera, quæ falſa prudentia; quæ divina, & quæ humana, eleganter explicatum habes à Sancto Gregorio Papa lib. 10. moral. c. 16. & 17. Altera enim artis, & malitiæ plena eſt; altera minimè fucata, & cum ſimplicitate mirâ permiſta.

CAPUT III.

De juſtitia generali.

Iuſtitia duplex.

IUSTITIA porrò duplex diſtinguitur ab omnibus: altera generalis, ſpecialis altera. Omnes enim ejuſmodi habitum, ut Ariſtoteles lib. 5. ad Nicomachum definivit, appellamus juſtitiam, ex quo ad agendas res juſtas idonei homines efficiuntur. Huic adverſatur injuſtitia, quâ injuſtè agunt. Iuſtitia prior generalis, virtutes omnes complectitur; & legem univerſè reſpicit, quæ ſecundùm unamquamque virtutem vivere jubet; vitiumq; omne prohibet: atquè ad eam propterea pertinent ea, quæ legibus ad publicam inſtitutionem ſancitâ ſunt. Hoc modo juſtitiam ſæpiſſimè in ſacris litteris legimus nominatam, & juſtum item hominem appellatum. Hæcque juſtitia opponitur vitio, ſeu peccato generaliter nominato; quod & injuſtitiæ nomen ſignificat, & juſtus peccatori adverſatur; ſic in Gen. c. 6. Noë vir juſtus appellatur. Quo loco S. Ioannes Chryſ. h. 23. [Iuſtus, inquit, omnem virtutem „ complectitur; hoc enim nomen conſuevimus „ dicere de his, qui omnigenam exercent vir„ tutem.] Et David in pſ. 4. Exaudivit me Deus in die juſtitiæ meæ; & rurſùs; Sacrificate ſacrificium juſtitiæ &c. [Iuſtitiam, ait idem „ Chryſ. non partem eſſe virtutis exiſtimes; „ non ſingularem aliquam virtutem dicit, ſed „ univerſam: ſicut & virum juſtum vocamus, „ qui omnem in ſe virtutē continet.] Sic etiam in pſ. 5. Deduc me in juſtitia tua; Iuſtitiam dicit univerſam virtutem. Et in pſ. 14. Is habitaturus dicitur in tabernaculo, & monte ſancto Dei, qui ingreditur ſinè macula, & operatur juſtitiam; hoc eſt, perfectam, & omnem virtutem; ut interpretatur Theodoretus. [Nam „ (ut habet S. Chryſ. in eum pſalmum) juſtitia „ conflatur ex multis virtutibus, & una virtus „ activa non facit virtutem: ſicut nec una ta„ bula facit navigium, nec unus lapis domum.] Et in pſalmo 17. Retribuet mihi Dominus ſecundùm juſtitiam meam, & ſecundùm puritatem manuum mearum in conſpectu oculorum ejus. Puritas namque manuum, quæ operationum puritatem, & innocentiam ſignificat: juſtitiam priùs nominatam interpretatur vitam ab omni opere malo alienam. Et ubi dictum eſt, Matt. 5. Beati, qui eſuriunt, & ſitiunt juſtitiam; S. Greg. Nyſſenus in libro de beatitudinibus; [Per hanc, inquit, omnem „ virtutis ſpeciem ſignificat. Fieri enim non „ poteſt, ut una aliqua virtus à reliquis diſiun„ cta, ipſa per ſe perfecta ſit.] Et illud alterum; Niſi abundaverit juſtitia veſtrā pluſquam Scribarum, & Phariſæorum &c. S. Chryſ. h. 16. in Matt. & h. 13. in ep. ad Eph. ita accepit, ut juſtitia dicatur univerſa profectò virtus, & h. 4. in Matt. Iuſtitia ſpecialis eſt avaritiæ vitio non tenēri; juſtitia generalis ex cunctis omninò perficitur, & h. 34. operis imperf. Iuſtitiam proponit velùt vineam, & diverſas virtutes eſſe vites vineæ. Et S. Greg. Papa lib. 17. moral. c. 10. hac eâdem vocis uſurpatione humanam ſcripſit juſtitiam auctori Deo comparatam, injuſtitiam eſſe. Confirmant id verba illa, quæ Iob c. 4. leguntur; Nunquid homo Dei comparatione juſtificabitur, aut factore ſuo purior erit vir? Ecce qui ſerviunt ei, non ſunt ſtabiles, & in Angelis ſuis reperit pravitatem. Quantò magis hi, qui habitant domos luteas? Atquè huc etiam adfert Orig. h. 9. in Ezech. illud Io. 1. Et lux in tenebris lucet; hoc eſt juſtitia noſtra, quantumvis juſti ſimus, obtenebratur à juſtitia Chriſti, vel Dei; ſi cum illa comparetur: ſicut luna, & ſtellæ adveniente ſole. Oravit David pſalmo 16. Exaudi Domine juſtitiam meam; intende deprecationem meam. Quo loco juſtitiam libuit Theodoreto juſtam poſtulationem interpretari. Sed ex alijs locis ejuſdem Prophetæ ſatiùs videtur innocentiam, & ſanctitatem, hoc eſt, univerſam virtutem intelligere. Sic enim in pſal. 7. rurſùm orat. Iudica me Domine ſecundùm juſtitiam meam; & oſtendens, quid juſtitiæ nomine intellegendum ſit; adjungit, & ſecundùm innocentiam meam ſuper me: conſumetur nequitia peccatorum, & diriges juſtum. Et pſal. 25. Ego autem in innocentia mea ingreſſus ſum; redime me, & miſerere mei. Sunt & aliæ his ſimiles poſtulationes; quæ priorem illam interpretentur, in qua juſtitiam dixerat innocentiam, & juſti hominis virtutem, & ſanctitatem. Facilè eſt juſtum eſſe coram hominibus, atque hoc affectant hypocritæ, & aſſequuntur perſæpè: at difficilè coràm Deo, cujus judicium errare non poteſt. Quam ob cauſam de Zacharia, & Eliſabeth dictum fuiſſe, Luc. 1. Erant autem juſti ambo antè Deum; obſervavit Orig. h. 2. in Lucam, qui rurſùm h. 9. audiens de Maria dictum; Impleti autem ſunt dies, ut pareret; „ [In ortu, inquit, peccatoris hoc non dicitur; „ ſed ſolùm in ortu juſti. Ortus enim juſti ple„ nitudinem habet, peccatoris nativitas vacui„ tatem, atque inanitatem; virtutum ſcilicet, & „ juſtitiæ.] Sed & S. Anſelmus in dialogo de veritate c. 13. Subtiliter de juſtitia diſputans, eam diffinivit eſſe rectitudinem voluntatis propter ſe ſervatam, juſtumq; eſſe eum, qui facit,

Digitized by Google

cit, quod debet; & juſtum dici etiam rectum corde, & rectum abſolutè, abſque cordis adjectione; quoniam nullus alius intelligitur rectus, niſi ille, qui rectam habet voluntatem; ut in pſ. 31. Gloriamini omnes recti corde. Et pſ. 106. Videbunt recti, & lætabuntur. Quæ omnia ad illam juſtitiam pertinent, quæ generalis eſt, & virtutem ſignificat. Atque hujus juſtitiæ, ac juſti ſigna hæc habet idem auctor in elucidario. [Iuſti ſibi boni conſcij, & „de futura ſpe certi, ſunt vultu hilares, oculis „quâdam gratiâ micantibus, inceſſu modeſto, „de abundantia cordis dulces in verbis. Mali „de prava conſcientia, vultu nebuloſo, verbis, „& factis inſtabiles, riſu immoderato, triſtitiâ „mordaces, ingreſſu intemperati, amaris, & „impuris dictis.]

Iuſti ſigna, & injuſti.

CAPUT IV.

De Iuſtitia ſpeciali virtute.

IUSTITIA ſpecialis virtus ea eſt, quæ unicuique dat, quod ipſius eſt, jureque ad ipſum pertinet. Itaque cùm omnis virtus mediocritas ſit; ſecùs habet medium hæc virtus, quàm cæteræ omnes. Cæteræ medium rationis tenent; quod ſcilicet recta ratio inter exceſſum, & defectum agnoſcit, ut liberalitas inter prodigalitatem, & tenacitatem. At juſtitia rei magis medium tuetur, ſivè pecuniarum, ſivè honorum, ac pœnarum. Eſt enim duplex juſtitia. Altera in distributionibus; Altera in commutationibus, & commercijs. Illa diſtributiva nominatur; hæc commutativa. Diſtribuendi ſunt honores, & magiſtratus in republica benè meritis; Non æquale, & idem omnibus præmium dandum eſt: ſed habenda ratio perſonarum, & laboris, atque his convenienter diſtribuendum. Hoc eſt, quod Ariſtoteles lib. 5. jam citato c. 3. Iuſtitiam hanc tradidit, quatuor conſtare terminis, proportioneque Geometrica; in primo namque, & in ſecundo termino duo ponantur præmia, in tertio, & quarto, duo homines, ſeu merita eorum; eritque juſta diſtributio, ſi ut ſe habet primus ad tertium, ſic ſe habeat ſecundus ad quartum: hoc eſt ut primum præmium convenit merito primi hominis, qui tertium tenet terminum, ità etiam ſecundum præmium, homini ſecundo, qui quartum habet locum. Quæ nimirùm præmia æqualia non erunt, quia nec merita ſunt æqualia: quòd ſi hæc æqualia forent, & illa oporteret eſſe æqualia. Ità S. Auguſt. in libro de quantitate animæ cap. 9. Iuſtitiam ſcripſit ſervari non poſſe, niſi in rebus, in quibus ſervatur, ſit quædam imparilitas, & diſſimilitudo. Nam ita in diſtributiva ſe habet, & S. Baſil. in ſer. 2. de inſtitutione monachorum, exemplo utitur membrorum corporis noſtri, quæ nos omnia quidem amamus, non eodem tamen affectu; [Sicut, inquit, „etſi omnia corporis amemus membra, non „tamen ſimiliter affecti ſumus, cùm oculo, aut „pede laboramus: ſic in cuncto conventu, etſi „ex malis cujuſque miſericordia moveamur, ijs „tamen, qui utiliores ſunt, majorem æquum „eſt honorem habere.] Cæterùm quod ad pœnas, & ſupplicia pertinet, quæ juſtitiæ pars ea infligit, quam vindicativam dicimus, & ultricem, atque ad diſtributivam revocamus; eam verè S. Auguſt. in ſer. 14. ad fratres in eremo, dixit, eſſe virgam, quâ petra percuſſa manat in fluenta; quia lapidea ſubditorum corda judicio juſtitiæ tacta in virtutum exuberant flumina. Eſſe virgam Aaron, quæ frondet, dùm mente concipitur; floret, dùm viriliter exercetur; & fructificat, dùm ſubditus corrigitur. Eſſeque ventilabrum, quo granum à palea ſeparatur; Sed juſtitiæ zelum temperantiæ fræno moderandum eſſe, monet S. Greg. Papa h. 3. in Ezech. [Iuſtitia, inquit, verè juſtitia eſt, quæ ſe temperantiæ fræno moderatur: ut in zelo, quo quiſque fervet, ſit etiam „temperans, nè ſi plus ferveat, perdat juſtitiam „cujus ſervare moderamina ignorat.] Ità demùm, ut idem habet lib. 7. regiſtri cap. 120. „[Summum in regibus bonum eſt, juſtitiam „colere, & ſua cuique jura ſervare, & ſubjectis „non ſinere, quod poteſtatis eſt fieri, ſed quod „æquum eſt cuſtodire.]

Virtutis medium quod.

Iuſtitia ſpecialis duplex.

Iuſtitia vindicativa.

Commutativa autem juſtitia in commercijs præſertim conſideratur; in emptione, venditione, mutuo, & ſimilibus; hocque poſtulat, ut tantumdem reddatur, quantùm accipitur, ac prorſùs æqualitas fiat: quod proportione Arithmetica conſtare dixit Ariſtoteles cap. 4. Nihil enim refert conditio perſonæ, an proba ſit, an improba; perindèque eſt, ac ſi eſſent æquales; ſolaque rerum, ac lucri, & damni æqualitas conſideratur, æquumque pluris, & paucioris medium eſt. Propterea emendativa quoque juſtitia vocatur, quæ id conſtituit, quod pluris, & paucioris, lucri, & damni medium eſt; & quod in altero plus eſt lucri, ab eo tollit, & reſtituit alteri, qui in pauciori damnum accepit. Quàm verò hoc ſit neceſſarium ad pacem, & bonum reipublicæ, ac civium, manifeſtum eſt; ut magnoperè mirari poſſis, veniſſe ulli unquam in mentem affirmare, ſine injuſtitia conſervari Rempublicam non poſſe; ut videre eſt apud S. Auguſtinum libro 2. de civ. Dei c. 21. ſapienterque ille contendit, contrà prorſùs rem habere, nec ſine juſtitia conſtare ullo modo poſſe; Et omninò in lib. 4. ejuſdem operis cap. 4. & in ſer. 31. ad fratres in eremo, remota juſtitia aſſerit, nihil aliud fore regna, niſi magna latrocinia, quia & ipſa latrocinia nihil aliud ſunt, quàm prava regna; in ſer. autem 17. de verbis Apoſtoli, primum

Iuſtitia commutativa.

Iuſtitia emendativa.

Iuſtitiæ neceſſitas.

L juſti-

juſtitiæ gradum conſtituit, ut inter omnia, quæ delectant, plus ipſa delectet. Sed magnoperè notandum eſt id, quod S. Greg. Nazian. ſcriptum reliquit in or. de funere patris ſui.

Iuſtitiæ argumentum. Juſtitiæ namq; tanquam maximum argumentum propoſuit, non magnoperè ditari; ditari autem, injuſtitiæ, & rapinæ. Loquens enim de patre ſuo; [Juſtitiæ, inquit, illius quod „ majus, illuſtriuſque argumentum adferri po- „ teſt; quàm quod in magnis reipublicæ mune- „ ribus, adminiſtrationibuſque verſatus, nè te- „ runcio quidem facultates ſuas auxerit? idque „ cùm alios cerneret publicis bonis Briaræi „ manus (ut dici ſolet) injicientes, ac ſce- „ lerato quæſtu turgeſcentes;] Briaræum autem, ut & gigantes cæteros, centum manus habuiſſe fabulantur Poëtæ: quare rapaciſſimas manus ſignificat. Neque de Juſtitia plura dicere, ad inſtitutum nobis hoc loco propoſitum pertinet.

CAPUT V.

Quàm juſtè filij Iſraël Ægypti aſportârint ſpolia.

AT mirabitur quiſpiam, nec immeritò filios Iſraël, ut eſt in libro Exodi c. 11. & 12. egreſſuros ex Ægypto, ab Ægyptijs petijſſe vaſa aurea, & argentea, veſtemque plurimam, ſecumque indè aſportâſſe, atque Ægyptum ſpoliâſſe. Quæ enim fuit illa juſtitia, res alienas invitis dominis aſportare? & quidèm per mulieres eos petijſſe, adnotatum fuit à S. Cyrillo Alexandrino in extremo libro de adoratione in Spiritu Sancto. [Res enim, ait, ſtridula, „ & loquaciſſima ſemper eſt, & ad deceptionem „ idonea mulier.] Verùm non ſolùm injuſtitiam in eo non fuiſſe, immò juſtitiam maximam, oſtendunt Patres, multiſq; reſpondent modis.

1. Primùm; quia non propriâ id auctoritate fecerunt, ſed jubente Deo, qui ut eſt omnium tùm hominum, tùm facultatum, & opum ipſorum Dominus, ità poteſt, quandocunquè libuerit, ab uno auferre, & alteri dare. [Non „ furtum fecerunt (inquit S. Auguſt. in q. 39. „ in Exodum) ſed Deo jubenti miniſterium „ præbuerunt. Sicùt cùm miniſter judicis occi- „ dit eum, quem judex juſſit occidi: ſi ſpontè fa- „ ciat, homicida eſt, etiam ſi eum occidat, quem „ ſcit à judice occidi debuiſſe.] Voluit autem Deus ab illis auferri, & Hebræis dari, ut idem habet Auguſt. in ſecundo libro de doctrina Chriſtiana cap. 40. quod illi malè illis uterentur; volebatque ad meliorem ea uſum converti. Sic enim oſtendit, nos quoque Chriſtianos (ſi quæ fortè vera, & fidei noſtræ accommodata Philoſophi, Ethnicique ſcriptores dixerunt) ea formidare non debere, ſed ab illis tanquàm ab injuſtis poſſeſſoribus in uſum noſtrum vendicare. Quod etiam S. Greg. Nyſſenus habet in libro de vita Moyſeös. Credidit quoquè S. Io. Chryſ. in com. pſ. 135. id Iudæis à Deo fuiſſe præceptum, quòd vellet omni ratione hoſtibus eſſe terribilis, qui præſertim adverſùs illum tam rebelles, & contumaces ſeſe præbuerant, atque oſtendere, quòd & vi, & auctoritate poteſt omnia facere, eoſque fallere, & decipere.

Secunda reſponſio fuit S. Gregorij Nazianzeni in or. 2. in Paſcha; Nullum in ea bona jus habuiſſe Ægyptios. [Sacrilegio enim com- 2. „ pilârant, & eripuerant ei, qui dixit: Meum eſt „ argentum, & meum eſt aurum, daboque ei, „ cui voluero.]

Tertia S. Gregorij Papæ in 28. libro mor. 3. c. 9. Deum tantiſper condeſcendiſſe infirmitati populi ſui, dùm paulatim ad meliora provehebat. [Mentes, inquit, uſui vitæ carnalis „ inhærentes evelli ab infimis non poterant, „ niſi gradatim. Hinc eſt quod in Ægypto poſi- „ tis latenti eorum concupiſcentiæ condeſcen- „ ditur, & vicinorum ſuorum vaſis aureis, & „ argenteis ſublatis diſcedere jubentur. Qui ad „ Sinai montem ducti, accepta lege mox au- „ diunt: Non concupiſces rem proximi tui.]

Quarta reſponſio fuit Philonis Iudæi in 4. primo libro de vita Moyſis; Tertulliani libro quarto adverſùs Marcionem c. 24. & S. Irenæi lib. 4. adverſùs hæreſes c. 49. & Clementis Alexandrini lib. 1. Strom. & S. Greg. Nazian. loco citato, & S. Epiphan. in Ancorato, & S. Io. Chryſ. in or. 2. adverſùs Iudæos, to 5. & S. Proſperi in pſalmum 104. & Theodor. q. 23. in Exodum, & com. in pſ. 104. & aliorum penè omnium qui debitam Iſraëlitis mercedem illam fuiſſe, & tanquam debitam eos repetijſſe, & aſportaſſe: debitam, inquam, propter operariam ſervitutem tot annorum in operibus duris, ac maximè laborioſis, quibus, ut loquuntur Tertull. & Irenæus ædificaverant etiam illis civitates, ſubſtantiamque magnoperè auxerant. Qua de re actum quoque pòſt legatos fuiſſe, tùm Ægyptiorum repoſcentium ſpolia, tùm Iſraëlitarum operas ſuas poſcentium; teſtatur in 2. ejuſdem operis lib. c. 20. Neq; compenſationi viſum eſſe judicibus ſatis eſſe, ſi ſexcentorum millium operæ per tot annos, vel ſingulis nummis diurnis æſtimarentur. *Ægyptiorum, & Hebræorum contentio.* Tùm vero accedebant injuriæ toleratæ, verbera, filij necati, & alia plurima. Immò non ſolùm rerum debitores fecit illos Irenæus, ſed & vitæ, ob præcedentem ſcilicet Ioſephi benignitatem, qui pluribus ſterilitatis annis ſua eos induſtria, & prudentia ſuſtentaverat. Undè & Ægypti ſervatorem appellaverant.

Miror hanc rationem, tàm æquam, tàm juſtam, non tamen probatam fuiſſe Nyſſeno. Is enim in libro de vita Moyſeös ſic habet. „ [Hebræi petierunt ab Ægyptijs vaſa, non „ tanquam pretia ſuæ ſervitutis; non enim ità menda-

Digitized by Google

,, mendacio exigenda erant, quia illorum indi-
,, gni poſſeſſores erant Ægyptij, Deo poſteà
,, ad conſtructionem templi oblaturi.] Sed non
erat commune aliorum omnium judicium condemnandum, nequè verendum mendacium, ubi audita fuerat Dei juſſio, aurum illud, & argentum futuro donantis templo, quo tamen interim, illi velùt laborum ſuorum mercede fruerentur.

5. Verum & quinta adeſt S. Auguſtini reſponſio in lib. 83. qq. q. 53. & lib. 22. contrà Fauſtum c. 71. & com. in pſ. 104. etſi Hebræi deceptione aliqua uſi eſſent, Ægyptios tamen omninò fuiſſe deceptione dignos. [Quarè cùm
,, populus, inquit, Iſraël in tali adhuc eſſet mo-
,, rum gradu, ut non indignè hoſtem deciperet,
,, juſſit Deus, vel potiùs pro illorum cupidita-
,, te permiſit, ut vaſa peterent ab illis non red-
,, dituri, & acciperent quaſi reddituri.]

6. Addit ſexto, & ultimo loco Alexandrinus Clemens; ità ſe quodam modo ultos fuiſſe Hebræos; [Ægyptijs ut avaris, par pari refe-
,, rentes prædæ exportatione; ſicùt illi Hebræis
,, moleſtiam attulerant, redigendo in ſervitu-
,, tem.] Præterea, ut in bello factum eſſe contendit, victoriæ jure hoſtium res auferendo. Belli enim juſti erat cauſa.

CAPUT VI.

De fortitudine.

Fortitudo corporis & animi. VENIO ad fortitudinem, quæ corporis interdùm robur, ac potentiam ſignificat; interdùm animi virtutem. Priori acceptione diabolum quoque fortem legimus appellatum à Domino, Matt. 12. Quomodo poteſt quiſquam intrare in domum fortis, & vaſa ejus diripere, niſi priùs alligaverit fortem? fortem enim robuſtum, ac viribus valentem dicit; quia ut habet S. Aug. lib. 20. de civitate Dei c. 7. Ipſe genus humanum potuit tenêre captivum. Et in ſcripturis ſacris celebris eſt fortitudo Sampſonis; quæ tamen non fuit virtus, quam nùnc quærimus: ſed corporis robur, & vires à Deo tributæ homini. Sic etiam S. Ambr. in primo offic. libro c. 35. fortitudinem ſinè juſtitia iniquitatis eſſe materiam ſcripſit: Quò enim validior eſt, cò promptior, ut inferiorem opprimat. Et in 2. libro de Abraham cap. 10. Fortitudinem, niſi eam juſtitia temperet, intolerabilem inſolentiam eſſe, furorique quàm rationi propiorem; dominationi, quàm libertati. Fortitudinem enim potentiam appellat.

Sin autem animi virtus fortitudo nominetur; vox ipſa ſignificat, eam in adverſis, & aſperis tolerandis verſari. Quare & fortem eum appellamus, qui rebus hiſce non frangitur. S. Aug. in libro 1. de libero arbitrio cap. 13.
,, [Fortitudo, inquit, illa eſt animæ affectio, quâ
,, omnia incommoda, & damna rerum, non in
,, noſtra poteſtate conſtitutarum, contemni-
,, mus.] Et lib. 83. qq. q. 31. [Fortitudo eſt
,, conſiderata periculorum ſuſceptio, & labo-
,, rum perpeſſio.] Undè illa quoque Iob verba c. 6. Quæ eſt fortitudo mea, ut ſuſtineam, aut *Fortitudo* quis finis meus, ut patienter agam? Quocircà *animi* ut omnis virtus mediocritas eſt inter exceſſum, *quid.* & defectum; ſic fortitudo mediocritas erit inter audacias, & timores, quà in aſperis, & formidandis rebus nec nimiùm confidimus, aut contemnentes audemus, neque plus æquo formidamus, ac timemus. Nihil penitùs timêre ut in 3. mor. libro ratiocinatur Ariſtoteles, inſani hominis eſt indolentis, & impudentis; quemadmodùm ſi infamiam non timeas. Omnia vero pavêre, ignavi eſt, puſillanimis, ac timidi. Timêre ergò oportet ea, quæ rectæ rationis judicio timenda ſunt, & ubi oportet, & ſicùt oportet, circàque terribilia, quę non vitio noſtro fiunt, fortitudo verſabitur: omnium autem terribilium maximum eſt mors, quia ultimum omnium; morſq; pulcherrima, & honeſtiſſima judicatur ea, Philoſophi ſententiâ, quæ in bello oppetitur; nos eam præponimus, quæ propter Deum, & virtutem toleratur. Illi honores in Republica, & à Regibus ſunt conſtituti; Huic æterna gloria à Deo propoſita. Circà hanc igitur, & ea, quæ mortem adferunt, verſatur potiſſimum fortitudo. Neque tamen hæc non timet vir fortis; ſed cùm naturali afficiatur timore, honeſtatis tamen, ſeu divinæ charitatis cauſâ ſuſtinet omnia. Quòd ſi, ut paupertatem quis, aut moleſtiam fugiat, eligat mori; timidus eſt, & ignavus non fortis: quippè laborioſa fugere, ignavia, eſt, & mollities. Quam ob cauſam S. Auguſt. in 1. lib. de Civ. Dei cap. 19. non virtuti, ſed vitio, tribuit Romanæ Lucretiæ, quòd à Tarquinij *Lucretia* filio vi oppreſſa, ſeipſam interemerit. [Non *Romana.*
,, fuit, inquit, pudicitiæ charitas, ſed pudoris in-
,, firmitas. Romana mulier laudis avida, verita
,, eſt, nè putaretur, quod violenter eſt paſſa,
,, cùm viveret, libenter paſſa ſi viveret. Undè
,, ad oculos hominum mentis ſuæ teſtem illam
,, pœnam adhibendam putavit, quibus con-
,, ſcientiam demonſtrare non potuit. Sociam
,, quippè facti ſe credi erubuit; ſi quod alius in
,, ea fecerat turpiter, ferret ipſa patienter.] Immò verò, ut Ariſtoteli placuit, quò fortior vir eſt, & magis omni virtute ornatus, magis timebit, & dolebit mortem; quoniam dignus magis eſt vita, majoribuſque bonis moriens privatur. At nihilominùs, immò magis fortiter moritur; honeſtatem ſcilicet his omnibus anteponens.

Sed S. Auguſt. in ſer. 13. ad fratres in eremo, triplicem diſtinxit fortitudinem. Unam *Fortitudo triplex.* hypocritarum, qui multa ſuſtinent, & tole-

rant, ut fortes appareant, mundique gloriam venentur.. Atque hæc ſanè virtus non eſt, ſed turpe vitium. Secundam Philoſophorum, quæ moralis virtus eſſe potuit: verùm quia fide caruit, & charitate, quæ virtutis omnis, & bonæ actionis eſt forma, perfecta virtus non fuit, neque illis ad æternam beatitudinem quidquam proficit. Tertiam bonorum fidelium, qui quotidiè certant uſque ad mortem. Atque hæc perfecta virtus eſt. Et S. Greg. Papa libro 7. moral. cap. 8. qualis ſit fortitudo juſtorum, quæ reproborum, diligenter perſequitur. Atque de reprobis verè uſurpat illud Thren. 3. Inebriavit me abſynthio. [Ebrius „ enim, quod patitur, neſcit, eſtque abſynthio „ ebrius, qui præ amore hujus ſæculi ſuſtinens, „ laboris amaritudinem ignorat.] Sed omninò fortitudinem noſtram S. Auguſt. in 2. parte in pſ. 31. non debere oſtendit meritis inniti noſtris, ſed virtute Dei. Nam virtus in infirmitate perficitur; & dicebat Paulus; cùm infirmor, tùnc fortior ſum. In ſcripturis porrò ſanctis celebris maximè fuit fortitudo Iob, & Machabeæ illius mulieris cum ſeptem filijs, 2. Machab. c. 7. de quibus S. Auguſt. in libro de moribus eccleſiæ catholicæ c. 23. & poſt promulgatum Evangelium, tot millium ſanctorum Martyrum utriuſque ſexus, qui mortis timorem ſuperantes, pro Chriſti fide tam forti animo tolerârunt mortem; eximiâ ſcilicet Dei, & Chriſti charitate incenſi. Hæc enim fortitudinem præſtat; quemadmodùm in cap. 22. ejuſdem libri docet Auguſt. Peccatum contrà timidum facit, ac paventem. Quare hominem dixit idem Auguſt. in libro de vera relig. cap. 45. propter peccatum ad tantam veniſſe turpitudinem, ut beſtiolam timeat, qui vult omnibus imperare.

Poſtrema ea quoque à Patribus commendatur fortitudo, qua nos ipſos, atque immoderatos affectus noſtros ſuperamus, & rationi ſubijcimus. [Reverà, inquit, S. Ambr. in 1. „ lib. de offic. cap. 36. jure ea fortitudo vocatur, quando unuſquiſque ſeipſum vincit, iram „ continet, nullis illecebris emollitur, atque in„ flectitur, non adverſis perturbatur, non ex„ tollitur ſecundis, & quaſi vento quodam va„ narum rerum circumfertur mutatione.] Itaque in duobus ſubjicit animi fortitudinem ſpectari: Primùm, ut externa corporis pro minimis habeas, & quaſi ſuperflua, deſpicienda magis, quàm expetenda ducas. Deindè, ut ea, quæ ſumma ſunt, omneſque res in quibus honeſtas, & τὸ πρέπον cernitur, præclàra animi intentione uſquè ad effectum perſequaris.

CAPUT VII.

De temperantia.

TEMPERANTIA verò mediocritas quoque eſt. Undè & in libro de beata vita, diſputatione tertia, & modeſtiam à modo dictam fuiſſe pronuntiavit S. Aug. & à temperie temperantiam. Eſt autem mediocritas circà voluptates, & dolores; non universè, ſed quæ ad guſtatum, & tactum pertinent, atque animalibus quoque cæteris communes ſunt; & ideò ſerviles, & ferinæ hàbentur, hiſque magnoperè oblectari, & acquieſcere, ferinum eſt; ut loquitur Ariſtoteles lib. 3. mor. cap. 10. Qui voluptatibus non delectetur, vix invenitur; ſtupidus enim eſſet homo. Temperans delectatur mediocriter; hoc eſt quibus oportet, quando oportet, non magis quàm oportet, neque ut non oportet. Quod ſi non conſequatur, dolore non afficitur; non, inquam, dolet, ſi deſint; & ſi adſint, moderatè utitur; eaque ſola jucunda appetit, quæ vel ad ſanitatem, vel ad bonam habitudinem faciunt; appetit autem mediocriter, & ut decet, nec magnoperè angitur S. Auguſt. libro 1. de libro arb. cap. 13. Temperantiam definivit affectionem eſſe coërcentem & cohibentem appetitum ab ijs rebus, quæ turpiter appetuntur. Et libro 83. qq. q. 31. Eſſe rationis in libidinem, atque alios non rectos impetus animi, firmam, & moderatam dominationem. Quam moderationem tantoperè Sanctus Bernardus in mediocritate agnovit; ut in 1. libro de conſideratione, non in ſolis ſuperfluis reſecandis dixerit eſſe temperantiam, ſed & in admittendis neceſſarijs; eſſeque intemperantem, tàm eum, qui neceſſarijs pertinaciter demit; quàm eum, qui indulget ſuperfluis. Uterque enim à mediocritate recedit. Ergò moderatum uſum voluptatum guſtatûs, & tactûs, hoc eſt cibariorum, & venereorum, præſtabit nobis temperantia; tametſi plura illius commoda exponit Sanctus Proſper in 3. libro de vita contemplativa cap. 19. & in cibo maximè virtutem hanc viſus eſt conſideraſſe Sanctus Baſilius in regulis fuſioribus cap. 16. 17. & pluribus alijs in locis; ſed nihil mirum; Ad jejunia Monachos erudiebat ſuos. Universè autem illam conſiderantes, bipartitam videbimus; tùm circà guſtatum occupatam, tùm circà tactum, tùm, inquam, circà cibos, tùm circà venerea. Duoque illi eſſe adverſantia vitia, Gulam, & Luxuriam: de quibus ſeorſim dicam.

Temperantia quid.

Temperantia duplex.

FINIS LIBRI SEXTI.

Digitized by Google

DE
GVLÆ INTEMPERANTIA.
LIBER OCTAVUS.

Intemperantia duplex.

INTEMPERANTIA temperantiæ adverſatur, dùm & ipſa circà voluptates eaſdem verſatur. Itaque ut bipartitam fecimus temperantiam, partim in guſtatu, partim in tactu; ità duplex quoque fuerit intemperantia, in Guſtatu Gula, in Tactu Luxuria. Auctor epiſtolæ ad Demetriadem, quæ inter opera S. Hieronymi falsò aſcripta legitur. [Duo, in-,, quit, ſunt vitia, quæ maximè homines de-,, cipiunt ſui voluptate; gula, & libido:] Quæ deponere eò difficilius eſt, quò eis uti dulcius eſt. Primum autem de Gula dicam; Deindè & de Luxuria.

CAPUT I.

Gula tentatio.

Prima tentatio.

PRIMA hominis tentatio fuit Gulæ; quâ diabolus Adamum utrumque terrenum, & cœleſtem, illum in paradiſo, hunc in deſerto aggreſſus eſt; alterumque in voluptatis paradiſo proſtravit; ab altero poſt quadraginta dierum jejunium in deſerto ſuperatus abſceſſit. Hæc univerſi generis noſtri ruina; hæc malorum omnium cauſa. [Primum (ait S. Ambr. ,, in libro de Elia, & jejunio c. 1.) gulæ direxit ,, ſpiculum, & cibum velùt eſcam laquei præ-,, tendit; quo Adam anteà fuerat ſtrangulatus.] Et libro 4. in Lucam; [Prima Chriſti tenta-,, tio gulæ. Indè enim incepit diabolus, undè ,, jam vicit.] Et S. Baſilius in ſer. de abdicatione rerum: [Cave gulæ vitium, quo adverſa-,, rius primum parentem circumvenit, & è pa-,, radiſo dejecit, & Ieſum quoque ſe ſupplanta-,, turum ſperaverat.] Et S. Anſel. in comm. ad caput 4. Matthæi: cur hæc fuerit prima Chriſti tentatio, hanc rationem poſuit; quia prima tentatio eſt concupiſcentia carnis, quæ incipere ſolet à gula. Eamque ob cauſam Io. Caſſianus in libro de ſpiritu gaſtrimargiæ cap. 3. 11. 14. & 16. Primum nobis certamen adverſus hoc vitium eſſe voluit. Hoc namque cæterorum penè omnium fons, & origo eſſe videtur.

CAPUT II.

Gulæ damna, & caſtitatis jactura.

AC primum damnum fuit hoc, quod immortalitatem amiſimus, atque in omnes præſentis vitæ miſerias, atque ærumnas incidimus; ità S. Aug. locutus eſt in ſer. 77. de tempore, ſeu Ambr. ſer. 39. fer. 2. poſt dom. 2. quadrag. (utrique enim tribuitur.) [Adam in ,, Paradiſo conſtitutus per intemperantiam gu-,, læ gloriam immortalitatis amiſit; eandem ,, immortalitatem ſecundus Adam Chriſtus ,, per abſtinentiam reparavit.]

Secundum eſt libido, & luxuria, quam provocat gula. Hanc ex verbis Apoſtoli; Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria; primogenitam filiam gulæ, & ebrietatis dicit Orig. h. 7. in Levit. Ut ſi Philoſopho libuit dicere, guſtatum eſſe quemdam tactum; mihi quoque nunc veniat in mentem pronuntiare, Gulam eſſe luxuriam quandam. Sed audiamus Patres; quorum ſententia fuit, Adamum, & Evam quamdiù jejunârunt in Paradiſo fuiſſe virgines. Ita Tertull. in libro de Monogamia cap. 5. & S. Petrus Chryſologus ſer. 148. & S. Ambr. in exhort. ad virgines, & libro de inſtitutione virginis cap. 5. & tract. in ſymbolum Apoſtolorum cap. 17. & S. Aug. q. 8. ex veteri teſtamento, & in com. epiſtolæ ad Gal. cap. 4. & ſer. 25. ad fratres in eremo, & S. Epiph. hær. 78. & S. Baſil. in libro de vera virginitate, & S. Cyrillus Hieroſol. catech. 12. & Orig. lib. 5. in epiſtolam ad Rom, & S. Iuſt. in dialogo cum Triphone, & S. Irenæus lib. 5. adverſus hæreſes cap. 19. & S. Greg. Nazian. in exhortatione ad virginem, & S. Nyſſenus libro de hominis opificio cap. 17. At ubi comederunt, tùnc cognoverunt ſe eſſe nudos, & erubuerunt, & carnis motum ſenſerunt, ſeſeque viciſſim cognoverunt. Undè Ambr. ſeu Aug. in ſer. notato. [Adam non niſi intem-,, perantiâ provocante Evam cognovit. Quam-,, diù in illis manſit intemerata parcitas, man-,, ſit & impolluta virginitas. Fames enim amica ,, virginitatis eſt, inimica laſciviæ. Saturitas ve-,, rò caſtitatem prodigit, nutrit illecebram.] Et ruſùm idem Aug. in ſer. 65. item de tempore. ,, [Adam in Paradiſo virgo; ejectus de Paradiſo ,, cognovit uxorem. Semper enim jurata eſt ſaturitati laſcivia. Vicina ſibi ſunt venter, &

Gula luxuria quædam.

Adam, & Eva in paradiſo virgines.

gen-

Gula, & luxuria cognata.

,, genitalia,& pro membrorum ordine ordo vi-
,, tiorum intelligitur.] Verùm hic locus paulò
pluribus tractandus eſt; neque moleſtum opi-
nor,erit lectori.S. Hier.ergò in 2.libro adver-
ſùs Iovinianum c. 7. [Difficile eſt,inquit,im-
,, mò impoſſibile, delitijs, & voluptatibus af-
,, fluentes, non ea cogitare, quæ gerimus;fru-
,, ſtraq; quidam ſimulant (ſalva fide, pudicitia,
,, & integritate mentis) ſe abuti voluptatibus;
,, cum contrà naturam ſit copijs voluptatum
,, ſine voluptate perfrui.] Philo autem Iudæus
in lib. de temulentia, ad illud alludens quod in
c. 40. libri Gen. narratur, luxuriantis animæ
affirmat tres eſſe familiares cuſtodes; piſtorum
principem, principem coquorum, & princi-
pem pincernarum. Hi enim ſunt, qui gulam
nutriunt, & libidini materiam ſubminiſtrant.
Qui omnes non incongruè dicuntur fuiſſe eu-
nuchi. Sed quoniam ſeminare viris, ſemen
excipere mulieribus à natura datum eſt, ut
genus noſtrum conſervetur: ſterilis autem, &
infœcunda anima gaudet piſtorijs operibus,
ſumptuoſis poculis, & curioſis condimentis
cupedinariorum; ut quæ nec virtutis veræ ma-
ſculum ſemen emittere valeat, nec emiſſum
excipere, & fovêre; ſed tanquàm exile, ſaxo-
ſumque arvum, apta ſolùm ſit ad corrumpen-
dum, & perdendum ea, quæ ſemper debue-
rant vivere. S. Baſil. in lib. de vera virginita-
te: Virginem quoque vult eſſe virginis guſta-
tum,nullique gulam ſuaviter oblectanti illece-
bræ pervium. Hæc enim ſunt illius verba;
,, [In guſtatu enim,inquit,ac genitalibus mem-
,, bris tactus dominatur, hiq; ita connexi ſunt,
,, ut catenæ in morem alter ex altero pendeat;
,, alter ex eis alter ſit adminiſtrator, alter verò
,, miniſter efficitur. Itaque virgini primum
,, ſuperandus eſt guſtatus, qui fomenta libidini
,, ſubminiſtrat.] Sed nè nuptis quidem mulie-
ribus,ſi honeſtæ,& pudicæ habêri velint,prop-
tereà permittit convivia S. Greg. Nazianz.
in parænetico carmine ad Olympiadem. Sic
enim loquitur. [Nè ad nuptiale,vel natalitium
,, convivium properes; ubi & potatur,& ſalta-
,, tur, & ridetur. Hæc enim vel pudicum pe-
,, ctus delinire, ac demulcêre queunt, non ſe-
,, cùs, ac ſolis radius ceram quàm citiſſimè pe-
,, netrans. Nec verò vel præſente, vel abſente
,, marito compotationes domi excita. Venter
,, quippè modum tenens perturbationibus ani-
,, mi fortaſſè, ac libidini dominari queat: hel-
,, luonem autem,ingluvieque laborantem,non
,, ego ſolùm,ſed maritus quoquè ipſe pertime-
,, ſcit.]Et in ſententijs tetraſticis verſibus con-
ſtantibus; [Da, venter ait. Dabo libenter, ſi
,, cùm acceperis,temperanter te geras. Sin au-
,, tem inferioribus partibus dare inſtitueris, fi-
,, mum nec eum quidem uberem,& copioſum
,, accipies.] Et rurſùm poſt, ode 2. [Carnem
,, delicatè cibis nutrire, eſt fovêre hoſtem;
,, Quo ut ſerpens gelu paſſus,æſtu deindè con-
,, calefactus, in ſinu me feriat.] [Copioſum
,, enim ſtercus (inquit in libro de octo vitioſis
,, cogitationibus S. Nilus) ingentem vermium
,, numerum gignit; ciborumque copia ma-
,, gnum libidinoſarum cogitationum numerum
,, procreat.]Atque mundanis quidem homini-
bus avaritiam radicem malorum eſſe ſcribit;
apud monachos autem gulam potiùs. S. Baſil.
in com. ad pſ. 90. (quod & habet Theodor.)
dum illud interpretatur; Ab incurſu,& dæmo-
nio meridiano,veriſimile eſſe arbitratur dæmo-
nes aliquos eſſe, qui poſt cibum, & ſaturita-
tem, velùt paratam prædam, nos aggredian-
tur; [Ut qui divina gubernatione deſtituti
,, ſunt,facilè ſervituti ſubijciantur,& Orig.lib.
,, 1. in Iob, propterea filios Iob addit eo tem-
,, pore à dæmone interemptos.] Et in conſti-
tutionibus monaſt. Baſilius c. 5. [Ventris,ait,
,, moderatio animi perturbationum compreſ-
,, ſio eſt: perturbationum autem compreſſio,
,, animi pax,& tranquillitas:animi autem tran-
,, quillitas, nihil aliud,quàm virtutum fœcun-
,, diſſimus fons.] Neq; magnoperè refert qua-
libus eſcis repleatur venter, delicatiſne, an
vulgaribus. [Nam (ut habet Io. Caſſ. in lib.
,, de ſpiritu gaſtrim.c.6.)quibuslibet fuerit re-
,, fertus, ſeminaria luxuriæ parat; nec præva-
,, let mens diſcretionum gubernacula modera-
,, ri, ciborum pondere præfocata.] Et quod
magis mireris, vel etiam aqua, ut habet in
collat. 12.cap. 11.& confirmat Nilus.& cap.9.
,, [Non habet perpetuam caſtimoniæ purita-
,, tem,quiſquis non jugem temperantiæ æqua-
,, litatem tenêre contentus eſt.]Et c. 11.[Nul-
,, lus poterit ardentis concupiſcentiæ ſtimulos
,, inhibêre, qui deſideria gulæ refrænare ne-
,, quiverit. Interioris hominis caſtitas,virtutis
,, hujus conſummatione diſcernitur.] S. verò
Aug. apertè loquitur in ſer. 243. de tempore.
,, [Qui caſtitatem dicunt ſe ſervare non poſſe,
,, plus manducant, & bibunt, quàm expedit.]
Et ſer. 244. [Non te contines, quia plus co-
,, medis,& bibis &c.]Et S.Greg.lib.31.moral.
c. 17. [Cunctis liquet, quòd de ventris inglu-
,, vie luxuria naſcitur, dùm in ipſa diſtributio-
,, ne membrorum ventri genitalia ſubnexa vi-
,, dentur. Undè dum unum inordinatè refici-
,, tur,aliud ad contumelias excitatur.] Scitum
enim eſt illud; Sinè Cerere, & Baccho friget
Venus. Quam ob cauſam verè ſcripſit Ter-
tull. in libro de ſpectaculis cap. 10. [Duo hæc
,, dæmonia conſpirata, & conjurata inter ſe
,, ſunt, ebrietatis,& libidinis. Itaque theatrum
,, Veneris,Liberi quoque domus eſt.] Et libro
de jejunijs adverſùs Pſychicos c. 1. [Mirarer,
,, inquit, ſi ſola luxuria tenereris,ſi non & in-
,, gluvie ducereris. Monſtrum ſcilicet habere-
,, tur libido ſine gula. Per edacitatem ſalaci-
,, tas tranſit.] Et c. 17. [Appendices gulæ,la-
ſcivia,

Digitized by Google

„ ſcivia, & luxuria.] [Paſcitur libido convivijs „ (addit S. Ambr. lib. 2. de pœnitentia c. 14.) „ nutritur delitijs, vino accenditur, ebriëtate „ flammatur.] Et libro 1. de virginibus. [Ci- „ bus parſimoniæ, potus abſtinentiæ; docet vi- „ tia neſcire, qui docet cauſas neſcire vitio- rum.] Et ep. ad Vercellenſem eccleſiam. [Cibo „ flamma alitur, & deficit; fœnum, ſtipula, „ lignum, oleum alimenta ignis ſunt. Ea ſi de- „ trahas, vel non ſuggeras, ignis ſopitur. Ita & „ vapor corporis cibo alitur, aut minuitur, cibo „ excitatur, cibo ſolvitur. Luxuria igitur, id eſt „ gula, mater libidinis eſt.] Quid S. Hierony- mus? in ep. ad Demetriadem, de ſervanda vir- ginitate c. 6. [Poſt cogitationum diligentiſſi- „ mam cautionem, jejuniorum tibi arma ſu- „ menda ſunt.] Et in ep. ad Euſtochium, Epita- phium Paulæ c. 10. [Laſcivientem adoleſcen- „ tularum carnem crebris, & duplicatis frange „ jejunijs: meliùs eſt eis ſtomachum dolêre, „ quàm mentem.] Et libro 2. adverſus Iovi- nianum c. 6. [Eſus carnium, & potus vini, ven- „ triſq; ſaturitas, ſeminarium libidinis eſt.] Et in ep. ad Mauritij filias (ſi modo Hieronymi „ eſt) [Carnis, & vini ſpecies quaſi caloris fo- „ menta, & libidinis incitamenta fuge.] Et in regula monachorum c. de abſtinentia Philoſo- „ phorum. [Non Æthnæ ignes, non Vulcania „ tellus, non Veſuvius, Olympuſq; tantis ardo- „ ribus æſtuant, ut juveniles medullæ vino ple- „ næ, dapibus inflammatæ.] Et S. Anſelmus ad caput 6. prioris ep. ad Cor. [Superfluitas eſca- „ rum mater libidinis eſt, ventremq; diſtentum „ cibo, & vini potationibus irrigatum voluptas „ genitalium ſequitur, atque pro membrorum „ ordine ordo vitiorum eſt.] Et ad caput 1. epiſtolæ ad Titum; [Ubicunque ſaturitas, & „ ebriëtas fuerint, ibi libido dominatur. Specta „ ventrem, & genitalia. Nam juxtà ordinem „ membrorum eſt, & ordo vitiorum.] Et The- odoretus in or. de charitate, quæ legitur poſt hiſtoriam Sanctorum Patrum. [Carnium eſus, „ & vini potus quovis foco meliùs corpora ca- „ lefaciunt.] Certè S. Epiphanius hær. 58. Va- leſios omnes teſtatur fuiſſe exectos, id eſt ca- ſtratos; & antequàm exciderentur, animatis non veſcebantur; ubi verò fuerunt executi, ve- lùt jam à concupiſcentia liberi, omnibus veſ- cebantur. Et Tertullianus in 2. libro adver- ſùs Marcionem c. 18. & lib. de cibis Iudaicis c. 4. In veteri lege adnotavit multorum anima- lium eſum propterea fuiſſe prohibitum, ut con- tinentiæ, & caſtitati quoquo modo conſulere- tur. Sic enim habet: [Si lex aliquid cibis detra- „ hit, & immunda pronuntiat animalia, „ quæ aliquando tradita ſunt, conſilium exer- „ cendæ continentiæ intellige, & frenos impo- „ ſitos illi gulæ agnoſce, quæ cùm panem ede- „ ret Angelorum, cucumeres, & pepones „ Ægyptiorum deſiderabat. Agnoſce ſimul, „ & comitibus gulæ libidini, atq; luxuriæ pro- „ ſpectum; quæ ferè ventris caſtigatione fri- „ geſcunt. Poſtremò ut faciliùs homo ad jeju- „ nandum Deo formaretur, paucis, & non „ glorioſis eſcis aſſuefactus, & nihil de lautio- „ ribus eſuriturus.] Et Theod. q. 31. in Levit. propterea vult Deum juſſiſſe offerri ſibi pri- mogenita pecorum poſt octavum diem, nè qui vitio gulæ laborant; obeſa, & ſpecioſa intuentes, retinerent ſibi, & vorarent. Nec Romanam virginem Tarpejam prætermittam; quam ſcribit S. Aug. in ſer. 47. ad fratres in ere- mo, ut caſtè viveret, oculos ſibi eruiſſe; hoc eſt primum: & delitijs cunctis depoſitis, panem ſolum cum aqua ſumpſiſſe ad menſuram; hoc eſt alterum. Diſcant ab hâc Chriſtiani, & verò religioſi. [Caſtitas enim, inquit S. Aug. cum „ abundantia, & fertilitate ſtare non poteſt.] Solon in convivio ſeptem ſapientum apud Plutarchum, proximum à ſummo, & maximo bono dixit eſſe quàm minimum requirere nu- trimentum; quippè ſummum bonum nullo prorſùs alimento indiget.

CAPUT III.

Gula mentem obſcurat.

TERTIUM gulæ damnum eſt animæ ob- ſcuratio. Immoderatus enim cibus, velùt craſſa, & obſcura nubes cœleſtis, ac divinæ lucis aſpectum prohibet. Hanc S. Ambr. in libro de Iacob, & vita beata c. 2. cauſam eſſe voluit prohibendi aliquos cibos in veteri lege. „ [Lex, inquit, recidit ciborum licentiam, epu- „ larum copias; non ſolùm ut reſecaret luxu- „ riam; verùm etiam ut inhibentis contempla- „ tionem præcepti viam tractationi rationis „ aperiret; quàm irritamenta gulæ, cæteraſq; „ reciderет cupiditates, corporeas paſſiones, mo- „ tuſque cohiberet. Temperantia eſt igitur cor- „ rectionis prævia diſciplinæ magiſtra.] [Quo- „ tidiano quippè (ut S. Leo Papa loquitur in „ ſer. 7. de jejunio decimi menſis) experimen- „ to probatur, potus ſatietate aciem mentis ob- „ tundi, & ciborum nimietate vigorem cordis „ hebetari.] Nubium exemplo utitur S. Petrus Chryſologus in ſer. 41. [Sicùt enim tetræ nu- „ bes caligant cœlum, ſic obſcurant animas in- „ temperata convivia: ſicut ventorum turbines „ elementa confundunt, ſic fercula congeſta „ conturbant ſtomachum.] Et Orig. h. 25. in Lucam; [Cum corpus fuerit ſuperfluis eſcis „ gravatum, anima quoque oneratur; quæ per „ totum diffuſa corpus, paſſionibus illius ſubja- „ cet.] Et S. Nilus. [Non ſolùm vini crapula, „ ſed etiam aqua ad ſaturitatem hauſta men- „ tem temulentam reddit, atque (ut uno verbo „ dicam) omne cibi, ac potûs genus, quod mo- „ dum excedit, ſoporem, ac veternum efficit.]

Digitized by Google

Et poſt multa; [Ventre ſaturo nihil divinum „ inveſtiga. Ut nubes lunæ proſpectum eripit, „ ſic gula Dei ſapientiam nobis occultat.] Serpenti maledicens Deus, Gen. 3. dixit ſuper pectus tuum gradieris. [Qui ſunt (inquit S. „ Ambr. in libro de Paradiſo c. 15.) qui utero „ ſuo ambulant, niſi qui ventri, & gulæ vivunt; „ At Adamo dicitur, in triſtitia comedes. Me„ liùs eſt in triſtitia comedere, quàm in dele„ ctatione. Sic Hebræi, qui in laboribus Ægyp„ ti panem in triſtitia comederunt, eſca donati „ ſunt ſpiritali.] Nec veretur S. Io. Chryſ. in h. 44. in Io. affirmare: Nihil eſſe gula perniorioſiùs, nihil ignominioſiùs. [Hæc enim obtu„ ſum, & craſſum ingenium, hæc carnalem „ animam reddit, hæc cæcat intellectum, nec „ ſinit ut quidquam perſpiciat.] Et h. 13. in priorem ep. ad Tim. Venter pinguis non gignit ſenſum tenuem. Quod inculcat quoque S. Bern. in tractatu de ordine vitæ, & morum inſtit. & confirmat illud S. Nazianz. in ſententijs diſticis elegiacis comprehenſis. [Mentis „ ſubtilitatem craſſus venter expellit; contra„ ria enim contrarijs adverſantur.]

CAPUT IV.

Corporis ſanitatem corrumpit.

QUARTUM damnum eſt, quod immoderatus cibus, aut potus corporis ſanitatem corrumpit, multos adducit morbos, ac mortem quoque. Non enim poteſt ſtomachus, & naturalis illius calor tantam molem tolerare, ac coquere, quanta ingeritur. [Temperan„ tiæ merces eſt robur, & ſanitas (inquit in „ libro de legatione ad Cajum Philo Iudæus) „ intemperantiæ morbus, & imbecillitas „ vicina mortis proxima.] Et S. Ambr. in libro de Noë, & arca c. 9. [Intemperantia „ accendit libidinem, cruditatem generat, cor„ ruptelam creat.] Et Chryſologus loco jam notato. [Ut navem fluctus, corpus ebriëtas „ ſic demergit, hominem dat in profundum, „ lucra vitæ aufert, mortis facit ſubire naufra„ gium.] Et S. Baſil. in cap. 2. Iſaiæ, tractans illa verba (Et ſuper omnem navem maris) navem, ait, eſſe corpus noſtrum, quod in ſalſoſa vitæ hujus fluctuatione jactatur. Atq; ut naves onere nimio gravatæ ad portum vix perveniunt, facilèque naufragium faciunt; ſic corpora noſtra redundanti alimoniâ, obeſa in imam voraginem perditionis immerguntur. Qui verò in carne degentes non ſecundùm carnem militant, calcantes æſtus maris; hi naves ſunt, quæ ut eſt in pſ. 102. Operationem faciunt in aquis multis, de quibus etiam dicitur: Quia illic naves pertranſibunt. Et S. Io. Chryſ. h. 12. in poſteriorem ep. ad Cor. Divitum, & helluonum ventres vult eſſe velùt caminum, in quo animalium aduruntur corpora; undè nidor, pedor, fumus, & oſſium malcolentia. Item velut fontem, ubi multæ herbæ coquuntur. [Sed cur, inquit, cibi dati „ ſunt? Nùm ut corrumpamur, an ut paſcamur? „ Nùm ut ægrotemus, an ut valeamus? Nùm „ ut ſani ſimus, an ut infirmi? Manifeſtum eſt „ propter alimoniam, & ſanitatem, & robur. „ Quam igitur ob cauſam in contrarium illis „ abutimini, morbum, & infirmitatem corpo„ ri per illos facientes?] [Arbores (addit „ h. 22. in Acta) quæ ſine modo rigantur, à „ radice corrumpuntur, quæ autem cum „ modo, creſcunt. Sic & tu nè tuum ventrem „ ſuper modum riges, nè radix arboris corrum„ patur.] Et h. 27. [Alimenta quæramus, non „ corruptionem; alimenta quæramus, non „ morborum fomites; alimentum quæramus, „ quod voluptatem habeat, non delitias in„ ſuavitate plenas.] Et h. 29. in ep. ad Hebr. „ [Tale eſt in ventrem cibos mittere, quale ſi „ quis in cloäcam eos proijciat. Immò multò „ pejùs. Hic enim fimum tantùm operatur „ ſine tua læſione, illic autem plurimos mor„ bos, plurimaſq; procreat ægritudines.] Et rurſùm. [Quod facit fames, hoc etiam facit „ plenitudo ciborum; magis autem multò pe„ jora. Fames quippè paucis diebus aufert ho„ minem, & liberat ex hac vita pœnali; exceſ„ ſus verò ciborum conſumit, & putrefacit cor„ pus, & macerat ægritudine diuturna, & tunc „ morte crudeli conſumit.] Et h. 53. ad populum. [Non tam vehementer fluvialium aqua„ rum curſus ripas corrodere, & ſubmittere ſo„ let, ſicut delitiæ, & luxus omnia valetudinis „ noſtræ firmamenta facilè ſubruere; & quæ „ ſeq.] Et Sancti Bernardi eſt illud in ſer. de converſ. ad Clericos c. 12. [Hinc monſtruo„ ſiùs dilatantur renes, & humeri; hinc tumen„ tes uteri non tam impinguantur, quàm im„ prægnantur à ruina, & dum carnis onus oſſa „ non ſuſtinent, etiam morbi varij generan„ tur.] Quin etiam S. Greg. Nyſſen. in lib. de vita Moyſeos; Nimio coturnicum eſu in morbos incidiſſe putat filios Iſraël in deſerto, mortuoſque fuiſſe non paucos.

CAPUT V.

Virtutes deſtruit, vitia inducit.

QUINTUM damnum eſt virtutum omnium jactura, vitiorumque omnium triumphus. Nam & in ſacris litteris princeps coquorum legitur deſtruxiſſe muros Ieruſalem. Quia dum non reſtringitur venter, animæ virtutes pereunt. Et Eſau lenticulas concupiſcens primogenitorum gloriam, & jura amiſit. [Ventris enim repletione (ut in 2. libro „ allegoriarum legis obſervat Philo) continen-

,, tur reliqua ceu fundamento affectuum,quorum nullus conſiſtere poteſt,niſi ventre ſubnixus,quem baſim omnium natura poſuit.]Et Nilus. [Ut frugum principium flos eſt;ſic virtutis temperantia, contràq; turbidorum animi motuum , gula. Venter egens perturbationes animi conſopit, plenus autem excitat. ,, Aridum vitæ genus ſobrios animos parit,humidum,& molle eos obruit. Neque in cœno ,, unguentum , neque in ventre ingluvie laborante fragrans virtutis odor inveniri poteſt.] Et S. Leo Papa in ſer. 2. de jejunio ſeptimi menſis; [Qui ab initio primis hominibus cibi ,, vetiti indidit appetitum , idem nunc ad labefactanda ſtudia virtutis deſiderium voluptatis ,, accendit.]Et omnia ex gula naſci mala,oſtendit S. Io. Chryſ. h. 31. operis imperfecti. Et S. Greg. lib. 5. in primum Reg. c.1.[Ex uno ,, gulæ vitio innumera vitiorum agmina ad ,, conflictum animæ producuntur.] Ut proptereà Io. Caſſianus in collat. 22. Abbatis Theonæ c. 3. gaſtrimargiam ſcripſerit ſuperandam, non propter ſe tantum , ſed etiam nè omnium aliorum vitiorum mancipia nos faciat. [Quia, ,, ut Greg. addit , cùm gulæ vitium reciditur, ,, alia nobis multa vitia ſubjugamus.]

Levitas & loquacitas.

Sextum damnum eſt levitas magna , & loquacitas plurima , S. Greg. Papa in 3. parte paſtor.curæ admonitione 20.Addit etiam luxuriam. [Gulam , inquit , ſuperfluitas locutio- ,, nis , levitas operis , & luxuria comitantur.] Sed de hoc tertio tamquàm præcipuo , ſeorſim anteà dictum eſt. Et S. Greg. Nazianz. or. in laudem Heronis Philoſophi,contumelias adjungit ; [Satiëtas contumeliæ , & libidinis ,, parens.]Et in ſententijs diſticis verſibus comprehenſis ; [Contumeliæ, atq; inſolentiæ pa- ,, rens eſt ſatiëtas.]Verùm hæ tùm ex levitate, tùm ex loquacitate proveniunt.

CAPUT VI.

Rem familiarem diſſipat.

SEPTIMUM; rei familiaris diſpendium; quam ob cauſam in 1. de beneficijs lib.cap. 10.fœdiſſimum patrimoniorum exitium appellavit culinam Seneca,cùm tamen (ut in ep.119. idem ipſe loquitur) nihil præter cibum natura deſideret;nec ambitioſa fames ſit; contenta deſinere; quo deſinat non curans; ſed audi S. Hieronymum libro 2. adverſus Iovinianum c. 7. [Propter brevem gulæ voluptatem terræ ,, luſtrantur , & maria ; & ut mulſum vinum, ,, pretioſuſque cibus fauces noſtras tranſeat,to- ,, tius vitæ opera deſudamus.] Et S. Ambr.ſer. 12.in pſ.118.[Vilior cibo es tuo;pretioſior eſt ,, unius diei menſa tua , quàm totius temporis ,, vita.]Et in 4.Regum libro Nabuzardan princeps coquorum deſtruxit, & incendit domum Dei. Extat inter opera S. Ber. ep. De cura rei familiaris , quæ Bernardi Sylveſtris eſſe creditur. In ea habet hæc verba ; [Fac gulam ,, litigare cum burſa , & cave, cujus advocatus ,,exiſtas. Si autem inter gulam, & burſam ju- ,, dex exiſtas ; ſæpiùs , non tamen ſemper , pro ,, burſa ſententiam feras.] Apud veteres ſcriptores multa eſt ſibariticarum ; & ſicularum menſarum mentio : & Platonem, cùm in Italiam veniſſet, magnoperè Syracuſanis offenſum fuiſſe , quòd bis quotidiè ſaturi fierent; refert in 2.libro pædag.c.1.Clemens Alexand. & ipſemet ſcribit in epiſt. ad Dionis propinquos, & familiares. Et piſcem ὄνον, id eſt, aſinum dictum , qui cor in ventre habère dicatur ab Ariſtotele ; & Acephalum apud Mathematicos ſtellam , capite in pectus compreſſo; proponit idem Clemens; vultq; helluones iſtos ſignificare, in quibus ratiocinandi facultas non in capite, ſed in inteſtinis,& ventre collocata videtur. Ita nihil aliud die , ac nocte , niſi de cibo , & potu tractant , & cogitant. Hos Ariſtoteles lib. 3. mor. c. 11. ventri furentes appellat ; propterèa quòd ultrà , quàm deceat ventri replendo ſtudent , ſed quid agunt ? lautas vermibus parant epulas, quos (ut loquitur S. Amb. com. in pſ.48.) ſui corporis relinquunt hæredes. Hoc reprehendit ſeriò S. Io. Chryſ. h. 54. ad populum. [Nunquid,inquit, ,, mactandi ſumus, quoniam nos ipſos ſaginamus ? Quid lautam vermibus menſam appo- ,, nis ? quid majorem agis ſaniem? quid fœten- ,, tes ſudorum fontes reponis ? Cur te ipſum ad ,, omnia reddis inutilem ? Nam & in chordis ,, craſſa , & immunda ad cantus ſuavitatem ,, inutilis eſt, undiq; verò raſa , intenſa eſt, & ,, conſonantiſſima.] Eadem repetit h. 27. in Acta, additque athletas, qui te docent , quòd gracilius corpus , idem & robuſtius ; & anima frugalitati dedita firmior eſt.

CAPUT VII.

Cœleſti privat gloriâ.

OCTAVUM, & maximum omnium damnum eſt, quòd à cœleſti excludit gloria æternaque beatitudine privat. Nam Chriſtus arctam eſſe viam , anguſtamque portam monuit. Et ut verbis utar S. Gregorij Nazianzeni in Monachos hypocritas ſcribentis ; ,, [Craſſas carnes,& tumidum ventrem,ac pro- ,, minentem anguſta illa porta capere non ,, poteſt.] Et iterùm ode 2.

Diſtentas carnes , & grandi pondere ventres,
Porta peranguſtâ non capit arcta viâ.

Et S. Chryſ. h. 22. ad populum. [Cum terre- ,, no corpore Cœlum aſcendere concupiſti?ex- ,, tenua carnes , ut ad aſcenſum agilis fias. ,, Equus ſi multum comedit,non currit : athle-

ta

„ ta non quod vult comedit; niſi comediſſet „ Iſraël, & impinguatus fuiſſet, non recalcitraſ- „ ſet.] Scio plerumque peccatum eſſe veniale, ſed & poteſt eſſe mortale, & inter ſeptem mortalia numeratur.

CAPUT VIII.

Voluptatem in cibo cavendam eſſe.

Edere neceſſarium eſt.

APPETIT ſanè natura cibum, eſtq; neceſſarium comedere, ut deficienti ſubveniamus naturæ; [Quia (ut de ſomno dixit S. „ Aug. in pſ. 62.) ſine eo ſuſtinêri non poteſt „ corpus fragile, nec ſuſtinêre animam vigilan- „ tem, & intentam actionibus.] Et monachus ille apud Caſſ. coll. 5. c. 21. renuntiando mundo ajebat, ſe creditoribus omnibus ſibi à patre relictis ſatisfeciſſe, unum tamen ſupereſſe; cui quotidiè ſolvendo non poſſet ſatisfacere; hoc eſt gulæ. Eſt enim fames naturalis morbus, qui nos inquiëtat, niſi manducemus; primo homini pœna, nobis natura, ut idem habet Aug. in pſ. 37. & Philo in 2. libro Allegoriarum legis, Moyſen obſervat Deo præcipiente pectuſculum animalis abſtuliſſe, ventrem verò non abſtuliſſe, ſed laviſſe. [Quia perfectus ira- „ ſcendi vim totam poteſt excindere, hoc eſt, „ mortificando ſubjugare, ventrem autem non „ poteſt quia neceſſario cibo, potuque natura „ uti cogitur. Lavet igitur ventrem, & repur- „ get à condimentis impuris, & ſupervacaneis.] & Ioan. Caſſ. collat. 5. Abbatis Seraponis capite 19. Reliquæ, ait, gentes jubentur ad interneccionem extingui; Ægyptia non extingui, ſed deſeri. Quia cibo omni carêre non poſſumus, ejuſq; naturalis affectus ſemper in nobis viget. Reliqua vitia velùt omninò noxia, penitùs exterminanda ſunt. Et S. Greg. lib. 5. in primum Reg. c. 1. [Appetitus „ commeſtionis reſtringendus eſt, non extin- „ guendus.] Itaquè in hoc magnoperè cavendum eſt, nè cum neceſſitate naturæ voluptatem ſenſûs quæramus. Idem namque Greg. lib. 20. mor. c. 15. dum exponit illud pſalmi 24. De neceſſitatibus meis eripe me Domine; malos, ait, de neceſſitate facere voluptatem, & neceſſitates ad uſum voluptatum retorquêre. Et loco priùs indicato ex lib. 5. in primum Regum, gulam ſerpenti comparat, qui in Geneſi callidior dicitur cunctis animantibus. „ [Alia enim apertè deteſtabilia ſunt; gula verò „ ſub prætextu neceſſitatis nos aggreditur: tan- „ tòq; eſt deteſtabilius vitium, quantò & occul- „ tius. Ità, & in Paradiſo mulierem gulæ vitio „ decepit diabolus, ut aliud ſuggereret, aliud „ obtineret. Itaquè ſerpens gulæ aviditatem „ deſignat, quia & reſpectu juſtæ neceſſitatis „ repit, & virus impiæ delectationis ſpargit.] „ [Voluptas (inquit S. Greg. Nyſſenus h. 3. in „ Eccleſiaſten) ijs ſe conjungit, quæ ſunt vitæ „ neceſſaria; Deindè velùt aqua per varios „ canales in omnes partes derivat. V. g. homi- „ ni habitatio eſt neceſſaria, ſed mox plurimus „ in ædificandis domibus luxus introductus eſt.] & h. 4. [Voluptas ſerpens nominatur, „ cujus hæc eſt natura, ut ſi caput ſubeat in „ compagem, univerſus ſtatim ingrediatur.] De gula verò, ſeu cibo præſertim S. Aug. lib. 10. confeſſ. c. 31. [Suavis eſt mihi neceſſitas, & „ adverſus iſtam ſuavitatem pugno, nè capiat; „ & quotidianum bellum gero in jejunijs, ſæ- „ piùs in ſervitutem redigens corpus meum.] Et rurſùm; [Hoc me docuiſti, ut quemadmo- „ dùm medicamenta, ſic alimenta ſumpturus „ accedam. Sed dùm ad quiëtem ſatiëtatis ex „ indigentiæ moleſtia tranſeo, in ipſo tranſitu „ mihi inſidiatur laqueus concupiſcentiæ. Et „ cùm ſalus ſit cauſa edendi, & bibendi, adjun- „ git ſe tanquàm pediſſequa periculoſa jucun- „ ditas, & plerumque præire conatur, ut ejus „ cauſâ fiat, quod ſalutis cauſâ me facere, vel „ dico, vel volo.] Et præclarè S. Leo Papa in ſer. 12. de quadrageſima. [Per licitos uſus ad „ immoderatos tranſitur exceſſus, dùm per cu- „ ram ſalutis irrepit delectatio voluptatis, & „ non ſufficit concupiſcentiæ, quod poteſt ſatis „ eſſe naturæ.] Et antè illum Seneca in lib. de „ vita beata. [Parum eſt luxuriæ, quod naturæ „ ſatis eſt.] Et S. Ambr. precatione 2. antè miſſam; [Ingluvies à neceſſitate incipit, ſed mo- „ dum neceſſitatis excedens, ad voluptatem „ pertranſit.] Itaquè Deum precatur, ut ſicut æger ad medicinam, ſic ipſe ad ſumendas dapes accedat; non in eis voluptatem appetens, ſed neceſſitati ſubveniens. Et nè nimis longum faciam, S. Greg. Nyſſ. in libro de oratione, dùm à Deo panem petimus quotidianum, illud nos petere interpretatur, quod ad naturam corporis conſervandam ſatis ſit. Voluptatis enim, quæ guſtatu percipitur, non Deum, ſed ſerpentem Evæ ſuaſorem adhibuit Moyſes. [Serpens quippè ſi commiſſuræ im- „ miſerit caput, non facilè à poſteriori parte „ retrahitur, ſquammâ in contrarium reſiſtente „ qui lævitate ſquammæ facilè ingreditur.] Voluptatem ergò introeuntem cavere oportet, quæ ſi aliquem aditum nacta fuerit, non facilè ejici poteſt. Ideò dictum eſt ſerpenti: Ipſa conteret caput tuum; nè des aditum ſerpenti; in primo ſtatim initio contere, atque in uſu neceſſario conſiſte. Quare in libro de virginitate c. 22. Ità præceptum reliquit; [Qui tem- „ perantiam colit, à voluptate neceſſitatem, „ quaſi à paleis frumentum ſejungit, ut volup- „ tatem ad beſtias ejiciat, neceſſitatem rerum „ ſuavium, quatenus oportet, ipſe ſumat.]

Voluptas in cibo cavenda.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT IX.

De cibi modo.

De anima lib. 2. commen. 53. digreſſione 29.

DE cibi autem modo, & quantitate meminí me in Philoſophicis quoque dixiſſe, cùm de alimentis diſſererem. Vix alia poteſt certior, & accommodatior conſtitui quantitas, quàm ea, quæ unicuique conveniat. Non enim eadem omnibus corporis, virium, & caloris ratio; non eadem exercitatio. Unicuiq; ea quantitas convenit, quâ & fames ſedetur, & reficiantur vires, neque gravetur venter. S. Baſil. in conſtit. monaſt. c. 5. itá præcepit. [Continens ventris moderatio ea præſtantiſſima judicanda eſt, quam vires corporis cujuſque definiunt;] Exemplum proponit laborum, in quibus aliqui nihil patiuntur, alij periclitantur; [Quæ enim in ſolo animo virtutes ſunt, eæ omnibus æquè ſervandæ ſunt: at quæ per corpus exercentur, in ijs habenda corporis ratio eſt.] Et in or. 16. quæ eſt de ingluvie, & ebrietate, cavendum monet, ut & corpus ad animæ miniſterium ſanum conſervetur, nec permittendum, ut ſaturitate exultet, ac laſciviat. Et S. Io. Chryſ. h. 34. in Acta, ex canibus ratiocinatur, qui non permittuntur plùs, quàm par eſt, implêri, ut venentur: & captam prædam non comedunt, atquè à menſa propoſita, vel etiam fame urgente, abſtinent, & expectant Dominum. Et h. 17. in priorem ep. ad Cor. ita comedendum monet, ut ſimus domini, nec efficiamur ſervi hujuſce affectus. Qui ad neceſſitatem eo utitur, ejus dominus eſt; qui verò in incontinentiam prolabitur, non ampliùs dominus, ſed ſervus ejus efficitur, cùm edacitas ei dominetur. Et h. 39. [Fomento, inquit, corpus, non incitamento eget, ut nutriatur, non ut diſtendatur.] Neq; ſolùm animæ, ſed & corpori inimicam eſſe voluptatem, & crapulam, pluribus demonſtrat. Et h. 40. proferens id, quod habetur Ex. 16. Qui enim plus, quàm par erat, accipiebant de manna, vermes ſcatebant: idem & nobis evenire affirmat. [Stercoris enim apud te, qui voluptatem ſequeris, plus eſt.] Et h. 13. in ep. ad Philip. [Ventrem, inquit, accepiſti, ut nutrias; non ut ſaginando extendas: ut domineris illius, non ut tibi dominum eum habeas: ut tibi ad alendas reliquas corporis partes inſerviat, non ut tu ipſi inſervias, non ut terminos naturæ excedas. Tanta mala non facit mare fines ſuos transgreſſum, quanta venter, ſi corpus noſtrum cum anima ſuperaverit. Pone illi terminum, naturæ ſufficientiam; Quemadmodùm Deus mari poſuit arenam.] Omninò, ut habet S. Greg. Nazian. or. in Chriſti nativitatem. Intemperantia eſt, quidquid ſuperfluum eſt, uſibuſque neceſſarijs ſupereſt. Et ventrem inexplebilem belluam appellavit in or. de pauperum amore; & inexplebile barathrum, ad Vitalianum ſcribens filiorum ipſius nomine: & truculentum, & ſordidum dominum, in or. in laudem Baſilij: & perpetuum tributi exactorem, S. Nyſſenus in or. funebri de Placilla. Et Anſel. in carmine de contemptu mundi;

Et modico ventri vaſtus vix ſufficit orbis.

Tàm ſupervacuum nobis eſſe coquum quàm militem, judicavit Seneca ep. 90. [Poſſumus enim, inquit, habêre uſibus noſtris neceſſaria, ſi contenti fuerimus his, quæ terra poſuit in ſummo. Simplici cura conſtant neceſſaria: in delitijs laboratur. Ità multò victitatum eſt tempore.]

CAPUT X.

Gula quotuplex.

BIPARTITAM porrò fecerunt gulam Sancti. Dorotheus in ſer. 18. de jejunio, & Nilus in libello de octo vitioſis cogitationibus; alteram oris, & palati; alteram ventris: illa ſuavitate delectatur ciborum, ſuaveſque quærit, & diù multumque mandit, & ore volutat. Undè Philoxenum Eryxium memorat Ariſtoteles lib. 3. mor. c. 10. optaſſe ſibi collum longiùs collo gruis; ut ciborum ſuavitate delectaretur diutiùs. Hæc quantitatem quærit, ut ad ſaturitatem expleat ſeſe. Illa λαιμαργία dicitur, id eſt, gutturis, & palati inſania; hæc γαστριμαργία, hoc eſt inſana ventris ingluvies. In primo autem Regum libro c. 2. puer Heli ſacerdotis narratur habuiſſe fuſcinulam tridentem, quam mittens in lebetem levabat carnes, dum coquerentur: quo loco S. Greg. in c. 3. lib. 2. tridente fuſcinula tres gulæ ſpecies notari exiſtimavit: quod antè legitimam refectionis horam comederet, carnes tollens antequàm eſſent coctæ: quod carnes quæreret, ſimplici cibo non contentus: quòd coctam renuens, crudam exigeret, communem præparationem faſtidiens. Triplicem quoquè fecit Io. Caſſian. in libro de ſpiritu gaſtrimargiæ c. 23. & collat. 5. c. 11. primam, quæ horam prævenit; ſecundam, quæ ſaturitate, & ingluvie gaudet quarumlibet eſcarum; tertiam, quæ accuratioribus, & eſculentioribus delectatur. Et S. Ber. in ſer. in die Purificationis, qui creditur eſſe Guerini Abbatis Igniacenſis; Antè horam comedere; aliud, quàm licet, comedere; aut pluſquam neceſſe ſit, comedere. Quadruplicem autem in libro de paſſione Domini, ſuper; Ego ſum vitis vera c. 42. [Præproperè, lautè, nimis ardenter, & ſtudioſè comedere.] Sed in tract. de ordine vitæ, & morum inſtitutione quinque omninò gulæ modos ipſe agnoſcit; ſi antè tempus cibos

bos appetas, ſi lautiores quæras; ſi communes diligentiùs procures; ſi viles nimiùm ſumas; ſi ex deſiderio, quodcunquè ſumas.

Fames cibi. Optimum ciborum condimentum fames; & qui fameſcit, ſalſamentis non indiget. S. Io. Chryſ. in h. quod nemo læditur, niſi à ſeipſo, & h. 2. ad populum, quod dicitur, in pſ. 80. De petra melle ſaturavit eos. Nuſquàm, ait, in ſcriptura legi, mel de petra fluxiſſe, aut Moyſen eduxiſſe: ſed poſt multam itineris fatigationem, & laborem ſitientes, in aquas frigidas è ſaxo fluentes incidentes, cum tanta eis voluptate potaſſe, cum quanta mel comediſſent: non mutata in mel natura, ſed bibentium diſpoſitione fluenta illa melle jucundiora faciente. Et hom. 55. ad populum; „ [Egeſtas ſicut ſanitatis, ſic & voluptatis eſt „ mater. Saturitas autem, ſicut morborum, „ ita & faſtidij fons, atque radix eſt. Ubi enim „ ſatiëtas fuerit, non poteſt eſſe cupiditas; ab- „ ſente verò cupiditate quomodo poſſit adeſſe „ voluptas?]

CAPUT XI.

De potu.

NEQUE verò alia eſt ciborum, alia potus ratio. Unus eſt eſculentorum, & poculentorum guſtatus, unus amborum ſenſus. Temperantia utriſq; moderatè utitur; Intemperantia immoderatè abutitur; Illa, ut ſunt alimentum naturæ; hæc, ut ſuaves ſenſui, ac voluptuoſi. Illa eſt una virtus, hæc unum vitium. De cibis dictum eſt ſatis, dicendum & de potu. *Aqua potus.* Naturalis maximè potus eſt aqua, nam & generalis eſt, & communis animalibus cunctis; fuit quoquè homini antequàm Noë plantaret vineam; atque in Paradiſo voluptatis aqua potabatur, non vinum; nec alius homini fuiſſet potus, ſi non peccaſſet.

Vini potus. Itaquè vinum ad delitias magis, quàm ad naturæ neceſſitatem pertinet. Iuvenes ab eo abſtinêre placet Alexandrino Clementi in 2. libro pædag. cap. 2. & S. Baſil. in libro de vera virginitate. [Non enim ferventi ætati, „ quod eſt omnium humidorum calidiſſimum „ vinum, infundere convenit; perindè acſi „ ignem in ignem derivet, cum magis illorum „ fervorem conveniat extinguere, aut certè „ temperare.] Senioribus largius conceditur, quo frigidior ætas foveatur, & ipſi ratione, atque ætate velut duabus anchoris firmati cupiditatum tempeſtatem, ſi quæ ex vino excitentur, facilius ferunt. Veſperè tamen in cœna juvenibus quoque concedit vinum Clemens: ſed probè dilutum aquâ. Sic enim ex eo, quod eſt neceſſarium, & eo quod eſt utile, vita conſiſtet. Timotheo imbecilliori utenti ſtomacho modicum vinum conſuluit Apoſtolus in priore epiſt. cap. 5. largiùs enim ſumptum gravaret magis, nec coqui poſſet; modicè hauſtum confortat calorem, & ventrem fovet. Et S. Io. Chryſ. h. 1. ad populum; Apoſtolum notat non ſimpliciter dixiſſe: Utere vino; ſed vino modico; nobis bibendi vini menſuram ſtatuendo, tantumq; bibere jubendo, quantùm valetudinem adjuvet, quantùm corpori ſanitatem præbeat, & non alterum morbum: & h. 71. [Timotheo, inquit, dice- „ bat; Vino modico utere propter ſtoma- „ chum; cuiq; autem noſtrum dicet: Vino mo- „ dico utere propter fornicationes, propter „ crebra turpiloquia, propter cæteras turpes „ concupiſcentias.] Timotheum igitur ad bibendum vinum prudenter hortatur Paulus; nos ab eo bibendo idem ipſe ſanctè revocaret. Extat S. Aug. ſermo de ſobriëtate, & virginitate, to. 9. in quo multas vini utilitates, & commoda narrat: ſed tamen ſacerdotibus adfert in veteri lege interdictum fuiſſe, quando intrare debebant in tabernaculum, Lev. 10. & Ezech. 44. Nazaræis item tempore conſecrationis, Num. 6. & Recabitis Ierem. 35. & monachi S. Aug. die ſolùm dominica bibebant; ut videre eſt in ſer. 1. ad fratres in eremo; neque quotidiè permittit S. Iuſtinus in epiſt. ad Zenam, & Serenum: & omninò abſtinendum ſcribit S. Proſper in libro 2. de vita contemplativâ cap. 22. niſi infirmitas corporis aliud poſtulet. Multis Philo in libro de plantatione Noë, contrà immoderatum vini uſum diſputat, venenumq; appellat, quod ſi non mortem, certè creat inſaniam, præcipuamq; noſtræ partem mentis tollit. Quare artem vini parandi μεθουργίαν Græci vocârunt; occupataſque hac bacchas μαινάδας. Vinum quoquè priſci temetum, & vini ſaturitatem temulentiam dixerunt. Relaxatur vino inſipientium animus ad peccandum licentiùs; ſapientium verò, qui moderatè utuntur, ad honeſtam hilaritatem. [Nullum enim tam præ- „ ſens triſtitiæ remedium, quàm vinum.] Inquit, S. Chryſ. h. 25. in Gen. Et omninò vult Philo, vinum, quæcumque à natura indita ſunt, augêre, & intendere; ſivè bona, ſivè mala. In libro de ſtatu Eſſeorum, incitamentum furoris appellat; malis ſcilicet, & qui intemperatè utuntur. Severiani apud S. Epiphanium hær. 45. & S. Io. Damaſcenum lib. de hæreſibus, vitem ex diaboli ſemine, & terrâ ortam dixerunt: & ideò ſerpentis figuram obliquitate intortam imitari, vinumq; ſerpentis venenum eſſe, & acinos uvæ velut veneni guttas, ſivè ſtillas. Baſil. in ſer. de aſcetis, monachum voluit à congreſſione muliërum, atquè à vini uſu abſtinere; quia ût dixit ſapiens: Vinum, & muliëres apoſtatare faciunt ſapientes. Clemens c. 7. libri antè indicati, non ſecùs, quàm cicutam, fugiendum ſcripſit; ambo enim ad

mortem

mortem attrahunt. Et S. Ambr. lib. de Elia, & jejunio c. 14. pejus eſſe, quàm venenum oſtendit. Illi verò, qui patrio non contenti, externum advehunt vinum, graviter à S. Nazianzeno reprehenduntur in or. de pauperum amore. [Detrimento, inquit, ducemus, niſi „ ad patrium vinum, externum etiam quoddam „ velùt tyrannus accedat.] De muliëribus ſuo dicetur loco. Sed quantum damni adfert vinum largiùs hauſtum, ſi vis cognoſcere, lege Philonem in lib. de plantatione Noë, & S. Baſilium in commentario ad caput 5. Iſaiæ, & S. Nyſſenum h. 3. in Eccleſiaſten, & S. Ambroſium lib. de Elia, & jejunio c. 12. 14. & S. Hieronymum ad caput 1. ep. ad Titum, aliosſque plures. Certè Ambroſius in eo lib. c. 18. fœminas quoque ſuo tempore uſque ad ebriëtatem bibentes profert, quæ mox prodibant in publicum non velato capite, vultu procaci, & cum adoleſcentibus impudicè cantantes ducebant choreas &c. Lege apud ipſum. Nos de hoc maximo, & notiſſimo vini damno ſeorſim dicamus.

Vini damnum.

CAPUT XII.

De Ebriëtate.

Ebriëtas quid.

EBRIETATEM Hebræorum lingua in ſcriptura ſatiëtatem ſignificare, auctor eſt S. Hieronymus in qq. Hebraicis, & confirmat S. Io. Chryſ. h. 29. in Gen. quemadmodùm in pſ. 35. & 64. latiùſque omninò, quàm ad vini potationem, patêre, oſtendit in com. ad caput 44. Ezech. nempè, & ad contractus, ad negotia ſæculi, ad lucra, ad amorem, & odium, & ad omnes omninò res, ſi quis in illis plus æquo ſeſe ingurgitet. Et S. Io. Chryſ. or. 5. adverſus Iudæos to. 5. eſſe ebriëtatem etiam abſquè vino. [Eſt enim, inquit, illa ebriëtas „ & in ira, & in abſurda concupiſcentia, & in „ avaritia, & in amore gloriæ, & in alijs affe„ ctibus.] Ebriëtas enim nihil aliud eſt, quàm excidiſſe à recta ratione, deliratioque & mentis privatio. Quòd ſi nemo poſſet ſinè vino temulentus eſſe, nequaquam Propheta diceret. Vah ijs, qui ebrij ſunt, & non à vino. Hæc tamen affectuum ebriëtas vitioſa eſt, ut & illa, quæ eſt à vino.

Ebriëtas bona.

Sed quædam alia eſt bona, & à virtute profecta. Ita S. Ambr. in libro de Noë, & arca c. 29. geminam ebriëtatis ſpeciem proponit: „ [Unam, quæ titubationem corpori adfert; „ Alteram, quæ mentem virtutis vaporet gra„ tia, & omnem infirmitatem videatur averte„ re, de qua ſcriptum eſt pſ. 22. Et poculum „ inebrians quàm præclarum eſt?] Et S. Aug. in libro de agone Chriſtiano c. 9. adferens verba pſ. 35. Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ: [Talis, inquit, ebriëtas non evertit men„ tem, ſed tamen rapit ſurſùm, & oblivionem „ præſtat omnium terrenorum.] Hinc etiam hortatur Deus Iſ. 29. Inebriamini, & non à vino, movemini, & non ab ebriëtate, hortatur, inquam, ad bonam, & ſanctam ebriëtatem.

Bibaces qui.

Cæterùm Aphricanos homines fuiſſe ſemper bibaces, atque ebriëtati multæ deditos, teſtantur nobis Aphricani Patres. Tertull. in libro de jejunijs adverſùs Pſychicos c. 6. [To„ tum illud domicilium interioris hominis, eſcis „ ſtipatum, vinis inundatum, de coquendis jam „ ſtercoribus æſtuans, præmeditatorium effici„ tur latrinarum, in quo planè nihil tam in „ proximo ſuperſit, quàm ad laſciviam ſapere. „ Manducavit enim populus, & bibit, & ſurre„ xerunt ludere: Intellige ſanctæ ſcripturæ ve„ recundiam: luſum niſi impudicum non deno„ taſſet.] Et libro de cibis Iudaicis c. 6. [Videas „ tales (qui ſcilicet manè bibunt) novo genere „ adhuc jejunos, & jam ebrios, non ad popi„ nam currentes, ſed popinam ſecum circum„ ferentes, quorum quiſq; ſalutat, non oſculum „ dat, ſed propinat.] Et S. Cypr. in libro de duplici martyrio; [Temulentia adeò commu„ nis Aphricæ noſtræ, ut propemodùm non „ habeatur pro crimine.] Et S. Auguſt. in ep. 48. ad Vincentium, & ep. 64. ad Aurelium, & in lib. 50. homiliarum, h. 28. Nec ſolùm propinabant, ſed ad bibendum cogebant uſquè ad homicidia; ut idem confirmat in ſer. 251. de ſanctis: commeſſationeſque & ebriëtates ita conceſſæ, & licitæ putabantur, ut in honorem martyrum celebratas fuiſſe referat in ep. ad Vincentium. Non enim credebatur eſſe peccatum, ut eſt in ſer. 231. de tempore, & ideò, ut loquitur in 4. libro de bapt. contrà Donatiſtas cap. 20. ebrioſitatem non ſolùm ſine horrore nominabant, ſed etiam cum hilaritate populi prædicabant.

De Græcis quoq; legimus apud S. Io. Chryſoſtomum h. 12. in priorem ep. ad Cor. [Ebrië„ tas non modò non videtur peccatum, ſed „ virtutis loco apud multos exiſtimatur, & in „ militaribus cœnis magnum in hoc certamen „ eſt.]

Inter Latinos quoque extat apud S. Ambroſium in libro de Elia, & jejunio c. 13. elegans deſcriptio compotationum præliatorum, ut hoc vitium alicubi credi poſſit apud Latinos quoque obtinuiſſe. Nunc apud Germanos, & Tranſalpinas gentes magis invaluit. „ [Mihi (inquit c. 17. Ambr.) non poculi, ſed „ profluvij genus eſſe videtur; quod in ora ho„ minum, tanquam per fiſtulas, & canales vi„ na funduntur. Hos homines, an utres veriùs „ exiſtimaverim?]

Ebriëtas peccatum.

Negari tamen non poteſt grave peccatum eſſe; tùm quia hominem rationale animal ratione privat, & irrationalem facit; tùm quia complura ſecum, & gravia adducit ma-

la, contentiones, rixas, jurgia, contumelias, pugnas, homicidia. Tùm verò etiam corporis ſanitatem evertit. S. Auguſt. in tract. de rectitudine catholicæ converſationis to. 9. inter capitalia peccata numerat, & ſer. 41. de ſanctis. [Ebriëtas ſi aſſidua ſit, capitale pecca- ,, tum eſt.] Et in ſer. de ſobriëtate, & virginitate c. 1. [Ebriëtas vitiorum omnium gurges.] Quid plura perſequor? Paulus in priore ad Cor. ep. cap. 6. an non inter iniquos, qui regnum Dei non poſſidebunt; inter fornicarios, inquam, idolis ſervientes, adulteros, molles, maſculorum concubitores, fures, avaros, & maleficos, ebrioſos quoque commemorat? Si reliqua non ſunt peccata mortalia, non ſit ebriëtas, ſi illa admittentes regnum Dei poſſidebunt, poſſideant & ebrioſi; at contrarium Apoſtolus Chriſti promulgavit, cujus ſententiam, ſi velùt nimis aſperam carpant, ut feciſſe quoſdam, ſcribit S. Chryſ. h. 78. ad populum; audaces nimiùm fecit vinum illoſque tam impij, ac ſacrilegi pudeat patrocinij.

In primo quidem certè Regum libro cap. 1. cùm audiſſet Anna, ebriam ſe ab Heli ſacerdote appellatam. Nè reputes, inquit, ancillam tuam, quaſi unam de filiabus Beliäl. Beliäl Hier. in traditionibus Hebraicis, abſque jugo interpretatur, & diabolum ſignificat, cujus filij declarantur ebrioſi, qui temperantiæ, ac modeſtiæ jugum abjecerunt. In regulis monachorum, quæ tribuuntur S. Hieronymo cap. 36. ſacrilegium reputatur ebriëtas. Et S. Auguſt. in ſer. 215. de tempore, neminem vult in convivio cogere alium ad bibendum ampliùs quàm oportet, nè per ebriëtatem, ſuam, & illius animam perdat.

Hinc tàm multa apud Patres contrà ebriëtatem, ebrioſoſque homines dicta leguntur ex quibus pauca non pigebit commemorare. Philo in libro de plantatione Noë, inſaniam, & mentis noſtræ mortem appellavit ebrietatem, ebriumque inſanum, & mortuum. Et Orig. h. 7. in Levit. omnium vitiorum matrem. Quam ob cauſam monuit Dominus, Luc. 21. Attendite, nè graventur corda veſtra crapula, & ebrietate. [Audiſtis, inquit Origenes, edictum ,, Regis æterni, & lamentabilem finem ebrie- ,, tatis, vel crapulæ didiciſtis. Si quis vobis ,, peritus, & ſapiens medicus his ipſis verbis ,, præciperet, nè de hujus, vel illius herbæ ſucco ,, ſumatis, non dubito, quod unuſquiſque pro- ,, priæ ſalutis intuitu præmonentis medici præ- ,, cepta ſervaret.] Et S. Io. Chryſ. h. 29. in Gen. [Ebrius pejùs habet, quàm mortuus; ,, quia hic nec bona, nec mala operari poteſt, ,, ille non bona, ſed mala plurima.] Et rurſùm dæmoniaco pejùs habere oſtendit. [Verè ,, ebrietas voluntarius eſt dæmon; & graviùs ,, quàm dæmon, mentem obtenebrat, & omni- ,, um benevolentiâ privat. Dæmoniaco com- ,, patitur, & miſeremur; ebrio indignamur; ,, quia illud involuntarium eſt, hoc volunta- ,, rium.] Et h. 71. in Matth. [Quemadmodùm ,, Scylla, & Hydra apud Poëtas, ſic & ebrietas ,, multis capitibus armatur. Hinc enim forni- ,, catio, hinc ira, hinc mollities, hinc turpes a- ,, mores oriuntur.] Et h. 27. in priorem ep. ad Cor. [Noli te ebrietati dedere, quæ anxieta- ,, tis mater eſt, diaboli lætitia, innumera pa- ,, ries mala. Hinc enim morti ſimilis ſomnus, ,, hinc gravedo capitis, hinc morbi, & oblivio, ,, & mortis imago.] In h. verò 19. in epiſtolam ad Ephes. ad milites potiſſimùm, qui crebriùs delinquunt, ita loquitur. [Ad animi lætitiam ,, datum eſt vinum, non ad ebrietatem. Nunc ,, verò res iſta eò abijt, ut effœminatæ, ri- ,, dendæque ignaviæ loco habeatur nolle ine- ,, briari. Nam & idiotam hominem procùl ,, eſſe ab ebrietate bonum eſt: multò verò ma- ,, gis militem, qui inter gladios in ſanguine, & ,, mactatione verſatur.] Et h. 1. ad populum. ,, [Quid ebrietate miſerabiliùs? Mortuus eſt a- ,, nimatus ebrius: dæmon eſt voluntarius, mor- ,, bus veniam non habens, ruina excuſatione ,, carens, commune generis noſtri oppro- ,, brium.] Atque in extrema h. 71. ebrietatem demonſtrat graviſſimam eſſe tempeſtatem, tùm animæ, tùm corporis, quæ non ſolùm illo die, ſed etiam poſt illum ſentiatur, noſque affligat. S. Auguſt. autem in 4. libro de baptiſmo antè citato, ebrietatem vitia plurima conſequi docet. ,, [Quis enim ebrioſus non & contentioſus, & ,, animoſus, & invidus, & à præceptorum ſani- ,, tate diſſentiens, & arguentibus ſe graviter ,, inimicus, & fornicator, & adulter?] Et in ſer. 231. de tempore, inferni foveam, & inferni puteum; & ſer. 232. cloacam vocat; & ſer. 64. ad fratres in eremo, magnam animæ ſubverſionem, & corporis corruptionem, & peccatorum incendium. Et ſer. 67. hominem ebrioſum porcum eſſe craſſum, qui ſe in volutabro volvit. Sed omninò legendus eſt ſermo 33. ad eoſdem; in quo terribilem illius diei caſum ebrij juvenis narrat, qui prægnantem matrem oppreſſit, ſororem violare voluit, patrem occidit, & duas ſorores vulneravit ad mortem; & poſt contrà hoc vitium graviter, & multis invehitur. Paulò largiorem interdùm potationem uſque ad ebrietatem excluſam, quæ non mergat nos, ſed deprimat curas, atque exhilaret animum, permittere fortaſſè poſſis, & permiſit Seneca in lib. de tranquillitate vitæ cap. 10. ideoque Bacchum fuiſſe dictum Liberum ſcripſit.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT XIII.

De Noë inebriato.

ETENIM video poſſe nobis obijci Noë,qui cùm eſſet vir juſtus,atque perfectus,ſacro teſtimonio Gen. 6. & ut Lactantius loquitur in libro de origine erroris cap. 14. corruptis omnibus ſingulare juſtitiæ exemplum; poſtquàm tamen evaſiſſet diluvium, plantavit vineam, bibenſque vinum inebriatus eſt,ut narratur in ſacra hiſtoria cap. 9. Lot quoque vir juſtus, & Deo gratus inebriatus eſt;& quidem bis,& dormivit cum filiabus ſuis,ut dicitur cap. 19. Non eſt igitur peccatum ebrietas. Nequè reſpondêre licet; ebrietatem utroque ſatietatem ſignificare, quemadmodùm anteà dictum eſt in ſacris interdùm litteris nominari. Alter namquè horum inebriatus nudatus eſt in tabernaculo ſuo, atque à filio irriſus: alter cum filiabus dormiens, & concumbens, nec ſenſit, quando ad illum acceſſerunt, nec quando receſſerunt illæ.

De Noë ergò judicavit Origenes lib. 5. in epiſtolam ad Rom. eum peccaſſe. [Si quis; „ inquit,quòd bibit vinum,& inebriatus eſt,ac „ nudatus, reputare velit; inveniet non imme„ ritò ab Apoſtolo dici,in quo omnes peccave„ runt;etiamſi evigilavit Noë à vino ſuo.] Cæteros tamen omnes video excuſantes eum à peccato, quòd nondùm expertus fuerat, nequè noverat virtutem vini. [Noë, inquit S. „ Chryſ. h. 29. in Gen.inebriatus eſt,quia ig„ norabat vim vini, & ignorans fecit,neſciens „ ſumendi menſuram.] Et Theodor. eandem habet excuſationem q. 56. in Gen. Et S. Hieronymus in epiſt. ad Euſtochium, de cuſtodia virginitatis c. 4. [Noë vinum bibit,& inebria„ tus eſt. Tunc primùm plantata vinea, ine„ briare vinum forſitan neſciebat.]Et S.Ambr. in libro de Elia,& jejunio cap. 5. [Nudatus eſt „ propter ignorantiam, non propter intempe„ rantiam. Adhuc enim vinum neſciebatur, „ ignorabatur ebrietas, primus ipſe plantavit „ vineam, vidit naturam, ſed ignoravit poten„ tiam. Itaquè vinum nec ſuo pepercit aucto„ ri: tentavit vehementior creatura inſuetos „ ſenis artus, turbavit nova potio. At ubi ma„ lum ebrietatis agnovit, inventum ſuum ad „ remedium temperavit, non effudit ad vi„ tium.]

Alteram addit Chryſ. excuſationem, quia propter humanum genus diluvio recens extinctum magna oppreſſus triſtitia, ex vino recreationem quærebat aliquam. [Magnâ, „ inquit, tenebatur triſtitiâ, & conſolationem „ ſibi indè quærebat.] Non eſt credendum largè,& multùm eum bibiſſe. Undè quod nos legimus; Bibenſque vinum inebriatus eſt; Ambroſius legens: Et bibit de vino: [Non di„ xit,inquit in libro de Noë, & arca c. 29. vi„ num bibit:nequè juſtus vinum ebibit: ſed de „ vino, hoc eſt de ejus portione libavit;Ebrio„ ſi eſt omne abſorbêre vinum,& intemperan„ tis evacuare, quod ſumpſerit.] Sed quamvis parum biberit, illud tamen erat valdè generoſum,& potens. Quippè eo tempore fortior terra nec dum longi temporis parturitione exhauſta, & verò recenti diluvio,quaſi ſtercorata,ut omnes ſegetes multi, & optimi ſucci plenas, ſic & vina generoſiſſima producebat. Video tamen S. Epiphanium hær. 63. non auſum ebrietatem agnoſcere, gravem ſomnum interpretatum. [Venia, inquit, danda eſt ſeni. „ Non enim propter luxum inſtituit ebrieta„ tem: ſed triſtitiâ fortaſſis inductus graviore „ ſomno opprimebatur, & non ferens, ex „ utriſque propter triſtitiam ſcilicet, & ſene„ ctam, in debilitatem incidit.]

CAPUT XIIII.

De Lot item inebriato.

DE Lot,& illius filiabus magis eſt diſputatum,S.Chryſ.h.44.in Gen.& patrem,& filias ab omni crimine liberat. Patrem; quia fecit ebrius, & neſciens quid faceret. Fuit enim gravis ebrietas; ſicut & ex Adamo dormiente(quod majus eſt)ablata eſt ex lateris coſta, & formata Eva, nec quidquam ille ſenſit; immiſerat enim Deus ſoporem in Adam. Non peccamus autem, niſi cognoſcentes,& volentes operemur. In ebrietate quoque non peccavit; tùm quia deceptus eſt à filiabus, tùm quia non ex intemperantia bibit, ſed ut triſtitiam levaret, quá ex incendio, & calamitate Sodomorum nuper perſpecta afficiebatur. Filias autem, quia non ex concupiſcentia egerunt, ſed ut genus hominum conſervarent. Viſo enim Sodomorum incendio, totum ſimul mundum conflagrâſſe putârunt, nec alium præter ipſarum patrem ſupereſſe virum; nec alias præter ipſas fœminas, quæ homines procrearent; quod ex ipſarum verbis manifeſtè cognoſcitur. Eadem prorſus eſt excuſatio Theodoreti in q. 69. in Gen. S. quoque Ambr. in 1. lib. de Abraham cap.4. [Filiæ Lot „ cum illo concubuerunt, nè genus deficeret „ humanum.] Publicique muneris gratia privatam culpam prætexuit, & cap. 16. Evam quoque profert ex viro ſumptam, viro permiſtam. [Excuſantur, inquit, filiæ Lot, quia „ putaverunt non vicinæ regionis, ſed totius „ orbis fuiſſe excidium, & ſe ſolas cum patre „ ſuperſtites omnibus populis remanſiſſe. Et „ ideò nè genus deficeret humanum,paternum „ petiiſſe concubitum. Non libidinis vitium „ fuit, ſed generationis remedium; quod non

Digitized by Google

„ puto criminis duci loco. Nam & Eva à vi„ro ſumpta, propter ſemen ſucceſſionis hu„manæ viro miſta eſt.] Excuſat item Patrem, quia neſcivit, quid ageret. [Subducitur, ait, „huic admiſſo conſcientia viri juſti. Inebria„tus enim vino, quid ageret, neſciebat.] Et cùm vini effectus commemoraſſet: [Ideò, „inquit, ebrij, ſi quæ per vinum deliquerint, „apud ſapientes judices venia facta donantur; „ſed levitatis notantur auctores.] Quam levitatem veniabilem fuiſſe declarat in ſer. 11. in pſal. 118. ſic enim loquitur. [Quem non „luxuriantis Sodomitanæ plebis decoloravit „impuritas, non flamma Sodomæ ardentis „involvit, veniabilis quidem ignorantiæ, pu„dendæ tamen commiſtionis non evaſit ince„ſtum. Uritur ille flammis muliërum, quem „ſulphurea flamma non uſſit.] Eodem modo judicaſſe videtur S. Hier. in ep. ad Euſtochium cap. 4. & in lib. 1. adverſus Pelagium cap. 10. Voluntatis enim ait, non fuiſſe crimen, quia ignoravit quid fecerit, errorem tamen eſſe in culpa. In quæſtionibus tamen Hebraicis paulò ſeveriùs locutus videtur, nequè credidiſſe eum neſciiſſe, ſecum illis concubuiſſe. Non enim capit natura coire quemquam neſcientem. Sed omninò credendum, quod ſacra affirmat ſcriptura, ait enim: At ille non ſenſit, nec quando accubuit filia, nec quando ſurrexit: hocque de utraque filia confirmat, quod ſine dubio pro excuſatione hominis additum fuit. Verùm ut aliquid tanto Patri detur; fieri ſanè poteſt, ut quis ſentiat ſe coire cum fœmina, & quænam ea ſit, non agnoſcat. Quod in ebrio præſertim homine facillimum eſt. Immò & vigilantibus, & ſobrijs ſcimus eveniſſe interdum, ut una pro alia fuerit introducta; quod & Iacobo accidit Patriarchæ, Gen. 29. ad quem veſperè introducta eſt Lia pro Rachele, nec eam niſi manè facto cognovit. Excuſat item S. Bernardus in tract. de præcepto, & diſpenſatione, his planè verbis. [Nihil „inceſtius, obſcæniuſvè, quam illas filias Lot „paternum uſurpaſſe concubitum; & tamen „quis non videat, quantum evacuaverit, aut „attenuaverit turpis, nefandiq; reatum flagi„tij, piëtas intentionis, & intentio piëtatis?] Et iterùm in modo benè vivendi ad ſororem cap. 25. [Lot cum filiabus peccatum non ſen„ſit, quia alienatus à ſe ipſo fuit.]

Origenes de hoc apud Græcos Philoſophos quoquè diſputatum fuiſſe ſcribit in quarto contrà Celſum libro, poſuiſſeque univerſo hominum deperdito genere unicum hominem cum filia relictum, quæſitumque an decenter cum filia ſit congreſſurus Pater, nè prorſus genus interiret humanum, Stoicoſque id penitùs affirmaſſe. Hæc eſt hiſtoria Lot, undè Philoſophos opinor occaſionem ſumpſiſſe quæſtionis diſputandæ, cujus affirmantem partem tuetur Origenes; indifferens arbitratus patrem miſcêri filiabus, ſi modò res urgeat; tametſi in benè inſtituta republica id non deceat facere. Ego id non affirmarem, quoniam naturæ, & honeſtati videtur adverſari. Lot tamen, & filias à S. Chryſ. & alijs ſatis excuſatas opinor; nequè ſcripturam ſacram condemnantem video; quin excuſantem potiùs; dùm illum inebriatum fuiſſe, nec eas cognoviſſe narrat, ut neſcientem feciſſe intelligeres; has verò propterea inebriaſſe, quòd nullus virorum alius ſupereſſet, ut & patris ſanctitatem teſtarentur, qui aliter non poſſet ad congreſſum induci, & illum à peccato defenderent, ſeque ipſas non ex concupiſcentia, ſed ex neceſſitate, & verò ergà genus humanum charitate, ad hoc fuiſſe inductas. Non ignoro S. Gregorium Papam in h. 9. in Ezech. cùm oſtenderet mutationem loci non eſſe ſatis ad ſapienter vitam inſtituendam; Lot quoque dixiſſe in Sodomis ſanctum extitiſſe, in monte peccaſſe. Sed venialis culpa intelligi poteſt, ut & alij antè dixerunt.

Unus eſt S. Aug. qui apertè magis adverſatur. Is de hoc pluribus diſputans in libro 22. contrà Fauſtum cap. 42. 43. 44. & 45. factum illud Lot, & filiarum, cùm in ſancta ſcriptura narratur, voluit eſſe prophetiam, & ſignificationem futurorum; eorum ſcilicet, qui ex lege, cujus perſonam gerebat Lot, procreati, & ſub lege poſiti, malè intelligendo, & non legitimè utendo, infidelitatis opera pariunt (quod etiam habet in com. pſal. 59.) Sicùt & filiæ Lot non legitimè uſæ ſunt patre: cùm verò in illorum vita, qui hoc commiſerunt, eſſe flagitium. Minus tamen grave, dum generis conſervationem quærerent, quàm ſi carnali libidine in patrem exarſiſſent. [Itaque cul„pandæ, inquit, ſunt, non quantum ille ince„ſtus, ſed quantum illa meretur ebrietas.] Sed quando cauſa ad ebrietatem eſt devoluta; neſcio, an ob eam capitalis criminis ſententia ferri potuerit, & flagitium nominari. Nam ſi filiæ ab ipſomet Auguſtino excuſantur, quòd non carnali libidine actæ ſint, ſed humani generis pia commiſeratione: Lot quoque ſenex minùs vinum cavêre potuit, & nimiam filiarum triſtitiam, tùm ob mortuam matrem, tùm ob ſpectatum incendium, quod totum orbem terrarum peragraſſe putârunt, æquum erat bibendo conſolari. Humanum, & naturalem in filiabus fatetur Auguſt. fuiſſe illum affectum procurandi conſervationem humani generis; humanus item, & naturalis in Lot fuit alter affectus commiſerationis filiarum. Si quæ ergò fuit culpa, ea ſanè venialis fuit. Atque hæc mihi eſt de hac quæſtione ſententia.

FINIS OCTAVI LIBRI.

DE

Digitized by Google

DE
LUXURIÆ INTEMPERANTIA.
LIBER NONUS.

ALTERUM intemperantiæ genus conſideratur in tactu, non univerſè, & circà totum corpus ſpectato : ſed circà partes quaſdam, ut Ariſtoteles quoque loquebatur : hoc eſt circà venerea. Itaquè tria primùm ſeparanda ſunt vocabula, quibus de hac re loquimur.

CAPUT I.

Quid concupiſcentia, libido, & luxuria.

NAM & concupiſcentiam dicimus, & libidinem, & luxuriam. Quamvis enim apud prophanos Scriptores hæc abundantiam ſignificet cujuſvìs rei; undè & Poëta dixit.

Luxuriam ſegetum teneræ depaſcit in herba.

Virg. 1. Georg. Et S.Auguſt. lib. tertio de Civit. Dei capite 21. Aſiaticam luxuriam, hoc eſt luxum, Romam omni hoſte pejorem irrepſiſſe affirmat. Apud ſacros tamen, veneream intemperantiam oſtendit; ſivè cum quibus non liceat ex lege, ſive quo non permittatur modo, & ultrà quàm deceat. Hujus fons, & origo concupiſcentia eſt, quam peccati deſiderium definivit S. Auguſt.in lib.de perfectione juſtitiæ cap.6. nec carnalis delectationis ſolùm,ſed & cujuſvis rei. Nam ut dicitur nobis; qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam; dicitur etiam: Non concupiſces rem proximi tui; non bovem,non aſinum &c. teſte S. Aug. lib.4.de Civit Dei cap.7. At quod nos concupiſcentiam dicimus, libidinem potiùs appellare voluerunt prophani ſcriptores; nos à concupiſcendo, illi à libendo. Utraque vox generalis,quæ & in bono,& in malo dicitur. Sed ſi abſolutè, & abſque additione pronuntietur, non niſi in malo ſumitur, ut de concupiſcentia,ſeu cupiditate declaravit S. Auguſt. in 14. libro de Civit. Dei cap. 7. & conc. 8. in pſ. 118. & de libidine in quarto hypognoſticon libro. In bono quippè non libidinem,ſed voluntatem vult appellari. Quam ob cauſam in libro de bono conjugali cap.16.delectationem concubitûs carnalis, ſi temperantia refrænetur, atque in naturalem uſum redigatur, libidinem aſſerit eſſe non poſſe. Quod ideò dictum eſſe interpretatur in 2. libro retract. cap. 22. quoniam libido non eſt bonus,& rectus uſus. Namque ut in libro de mendacio cap. 7. definitum eſt; [Libido appetitus eſt animi,quo æternis bonis quælibet temporalia præponuntur.] Quod manifeſtum eſt ſemper eſſe malum, numquam bonum. In genitalibus autem membris potiſſimùm conſueviſſe nos libidinem nominare, quæ alioquin eſt generale vocabulum omnis cupiditatis, expoſuit in libro 14. de Civit. Dei, cap. 15. & 16.

CAPUT II.

Quantus ſit concupiſcentiæ motus.

HINC luxuriæ intemperantia, velut effectus eſt,& portus libidinis illius,& concupiſcentiæ, quæ non frænata ratione, exterioris tactus delectationem quærit, quæ quanta ſit,habes apud S.Auguſtinum cap.16.citato. Propterea libidinem velut luxuriæ ſtimulum appellat S. Greg. Nyſſenus in libro de vita Moyſeos. [Crudelis, inquit, domina, & rabioſa luxuria eſt, libidine quaſi ſtimulis ſervilem mentem exagitans.] Nullam violentiorem, magiſque corporibus noſtris inſitam cupiditatem eſſe ratiocinatur S. Baſilius in conſt. monaſt. cap.1. [Cùm enim hic appetitus ad propagandam ſobolem datus à Deo ſit, conſentaneum fuit,ut quod omnium functionum in ſe caput contineret, huic vehementior etiam quaſi impetus vis eſſet adjuncta.] Acceſſit peccatum, quo & ſenſus rebellavit, & ratio infirmior facta eſt ad reſiſtendum. Et S. Nyſſenus. [Cum omnis voluptas, tùm verò fœdiſſimus Veneris actus libidinoſos præſertim juniorum animos adunco detentos hamo attrahit.] Rabidum canem dixit S. Io. Chryſ. h. 1. de reſur. [Quid infeſtius illicitâ concupiſcentiâ; quæ veluti rabidus canis in nos continuò inſilit, & quotidiè nos obturbat ?] Et ſer. contrà luxum ,. & crapulam to. 5. [Fera eſt voluptas, ferà gravis; neque ſcorpio, neque ſerpens in viſceribus noſtris ſedens, ità undequaque graſſatur, ſicut concupiſcentia omnia ſubvertit,& perdit. Et feræ illæ tantùm corpori inſidiantur; hæc autem cum inſederit, cùm corpore ſimùl & animam perdit.] Et libro 3. adverſùs vituperatores vitæ monaſticæ. [Concupiſcentia violentiſſima res, & quæ cum, quem ſemel

„ mel cœperit, omnia ſuſtinêre,& perpeti, vi „ ſua poſſit adigere.] [Non recipit Dei timo- „ rem (inquit Tertull.in libro de cibis Iudaicis „ cap.4.) dum præcipitantibus voluptatibus in „ ſolam fertur cupiditatum temeritatem. Ef- „ fuſis enim habenis,ſine more admotis ſump- „ tibus, quaſi pabulis creſcit exedens patri- „ monium cum pudore; aut ut torrens aliquis „ è mnotium jugis cadens, non tantùm oppo- „ ſita tranſcendit,ſed illa ipſa in aliorum ruinam „ ſecum rapit.] Iudicavit autem Lactantius in libro de vero cultu cap. 23. vehementiorem eſſe in homine, quàm in animalibus cæteris; vel quia hominum multitudinem voluit Deus eſſe majorem; vel quoniam virtutem ſoli dedit, ut eſſet laus, & gloria in coërcendis voluptatibus, & abſtinentiâ ſui. Verùm de priori ratione dubitari poſſet; neque hoc loco examinandum. Illa potior erit; quoniam homo calidiſſimum omnium animal eſt. Quam etiam ob cauſam acriorem eſſe oportet in mare, quam in fœmina, quia calidior mas. Quod ex ferro, & magnete confirmat S. Baſilius in libro de vera virginitate. [Ut enim „ non magnes ad ferrum ducitur, ſed ad ma- „ gnetem ferrum, ita ille ratiocinatur, non ad „ marem moveri fœminam, ſed marem ad „ fœminam trahi.] Utitur, & Domini verbis dicentis; Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ; non inquit fœminam, ſed virum, propter inſitum ſcilicet libidinis ſtimulum. Ideò fœmina mollior, & delicatior, ut magis marem traheret. S. item Chryſ.h.79. in Matt.& h.7.& 23. in poſter. ep. ad Cor. & h. 5. in epiſtolam ad Titum, & h. 36. ad populum;faciliùs eſſe voluit ſuperare avaritiæ vitium, quàm luxuriæ, quoniam major eſt cupiditas corporum, quàm pecuniarum. Obſervat autem Paulus Roman. 7. Concupiſcentiam prohibitione fieri majorem, non minui, ſed augeri; juxtà illud.

Concupiſcentia major in homine.

Ovidius.

Nitimur in vetitum ſemper, cupimuſq; negata.

Concupiſcentiam neſciebam, inquit Apoſtolus, niſi lex diceret; Non concupiſces. [Si- „ cùt enim aquæ impetus (interpretatur S. „ Aug.in libro de ſpiritu,& littera cap.4.)ſi in „ eam partem non ceſſet influere,vehementior „ fit obice oppoſito, cujus molem cum evice- „ rit, majore cumulo præcipitatus,violentiùs „ per prona provolvitur. Ità neſcio quo modo „ hoc ipſum quod concupiſcitur,fit jucundius, „ dum vetatur.] Proptereà hoc vitij genus præ cæteris eſt formidandum; maximèque cavendus eſt hoſtis,qui de nobis procedit. Quod fugiendo maximè fieri, & non reſiſtendo, ſicut cæteris vitijs monuit idem Apoſtolus 1. Cor. 6. cum dixit; fugite fornicationem; exemplo Ioſephi, ait Auguſt. in ſer. 250. de tempore; Qui ut impudicam dominam poſſet evadere, pallium, quo apprehenſus fuerat, reliquit, & fugit. Plura de hoc alio loco dicentur.

CAPUT. III.

Cur baptiſmo concupiſcentia non tollatur.

OBSERVARUNT autem Patres, in baptiſmo, quidem nobis remitti peccata, tùm originale, tùm actualia omnia, concupiſcentiam tamen hanc non tolli, ſed relinqui nobis,& ut loquitur S. Auguſt. in 2. libro de peccatorum meritis,& remiſſione cap. 28. remanêre in vetuſtate carnis, ſoluto ejus reatu regenerationis ſacramento. Et lib. 2. contrà Iulianum cap. 3. remitti dixit in reatu, remanêre in actu.

Relinquitur autem nobis duas ob cauſas; tùm ad humilitatem, tùm ad agonem, & meriti materiam plurimam. Hinc & glorioſa certamina prædicat in quarto libro contrà Iulianum cap.2.Et quia pejor hoſtis eſt cavenda ſuperbia; ideò non penitus (addit) extingui in carne Sanctorum iſtam concupiſcentiam, ut dùm pugnatur adverſùs eam, periculorum ſuorum animus admoneatur, nè ſecurus infletur, donec ad perfectionem perveniat ſanitatis, ubi nulla putredo laſciviæ, nullus tumor ſuperbiæ formidetur. Tertiam cauſam addit in libro de continentia cap. 8. ut admiſſi peccati gravitatem intelligeremus. „ [A bono, inquit, Deo factus homo bonus, „ ipſe fecit malum, quo factus eſt malus. A „ cujus mali reatu ſolutus per indulgentiam,nè „ leve exiſtimet eſſe,quod fecit;adhuc cum illo „ vitio pugnat per continentiam.] S.Anſel.ep. 158.lib.3. ad Dilectum fratrem,exemplo utitur notæ, quæ imprimitur furi. [Sicut enim „ furi deprehenſio ferro, vel igne nota inuritur „ æterni opprobrij,ſic naturæ noſtræ vitio præ- „ varicationis corruptæ inditum eſt hoc in „ pœnam peccati ſui.] Spadones,ait Caſſ.coll. 12.c.5.deſides in virtutibus eſſe,quia corrumpendæ caſtitatis credunt ſe periculum non habêre. Itaque in libro de perfectione juſtitiæ c. 11. utitur Auguſt. verbis Iob 29. Circumdedi mihi judicium; ſicut chlamydem. [Nam „ & iſta eſt veſtis belli magis, quàm pacis: ubi „ enim expugnatur concupiſcentia,non eſt ple- „ na abſque ullo hoſte juſtitia.] Itaquè nec nos tollere illam omninò poſſumus, ſed ratione frænare. Atque illa fuêre S. Ambroſij verba in primo libro de Iacob, & vita beata cap. 1. „ [Concupiſcentiam emollire poteſt ratio,era- „ dicare non poteſt. Quoniam animus, qui „ eſt rationis capax, non eſt ſuarum paſſionum „ dominus, ſed repreſſor.] Atque hùc adfert illud Luc. 13. ubi agricola dicit ſe miſſurum ſtercora circà ficulneam infructuoſam, ſed

Concupiſcentia cur remanet.

exci-

Digitized by Google

excidendæ poteſtatem ad dominum refert. Et David in ſecundo Regum 23. cupiditatem aquæ de ciſterna Bethlehem auferre non potuit, potuit mitigare. Et Paulo ad Rom. 6. ſatis fuit monêre, nè regnaret peccatum in veſtro mortali corpore. [Penitùs enim liberari non poſſumus (inquit S.Ber.ſer.6.de adventu) niſi cùm ab ipſo corpore ſolvemur. Undè & Matt.9. Spiritus nequam collidens, & multùm diſcerpens eum, exivit ab illo. Genus hoc peccati (concupiſcentias loquor, & deſideria mala) reprimi quidem debet, & poteſt per gratiam Dei, ut non regnet in nobis; ſed non eijcitur, niſi in morte, quando ſic diſcerpimur, ut anima ſeparetur à corpore.] Et iterùm in ſer. in cœna Domini; [In baptiſmo remittuntur omnia peccata: ſed concupiſcentia remanet, quam ad humiliandos nos adhuc patitur Deus vivere in nobis, & graviter affligere nos; ut ſentiamus, quid nobis gratia præſtet, & ſemper ad illius auxilium recurramus.] Et S.Anſel.in cap.7.ep.ad Rom. [Quamdiù caro mortalis eſt, non poteſt à concupiſcentijs penitùs eſſe libera. Minui quidem quotidiè poſſunt, ſed ex toto non poſſunt auferri, quamdiù hic vivitur.]

Concupiſcentiæ ſtatus.

Quapropter in caput 8. & antè illum S. Auguſt. in expoſitione quarumdam propoſitionum ex epiſtola ad Rom. & in cap.5. ad Galat. & com. in pſ. 64. quatuor diſtinguunt hominis ſtatus; Ante legem, Sub lege, Sub gratia, In pace. Antè legem ſequebatur concupiſcentiam; Sub lege trahebatur ab illa; Sub gratia nec ſequimur, nec trahimur; In pace demùm; hoc eſt poſt reſurrectionem, nulla erit concupiſcentia. Antè legem non pugnabat, ſub lege pugnans vincebatur, ſub gratia pugnamus, & vincimus, poſt reſurrectionem in pace vivemus. Primùm ſequentes duxit; poſteà retinentes traxit; deindè acceptâ gratiâ cæpit nec ducere, nec trahere, ſed adhuc nobiſcum contendere; poſt contentionem erit victoria. Modò ſi oppugnat, non expugnat; poſteà cùm abſorpta fuerit mors in victoria, & pugnare ceſſabit. [Prima juſtitia (inquit ille in 2. libro de peccatorum meritis, & remiſſ. c.23.) antè peccatum fuit obedire Deo, & motum concupiſcentiæ rebellem in membris non ſentire; poſt peccatum ſecunda juſtitia eſt motibus his concupiſcentiæ non obedire; & crucifigere carnem.]

CAPUT IV.

Concupiſcentia ut peccatum, & lex peccati.

PELAGIUS, & qui eum ſequuti ſunt, concupiſcentiam velùt naturale bonum laudabant, naturæ inſitam ad ſui propagationem; teſtis eſt S.Auguſt.lib.1.de nupt.& concupiſcentia c. 35. & lib. 2. contrà Iulianum, Pelagianum, & libro 4. hypognoſticon, & pluribus alijs in locis: contrà quos acriter ipſe diſputans, quàm grave naturæ noſtræ malum ſit ex peccato derivatum, oſtendit. Apoſtolus namquè non ſemel in c.7.epiſtolę ad Rom. peccatum eam appellavit. Quid enim eſt illud, quod habitat in me peccatum? & illud, non habitat in me, hoc eſt in carne mea, bonum? & illud; Malum mihi adjacet? & illa lex peccati? de qua ait; Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis; quid, inquam, niſi carnis concupiſcentia? Hæc non bonum dicitur, ſed malum, ſed peccatum, & lex peccati, repugnans legi mentis, hoc eſt, rationi. Peccatum autem dicitur, & lex peccati; non quòd ipſa per ſe, & abſq; voluntatis noſtræ conſenſu ſit peccatum: ſed quòd ex peccato nata eſt, & ad peccatum ſtimulat. Lege Auguſtinum ep. 200. ad Aſellicum, & in libris adverſus Pelagianos. Sed in 1. libro de nuptijs, & concupiſcentia c. 22. [Concupiſcentia, inquit, dicitur lex peccati, quòd hominem ſibi ſubditum faciat, qui Deo ſuo ſubditus eſſe noluit.] Et c.23. [Dicitur peccatum, quòd ex peccato facta ſit, & peccatum, ſi vicerit, faciat; cùm tamen ipſa in renatis non ſit peccatum.] Et rurſùm in 2. libro contrà Iulianum c.9. [Concupiſcentia in renatis dicitur peccatum, non quòd faciat reum; ſed quòd & reatu primi hominis factum, & quòd trahere nos nititur ad reatum.] Ut autem ipſa ſit peccatum, accedat neceſſe eſt noſtræ voluntatis conſenſus: quod totidem verbis loquitur in libro de peccato originali c. 40. Atque ex dormientibus argumentum ſumit in libro 1. de Civit. Dei c. 25. [Quantò enim magis ſine culpa eſt in corpore non conſentientis, ſi abſquè culpa eſt in corpore dormientis?] Et S.I.Chryſ. h. 52. operis imperf. [Concupiſcere, ait, paſſionis eſt, velle autem arbitrij. Frequenter enim concupiſcimus, etiam quod nolumus. Si ergò concupiſcentiæ non conſentit voluntas, concupiſcentia ſola non damnat; magis autem, & glorioſiorem facit virginitatis coronam.] S. Ber. ſer. 1. de aſcenſione Domini, utitur illis verbis; Marc. 16. Si mortiferum quid biberint, non eis nocebit; [Quia cùm guſtaverint, nolent bibere, id eſt, cùm ſenſerint, nolent conſentire. Nec ulla eſt damnatio concupiſcentię ſenſus ſine conſenſu.] Proptereà in ep. 42. ad Henricum Sennonenſem Archiepiſcopum adfert illa pſ. 31. verba: Pro hac orabit ad te omnis ſanctus; id eſt, pro concupiſcentia, & lege peccati. [Orabit ſupplex, quòd malum ſentiat; nihilominùs ſanctus, dùm

Cur peccatum, & lex peccati.

 non

„ non conſentiat: ſupplex pro periculo, ſanctus „ pro virtute.] Quòd ſi voluntatis accedat conſenſus; tùm demùm & eſt pœna peccati, & peccatum, & cauſa peccati, ut loquitur S. Aug. in libro 5. operis contrà Iulianum c. 3. Illius remedium eſt matrimonium, juxtà illud Pauli 1. Cor. 7. Si non ſe continent, nubant. Hos concupiſcentiæ malo dixit Auguſt. lib. 4. c. 2. benè uti; ſed virgines meliùs non uti. In belluis, quæ ratione carent, mala nequaquàm eſt concupiſcentia, ſeu libido, quia non repugnat rationi, neque adverſus ſpiritum concupiſcit; ſed illarum potiùs oblectat ſpiritum, quemadmodùm idem ipſe loquitur c. 5. & 14.

Concupiſcentia beſtiarum.

CAPUT V.

Concupiſcentia ut antè, & poſt peccatum in homine.

VERE S. Ambr. in libro de Iſaäc, & anima cap. 7. duas in anima noſtra ægritudines agnoſcit ex peccato derivatas, ignorantiam, & concupiſcentiam; quæ tamen poſterior corpore, & carne utatur. [Quid enim eſſet „ concupiſcentia, niſi eam caro inflammaret? „ propterea friget in ſenibus, & pueris, quia „ ijs corpus infirmum eſt: ardet in adoleſcen„ tibus, quia his vis corporis fervet.] Itaquè nec caro ſine anima, nec anima ſine carne concupiſcere poteſt, ut ſapienter ratiocinatur S. Aug. lib. 10. de Gen. ad litteram c. 12. „ [Sed ex utraque conſtat concupiſcentia; ex „ anima, quod ſine illa delectatio nulla ſenti„ tur, ex carne, quod ſine illa carnalis delectatio „ non ſentitur.] Et Orig. lib. 3. περὶ ἀρχῶν c. 4. „ [Cum caro, inquit, ad libidinem provocatur, „ non putanda eſt vita eſſe alia animæ, quæ „ adverſus aliam reſiſtat: ſed natura corporis, „ quæ repleta ſativi humoris loca evacuare ge„ ſtit, atque depellere.] Et S. Nyſſen. lib. de hominis opif. c. 14. [Sæpè corporis natura du„ cis officium uſurpat, ita ut & nocentis rei „ ſenſum, & jucundæ, ac gratæ deſiderium ex„ citet.] Itaquè cùm carnem ait Apoſtolus, Gal. 5. concupiſcere adverſus ſpiritum, carnalem delectationem, quàm de carne, & cum carne ſpiritus habet, delectationi opponit, quam ipſe ſolus habet. Porrò in com. in pſal. 57. concupiſcentiæ hanc ægritudinem velùt ignis ardorem agnoſcit Aug. in nobis, qui animam, ſicùt ignis veſtem conſumit. Nam de muliërum concupiſcentia dixit Sapiens, Prov. 6. Numquid poteſt homo abſcondere ignem in ſinu ſuo, ut veſtimenta illius non ardeant? Et in pſ. 57. Sicut cera, quæ fluit, auferentur. Solvuntur enim à conſtantia caſtitatis. Undè & ſoluti, & fluxi dicuntur: ab igne ſcilicet concupiſcentiæ. Hic ignis devorat omnia. Antè peccatum certo conſiſtebat loco, & propter ſobolem, naturæque propagationem inſitus nobis, non niſi rationis ductu, atque imperio accendebatur: poſt peccatum verò inordinato, & irrationali motu ad quamlibet oblatam agitatur materiam. [Concupiſcentia (inquit S. Chryſ. in „ caput 5. epiſtolæ ad Galatas) ad liberorum „ procreationem, vitæq; conſervationem data „ eſt non ad adulterium, ſcortationes, ac laſci„ vias: ut pater fieres, non ut adulter, ut legiti„ mè verſeris cum uxore, non ut contrà fas eam „ corrumpas; ut relinquas tuum ſemen, non „ ut alienum vities.] Siquidem adulterium non eſt naturalis appetitus, ſed contumeliæ præter naturam. Et rurſùm h. 2. in epiſtolam ad Eph. [Propter copulam conjuga„ lem impreſſa eſt tibi iſthæc concupiſcentia, „ propter liberorum procreationem commo„ data eſt, non item ut te adulterio contamines, non ut teipſum obſcœnè corrumpas.] Antè peccatum de primis noſtris parentibus affirmat ſcriptura, Gen. 2. Erat uterq; nudus, & non erubeſcebant: velut alij legunt, non confundebantur, hoc eſt Aug. interprete in 4. hypogn. libro, & 14. de Civit. c. 17. nullis ad peccandum libidinis ſtimulis urgebantur; nondum libido membra illa præter arbitrium commovebat: quibus poſt peccatum aperti ſunt oculi, & viderunt ſe eſſe nudos. Non quod antè eſſent cœci, nam & Adam vidit animalia, quibus nomen impoſuit, & de muliëre ſcriptum eſt, & vidit muliër, quod bonum eſſet lignum, & pulchrum oculis, aſpectuq; delectabile: ſed quod motum membrorum turpiſſimum, & rebellem ſibi noviter accidiſſe ſenſerunt, undè confuſi ad folia ficus cucurrerunt, ut libidinis pudore ſollicitata tegerent membra.

Concupiſcentia animâ conſtat, & corpore.

Concupiſcentia ignis.

Concupiſcentia antè, & poſt peccatum.

CAPUT VI.

Luxuria malum quantum.

HUIUS igitur concupiſcentiæ partus, & proles præcipua, luxuria eſt, quæ cùm indè nata ſit, undè homo receſſit à Deo, mirum non eſt, ſi magis, quàm omnia vitia reliqua, avocare nos à Deo dicatur. Et quid magis à Deo puriſſimo ſpiritu avocare poſſit, quàm caro, cui luxuria ſervit? Certè Luc. 14. Qui ad nuptias invitati venire recuſàrunt, avaritiam, & luxuriam habuerunt; ſed quos avaritia detinuit, modeſtè magis ſe excuſarunt, dicentes; Eo vidêre villam, & eo probare boves; habe me excuſatum: Tertius qui uxorem duxerat, non excuſationem, ſed rei impoſſibilitatem reſpondit; Uxorem duxi, & ideò non poſſum venire. Non quod qui nuptijs utatur ſanctè, revocetur à Deo (hæ quippè luxuriæ remedium ſunt) ſed quod hic minùs

Luxuria à Deo revocat.

nùs

Digitized by Google

nùs ſanctè, ac temperanter uſurus fortaſſè videretur. Tertull. in libro primo ad uxorem c. 5. duo hæc inſigniora agnoſcit vitia, quæ à divinis diſciplinis plurimùm avocent laſciviendi voluptatem, & acquirendi cupiditatem. Multò verò vehementiorem eſſe corporum, quam pecuniarum cupiditatem, velùt in nobis ipſis inſitam. S. Ioannes Chryſ. in ſuperioribus affirmavit. S. Aug. in 2. confeſſ. libro c. 2. amoris carnalis prædicat caliginem quæ divinam nobis charitatem obnubilat. „ [Exhalabant, inquit, nebulæ de limoſa con„ cupiſcentia carnis, & obnubilabant, atque „ offuſcabant cor meum, ut non diſcernere„ tur ſerenitas dilectionis à caligine libidinis.]

Luxuria pacatum. Tantam fuiſſe aliquorum perverſitatem, naturæque corruptionem, teſtatur in ſer. 16. de verbis Domini; ut Deum dicerent peccata carnis non curare. Quos ille acriter reprehendit, & impias convincit voces. [Re„ colant Noëticum diluvium, & Sodomæ in„ cendium, utrumque propter carnis peccata à „ Deo immiſſum.] Et in in ſer. 47. ad fratres in eremo, luxuriam contendit eſſe virtutum omnium deſtructionem. Et S. Greg. Papa lib. 5. in primum Reg. c. 4. fornicationis ſpiritum vaſtatorem appellat animæ; quia quem invaſerit, ei nimirùm nulla virtutum dona derelinquit. Et lib. 21. moral. c. 9. [Quamlibet, „ ait, alia fecerint bona opera; ſi luxuriæ ſce„ lus non abluitur, immenſitate hujus criminis „ obruuntur. Ignis eſt uſquè ad perditionem „ devorans, & omnia eradicans genimina; & „ ut Moyſes loquebatur; Ignis exarſit, & arde„ bit uſque ad inferni noviſſima.] Et S. Hier. lib. 2. adverſus Iovin. c. 19. [Luxuria ventris, „ & gutturis ſubvertere nititur fortitudinem „ Crucis.] Et epiſtola 146. ad Damaſum, loquens de filio prodigo, Luc. 16. [Luxuria eſt „ inimica Deo, inimica virtutibus, perdit ſub„ ſtantiam patris, & ad præſens voluptate deli„ niens, futuram non ſinit cogitare paupertatem.] S. Aug. in 13. lib. de Trinit. c. 3. faceſſimam, ut ipſe nominat, cujuſdàm mimi urbanitatem commemorans; qui cum in theatro ſe dicturum promiſiſſet, quid omnes vellent. Vili, inquit, vultis emere, & carò vendere: Mox ille ſecùs evenire ſubjungit in luxurioſo homine. Quid enim, inquit, ſi quiſquam ſit nequitiâ tantâ poſſeſſus, ut vili vendat, quæ dimiſerunt parentes & carò emat, quæ conſumant libidines? Non eſt, ut opinor, incredibilis iſta luxuries.

De ſuè loquens Clemens Alexandrinus in 2. libro ſtrom. quidpiam dixit, quod de hoc hominum quoquè genere dici poſſit. [Data „ eſt, inquit, huic animali ad nihil aliud anima, „ quàm ut carnes luxuriarent.] Et S. Nyſſ. lib. de vita Moyſis; horum hominum vitam ranis Ægyptum affligentibus ſignificatam autumat; eſt enim dubium ferè animal rana, aquaticum, an terreſtre: & luxurioſa vita ex fœtido paſſionum limo profecta, dubium animal eſt; natura homo, electione pecus, pecudeque ſordidius. Et carnem noſtram ab Apoſtolo appellatam fuiſſe meretricem, Origenes adnotat in 6. lib. in ep. ad Rom. quòd omnibus vitijs ſe tanquàm turpiſſimis amatoribus ſubjacet. Et meretrices, cum quibus prodigus filius luxurioſè vivendo dicitur diſſipâſſe omnem ſubſtantiam ſuam; concupiſcentias noſtras eſſe; cum quibus omnia naturæ bona conſumimus; dùm illis ad voluptatem abutimur, interpretatur S. Bern. ſer. de diverſis affectionibus animæ, & ſer. 44. in Cant. Undè & ſcriptura divina nos monet; Poſt concupiſcentias tuas non eas. Et vide, ſi non S. Ambr. in 1. lib. de Cain, & Abel cap. 5. ſollicitantem meretricem nobis deſcribat, dicens. [Sævus criminum ſtimulus „ libido eſt, quæ nunquàm manêre quietum „ patitur affectum. Nocte fervet, die anhelat, „ de ſomno excitat; à negotio abducit, à ratio„ ne revocat, aufert conſilium, amantes inquie„ tat, lapſos inclinat, caſtis inſidiatur, patiendo „ inflammat, uſuque accenditur. Nullus pec„ candi modus, & inexplebilis ſcelerum ſitis, „ niſi morte amantis extingui non poteſt.] Et libro de Ioſeph c. 5. [Non ſolùm lubrica, ſed „ etiam procax; importuna, petulans eſt li„ bido.] *1. Cor. 6.*

Concupiſcentia inſatiabilis. Illud verò intelligendum; quod inſatiabilis eſt appetitio, S. Hieronymus in ep. ad Ageruchiam, de Monogamia c. 5. [Libido nunquàm „ ſatiatur, & extincta re accenditur, uſu cre„ ſcit, & deficit, nec rationi paret, quæ impe„ tu ducitur.] Et S. Greg. Nyſſen. filios Iſraël in Ægypto conſiderans informandis lateribus occupatos; eos putat ſignificare illos, qui ad lutoſas haſce inhiant voluptates. Hoc enim eſt lutum ex terra, & aqua permiſtum. Atquè ut laterum fictor aliud, atque aliud lutum formæ, quâ lateres figurat, imponit; formaq; ſemper, & plena dici poteſt; & vacua. Sic concupiſcentia noſtra, & plena ſemper eſt, & vacua: plena ijs, quibus potitur; vacua, dùm hæc reſpuit, & inhiat ad alia. Quam ob cauſam ſcitè S. Greg. Papa libro 5. in primum Regum c. 4. remedium illius dixit minimè opportunum eſſe illi ſatisfacere. [Malè namque „ mederi morbo concupiſcentiæ ſatagit, qui ad „ hoc explêre concupiſcentias peccando cogi„ tat, ut quieſcat. Tantò enim poſt peccatum „ concupiſcentia major, quantò ipſa ſibi eſſe „ incipit peccati delectatio gratior.] Intemperantis maximè hominis factum narrat S. Amb. libro 4. in Lucam. Theotimus, ſeu ſi malit Plutarchus in ſeptimo ſympoſ. lib. q. 5. Theodectes quidam, cùm graviter oculis laboraret, & uxorem amaret; interdicto ſibi à medicis coitu; impetu libidinis raptus, ſciens quòd oculos

Digitized by Google

los eſſet amiſſurus; Vale, inquit, amicum lumen.

Luxuriæ tentatio. Præcipua diaboli tentatio fuit ſuperbiæ. Hâc enim primos parentes noſtros aggreſſus eſt in paradiſo, æqualitatem pollicens Dei: Eritis ſicut Dij. Poſt ſuperbiam luxuria ſtatim ſequuta eſt; quæ altera tentatio fuit. Nam ideò poſt admiſſam ſuperbiam, ut adnotavit S. Greg. Papa lib. 32. moral. c. 11. rebellem carnis motum ſenſerunt, indéque erubuerunt. Hiſq; duabus univerſum genus noſtrum vehementiſſimè vexat. Sanctus Max. in annotationibus ad caput 3. libri Sancti Dionyſij Areop. de eccleſiaſtica Hier. Apoſtolicum illum & ſanctiſſimum virum adnotavit in ænergumenorum numerum illos quoquè adſcripſiſſe, qui carnis luxuriæ, corporiſque illecebris ſerviunt; atque hos dixiſſe ſuprà eos, qui à dæmone obſeſſi tenentur, ab illo agi. Hæc tentatio eò gravior eſt, quòd quamvis à dæmone foveatur; de nobis tamen ipſis procedit, hoſtemque geſtamus domeſticum; ideoq; magis cavenda, & formidanda; [Donec (ut habet „ Origenes extremo libro 7. in cap. 8. epiſt. ad „ Rom.) in tantum profectum veniat anima, „ ut dulcedine charitatis Dei aſtricta, corporis „ blandimenta, & carnis illecebras abhorre„ ſcat, unus cum Deo ſpiritus facta.] Interim accommodatè S. Io. Chryſ. h. 15. ad populum, perindè ait, diabolum vitæ voluptatibus peccata contegere, ac pueri terrâ occultant laqueos. [Propterea cùm delectatio, & voluptas „ occurrit, nè voluptatem ſolam reſpicias, ſed „ nè fortè iniquitas aliqua in voluptatis profun„ do obumbrata ſit, diligenter conſidera; & ſi „ inveneris, reſili.] Et poſt aliqua; [Alæ ſunt „ aviculis, ut effugiant laqueos; & ratiocina„ tiones hominibus, ut peccata fugiant. Avi„ cula ſemel capta laqueo, mox elapſa; & cer„ vus in rete decidens, & effugiens, iiſdem ite„ rùm difficilè capientur: nam cuique ſit expe„ rientia cautelæ magiſtra. Nos ſæpiùs iiſdem „ capti in eadem cadimus.] Origenes lib. 1. in Iob, ad rem mihi dixiſſe videtur; Dæmones eſſe velùt equites, qui ſuper luxurioſos omnes, & impudicos ſedent tanquàm ſuper equos, quos juxtà nequitiam ſuam exagitant, & ad ſuæ iniquitatis, & impudicitiæ perfectionem omnes inſectantur illos, de quibus dicitur; Adulter ſicut admiſſarius ſub omni ſeſſore hinnit. *Eccl. 33.* Hi ſunt, de quibus ſapiens Prov. 2. Lætantur, cùm malè fecerint, & exultant in rebus peſſimis. Nimirùm utrumque vitium, luxuriam, & ſuperbiam, egregiè conjungunt; & faciunt onocentaurum illum, de quo S. Greg. Papa in 7. libro mor. cap. 12. [ὄνος, inquit, „ id eſt aſinus, luxuriam ſignificat, & taurus „ cervicem ſuperbiæ.] Onocentauri ergò ſunt, qui ſubjecti luxuriæ vitijs, indè cervicem erigunt, undè humiliari debuerant: qui carnis voluptatibus ſervientes, expulſâ verecundiâ de opere confuſionis gaudent.

CAPUT VII.

Luxuriæ remedia.

ET quamquàm prima vitij hujus radix ſit ea, de qua diximus, concupiſcentia nobis omnibus inſita à natura. *Luxuriæ incitamenta.* Multis tamen modis à nobis excolitur, & augetur; tùm cibi, & potûs abundantiâ, ut anteà dictum eſt; tùm immundis cogitationibus, obſcœnis aſpectibus, & locutionibus, ſaltationibus, locis, odoribus, molliori tactu, & ſimilibus; à quibus maximè cavendum erit. *Remedia.* Inter cætera apud graves auctores legimus; adoleſcentibus aliquando apud Hebræos non fuiſſe permiſſum legere libros ſacræ Geneſeos, Cantica canticorum, & partem aliquam Ezechiëlis Prophetæ: quod etſi ſacri, & divini ſint libri, amatoria tamen pleraque & muliebria continent. Et Origenes cùm objicientem Celſum Chriſtianis audiret puerorum inſtitutionem; reſpondit in 3. libro. [Adoleſcentes, qui jam „ pubeſcentes luxuriæ voluptatibus præcipites „ agerentur, continentiores, & cælibes faci„ mus; cùm eis non ſolùm ſceleris fœditatem „ proponimus; ſed quibus in malis futura ſit „ improborum, & delinquentium anima, & „ quales pœnas ſit hæc habitura, & quemad„ modùm acriùs ſit demùm excrucianda.] Et quod ad præceptores, & libros attinet. [Eos, ad„ dit, nos declinamus magiſtros, qui comicas „ quaſdam, & inhoneſtiores fabulas docent, „ vel quæ impuriſſimis jambicis continentur.] S. quoque Nyſſenus in or. 2. in hominis procreationem, memoriam proponit creationis noſtræ, & mortis, juxtà illa verba; Terra es, & in terram ibis. Et in libro de vita Moyſis, dum de Serpente agit æneo, veri Serpentis Chriſti in æneo illo figurati aſpectum. [Caput, ait, omnium „ eſt, firma, rectaq; fide in paſſionem illius re„ ſpicere. Crux verò paſſio illius fuit: quarè „ qui crucem reſpicit, ei venenum cupiditatum „ obeſſe non poteſt.] Omitto plura nunc commemorare; quoniam alius erit de hac re rurſùm agendi locus. Nunc monendus eſt mihi quicumque contrà hoc vitium pugnare aggreditur; Saülem (ut adnotavit S. Greg. Papa lib. 5. in primum Regum c. 4.) reliquos Reges viciſſe, nec tamen exercitum congregaſſe, quem contrà Amalech congregare coactus eſt. Amalech fornicationis ſignificat ſpiritum, ad quem expugnandum virtus una non ſufficit, nec ſuperari poteſt, niſi exercitus virtutum colligatur, abſtinentiæ, orationis, humilitatis, ac cæterarum omnium. Et lib. 6. cap. 1. Moyſen quoquè addit contrà alios ſolis pugnaſſe armis: at contrà Ama-

Amalech, non armis ſolis, ſed & orationis virtute. [Levet ergò, inquit, manus ſuas, le-
„ vet mentem; ut opere bono, & devotione
„ reſplendeat, qui abſcindere perfectè à ſe libi-
„ dinis bellum tentat.]

FINIS LIBRI NONI.

DE CARNIS ET SPIRITVS PVGNA.

LIBER DECIMVS.

CAPUT I.

Quomodo caro adverſus ſpiritum concupiſcat.

De Luxuriæ intemperantia copioſè ſatis diſſeruiſſe me dicerem, niſi magnoperè deſiderari poſſe intelligerem, ut aliquid etiam dicerem de pugna illa carnis adverſùs ſpiritum, quæ & intemperantiam fovet, & temperantiam omnem in diſcrimen adducit, ac plerumquè proſternit. Extat enim illud Apoſtoli in ep. ad Gal. c. 5. Caro concupiſcit adverſùs ſpiritum, & ſpiritus adverſùs carnem, ut non quæcumque vultis, illa faciatis. Quod etſi impropriè dictum fuiſſe arbitretur S. Cyprianus in tractatu de operibus cardinalibus; [Quo-
„ niam ſolius animæ lis iſta eſt, quæ ſecum
„ rixatur, & cum proprio arbitrio litigat;
„ neque carnis, quæ per ſe mortua eſt, ſed
„ vivacis animæ actio eſt concupiſcere.] Carnis tamen nomine carnalem intelligimus concupiſcentiam, animæque partem inferiorem concupiſcentem, quæ carni cohærens adverſùs ſuperiorem rationalem pugnat. Et ut interpretatur S. Auguſt. lib. 6. contrà Fauſtum c. 24. [Caro dicitur concupiſcere, quia carnali-
„ ter anima concupiſcit.] Et lib. de continentia c. 8. [Caro nihil per animam concupiſcit,
„ ſed concupiſcere caro adverſùs ſpiritum
„ dicitur, quandò anima carnali concupiſ-
„ centiâ ſpiritui reluctatur.]

CAPUT II.

Quàm periculoſa lucta.

Porrò idem S. Auguſt. in libro de diligendo Deo c. 13. (Si modò eſt Auguſtini) [Pri-
„ mus, inquit, hoſtis continentiæ noſtræ caro
„ eſt noſtra, dùm concupiſcit adverſùs ſpiritum,
„ quàm domeſticus hoſtis, quàm periculoſa lu-
„ cta, quàm inteſtinum bellum? Non fugere,
„ ſed circumferre illum neceſſe eſt, quia alliga-
„ tus eſt nobis. Hoſtem noſtrum cogimur ſu-
„ ſtentare, perimere illum non licet. Quàm
„ ſollicitè ergò cuſtodire te neceſſe eſt ab eo,
„ qui dormit in ſinu tuo?] Et S. Ambr. ſer. 11. in pſ. 118. [Diſcamus cavere, quem gerimus.
„ Hic nobis hoſtis domeſticus, hic inimicus
„ gravis eſt noſtri ipſius corporis.] Et S. Bern. ſer. 3. de Evangelio ſeptem panum, qui eſt de fragmentis ſeptem miſericordiarum. [Ca-
„ ro adverſùs ſpiritum concupiſcens: quàm do-
„ meſticus hoſtis, quàm pernicioſa lucta, quàm
„ inteſtinum bellum? Hoſtem crudeliſſimum
„ nec fugere poſſumus, nec fugare. Circumfer-
„ re illum neceſſe eſt; quoniam alligatus eſt
„ nobis: & quod periculoſius eſt, & miſerabili-
„ us; hoſtem noſtrum ipſi cogimur ſuſtentare,
„ perimere illum non licet. Vide ergò quàm
„ ſollicitè cuſtodire te neceſſe ſit ab ea, quæ
„ dormit in ſinu tuo.]

Domeſticum hoc, & inteſtinum bellum experitur in ſe ipſo unuſquiſque: & experiebatur Apoſtolus, qui Rom. 7. dicebat; Condelector legi Dei ſecundùm interiorem hominem: Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis: Ejuſmodi hominem S. Auguſt. in ſuis annotationibus in Iob, dum illa verba interpretatur: Si cognoviſti tempus pariendi tragelaphorum? velut tragelaphum eſſe affirmat, ex hirco cervoque compoſitum animal. [Tragos, inquit, hircus; elaphus, cer-
„ vus. Tragelaphus ergò compoſitum eſt ex
„ hirco, & cervo animal, & ſignificat hominem
„ ſervientem legi Dei ſecundùm interiorem
„ hominem. Qui tamen, qua parte hircus eſt,
ſentit

Digitized by Google

„ ſenſit aliam legem in membris ſuis, repu-„ gnantem legi mentis ſuæ, & captivantem „ eum in lege peccati.]

CAPUT III.

Qualis pugna, & undè orta.

Qualis pugna. QUALE autem ſit bellum, paucis exponit S. Greg. Papa libro 10. mor. c. 13. tractans illa Iob verba cap. 11. Spes illorum, hoc eſt impiorum abominatio eſt animæ. „ [Quia, inquit, ſpiritus deficit, ubi caro re-„ quieſcit. Ut enim caro mollibus, ſic anima „ duris nutritur; illam blanda refovent, hanc „ aſpera exercent; Illa delectationibus paſci-„ tur, hæc amaritudinibus vegetatur: & ſicut „ carnem dura ſauciant, ſic ſpiritum mollia „ necant; ſicut illam laborioſa interimunt, ita „ hunc delectabilia extinguunt.] Itaquè ad rem prorſùs Origenes h. 12. in Gen. hoc eſſe arbitratur in anima noſtra carnem, & ſpiritum, quod erant in Rebeccæ utero Eſau, & Iacob. [In nobis quoque, ait, duo populi ſunt „ ſicut in utero Rebeccæ; populus vitiorum, & „ virtutum. De corde enim exeunt cogitatio-„ nes malæ.] Et iterùm. [Fructus autem ſpi-„ ritûs charitas, gaudium, pax, &c. & populus „ populum ſuperabit, & major ſerviet minori; „ hoc eſt caro ſpiritui, vitium virtuti. Nume-„ roſiora enim ſunt vitia virtutibus.] De hac quoq; pugna diligenter diſſerit Io. Caſſianus in collat. 4. Abbatis Danielis, eamque prorſus utilem nobis eſſe contendit c. 15. tùm quod deſidias noſtras ſtatim arguit, atque ut bonus pædagogus à diſciplinæ regula nunquàm nos deviare concedit: tùm quòd humiliat nos, & ab elatione tuetur, & homines eſſe admonet. Carnem hanc refractariam S. Greg. Nazian. or. in Chriſti nativitate, accommodatè dixit eſſe pelliceas tunicas, quas Deus Adæ peccatori dedit. Quia etſi mortuorum animalium pelles ſunt, nuditatem tamen operiunt, turpitudinem contegunt, calefaciunt corpus, & admiſſi ſceleris admonent.

Vndè orta Quamnam enim aliam dicemus fuiſſe pugnæ hujuſce, atque inteſtini belli cauſam? fabuloſum eſt, quod Marcionitæ cogitârunt, nec puduit, eos loqui, exortam indè, quòd corpus ex terra formatum, ad eam trahit, & anima à Deo inſpirata, ad eum revocat. Teſtis eſt Theodor. lib. 1. hæreticarum fabularum c. 29. Aut quod Manichæi apud S. Auguſtinum ſer. 12. de verbis Apoſtoli; Quoniam ſpiritus eſt à Deo, caro à gente contraria. Verum antè primi parentis peccatum contrarietas erat nulla, nulla pugna, rebellio membrorum nulla, quæ ſollicitaret ad coitum. Sed ut loquitur S. Aug. in 2. libro de nuptijs & concup. c. 22. fuiſſet in coëundo tranquilla membrorum obedientia; dictante ſcilicet ratione, non pudenda carnis concupiſcentiâ. Ut enim cæteræ corporis partes obediunt rationi, oculi, manus, pedes; ità & obediſſent genitalià. Quæ propterea nec fuiſſent dicta, nec eſſent pudenda, ſed membra; ut idem eſt auctor in primo libro ejuſdem operis c 21. Nunc autem pudenda vocantur, ut eſt in libro 14. de Civit. Dei c. 23. quod cùm non à voluntate, ut cætera membra, ſed contrà voluntatem moveantur; Pudet animum reſiſti ſibi à corpore, quod ei natura inferiore ſubjectum eſt. [Ubi autem convenientiùs „ (addit in primo libro de nupt. & concup. c. „ 6.) monſtraretur in obedientiæ merito depra-„ vatam eſſe humanam naturam; quàm in his „ locis, undè per ſucceſſionem ſubſiſtit ipſa „ natura? Nam ideò partes iſtæ naturæ nomi-„ ne nuncupantur.] Propterea etiam carnis concupiſcentia lib. 2. contrà Iulianum c. 5. & libro 5. c. 4. vocatur iniquitas; quia iniquum eſt, ut caro concupiſcat adverſùs ſpiritum, & ſuperiori repugnet, & meliori: quamvis adſit in noſtra renovatione juſtitia, quia juſtum eſt, ut adverſùs carnem ſpiritus concupiſcat; ut ſpiritu ambulemus, & concupiſcentias carnis non perficiamus. *Genitalia pudenda.*

Hominis natura turbata. Ergò ità res habet. Homo ſic à Deo conditus fuit, ut & corpore conſtet, & anima; hæcque tùm rationali, & ſpirituali, tùm ſenſuali, ac corporea parte. Ità rationalis, ac ſpiritualis anima (quemadmodùm Honorato ſcribit S. Auguſt. ep. 120. c. 2.) in quadam mediocritate poſita eſt, infrà ſe habens corporalem creaturam, & ſuprà ſe animi ſui, ac corporis creatorem. Eaque æquiſſima lege hæc fuerant inſtituta, ut ſi hominis ſpiritus Deo foret ſubjectus, caro quoq; animæ ſubjecta, & obediens maneret; ſpiritus Deo ſerviens, & caro animæ. Ut enim homo fuerat à Deo conditus, ut conditori ſerviret ſuo; ità illi data fuerat caro, velut ſpiritûs ſerva. Quod ut adnotavit Clemens Alexandrinus libro 3. pædag. c. 1. aptè colligitur ex illis Pauli verbis ad Philip. 2. ubi de Chriſto loquens: Exinanivit, inquit, ſemetipſum formam ſervi accipiens, hoc eſt, hominis carnem; caro igitur ſerva. At ubi Deo rebellis, & inobediens fuit homo, illius quoquè caro illicò adverſùs ipſum rebellavit. Ita S. Aug. lib. 13. de Civ. Dei c. 13. [Homo peccans ſenſit ſtatim no-„ vum motum inobedientiæ carnis ſuæ tan-„ quam reciprocam pœnam inobedientiæ ſuæ. „ Anima quippè libertate in perverſum propriâ „ delectata, & Deo dedignata ſervire, priſtino „ corporis ſervitio deſtituebatur. Et quia ſu-„ periorem dominum ſuo arbitrio deſeruerat, „ inferiorem famulum ad ſuum arbitrium „ non tenebat.] [Quid hac pœna juſtius (inquit

Digitized by Google

,, quit idem in primo libro de Geneſi ad litteram cap. 11.) quam ut non ad omnem nutum ſerviat corpus, id eſt, ſuus famulus animæ; ſicùt domino ſuo detrectavit ipſa ſervire?] Et libro de continentia cap. 7. [Languorem ſanè iſtum culpa meruit, natura non habuit; quam ſanè culpam per lavacrum regenerationis Dei gratia fidelibus jam remiſit: ſed ſub ejuſdem medici manibus adhuc natura cùm ſuo languore confligit.] Et cap. 8. [Non ſic fuimus in Adam, antequàm noſtra natura ſuo deceptore audito, ac ſecuto, ſuum contempſiſſet, atque offendiſſet autorem. Non eſt iſta prior vita creati hominis; ſed poſterior pœna damnati.] Et lib. 14. de Civ. Dei cap. 15. [Per juſtitiam dominantis Dei, cui ſubditi ſervire noluimus; caro noſtra, quæ nobis ſubdita fuerat, non ſerviendo moleſta eſt; quamvis nos Deo non ſerviendo moleſti nobis potuerimus eſſe, non illi.] Et lib. 21. cap. 15. [Hoc autem bellum numquàm ullum eſſet, ſi natura humana per liberum arbitrium in rectitudine, in qua facta eſt, perſtitiſſet. Nunc verò, quæ pacem fœlix cum Deo habêre noluit, ſecum pugnat infœlix.] Eandem prorſus ſententiam, eademque verba habet S. Anſel. in com. 7. in epiſt. ad Galat. & rurſum S. Aug. in libro contrà epiſtolam Fund. cap. 37. ita loquitur. [Quid mirum, ſi tibi peccanti, id eſt, non obtemperanti Domino tuo, pœnalia quibus dominabaris, effecta ſunt? Quid enim tàm juſtum? Hoc natura humana in Adam meruit. Ità in quantum tibi terrena ſerviunt, docent te eſſe dominam ſuam: in quantum autem moleſta ſunt, docent, ut ſervias Domino tuo.] Et lib. 1. contrà adverſarium legis, & prophetarum cap. 14. [Hæc eſt pœna inobedienti homini reddita in ſemetipſo, ut ei viciſſim non obediatur, nec à ſemetipſo.] Et lib. 1. de peccatorum meritis, & remiſſ. cap. 16. [Quandò peccavit Adam non obediens Deo, tùnc ejus corpus gratiam perdidit, qua ejus animæ omni ex parte obediebatur. Tunc illi extitit beſtialis motus pudendus hominibus, quem in ſua erubuit nuditate.] Et lib. 2. c. 22. [Antè peccatum quia anima hominis erat obediens Deo, ordo juſtitiæ faciebat, ut famulus corpus ſinè ulla reſiſtentia congruum exhiberet animæ famulatum. Ideò nudi erant, & non erubeſcebant. Nunc autem erubeſcimus, quia in carne, in quam jus poteſtatis accepimus, efficere non poſſumus, ut nobis nolentibus non moveantur membra. Ideò vocantur pudenda; quia pudet nos amiſſi dominij in rebellantem ſervum.] Et in libro de peccato orig. cap. 34. [Membrorum imputatur peccato inobedientiæ, cujus hæc pœna eſt conſecuta, ut homo inobediens Deo ſua quoquè ſibi inobedientia membra ſentiret.] Et libro de nuptijs, & concupiſ. cap. 6. [Homo punitus Dei lege tranſgreſſâ, aliam legem repugnantem ſuæ menti habêre cœpit in membris: & inobedientiæ ſuæ malum ſenſit, quandò ſibi retributam digniſſimè inobedientiam ſuæ carnis invenit. Injuſtum enim erat, ut obtemperaretur à ſervo ſuo corpore ei, qui non obtemperaverat Domino ſuo.] Et com. in pſ. 75. [Sic vindicatur in rebellem adverſus Deum; ut ipſe ſibi ſit bellum, qui pacem noluit habêre cum Deo.] In eandem ſententiã S. Leo Papa ſer. 5. de jejun. ſept. men. [Habet hoc in ſe generaliter humana natura, non à creatore inſitum, ſed à prævaricatore contractum, & in poſteros generali lege transfuſum; ut de corruptibili corpore, etiam quod animam corrumpere poſſit, oriatur. Hinc interior homo aſſiduos habet cum carne conflictus; & dùm cohibet concupiſcentiam, patitur repugnantem.] Itaquè veriſſimè ſcripſit S. Greg. Papa libro 26. moral. cap. 13. ſuperbiam luxurię ſeminarium eſſe. [Quia dùm ſpiritus in altum erigit, caro infimis mergit. Quòd ſi piè ſpiritus ſub Deo premitur, caro illicitè ſuprà ſpiritum non levatur. Habet quippè ſpiritus commiſſum ſibi dominium carnis; ſi tamen ſub Deo recognoſcit jura legitimæ ſervitutis. Nam ſi autorem ſuum ſuperbiendo contemnit, jure & à ſubjecta carne prælium ſuſcipit. Undè & ille primus inobediens mox ut ſuperbiendo peccavit, pudenda contexit. Quia enim contumeliam ſpiritus Deo intulit, mox contumeliam carnis invenit. Et quia autori ſuo eſſe ſubditus noluit, jus carnis ſubditæ, quam regebat, amiſit.]

Genitalia pudenda.

Romanis legimus permoleſtum, atque omninò difficile olim fuiſſe bellum illud ſervile dictum, quod à ſuperbientibus ſervis, & contrà dominos rebellantibus fuit excitatum. Eſt & hoc nobis profectò moleſtiſſimum, quod à ſerva carne adverſus ſpiritum dominum ſuperbiente, ac rebellante geritur. Et S. Ioan. Chryſ. h. 7. in priorem ep. ad Tim. Tria obſervat eſſe bellorum genera. Unum commune; cùm exercitus noſtri adverſus Barbaros pugnant, aut omninò una gens adverſus aliam dimicat. Secundum cum pacis quoque tempore nos invicem oppugnamus, & unus homo cum alio contendit. Tertium cùm unuſquiſque adverſus ſe bella, ſeditioneſque concitat. Triplex item dixeris; ſi aut ſit in eodem regno, aut in eadem civitate, aut in eadem domo. Tertium hoc in eodem homine bellum, aut in eadem domo, acerbiſſimum prorſus eſt: atquè hoc eſt bellum carnis cum ſpiritu in ſingulis nobis: ſunt enim ejuſdem hominis, aut domus ejuſdem partes.

Bellum triplex.

Sara quidem certè Gen. 21. domi ſuæ Iſmaëlem videns ancillæ filium ludentem cum Iſaäc filio ſuo, rem abſurdiſſimam judicavit, nequè ullo modo potuit tolerare; ſed Abrahæ ſtatim

Iſmael ludens cum Iſaac.

tim dixit: Eijce ancillam, & filium ejus: turbat enim domeſticam pacem. At meritò poſſis mirari, propter puerilem ludum tantoperè turbatam prudentem fœminam, tamquè ſeveram de illo pœnam expoſcentem. Verùm Apoſtolus in ep. ad Gal. cap. 4. Infantis hunc ludum perſecutionem appellavit. Sic enim habet. Quomodo tùnc is, qui ſecundùm carnem natus fuerat, perſequebatur eum, qui ſecundùm ſpiritum; ità & nunc. Quoniam tamen nulla Iſmaëlis legitur perſecutio, ſed puerilis ſolùm ludus, propter quem & Sara petit expelli; & Deus Abrahæ præcipit, ut Saræ vocem audiat, illique obediat. Magnoperè miratur Origenes h. 7. in Geneſ. Cur perſecutionem Apoſtolus appellàrit. [Sed Sara, in-
,, quit ille, tenet locum virtutis. Si ergò caro
,, blandiatur ſpiritui, & illecebroſis cum eo de-
,, ceptionibus agat; hujuſmodi ludus carnis cum
,, ſpiritu Saram offendit maximè, & hujuſce-
,, modi blandimenta acerbiſſimam perſecu-
,, tionem judicat Paulus.] Et S. Anſelmus in com. in epiſtolam ad Galatas. [Sara videns
,, Iſmaëlem ludentem cum Iſaäc, ludum illum
,, æſtimavit perſecutionem graviſſimam, quæ
,, vellet illum decipere. Sic caro, cujus figu-
,, ràm gerit Iſmaël, qui ſecundùm carnem na-
,, tus eſt, ſi blandiatur ſpiritui, & illecebro-
,, ſis cum eo deceptionibus agat; graviſſima
,, perſecutio eſt, & offendit Saram, quæ eſt
,, virtus.]

Præterea Gen. cap. 25. Duo parvuli, Iacob, & Eſau, in utero Rebeccæ matris pugnabant: Collidebantur, inquit, in utero ejus parvuli. Conſuluit Rebecca Dominum, quid hoc ſibi vellet; & reſpondit illi Dominus; Duæ gentes ſunt in utero tuo, & duo populi ex ventre tuo dividentur, populuſque populum ſuperabit, & major ſerviet minori. [Sed & in nobis quoque
,, (ratiocinatur Origenes h. 12. in Gen.) duo
,, populi ſunt, ſicut in utero Rebeccæ; popu-
,, lus vitiorum: De corde enim exeunt cogita-
,, tiones malæ, & quæ ſeq. Et populus virtu-
,, tum; fructus namque ſpiritus eſt charitas,
,, gaudium, pax &c. Et populus populum ſupe-
,, rabit, & major ſerviet minori, id eſt caro ſpiri-
,, tui, & vitium virtuti. Numeroſiora enim ſunt
,, vitia virtutibus.] Atquè implebitur illud, quod dixit Anna, 1. Reg. 2. Sterilis peperit plurimos, & quæ multos habebat filios, infirmata eſt. [Unuſquiſque enim (ait idem Orige-
,, nes h. in librum Regnorum) habet in ſe ſte-
,, rilem, & fœcundam; fœcunda erat caro mul-
,, torum vitiorum, anima ſterilis bonorum ope-
,, rum. At ubi ad Chriſtum venimus, caro fit
,, ſterilis, & ſpiritus fœcundus.]

CAPUT IV.

Spiritum carni dominari debère.

QUANDÒ Deus creavit hominem, Gen. 1. maſculum, & fœminam creavit eos, dixitque illis; Creſcite, & multiplicamini, & replete terram. In nobis quoquè ipſis maſculus eſt, & fœmina: [Maſculus ſpiritus, *Spiritus & caro mas, & fœmina.*
,, inquit Orig. h. 1. in Gen. fœmina caro. Si ſit
,, inter eos concordia generant filios legitimos
,, cogitationes bonas, & opera ſancta; quibus
,, repleant terram, & dominentur in ea. Quod
,, ſi anima declinet ad corporeas voluptates,
,, velùt adulterio corporis maculata, filios gi-
,, gnit ſpurios & illegitimos.] Et S. Aug. in libro de Gen. contrà Manichæos cap. 11. carnem quoque confirmat eſſe velut uxorem, & ſpiritum velut virum. Sed fœminam monet viro in adjutorium fuiſſe à Deo datam, carnemque ſubeſſe oportère ſpiritui, & adjuvare illum. [Fœmina, inquit, facta eſt in adjuto-
,, rium viri, Gen. 2. & animalis pars rationali
,, ſpiritui adjuncta, ut copulationi ſpiritali
,, ſpiritales fœtus ederet, id eſt, bona opera di-
,, vinæ laudis; dùm ille regit, hæc obtemperat.
,, Appetitum ergò animæ, per quem de mem-
,, bris corporis operamur, habeat mens inte-
,, rior, tanquàm virilis ratio ſubjugatum, & ju-
,, ſta lege modum imponat adjutorio ſuo: ſicut
,, vir debet fœminam regere, nec eam permit-
,, tere dominari in virum: quod ubi contingit,
,, perverſa, & miſera domus eſt.] Et Commentario in pſ. 143. [Spiritus, & caro, vir, & uxor, *Vir, & uxor.*
,, ſi uxor à te diſſentiat, & dominetur, mole-
,, ſtus, & pericoloſus labor, & páx perverſa. Si
,, uxor marito ſubijciatur, pax recta.] Et tract. 2. in Io. [Spiritus maritus, caro uxor. Nam &
,, Adam dixit. Hoc nunc os ex oſſibus meis, &
,, caro de carne mea. Ubi uxor imperat, &
,, maritus ſervit perverſa domus.] Et tract. 15. Conſiderans illa Chriſti verba ad Samaritanam Io. 4. Voca virum tuum; Intellectum, ait in anima eſſe quaſi virum, & ſenſualitatem tanquam fœminam: neque intellectum bene regere fœminam, niſi ipſe à ſuperiore Deo regatur. Caput enim mulièris vir, caput autem viri Chriſtus, ut loquitur Paulus 1. Cor. 11. & ſer. 6. de verbis Apoſtoli; [Etſi modo rixa eſt in iſta
,, domo, quia caro concupiſcit adverſùs ſpiri-
,, tum, & ſpiritus adverſùs carnem maritus liti-
,, gans, non pernitiem, ſed concordiam quærit
,, uxoris. Abſit ut ſpiritus oderit carnem. Vitia
,, carnis odit, contentionem mortis odit.] Itaquè quod Paulus ſcripſit Epheſ. 5. Viri diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, ut eam ſanctificaret; S. Hier. tropologicæ virum animam, uxorem corpus intelligit. Ut anima ſic diligat carnem, quo modo Chriſtus

Eccleſiam, ut eam ſanctificet, & exhibeat non habentem maculam, aut rugam aliquam vetuſtatis; maximè cùm ſciat eam in reſurrectione ſalvandam, & viſuram ſalutare Dei; Quarè ut Chriſtus Eccleſiam varijs perſecutionibus exercet, ità & ſpiritus carnem exercêre debet.

Caro Domus, ſpiritus dominus.

Neque modo ſpiritum dominari debêre carni docuerunt Patres, quoniam ille velùt maſculus, & vir, hæc quaſi fœmina ſit, & uxor: verum etiam quia caro velut domus agnoſcitur, ſpiritus velùt dominus, & habitator domûs. S. Ambroſius in lib. de Noë, & arca cap. 11. Animam dixit in corpore eſſe ut patrem familias in domo ſua, & S. Aug. conc. 2. in pſalmum 48. corpus domus, ſpiritus habitator domûs. Quo argumento probat Tertull. in libro de anima cap. 38. ſpiritum carnis bonum & conſervationem perpetuò procurare. ,,[Domus, inquit, animæ caro eſt inquilinus carnis anima. Deſiderabit itaquè inquilinus ex cauſa, & neceſſitate profutura domui, toto inquilinatus ſui tempore; non ut ipſe ſubſtruendus, nec ut ipſe gloriandus, nec ut ipſe tibicinandus; ſed tantummodò continendus: quia non aliter continêri poſſit, niſi domo fulta.]

Caro equus, ſpiritus auriga.

Adducit & aliud argumentum; quia caro eſt velùt equus, ſpiritus velùt auriga, qui equum frænandum, gubernandum, etſi opus ſit, caſtigandum ſuſcepit. S. Cyprianus in libro de diſciplina, & bono pudicitiæ. [Coërceat, inquit, animus ſtimulos carnis, & refrænet impetum corporis. Accepit enim hanc poteſtatem, ut illi ad imperium ejus membra ſervirent, & quaſi legitimus, & perfectus auriga, ultrà conceſſas corporis metas extollentes ſe carnis impetus cœleſtium præceptorum habenis reflectat, nè ultrà terminos ſuos curſus iſte corporis raptus, in periculum ſuum ſecum, & ipſum rapiat aurigam.] Et S. Aug. in qq. ex utroque teſtamento q. 108. [Animus ,, quaſi auriga, ut concretum, & figuratum ,, corpus agat, & quaſi imperator ipſius.] Et q. 115. [Ideò imperator eſt corporis animus, ut ,, gubernet illud retinaculis legis divinæ.] Et in qq. ex novo teſtamento q. 49. [Spiritus rex, ,, dux, & ductor carnis, & corporis.] Et lib. 19. de Civit. Dei cap. 3. [Corpus equus, anima ,, eques.] Et libro de cantico novo c. 3. & tract. de utilitate jejunij. [Caro jumentum, anima ,, inſidens jumento.] Et S. Ambr. lib. 6. exam. cap. 6. ex eo ratiocinatur, quòd caro caduca eſt, & mortalis, ſpiritus immortalis; & caro velùt illius veſtis, & tunica. [Quid eſt, inquit, caro ,, ſinè animæ gubernaculo, mentis vigore? ,, Caro hodiè ſumitur, cras deponitur; caro ,, temporalis, anima diuturna; caro amictus eſt ,, animæ, quæ ſe induit quodam corporis veſtimento.]

CAPUT V.

Carnis adverſùs ſpiritum petulantia, & ſpiritûs repugnantia.

Spiritus mas, Caro fœmina.

VErum enimverò, quod legimus factum Ex 1. idem nunc quoquè maximo noſtro damno fieri cernimus. Maximè namque, & artibus omnibus ſatagit rex Ægypti diabolus, ut necentur mares, & fœminæ reſerventur; quod tunc à Pharaöne factum narratur. ,,[In fœminis quippè (ut interpretatur Origenes h. 2. in Exodum) caro, & affectus carnis ,, deſignatur: mas autem rationalis ſenſus, & ,, ſpiritus eſt. Hunc odit Pharao, & princeps ,, Ægypti: hunc necari cupit, & interimi. Cupit autem, quæcumque ſunt carnis, vivere: ,, nec ſolùm vivere; ſed & augêri, & excoli. ,, Cùm ergò videris homines in voluptatibus ,, vivere; in iſtis ſcias, quòd rex Ægypti maſculos necat, & vivificat fœminas. Contrà ,, ſi quem videris ad Dominum converti, & oculos ſurſum erigere: iſtum quaſi maſculum ,, necari cupit Pharao, perſequitur, inſectatur, ,, mille adverſùs eum machinis pugnat.] Indè eſt, quòd in hoc mundo ſervi Dei. & omnes, qui Deum quærunt, deſpectui habentur, & contemptui. Indè contumelijs expoſiti ſunt; indè replentur opprobrijs; indè odia in eos, & perſecutiones agitantur, quia odit eos Pharao, &c. Tractat etiam hunc locum eleganter S. Auguſt. in ſer. 84. de tempore. [Rex, ,, inquit, Ægypti juſſit occidi mares, & fœminas reſervari. In maſculis intelligitur ſenſus ,, rationalis, in fœminis concupiſcentia carnis. ,, Si ergò in te ſenſus dominetur, intelligas, ,, quia ſurrexit in te rex alius, qui neſcit Ioſeph.]

Quod ſi hoc unquam tempore fuit verum, hoc nunc eſt veriſſimum. Quàm pauci enim ſunt qui mortificent carnem ſuam, ſpirituique ſubijciant? quis appetitiones non ſectatur ſuas, ſeque totum ſenſui non dedit? Nunc caro cruentum planè bellum gerit cum ſpiritu: & magis, quàm unquàm, verificatur illud; Caro concupiſcit adverſùs ſpiritum: ſed non item illud, & ſpiritus adverſùs carnem. Nunc inimici crucis Chriſti quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione ipſorum, qui terrena ſapiunt, totis viribus conantur, ſpiritum debellare. Nunc duo magni duces, caro. & ſpiritus in arenam deſcendunt, & aggrediuntur pugnam. Sed caro numeroſiſsimum habet exercitum, ex tanta hominum multitudine collectum, qui eam ſequuntur: omneſque illi faventes, atque illius promoventes cauſam clamant illud pſalmi 90. Non accedet ad te malum, & flagellum non

Digitized by Google

non appropinquabit tabernaculo tuo. Non eſt nunc tempus flagellorum, jejuniorum, & pœnitentiæ. Tempus ridendi eſt, tempus ſaltandi, tempus amplexandi, quorum hominùm perditam conditionem graviſſimis verbis deplorat S. Bern. dùm illa pſalmi verba interpretatur. [Videmus ſanè, inquit, non-„ nullos tabernacula ſua in turpiſſima captivi-„ tatis domicilia commùtare; nec militare in „ his, ſed miſeram gerere ſervitutem. Im-„ mò verò (quod omninò ridiculum eſt,) ſic er-„ rant aliqui, & in tantam oblivionem, & ſpi-„ ritualem phrænesim devenerunt, ut nihil ſe „ aliud putare, quàm ſuum hoc exterius taber-„ naculum videantur. Quid enim aliud quàm „ non modò Dei, ſed & ſui ignorantiam ha-„ beut; qui tanquàm mortui à corde, omnem „ inſumunt operam circà carnem? Sic inten-„ dentes tabernaculo ſuo, acſi nunquàm puta-„ rent eſſe caſurum.]

Altera ex parte clamat ſpiritus. Propter te mortificamur tota die; æſtimati ſumus ſicùt oves occiſionis, & tempus breve eſt; reliquum eſt, ut qui utuntur hoc mundo, tanquàm non utantur; præterit enim figura hujus mundi. Et rurſùm. Pœnitentiam agite; appropinquabit enim regnum cœlorum. A parte ſpiritûs pauci ſunt, & inermes: quemadmodùm accidit 1. Reg. 13. Cum enim veniſſet dies non eſt inventus enſis, & lancea in manu totius populi, qui erat cum Saüle, & Ionatha; excepto Saüle, & Ionatha filio ejus. En adeſt tempus prælij inter carnem, & ſpiritum; nec invenitur quiſquam, qui gladium habeat, & lanceam contrà hoſtes ſuos. Quid ſit gladius, quid lancea interpretatur S. Greg. Papa libro 5. in primum Regum cap. 3. [Per lanceam „ enim longè nobis antè objecta perfodimus; „ per enſem verò vicini, & ferè conjuncti nobis „ hoſtes trucidantur. In lancea ergò provi-„ dentia electorum oſtenditur, per quam oc-„ cultos hoſtes percutiunt, antequàm vicinum „ eorum impetum patiantur. Dum enim fu-„ turas Dæmonum inſidias cavendo præve-„ niunt, velùt à longè lancea feriunt, quorum „ vicinos excipere ictus nolunt. Per enſem ve-„ rò, quo vicini hoſtes feriuntur, intelligentiæ „ ſubtilitas demonſtratur, quâ maligni hoſtis „ ſuggeſtiones in præſenti cognoſcuntur.] At ſatis non eſt habêre lanceam, & enſem; ſed oportet in manu tenêre. [In manu enſis eſſe de-„ bet, inquit ille, ut ad extinguenda, & præca-„ venda ea, quæ cognoſcuntur, fortiter exer-„ ceantur. Multi enim ſunt, qui & præſentia „ intelligunt, & futura prævident: ſed ad extin-„ guenda, fortia non exercent.]

Hi omninò pauci ſunt, qui lanceam, & enſem in manu habentes, pro ſpiritu pugnent. Confidamus tamen; quia nobiſcum eſt Deus; pluſque poterit unus ex his, quàm centum adverſarij. Deut. 32. Perſequebatur unus mille, & duo fugârunt decem millia. Et Ioſ. 23. Unus è nobis perſequetur hoſtium mille viros; quia Dominus Deus noſter pro nobis ipſe pugnabit, ſicut pollicitus eſt. Et S. Cyprianus in libro de ſingularitate clericorum, loquens de Spiritu Sancto: [Cuſtos, ait, nobis „ datus eſt ſpiritus, ut contraria declinantibus „ aſſiſtendo ſubveniat: & ab adverſis nitentes „ ſeparari confirmet.] Et omninò ſacra ſcriptura plena eſt victoriarum, quas obtinuerunt filij Iſraël de Gentibus omnibus, quæ innumerabiles erant, dùm ipſi eſſent pauciſſimi. Audi quid loquatur, & factum prædicet S. Chryſ. dum exponit illa verba pſalmi 71. Orietur in diebus ejus juſtitia, & abundantia pacis, & dominabitur. [Quantam, inquir, abundantiam „ pacis nunc videmus: ut caro, quæ concupiſ-„ cit adverſùs ſpiritum, & ſpiritus adverſùs „ carnem, ſubjugatis affectibus carnalibus ſpi-„ ritui, ſit abundantia pacis, donec tollatur lu-„ na?] Ità prorſùs in nobis perficiet Deus; quod ſperare debemus, confiſi maximè in noſtræ cauſæ juſtitia.

CAPUT VI.

Hoc bellum quatenùs juſtum ſit.

ETENIM hoc bellum ex parte carnis non niſi injuſtum eſſe poteſt; quoniam rebellio eſt ſervæ adverſùs Dominum, cui ſubeſſe, atque obtemperare debuerat. Et quid tandem ad hoc illa reſpondeat? Aut enim ſpiritus habet jus belli adverſùs carnem, aut non habet; ſi habet, juſtumque eſt illius bellum, caro igitur adverſùs ſpiritum non habet jus, neque juſtum gerere poteſt bellum: ſed ſpiritus debellare illam poteſt, & ſibi ſubijcere, mortificare, & carnis omnes rationi adverſantes motus necare. Et quis neget adverſùs rebelles juſtum ſuſcipi bellum? Si enim carnis patronus quiſquam injuſtum audeat dicere ſpiritui eſſe bellum; erit igitur carni juſtum adverſùs ſpiritum, & rebellibus adverſùs legitimum dominum, & principem ſuum. Præterea ſi injuſtum eſt ſpiritui bellum, injuſtum quoque fuerit, ſi illi faveas adverſùs carnem bellanti: peccaverintque tot ſanctorum, & ſanctarum millia, quæ apertè adverſùs carnem pugnârunt; illique omnes, quos tantoperè laudat Apoſtolus in ep. ad Hebr. cap. 11. In ſolitudinibus errantes, in ſpeluncis, & cavernis terræ, &c. Erraverint tot monachorum millia, de quibus Caſſianus, Theodoretus, & alij. Totque virgines, quæ contemptis nuptijs, tot flagellis, catenis, jejunijs, cilitijs, alijſque pluribus modis carnem afflixerunt ſuam, ut ſpiritui ſubjectam facerent. Denique ſi injuſtum eſt ſpiritui bellum; ergò ſpiritum oportet arma depo-

deponere, neque carnem amplius inſectari, ſed illi permittere, ut in omnia ſcelera, & paſſiones ignominiæ, ut ad Romanos ſcribit Apoſtolus, nos præcipitet.

Reſpondebit fortaſſe quiſpiam carnis patrocinium ſuſcipiens; Bellum quidem ſpiritui juſtum eſſe, mitiùs tamen cum carne agendum dandaſque interdùm inducias, & quietis aliquid concedendum. Compatiendum infirmiori parti; quippè vel ipſius Chriſti teſtimonio; ſpiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma. At minùs ſapiens dux ille reputabitur, qui hoſtibus concedat inducias, quos debellare penitùs poſſit, ac tollere: cùm illos præſertim ſciat judicijs acceptis robuſtiores fore, confirmatiſque viribus, & acie reſtaurata, inexpugnabiles mox futuros. Hercules quidem certè cum Anteo dum pugnaret, non permittebat illi terram tangere: quia terram tangens reſpirabat, & renovabat vires. Non permittendum carni, ut terram tangat, & reſpiret. Educenda penitùs eſt ex voluptatum ac delitiarum aquis. Tobiæ piſcis eductus ex aquis vires omnes amiſit. Dum caro vivit, & natat in aquis voluptatum hujus vitæ, vires habet, fortiſque eſt ad bellandum; indè educta vires omnes amittit.

Præterea ſi carnis pugna cum ſpiritu eſt injuſta, univerſus illius exercitus iniquus eſt, delectatio, conſenſus, operatio, conſuetudo. Totus igitur eſt trucidandus: Atq; hæc demùm erit victoria noſtra, ut totus hic moriatur exercitus. In cæteris corporeis bellis conſtare victoria poteſt, etſi hoſtes non moriantur: in hoc illa eſt victoria, ſi omnia vitia, appetituſque carnis, penitùs extinguantur, & pereant. In 1. libro Reg. cap. 15. traditurus Deus Amalec in manus Saül, præcepit illi, ut interficeret omnes, tùm homines, tùm jumenta, & beſtias. Saül autem pepercit Agag regi, & optimis ovium, ac beſtiarum. Venit Samuël, & graviter reprehendit Saülem, regnoque privavit; & dixit. Adducite ad me Agag regem Amalec; & oblatus eſt ei, Agag pinguiſſimus tremens; & in fruſta concidit eum Samuël coram Domino in Galgalis. Sic igitur mactanda eſt, & concidenda caro noſtra cum omnibus ſuis appetitionibus, nec ulli omninò parcendum. Mortuam porrò ſacrificare Deo debemus: quantòque magis fuerit tenera, tantò magis ſapida. Ut autem Vituli, aut alterius beſtiæ caro ſit tenera, ſolent eam exercere currendo, & fatigando, ſeu verberando, & tundendo. Ità ſi nos volumus carnem noſtram fieri teneram, Deoque ſapidam; exercere illam oportet, verberare, mortificare. Gal. 5. Qui Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs, & concupiſcentijs ſuis. Verum de carnis mortificationis modo accuratiùs pòſt dicetur.

CAPUT VII.

Vt carnem infirmam eſſe dixerit Chriſtus.

SED quoniam carnis patroni ad ſuæ cauſæ defenſionem verbis illis Domini abutuntur, quibus carnem aliquandò dixit infirmam; ad hoc reſpondendum eſt. [Non nobis blandiamur (inquit Tertull. in libro ad martyres cap. 4.) quia Dominus dixit carnem infirmam eſſe. Propterea enim prædixit, ſpiritum promptum eſſe, ut oſtenderet, quid cui debeat eſſe ſubjectum; ſcilicet ut caro ſerviat ſpiritui, inferior fortiori: ut ab eo etiam ipſa fortitudinem aſſumat.] Et in primo libro ad uxorem cap. 4. [Carnem legimus infirmam, & hinc nobis adulamur impenſiùs. Legimus tamen, & ſpiritum firmum. Caro terrena materia eſt, ſpiritus verò cœleſtis. Cur ergò ad excuſationem proniores, quæ in nobis infirma ſunt opponimus, quæ verò fortiora, non tuemur? Cur cœleſtibus terrena non cedant? ſi ſpiritus carne fortior, quia & generoſior, noſtrâ culpâ infirmiora ſectamur.] Ac rurſùm in libro de fuga in perſecutione cap. 8. [Profeſſus quidem & dominus eſt animam anxiam uſquè ad mortem, & carnem infirmam; ut tibi oſtenderet; primò in ſe utramque ſubſtantiam humanam fuiſſe. Deindè ut demonſtratis conditionibus earum, ſcires illas nihil valere per ſemetipſas ſinè ſpiritu. Et ideò præponit, ſpiritus promptus: ut utramque conditionem ſubſtantiæ utriuſque reſpiciens; intelligas in te eſſe fortitudinem etiam ſpiritus, quomodò & infirmitatem carnis: ac jam hinc ſcias, quid undè facias, & quid cui ſubijcias: infirmum ſcilicet forti: nè de carnis quidem infirmitate cauſeris, de ſpiritus autem firmitate diſſimules.] Ac demùm in libro de monogamia cap. 14. [Quamdiù cauſabimur carnem; quia dixit Dominus; caro infirma: ſed præmiſit, & ſpiritus promptus, ut vincat ſpiritus carnem, & cedat, quod infirmum eſt fortiori.] Origenes quoque h. 11. in Lucam; Propterea ſi caro infirma eſt, ſpiritu roborandam eſſe reſpondebit. [Infirma, inquit, eſt humana natura; ut fieri poſſit fortior, divino auxilio indiget. Legimus, caro infirma: quo igitur auxilio confirmanda eſt? utique Spiritu. Sanctus enim ſpiritus promptus, caro autem infirma. Qui vult fortior fieri, non debet niſi ſpiritu confortari. Multi confortantur carne, corpore roborantur. Athleta autem Dei, ſpiritu roborandus eſt. Et cùm ſic fuerit confortatus, ſapientia carnis elidetur, & ſpiritalis affectus ſubdetur corpus animi imperio.] S. autem Io. Chryſ. h. 42. operis imperfecti, carnem contendit in hoc mundo non eſſe infirmam, ſed potentem, ſpiritui que plurimum Matt. 26.

Digitized by Google

dominari. In futuro autem ſæculo ſpiritum carni dominaturum. Unaquæque enim res in ſua patria fortior eſt, & dominatur. [Quemadmo- „ dùm, inquit, dives in hoſpitio pauperis alicu- „ jus, ètſi jubere non poteſt, quod vult, quia „ hoſpes eſt; magnam tamen habet fiduciam „ agendi aliquid; quia potens eſt. Sic & anima „ peregrina in hoc regnum carnis ingreſſa, et- „ ſi non omnia ſpiritualiter agere poteſt, quia „ extranea eſt in hoc mundo; aliquid tamen „ ſpirituale vendicat & in carne, quia nimiùm „ potens eſt. Contrà verò, ſicut pauper nihil in „ hoſpitio divitis poteſt; primò quia hoſpes eſt; „ deindè quia mendicus, & pauper: ſic & caro, „ cùm in illud ſæculum reſuſcitata migraverit; „ nihil omninò ſibi poterit carnale defendere: „ quia & extranea erit in illo ſæculo ſpirituali; „ & quia infirma eſt illius natura.]

Caro hypocrita. Verùm intelligendum etiam omninò eſt, carnem noſtram magnam eſſe hypocritam, quæ ſæpè fingit ſe infirmam eſſe, & debilem, neque vigilare ſe poſſe, orare, jejunare, aliaque id genus facere, quæ ſuggerit ſpiritus. Sæpèque contrà ſpiritum clamat, ſe nimiùm ab illo gravari, neque perſeverare ſe poſſe diutiùs. Cujus rei figuram habemus in libro Tobiæ cap. 3. Cùm enim Sara propter culpam quampiam increparet unam ex ancillis patris ſui illa murmurans, & adverſùs dominam inſurgens ſuam: Interfectrix, inquit, virorum tuorum; Nunquid & occidere me vis, ſicut jam occidiſti ſeptem viros? Sara ſignificat ſpiritum, & rationem, ancilla carnem, & ſenſum; quando ſpiritus increpat carnem ob levitates ſuas, & quòd minùs ſapienter agat, murmurat caro, & conqueritur contrà ſpiritum, quòd eam non permittat ſuas appetitiones ſequi, & accuſat rationem, velut interfectricem ſeptem virorum, hoc eſt, quinque ſenſuum, & duplicis appetitus, concupiſcentis, & iraſcentis, quos illa mortificat. Eamque dicit indiſcretè agere, velleque interficere corpus. At ſpiritus, & ratio ad lachrymas, & orationem debet confugere: quemadmodùm legimus factum à Sara tribus diebus, & tribus noctibus, non manducando, nec bibendo; fortiterq; ac magno animo agendum eſt in hac pugna. [Agnoſcat (inquit S. „ Leo Papa ſer. 2. de jejunio ſeptimi menſis) „ interior homo exterioris ſui ſe eſſe rectorem, „ ut mens divino gubernata dominatu, terre- „ nam ſubſtantiam in bonæ voluntatis cogat „ obſequium.]

Sæpè etiam caro ſe mortuam ſimulat quemadmodùm vulpes faciunt, ut pullos capiant. Simulat, inquam, vitijs mortuam, & paſſionibus ſuis, ut mitiùs cum illa agat ſpiritus, nec tantoperè mortificet & affligat. Et niſi ſapienter agas, atque indulgeas illi, & de rigore remittas, inſurget mox illa, & interficiet ſpiritum. Sic nimirùm Iudic. 16. cum Sampſon Dalilæ nimiùm crederet, quamvis illius inſidias ſæpiùs fuiſſet expertus, atque in ſinu illius obdormiſſet, abſcidit illa crines hominis, priſtinaque privavit fortitudine. Et tu ſi nimiùm confidas, & in ſinu carnis tuæ, ac negligentiæ obdormiſcas, abſcindentur bona mentis propoſita, & deſideria, velut capilli capitis illudentibus dæmonibus, quibus velut alter Sampſon traderis.

CAPUT VIII.

Quinam pugnam carnis, & ſpiritûs non ſentiant.

SUNT tamen permulti, qui bellum hoc internum carnis, & ſpiritûs in ſeipſis non ſentiunt; ſive quod caro tantoperè ſit ſpiritui ſubjecta, ut nulla inter eos ſit pugna, ſive quod illorum ſpiritus prorſùs ſit conformis, & obſequens carni, eamque in cunctis abſque ulla contradictione ſequatur. Priores illi ſpirituales viri ſunt, & valdè perfecti poſteriores hi ad ſenſualitatis perfectionem venerunt. Illi perpauci ſunt, hi plurimi. Illi cum Davide pſ. 83. cantant; Cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum, quem locum exponens S. Hier. [Difficile eſt, inquit, ut cor, & „ caro alicujus in commune conſentiant. Si „ enim ſecundùm Apoſtolum, ſpiritus pugnat „ contrà carnem, & caro contrà ſpiritum: quo- „ modo hic dicit; cor meum, & caro mea exul- „ tavit? Hoc non poteſt dicere, niſi ille, qui in „ amorem Dei tota mente defixus eſt. Cor „ meum, & caro mea; illud eſt, quod habet & in „ alio loco; Sitivit in te anima mea, quam mul- „ tipliciter tibi caro mea! Iſta eſt caro, quæ de- „ ſiderat Dominum, de qua in alio loco dicitur: „ Et videbit omnis caro ſalutare Dei.] Et S. Aug. in lib. 50. homiliarum h. 33. [Non ſuffe- „ cerat dicere, cor meum niſi addidiſſet, & caro „ mea: Ut homo & corde, & carne Deo ſerviat. „ Cor enim exultat in Deum, quando honeſta, „ & ſancta cogitat, quando religioſa opera, & „ Deo placita concupiſcit. Caro autem exultat, „ quando pudica eſt, quando ſobria, quando „ nulla impuritate polluitur, quando nullis im- „ mundis actibus ſordidatur.] In his tantoperè caro ſpiritui ſubjecta eſt, ut quodam modo facta ſit ſpiritus: non natura, ſed conformitate. *Corpus ſpirituale.* „ [Caro enim (ut loquitur S. Aug. lib. 13. de „ Civit. Dei c. 20.) quæ ſpiritui ſervit, ſpiritua- „ lis vocanda eſt; ſicut ſpiritus ſerviens carni, „ carnalis dicitur. Non quia in ſpiritum, aut „ carnem convertantur: ſed quia ſpiritui, vel „ carni ſumma, & mirabili obtemperandi fa- „ cilitate ſubdantur.] Et quamvis ibi ſit ſermo de futura beatorum vita, in qua perfecta, & ſumma erit hæc unio, & conformitas carnis, & ſpiritus; Sicut & Apoſtolus 1. Cor. 15. Corpora noſtra ſcripſit reſurrectura ſpiritualia;

Digitized by Google

tualia: non quod corpora futura non ſint; ſed quòd ſpiritui perfectè ſubjecta erunt, quoquo tamen modo & in hominibus ſpiritualibus, in hac quoque vita id verum eſt. Et S. Ambr. ſer. 4. in pſ. 118. in ſcripturis ſacris obſervat carnem animæ gubernaculo obedientem appellari animam; ſicut appellatur familia Iacob, Gen. 46. Bala peperit Iacob animas ſeptem; & omnes animæ, quæ intraverunt cum Iacob in Ægyptum ſexaginta ſex. Et Ex. 1. Erant omnes animæ de femore Iacob egreſſæ ſeptuaginta. Et S. Athanaſius in libro de Incarnatione Chriſti, corpus Chriſti dixit à Paulo dici ſpirituale: quia in eo erat Verbum, & ſpiritus, vique, & natura ſpiritus ſubſiſtebat. Adæ verò corpus animale; quia ſola vi animæ imbutum erat, illiuſq; viribus ſubſiſtebat. Hinc S. Hieronymus exponens illud Pauli ad Gal. 5. Si ſpiritu vivimus, ſpiritu & ambulemus; tria facit hominum genera: ſpirituales; qui ſemper ſpiritu vivunt, ſpiritui obediunt, nunquam vivunt in carne: Carnales, qui ſemper in carne, nunquam in ſpiritu: & inter hos medios, qui inter virtutes, & vitia fluctuantes, modò in ſpiritu vivunt, modò in carne. Sanè de carnalibus dicitur, Gen. 6. Non permanebit ſpiritus meus in homine, qui caro eſt. Et de ſpiritualibus 1. Cor. 6. Qui adhæret Deo, unus ſpiritus eſt.

Tria hominum genera.

Qui verò pugnam hanc, & contradictionem non ſentiunt, quòd ità ſpiritum carni ſubjecerint, ut eam ad nutum ſequatur, omninò ſunt in peſſimo ſtatu, velut pecora; in quibus ſpiritus quodam modo factus eſt caro. S. Ambr. libro 8. in Lucam; [Cùm vincitur, inquit, „ mens, carnis eſt; non ex natura habens, ſed „ ex carne, quod labitur, & quaſi in nomen, & „ proprietatem victricis vitæ ſuccedit.] Namq; ut ratiocinatur Origenes libro 6. in epiſtolam ad Rom. tractans illud 1. Cor. 6. Qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur: [Noſtra, in„ quit, anima medium quoddam eſt inter car„ nem, & Deum: ſi adhæret carni, fit unum „ corpus cum illa: ſi adhæret Deo, fit unus ſpi„ ritus. Nec mireris, ſi carnem meretricem „ vocet, quæ omnibus vitijs, atque peccatis „ tanquam turpiſſimis amatoribus ſubjacet.] Ità plurimi velut pecora ſe totos ſenſui, & carni tradunt, quos magnoperè miratur, & deplorat S. Bernard. in ſer. 1. in feſto omnium Sanctorum. [Quàm plurimi, ait ille, hodie fa„ ctum illud graviter dijudicant, & inſipienter „ imitantur. Indignantur adverſus Adam, qui „ obedierit voci uxoris ſuæ pluſquàm Dei: Et „ ipſi quotidie Evam ſuam, carnem videlicet, „ audiunt pluſquàm Deum.] [Magna ſtultitia, „ (inquit idem ipſe in libro de converſione ad „ clericos c. 3.) tantam habere curam cadave„ ris putridi. Inſanus labor paſcere ſterilem, „ quæ non parit; & viduæ benefacere nolle:

Caro Meretrix.

„ omittere curam cordis, & curam carnis age„ re in deſiderio: impinguare, & fovêre cada„ ver putridum; quod paulò poſt vermium eſ„ ca futurum nullatenus dubitatur.] Hos S. Auguſt. in ſer. 50. ad fratres in eremo perſimiles eſſe affirmat homini inverſo, qui pedes levet in altum, & caput deprimat in profundum. [Cùm anima, inquit, in corpore domina„ ri, & caput eſſe debeat, qui carnem delitijs ni„ miùm erigit, animam verò deſpicit, pedes lo„ vat in altum, & caput deprimit in profundum. „ Et qualis eſt in oculis hominum, qui inverſis „ pedibus ambulare videtur; talis eſt in oculis „ Angelorum, cui caro propria dominatur.]

CAPUT IX.

Quorum ſit hæc pugna, & quomodò in ea agendum.

RELINQUITUR igitur, propriam illorum eſſe hanc pugnam, qui virtutis ſtudioſi ſunt. Sentiunt enim carnis vitia, & concupiſcentias malas, eaſque ſuperare conantur. Ita nimirùm S. Auguſt. in libro de continentia c. 3. proferens illud Apoſtoli: Sentio aliam legem in membris meis &c. [Hanc, inquit, „ pugnam non experiuntur in ſemetipſis, niſi „ bellatores virtutum, debellatoreſque vitio„ rum.] Quos ſeriò monet Paulus, Rom. 6. Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore, ut obediatis concupiſcentijs ejus: hoc eſt: [Si face„ re non valemus in hac vita (ut interpretatur „ idem S. Auguſt. lib. 19. de Civit. Dei c. 4.) ut „ caro non concupiſcat adverſùs ſpiritum: id „ ſaltem in adiutorio Dei faciamus, nè carni „ concupiſcenti adverſùs ſpiritum, ſpiritu ſuc„ cumbente cadamus, & ad perpetrandum „ peccatum noſtra conſenſione pertrahamur.] „ [Ad hoc enim concupiſcit ſpiritus, idem lo„ quitur in 6. libro contra Iulianum c. 18. ut ſi „ non poteſt non certandi, ſaltem non conſen„ tiendi obtineat ſanitatem.] Et tract. 41. in Io. [Non ait Apoſtolus, Non ſit; ſed Non re„ gnet. Quamdiù vivis, peccatum neceſſe eſt „ eſſe in membris tuis (peccatum autem dicit „ carnis concupiſcentiam, aut quia ex peccato „ genita, aut quia peccati cauſa, dum ad pec„ catum inducit) ſaltem illi regnum auferatur; „ non fiat, quod jubet: ſurgit ira, noli dare „ iræ linguam ad maledicendum; noli dare iræ „ manum, aut pedem ad feriendum, & quæ ſeq.] In ſer. autem 43. de verbis Domini præclarè argumentatur, dum ait: [Pugna eſt; con„ cupiſcit caro adverſùs ſpiritum; delectat adul„ terium. Fateor, quia delectat. Sed & ſpiritus „ concupiſcit adverſus carnem: delectet & ca„ ſtitas. Ergò vincat ſpiritus carnem; aut cer„ tè non vincatur à carne.] Et ſer. 3. de verbis Apoſtoli. [Concupiſcentiæ carnis non „ permittant vos facere, quod vultis; nec ipſæ „ faciant, quod volunt, ut opus earum perficiatis.

Digitized by Google

„ ciatis. Si non tibi in totum ceditur, noli & „ tu cedere. Priùs æquetur pugna, ut aliquando ſit victoria.] [Etenim non concupiſcere „ omninò, ut in ſer. 5. ſubjungit, perfecti eſt; „ poſt concupiſcentias ſuas non ire, luctantis „ eſt, laborantis eſt.] Sanè ita conſuluit Eccleſiaſticus cap. 18. Poſt concupiſcentias tuas non eas. Quæ verba perpendens idem Auguſtinus ſer. 45. de tempore. [Meliùs, ait, eſt eas „ non habere: ſed quia ſunt, noli poſt eas „ ire. Nolunt poſt te ire; Noli poſt eas ire. „ Si velint poſt te ire, non erunt; quia contrà „ mentem tuam non rebellabunt. Rebellant, „ rebella; pugnant, pugna; expugnant, expu„ gna; hoc ſolùm vide te nè vincant.] S. Paulus in priore ad Cor. cap. 15. de filio Dei pronuntiavit; cùm autem ſubjecta fuerint illi omnia; tunc & ipſe filius ſubjectus erit ei, qui ſubjecit ſibi omnia. Quem locum tractans Origenes h. 7. in Levit. [Donec, inquit, ego non „ ſum ſubditus Patri, nec ipſe dicitur Patri eſſe „ ſubjectus: Non quod ipſe ſubjectione indi„ geat apud Patrem; ſed pro me, in quo opus „ ſuum nondum conſumavit, ipſe dicitur non „ ſubjectus eſſe. Quamdiu enim caro concupi„ ſcit adverſus ſpiritum, & nondum potui car„ nem, ſubijcere ſpiritui, ſubjectus quidem ſum „ Deo, verùm non ex integro, ſed ex parte. Si „ autem carnem, etiam, & omnia membra po„ tuero in conſonantiam ſpiritus trahere; tunc „ perfectè videbor eſſe ſubjectus, & quæ ſeq.]

In libro Ioſue cap. 16. Chananæum legimus primùm quidem habitaſſe cum Iudæis: at ſub tributo, non tamen obedientem: Deindè factum fuiſſe obedientem, & ſervum. Hoc de carne noſtra interpretatur idem Orig. h. 22. in eum librum. [Chananæus enim carnem ſi„ gnificat, quæ primum nobiſcum eſt, & ani„ mæ juncta, non quidem obediens, ſed mi„ niſterium agendi quidpiam exhibens. De„ indè ſi profecerimus, fit nobis ſerva, & obe„ diens animæ voluntati. Tandem quod per„ fectum eſt, exterminandus eſt Chananæus, „ & morti tradendus. Atque hoc eſt illud: „ Mortificate membra veſtra, quæ ſunt ſuper „ terram. Et illud: Qui Chriſti ſunt, carnem „ ſuam crucifixerunt cum vitijs, & concupiſ„ centijs ſuis. Quod ſi nos neglexerimus, „ veniet Pharao ex Ægypto, & accipiet locum „ noſtrum, & dabit in dotem filiæ ſuæ. Id eſt, „ captivos nos tradet legi peccati.]

Concluſio ſit, unionem hanc, & concordiam carnis, & ſpiritus ſemper à nobis procurandam eſſe atque à Deo etiam atque etiam poſtulandam: ut is & adjuvet, & confirmet ſpiritum noſtrum, ut carnem ſibi ſubijcere valeat. Quod in oratione dominica quotidiè petimus, cum dicimus, fiat voluntas tua, ſicut in Cœlo, & in terra; hoc eſt, ut in ſpiritu noſtro, ita & in carne. Sic interpretatum fuiſſe Tertullianum legimus in lib. de oratione c. 4. & S. Cyprian. in ſer. de oratione dominica, & S. Aug. in libro 50. homiliarum, h. 42. & ſer. 182. de tempore, ubi nos hortatur, ut oremus, ut fiat voluntas Dei, ſicut in cœlo & in terra; id eſt, ut conſentiat caro ſpiritui. „ [Quia non aliundè tantum dolorem habet „ humana miſeria quantum indè, quod caro „ concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus ad„ verſus carnem: ut cum Apoſtolo exclamare „ cogamur; Infœlix ego homo, quis me libe„ rabit de corpore mortis huius?] Sed & in li„ bro primo de ſerm. Domini in monte cap. 2. Eodem intellectu accipiendum putat illud; Beati pacifici; quoniam filij Dei vocabuntur. „ [Qui, inquit, omnes animi motus compo„ nentes rationi ſubijciunt, carnales concupiſ„ centias habentes edomitas; ut & ratio ſubij„ ciatur Deo.] Quemadmodùm, & Origenes tract. 6. in Matthæum illud etiam quod dixit Dominus: Si duo ex vobis conſenſerint ſuper terram &c. primum quidem de coniugibus interpretatur, ut orationi vacent; deindè, & de conſenſu carnis, & ſpiritus. Verè enim hæc conſenſio, & quies hominis optima eſt ad orationem diſpoſitio. At locus poſtulat, ut & de mortificatione dicamus, qua & caro ſpiritui, & anima Deo ſubijciatur.

Matt. 6. *Matt. 6.* *Matt. 18.*

DE MORTIFICATIONE VNIVERSE
LIBER VNDECIMVS.

CAPUT I.
Duplici nobis opus eſſe mortificatione.

VT non ſolùm Temperantiæ virtutem, ſed & cæteras omnes tibi compares, comparataſque conſerves, magnoperè tibi opus eſt, & carnis, & animæ perturbationum caſtigatione, quam mortificationem appellamus. Veriſſimè ſanè dictum fuit à Sapiente, Eccl. 7. Deus ab initio fecit hominem rectum, & ipſe infinitis miſcuit ſe quæſtionibus. Conſtat enim ille anima, & corpore; habetque anima duplicem partem, ſenſualem, & rationalem, inferiorem, & ſuperiorem; alteram cum belluis communem, alteram cum Angelis. Quam ob cauſam S. Baſil. lib. de vera virginitate, hominem dixit, velut

Homo Centaur.

Cen-

Digitized by Google

Centaurum à Deo fuiſſe factum; ſuperiori parte à capite uſque ad pectus humanâ formâ & reliquo corpore ab umbilico, & lumbis, equina effigie. Sed ita creavit illum Deus, ut in ſtatu innocentiæ, originalis juſtitiæ beneficio, ſumma frueretur pace, omnibus optimè ordinatis, atque compoſitis. Nam caro obediebat animæ, parſque animæ inferior ſuperiori, atque hæc demùm creatori Deo. At peccante homine, originalique juſtitia ſpoliato, ut ipſe Deo non obedivit, ſic pars animæ illius inferior adverſùs ſuperiorem, & caro adverſùs ſpiritum rebellavit; totaque hæc noſtra reſpublica turbata eſt. Nec ſolùm gratuitis donis fuit homo privatus; ſed in naturalibus item vulneratus, quia non ſolùm gratiâ, & originali juſtitia ſpoliatus eſt, ſed & intellectus obſcuratus, liberum arbitrium infirmatum, voluntas ad bonum debilis facta, appetitus ſentiens fortis ad malum, imaginatio inquiëta, ſenſus curioſi, tota demùm natura vitiata. Ita homo à Deo factus rectus, infinitis ſe miſcuit quæſtionibus. Nam & caro concupiſcit adverſùs ſpiritum, & ſpiritus adverſùs carnem, & aliam in membris noſtris ſentimus legem, repugnantem legi mentis noſtræ.

Peccati ruina.

Fomes peccati.

Baptiſmi ſacramento tollitur originale peccatum, & verò in adultis etiam actuale. At hæc rebellio fomeſque peccati non tollitur, ut ſuperius dictum eſt. At nullum majus impedimentum virtutis, nulla major peccati ſeges, quam duplex hæc rebellio carnis adverſùs ſpiritum, & inferioris animæ partis adverſùs ſuperiorem. Pauci de his hoſtibus reportant victoriam, ſuccumbunt plurimi. Undè in pſal. 13. dicitur: Omnes declinaverunt; ſimul inutiles facti ſunt, non eſt, qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum. Et Iob. c 14. Quis poteſt facere mundum, de immundo conceptum ſemine? Uterque hoſtis nobiſcum natus, nobiſcum educatus. Quoniam & in iniquitatibus concepti ſumus, pſ. 50. Et alienati ſumus peccatores à vulva, erravimus ab utero, pſ. 57. ac demùm ſenſus, & cogitatio humani cordis, ut dicitur Gen. 8. in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua.

Mortificatio duplex.

Ergò ut duplex eſt rebellio, una carnis, altera ſenſus; itá duplicem nobis neceſſariam mortificationem eſſe veteres monuerunt Patres optimi morum magiſtri, S. Io. Chryſ. h. 4. in epiſtolam ad Epheſ. Eſt ſanè mortificatio una quidem corporis; eſt & altera animæ, ſeu perturbationum animæ, ut S. Emiſſenus loquitur in h. 2. S. Aug. in ſer. 20. de Sanctis duplicem abſtinentiam, duplicemque crucem appellat; alteram carnis, alteram animæ. [Duo, „ inquit, ſunt abſtinentiæ, & crucis genera; „ unum corporale, aliud ſpiritale. Unum „ à potu, atque epulis temperare, appetitum „ gulæ à delectationibus, & molliſſimis ſuavi„ tatibus coërcêre ab his, quæ per tactum, „ & guſtum, viſumque decipiunt, ſenſum viri„ liter revocare, ac violenter abſtrahere. Al„ terum abſtinentiæ, & crucis genus eſt pre„ tioſius, atque ſublimius; motus animi re„ gere, & perturbationes illius modeſtiæ tran„ quillitate placare, iræ, ac ſuperbiæ impetus, „ quaſi feram beſtiam refrænare; litigare quo„ tidiè contrà vitia ſua, increpare ſe quadam „ cenſurâ auſteritatis, & virtutis, & rixam quo„ dam modo cum homine interiore conſerere.] Quod exemplo viſus expoſuit S. Bern. in libro de converſ. ad clericos capite 25. [Ut enim „ corporeus in nobis viſus, aut humore interio„ re, aut exterioris injectione pulveris impedi„ tur; ſic & intuitus ſpiritualis interdum qui„ dem propriæ carnis illecebra, interdùm cu„ rioſitate ſæculari, & ambitione turbatur.]

CAPUT II.

Mortificatio quid, & quàm neceſſaria.

MORTIFICATIONEM autem dicimus, non omnimodam internecionem, & mortem: nam neque penitùs diſſolvenda eſt caro, quam neceſſe eſt ſpiritui famulari; neque animæ perturbationes omninò poſſunt evelli, ſine quibus non licet vivere. Sed & caro, & perturbationes itá domandæ ſunt, ac ſubjugandæ, ut virtutis actionem non impediant, nequè adverſùs rationem rectam inſurgant. Hûc mihi videtur illud epicteti pertinêre; ſuſtine, & abſtine: Alterum enim ad carnis edomationem pertinet; ſuſtine labores, & afflictiones carnis, jejunia, vigilias, flagellationes. Alterum ad perturbationum moderationem; & abſtine ab illicito omni perturbationum uſu. De utroque itá dicam, ut primùm mortificationis neceſſitatem, atque utilitatem univerſè oſtendam. Deindè difficultatem exponam. Poſtremò de utraque ſeorſim agam.

Quod ad primum attinet; Hûc illud pertinet, quod de inſita in nobis rebellione dictum eſt. Propter quam S. Baſilius in ſer. de abdicatione rerum. [Nè putes, inquit, eos omnes „ fieri ſalvos, qui ſe intra cellas ſuas contineant. „ Nam ſunt quidem multi, qui ad honeſtæ vi„ tæ genus ſe conferunt; rariſſimi autem, qui „ ipſius jugum ſuſcipiant. Violentorum eſt e„ nim regnum cœlorum, & violenti rapiunt il„ lud. Violentiam autem appellavit aſſiduam, „ & acrem corporis in laboribus fatigationem „ nullius impulſu, ſed ſua ſponte ſuſceptam.] Et S. Auguſt. in ſer. paulò antè citato. [Novi„ mus, inquit, quia familiariter mens humana „ in diverſis hujus mundi illecebris, & concupi„ ſcentijs devicta, fugit laborem, expetit volup„ tatem, & vix adducitur, ut conſuetudinem à ſe

Mortificatio neceſſaria.

Matt. 11.

Digitized by Google

„ à ſe vitæ prioris excludat: Sed cùm cœperit „ cogitare ultimi diei neceſſitatem, ac futuri „ judicij pondus, incitata, & ſtimulata vel ſpe „ præmij, vel timore ſupplicij; voluntarium „ bellum indicit paſſionibus,& vim facit priſti- „ nis ſuis deſiderijs, & violenter ſe vincere ipſa „ contendit. Non enim ſinè violentia fieri po- „ teſt, ut de abundantia, & delitijs ad famem, „ & ſitim,ad abſtinentiam,& crucem tranſeat; „ ut ſomno priùs, atque otio amicam carnem „ contritione,vigilijſq;conficiat.Non,inquam, „ ſinè violentia fieri poteſt; ut unuſquiſque „ iracundiam patientiâ, ſuperbiam humilitate „ commutet; amore paupertatis divitiarum af- „ fluentiam ſuperet, vinolentiam ſobrietate, „ luxuriam caſtitate condemnet; & homo ſu- „ bitò in virum transformetur perfectum, & „ quodammodo alter reddatur ex altero; ac „ ſic à talibus per violentiam regnum cœlorum „ diripitur.]

Ex ſacris hiſtorijs ſumere licet exemplum, & ſumpſit S. Bern. in tract. de ordine vitæ,& morum inſtitutione. [Sexcenta enim arma- „ torum millia de terra Ægypti educta ſunt,& „ duo ſolùm, Ioſuë, & Caleb, terram promiſ- „ ſionis ingreſſi. Ità ex magna multitudine ho- „ minum, qui ſæculum deſerunt,rari valdè in- „ veniuntur, qui mortificatis vitijs contendant „ ad perfectionem virtutum.] Non in pluribus eorum beneplacitum eſt Deo, dixit Paulus 1. Cor. 10.

Matt. 4. Sed S. Juſtinus q. 20. ad ortodoxos, cùm piſcatores piſces capiant ad mortem, quærendum putavit, cur Apoſtolos Chriſtus vocans, ut homines ad æternam adducerent vitam, promiſit ſe eos facturum piſcatores hominum: eamq; reſpondit fuiſſe cauſam, quoniam eos oportebat mori ab anteriori vita; quod nimirùm mortificatione aſſequuntur. Hoc eſt illud Matt. 18. Niſi efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum: Quod Origenes tr. 5. in Matthæum, de utraque mortificatione interpretatus eſt: carnis quidem, & carnalium concupiſcentiarum, ut fias ſicut puer; qui muliëbria nondum tentavit, nec ſenſit motus viriles: cæterarum verò perturbationum, quia nulla paſſio cadit in pueros, antequàm abſolutè incipiant loqui, uſquè ad tertium, & quartum annum. Adde & graviſſimam illam Chriſti comminationem; Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei, Ioan. 3. Quem locum adjecto quoque exemplo motus reflexi: qui interjecta eget quiëte, ità interpretatus eſt S. Baſilius in libro de Spiritu Sancto ad Amphilochium c. 15. [Eum, qui „ alteram vitam incepturus eſt, oportet priori „ vitæ finem imponere. Ut enim in ijs, qui „ poſtquàm ad ſtadij finem pervenerunt, ſeſe „ reflectunt; & priuſquàm in contrarium mo- „ veantur, conſiſtunt pauliſper, & requiem „ aliquam interponunt: ſic & in mutatione vi- „ tæ neceſſarium eſt,ut mors inter priorem vi- „ tam & poſteriorem intercedat;quæ & præce- „ dentem finiat, & initium det ſecuturæ. Hoc „ eſt naſci ex aqua,& ſpiritu: quaſi mortificatio „ fiat in aqua, vitam verò operetur ſpiritus.] Ità Baſilius mortificationem docet inter has duas vitas, velut duos motus contrarios, quorum alter ad perditionem ducit, alter ad ſalutem,& gloriam ſempiternam,intercedere velùt quietem mediam oportére. Nam & immerſionem in aquam in baptiſmo mortem,& ſepulturam ſignificare veteris hominis,& anteactæ vitæ,veteres omnes Patres tradiderunt. Adnotavit etiam Philo Judæus in libro de Cherubin,& flammeo gladio; Iſaäc fœlicitatis filium deſinentibus muliëbribus fuiſſe natum. Emortuis enim affectibus ſuccedit gaudium. Et Origenes h. in librum Regnorum. Non potuiſſe naſci filium Annæ,niſi Phenennæ filij præceſſiſſent; neque ſi mortificatio non præceſſerit, gratiam ſpiritus nos mereri. Et rurſùm h. 1. in Exodum. [Sicut mortuo Ioſeph multiplicati ſunt „ filij Iſraël Ex. 1. & impleverunt terram; ità „ ſi in nobis moriatur Ioſeph, & mortifica- „ tionem Chriſti in corpore noſtro ſuſcipia- „ mus; multiplicabuntur in nobis ſenſus boni, „ & ſpirituales, & virtutum numerus augebi- „ tur.] Et S. Hieronymus in ep. 142. ad Damaſum, quamdiù vixit Ozias rex, Iſaias non vidit viſionem illam, quæ c. 6. narratur; atquè dùm vixit Pharao, populus Iſraël luti,& palearum opere preſſus non ſuſpiravit ad Dominum; nemo quæſivit Dominum, & mortuo Phaltia Ezech. 11. Propheta clamavit ad Dominum. Itaquè regnante in nobis perturbatione, & rebellante carne, non ſumus ſpiritualium, ac divinarum rerum capaces.

Deutoronomij 5. præcepit Deus filijs Iſraël; Facite mihi ſanctuarium, & ego habitabo in medio veſtri. Primùm igitur, ait S. Bern. in libro de interiori domo c. 6. [Studeat unuſ- „ quiſque, nè diffideat ipſe à ſeipſo; quoniam „ omne regnum in ſeipſum diviſum deſolabi- „ tur,& domus ſuprà domum cadet:nec intrabit „ Chriſtus,ubi pariëtes inclinati fuerint,& ma- „ ceriæ depulſæ.] Et S. Auguſt. in libro qq. in Geneſim q. 50. Abraham notat, nec die, qua natus eſt filius Iſaäc, nec qua circumciſus, ſed qua ablactatus eſt, epulum feciſſe, ut narratur Gen. 21. Quia tunc debet eſſe magnum gaudium ſpiritualis ætatis, quando fuerit factus homo novus ſpiritualis, cui non ſit opus lacte. Et libro 1. qq. Evangeliorum q. 2. Quod diſcipuli Matt. 12. vellebant ſpicas, ut manducarent, & manibus fricabant, hoc, ait, fuiſſe. Mortificate membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram; quia nemo tranſit in corpus Chriſti, niſi carnalibus expoliatus; quemadmodùm

Digitized by Google

modum illi frumenta ſpoliabant, ut illis nu-
trirentur. Undè illud Apoſtoli; Exuite vos
veterem hominem. Et alibi; Circumciſione
non manufacta in expoliationem carnis. Sed
& Origenes h. 1. in Gen. illud conſiderat, quod
in mundi molitione narrat Moyſes, ſegrega-
tis aquis apparuiſſe aridam, quam Deus ap-
pellavit terram. [Si enim nos, inquit, non labo-
,, remus congregare aquas, quæ ſub cœlo ſunt,
,, id eſt carnalia opera; & proijciamus à nobis,
,, arida noſtra non apparebit nec procedet, ad
,, lucem, neque vocabitur terra, hoc eſt fructum
,, Deo ferre non poterit. Appellavit enim ari-
,, dam terram, hoc eſt facultatem ferendorum
,, fructuum dedit.] Neque credas, temerè, aut
laſciviente animo factum, ut Abrahàm ſenex
Cethuram acceperit uxorem, ut dicitur Gen.
25. Namque Orig. h. 11. in Gen. Eo facto no-
bis ſignificari ſcripſit, mortificatum jam ho-
minem ſapientiæ magis eſſe capacem. [Abra-
,, ham, inquit, jam ſenex 137. annorum Ce-
,, thuram accepit uxorem, quia major ad
,, ſapientiam ſenſibus noſtris capacitas ineſt,
,, quando mortificatio Chriſti circumfertur in
,, corpore noſtro mortali.] & rurſùm; [Quan-
,, tò plùs carne quis feſſus eſt, tantò erit animi
,, virtute robuſtior, & ſapientiæ complexibus
,, aptior.] Et libro 4. in epiſtolam ad Rom. cùm
Abrahæ corpus dixiſſet Apoſtolus emortuum,
antequàm Iſaäc filium procrearet. [Abraham,
,, inquit, centum annorum emortui corporis
,, eſſe dicitur, deq; prole deſperaverat: & tamen
,, poſt multos annos, mortuâ jam Sarâ, acce-
,, pit Cethuram uxorem, & ſeptem liberos pro-
,, creavit: quoniam non infirmitate ætatis e-
,, mortuum dicitur fuiſſe corpus Abrahæ, ſed
,, mortificatione membrorum. At ubi audivit
,, tantam poſteritatis ſpem, & ſobolis ſuæ glo-
,, riam cœlo, & ſyderibus exequendam, non
,, aſpexit ad propria bona, ad continentiæ gra-
,, tiam, ad membrorum mortificationem; ſed
,, hæc omnia quæ ſibi lucra ducebat, arbitra-
,, tur detrimenta, ut Chriſtum lucrifaciat.] Si-
mile eſt, quod tertio Reg. 1. Davidi jam ſeptua-
genario quæſita dicitur adoleſcentula Abiſag
Sunamitis, quæ cum rege dormiret, & ſenile
corpus calefaceret. Nam S. Hieronymus in
ep. ad Nepotianum ſapientiam interpreta-
tur, quæ in ſenibus frigidis, ac mortificatis
maximè viget: non item in juvenibus, ac ro-
buſta magis, calenteque ætate.

Hinc in ſer. 3. de aſcenſione Domini S.
Bern. cur ſpiritualia, & cæleſtia minùs gu-
ſtemus, hanc voluit eſſe cauſam; quia minùs
mortificationi ſtudemus. Sic enim loquitur:
,, [Sunt multi inter vos, qui de uno pane come-
,, dunt nobiſcum, dormiunt nobiſcum, cantant
,, nobiſcum, laborant miſeri, & miſerabiles, ut-
,, potè focij tribulationis; ſed conſolationis non
,, ita. Hi ſi diù ità perſeveraverint ſub onere,
,, aut opprimuntur, & ſuccumbunt, aut quo-
,, dam modo in inferno ſunt: ut numquàm ad
,, plenum reſpirent in luce miſerationum Do-
,, mini, nec in libertatem ſpiritus quæ ſola fa-
,, cit jugum ſuave, & onus leve. Indè autem
,, tam pernicioſa tepiditas emanat; quia affe-
,, ctus, id eſt, voluntas eorum, nondùm purgata
,, eſt; nec bonum ſic volunt, ſicut noverunt, à
,, propria concupiſcentia abſtracti graviter, &
,, illecti. Amant enim in carne ſua terrenas
,, conſolatiunculas, ſive in verbo, ſive in ſigno,
,, ſive in facto, ſive in aliquo alio: etſi hæc in-
,, terrumpuntur aliquando, non tamen penitùs
,, rumpuntur &c. Implêri enim viſionibus Do-
,, mini anima non poteſt, quæ his diſtractioni-
,, bus ſubjacet. Quia ubi vaſa vacua non in-
,, venit, oleum ſtare neceſſe eſt. Si Apoſtoli ad-
,, huc carni Dominicæ inhærentes, quæ ſola
,, ſancta, Spiritu Sancto replêri nequiverunt,
,, donec tolleretur ab eis: tu carni tuæ, quæ ſor-
,, didiſſima eſt, aſtrictus, & conglutinatus, illum
,, meraciſſimum ſpiritum te putas poſſe ſuſci-
,, pere niſi carneis iſtis conſolationibus fundi-
,, tùs renuntiaveris?] Ita & S. Euſebius Emiſſ.
h. 3. de Epiphania; [Inquantum te à terrenis
,, abſtraxeris, intantum te cœleſtibus inſinua-
,, bis: & quantum à vitijs receſſeris, tantum vir-
,, tutibus propinquabis; quia abdicatio cri-
,, minum adeptio meritorum eſt.] Et h. 4. ad
monachos. [Anima, quæ per concupiſcentiam
,, ſæcularium voluptatum poſſeſſio efficitur
,, mundanæ converſationis; non poteſt effici
,, regnum divinitatis.]

Propterea Daniëlem, ait S. Greg. Papa lib. 30.
mor. c. 9. à regijs cibis abſtinuiſſe, ut divinas
revelationes poſſet accipere. [Daniël, inquit,
,, vir deſideriorum pro cognationis internæ
,, concupiſcentia dictus, à cibis regiis abſtinuit,
,, & carnis deſideria edomuit, & duriora, ac
,, aſperiora cibaria prætulit, ut dùm ſibi exte-
,, rioris cibi blandimenta ſubtraheret, ad interni
,, pabuli delectamenta perveniret, & tantò avi-
,, diùs guſtum ſapientię intùs acciperet, quantò
,, ſaporem carnis foris robuſtiùs repreſſiſſet.]

Deutoronomij 22. Lex viro prohibuit, nè
muliebrem indueret veſtem; [Vult enim (in-
quit Clemens Alexandrinus libro 2. ſtrom.)
,, nos eſſe viros; & nec corpore, nec factis, nec
,, mente, nec verbis effœminari.] Item c. 24.
,, [Immunis eſt à militia, qui domum à ſe nu-
,, per ædificatam nondum habitavit, aut vitem
,, nuper plantavit, & fructum nondùm percepit,
,, aut deſponſæ virgini nondùm nupſit. Nè
,, dum avellimur à cupiditatibus ignavo ani-
,, mo demus operam militiæ.] Moyſes verò
cùm exiret de terra Ægypti, calceamenta de Ex. 3.
pellibus mortuis habebat, velut quadam mor-
talitate conſtrictus; Quemadmodùm ratioci-
natur Origenes h. in librum Regnorum. [Cùm
autem cœpit ad virtutem proficere, & aſcen-
dere

Digitized by Google

,, dere ad montem Dei; tùm dicitur ei, ut ſol-
,, vat calceamenta, hoc eſt indicia mortali-
,, tatis abijciat, quæ in calceamentis pelliceis
Luc. 8. ,, deſignantur. Ideò & Apoſtolis Chriſtus præ-
,, cepit, nè haberent calceamenta in pedibus:
,, ut qui currebant ad annuntiandam vitam æ-
,, ternam, omni carerent mortalitatis indicio.] In eandem ſententiam S. Greg. Nazian. or. 2. in Paſca; [Qui terram ſanctam, ac divinis
,, veſtigijs impreſſam contacturus eſt, calcea-
,, menta ſolvat; Quemadmodùm Moyſes in
,, monte: ut nihil mortuum ferat, nec inter De-
,, um, & homines intermedium. At, qui Æ-
,, gyptum, ac res Ægypti fugit, calceos ſumat,
,, ut tutus ſit cùm ab alijs rebus, tùm à ſcorpijs,
,, & ſerpentibus, quos permultos nutrit Æ-
,, gyptus.]

Sed omittendum non eſt id, quod libro item decimo dictum eſt, & obſervavit Origenes h. 2. in Exodum. Conſiderans enim illud, quod c. 1. illius libri legitur, præceptum à Pharaone fuiſſe, ut Hebræorum maſculi, qui naſcebantur, interficerentur omnes, fæminæ ſervarentur; hominem obſervat mortificationis omnis inimicum graviſſimum. [Præcepit, in-
,, quit, Rex Ægypti, mares necari, fœminas re-
,, ſervari. In fœminis caro, & affectus carnis
,, deſignantur: mas autem rationalis ſenſus, &
,, ſpiritus eſt. Hunc odit Pharao, & princeps
,, Ægypti, necari cupit, & interimi, cupit au-
,, tem quæcumque carnis ſunt, vivere, augêri,
,, & excoli. Cùm ergo videris homines in vo-
,, luptatibus, & vitijs vivere, in iſtis ſcias, quòd
,, Rex Ægypti maſculos necat, & vivificat
,, fœminas. Contrà ſi quem videris ad Domi-
,, num converti, oculos ſurſùm erigere.] Iſtum quaſi maſculum necari cupit Pharao perſequitur, inſectatur. Et S. Hier. in Com. ad caput 3. Nahum Prophetæ. [Iuſſit Pharao mares He-
,, bræorum proijci in flumen; fœminas educa-
,, ri. Neque enim poterat Rex Ægyptius, qui
,, Ezech. 29. dicit: Mea ſunt flumina, & ego
,, feci ea; aliud jubêre: ut omne forte, & vi-
,, rile mittatur in aquas, & deferatur in mare:
,, & quidquid molle, & formoſum adoleſcat,
,, & generet. Simulq; conſidera, quòd viros,
,, & qui egreſſi ſunt de infantia, non poſſit
,, occidere; ſed quorum ætas adhuc tenera eſt,
,, & molle corpus, & profectus incipiens. Scit
,, non poſſe nutriri fœminas, niſi interfecti
,, fuerint maſculi.]

Cæterùm ut vetus tabernaculum ſagis, & corio purpureo voluit Deus ornari; ſic & novum Eccleſiæ tabernaculum maceratione carnis, atque affectuum moderatione plurimùm exornatur. [Saga, inquit S. Greg. Nyſſenus
,, in libro de vita Moyſeos, ex pilis adornatum
,, tabernaculi pertinentia, & corium purpu-
,, reum, accommodatè intelliguntur: Si pro
,, corio mortificatio carnis, pro ſagis ſtrictior
,, vivendi norma, & quaſi durior intelligatur.
,, His maximè Eccleſiæ tabernaculum exorna-
,, tur.] Et David in pſ. 150. nos hortatur, ut in tympano, & choro laudemus Deum. Tympanum, quod ex mortua pelle, multùmq; percuſſa, & verberata conſtat, carnis mortificationem ſignificat; & chorus, qui conſonantia, & concordia multarum vocum, perturbationum, & affectuum animæ moderationem, & concordiam. Ita & S. Proſper interpretatus eſt. Et S. Chryſ. h. 22. ad populum, & ex parte S. Io. Damaſcenus or. 2. de B. Mariæ aſſumptione. [Cùm Maria, inquit, propheti ſſa ad-
,, hibitis tympanis choreas agitemus; hoc eſt,
,, membra, quæ ſunt ſuper terram, mortifice-
,, mus: hoc enim tympanum myſticè ſignifi-
,, cat.] Conſideremus & nos admirabilem illam ſcalam, quam vidit Iacob Gen. 28. Ea duo habebat latera, quibus ſuſtentabatur, ut aſcendere per illam Angeli poſſent, & deſcendere. Duo hæc latera S. Bern. ſer. in ea verba. Ecce nos reliquimus omnia, vilitatem interpretatur, & aſperitatem, hoc eſt gloriæ contemptum, & afflictionem carnis; hanc, inquam, duplicem, quam tractamus, mortificationem.
,, [Uni tantùm, ait ille, lateri innitentis peri-
,, culoſus nimis aſcenſus & proximus eſt rui-
,, næ. Longè horribilius eſt periculum, ſi quis
,, fortè caſtigans corpus ſuum, inveniatur mi-
,, nùs reſiſtens gloriæ deſiderio; minùs ſolidæ
,, humilitatis habens, & quæ ſeq.] Eodem intellectu accipias illud Cant. 5. Manus meæ diſtillaverunt myrrham. [Per manus enim (ait
,, idem Bern. in libro de modo benè vivendi ad
,, ſororem c. 16.) operationes Sanctorum in-
,, telligimus, per myrrham mortificationem
,, carnis, & vitiorum. Manus ergò Eccleſiæ,
,, id eſt, ſancti homines bona operantes, myr-
,, rham bonorum operum ſtillant: quia nobis
,, exempla benè vivendi demonſtrant, & ut vi-
,, tia carnis mortificemus, prædicant.] Et cùm dixiſſet Sponſa; Surrexi ut aperirem dilecto meo; Manus meæ diſtillaverunt, myrrham appoſitè adnotavit S. Nyſſenus h. 12. illum demùm eſſe aptum ad aperiendum oſtium Chriſto, qui in manibus myrrham, hoc eſt, mortificationem habet.

Verè maledictio illa, quâ Deus maledixit terræ, Gen. 3. ſpinas, & tribulos germinabit tibi; ad nos omnes pertinet; quemadmodùm adnotavit S. Auguſt. lib. 2. de Gen. contrà Manichæos c. 20. [Et qui agrum ſuum non colue-
,, rit, & ſpinis opprimi permiſerit, habet in hac
,, vita maledictionem terræ in omnibus operi-
,, bus ſuis, & poſt hanc vitam habebit vel ignem
,, purgationis, vel pœnam æternam.] Sed ut terra ſubindè ſpinas, & tribulos germinat; ità ſemper in ea purganda nobis eſt deſudandum.
,, [Semper adverſùs paſſiones corporis (inquit
,, S. Ambroſ. lib. 2. de Abraham c. 8.) mens no-
ſtra

Digitized by Google

„ ſtra tanquàm in excubijs debet prætendere.] Æmulari debemus id, quod factum legimus 1. libro Regum cap. 15. ubi Samuël juſſit ad ſe adduci Agag Regem Amalec, cui pepercerat Saül contrà præceptum Domini: & oblatus eſt ei Agag pinguiſſimus (ſenſualitatis noſtræ typus) & in fruſta concidit eum Samuël coram Domino. Quem locum tractans S. Greg. Papa lib. 6. in primum Regum cap. 2. „ [Agag, inquit, Rex Amalech, id eſt, ſpiritus „ fornicationis, tunc interficitur; quando ita „ mortificatur, ut carnem turpiter movêre „ non poſſit. Sed interfecti cadaver integrum „ eſt, quando motus remanet, libido non re- „ manet. Quod ipſum electorum mentes gra- „ viter tolerant, cùm regis mortui integrum „ cadaver portant. In fruſta autem concidi- „ tur; quia nec ipſi naturali motui relinquere „ vigorem volunt. Aut in fruſta concidit; quan- „ do cogitationes immundas ità diſpergit, ut „ unam alteri cohærêre non permittat. Sunt „ enim veluti carbones ignis, qui ſimul juncti, „ magnum ignem faciunt, diſperſi parum poſ- „ ſunt.] In libro Ioſuë c. 16. Chananæus dicitur primùm habitaſſe cum Iudæis, ſed ſub tributo; non tamen obediens: deindè factus eſt obediens, & ſervus. Quod ità interpretatur Origenes h. 22. in Ioſ. [Chananæus carnem „ ſignificat, quæ animæ, & ſpiritui juncta, pri- „ mò quidem non eſt obediens, ſed miniſte- „ rium agendi exhibet. Deindè ſi profeceri- „ mus, fit obediens, & ſerva. Tandem quod per- „ fectum eſt, exterminandus etiam eſt Chana- „ næus, & morti tradendus.] Hoc eſt illud: Mortificate membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram: & qui Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs, & concupiſcentijs ſuis.

CAPUT III.

Quàm utilis.

SPONSÆ pulchritudo in Cant. c. 6. maximè commendatur, quòd comæ capilli capitis ſint ſicut greges caprarum. [Coma, inquit S. „ Nyſſenus h. 7. & 15. in Cant. eſt ornamen- „ tum capitis, 1. Cor. 11. ſed capillus caret ſen- „ ſu: carêre autem ſenſu, mortuis eſt peculiare. „ Quarè qui nihil eorum, quæ in mundo fiunt, „ & æſtimantur, ſentit, is eſt hæc ſponſi coma „ tantoperè laudata. Fit autem mentio capræ; „ quòd per ſaxa ſinè pedum offenſione incedat, „ & circà vertices montium verſetur, & præ- „ rupta, & difficilia fidenter incedat: quod ijs „ convenit, qui aſperam virtutis viam incedunt, „ & mortificationi ſtudent.] Laudatur etiam ſponſa Cant. 1. quòd ſit ſicut pelles Salomonis. „ [Salomon, inquit S. Greg. Papa, Chriſtum „ ſignificat; ſancti verò, qui ad imitationem „ Chriſti ſe mortificant, pelles Salomonis di- „ cuntur; & ideò formoſi, ſicut pelles Salomo- „ nis, quatenùs Chriſtum imitantur, & illius „ pulchritudini ſe jungunt.] Itaquè quod dicit Paulus 1. Cor. 7. Nos autem Chriſti mentem habentes, ita accepit S. Nazian. in ep. 2. ad Cledonium; ut quod de mente dicitur, de carne quoque dicere liceat. Et qui mentem ſuam ad Chriſti mentis imitationem purgârunt, mentem illius habêre dicantur: ſicut & illi carnem Chriſti habêre dici poſſunt, qui carnem diſciplinâ frænârunt. Hi nimirùm ſunt, de quibus dici poteſt; Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. *Mat. 6.* Summa enim & carnis, & ſpiritus pace fruuntur. [Opinor (ait S. Nyſ- „ ſenus in libro de beatitudinibus) propriè pa- „ cificum appellari, qui eam, quæ intrà ipſum „ eſt, ſeditionem carnis, & ſpiritûs, atq; inteſti- „ num naturę bellum, ad pacificam concordiam „ & conſenſum adducit: ubi corporis lex legi „ mentis non repugnat, ſed ſubjugata divino- „ rum præceptorum miniſtra exiſtit.]

Nihil verò tam expetendum dixit S. Nazian. in or. 3. de pace, quàm ut animi quis pace fruatur, affectibuſque imperet. Huic interprete S. Ambroſio lib. 7. in Lucam, promiſit Chriſtus quidquid petierit, cùm dixit; Si duo ex vobis conſenſerint, anima ſcilicet, & corpus mortificationis hujuſce beneficio, quidquid petierint, fiet illis à Patre meo. Hoc eſt, quod Chriſtus admonuit, Matt. 5. Eſto conſentiens adverſario tuo, dùm es in via cum eo; in hac ſcilicet vita, adverſarius enim animæ eſt corpus, & ſpiritui adverſantur caro, & ſenſus; quia caro concupiſcit adverſùs ſpiritum, & ſpiritus adverſùs carnem. Redigantur ergò, & caro, & ſenſus in ſervitutem, atque concordiam cum ſpiritu per mortificationem. Ad hunc ferè modum ratiocinatur S. Athanaſius in q. 61. ad Antiochum.

Id verò ſummam animæ adjungit pulchritudinem, eamque facit Deo gratiſſimam. Cur enim credas Cant. 1. Myrrhæ faſciculo ſponſam tantoperè delectatam? ut dicat: Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur. Nimirùm ut exponit S. Greg. Papa quoniam myrrha carnis mortificationem, & faſciculus collectionem virtutum omnium adverſùs inordinatos omnes affectus ſignificant. [Mortuorum corpora, „ inquit ille, myrrhâ condiuntur nè putreſ- „ cant: Myrrham verò corporibus, nè putreſ- „ cant, adhibemus; dum membra noſtra per „ mortificationem à putredine luxuriæ reſtrin- „ gimus: nè ſi ea ſine condimento dimiſerimus, „ diſſoluta putredine eſcam vermibus æternis „ faciamus. At non myrrham, ſed faſciculum „ myrrhę dilectum nominat. Quia dum Chriſti „ vitam ex omni parte conſiderat, contrà om- „ nia vitia ex ejus imitatione repugnantes vir- „ tutes congregat, ex quibus ſimul faſciculum

O myrrhæ

Digitized by Google

„ myrrhæ aptat, quo carnis ſuæ putredinem „ ſempiternam abſtergat.]

Energumeni pater illi, Mar. 9. conquerebatur olim, quòd nequam ille ſpiritus frequenter filium in ignem, & in aquam miſiſſet. At nos omnes eandem ob cauſam conqueri poſſumus: quippè per ignem iram, & per aquam voluptates carnis intellexit S. Aug. in libro 1. qq. Evangelicarum q. 22. Deniquè omninò prohibuit Chriſtus diſcipulis ſuis, atque ſectatoribus, nè duas haberent tunicas: alteram ſcilicet veteris hominis, alteram novi, inquit Origenes h. 23. in Lucam. Propterea monuit Apoſtolus Colloſſenſes cap. 3. ut expoliarent ſe veterem hominem, & induerent eum, qui ſecundùm Deum creatus eſt. Expoliat autem mortificatio, & induit exercitatio virtutum, quæ mortificationem conſequitur imitatione Chriſti. [Moriendum enim eſt inferiori naturæ; ut vera vita „ Chriſtus manifeſtetur in nobis.] Ait S. Greg. Nyſſenus h. 9. in Cant.

Matt. 10.

CAPUT IV.

Exemplis mortificatio docetur.

Mortificationis exempla.

IAm verò hæc non ſolùm docuerunt Sancti Patres; ſed pluribus quoque exemplis, & argumentis confirmârunt. Ac primum ex medicorum arte, & curatione ductum eſt. Hoc uſus eſt S. Baſilius in com. pſ. 61. Medici enim non priùs dant medicinas ſalutares, quam vomitu materiam morbi cauſam evacuent. Idem, & in animarum curatione præſtandum eſt, optimèq; præſtat mortificatio. Itaque in regulis fuſiùs diſputatis 55. inter cætera inculcat ex corporis curatione curationem animi diſcendam eſſe: Qui verò corpus curat, eum ab ijs, quæ obſunt, declinare oportêre, atque utilia procurare. Et in regulis brevioribus 35. [Idioma, inquit, „ quodvis, aut artem neminem poſſe dediſcere, qui non ſe prorſus removerit, non modo à „ faciendis, & loquendis rebus illis, quæ ſint ex „ arte illa, & idiomate: ſed ab audiendis etiam, „ qui loquantur, & qui faciant aſpiciendis. Ita „ enim & in vitijs animi curandis agendum eſt.] Et reg. 237. oportêre omninò ſervare ordinem à Chriſto nobis præſcriptum. Si quis venit ad me, abneget ſemetipſum, & ſequatur me. [Niſi enim illud priùs aſſecutus fuerit, „ ut ſe ipſum abnegaverit multa inveniet ad ſequendum impedimenta.]

Ad medicorum item artem, corporumq; curationem ſpectat illud S. Greg. Nyſ. h. 6. in Eccleſiaſten. [Lumbrici enim inquit ille, & ſimi„ lia animalia ex malis humoribus in nobis ge„ nita, ſi viva relinquantur, eorum vita eſt mor„ bus corpori: ſi occidantur ſanatur ægrotus. Ita „ perturbationes in anima, ſi vivæ nutriantur.]

Tertium ex eodem capite argumentum ducit S. Bernard. in libro de converſ. ad clericos cap. 25. [Non eſt ſatis, inquit, ex vulnere „ corporis extraxiſſe ferrum, ut ſanatum dica„ tur corpus: opus eſt adhibêre fomenta mul„ ta, & medicamenta. Nemo ergò ſentinam „ eijciens peccatorum munditum ſe protinùs „ arbitretur. Noverit ſe multis purificationi„ bus egêre: nec modo lavandum aqua, ſed & „ purgandum igne; ut dicat, tranſivimus per „ ignem, & aquam, &c.]

Secundò ratiocinantur ex agricultura, idque pluribus modis S. Euſebius Emiſſenus h. 8. ad monachos. [Sicut, inquit, agricola non ſolùm „ terram aratro ſcindit, ſed & infœcundis ger„ minibus purgat: ſciens terram ſine purgatione „ mali germinis, boni feracem eſſe non poſſe; „ juxtà illud, Ier. 4. Novate vobis novalia; & „ nolite ſerere ſuper ſpinas: ita nobis non ſuf„ ficit terram corporis noſtri jejunijs, ac vigilijs „ conficere; ſed in primis animum purgare „ oportet à vitijs, & paſſionibus.]

Secundò S. Greg. Papa lib. 31. metal. cap. 17. hoc argumentum ex Prov. 24. deducit. Monet enim Sapiens; diligenter exerce agrum tuum, ut poſteà ædifices domum tuam. „ [Ille autem, ſubjungit Greg. benè mentis do„ mum ædificat, qui priùs agrum corporis à „ ſpinis vitiorum purgat: nè ſi deſideriorum „ ſentes in carnis agro proficiant, intùs tota vir„ tutis fabrica fame boni operis creſcente de„ ſtruatur.] In ipſo autem belli certamine, tantò ſubtiliùs quiſque fraudem hoſtium conſpicit, quantò & diſtrictiùs corpus proprium quendam hoſtium adjutorem premit.

Tertiò S. Ambr. paulò aliter ex hoc eodem capite argumentatur. Sic enim habet in ſer. in feria 3. poſt dom. 2. quadr. [Sicut redditum uberiorem capit, qui frequentiùs vexan„ do exercet campum: ita majorem gratiam „ percipit, qui exercet corporis ſui campum, „ ſæpiùs jejunando.] Et paulò poſt adfert illud Gen. 3. Spinas, & tribulos germinabit tibi; quæ fuit maledictio terræ, non minùs carni conveniens noſtræ. [Germinat, inquit, mihi „ terra mea ſpinas, ſi me corporalis libidinis „ titillatione compungit: generat mihi tribu„ los, cùm me divitiarum ſæcularium cupidi„ tate diſcutiat. At mortificatione, ſpinæ ver„ tuntur in roſam.] Si nimirùm duplicis mortificationis aratro, aut ligone terra vexetur, ſpinæque ac tribuli germinantes evellantur ſubindè.

Quartò S. Bernar. in tract. de ordine vitæ & morum inſtit. partem illam agriculturæ conſiderat, quæ unam arborem inſerit alteri, uniuſque amaritudinem ad alterius ſuavitatem ac dulcedinem trahit. Sic enim mortificatio petulantem carnem atque immoderatos affectus ad virtutis moderationem, ac ſubjectionem

Digitized by Google

ctionem perducit. [Oleaſter, inquit, olivæ inſertus, amiſſa amaritudine efficitur fructuoſus. Si ergò agricultura convertit ſtirpium qualitatem; nonnè ſtudia doctrinæ, & diſciplinæ aſſiduitas mitigare poteſt ægritudinis paſſiones?]

Quintò conſueverunt agricolæ ſtercorare terram, & arbores, ut copioſiorem ferant fructum. Sic enim Luc. 13. ille rogabat Dominum; Dimitte illam uſquedum fodiam circà illam, & mittam ſtercora. [Magna vis ſtercoris, inquit S. Ambr. lib. 7. in Lucam; quæ & de infœcundis fœcunda, de arentibus virentia, de ſterilibus faciat fructuoſa. In quo ſedit Iob cùm tentaretur, & vinci nequivit: & cùm anteà plurima perdidiſſet, poſteaquàm ſedit in ſtercore, non habuit, quod ei Diabolus poſſet auferre. Deniquè de terra Dominus ſuſcitat inopem, & de ſtercore erigit pauperem.] At mortificatio ſtercus nimirùm eſt ſpiritualis vitæ.

Sextò ratiocinatur idem S. Ambr. in ep. 81. ſeu obſervatione prima in Michæam ad Horontianum, ex tritici, ac ſimilium ſegetibus: quæ comminui debent, & conteri, & ventilari, ut illarum potiaris fructu. [Niſi, ait, manipuli contriti fuerint, & paleæ ventilatæ, fructus apparêre interiores, & abſolvi nequeunt. Comminuit ergò, & excutit priùs anima proficiens paſſionum ſuperflua, ut fructus ſuos demonſtrare poſſit in ipſa ſegete.] S. Auguſtinum diximus cap. 2. exemplo id confirmaſſe diſcipulorum Chriſti, qui vellebant ſpicas, ut manducarent, & manibus confricabant: quia nemo tranſit in corpus Chriſti, niſi carnalibus expoliatus. Omninò ut in area dum trituratur triticum, aut manibus confricatur, expoliatur, & nudum excutitur: ità & nos mortificatione oportet atteri, atque à carnis affectibus expoliari.

Septimò, ad rem quoq; præſentem S. Greg. Nyſſ. h. 8. in Cant. illa interpretatur verba; Emiſſiones tuæ paradiſus malorum punicorum. [Malum enim punicum difficulter fur aggreditur: ut quæ ſpinoſos proferat ramos, & quodam in guſtu auſtero amareſcenti propu[gn]aculo fructum contineat ſuo tempore ju[cu]ndum, & ſuavem guſtui. Per quæ doce[mu]r, non per diſſolutionem, & delitias in vita præſenti emoliri; & enervari; ſed per continentiam duram, & aſperam vitam eligere. Ità enim ad fructum virtutis furibus non patebit aditus.] Hæc ille, quibus mortificationis utilitatem nobis demonſtrat plurimùm.

Matt. 10. Octavò idem ex mandragoris quoque ratiocinatur Theodor. lib. 4. in Cant. Cùm enim ſponſa invitans ad ſe ſponſum dixiſſet; Mandragoræ dederunt odorem ſuum. [Mandragoræ, inquit, vis ſoporifera eſt, & mortificationem ſignificat, quæ carnem, & paſſiones noſtras, dormire facit. Qui enim mandragoram hauſit, corporis motiones non ſentit.] Idem profectò operatur mortificatio.

Nonò S. Gregorius Papa lib. 19. moral. c. 16. Juſtorum vitam propterea ſcripſit palmæ fuiſſe comparatam Cant. 7. [Quia palma tactu aſpera eſt, & quaſi aridis corticibus obvoluta; ſuperiùs verò & viſu, & fructibus pulchra. Inferiùs corticum ſuarum involutionibus anguſtatur; ſed ſuperiùs amplitudine pulchræ viriditatis expanditur. Sic electorum vita, &c.] Et hæc quidem ex agricultura petuntur argumenta.

Tertio autem loco ratiocinatur ex unguentarijs, & alijs quibuſvis, qui pretioſum unguentum non infundunt, niſi in vas mundum, atque à ſordido quovis alio liquore accuratè anteà purgatum. Ita enim conficiunt, in animam noſtram divinæ gratiæ ac virtutum unguentum nequaquàm infundi, niſi ea probè priùs fuerit mortificatione purgata. [Vas, inquit S. Baſilius com. in pſ. 61. quod humore tetri odoris præoccupatum fuerit, ni eluetis diligenter, odorati unguenti influxum non recipit.] Et S. Euſeb. Emiſſ. in ſer. exhortatorio contrà diverſa vitia. [Quamdiù in nobis carnalium rerum vixerit appetitus, ſpiritualium à nobis ſenſuum elongabit affectus. Nemo in vas aliquo fœtore corruptum balſama tranſfundit.]

Quarto ex Serpente, qui per anguſtum tranſiens foramen renovatur. Id ex Chriſti verbis; Contendite intrare per anguſtam portam, colligit S. Baſilius in oratione de virtute, & vitio. [Ita, inquit, prudentes ſitis, ſicut ſerpentes: qui cùm ſenium eos deponere neceſſe eſt, anguſto loco corpus ſuum committunt, & ita ſenectutem exuunt ſuam.] Eſt enim mortificatio anguſta porta, locuſque anguſtus, per quem nos veterem hominem deponere, & ad novi formam renovari oportet. Cant. 7.

Quinto ex auriga, qui commiſſos ſibi equos egregiè moderatur, & regit. S. Io. Chryſ. h. 5. in ep. ad Ephes. corpus noſtrum aſſerit eſſe equum, animam aurigam, ſpiritum ſuper aurigam, qui rerum ſummam, & moderationem habet, & aurigam firmiorem facit. Quare ſi quid in nobis culpandum eſt, anima magis accuſanda fuerit, quam corpus; nam corpus ſine anima nihil mali deſignat, anima verò mala multa ſine corporis uſu committit. Et rurſùm h. 14. in priorem ad Cor. [Oportet puerilem ſenſum abijcere, & aurigam conſcientiæ imponere, qui non ſinat eam laſcivire, ſed currere, & certare aſſueſcat.] Et S. Nyſſ. in libro de virginitate c. 22. ut carnis caſtigationem debêre eſſe moderatam oſtenderet, eodem hoc aurigę exemplo uſus eſt; [Qui equos non conſentientes ita regit, ut celerem retineat, tardum

,, dum incitet. Sic enim caro laſciviens caſti-
,, ganda eſt, debilis ſuſtentanda.] Quod de Ne-
potiano teſtatur S. Hier. in ep. ad Heliodorum.
,, [Jejunia, inquit, in aurigæ modum pro laſ-
,, ſitudine, & viribus corporis attemperabat.
,, Robuſtiores ſcilicet equos vehementiùs ur-
,, gens, debiliores remiſſiùs paulò.]
Sextò ex patrefamilias in domo ſua. S. Ber.
in tract. de vita ſolitaria ad fratres de monte
Dei. [Prudens, inquit, & Deo deditus ani-
, mus habêre ſe debet in cella ſua, in conſcien-
, tia ſua, ſicut prudens paterfamilias in domo
,, ſua. Non habeat muliêrem litigioſam car-
,, nem ſuam, ſed ad ſobriëtatem moderatam, &
,, aſſuefactam ad obedientiam, & ad laborem
,, paratam, ubiq; inſtitutam eſurire, & ſaturari,
,, & abundare, & penuriam pati. Habeat ſen-
,, ſus exteriores, non duces, ſed ſervientes; in-
,, teriores ſobrios, & efficaces. Habeat familiam
,, omnem cogitationum ſuarum ſic ordinatam,
,, & diſciplinatam, ut dicat huic; Vade, & va-
,, dat, & alio; Veni, & veniat, & ſervo corpori;
,, Fac hoc, & abſq; contradictione faciat.] Hæc
eſt hominis benè mortificati deſcriptio.
Septimò ex paupere homine, qui nobilem
quempiam hoſpitem domi ſuæ excipiat, idem
S. Bernardus in ſer. 6. de adventu. [Anima,
,, inquit, in corpore hoſpes nobilis in domo
,, pauperis, qui ſe in omnibus incommodare de-
,, bet, ut hoſpitem benè tractet. Quis ruſticus
,, ſi fortè nobilis, & præpotens quiſpiam apud
,, eum voluerit hoſpitari, non libenter in angu-
,, lo domûs, aut ſub gradibus ſuis, vel in ipſis ci-
,, neribus accubabit; cedens hoſpiti ſuo locum
,, potiorem? & tu ergò fac ſimiliter.]
Octavò ex ſæculi negotiatoribus S. Hier.
in ep. ad Ruſticum cap. 1. [Si negotiatores ſæ-
,, culi tanta ſuſtinent, ut ad incertas, perituraſ-
,, que divitias perveniant: quid Chriſti nego-
,, tiatori faciendum eſt, qui venditis omnibus,
,, quærit pretioſiſſimam margaritam? Qui to-
,, tis ſubſtantiæ ſuæ opibus emit agrum, in quo
,, reperiat theſaurum, quem nec fur effodere,
,, nec latro poſſit auferre?]
Nonò ex regno, ſeu republica benè inſtituta,
& adminiſtrata. S. Bern. in lib. de inter. domo
c. 27. [Non ſit in regno corporis tui, & animæ,
,, qui leges, & inſtitutorum tuorum jura im-
,, punè prævaricetur. Si vel rebellionem atten-
,, tare præſumpſerint, lapidibus obruantur, jacu-
,, lis increpationum confodiantur, & noverint
,, regem Salomonem ſedêre ſuper mulam Re-
,, gis, id eſt, rationem ſuper ſenſualitatem cor-
,, poris. Quid ſi pudibunda illa motu inordinato
,, rempublicam infeſtaverint? certè abſcindan-
,, tur non ferro, ſed jejunio, non detruncatione,
,, ſed mortificatione.] [Turpe enim eſt (inquit
,, S. Nyſſ. or. in ea verba; Faciamus hominem
,, ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram) ut
,, qui domi ſuæ ſervus eſt, gentibus dominetur;
,, & is reipublicæ tractet gubernacula, qui
,, ſcorti nutus obſervat, qui meretricis arbitrio
,, regitur.] In quo nimirùm carnalis affectus
dominatur.
Sed præclarum eſt illud, quod perpendens
idem Nyſſenus hæc ipſa ſcripturæ verba veriſ- Gen. 1.
ſimè adnotavit, atq; ex prima hominis forma-
tione argumentatus eſt. [Non enim, inquit, fa-
,, ciamus hominem ut iraſcatur, & concupiſcat,
,, & mœreat. Perturbationes enim non cadunt
,, in imaginem Dei; ſed ratio perturbationum
,, moderatrix, & domina. Et præſit piſcibus
,, maris, & volatilibus cœli; tibi ſimul atque
,, procreatus es, imperium eſt attributum. Non
,, dixit, & veſcatur ex omni ligno. Secundo lo-
,, co ea quæ ad carnem pertinent, conſtituun-
,, tur; primò autem ac potiſſimùm illa, quæ ad
,, animam ſpectant. Prima nobis imperandi po-
,, teſtas decernitur. Ad imperandum natus es
,, homo. Quid ergò perturbationibus ſervis?
,, cur dignitatem abjicis tuam? cur te peccato
,, tradis in ſervitutem? cur te conſtituis manci-
,, pium diaboli?]
Decimò ex athletis, qui tam multa tolerant,
atque à delitijs omnibus abſtinent: S. Chryſ. ho.
5. in epiſtolam ad Hebr. [Nemo, ait, fortis
,, athleta in ſtadio lavacra requirit, aut menſam
,, repletam cibis, & vino: hoc enim non eſt
,, athletæ, ſed delicati. Athleta enim pugnat
,, cum pulvere, cum oleo, cum radio ſolis, cum
,, ſudoribus multis, tribulationibus, & anguſtiis.
,, Certandi hoc eſt, & pugnandi tempus: proin-
,, dè etiam vulnera ſuſcipiendi, & ſanguinem
,, effundendi, & dolendi.]
Et rurſùm. Undecimò ex militibus. [San-
,, guinis, inquit idem Chryſ. oportet eſſe ple-
,, nam Chriſtiani vitam. Sanguinem autem di-
,, co, non ut aliorum effundamus, ſed ut parati
,, ſimus noſtrum effundere. Cùm tanta igitur
,, animi alacritate proprium ſanguinem effun-
,, damus, ſi quando pro Chriſto opus fuerit; cum
,, quanta aquam quis effundit. Etenim aqua
,, eſt ſanguis irrigans corpus. Et cum tanta fa-
,, cilitate carnem exuere debemus, cum quan-
,, ta & veſtimentum. Hoc autem erit, ſi non
,, fuerimus pecunijs dediti, ſi non domibus, ſi
,, non affectioni. Si ab omnibus fuerimus ſe-
,, parati. Si enim, qui militarem vitam [illegible]unt,
,, omnibus renuntiant: & ubicumque bellum
,, vocaverit, illûc ſeſe recipiunt, & omnia cum
,, alacritate ſuſtinent: multò ampliùs nos Chri-
,, ſti milites ſic paratos eſſe oportet, & diſpoſi-
,, tos ad bellum paſſionum.]
Duodecimò ex librarum ponderibus. S. Ba-
ſilius in oratione de anima. [Ut in librarum, ait,
,, momentis, ponderibuſq; ſi lancem unam de-
,, graves, leviorem omninò facies eam, quæ ex
,, oppoſito ponitur: ità ſe habet in anima, & cor-
,, pore. Unius enim redundantia neceſſariam
,, alterius inducit, & efficit diminutionem.]

Decimo-

Digitized by Google

Decimotertiò ex motu reflexo, in quo inter duos contrarios motus aliqua intercipitur quies media. Sic enim inter vitam ſenſus, & vitam ſpiritûs mortificationem intercedere mediam neceſſe eſt; quemadmodùm in ſuperioribus diximus concluſiſſe S. Baſilium, atq; illius adſcripſimus verba.

Decimoquartò ex cœlorum, ac ſyderum aſpectu, S. Nyſſenus h. 8. in Eccleſiaſten ſic enim habet. [Sicut cœleſtis pulchritudo aſpici ,, non poteſt, ſi aërem,qui eſt ſuper caput,ca- ,, ligo interceperit:ità nec oculus animę ad vir- ,, tutem aſpicit,ſi per voluptatem,velut quam- ,, dam caliginem,ejus obtundatur viſus.] Atq; hactenùs de mortificationis neceſſitate dictum ſit ſatis.

CAPUT V.

Difficilem mortificationem eſſe.

IAM de difficultate dicendum paucis. Sanè naturam mutare difficile eſt, inquit Seneca in 2. libro de ira; nec facilè licet ſemel miſta nocentium elementa convertere, & veriſſimum eſt illud Pauli ad Epheſ. 5. Nemo unquàm carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit, & fovet eam. Et jucundum eſt, naturales appetitiones ſectari; moleſtum reſiſtere, & adverſus illas pugnare arduum,& ut loquebatur S. Aug. in libro 1. de ſermone Domini in monte c. 3. ,, [Non relinquitur ſinè dolore,quod cum de- ,, lectatione retinetur.] Ut meritò uſurpare poſſis illud Io. 6. Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt illum audire? Durum Capharnaïtis viſum eſt illud; Niſi manducaveritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis. At non minùs durum videatur, & illud Matt. 16. Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & illud Rom. 8. Si ſecundùm carnem vixeritis moriemini. Immò illud ipſum. Niſi manducaveritis carnem filij hominis; de hac mortificatione interpretatus eſt S. Bern. ſer. 3. in pſ. Qui habitat. [Quid eſt, inquit, man- ,, ducare carnem, & bibere ſanguinem, niſi ,, communicare paſſionibus ejus, & eam con- ,, verſationem imitari,quam geſſit in carne? Et ,, multi dicunt ex vobis. Durus eſt hic ſermo. ,, Ergò nè durum eſt momentaneum hoc, & ,, leve tribulationis, quod ſuprà modum in ,, ſublime æternum gloriæ pondus operatur in ,, nobis? Durum eſt breviſſimo,& leviſſimo la- ,, bore cruciatus illos, & tormenta redimere, ,, quæ nullus terminus finiat, nullus animus ,, ſufficiat cogitare? Erratis; ſed audituri eſtis ,, aliquando verbum aſperum, ſermonem du- ,, rum; Ite maledicti in ignem æternum.] Et lib. de diligendo Deo. [Qui manducat meam ,, carnem, & bibit meum ſanguinem, hoc eſt, ,, qui recolit meam mortem, & exemplo meo ,, mortificat membra ſua, quæ ſunt ſuper ter- ,, ram, habet vitam æternam.].

Mortificationis difficultas.

Hanc difficultatem veteres Patres duplici potiſſimùm appellatione declarârunt; belli, & martyrij. Mortificationem affirmârunt eſſe bellum: at quanta in bello difficultas? & quidem bellum dixerunt domeſticum, & inteſtinum; & nonnè hoc grave magis, & periculoſum, quàm cum externo hoſte? S. Chryſ. h. 7. in priorem ep. ad Tim. Tria facit bellorum genera (ut dictum eſt ſuperiùs lib. 10. cap. 3.) Acerbiſſimum hoc quippè bellum eſt, cùm unuſquiſque adverſùs ſe bella ſeditioneſq; concitat. Et Io. Caſſianus in libro de ſpiritu gaſtrimargiæ c. 21. [Inteſtinum in nobis quo- ,, tidie geritur bellum. Devicto eo,omnia,quæ ,, forinſecùs ſunt, reddentur infirma: ac militi ,, Chriſti univerſa pacata erunt, & ſubdita. ,, Non habebimus adverſarium nobis extrin- ,, ſecùs metuendum; ſi ea, quæ intrà nos ſunt, ,, ſpiritui devicta ſubdantur.] Denique hoc ſcriptura ſacra multis in locis ſignificat. Petrus enim dixit: Carnalia deſideria militare adverſùs animam:& Paulus; Legem membrorum legi mentis repugnare: & illud; Prudentia carnis inimica eſt Deo: & rurſùm; Caro concupiſcit adverſùs ſpiritum, & ſpiritus adverſùs carnem: & alia his ſimilia.

Mortificatio Bellum

In hac ſpirituali pugna (inquit S. Nyſſenus in libro de beatitudinibus,tractans illud; Beati, qui lugent) quivis eorum, qui in nobis ſunt, affectus, cùm prævaluerit, Dominus ſubjecti, & in ſervitutem redacti exiſtit:ac velùt tyrannus quiſpiam arce omni occupata, per ipſos ſubditos & affligit obedientes, miniſtris ad id, quod ei placitum fuerit, noſtris cogitationibus abutens. Ad hoc bellum, ſtrenuèque in eo pugnandum, hortatur nos David verbis illis pſalmi 44. Accingere gladio tuo ſuper fœmur tuum potentiſſimè;cujus loci interpretationem faciens S. Baſilius; [Chriſtus, inquit, vocatur ,, gladius, dividens partem animæ ſenſualem, ,, & motus concupiſcentiæ mortificans.] Nam & ipſe dixit: Non veni pacem mittere, ſed gladium: veni enim ſeparare hominem &c. Atque hoc etiam modo in h. Quòd Deus non ſit autor malorum, interpretatur illud: Ego ſum Deus faciens pacem, & creans malum. [Facit enim pacem in nobis, quando ſe- ,, renat, & tranquillat mentem,& affectus im- ,, moderatos comprimit. Creat autem mala, ,, quando tranſmutat illa, & in meliorem ſta- ,, tum, & exitum deducit,ut jam mala eſſe de- ,, ſinant, boniquc naturam accipiant.]

Iſaiæ 45.

Secundò, Mortificationem appellârunt martyrium, martyrijq; ſpeciem quamdam eſſe affirmârunt; & quidem accommodatè. Nam ut martyrium vitâ hominem privat,mortemq; corporis adfert; ita mortificatio carnis mortem inducit,& ſenſus,carnalique & beſtiali vita nos ſpoliat. S. Chryſ. h. 11. in epiſtolam ad Hebr. ita loquitur. [Varia ſacrificiorum ge-

Mortificatio Martyrium.

 nera

Digitized by Google

,, nera in nova lege: inter cætera martyrium; ,, ibi & anima, & corpus offeruntur. Potes & ,, tu, ſi volueris, tale ſacrificium offerre: igne ,, ſcilicet paupertatis voluntariæ, tribulationis. ,, Cùm enim liceat delitioſè agere, ſi eligatur ,, laborioſa vita; & amara, mortificans corpus, ,, nonnè holocauſtoma eſt? Mortifica ergo cor- ,, pus tuum, & crucifige, & accipies & tu hujus ,, martyrij coronam. Quod enim ibi gladius ,, operatur, hoc hìc animi alacritas faciat.] Et ſer. contrà concubinarios, to. 5. non ſolùm af- firmat eſſe martyrium, ſed longum, & diutur- num martyrium. [Frænare, inquit, & vince- ,, re carnis concupiſcentiam, martyrij genus eſt. ,, Et ſicut martyrium velox labor, ita & horum ,, prolixior dolor. Quare & pares coronæ; quia ,, & certamina inter ſe reſpondent, & ſimilia ,, ſunt.] Et Euſebius Emiſſenus h. de S. Maximo Epiſcopo. [Continuatis jejunijs oſſa clamabant, ,, ſtudens de perſecutore iniquo longo trium- ,, phare martyrio.] Et S. Aug. in ſer. 32. de San- ctis; [Martyr Græcè, Latinè teſtis dicitur. Igi- ,, tur quotieſcunque bonis actibus mandatum ,, Chriſti facimus, toties Chriſto teſtimonium ,, perhibemus. Undè & crux Domini non tan- ,, tùm illa dicitur, quæ paſſionis tempore ligni ,, affixione conſtituitur; ſed illa, quæ totius ,, vitæ curriculo cunctarum diſciplinarum vir- ,, tutibus coäptatur. De qua mihi videtur Salva- ,, tor dicere; Qui vult venire poſt me, tollat cru- ,, cem ſuam, & ſequatur me. Tota igitur vita ,, Chriſtiani hominis, ſi ſecundùm Evangelium ,, vivat, crux eſt, atque martyrium.] Et ſer. 46. ,, [Pervenitur non ſolùm occaſu, ſed etiam ,, contemptu carnis ad coronam. Abſque injuria ,, Sanctorum in perſecutionibus defunctorum ,, dicere liceat; carnem afflixiſſe, libidinem ſu- ,, peraſſe, avaritiæ reſtitiſſe, de mundo trium- ,, phaſſe, pars magna martyrij eſt.] Et iterùm ſer. 250. de tempore; [Iracundiam mitigare, li- ,, bidinem fugare, juſtitiam cuſtodire, avaritiam ,, contemnere, ſuperbiam humiliare, pars ma- ,, gna martyrij eſt.] Et S. Greg. Papa h. 3. in Evang. [Quatenùs occaſio perſecutionis deſit, ,, habet tamen, & pax noſtra martyrium ſuum. ,, Quia etſi carnis colla ferro non ſubdimus, ,, ſpirituali tamen gladio carnalia deſideria in ,, mente trucidamus.] Tandem S. Bern. ſer. 1. in octava Paſchæ: [Eſt & martyrij genus, & ,, quædam effuſio ſanguinis in quotidiana cor- ,, poris afflictione. Sic enim infirmis, & puſillis ,, corde neceſſe eſt, ut cùm ſemel pro Chriſto ,, animam ponere non ſufficiunt, ſaltem inte- ,, riore quodam, ſed diuturniore martyrio ſan- ,, guinem fundant.] Et ſer. 30. in Cant. [Genus ,, martyrij eſt ſpiritu facta carnis mortificare: ,, illo nimirùm, quo membra cæduntur ferro ,, horrore quidem mitiùs, ſed diuturnitate mo- ,, leſtiùs.] Et ſer. de ſeptem gradibus confeſſio- nis. [Teneros artus tuos, & exquiſitis educa- ,, tos delitijs diuturno confringe martyrio.]

Si ergò mortificatio & bellum eſt, & marty- rium, & quidem inteſtinum bellum, & marty- rium, quod à nobis ipſis tolerandum, & infli- gendum eſt; laborioſa omninò res eſt, difficilis, dura. *Mortificatio difficilis.* Propterea monuit nos Dominus; Con- tendite intrare per anguſtam portam. Et, Arcta eſt via, quæ ducit ad vitam. [De paradiſo ,, (inquit S. Aug. lib. 2. de peccatorum meritis, ,, & remiſſione cap. 34.) ejectus homo contrà ,, Eden habitavit; id eſt, contrà ſedem delitia- ,, rum; ut ſignificaret, quòd in laboribus, qui ,, ſunt delitijs contrarij, erudienda eſſet caro ,, peccati, quæ in delitijs obedientiam non ſer- ,, vavit, antequàm eſſet caro peccati.] Et præ- clarè hortatur S. Chryſ. h. 22. ad populum; ,, [Caſtigemus corpus, & in ſervitutem redi- ,, gamus, nè anima ſerva fiat diaboli. Nemo dor- ,, miens coronabitur, neque recumbens, & ſter- ,, tens bravium capit, ſed pulvere, & plagis ,, ſqualens: ipſe apud agonothetam priùs inve- ,, nitur, vulnera gerens, & ſanguinem oſten- ,, dens defluentem.] Et multò poſt; [Cum ter- ,, reno corpore cœlum aſcendere concupiſti? ,, Extenua carnes, ut ad aſcenſum agilis fias. ,, Equus ſi multum comedat, non currit: athleta ,, non, quod vult, comedit. Niſi comediſſet Iſ- ,, raël, & impinguatus fuiſſet, non recalcitraſ- ,, ſet.] Et iterùm h. 14. in priorem ad Cor. [Siſ- ,, citantur homines, cur via anguſta ſit; & cùm ,, in terreni principis regiam, neque ſcortatori, ,, neq; ebrio, neq; luxurioſo cuipiam aditus pa- ,, teat; in ipſum cælum delitijs, ebrietate, omni ,, deniq; malitia perditos homines licenter in- ,, gredi poſſe arbitraris?] [Delicatus es frater ,, (ſcribit ad Heliod. S. Hier. c. 9.) Si & hìc vis ,, gaudêre cum ſeculo, & poſteà regnare cum ,, Chriſto.]

De ſponſa dicitur Cant. 3. Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris? Quem lo- cum exponens Theodoretus libro 2. in Cant. ,, [Quia, inquit, ſponſa jejunio, vigiliæ, ora- ,, tioni perpetuæ, & aſperæ humi dormitioni ,, ſtuduerat: propterea ſicut virgula fumi ex ,, aromatibus myrrhæ in Cælum aſcendit. Om- ,, nis enim anima, quæ ſtudet eſſe thus, & ,, jucundus odor Regi univerſorum, neceſſe ,, eſt, ut priùs mortificet omnia membra ſua; ,, alioquin thus Domino fieri nunquam pote- ,, rit.] Et S. Nyſſenus h. 6. in Cant. eadem tractans verba. [Per hæc, inquit, pulchritudo ,, ſponſæ deſcribitur. Myrrha eſt apta ad cor- ,, porum ſepulturam: thus autem eſt conſecra- ,, tum honori Dei. Qui vult ergò ſe Dei dicare ,, cultui, non erit bonum thus, niſi priùs fuerit ,, myrrha; hoc eſt, niſi mortificaverit membra, ,, quæ ſunt ſuper terram conſepultus ei, qui pro ,, nobis mortem ſuſcepit; & myrrham illam, ,, quæ aſſumpta eſt ad Domini ſepulturam in propria

Digitized by Google

„ propria carne ad mortificanda ſua membra
„ acceperint.]
Sed alteram audi pronuntiatam à Chriſto
ſententiam, Matt. 11. Regnum cœlorum
vim patitur, & violenti rapiunt illud. [Gran-
„ dis enim eſt violentia (ſcribit in eum locum
„ S. Hier.) in terra nos eſſe generatos, & cœlo-
„ rum ſedem quærere, poſſidère per virtutem,
„ quod non tenuimus per naturam.] Sancti
Auguſtini verba in ſer. 20. de Sanctis audiſti
ſuperiùs c. 2. S. Emiſſenus h. 2. ad monachos;
Regnum cœlorum vim patitur, & violenti ra-
piunt illud. [Non enim ſine violentia fieri po-
„ teſt, ut de abundantia, & de divitijs ad famem,
„ & ſitim, ad abſtinentiam, & crucem tranſeat:
„ Ut ſomno priùs, atque otio amicam carnem
„ contritione, vigilijſq; conficiat, non, inquam,
„ ſine violentia fieri poteſt, ut unuſquiſque
„ iracundiam patientiâ, ſuperbiam humilitate
„ commutet, amore paupertatis ſufficientiæ af-
„ fluentiam ſuperet, vinolentiam ſobrietate,
„ luxuriam caſtitate commendet: & homo ſu-
„ bitò in virum alterum transformetur, & quo-
„ dammodò alter reddatur ex altero: & ſic à ta-
„ libus per violentiam regnum cœleſte diripia-
„ tur.] S. tamen Ambr. in ſer. in dom. 3. adven.
aliter prorſus illa Domini verba accipiens, latro-
num violentiam nos imitari ſuadet, dum in iti-
nere quempiam aggrediuntur, boniſq; omnibus
ſpoliant. Sic enim Chriſtum nos aggredi, & ſpo-
liare hortatur. [Regnum, inquit, cœlorum
„ vim patitur. Quiſquis violentior Chriſto fue-
„ rit, religioſior habebitur. Aggredimur in iti-
„ nere Dominum, ſi quidem ipſe eſt via: & mo-
„ re latronum ſuis eum ſpoliare nitimur. Cupi-
„ mus illi auferre regnum, theſauros, & vitam:
„ & ille non abnuit; non reſiſtit. Aggredimur
„ illum, non ferro, non fuſte, non ſaxo, ſed man-
„ ſuetudine, bonis operibus, caſtitate. Hæc
„ ſunt arma fidei noſtræ, quibus in congreſſio-
„ ne certamus. Ut autem his armis uti poſſimus;
„ antè corporibus noſtris vim faciamus, expu-
„ gnemus membrorum vitia. Priùs enim ipſi re-
„ gnare debemus in nobis, ut regnum poſſimus
„ diripere Salvatoris.] Ad extremum Philo Iu-
dæus in libro de congreſſu quærendæ erudi-
tionis gratiâ; propter hanc mortificationis
difficultatem, quæ alioquin ſuaviſſima eſſe
deberet, veteribus à Deo præceptum fuiſſe [illegible]s,
Ex. 12. ut azymos panes ederent cum lactucis
agreſtibus. [Præceptum eſt, ait, ut azyma e-
„ dantur cum amaris lactucis agreſtibus, non
„ ut ſint vice obſonij: ſed quia cohibère concu-
„ piſcentias nè ferveſcant, & turgeant, quidam
„ putant amarum, non valentes conſuetos af-
„ fectus dediſcere; quod mens certaminum
„ avida habet pro feſtivis delitijs.] Eandem
ob cauſam legem addit à Deo fuiſſe datam,
in loco, qui amáritudo vocatur; & lege item
cautum fuiſſe, nè quid fermenti, aut mellis
inferretur in altarium. [Eſt enim difficilè, vel
„ dulcedines voluptatum corporis, vel inanes
„ tumores animæ conſecrare tanquàm puras,
„ cùm ſuaptè natura impuræ, ac prophanæ
„ ſint.]

DE CARNIS,

CORPORISVE MORTIFICATIONE.

LIBER XII.

ETENIM audire placet, quid illi, qui carnis, & ſenſûs patrocinium ſuſceperunt, contradicere nobis poſſint. Nimirùm illud Pauli ſtatim jactitant, Epheſ. 5. Nemo unquam carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit, & fovet eam. Atque id quidem rationi conſentaneum. Quippè à primo noſtri ortu velùt ſoror, atque inſeparabilis comes peregrinationis, ac laborum ſocia, & adjutrix à Deo data eſt animæ. Ideò non odioſè non caſtigare, & mortificare debemus; ſed amare, ſed conſervare, nutrire, ac fovère.

CAPUT I.

Carnem mortificandam eſſe.

HIs verò primùm oppono ejuſdem Apoſtoli verba Rom 8. Si ſecundùm carnem vixeritis, moriemini; ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Nec ſolùm verba; immò & facta, & exempla. De ſeipſo enim ille teſtatur in priore ad Cor. c. 9. Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo, nè fortè cum alijs prædicaverim, ipſe reprobus efficiar. [Apoſtolus (inquit S. Hier. in ep. ad

Digitized by Google

„ Celantiam c. 6.) caſtigabat corpus, non ob „ ſolam caſtitatem, ſed ut corporis caſtigatio- „ ne erudiretur animus,& magis poſſet de vir- „ tutibus cogitare.] Ex quibus verbis,& Apoſtolo intelligimus familiarem fuiſſe mortificationis uſum, & duas præclaras illius utilitates eſſe nobis maximè neceſſarias, Apoſtolo non item. Et rurſum in ep. ad Saluinam c.4. „ [Si ille timebat, quis noſtrûm poteſt eſſe ſe- „ curus? Si David amicus Domini,& Salomon „ amabilis ejus, victi ſunt quaſi homines, ut „ ruinæ nobis ad cautionem, & pœnitudinis ad „ ſalutem exempla præberent; quis in lubrica „ via lapſum non metuat?] Sed & S.Auguſt.in 4. libro hypognoſt. omnes ſanctos,ita quoque egiſſe confirmat. [Contrà, inquit, hoc con- „ cupiſcentiæ venenum de gratiæ antidoto con- „ fidentes, omnes ſancti caſtigantes corpus „ ſuum, & in ſervitutem redigentes,nè fortè à „ fide Chriſti reprobi efficerentur, fortiter pu- „ gnaverunt, & pugnant. Et quod ad Paulum „ attinet; De hac, ait, congreſſione loquebatur Apoſtolus Paulus, cùm dixit; Ego igitur „ ſic curro, non quaſi in incertum; ſic pugno, „ non quaſi aërem verberans; & tanquàm „ è contrario reſponderetur ei; quis eſt vel ubi „ eſt adverſarius tuus, contrà quem pugnas? „ reſpondens, ait; Caſtigo corpus meum, & in „ ſervitutem redigo, id eſt, in corpore meo eſt, „ non in aëre, contrà quem pugno; libido eſt, „ inimica vitæ meæ, quæ me currentem, & „ placêre Deo per ducatum gratiæ ejus volen- „ tem, diverſorum libitu malorum; per mo- „ menta aculeis impugnat, & provocat, quò „ agonis mei curſum impediens,autorem ſuum „ diabolum faciat eſſe victorem. Ideò caſtigo „ corpus meum, ubi porto hoſtem meum in „ me; pugnanti contrà me virtute gratiæ con- „ fortatus repugno pro me: ſed tunc hoſtis po- „ tentiam deſtruo,cùm caſtigans corpus meum „ infirmor in me, & quæ ſeq.]

CAPUT II.

Caro quatenùs amanda, & nutrienda.

SECUNDÒ dico, veriſſimum eſſe illud Pauli pronuntiatum: neque nos carnem odimus noſtram, ſed carnis vitia, malaſque illius concupiſcentias. Ideò nutrimus illam libenter, & neceſſario ſuſtentamus cibo, ut animæ famulari queat. Mortificamus tamen jejunijs, vigilijs, flagellationibus, nè laſciviat, petulantiorq; ac rebellis facta impediat ſpiritum, quem juvare debuerat, atq; in ſempiternam mortem præcipitet. Exemplo ſit equus, quem amas, & nutris; ſed petulantem, & calcitrantem flagellas. Et quid dico equum? Accipe filium ſanè, ut dixit Apoſtolus; Nemo carnem ſuam odio habuit; ita de filio licet loqui, quem tamen non odit pater, ſi peccantem caſtigat: immò maximè diligit, odit autem illius peccatum. Sic enim ſcriptura loquitur, Proverb. 3.& Hebr.12. Quem diligit Dominus, caſtigat; flagellat autem omnem filium, quem recipit: quis enim filius, quem non corripit pater? & c.13. Qui parcit virgæ, inquit Sapiens, odit filium: qui autem diligit illum, inſtanter erudit. Amat quippè filium, ſed malos illius odit mores. Maritum corripientem, & ſeveriùs caſtigantem litigioſam uxorem, quam diligit plurimùm, adfert S. Auguſt.in ſer.6.de verbis Apoſtoli. Nam cùm citaſſet illud Apoſtoli Gal. 5. Spiritus concupiſcit adverſus carnem. [Etſi modò, inquit, rixa eſt in iſta do- „ mo; maritus litigans,non perniciem,ſed con- „ cordiam quærit uxoris. Abſit,ut ſpiritus con- „ cupiſcendo contrà carnem oderit carnem. „ Vitia carnis odit.]

Tertiò dico amare nihil aliud eſſe, quàm velle bonum: & odiſſe nihil aliud quàm velle, & deſiderare malum. Undè S.Aug. in libro de moribus Eccleſiæ catholicæ c. 26. optimè deduxit, fieri non poſſe, ut qui Deum diligit, ſeipſum non diligat. [Siquidem ille ſe ſatis di- „ ligit, qui ſedulò agit, ut ſummo,& vero per- „ fruatur bono, quod eſt Deus.] Atq; hinc addit ortum habuiſſe alterum charitatis præceptum. Diliges proximum tuum ſicut teipſum. „ [Non diligis autem illum, ſicut teipſum; ſi „ non ad id bonum, ad quod ipſe tendis, & il- „ lum adducis.] Et lib.14. de Trinit.cap.14. „ [Quoniam, qui odit aliquem,nocêre illi ſtu- „ det; non immeritò,& mens hominis,quando „ ſibi nocet, odiſſe ſe dicitur. Neſciens enim „ ſibi vult malè,dum non putat ſibi obeſſe,quod „ vult,ſed tamen ſibi malè vult,quandò id vult, „ quod obſit ſibi.] Iam verò,qui corpus, maloſque illius affectus mortificat, maximum illi bonum procurat,quietem,& gloriam ſempiternam: verè igitur amat corpus,& carnem ſuam. Contrà qui indulget, & permittit illi omnia, malorum omnium maximum illi procurat, æternos inferni cruciatus: odit igitur, & non diligit: pſ.10. Qui diligit iniquitatem,odit animam ſuam.

Mortificatio amor ſui.

S. Greg. Nazian. in apolog. cur in Pontum fugerit &c. duplicem adfert cauſam, cur anima corpori adſtricta fuerit. Alteram, ut per certamen colluctationemq; cum rebus inferioribus ad ſupernæ gloriæ hæreditatem perveniat, rebus fluxis, velut aurum igne probata. Alteram, ut deteriorem quoque partem ad ſe trahat, & in ſublime collocet. Ut quod animæ Deus eſt, hoc ſit corpori anima. Ita planè demonſtratur, eos, qui ſeipſos mortificant, magis omninò ſeſe, ac carnem ſuam amare, quam peccatores: quod egregiè tractat S.Thomas in ſecunda ſecundæ q. 25. art. 5. & 7. quoniam & animæ, & corpori maximum procu-

Anima cur corpori juncta.

procurant bonum, ſempiternam fœlicitatem. Sint duo ægroti corpore, quorum alter comedat, quidquid illi libuerit, & bibat, quandocumq; voluerit, nec ſanguinem velit mittere, nec amaram potionem ſumere: alter contrà nec edat, nec bibat, niſi quod, & quando præſcripſerit medicus, etiamſi maximè appetat, potionem ſumat etſi amaram, & ſanguinem mittat. Utrum dixeris magis vitæ, & corporis ſui amantem eſſe? Sic omninò habet in re, de qua nunc agimus. Audi Bernardum in ſer. 4. de Cœna Domini; [Corpus noſtrum „ à nobis eſt diligendum, ut ſaluti ejus & fra- „ gilitati naturaliter conſulamus, ut ſpiritui „ ordinatè ſerviat, ſuis motibus animę rationi in „ nullo contradicat, ut in die reſurrectionis glo- „ riâ fœlici perenniter cum Domino vivat.] Et alio in loco cum ſæculares homines cerneret mirari ſuos monachos, tam malè ſua tractantes corpora, gravibuſq; affligentes pœnitentijs quaſi ſummo ea proſequerentur odio. [Immò vos, „ inquit ille, magis odiſtis corpora veſtra, qui „ delicatè illa tractantes, ad æternos obligatis „ cruciatus. Iſti amant potiùs, qui brevis tem- „ poris afflictione æternam præparant re- quiem.] Et ſer. 10. in pſ. Qui habitat, graviter in eos invehitur, tractans illa pſalmi verba; Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo. Tabernaculum enim noſtrum, exponens corpus noſtrum, in quo militat anima noſtra. [Si ſeparaveris, „ inquit, pretioſum à vili, ait Dominus; hoc eſt, „ ſi ſolerter diſcreveris inter exteriorem, inte- „ rioremq; ſubſtantiam, ut non plus taberna- „ culo tuo timeas à flagello, quàm tibi ipſi à „ malo, tanquàm os meum eris.] Et paulò poſt ſubjungit. [Nec ſane dixerim, ut vel ipſam o- „ dio habeas carnem tuam. Dilige eam tan- „ quàm tibi datam in adjutorium, & ad æter- „ næ beatitudinis conſortium præparatam. „ Cæterùm ſic amet anima carnem, ut non „ ipſa in carnem tranſiſſe putetur; dicaturq; ei „ à Domino: Non permanebit ſpiritus meus in „ homine, quia caro eſt. Diligat anima car- „ nem ſuam, ſed multò magis ſuam ipſius ani- „ mam ſervet. Amet Adam Evam ſuam; ſed „ non ſic amet, ut voci ejus plus obediat, quàm „ divinæ. Deniquè nè ipſi quidem expedit ſic „ amari, ut cui interim caves à flagello pater- „ næ correptionis, theſaurizes iram æternæ „ damnationis.] Non eſt igitur amor, dare carni quidquid illa deſiderat, ſed ſæpè amor eſt negare, & contrarium dare; ſicut non eſt amor ægroto dare cibum, aut potum noxium, quem petit, aut matrem dare puſioni cultrum, quem vellet. [Quod igitur; verbis utar Sancti „ Auguſtini lib. 21. contrà Fauſtum c. 5.) ratio- „ nalis anima caſtigat corpus ſuum, & ſervitu- „ ti ſubjicit, nè immoderato appetitu terreno- „ rum impediatur à perceptione ſapientiæ; et- „ iam ſic; ſic utique diligit carnem ſuam, quam „ ſibi ad obediendum legitimè ſubdit, atque or- „ dinat.]

Quartò dico hanc fuiſſe apertam Chriſti ſententiam Io. 12. cùm dixit; Qui amat animam ſuam, perdet eam, & qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam. Quo loco S. Aug. tr. 51. [Ma- „ gna, inquit, & mira ſententia, quemadmo- „ dùm ſit hominis in vitam ſuam amor, ut pe- „ reat; odium, nè pereat. Si malè amaveris, „ tunc odiſti; ſi benè oderis, tunc amâſti. Fœli- „ ces, qui oderunt cuſtodiendo, nè perdant a- „ mando. Fœlices, inquam, qui caſtigando cu- „ ſtodiunt, nè perdant indulgendo.] [Quomo- „ do igitur (inquit S. Bern. in eodem ſer. 10. „ mox citato) dicunt nobis carnales homines: „ Crudelis eſt vita veſtra; non parcitis carni ve- „ ſtrę. Eſto; non parcimus ſemini, ſed in terram „ proijcimus. An non melius eſt illi renovari, & „ multiplicari in agro, quàm in horreo putre- „ fieri?] Et addit; [Simus nos crudeles interim „ non parcendo: at vos planè parcendo, crude- „ liores. Siquidem, & nunc caro noſtra requi- „ eſcit in ſpe. Videritis vos ipſi, quid ignomi- „ niæ, interim veſtra ſuſtineat, quid miſerię eam maneat in futurum.] Nos enim dùm carnem noſtram mortificamus, ſperamus nos glorioſam illam aliquando recepturos. Sicut ille, qui ſemen in terram proijcit, ut mortificetur, & putreſcat in terra, ſperat ſe illud cum magno fructu non multò poſt recepturum in meſſe. Quo argumenti genere Chriſtum item Dominum ſcimus aliquando uſum Io. 12. cum dixit; Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet; ſi autem mortuum fuerit, multum fructum adfert. Itaq; benè ratiocinatur S. Chryſ. h. 13. in epiſtolam ad Rom. cum ait; [Quemadmodùm Deus tùm non ſu- „ ſtinet ſupplicio te tradere, cùm ſpiritum ſuum „ in te lucere videt; Sic extinctum ubi viderit „ ſpiritum, te non recipit. Nè igitur corpus „ tuum nunc vivere ſinas, ut tùm vivat. Fac „ illud ut moriatur, ut nè moriatur. Nam ſi „ vivum manſerit, nequaquàm vivet. Sin au- „ tem mortuum fuerit, tùm deniquè vivet.]

Quintò dico, amorem, ſicut & alia pleraq; latitudinem habêre quandam; poſſeque rem unam diligi, & aliam magis diligi: Quippè & in benè ordinata charitate plures agnoſcuntur gradus, quorum ſupremus eſt dilectio Dei. Non ergò propterea non ametur res quæpiam, quod alia magis amatur quam illa: & propter hanc conſervandam, quæ magis amatur, illa interdùm contemnatur, vel abijciatur, quæ minùs amatur. Amat enim mercator ſuas merces, & avarus pecunias; & uterque tamen magis amat vitam ſuam; & alter in tempeſtate proijcit merces in mare, alter pecuniam dat, ut emat ſibi panem, & alia ad vi- *Amoris Latitudo.*

tam

tam conſervandam neceſſaria. Amat omnis homo manum ſuam, & pedem, velut corporis ſui partes, quas tamen ſi opus ſit, abſcindi ſibi patitur, ut totius incolumitati conſulat, quam magis, quàm partes illas, amat. Ad hunc ſanè modum ratiocinantem audies S. Auguſtinum in libro de doctrina chriſtiana cap. 25. [Quod diligat, inquit, homo corpus ſuum, ,, idq; ſalvum eſſe, atque integrum velit, mani- ,, feſtum eſt. Sed aliquid ampliùs diligere ali- ,, quis poteſt, quàm ſalutem, atq; integritatem ,, corporis ſui. Nam multi & dolores, & amiſ- ,, ſiones nonnullorum membrorum volunta- ,, rias ſuſcepiſſe inveniuntur. Sed ut alia, quæ ,, ampliùs diligebant, ſaltem conſequerentur. ,, Non ergo propterea quiſq; dicendus eſt non ,, diligere ſalutem, atq; incolumitatem corpo- ,, ris ſui, quia aliquid amplius diligit. Nam ,, & avarus, quamvis pecuniam diligat, tamen ,, emit ſibi panem: quod cùm facit, dat pecu- ,, niam, quam multum amat, & augere deſide- ,, rat. Sed pluris æſtimat ſalutem corporis ſui, ,, quæ illo pane fulcitur.] Non ideò igitur mortificat homo carnem ſuam, quòd eam non amet: ſed quia magis amat animam, & vitam æternam, ſalutemque & animæ, & carnis ſuæ. Quam ſine hac mortificatione intelligit ſe conſequi non poſſe. Quod Paulus monuit Rom. 8. Si ſecundùm carnem vixeritis, moriemini: ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Et ad Galat. 5. cùm opera carnis commemoràſſet, quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria &c. ſubjungit; Qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur.

Mortificatio moralis. Sextò dico, non ſolùm homini propter æternam ſalutem, & ut ſecundùm Dei ſpiritum & Chriſti doctrinam vivat; ſed etiam ut homo eſt, & ex recta ratione debet vivere, neceſſariam mortificationem eſſe, nè animalem prorſus, ac beſtialem vivat vitam. Huc enim univerſa ſpectat Philoſophorum doctrina de domandis affectibus; ut homo ſcilicet juxtà rectam rationem vivat, non ut beſtia regatur ſenſu; ſicut in pſ. 48. dicitur: Homo cùm in honore eſſet, non intellexit: comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. Ut jam non inſipienter egiſſe Diogenes videatur, cùm in ipſo meridie accenſa lucernâ hominem quæritaret in foro. At nonnè forum hominibus plenum eſt? Belluæ, inquit, non homines, ſunt: nam belluarum, non hominis, vitam vivunt, dùm non rationem, ſed carnis, & ſenſûs ductum ſequuntur. Ideò Sanctus monebat Ambroſius in ſer. 25. feria 4. cinerum. [Caro velut ancilla gubernetur, & a- ,, nima tanquàm legitima domina præferatur.] ,, [Dominam enim ancillari (inquit S. Bern. in ,, libro meditationum c. 3.) & ancillam domi- ,, nari, magna abuſio eſt.] An non indignam rem, & monſtroſam judicares, ſi beſtiam videres in foro ducentem hominem quempiam cum capiſtro, & fræno in ore, quocumquè illa vellet? nam contrà fieri oporteret, ut beſtiam homo traheret. Et quàm multi quæſo homines capiſtro, & fræno beſtialium ſuarum appetitionum trahuntur? Hoc perindè ſcripſit eſſe S. Auguſt. acſi quis inverſis pedibus incederet, capite, inquam, in terram depreſſo, pedibuſque levatis in aëra, quod nonnulli interdum per jocum faciunt. Sic enim iſti rationem hominis caput, in terram abijciunt, & carnem ſenſualeſque affectus erigunt, ac velut caput ſtatuunt. [Cùm anima (inquit Aug. ſer. 50. ,, ad fratres in eremo) in corpore ſuo caput ,, eſſe debeat, quicumque carnem delitijs atq; ,, voluptatibus nimiùm erigit, nutrit, fovet, & ,, palpat, animam verò deſpicit, & contemnit, ,, pedes levat in alto, & caput imprimit in pro- ,, fundo. Et qualis eſt oculis hominum, qui in- ,, verſis pedibus ambulare videtur, talis eſt o- ,, culis angelorum, cui caro propria domina- ,, tur.] Et S. Baſil. h. de legendis libris gentilium & h. de temperantia, & incontinentia; Meminit Pythagoræ dicti, qui videns quemdam cibis lautè ſe ſaginantem; [Heus, inquit, miſer, ,, non deſinis continuò duriorem tibi carcerem ,, præparare?] Ideò Plato dicitur, cognito corporis nocumento, Academiam in loco peſtilenti elegiſſe, ut nimiam corporis proſperitatem veluti vitem palmite luxuriantem amputaret. Deniquè Seneca lib. 4. c. 10. [Major, ,, ait, ſum, & ad majora genitus, quàm ut ſim ,, mancipium mei corporis.] Præclara omninò, & Chriſtiano digna ſententia.

CAPUT III.

Carnem eſſe maximum inimicum noſtrum.

SEPTIMÒ dico, carnem, & corpus eſſe maximum inimicum noſtrum, à quo magis, quàm ab ullo alio, cavêre debemus. Caro enim non ſolùm eſt veluti remora ſpiritus, quæ currentem ad æternam, & veram fœlicitatem remoratur; ut præclarè dixit S. Nazian. in carmine, cui titulus eſt; Præcepta ad Virgines. *Caro ſpiritus remora.*

Nec vita ipſa tua jacias Enchencida carnem,
Quæ velut injecta properantem compede puppim
Detinet, & tantam cogit ſubſiſtere molem.

Verum etiam extremam nobis perniciem, & mortem machinatur. Si quis tibi diceret, te domi habêre hominem, qui mortem tibi meditatur; quid diceres? Etſi adderet; quamvis ipſe de ſua ſit certus morte, nihil tamen eum curare, modò tibi adferat mortem: quanto quæſo in eum exardeſceres odio? Domeſticus hic proditor eſt caro noſtra, quæ illicitis appetitionibus ſuis mortem nobis ſempiternam procu- *Caro domeſticus Hoſtis.*

Digitized by Google

procurat, etiamſi ſeipſam quoque ſimul perdendam eſſe ſciat. Hunc nos proditorem velut amicum nutrimus, ac delitioſè fovemus. Porrò cum eo conjungit ſe diabolus hoſtis noſter extraneus, junctiſque viribus ambo nos inſectantur. Itaque carnem noſtram verè dixeris eſſe beſtiam illam, quam Joan. vidit Apoc. 13. aſcendentem de mari, & erant illi capita ſeptem (inclinat enim, & urget ad ſeptem peccata mortalia, quæ innumerabilium aliorum ſunt capita) & draco dedit ei poteſtatem, & poſuit ſuper capita ejus diademata. S. Bern. in libro meditationum c. 15. [Diabo-
„ lus, inquit, ad ſubverſionem noſtram plus
„ confidit in adjutorio carnis, quoniam magis
„ nocet domeſticus hoſtis. Illa verò cum illo
„ fœdus inijt, quia de peccato nata, & in pecca-
„ tis nutrita.] Hanc ob cauſam Sancti omnes tanto eam proſecuti ſunt odio; tamque ſeverè tractârunt corpora ſua. Monachum quemdam ſcribit Palladius accepta ingenti ſporta ſolitum fuiſſe portare ex uno in alium locum terram, atque interrogatum quid ageret, reſpondiſſe; Vexo, vexantem me. Idem legitur de Machario. Et Dorotheus in ſimili cauſa reſpondit: Ita tracto, quia ipſe me interficit. De Hilarione ſcribit S. Hier. eum, cùm carnis ſentiret ſtimulos, ſic ſuum allocutum fuiſſe corpus. Ego aſelle faciam, ut non calcitres, nec te hordeo alam, ſed paleis, fame te conficiam, & ſiti, gravi onerabo pondere, per æſtus indagabo, & frigora, ut cibum potiùs, quàm laſciviam cogites. Ægidius, ut eſt in chronicis ordinis S. Franciſci par. 1. lib. 7. cap. 7. à quopiam interrogatus remedium contrà carnis tentationes; Quid tu, inquit, faceres, ſi canis ad te veniret, & morderet? Reſpondit ille, lapide, aut baculo eum à me repellerem: Hoc ipſum, inquit Ægidius, cum carne tua facito, & fugiet tentatio. Et univerſè S. Chryſ. in ſerm. contrà concubinarios, to. 5. de ſui temporis monachorum pœnitentijs ad exſtinguendam libidinem carnis, ita loquitur. [Audimus & hoc noſtro ſæculo,
„ quod nonnulli ferro totum corpus obligan-
„ tes, & ſacco veſtientes, & ad vertices mon-
„ tium currentes, & continuis vigilijs, ac
„ inedia ſumma viventes, & omnem diſciplinæ
„ ſeveritatem oſtendentes, ab omnibus mulie-
„ ribus ſegregati, aſcendere in domunculam,
„ & tugurium, ut hac ratione ſeipſos caſtigan-
„ tes concupiſcentiæ furorem comprimant.] Dicamus & nos cum S. Bernardo; [Exurgat
„ Deus, cadat armatus iſte, cadat, & contera-
„ tur inimicus homo, contemptor Dei, amator
„ ſui, amicus mundi, ſervus Diaboli. Certè ſi
„ rectè ſentis, dices mecum: Reus eſt mortis,
„ crucifigatur, crucifigatur.] Præclarè verò argumentatur S. Chryſ. h. 25. operis imperfecti in Matthæum propterea datum nobis fuiſſe corpus caducum, brevique moriturum tempore, ut illi minùs parcamus, atque illo velut conducto equo ad æternitatem nobis comparandam abutamur. [Caro, inquit, data
Corpus cur mortale homini.
„ eſt animæ ad tentationem, & quaſi domeſti-
„ ca, & naturalis inimica copulata eſt. Dum
„ expugnatur à carne, nec vincit, nec corona-
„ tur à Deo. Quis ergò ſapiens non intelligit,
„ quia occiſio corporis optanda eſt magis,
„ quàm timenda? Ideo tibi corruptibilis natura
„ creata eſt, & deponendi corporis tempus nu-
„ meratum; ut morituro corpori tuo non par-
„ cas: ſed commerito perituro compares tibi
„ vitam manſuram. Si mutuò accipias equum,
„ nonnè aſſiduè operaris opus tuum in eum?
„ Etiam tu in corpore corruptibili natus quare
„ non ad utilitatem animæ tuæ utaris tempora-
„ li corpore tuo, ſciens quia poſt modicum tem-
„ pus tollendum eſt à te, quia non eſt tuum?]

CAPUT IV.

De carnis mortificatione rurſum.

HOc nimirùm eſt illud Chriſti Domini: Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. En colligit milites: ſed ſtrenuos, & fortes ſolos admittit, timidoſque repellit, ac delicatos. Sic enim Gedeöni præceptum fuit Iud. 7. Qui formidoloſus eſt, & timidus, revertatur. Et anteà Moyſi præceptum fuerat Deut. 20. Qui eſt formidoloſus, & corde pavido, vadat, & revertatur in domum ſuam, nè pavêre faciat corda fratrum ſuorum, ſicut ipſe timore perterritus eſt. Non enim concupiſcit Dominus multitudinem filiorum infidelium, & inutilium, Eccleſiaſtici 15. Nec in pluribus eorum beneplacitum eſt Deo; 1. Cor. 10. Meliorque eſt unus timens Deum, quàm mille filij impij, Eccleſiaſtici 16. In trecentis enim dedit Deus Gedeöni victoriam. At quomodo? terrea ſcilicet vaſa rumpendo, quæ manibus ipſi geſtabant. Tunc enim apparuit ignis incluſus vaſis, territiq; Madianitæ fugerunt, ingentem arbitrati exercitum eſſe. Non eſt ſatis perſonare tuba, & adhortari verbis; ſed fictilia rumpenda ſunt vaſa, & mortificanda corpora noſtra; tuncque ſplendebit lux noſtra, & bonum virtutis exemplum, quod imitentur cæteri, atque vincemus alios, ſi nos ipſos priùs vicerimus; quod monuit S. Ambr. in ſer. 36. feria 5. poſt primam Dom. quadrag. [Priùs, inquiens,
Mortificatio neceſſaria.
„ homo tui victor eſto, ut poſſis eſſe victor
„ alterius. Sunt enim intrà te proprij tui hoſtes,
„ qui quotidiè te oppugnant.]

Hoc eſt illud Pauli 2. Cor. 4. Semper mortificationem Ieſu in corpore noſtro circumferentes. Et illud Iob 7. Militia eſt vita hominis ſuper terram; quia caro concupiſcit adverſus

Digitized by Google

verſùs ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem, Gal. 5. Atque hæc eſt maxima Christiani hominis fortitudo, ut ſe ipſum vincat. Ita S. Greg. lib. 7. mor. c. 8. [Iuſtorum, ait, fortitu-„do eſt carnem vincere, proprijs voluptatibus „contraire, delectationem vitæ præſentis ex-„tinguere, hujuſmodi aſpera pro æterno præ-„mio amare, proſperitatis blandimenta con-„temnere, adverſitatis malum in corde ſupe-„rare.] Et S. Ambr. in 1. libro offic. cap. 36. „[Reverà jure ea fortitudo vocatur, quando „unuſquiſque ſeipſum vincit, iram continet, „nullis illecebris emollitur, atque inflectitur, „non adverſis perturbatur, non extollitur ſe-„cundis, & quaſi vento quodam variarum re-„rum circumfertur mutatione.] Quanquàm hæc non ſolùm de carnis victoria dicuntur, ſed de omnium etiam animi perturbationum victoria. Sicut & illud Prov. 16. Qui dominatur animo ſuo, fortior eſt expugnatore urbium. Sed & de expugnatore corporis S. Ambr. lib. 1. de Abel, & Cain c. 6. [Imperitare, di-„xit, corpori, & ſenſibus ejus, & voluptatibus, „votiq; modum tenêre, præſtantiùs æſtima-„tur, quam regere populos, vel præeſſe urbi-„bus.] Et ſer. 14. in pſalmum 118. [Quicum-„que proprium corpus ſubegerit, nec ejus paſ-„ſionibus turbari animam ſuam permiſerit, is „benè regia quâdam poteſtate ſe cohibens, rex „dicitur, quod regere ſe noverit.] Et in libro de Ioſeph, eum oſtendit fortiorem fuiſſe, quando ſe ipſum rexit, impudicæ mulieris importunam tentationem ſuperando, quàm Ægyptum totam regendo. Et in Apologia David prima cap. 4. & ſecunda c. 3. Sampſonem vituperat plurimùm, quòd leonem quidem ſuffocavit, ſed amore fœminæ captus ſuccubuit. [Validiſſimus, inquit, omnium Sampſon „leonem ſuis manibus ſtrangulavit; ſed uti-„nam amorem ſuum ſuffocare potuiſſet. Meſ-„ſes incendit Allophylorum, & ipſe mulieris „unius arſit igniculo.] Ac rurſùm in poſterio-„re loco; [Sampſon validus, & fortis leonem „ſuffocavit; ſed amorem ſuum ſuffocare non „potuit. Vincula ſolvit hoſtium; ſed ſuarum „non ſolvit nexus cupiditatum. Meſſes incen-„dit alienas, & unius ipſe mulieris accenſus „igniculo meſſem ſuæ virtutis amiſit.] Contrà verò in c. 7. prioris libri, magnoperè laudat factum illud Davidis; qui ſitiens noluit bibere aquam de ciſterna Bethlehem, ſed libavit eam Domino ſacrificium pietatis. [Vicit enim na-„turam, cùm ſitiens non biberet; & exemplum „de ſe præbuit, quo omnis exercitus tolerare „ſitim diſceret.] Ejuſdem Davidis illud quoque jure optimo commendat S. Chryſ. h. 2. de David, & Saüle tom. 1. glorioſumque illum oſtendit fuiſſe, quando ſe ipſum vicit non occidendo Saülem in ſpelunca, quàm proſternendo Philiſtæum Goliath. [Non enim tàm claros (in-„quit ille h. 6. ad populum) facit reges hoſtes „vincere, quàm animum, & iram ſuperare; „illic enim armorum, & militum opus geritur; „hic verò ſui ſolius trophæum, & habent ne-„minem, qui ſecum ſapientiæ gloriam partian-„tur.] Sed hoc jam ad animæ perturbationes pertinet. De carne Io. Caſſianus collat. 15. Abbatis Neſtorotis c. 8. & 10. non dubitavit affirmare, præſtabilius hoc eſſe, quàm Dæmonibus imperare, corporumque morbos curare. [Majus, inquit, miraculum eſt de propria „carne fomitem luxuriæ eradicaſſe, quàm ex-„pellere immundos ſpiritus de corporibus a-„lienis. Et magnificentius ſignum eſt virtute „patientiæ truculentos motus iracundiæ cohi-„bêre, quàm aëreis principibus imperare: pluſq; „eſt excluſiſſe edaciſſimos de corde proprio „triſtitiæ morbos, quàm valetudines alterius, „febreſque corporeas expuliſſe.]

Perturbationes vincere.

Octavò dico maximam omninò eſſe iram, & punitionem Dei, quando aliquem deſerit, in manibus, & poteſtate carnis, & ſenſûs, ſuarumq; perturbationum. Undè in pſ. 80. dicitur; Non audivit populus vocem meam, & Iſraël non intendit mihi: & dimiſi eos in deſideria cordis ſui; ibunt in adinventionibus ſuis. Hanc Paulus ad Rom. 1. fuiſſe ſcribit pœnam à Deo philoſophis datam, qui cùm Deum cognoviſſent, non ſicut Deum glorificaverunt, ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis: Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum, in immunditiam, in paſſiones ignominiæ repletos omni iniquitate, & cætera, quæ ibi Apoſtolus commemorat. Et vide quid S. Ambr. ſcripſerit in 3. libro de virgin. [Qui dominari neſcit cupiditatibus; is ve-„lut equus raptatur indomitus, volvitur, ob-„teritur, laniatur, affligitur.] Quam ob cauſam magnoperè orat Eccleſiaſticus Deum cap. 23. nè tam ſeverè puniatur. Aufer à me ventris concupiſcentias, & concubitus concupiſcentiæ nè apprehendant me: & animæ irreverenti, & infrunitæ nè tradas me. Et ſapienter conſulit cap. 18. Poſt concupiſcentias tuas non eas, & à voluntate tua avertere. Si præſtes animæ tuæ concupiſcentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis. Itaque hanc ſancti Patres aſſerunt eſſe maximam Dei punitionem. Si tradat te appetitionibus tuis, teque illas ſectari permittat. Sicut quando medicus ægrotum deſerit, permittitque dari illi quidquid ille petierit, dicimus actum eſſe de illius ſalute. Ierem. 51. verba ſunt ipſius cœleſtis medici. Curavimus Babylonem, & non eſt ſanata, derelinquamus eam. Et Iſ. 54. Iuravi ut non iraſcar tibi, & non increpem te. Ægrotus, qui malè habet, quid ſolet deſiderare, & petere, niſi quod ſaluti ſuæ noxium eſt? Et quod guſtatum adfert mortem: ità & qui appetitionibus ſuis traditus eſt.

Immortificationis malum.

CAPUT

Digitized by Google

C A P U T V.

Mortificationem moderatam eſſe debêre.

NOnò tamen quoniam carnem ſuam ne-
mo odio habet, ſed nutrit,& fovet eam;
ultrò concedam, eam moderatè caſtigandam
eſſe, non occidendam, ac perdendam,ſed pru-
denter,ac diſcretè ſubjugandam. Copioſè de
hoc S. Baſilius diſſeruit in conſtit. monaſt.cap.
5. Cavendum enim (ut ſapienter monuit S.
Bernard. in ſer. de ſeptem gradibus confeſſ.)
nè dùm hoſtem ſubigere quærimus, civem
occidamus. [Caro namque, ut habet S. Greg.
,, Papa h.19.in Ezechielem, nobis aliquando
,, in bono opere adjutrix eſt, aliquando ſedu-
,, trix in malum. Si ei pluſquàm debemus,
,, tribuimus, hoſtem nutrimus; ſi neceſſitati
,, ejus, quæ debemus non reddimus, civem
,, necamus.]Et Orig. h. 15. in Ioſuë.[Carnis,
,, inquit,laſcivia, & petulantia,equus petulans,
,, qui jejunijs, vigilijs,& omni afflictione ſub-
,, nervari debet.Subnervari,inquàm,non inter-
,, fici.]Ideò S.Hier.in ep.ad Heliod.cap.7.hoc
nomine laudat Nepotianum, quod jejunia in
aurigæ modum pro laſſitudine, & viribus cor-
poris attemperaſſet. Prudens quippè auriga
habita virium ratione, equos largiùs, aut par-
ciùs nutrit. Frequens fuit Patribus hoc auri-
gæ exemplum. Nam S. item Greg. Nyſſenus
in libro de Virginitate cap.22.[Hoc,inquit,eſt
,, perfectiſſimum continentiæ propoſitum, ut
,, non ad corporis afflictionem,ſed ad commo-
,, das animi functiones ſpectet. Exemplo auri-
,, gæ, qui equos non conſentientes ita regit,ut
,, celerem retineat, tardum incitet.] Sic enim
nutrienda quidem eſt caro, & ſuſtentanda, ut
ſpiritum adjuvet; non impediat, aut nimium
infirma, aut plus æquo petulans. S. Auguſt. in
2. libro de Geneſi contrà Manichæos cap. 11.
exemplo utitur fœminæ, quam à Deo in adju-
torium viri creatam,ut dictum eſt cap. 4. ſub-
eſſe illi oportet, non præeſſe. At ſi adjuvare
ſpiritum; atque cum eo ſimul laborare, &
operari caro debet, nutriri eam, & ſuſtentari
neceſſe eſt. Moderatè tamen nutriatur, nè
impinguata calcitret, & reſiſtat ſpiritui, aut
etiam prorſus impediat. [Dum enim ultrà
,, modum caro affligitur, inquit S. Greg. Papa
,, lib.3. in primum Regum c.4.conferre opem
,, ſpiritui refecta non ſufficit. Et, ſi dignè non
,, affligitur; dum ſuperbit, velut libera,ſervire
,, menti indomita dedignatur.] Et S. Chryſ.li-
bro 6. de Sacerdotio. [Contento ſtudio jeju-
,, nare, humi decubare, advigilare,illoto eſſe
,, corpore,multum deſudare,& cetera id genus,
,, quæ monachi ad durandum, affligendumque
,, corpus exercenda proponunt, ſtatim omnia
,, depereunt,niſi corpus ſufferendis afflictioni-
,, bus illis par fuerit.] Quod S. Hieronymus
quoque confirmat in ep. ad Nepotianum, in
ſenibus affirmans ſolam ſapientiam creſce-
re; hæc autem omnia, quæ per corpus exer-
centur, corporis viribus deficientibus ſimul
deficere,fractoque corpore minora fieri. Qua-
propter S. Auguſt. in ſer. 28. ad fratres in ere-
mo, cùm ordinem charitatis poſuiſſet, ut pri-
mùm diligatur ſuper omnia Deus; deindè
anima,tertio loco corpus; [Moneo,inquit,&
,, præcipio, ut tantùm carnem dometis, quan-
,, tùm natura portare poteſt.]Ideoque ſenibus,
nè nimiùm affligendo potiùs Deum offen-
dant, quàm placeant, in Chriſti nomine præ-
cipit, ut ſaltem diebus dominicis, & ſolemni-
bus vinum, vel cerviſiam bibant. Univerſè
autem is continentiæ modus tenendus erit,
quem ponit S. Baſilius in or. de virtute, & vi-
tio; ut neque delitijs diffluat corpus, neque
maceratione nimia atteratur. Atque in libro
de vera virginitate argumentatur ex illis Pauli
verbis; Caſtigo corpus meum,& in ſervitutem
redigo. Eatenùs enim caſtigandum eſt, ut in
ſervitutem redigatur, & ſubjectum obediat,
& ſerviat. [Neque enim, inquit, abſtinêre à
,, voluptatibus gulæ per ſe expetendum eſt,ſed
,, quia ad virtutis acquiſitionem confert.]Ple-
rique verò obſervant illa verba Rom. 13. Car-
nis curam nè feceritis in deſiderijs ſuis.Quibus
ſimilia ſunt illa; Debitores ſumus non carni,
ut ſecundùm carnem vivamus. Sicut enim in
uno loco, non abſolutè dixit; Carnis curam
nè feceritis; ſed adjunxit; In deſiderijs ſuis: ità
in altero non dixit, nos debitores non eſſe
carni, ſed addidit; Ut ſecundùm carnem vi-
vamus,ejuſq; concupiſcentias ſectemur. Alio-
qui & illius curam habêre debemus, ut ſuſten-
tetur, & illi debitores neceſſariæ hujus ſuſten-
tationis ſumus. S. Baſilius eodem loco. [Car-
,, nis curam nè feceritis, non abſolutè, ſed in
,, deſiderijs ſuis.]Et Orig. lib.6.in ep.ad Rom:
,, [Carnis,inquit,curam nè feceritis in deſide-
,, rijs,& concupiſcentijs:] Non utique negans
carnis curam habendam in neceſſarijs, ſed in
concupiſcentijs. Et Theodor. in illum ipſum
locum; [Non prohibuit quo minùs cura ge-
,, ratur; ſed delitias, & intemperantiam expu-
,, lit.] Et S. Chryſ. h.14. in eandem epiſto-
lam, tractans illa verba; Debitores ſumus non
carni &c. [Educare, inquit, illam,fovêre,re-
,, ficere, curâre laborantem,induere,& infini-
,, ta alia illi ſuppeditare debemus. Nec illum
,, exiſtimes hujuſmodi miniſterium tollere per
,, hæc verba. Sed illud interpretatur; dicens,
,, ut ſecundùm carnem vivamus. Illud,inquit,
,, ſtudium tollo, quod ad peccatum ducit. Id
,, quod & progreſſus declaravit. Nam cùm
,, dixiſſet;Curam carnis nè feceritis,addidit; In
,, deſiderijs ſuis. Debemus enim illam curare:
,, abſit tamen, ut ſecundùm carnem vivamus,

Digitized by Google

,, hoc eſt, nè ad illam deferamus vitæ noſtræ
,, dominium. Illam enim neceſſe eſt ſequi, non
,, præire, neque illam oportet vitæ noſtræ nor-
,, mam dare, immò ſpiritûs leges accipere.]
Undè poſt exponens illa verba. Qui ſpiritu Dei aguntur, hi ſunt filij Dei; [Non dixit, in-
,, quit; Qui ſpiritu Dei vivunt; ſed, Qui ſpiritu
,, Dei aguntur, oſtendens, quod ſic vult illum
,, vitæ noſtræ Dominum eſſe, ut gubernatorem
,, navigij, aut aurigam currûs equorum.] Et h. 20. expendit illa verba; Exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem. [Cùm enim hoſtiam
,, dixiſſet, nè quis putaret, quòd præcipiat ma-
,, ctari corpora, ſtatim ſubjungit, viventem.]
Et h. 24. in ea verba: Et carnis curam nè feceritis in deſiderijs ſuis. [Quemadmodùm
,, ait, non bibere, ſed inebriari; non nubere,
,, ſed laſcivire: ita neque carnis curam agere
,, ſimpliciter prohibuit, ſed (in deſiderijs) addi-
,, dit; quale eſt dum neceſſarius uſus exceditur.
,, Alioqui, quod curam illius agere præcipiat
,, etiam, audi quid Timotheo ſcribat; Modico
,, vino utere propter ſtomachum tuum, & cre-
,, bras infirmitates tuas. Ita & hic curam illius
,, habet quidem, ſed ad ſanitatem, non ad la-
,, ſciviam. Neque enim ea cura demùm fuerit
,, carnis cura, ſi quando flammam accenderis,
,, caminum gravem, & intolerabilem feceris.]
Et ſer. cui titulus eſt; Carnis concupiſcentias nè ſectemur to. 5. citans Pauli verba; Carnis curam nè feceritis in deſiderijs ſuis; [Ut, inquit,
,, nec potum vetuit, ſed ebrietatem interdixit;
,, nec nuptias reſpuit, ſed incontinentiam im-
,, probavit; ità & carnis habendam eſſe ratio-
,, nem non negat; ſed prodeuntes ex ea cupi-
,, ditates, id eſt, neceſſitatis exceſſum interpel-
,, lat.] Et iterùm. [Carnis curam habendam
,, eſſe Paulus affirmat; Utere modico vino
,, propter ſtomachum &c. Ità hoc loco carni
,, ad ſanitatem vult, non ad luxum, & intem-
,, perantiam provideri. Aliter enim nec dici
,, providentia poſſet, ſi per eam aut flammam
,, ſuccenderes, aut ignis caminum tibi redderes
,, graviorem.] S. Greg. verò Papa h. 7. in Ezech. per quam accommodatè adfert illud Lev. 1. Turtur immoletur retorto ad collum capite.
,, [Ita enim, inquit, adhæreat côllo, ut non
,, penitùs abrumpatur, & animus retorquea-
,, tur ad virtutes, nec caput penitùs abſcinda-
,, tur. Quia mens à carnali delectatione, non
,, à carnis cura neceſſaria, incidenda eſt. Car-
,, nis curam nè feceritis in deſiderijs ſuis, ait
,, Apoſtolus. Quæ ergò in deſiderijs fieri pro-
,, hibetur, in neceſſitate conceditur.] S. Bern. etiam in ep. de vita ſolitaria, ad fratres de monte Dei, adfert illud 1. Tim. 4. Corporalis exercitatio ad modicum utilis eſt. [Affligen-
,, dum, inquit, eſt corpus, ſed non conteren-
,, dum. Nam corporalis exercitatio ad modicum
,, valet, & pietas ad omnia utilis eſt. Propter
,, quod, & ad modicum, hoc eſt, non in concu-
,, piſcentijs, ſed tamen cura carnis agenda eſt.]
Quare in libro de modo benè vivendi cap. 24. de cibo ita præſcripſit. [Non debemus come-
,, dere, ut venter impleatur, ſed ut corpus ſu-
,, ſtentetur. Ubi venter eſt cibis repletus, ibi eſt
,, ignis luxuriæ ſuccenſus.] Et rurſùm in ep. mox citata. [Duriùs tractandum eſt corpus, nè
,, rebellet, & inſoleſcat: ſic tamen, ut ſervire
,, ſufficiat; quia ad ſerviendum ſpiritui datum
,, eſt. Nec ſic habendum eſt, tanquàm propter
,, illud vivamus, ſed tanquàm ſinè quo vivere
,, non poſſumus. Fœdus enim, quod habemus
,, cum corpore, non quandocumque volumus,
,, poſſumus abrumpere, ſed legitimam ejus re-
,, ſolutionem patienter nos expectare oportet,
,, & interim quæ legitimi fœderis ſunt obſer-
,, vare. Sic ergò nobis eſt cum eo convivendum
,, vel conveniendum, quaſi non diù nobis ſit
,, cum eo commorandum, ſicq; ut ſi aliter eve-
,, nerit, non urgeamur ad exeundum.] Beatus Macharius, ut eſt apud Caſſianum in libro de ſpiritu gaſtrimargiæ cap. 41. Ita inquiebat monachum debêre jejunijs operam dare, ut centum annis in corpore commoraturum, ita verò motus animi refrænare, tanquàm quotidiè moriturum: hoc eſt, corporis caſtigationem moderatam eſſe oportêre, perturbationum autem animi mortificationem quàm maximam.

CAPUT VI.

Mortificatio occulta ſit, & à ſeniore permiſſa.

DECIMÒ dico; duas huic diſcretioni, ſeu moderationi addendas eſſe conditiones mortificationis carnis noſtræ; quas notat S. Ber. in ſer. de ſeptem gradibus confeſs. Altera, eſt, ut ſit occulta; Nè intentionem tuam in vilis gloriæ brevitate recondas. [Nihil enim infœli- *Mortificatio ſit occulta, & cum licentia.*
,, ciùs, quàm hìc carnem macerare jejunijs, vi-
,, gilijs affligere, & hìc accipere gloriam, illic
,, gehennam.] Altera; ut ſit licentioſa, hoc eſt, cum ſuperioris patris licentia, & approbatione facta. [Quia quidquid fit cum Paſtoris licen-
,, tia gratioſius eſt in conſpectu Dei, & illam
,, hoſtiam ſingulariter accipit Altiſſimus, quæ
,, non eſt de propriæ ſententia voluntatis, ſed de
,, præcipientis offertur imperio.] [Deindè (ut
,, idem habet in ſer. de Sancto Andrea Apoſto-
,, lo) quia, quod ſine licentia fit, vanæ gloriæ
,, deputabitur, non mercedi.] Undè & in libro de natura, & dignitate amoris divini c. 3. [A
,, ſe ipſo, inquit, in ſe ipſum rigida debet eſſe
,, cenſura, & diſtricta ſeveritas; ad regentem
,, autem lenis, & obediens in omnibus humili-
,, tas. Si alterum deſit, vel non ſpero perſeve-
,, rantiam, vel timeo ruinam.] S. Baſilius in regulis brevior. 138. Cùm quæſiſſet; Nùm in

fratrum

Digitized by Google

fratrum familia permitti debeat, ut quis pluſquàm cæteri jejunet, aut vigilet ex propria ipſius voluntate. [Quidquid; inquit, ex pro-,, pria voluntate fit, cùm facientis proprium ,, ſit, alienum eſt à cultu pietatis. Deindè quod ,, in rebus etiam bonis velis excellere, conten-,, tionis vitium eſt, quod ex appetitione naſci-,, tur inanis gloriæ. Quòd ſi is acriore jejunio, ,, aut vigilia egere ſe putat, rationem ijs ape-,, riat, qui communis diſciplinæ curam habent, ,, & quod illi ſtatuerint, obſervet: Nam illius ,, neceſſitati meliùs fortaſſe alio modo conſu-,, letur.] Deniquè S. Ambr. lib. 3. de virginibus ex poëtarum fabulis Icari volatum profert, ut juniores oſtendat ſeniorum conſilio, & prudentia regi oportêre. [Icari volatus, ,, inquit, ſignificat prudentium maturitati tu-,, tos volatus eſſe per ſæculum: juvenilem verò ,, levitatem obnoxiam cupiditatibus mundi, re-,, fluentibus pennis, & per oblivia veritatis ,, membrorum compage reſoluta, majore per-,, nicie in terram relabi.]

CAPUT VII.

Mortificatio conjunctam habeat orationem.

UNDECIMÒ ac poſtremò dico; Mortificationem hanc non futuram illi difficilem, neque viſuram duram, qui amore virtutis, cæleſtiſque gloriæ incenſus fuerit; & aliquem ſpiritualium rerum ſenſum habuerit. Eſt enim veriſſimum illud S. Gregorij Papæ dictum libro 5. in primum Regum c.4. [Potenter cor-,, pus extenuat, qui amore cœleſtium cor in-,, flammat, quia dùm ſpiritualia fortiter diligit, ,, deſideria carnis valenter premit.] Propterea Mortificatio, & oratio. adſit & orationis ſtudium. Nam Cant. 4. dicebat ſponſus: Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris. Myrrha enim mortificationem deſignat, quam thus orationis comitari oportet. Hæc duo conjungi ſemper debent, mortificatio, & oratio. [Ad montem ,, myrrhæ, ait Gregorius, & ad collem thuris ,, ſponſus vadit, quia eos familiariter viſitat, ,, quos per mortificationem vitiorum ad alta ,, proficere, & per mundas, & humiles oratio-,, nes ſuaviter redolêre perſpicit.] Hæ ſunt duæ alæ, quibus volabant Seraphin, quæ Iſaias vidit cap. 6. Scio Sanctum Bernardum in ſer. 3. de verbis Iſaiæ, duas alas interpretatum fuiſſe cognitionem, & devotionem. Sed liceat nunc, & nobis mortificationem, & orationem accipere. Una ala non ſufficit ad volandum. [Ruit enim citiùs, ait Ber. qui unâ tan-,, tum alâ volare contendit; ſi præter mortifica-,, tionis alam, accedat & orationis ala, volabit ,, tutiùs.] In templo quoque à Salomone ædificato ratiocinatur S. Aug. in ſer. 255. de tempore duo legimus altaria conſtituta unum foris, alterum intùs. In illo animalium cædebatur ſacrificium: In hoc thymiamatis offerebatur incenſum. In nobis item duo ſunt altaria conſtituta, corporis ſcilicet, & cordis, ſeu animæ noſtræ. In priore carnis mortificatio immolatur, & carnis cæditur ſacrificium. In poſteriore orationis adoletur thymiama ſuaviſſimi odoris Domino. Et S. Bern. tractans illa verba Cant. 3. Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum, ſicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ, & thuris? duo hæc myrrham, & thus, mortificationem, & orationem vult ſemper eſſe conjuncta, ut elevemur ad Deum, atque in altum perfectionis ſublimemur. Alioqui una ſine altera ſuperbum facit.

CAPUT VIII.

Quomodò ſpiritus promptus, & caro infirma.

SANE Chriſtus Dominus profecturus ad mortem, in oratione, quam habuit ad Patrem; Spiritus, dixit, promptus eſt, caro autem infirma. [Antequàm iret ad crucem, ait Ori-,, genes h. 1. in pſ. 37. & crucifigeret carnem, ,, & emori eam faceret, antequàm perfectè ,, mortificaretur, dixit infirmari carnem ſuam, ,, & ſpiritum promptum eſſe. Cùm verò cruci ,, eam tradit, & perfecta morte conſummat; ,, tunc jam non promptum, ſed in manibus Pa-,, tris ſpiritum poſitum eſſe teſtatur. Quod no-,, ſtris, inquit, eruditionibus præbet exem-,, plum.] Hoc enim mortificatione aſſequimur. Namq; S. Bern. etiam in ſer. in feria 4. hebdomadæ pœnoſæ, adferens illud Io. 5. Tolle grabatum tuum, & vade in domum tuam; hoc ipſum in nobis mortificationem aſſerit operari. ,, [Grabatum enim noſtrum corpus eſt, in quo ,, priùs languidi jacebamus, ſervientes deſide-,, rijs, & concupiſcentijs noſtris. Nunc porta-,, mus illud, cùm ſpiritui obedire cogimus. Am-,, bulamus tamen, non currimus, quia corpus, ,, quod corrumpitur aggravat animam.] Atque hoc in ſermone de quatuor modis orandi, certum affirmat eſſe ſpiritualis curationis argumentum, quæ tota Deo tribuenda ſit. Nam cùm dixiſſet Chriſtus Judæis paralyticum curaturus; Ut autem ſciatis, quia filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata, dixit paralytico; Tolle grabatum tuum, & vade in domum tuam. [Si ergò, inquit Ber. ,, ſurgis deſiderio ſupernorum, ſi grabatum tol-,, lis, & corpus à terrenis elevas voluptatibus, ,, ut jam non feratur anima concupiſcentijs ,, ejus, ſed magis ea regat illud, & ferat quo non ,, vult deſiderio, & propoſito proficiendi; cura-,, tum te eſſe non dubites: quia nec ambulare ,, fervore converſationis cum peccatorum gra-,, vi mole poſſibile eſt.] Sed & addit S. Hier. in com. ad caput 6. epiſtolæ ad Galatas; [For-

P 2 te non

Digitized by Google

„ tè non ſolum Paulus,qui in plagis ſuprà mo-„ dum, in carceribus frequenter,ter virgis cæ-„ ſus, ſemel lapidatus: verum & is,qui macc-„ rat corpus ſuum,& ſubijcit ſervituti,Stigma-„ ta Domini Ieſu in corpore ſuo portat.] Et in ep. de. celebratione Paſchæ (ſi modo eſt Hieronymi) triduum Chriſti crucifixi,ſepulti, & reſuſcitati, ità interpretatur; ut crux ſit mortificatio membrorum in hac vita, ut deſtruatur corpus peccati: quod verò ſignificat ſepultura, & reſurrectio, fide, & ſpe nitatur, quia præmium reſurrectionis, & gloriæ expectamus. Ad extremum Origenes libro 9.com. in epiſtolam ad Rom.ad caput 12. [Qui mor-„ tificant, inquit, membra ſua ab incentivo li-„ bidinis, hi hoſtiam viventem, Deo placen-„ tem,rationabilem offerunt: & legem ſacrifi-„ ciorum, quæ in Levitico lata eſt, ſecundùm „ ſpiritualem intelligentiam complent.] Et ad caput 14.exponens illud; Ut vivorum,& mortuorum dominetur. [Vivorum,inquit,qui re-„ ſurrectionis ejus exemplo novam, & cœle-„ ſtem in terris exigunt vitam. Mortuorum; „ qui mortificationem Chriſti in corpore ſuo „ circumferunt; & mortificant membra ſua, „ quæ ſunt ſuper terram.] Et ut paucis multa complectar, adijciam verba Sancti Chryſoſtomi com. in pſ. 6. [Orationes,inquit,aſſiduas, „ Sanctorum conſuetudinem, jejunium com-„ moderatum,victum tenuem,exercitia neceſ-„ ſaria; antè omnia autem Dei timorem,futu-„ rum judicium, ſupplicia intolerabilia,bono-„ rum promiſſiones:per hæc omnia refrænanda „ eſt cupiditas rabie agitata, & ſedandum mare „ commotum fluctibus.]

Ita quemadmodùm dicitur in pſ. 97. Pſallemus Domino Deo in tubis ductilibus, & in voce tubæ corneæ, hoc eſt, duplici hac mortificatione carnis, & animæ affectuum. Tubæ namque ductiles, quæ æreæ ſunt, ut in com. loquitur S. Auguſt. & tundendo producuntur, & vapulando tribulationem illi; nobis carnis mortificationem ſignificant; nam & caro caſtigatione tunditur. Tribulatio, ſeu caſtigatio tunſio, profectus productio eſt. Cornea verò tuba altera eſt perturbationum mortificatio. Nam cornu, quamvis ex carne oriatur, ſuperat tamen, & excedit carnem, & ſuperando fit firmum. Et quid eſt ſuperare carnem, niſi carnales affectus excedere, & vincere; juxtà illud Apoſtoli: Quæ ſurſùm ſunt ſapite, quæ ſurſùm ſunt quærite, non quæ ſuper terram. Hoc eſt carnem excedere, carnem non cogitare,ſed juxtà rationis ductum affectus omnes moderari.

DE ANIMÆ PERTVRBATIONVM MORTIFICATIONE.

LIBER XIII.

VENIO ad alteram mortificationis partem,quæ ad domandas animæ perturbationes, ac rationi rectæ ſubijciendas ſpectat. Nam etſi,quæ hactenùs dicta ſunt ſpeciatim de carnis,carnaliſque concupiſcentiæ mortificatione; universè quoque de animæ affectibus omnibus minùs ordinatè in nobis adverſùs rationem inſurgentibus intelligi poſsint,& debeant. De hoc tamen quoque altero capite multa ſeorſim à veteribus optimis morum, ac virtutis magiſtris dicta reperio. Graviores enim multò ſunt animæ, quàm corporis morbi; quod diſputavit quoque Plutarchus.

CAPUT I.

Perturbationes virtutis ſegetem eſſe.

STOICI, mea quidem ſententia verè, animi perturbationes ἀῤῥωστήματα & νοσήματα id eſt morbos, & ægrotationes dixerunt. *Perturbationes morbi animi.* Adverſantur enim rationi, velut defectus & peccata naturæ; & verè morbi ſunt, atque ægrotationes animi. Ut enim corpus ſanum eſt,dum humores omnes temperati ſunt, ſuoq; quiſque loco continetur. Ægrotum autem, ſi copioſior eorum quiſpiam, cæteris quaſi perniciem machinetur. Sic ſanè animus judicatur ſanus, ſi omnes illius partes ſuum teneant locum, neque adverſùs rectum rationis imperium inſurgat ulla: Ægrotus autem, ſi concitentur ita, ut quaſi ſeditione facta, inferio-

Virtutum ſeges.

feriores contrà ſuperiores inſurgant. In his cohibendis, atque ſedandis plurimum rationis ſtudium eſſe debet, atque ità virtutis, ac meriti evadunt materia. Et Ariſtoteles quoque in 2. libro de moribus ad Nichomacum, multis demonſtravit, morales virtutes circà voluptates, & dolores verſari. Atque ex noſtris Lactantius Firmianus in libro de vero cultu cap. 15. [Qui affectus, inquit, ab homine tollit (qui fuit Stoicorum error) virtutem tollit. Ubi enim vitia non ſunt, nec virtuti locus eſt quidem: ſicut nec victoriæ quidem, ubi adverſarius nullus.] Alterum ex agricultura exemplum addit. Affectus enim quaſi ubertas eſt naturalis animorum. [Nam ſicut in ſentes ager, qui eſt natura fœcundus, exuberat; ſic animus incultus, vitijs ſua ſponte invaleſcentibus, velut ſpinis obducitur. Sed cùm verus cultor acceſſerit, ſtatim cedentibus vitijs, fruges virtutis oriuntur.] Alij dixerunt eſſe ſcalam, quà ad cœleſtem patriam aſcendimus. Ita locutus eſt S. Euſebius Emiſſenus h. 1. de Aſcenſione Domini. [Aſcendamus, inquit, poſt eum, & per ipſarum adminicula paſſionum: ſi unuſquiſque noſtrum ſubdere eas ſibi ſtudeat, & eminentia dominantis animi ſuper eas ſtare conſueſcat; ex ipſis ſibi gradum conſtruat, quo ad ſuperiora conſcendat. Sublimabunt nos, ſi fuerint infrà nos: de noſtris etiam vitijs ſcalam nobis facimus, ſi vitia ipſa calcamus.] Eadem prorſus verba repetit in h. 2. niſi fortaſſe ſit Auguſtini, nam apud eum eſt ſermo 176. de tempore. Illa quoque S. Gregorij Papæ verba fuerunt in 3. libro mor. cap. 19. [Si forti nos ſtudio contrà vitiorum incentiva ſtringimus, ipſa etiam vitia ad uſum virtutis immutamus. Ut ira ſi rationi ſubijciatur, in ſancti zeli miniſterium vertitur.] Hoc ſignificaſſe putat Iob, cùm pro amicis ſuis poſt multa certamina hoſtias immolavit. [Quia quos per contentionem, inquit, diù hoſtes pertulit, poſt per ſacrificium cives reddidit.]

CAPUT II.

Perturbationes domandas eſſe.

Voluptas.

MAGNUM & Deo gratiſſimum ſacrificium eſt perturbationum mortificatio; quà omnes illæ offeruntur Deo, atque in uſum virtutum abſumptæ convertuntur. Noſque ita quoquo modo ad divinam accedimus puritatem. [Non enim poteſt quiſquam ad Dei puritatem accedere (inquit S. Greg. Nyſſenus in libro de virginitate cap. 21.) niſi firmo interjecto muro à voluptatibus ſe removeat. Murus autem firmiſsimus eſt quædam ab affectuum imperio abalienatio.] Antiſtenem philoſophum hominem refert Alexandrinus Clemens libro 2. ſtrom. inſanire potiùs voluiſſe, quàm voluptate affici, amicoſque hortabatur ſuos addit Theodor. lib. 12. de curandis Græcorum affect. ut nè digitum quidem voluptatis cauſà extenderent. Neque pax, & libertas accedit aliter, quàm per perpetuam, atque indefatigabilem adverſùs animi noſtri motus repugnantiam. Autor eſt idem Clemens. Neq; in libro 6. decorum putat, ut Dei amicus, quem is antè mundi conſtitutionem prædeſtinavit, ut referatur in ſummam filiorum adoptionem, voluptatibus ſubijciatur, vel timoribus, & occupetur in comprimendis animi perturbationibus. [Non naturam habêre infirmitatibus ſubditam (ait S. Chryſ. h. 6. de laudibus Pauli) ſed ſervire infirmitatibus, criminoſum eſt: ut meritò magnus habeatur, ac mirabilis, qui imbecillitatem naturæ voluntatis vigore ſuperaverit.] Meritò dolet S. Aug. in libro de vera religione cap. 45. quod nolumus ab hominibus vinci, & iram non poſſumus vincere; [Qua turpitudine, quid execrabiliùs dici poteſt? quantò honeſtiùs homo nos vincit, quàm vitium?] Quod tamen non eſſe admodùm difficile ſuperare S. Dorotheus tradidit in ſer. 1. de obedientia. [Carêre, inquit, omninò affectibus, & animi perturbationibus, ferè eſt impoſsibile: non operari autem, ut illæ volunt, & imperant, non admodùm eſt difficile.] Hoc putat eſſe crucifigi mundo, paſsiones ſcilicet haſce mortificare. Nam adferens illa Pauli verba, Gal. 6. Mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo; [Quid ſibi vult, inquit, hæc differentia mundus homini crucifigitur, cum mundo abrenuntiat, ac valedicit homo dimiſſis parentibus, agris, &c. Dimittit enim, ac deſerit mundum. Homo autem crucifigitur mundo, cum relictis rebus exterioribus certamen init adverſùs voluptates omnes, concupiſcentias, & propriam voluntatem, & ſuas paſsiones, & animi morbos enecat, atq; eradicat. Tunc ſeipſum verè mundo crucifigit.]

Perturbationes domare.

Pulchra verò ſimilitudine ad hoc nos incitat S. Dionyſ. Areopag. in ep. 8. ad Demophilum. [Si in foro famulum in dominum, adoleſcentiorem in ſeniorem, aut in patrem filium dicere videremus, atque facto impetu plagas ei infligere, flagitioſè facere viderémur, niſi currentes ſuperioribus opem ferremus: quid eſt, cur nos non pudebit, ſi negligemus rationem ab ira, aut cupiditate violari, atq; ex eo imperio, quod à Deo ei datum eſt, eijci, excitantes in nobis nefariam, & iniquam ordinis perturbationem, ſeditionem diſtinctioniſque confuſionem.] Alia ſimilitudine utitur S. Emiſſenus h. 4. ad monachos; ſtatuæ forinſecùs aureæ, intrinſecùs luteæ; & domus pulchrè foris depictæ, ſed ſerpentibus plenæ, ac demùm incultæ vineæ. [Gratis, inquit,

,, quit, jejunatur, & laboribus corpus exerce-
,, tur, niſi à paſſionibus curetur animus. Sicut
,, ſi ſtatuam facias à foris auream, intùs luteam,
,, aut ſi domus fortis pulcherrimè depicta, in-
,, tùs ſerpentibus plena, aut ſi circà vineam ex-
,, tirpes, & colas, & ipſam incultam relinquas.]

S. verò Cyrillus Alexandrinus in libro de adoratione in Spiritu Sancto affectus eſſe mortificandos perſuadere conatus eſt ex verbis illis, Gen. 12. Egredere de terra tua, & de cognatione tua &c. [Intelligis, inquit, quomo-
,, dò non de terra, & domo dumtaxat, ſed & de
,, cognatione, & de domo patris abſcedere juſ-
,, ſerit, & venire in terram, quam monſtrabat
,, ei ipſe, qui vocabat.] Et paulò poſt; [Qui di-
,, vina oracula proximè ſequi vult, & divinam
,, vocationem multâ curâ dignatur, exeat pe-
,, nitùs à vita voluptaria, & quaſi cum tota fa-
,, milia ſuarum cogitationum, & nulla ibi reli-
,, cta, ubi olim fuerat &c. Tunc enim ad quer-
,, cum venit excelſam, hoc eſt, ad habitum vir-
,, tutum ſublimem, & nihil, quod ad ſapientiam
,, attinet, vile vel abjectum habentem.] Et S. Chryſ. commentario in pſ. 7. [Quia quovis car-
,, nifice graviùs perturbationes mentem ex-
,, cruciant.] At S. Dorotheus in ſer. 10. cui titulus eſt, quòd viam Dei cum omni ſolicitudine currere debeamus; Tres hominum ſtatus diſtinguit. Primus paſſiones ad operationem perducit, atque obſtinatè defendit. Secundus paſſiones, & vitia ſiſtit, & refrænat, nè progrediantur ulteriùs. Tertius penitùs evellit, & eradicat. [Qui verò evellere non
,, ſtudet, ſimilis eſt ei, qui ſagittâ percuſſus ab
,, hoſte, ſagittam manibus ſuis arripit, & in præ-
,, cordia ſua infigit. Qui autem paſſionem
,, comprimit, ſimilis eſt ei, qui ſagitta percuſ-
,, ſus, quoniam thorace indutus eſt, non lædi-
,, tur. Qui verò radicitùs paſſionem evellit, ſi-
,, milis eſt illi, qui ſagitta percuſſus, non modò
,, non læditur; ſed eam manibus ſuis vel con-
,, fringit, vel in hoſtis præcordia retorquet.] Undè in pſ. 36. dicitur. Gladius eorum intret in corda ipſorum, & arcus eorum confringatur.

Quinque ſenſus reges.

Quinque illi reges, qui in terra à Deo filijs Iſraël promiſſa regnabant, Ioſue pugnante ſuperati ſunt, Ioſ. 10. antequàm ad eam ingrederentur filij Iſraël; hoc ad rem noſtram interpretatur S. Hier. in 1. libro adverſus Iovinianum cap. 12. [Nam antequàm Dominus
,, populum ſuum educeret de Ægypto, & cir-
,, cumduceret eum; viſus, odoratus, guſtus, au-
,, ditus, tactuſq; regnabant; & his quaſi princi-
,, pibus erant univerſa ſubjecta. Quos Ioſue ad
,, ſpeluncam corporis confugientes, & ad tene-
,, broſum locum, id eſt, ipſum ingredientes cor-
,, pus, interfecit, ut per id interficerentur, per
,, quod antè regnabant.] Ita nimirùm nos omnes erimus reges illorum quinque regum occupantes regnum, ſenſibuſque dominantes, atque imperantes. Ita dicitur in pſ. 143. Qui das ſalutem regibus. [Quibus regibus? inquit
,, in commentario S. Hier. illis, qui regnant in
,, corpore ſuo, qui ſubjiciunt corpus ſuum, &
,, in ſervitutem redigunt.] Hos enim verè reges eſſe, pluribus oſtendit S. Chryſ. h. 3. in poſteriorem ad Cor. epiſtolam. Et S. Greg. Papa lib. 26. mor. cap. 21. Sanctos affirmat viros in ſcriptura ſacra vocari reges. Quoniam paſſionibus dominantur ſuis, & tentationum motibus non conſentiendo ſuccumbere, ſed regendo præeſſe noverunt. In libro Exodi cap. 32. cùm adoraſſet populus vitulum, Moyſes ſtans in porta caſtrorum, ait; Si quis eſt Domini, jungatur mihi, congregatiq; ſunt ad eum omnes filij Levi. Quibus dixit; Ponat vir gladium ſuper femur ſuum, ite, & redite de porta ad portam per medium caſtrorum, & occidat unuſquiſque fratrem, & amicum, & proximum ſuum; & ceciderunt in die illa, quaſi triginta tria millia hominum. S. Hier. (vel quiſquis fuit autor epiſtolæ ad Geruntij filias) de contemnenda hæreditate. [Hoc
,, vos, inquit, gladio utentes, imitamini Levitas
,, illos ab interiori homine, per exterioris no-
,, ſtri caſtra currentes, obvios affectus pro Do-
,, mini amore jugulate, reſiſtentes nobis, remo-
,, ránteſque nos, propinquum, proximum, fra-
,, tremque perimamus: & hæc à porta faciamus
,, ad portam, id eſt, nè cùm in portâ oculi fra-
,, trem fuero perſecutus, portam fortaſſe au-
,, ris obſideat, & per aliam portam prætermiſ-
,, ſus occurrat. Undè illis Moyſes dixit; Imple-
,, ſtis hodiè manus Domino; Implentur enim
,, manus Domino, cùm Domini occupantur
,, imperijs, nec affectui carnis obtemperant, ſed
,, divinæ ſerviunt juſſioni.]

In libro Gen. c. 1. Cùm Deus creaſſet hominem, imperium illi tradidit in cæteras creaturas; Dominamini, inquit, piſcibus maris, & volatilibus cœli, & beſtijs terræ. Quod ita intellexit S. Aug. in lib. 1. de Gen. contrà Manichæos cap. 20. ut affectiones omnes, & motus animi, quos habemus animalibus ſimiles, ſubditos habeamus; & illis dominemur per temperantiam, & modeſtiam. Eſt & illud, Gen. 9. Sicut olera pabuli dedi nobis omnia; quod eodem intellectu accepit S. Ambr. in libro de Noë, & arca, cap. 25. [Irrationa-
,, biles enim paſſiones ita debent menti ſapien-
,, tis, ſicut olera ruſtico eſſe ſubjectæ; atque ita
,, utamur reptilibus cogitationibus, ut agricola
,, oleribus, quæ licet obeſſe non poſſunt, cibi
,, tamen non habent gratiam fortioris.] Obſervat Orig. h. 15. in Ioſue, filios Iſraël uſos nunquàm fuiſſe equis, legemque veterem nihil de equis, ſed de aſinis mandâſſe. Quòd aſini ad humanos labores juvandos, oneraque portanda comparati ſint: equi verò magis ad hominum perditionem. Eſt enim laſcivum animal,

Equi, & Aſini.

Digitized by Google

mal, & ſuperbi motus. Undè contrà Madianitas pugnantes reſervârunt ſibi aſinos, & Ioſuë contrà Jabin occidit, & ſubnervavit equos juſſu Dei. Quod oſtendit paſſiones animi nobis eſſe mortificandas, & ſubnervandas. S. quoque Bern. in ſer. 4. de Aſcenſ. Domini: Aſinos voluit ſignificare perturbationes noſtras. Namque exponens illud Evangelij; Aſcendit Chriſtus ſuper aſinam; [Aſinini quidam, inquit, & beſtiales motus legem contrariam habent, & captivare te volunt. Quid facies ſuper concupiſcentijs irrationabilibus, quæ ſunt in membris tuis? Urget te, etiam cùm jejunare conſentis, gulæ illecebra; cùm vigilare proponis, ſomnolentia premit. Quid faciemus huic aſino? Aſininum enim eſt iſtud, commune cum aſinis, quia homo comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. Aſcende Domine ſuper aſinum iſtum, conculca hos beſtiales motus, quia domari debent, nè dominari prævaleant. Niſi enim calcati fuerint, conculcabunt nos; niſi premantur, opprimient nos.] Et Lactantius etiam in libro de vero cultu c. 17. affectibus ſcripſit vitam noſtram velut equis pernicibus duci. Sed S. Ambroſium reperies tùm in malum, tùm in bonum equos nomináſſe, quod obiter ſit adnotatum. Nam in libro de Iſaäc & anima c. 8. [Boni, inquit, equi virtutes ſunt animæ, mali equi paſſiones ſunt animæ.] Anima verò fuerit velut currus; boni equi ſunt quatuor Cardinales virtutes, mali equi contraria vitia, ſeu quatuor principales affectus. Itaque ſapienter Origenes loco paulò antè ſignificato, exponens illa verba; Non remittatur ullus, qui reſpiret. [Si ira, inquit, aſcenderit in cor tuum, fieri poteſt, ut opera iracundiæ non impleas. Sed hoc non ſufficit: agendum eſt, ut nè ipſa quidem commotio iræ locum habeat intrà te. Sic enim efferveſcit animus; etiamſi non impleverit opus; ipſa tamen perturbatio indecens eſt ei, qui ſub Ieſu militat Duce. Similiter & de cæteris paſſionibus, de quibus cunctis ita agendum eſt diſcipulo Ieſu, ut nihil omninò horum in ejus corde reſpiret. Si enim parvi alicujus vitij, aut conſuetudo, aut cogitatio relinquatur in corde, proceſſu temporis convaleſcet ad vomitum noſtrum, & fient noviſſima pejora prioribus.] Et adfert illud; Beatus, qui tenebit, & allidet parvulos ſuos ad petram; parvulos, ſcilicet Babylonis; qui nulli alij intelliguntur, niſi cogitationes malæ, quæ cor noſtrum confundunt, & conturbant, quæ cogitationes dum adhuc parvulæ ſunt, & initia habent tenendæ ſunt, & allidendæ ad petram, quæ Chriſtus eſt; & ipſo jubente jugulandæ, ut nihil in nobis reſideat, quod reſpiret. Hunc locum pluribus allatis exemplis illuſtrat S. Chryſ. h. 11. in priorem ep. ad Corint. [Planta, inquit, nuper inſita faciliùs evellitur, diuturniore autem morâ, profundis actis radicibus, multo labore opus eſt, ut evellatur: & ædificium nuper compactum facilè, tempore autem conſolidatum difficilè diruitur: & fera, quæ diutiùs alicubi moram traxerit, ægrè capitur.] S. Dorotheus quoque in ſer. 11. eodem illo arborum exemplo uſus eſt; quæ cùm parvæ ſunt, facilè evelluntur è terra; grandiores difficilè.

Matth. 21.

Principijs reſiſtendum Pſ. 136.

CAPUT III.

Perturbationes penitùs extingui non poſſe.

NOLIM tamen hæc ita accipias, quaſi penitùs evelli poſſint perturbationes, ità ut nullæ in nobis ſint, noſq; ſine illis poſſimus hanc vivere vitam. Hoc enim fieri non poſſe jam dictum eſt. In baptiſmo ſanè delentur peccata, at perturbationes non tolluntur. [Quemadmodùm (inquit S. Nyſſenus in or. in diem natalis Chriſti) dum ſerpentes interficiuntur, non continuò reliquæ partes ſimul cum capite moriuntur: ſed cum interierit caput, illæ adhuc vitam retinent, & motum: ſic accidit, & in draconis interitu. Ingens cùm eſſet fera, quippè quæ ſingulis hominum ætatibus excreverat, qui multiplex illius caput, id eſt, vim illam malorum inventricem multa in ſe capita continentem ſuſtulit, cætterarum ipſius partium tractus neglexit, ut interfectæ feræ motum poſteris ad exercitationis occaſionem relinqueret.] Sed ità domari poſſunt, & ſubijci, ut rationi non adverſentur, ſed famulentur. Quarè oppoſitè prorſùs S. Bern. in ſer. 58. in Cant. cùm ſponſam dilectus ad vineæ putationem invitaſſet, dicens: Tempus putationis advenit; ità interpretatus eſt, ut animam noſtram intelligeremus eſſe velut vitem, quæ ſubindè pullulat, anniſque ſingulis indiget putatione. [Quis, inquit ille, ita ad unguem omnia à ſe ſuperflua reſecavit, ut nihil ſe habere putet putatione dignum? Credite mihi, & putata repullulant, & effugata redeunt, & reacceduntur extincta, & ſopita denuò excitantur. Parum eſt ſemel putaſſe; ſæpè putandum eſt: immò ſi fieri poſſit, ſemper; quia ſemper quòd putari, oporteat (ſi non diſſimulas) invenis. Quantumlibet in hoc corpore manens profeceris, erras, ſi vitia putas emortua, & non magis ſuppreſſa. Velis, nolis, intrà fines tuos habitat Jebuſæus: ſubjugari poteſt, ſed non exterminari. Sic enim legimus Ioſ. 15.] Et rurſum ſubjungit. [Non poteſt virtus cum vitijs creſcere ut illa vigeat, iſta creſcere non ſinantur. Tolle ſuperflua, & ſalubria ſurgunt: utilitati accedit, quidquid cupiditati demis.] Quod Mar. 9. legimus de illo à Dæmone obſeſſo; collidens

Perturbationes ſemper pullulant. Cant. 2.

Digitized by Google

enim illum Dæmon, & multùm diſcerpens exivit ab eo, & factus eſt ſicut mortuus; fit prorſus etiam in nobis, ut adnotavit S. Bern. in ſer. 6. de adventu. [Concupiſcentia enim, ,, ait ille, reprimi quidem poteſt, ut non regnet ,, in nobis, ſed non eijcitur niſi in morte, quan- ,, do ſic diſcerpimur, ut anima ſeparetur à cor- ,, pore.] Idem in cæteris paſſionibus evenit. Proptereà S. Greg. Nyſſenus in diſputatione de anima, & reſurrectione cum ſorore Macrina; Perturbationes haſce dixit eſſe malum ſemen, & zizania bono ſuperſeminata tritico, quæ relinquit in nobis Agricola Deus; non ut prævaleant adverſus pretioſiorem ſegetem: ſed ut ipſa tellus, cor ſcilicet noſtrum, per inſitam ei naturalem vim, quæ eſt ratio, aliud quidem germen arefaciat, & ſiccet, aliud verò floridum, atque frugiferum efficiat: quod ſi id factum non fuerit, igne diſcrimen agri faciendum reſervat. Apud omnes verò conſtat, radices vitiorum perturbationes eſſe, atq; appetitiones internas. His plurimum eſt invigilandum. Et Io. Caſſianus in libro de ſpiritu iræ c. 19. proptereà radices potiùs vitiorum excidendas eſſe admonuit, quàm fructus: quoniam evulſis fomitibus nequaquàm ulteriùs pullulabunt. Et S. Chryſ. in h. de malis à nobis avertendis, to. 5. Malorum radices evertendas eſſe inculcat. [Nam ſi arboris, in- ,, quit, ſuperiora circumcideris, eâdem novos ,, edente ramuſculos, nihil videberis effeciſſe.] Philo autem Judæus in 2. libro allegoriarum legis, loquens de ira, tractanſq; illud de ariete conſecrationis; ſumptum Moyſes pectuſculum ſeparavit, ut offerret coram Domino. [Con- ,, ſideratâ, inquit, totâ animâ, decebat pectus ,, deſumere ex ea, quod ad iracundiam perti- ,, net, adimereq; id, & abſcindere, ut anima in ,, pace degeret. Sed & Aäron accepit pectuſ- ,, culum; at cum brachio, Moyſes ſine ,, brachio: quia perfecti ſine labore excidunt ,, paſſiones, imperfecti cum labore; brachium ,, enim laborem ſignificat.] Et mox de gula ad- ,, dit; [Moyſes pectuſculum quidem aufert, ,, ventrem verò non aufert, ſed lavat tantum; ,, quia perfectus iraſcendi vim totam poteſt ,, excindere, ventrem non poteſt, quia neceſſa- ,, rio cibo, potuq; natura uti cogitur. Lavet igi- ,, tur ventrem, & repurget à condimentis im- ,, puris, & ſupervacaneis.] Deniquè addit & illa verba; Paxillus in zona tibi pendeat, quo cavum fodias. [Hoc eſt, inquit, præſtò tibi ſit ,, ratio, quæ affectum effodiat, aſtringens. ,, Affectus enim poſtulant nos accinctos eſſe, ,, non uti cintura laxiore. Quare etiam in tran- ,, ſitu, qui paſcha nominatur, præcipiebantur ,, lumbos accingere, ſive aſtringere concupiſcentias.] Hæc Judæus. Sed & poſteà Chriſtus voluit nos lumbos habere præcinctos.

CAPUT IV.

Perturbationum morbus qualis.

PORRò hunc perturbationum morbum, & ægritudinem pluribus modis conati ſunt ijdem illi Patres demonſtrare. Interdùm eas dixerunt perturbare judicium noſtrum; ita ut rectè de rebus judicare non valeamus; & omninò menti eſſe velut caliginem, & noctem oculo, & velut ventum, ac tempeſtatem mari. S. Ambr. in libro de Noë, & arca, cap. 15. [Caro noſtra, inquit, diverſis agitatur ,, fluctibus, & freti modo fluctuat paſſionibus, ,, quibus huc, atque illuc tanquàm ſuper undas ,, moleſtiarum ſuarum jactatur.] Quarè ut aquis inundantibus elevata eſt in ſublime arca, ſic animam affirmat paſſionibus elevari. Et Sanctus Chryſ. h. 3. de David, & Saüle, to. 1. [Quemadmodùm quamdiu ,, nox eſt, ſæpè nè præſentem quidem amicum ,, agnoſcimus: at mox ut exortus eſt dies, etiam ,, eminùs conſpectum agnoſcimus; ita, &c. ,, Et ut in tempeſtate non patitur nubium con- ,, curſus nobis conſpicuam eſſe cœli pulchritu- ,, dinem; at ubi radiorum calor diſruptis nu- ,, bibus ſolem oſtendit, rurſùs & cœli decorem ,, oſtendit; idem accidit nobis ferventibus irâ, ,, aliiſvè perturbationibus agitatis.] Et com. in pſ. 6. [Quemadmodùm quando venti ve- ,, hementes mari incubuerint, omnia turbant, ,, & quæ in profundo arena ſurſùm fertur, & ,, qui navigant, in magno verſantur periculo, ,, ita etiam in nobis turbatur anima, move- ,, tur corpus, omnia complentur tempeſtate; ,, & plena eſt nobis deinceps cymba tumultus, ,, & perturbationis & denſæ tenebræ, & pere- ,, unt omnia proprijs locis relictis, & eſt maxi- ,, ma confuſio.] ac rurſùm h. 2. in epiſtolam ad Titum. [Quemadmodùm venti cùm in ſe- ,, renum irruerint pelagus, ipſum totum à fun- ,, do perturbant, adeò ut & arena ſæpiùs undis ,, immiſceatur. Ita & perturbationes cùm in ,, animam irruperint, cuncta permiſcent, & ,, quæ ſuperiora erant, ad infima detrahuntur, ,, excœcantque mentis clariſſimum lumen.]

Iudicium perturbant.

Sanè nulla ſævior in mari tempeſtas, quàm quæ in anima à perturbationibus commovetur. Audi eundem Chryſoſtomum in com. in pſ. 9. [Ut in tenebris ſæpè quis, vel funem ,, tenuerit, ſerpentem eſſe ratus, & omnia ha- ,, bet ſuſpecta, & amicos eſſe exiſtimat; ita ,, quos invaſit defectio rationis, tanquàm pro ,, fundi capti tenebris, & quæ ſeq.] Quantoperè autem aciem mentis obtundat perturbatio, nè ſyncerè de rebus judicare poſſimus oculorum exemplo demonſtrat in h. 1. in Io. [Sicut enim, inquit, oculorum acies pura, ,, & lucida acutè omnia intuetur, neque etiam in te-

Digitized by Google

,, in tenuiſſimis deprehendendis corporibus laborat; verùm ſi quis malus à capite humor, vel caligo aliqua ad oculum aſcendit, denſa quædam antè pupillam nebula obijcitur, quæ nè craſſiora quidem corpora videri ſinit: ita animæ uſu venit; cùm omnis perturbatio, quæ eam offenderat, purgata eſt, intentè opportuna omnia perſpicit: verùm cùm plurimis perturbatur affectibus vim omnem illam amittit, ut nihil altum valeat intueri.] Et h. 23. hoc planè aſſerit in anima eſſe perturbationem, quod eſt in oculis lippitudo.

Ebrietas quædam ſunt Interdùm verò ebrietatem eſſe dixerunt quamdam, & quidem deteriorem multò quam ea ſit quæ cauſatur à vino. Ita de ira locutus eſt S. Chryſ. h. 25. in Jo. [Ebrietas quædam ,, eſt ira, vel potius ebrietate gravior.] Et or. 5. adverſus Judæos eſt ebrietas etiam ſine vino. [Vah illis, qui ebrij ſunt, & non à vino.] Eſt enim ebrietas & in ira, & in abſurda concupiſcentia, & in avaritia, & in amore gloriæ, & in alijs affectibus. Ebrietas enim nihil aliud eſt, quàm excidiſſe à recta ratione, deliratioq; & ſanæ mentis privatio.

Immanes beſtiæ. Interdùm etiam affirmârunt, perturbationes eſſe velut immanes beſtias, quæ ſi dominentur nobis, in ſuam planè conditionem nos commutent: atque ità fieri, ut in feræ cujuſpiam naturam quis convertatur, ut aliquo vitio, perturbationevè vincitur. Ità locutus eſt S. Nyſſenus or. in ea verba; Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram. Et S. Chryſ. h. 12. in Geneſim: [Divina ſcriptura ,, propter affectiones interturbantes, ab irrationalibus, & à feris agnominationes nobis ,, imponit. Interdùm canes ob impudentiam, *Iſa. 56.* ,, & impetum vocat; dicens: Canes muti non *Ier. 5.* ,, valentes latrare: Interdum ob libidinem equos: nam equi in fœminam inſanientes, unuſquiſq; uxori proximi ſui adhinniebat: Interdùm verò aſinos, ob ſtupiditatem, & ruditatem; *Pſ. 48.* Comparatus eſt jumentis inſipientibus, ,, & ſimilis factus eſt illis. Interdùm leones, & pardos, ob rapacitatem, & habendi aviditatem. Aliquandò etiam aſpides, ob fraudulentiam; *Pſal. 13.* Venenum aſpidum ſub labijs eorum. ,, Nonnunquàm ſerpentes, & viperas ob latens venenum, & malitiam, ſicut & Beatus Joannes clamabat; *Luc. 3.* Genimina viperarum, quis oſtendet vobis, &c.] Cujus rei rationem exponit idem autor h. 25. [Scriptura, inquit, homines, qui affectiones ſuas ſequuntur beſtiarum nominibus vocat. Amittit enim imaginem hominis, quæ eſt, ut imperet. & fit ſubditus, & imperium fert potiùs ſuarum affectionum.]

Tyrannus. Propterea etiam eas dixerunt eſſe in nobis velut tyrannum ſeverè omninò, & graviter nos vexantem. S. Nyſſenus in libro de beatitudinibus, tractans illud; Beati, qui lugent. ,, [Quivis, inquit, eorum, qui in nobis ſunt, affectus, cùm prævaluerit, dominus ſubacti, & in ſervitutem redacti exiſtit; ac velut tyrannus quiſpiam arce omni occupata, per ipſos ſubditos vexat, & affligit obedientes, miniſtris ad id, quod ei placitum fuerit, noſtris cogitationibus abutens.] Et or. in funere Pulcheriæ; [Unuſquiſq; affectus, ac perturbatio, ,, cùm prævalet, ac dominatur, rationibus ſibi ſubjugatis, animi noſtri tyrannus exiſtit.]

Vipera partus. Euſebius autem Emiſſ. h. 8. ad monachos, affirmavit eſſe velut partum vipereum, quo nos ipſi primùm miſerrimè diſcruciamur. [Sicut, inquit, exulceratis parentibus naſcuntur viperæ; ità humana præcordia ipſis primitùs ,, quas conceperit, paſſionibus dilacerantur.] Undè in pſal. 7. dicitur: Parturijt injuſtitiam concepit dolorem, & peperit iniquitatem. Primùm enim in ſe ipſo dolorem experitur, antequàm pariat. Convertetur dolor ejus in caput ejus, & in verticem ipſius, iniquitas ejus deſcendet. Quem locum S. Chryſ. quoquè exponens; [In ijs, inquit, qui peccatum conceperunt, & meditantur cogitatione, non eſt talis partus, ut in mulieribus; ſed in viperis, uterum diſcerpunt, & latera dilaniantes ,, fœtus procedunt.]

Velut Hecho. Neque dubitavit S. Baſilius in com. ad caput 14. Iſaiæ; perturbationum harum motum ſcribere eſſe velut reverberatum, & in utramvis partem replicatum ſonum, qui fit in Hecho. Eſt enim utrobiquè turbulentus, & quaſi tumultuarius motus. [Si quandò igitur, inquit ille, videris animam perturbationum confuſione exagitatam, ſcito eam obſtrepero ſonitu eſſe refertam, nec quidquam in ea eſſe dilucidum, & illuſtre non item verbum ullum articulatim diſtinctum; ſed tumultuantem, & incertæ ſignificationis ſtrepitum, qui ex agitatione perpeſſionum cooritur: ut animæ illius ſic confuſæ principem facultatum occupet, nempè mentem.]

Velut ſyrenæ. Addit & aliud non minùs verum, & accommodatum. Perturbationes haſce velut ſyrenas quaſdam eſſe, quæ mellito, ac ſuavi concentu nos per hanc vitam iter agentes ità pertrahunt, ut illecebra demulcti, ad veram patriam reditus obliviſcamur. Qua in re adjutricem quoque dæmonum manum agnoſcit Baſilius.

A Dæmone poſſeſſi. Sed apertè magis Origenes libro. 3. περὶ ἀρχῶν c. 2. eos, qui hoc afficiuntur modo, nihil prorſus differre, affirmavit, ab ijs, qui à dæmone poſſidentur. [Nihil, inquit, minùs ,, his, qui corporaliter vexantur à dæmonibus; etiam illi patiuntur, qui vel immoderatis amoribus, vel iræ intemperantia, vel nimietate triſtitiæ perurgentur. Nam, & in hiſtorijs refertur, quòd in inſaniam quidam ex amore deciderunt, alij ex iracundia, nonnulli ex triſtitia,

Digitized by Google

„ triſtitia, vel nimio gaudio. Quod arbitror „ ex eo accidere; quia contrariæ illæ virtutes, „ id eſt, dæmones, loco ſibi in eorum mentibus „ dato per intemperantiam priùs ſenſum eo„ rum penitùs poſſederunt: maximè cum nulla „ eos ad reſiſtendum virtutis gloria concitarit.] Contrà verò, ait S. Chryſ. com. in pſalmum. 4. [Non ità dæmon eum metuit, qui eum ex„ pellit, & eijcit ex alio homine, ut hominem, „ qui iram vincit, & animo imperat.] Sed univerſè in ſer. 1. de providentia, vel fato, magnoperè hominis miſeriam deplorat, qui affectus ſuos moderari non didicit. [Nihil, inquit, tam „ miſerum, ut anima ſic affecta, etiamſi totus „ illi mundus pareat. Nam quæ utilitas diteſce„ re opibus, & pauperem eſſe virtutibus? Et „ quid lucri tot millibus imperare, non poſſe „ autem ſeipſum, & ſuos affectus moderari? „ At qui nos videntes corpus cujuſpiam vel fe„ bri, vel podagra, vel alio incurabili morbo „ laborantem, dolemus; & quò ditior, & hoc „ magis dolet.] Denique S. Ambr. lib. 5. in Luc. tractans de viduæ filio à Chriſto reſuſcitato; paſſiones noſtras interpretatus eſt feretrum eſſe noſtrum & tumulum, in quo planè jacemus mortui, dum illis ſuccumbimus, earumq; dominatum ſuſtinemus, & ductum ſectamur.

CAPUT V.

Cum perturbationibus ut agendum.

EX quibus omnibus licet cognoſcere, quàm acriter debeat quiſque contrà ſuas immoderatas perturbationes pugnare, quantumq; in illis domandis, ac ſibi ſubijciendis invigilare. Fortiſſimi namque hoſtes noſtri ſunt, qui ad ſalutem nobis principio adjuncti mox rebellarunt, atque omnes in necem conſpirârunt noſtram. Et prudenter omninò Monachus ille apud S. Io. Damaſcenum in hiſtoria Barlaäm, & Ioſaphat, irato Regi reſponſurus, rogavit, ut hoſtes primùm ablegaret, iram, ſcilicet, & cupiditatem, quorum conſilio, ac ſuaſu de nulla re ſapienter poſſet judicare. Ut autem ſciamus, quomodo adverſus illos pugnandum ſit nobis, duo perturbationum, ſeu vitiorum genera cum Io. Caſſiano collat. 5. Abbatis Serapionis cap. 4. diſtinguere oportet; carnalium unum, alterum ſpiritualium. [In priori genere „ principium eſt à carne, quæ ita delectatur „ ut quietas etiam incitet mentes, invitaſque „ nonnunquam pertrahat. Poſteriùs autem „ inſtinctu animæ ſolius oritur. Priori generi „ ſubtrahenda illiciens materia eſt, & ſolitudo „ quærenda: poſteriori humana nihil obſunt „ conſortia. Quin plurimùm prodeſſe poſſunt, „ dum frequentia hominum arguuntur.] Hæc fermè Caſſianus. S. autem Baſilius in lib. de vera virginitate. [Non ſolùm, inquit, à corpore

Duo perturbationum genera.

„ ad animam perturbationes tranſeunt, verùm „ etiam ab anima incipientes corporibus quoq; „ exhauſtis, neq; ſubminiſtrare valentibus, ima„ ginabiliter perindè, ac per corpus fiant, in „ mente conſumantur.] Peraccommodatum addit exemplum ex aqua, & oleo permiſtis. [Si„ cut enim qui aquam permiſcent oleo, u„ triuſq; gratiam crebra agitatione confundunt: „ & olei quidem lucidam ſpeciem limoſa aquæ „ proprietate perturbant; aquæ verò naturam „ olei admiſtione commaculant. Ità & qui a„ nimam corpori per vitia perturbationeſque „ commiſcent, utrimq; quod habet utile, & ad „ vitam neceſſarium demoliuntur, animamq; „ lucidam, ac nitidam carnalium voluptatum „ limo perturbant, & corporis munditiam, atq; „ nitorem hac ratione miſcentes, inutile hoc „ ad vitæ officia oſtendunt.]

Ex quibus duo planè collegit Baſilius. Alterum plerumq; fieri, ut cum vigilijs, ac jejunijs, & reliqua vitæ auſteritate corpora ad paſſiones ſuas emortua reddiderimus; animæ tamen perturbationes in corpore mortuo circumferamus, ut indè jam, quantum à perfectione remoti ſimus, appareat. Alterum; modò his, modò illis perturbationibus ad perniciem noſtram uti diabolum, prout ſibi magis commodum eſſe animadvertit. [Quorum, „ inquit, corpus peccati inſtrumentum diabo„ lus accipit; per id ipſorum animabus inſidias, „ ac necem parat: quorum verò carnem inva„ dere per vitæ maximam auſteritatem non „ permittitur, horum ſæpè nudam ſine corpore „ animam nactus, per has, quas in illa gignit „ perturbationes, ſua deſideria perficit.] Itaq; ut ille utrinque pugnat; ita ſpiritualis athleta utrinque ſe defendat, carnem affligendo, atque ab illicientibus removendo & animam diligenter cuſtodiendo, atque alienæ virtutis imitatione communiendo.

Secundo loco exteriorem corporis cultum ad animæ perturbationes aut commovendas, aut ſedandas omninò plurimùm poſſe, admonet idem S. Baſilius in h. de humilitate. Proptereà ad humilitatem comparandam, ſuperbiamvè inducendam plurimùm dixit valére veſtitum, inceſſum, cibum, cæteraque id genus exteriora, quæ ad corpus pertinent. „ [Vitæ, inquit, ſtudijs, & exercitijs aſſimilatur „ anima: & qualia facit, talis etiam formatur, „ & eiſdem configuratur. Ita ornatus, mode„ ſtus, indumentum, inceſſus, cathedra, cibus, „ lectus, domus, vaſa domeſtica, ſermo, can„ tus, converſatio, ſi mediocria ſint, conferunt „ ad humilitatem animæ: contrà ad ſuperbiam.]

Corporis cultus.

Tertio perturbationes omnes ſunt inter ſe maximè connexæ, earumque una excitata, ſimùl aliæ facilè commoventur. S. Nyſſenus in libro de virginitate c. 4. catenæ utitur exemplo. [In catena quippe fieri videmus, ut illius

Perturbationes conſe nexæ.

Digitized by Google

„ illius principio attracto,neq; illius orbes con-„ ſiſtere poſſunt. Ita humani affectus impliciti „ inter ſe, atq; connexi ſunt. Sæpèq;fit,ut cùm „ unus imperaverit, reliqua item morborum „ turba animam invadat.] Quod rurſùm c. 14. exemplo illuſtrat calculi in aquam injecti. Statim enim tota commovetur aqua, atq; in orbes plurimos agitatur. [Sicut, inquit, dum aqua „ quieta eſt, ſi lapillus in eam inijciatur, turba-„ tur tota, & commovetur; ità tranquillitas,& „ animi quiēs, ſi unus aliquis affectus in eum „ invadat, tota ſimùl concutitur.]

Omnes ea. ſubjuganda. Quartò neque verò uni tantùm, vel alteri ſubjugandæ, ſed omnibus prorſùs ſuperandis eſt incumbendum. Quod duplici exemplo appoſitè demonſtrat idem Nyſſenus c. 16. ejuſdem libri. [Qui enim ab uno vitio, vel pertur-„ batione ſe defendit, ſed alteri ſuccumbit, is „ perindè facit ac ſervus, qui non libertatem „ quærit, ſed ab uno ad alium dominum ſe „ transfert. Servus enim perindè eſt. Et quid „ intereſt hoc, an illo modo quis à virtute ca-„ dat, aut ſe à Deo removeat? & in morbis „ nihil refert, an ex cibi tenuitate, an ex ingur-„ gitatione naſcantur.]

Tres præcipuæ. Quintò omnium porrò præcipuas perturbationes tres eſſe putavit Lactantius, velut tres Furias à veteribus Poëtis decantatas, à quibus præcipuè nobis cavendum ſit. [Tres, „ inquit in libro de vero cultu c. 19. ſunt affe-„ ctus, qui homines in omnia facinora præci-„ pites agunt; Ira, Cupiditas, Libido. Propte-„ reà Poetæ tres Furias eſſe dixerunt, quæ men-„ tes hominum exagitant. Ira ultionem deſide-„ rat, Cupiditas opes, Libido voluptates.] Et rurſùm in epitome c. 4. [Tres affectus, vel „ tres Furiæ ſunt, quæ in animis hominum „ tantas perturbationes ciunt! Ira, Avaritia, „ Libido.] Neque ſecùs S. Dorotheus tradidit ex communi Patrum ſententia in ſer. 12. [In-„ vidia, inquit, naſcitur ex appetitu, & amore „ gloriæ; Ira ex ſtudio, & amore voluptatis.] Et omninò Patres aſſerunt, paſſiones omnes vitioſas, aut ex appetitu laudis, & gloriæ naſci, aut ex voluptate, & amore libidinoſo, aut ex avaritia. S. tamen Bern. duas tantùm commemorat in 2. libro de conſideratione. „ [Judicij, inquit, caliginis duæ ſunt cauſæ; Ira „ & mollior affectus. Is judicij cenſuram ener-„ vat; illa præcipitat: Turbatus præ ira oculus „ clementer nihil intuetur: ſuffuſus fluxa qua-„ dam & muliēbri mollitie animus rectum non „ videt. Non eris innocuus, ſi aut punias eum, „ cui fortè parcendum eſſet, aut parcas ei, qui „ fuerat puniendus.] Sed veriſſimè inquiebat Ariſto apud Clementem lib. 2. ſtrom. ad totum πτλαχόρδον; voluptatem, inquam, dolorem, metum, & cupiditatem, exercitatione magnâ, & pugnâ opus eſſe. Has enim quatuor præcipuas veteres omnes nominârunt: quarum ferè origo, & fons Amor, & Odium.

Sextò non omnes ſimul, ſed ſingulæ aggrediendæ ſunt. Faciliùs eſt enim unam, quàm omnes ſimul debellare. [Non omnes ſimul, „ ſcribit ad Chilonem S. Baſilius, ſed ſingulæ „ ſuperandæ ſunt, nè confertim velut agmine „ facto omnes ſimul irritatæ in te unum coöri-„ antur.] *Singulæ aggrediendæ.*

Septimò à carnis concupiſcentia inchoandum, hæcque primùm ſubijcienda eſt, antequam ad perturbationes cæteras progrediaris. „ [Qui enim ſecum adhuc enerviter pugnat, „ (inquit S. Greg. Papa lib. 31. mor. c. 17.) fru-„ ſtrà contrà ſe bella extrà poſita ſuſcitat. Qui „ enim ſemetipſum carnalibus ſubjugat, quo-„ modò ſpiritualibus vitijs reſultat? Aut quo-„ modò de labore externi certaminis triumpha-„ re appetit, qui adhuc ſemetipſum domeſtico „ libidinis bello ſuccumbit?] Idcircò etiam Caſſianus in libro de ſpiritu gaſtrim. c. 3. primum nobis certamen, ait, eſſe adverſùs gaſtrimargiam. Scitum enim eſt illud; Sine Cerere, & Baccho friget Venus. De hoc alibi dicetur pluribus. Utinam poſſimus dicere cum Davide pſ. 118. Factus ſum ſicut uter in pruina. [Uter „ namque (ut eo loco ratiocinatur S. Ambr.) „ fit ex mortui animalis pelle, & corpus ho-„ minis mortificati ſignificat, quod non rimo-„ ſum, & libidinis humore diffluens eſt; ſed gra-„ tiâ velut cœleſti rore, & pruinâ refrigeratum, „ extincto ardore omni concupiſcentiæ.] *A Carnis concupiſcentia inchoandum.*

CAPUT VI.

Perturbationum remedia.

AD extremum Caſſianus collat. 19. Abbatis Io. c. 14. pugnæ modum, & victoriæ docuit. [Eodem, inquiens, modo, quo uniuſcu-„ juſque vitij deprehenduntur initia, etiam re-„ media ſunt quærenda.] Remedium autèm optimum docet S. Chryſ. commentario in pſal. 123. eſſe cogitare mortem, ſepulchrum, & noviſſima noſtra juxtà illud Eccleſiaſtici 7. In omnibus operibus tuis memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis. [Sicut enim, „ qui febre laborant, poſtquàm à morbo liberati „ fuerint, puro aëre indigent; ità quos animi „ perturbationes ad inſaniam adigunt, ſi ad „ monumenta acceſſerint, tanquàm qui in „ prædium ſaluberrimum pervenerint multas „ expellunt ægritudines. Sufficit enim vel ſo-„ lius urnæ aſpectus ad eum deprimendum, qui „ eſt valdè inſolens.] Addit, & futurum judicium, & ſupplicia æterna, &c. 1.

Aliud remedium fuerit, & rei deformitatem conſiderare, & probè intelligere, ea verò perſæpè redundat etiam in corpus, atque in eo conſpicitur; Qua de re eo loco dicetur pluribus in quo de ira erit ſermo. 2.

Tertiò

3. Tertiò ex beſtijs quoque utile nobis remedium parat S. Chryſ. h. 9. in Geneſim. [Leonibus, inquit, imperamus, & manſuetos facimus; & dubitas, num mentis ferociam in manſuetudinem mutare poſſis? Beſtię naturâ feroces ſunt, & præter naturam manſuetæ: contrà tu præter naturam ferox natura autem mitis. Qui beſtijs id, quod naturâ eis ineſt auferre, & quod eorum naturæ adverſatur inſerere potes; id, quod natura tibi præſtitit, conſervare non potes? Præterea rationis participes leones non ſunt; animæ verò tuæ ratio conceſſa eſt, & Dei timor, & alia undequaque adminicula.] Et rurſùm in ſer. de virtutibus, & vitijs, to. 5. [Habent, inquit, cæteri artes, quibus quantùm permittitur, aves etiam in hominum genus transformare poſſint, pſittacos, & picas in vocem humanam erumpere docent. Violant arte naturam leones manſueſcere faciunt, per forum undique trahentes eos. Manſuetum reddis leonem, & te ipſum lupis ferociorem inſtituis.] Quod de ira dicitur in ſpecie, idem de univerſo perturbationum genere affirmari poteſt, & debet.

4. Quartum remedium fuerit, tantiſper ſecedere ab ea re, quæ perturbationem commovet. Exemplum habes apud S. Chryſ. in commentario in pſalmum 9. ejus, qui amore captus ſit mulieris cujuſpiam. [Ut enim qui deformis, ait, mulieris amore capti ſunt, poſtquàm à morbo convaluerint, tunc ſciunt deformitatem: etſi aſſiduè cùm ea verſentur, accendunt fornacem: ſin autem parumper ſe ſejunxerint, paulatim effluit affectio. Ita etiam &c.] Et Seneca epiſt. 70. illi, qui amorem exuere conatur, evitandam voluit omnem admonitionem dilecti corporis.

5. Quintum erit, aliorum admonitione uti, atq; unum, aut alterum nobis monitores eligere, qui nos admoneant, quoties minùs benè affectu quopiam viderint commoveri. Ita S. Chryſ. conſulit in h. 27. ad populum, his verbis. [Quomodò poteſt conſuetudo tolli? Sint multi cenſores, ſint inquiſitores, & probatores multi. Si tegmen inverſum impoſuiſſes, nonnè puerum corrigere jubes, nec ab illo moneri confunderis? Sit & ſervus horum magiſter, ſit & filiolus, ſit & uxor, & amicus, affinis, & vicinus. Sicut enim fera, quæ ex omni parte agitur, fugere non poteſt; ſic & tot habentem cuſtodes, tot increpantes, cum undique pulſetur, non licet non cavêre.]

6. Sextum erit crebrum, ſerium, ac ſeverum conſcientiæ examen. S. Chryſ. h. 11. in Geneſim; [Scrutemur, ait, ſuam quiſque conſcientiam, & rationem examinemus, & conſideremus quidnam in unaquaque hebdomada probè actum ſit, quas in nobis actiones correxerimus. Non ſimus inferiores his, qui tantum ſtudium colligendis opibus impendunt. Nullum enim horum invenies, qui non vel ſummâ vigilantiâ laboret, quò prioribus quotidiè aliquid adijciat, vel unquam ſatietur. Sed quantò facultatum major eſt acceſſio, tantò & curam, & ſtudium ſuum amplius intendit.] Et Philo Judæus in libro de mundi opificio. [Die ſeptima quieſcendum; vacando interim uni philoſophiæ ſtudio, corrigendiſq; moribus, & examini conſcientiæ: quod inſitum in anima, tanquàm judex objurgare non veretur; alijs intentando minas vehementiùs, alios admonendo modeſtiùs.] Et S. Dorotheus ſer. 10. [Non modo per ſingulos dies, ſed etiam per quælibet temporum momenta, per ſingulos menſes, & hebdomadas, noſmetipſos ſcrutari, rimarique ac diſcutere ſedulò debemus, & dicere nobis ipſis, primâ hebdomadâ ſummâ vehementiâ ad hujuſmodi paſſionem delapſus ſum, nunc verò quomodò me habeo? nùm quidquam profeci? pari modo per ſingula temporum ſpatia dicendum.] Et S. Bern. in lib. medit. c. 5. [Integritatis tuæ curioſus explorator, vitam tuam in quotidiana diſcuſſione examina. Quantum proficias, vel quantum deficias; qualis ſis in moribus, qualis in affectibus, quam ſimilis Deo, vel quam diſſimilis.] Plura de hoc habes, ubi de conſcientiæ examine agitur.

Septimum, & ultimum, ſed potiſſimum remedium eſt gratia Dei, & auxilium, quod implorare nos ſemper oportebit. Nam in pſal. 43. legimus: Manus tua gentes diſperdidit. Gentes enim, quas filij Iſraël ſuperârunt, vitia ſignificare interpretatur S. Ambr.. quæ nobis ſunt debellanda, ut promiſſam terram ingrediamur. Et iterùm pſ. 67. Deus confringet capita inimicorum ſuorum; id eſt, peccata mortalia, & capitalia; ut interpretatur S. Hier. & verticem capilli perambulantium in delitijs ſuis; hoc eſt, ita ut non remaneat virtus illa, quæ ſtimulabat ad peccatum. Non enim in arcu meo ſperabo; & gladius meus non ſalvabit me. In te inimicos noſtros ventilabimus cornu, & in nomine tuo ſpernemus inſurgentes in nobis. Perturbationes ſcilicet in nobis adverſùs rationem inſurgentes. *Pſ 55.* [Nullum animal, inquit S. Hier. in commentario pſalmi 91. immolatur in templo, niſi quod habet cornu, taurus, aries, hircus. Niſi qui habeat cornu, quo ventilet inimicos ſuos, non eſt dignus immolari Deo: Chriſtus in cornibus crucis ventilavit inimicos: nec fuit crux ſed triumphus, & vexillum. Alij habeant plura cornua; ego unum ſolum habeo; Abſit mihi gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti. In hoc inimicos meos ventilabo.] Et S. Anſelmus ad caput 12. epiſtolæ ad Hebræos: Zachæum, qui præ turba Jeſum vidêre non poterat, nos, ait, ſignificare, qui altiore

Digitized by Google

altiore paſſionum turbâ prohibemur vidêre divinitatis lumen, ſed ille aſcendit in arborem, relictâ inferiùs turbâ; & nos debemus in arborem crucis aſcendere crucifigentes carnem noſtram cum vitijs, & concupiſcentijs, corque ad alta ſuſtollere; ſi Jeſum abſque turbæ nocentis obſtaculo vidêre cupimus. Denique S. Auguſt. in ſer. 4. de verbis Domini, agens de domanda lingua, ſapienter & appoſitè dixit; „[Beſtiæ non ſe domant, ſed domantur, ab „ homine: ergò quæratur Deus, ut dometur „ homo.]

CORPORIS COMMODITATES, ET QUOD SINGULARE EST, VITARE OPORTERE.

LIBER XIV.

Hoc ſuo à nobis jure poſtulat mortificatio, de qua dictum eſt hactenùs. Hoc à religioſis viris, qui præ cæteris mortificationem profitentur, eorum ſtatus exigit.

CAPUT I.

Religioſis viris id maximè cavendum.

Quicumque ergò renuntiare mundo, nimiamque vivendi licentiam arctioribus & ſanctioribus religioſæ vitæ legibus cogitat coërcere: Is diverſa primùm religionum inſtituta diligenter examinare debet, ac vidêre quodnam ex illis omnibus, tum animæ ſuæ ad virtutis perfectionem conſequendam, tum corpuſculi viribus tolerabilius ſit. Nè poſtquàm miſerit manum ad aratrum, ædificareque cœperit, aut turpiter, ac damnosè relicto opere imperfecto, retrò cogatur reſpiçere, aut ſi omninò in propoſito permanêre voluerit, abſumptis corporis viribus brevi ſuccumbat tempore. Illud prætereà intelligat, ſe ad religioſum ordinem non eo accedere animo, ut illum univerſum ad ſuos mores, vivendique formam inflectat; ſed ut illi, ac legibus ejus in omnibus ſeſe ipſe accommodet; non ut illius inſtituta diſſolvat; ſed ut ex illorum ratione vitam omnem componat ſuam: ſivè de cibo, ac potu agendum ſit, ſivè de veſtitu, ac lecti ratione, ſivè de habitatione, aut alia quacumque re. Proptereà certum probationis tempus, antequam votorum quiſque nuncupatione ligetur, religioſi ordines omnes concedunt: ut qui ad eos accedunt, communem illam experiantur vivendi formam, & videant, num eam ipſi per totam ſint toleraturi vitam. Hoc ad ordinum omnium bonum, & conſervationem eſt perneceſſarium. Nulla enim universè imminêre poteſt religioni diſſolutio major, ac ruina; quàm ſi tempore procedente, majores quæras commoditates, ac delitias, vitæque ſingularem modum ſivè imaginato, ſivè ſimulato neceſſitatis prætextu; verè autem laxioris, & commodioris vitæ appetentia, ſibi quiſque procuret, & verò etiam permittendum eſſe contendat. Nam ut ad propria commoda facilis eſt, & proclivis natura noſtra, ſic brevi tempore fieret, ut cæteri omnes illum unum, aut paucos aliquot imitarentur, univerſaque religioſæ vitæ periret forma, neque jam una eſſet religioſa familia certis legibus gubernata; ſed plures potiùs homines appetitionum ſuarum imperio, & nutui famulantes.

Adverſùs hoſce homines plurimùm invehuntur veteres Patres, multaque tùm universè & generatim, tùm ſpeciatim declamant; ſivè delitias nominent, ſivè commoditates, ſivè ſingularitates. Inter eos S. Hier. in com. ad cap. 20. Iſaiæ, adfert illud, quod de vinea Naboth narratur in 3. libro Reg. c. 21. [Achab enim „ vineam Naboth vertere in hortum cupiebat: „ quod ille intelligens mori maluit, quàm face„ re; nè hæreditas paterna, & antiqua poſſeſſio „ in impij regis delitias verteretur.]Et rurſùm ad caput 65. [Hortos ex vinea ſua noluit fieri „ Naboth, neque enim congruum erat, ut pa„ terna periret hæreditas, & excisis vineis, quæ „ afferunt fructum, qui lætificat cor hominis, „ in loco virtutum, delitiarum, atque vitiorum „ olera naſcerentur.]Hoc ipſum procurant; qui à communi aliorum vitæ forma recedentes commoditates plures, ac majores ſibi procurant, quod fidelis Naboth permittere nullatenùs debet. Multò enim magis perit hæreditas noſtra religioſa diſciplina, ſi eam in

hortum delitiarum ſuarum vertere permittantur. Ideo S.Baſilius monet in ſer.de abdicatione rerum. [Cave nè generis nobilitate ſubnitare, nevè eam ob cauſam honores conſectare, neque eorum quidpiam, quæ verâ jam pridem conſuetudine inveteraverint, adulterare, ac pervertere coneris, inanique animi elatione. Socios tuos ſupplantare: non in ſtrato molliculo, non in calceamentis, veſtimentiſve, non in habitu quovis, non in eſcis, quas communis fratrum uſus fert, exquirendis; non in menſa, non in ſtatu, non in ſeſſione, non in manuum opere minùs laborioſo, magiſvè eleganti.] Ita communem in omnibus ordinis, atque aliorum modum tenendum præcipit, nec in re ulla ſingulare quidquam quæritandum. In regulis verò fuſioribus 19. de cibis ad hunc modum præſcribit. [Eæ nobis omninò præferendæ epulæ ſunt, quæ minore poſſint negotio comparari, quodque in quaque regione haberi facilè poteſt, & vile eſt, & quo paſſim populus utitur, eo eſt nobis utendum, iiſque tantummodò importatis, quæ ad vitam ſummè ſunt neceſſaria.] Et S.Euſebius Emiſſenus h.4. ad monachos. [Hunc, inquit, ſpecialiter ſibi modum religioſus debet imponere, ut tantum habeat, quantum neceſſitas poſcit, non quantum cupiditas concupiſcit.] Et S. Io. Chryſ. h. 54. ad populum, duplici increpat argumento. [Stat, inquit, ſtridens dentibus adverſarius, tu verò diffunderis, & menſis vacas. Chriſtus fame tabeſcit, tu verò voracitate teipſum diſtendis. Duæ immodeſtiæ, quid enim mali non faciunt delitiæ? Sibi ipſis contrariæ ſunt. Undè neſcio quomodò nomen hoc habeant; ſed ſicut gloria cùm ignominia ſit, & divitiæ, cùm ſit paupertas, vocatæ ſunt ſic & delitiæ, cùm injucunditas ſit.] S. Hilarius autem can. 11. in Matth. tractans illa Chriſti verba; Qui mollibus veſtiuntur, in domibus regum ſunt: Veſtem interpretatur corpus, quo induitur anima; eoſque quibus per luxum fluida, & diſſoluta ſunt corpora., eſſe aſſerit dæmonum habitationem, conſimilem ſedem propoſitis ſuis, atque operibus eligentium. Et S. Greg. Papa lib. 9. moral. cap. 40. non temerè immo conſilio interpretatur fuiſſe factum, Gen. 18. ut tribus Angelis extrà oſtium occurrerit Abraham; Sara verò poſt hoſtium ſteterit. [Quia & vir, ac dominus noſter intellectus debet clauſtra carnis excedere; cura autem carnis foris apparêre erubeſcat; & quaſi ſub tergum viri, ſit ſub diſcretione ſpiritus, ſolis neceſſarijs intenta.] Et lib. 30. c. 17. milites conſiderat Gedeonis, qui Jud. 7. in dextera manu tubas, in ſiniſtra lagenas tenuerunt. Pro dextero enim habêre dicimur, quod pro magno penſamus; pro ſiniſtro, quod pro nihilo ducimus. [Et Sancti pro magno habuerunt, inquit ille, prædicationis gratiam, corporum verò utilitatem pro minimo. Alioqui lucernam ſub modio abſcondimus, ſi propter temporale commodum gratiam prædicationis abſcondimus.] In modio enim commodum temporale in lucerna lux prædicationis accipitur: Eadem fuit Sancti Auguſtini ſententia in libro 1. de ſer. Domini in monte cap. 6. Cur autem modius temporalia ſignificet commoda; duas rationes expoſuit; alteram propter retributionem menſuræ, qua recipiet unuſquiſque prout geſſit in corpore: alteram, quia temporalia certa dierum menſura inchoantur, & finiuntur, æterna verò non item. Super candelabrum autem ponit, qui corpus ſuum miniſterio Dei ſubjicit; ut ſuperior ſit prædicatio veritatis, & inferior ſervitus corporis. Io. Caſſianus collat. 9. Abbatis Iſaäc cap. 5. cum propoſuiſſet illa verba Chriſti, Luc. 21. Attendite, nè fortè graventur corda veſtra crapulâ, & ebrietate, & curis hujus vitæ. [Quidquid, inquit, neceſſitatem victus quotidiani, & inevitabilem uſum carnis excedit, ad ſæcularem definiêrunt ſeniores curam, & ſolicitudinem pertinêre.] Adfert exempla cibi veſtitum habitationis. Neque prætermittam id, quod de habitatione loquens ſubjungit cap. 6. Sic enim habet: [Quidam volens ampliorem cellam facere malleo deſudabat ſaxum frangere. Quidam ſenior adveniens vidit Æthiopem conſertis manibus cum eo laborantem, & inſtigantem ad opus. Quæſivit quid ageret; reſpondit, laboramus contrà iſtud duriſsimum ſaxum, vixq; illud potuimus aliquando conterere. Et ſenex; benè dixiſti: Vix potuimus: non enim ſolus eras, ſed fuit alius tecum, quem non vidiſti; qui tibi in hoc opere non tam adjutor, quàm violentiſsimus impulſor adſtabat. Cùm enim nimia laſsitudine fatigatus ille, requieſcere jam, finemque operi voluiſſet imponere, inſtigatione illius ſpiritûs animatus iterum reſumere malleum, nec deſinere ab intentione cœpti operis urgebatur, ita ut iiſdem ejus incitamentis infatigabiliter ſuſtentatus, tanti laboris non ſentiret injuriam.] Ità prorſùs & in cibo & in potu, & in veſtitu, & in cæteris omnibus evenit, quæ præter communem aliorum, ac religionis uſum, nimia omninò interdùm importunitate procurantur. De pietatis affectu ergà parentes loquens S. Aug. in ep. 38. ad Lætum; dixit quidpiam, quod & ego de corporis neceſſitatibus dicere non verebor: [Iſta umbra pietatis de folijs illius arboris venit, quibus ſe primum parentes noſtri in iſta damnabili nuditate texerunt; & quidquid tibi, quaſi officium charitatis, aut neceſſitatis obtenditur, ad aſtutiam ſerpentis pertinet, & duplicitatem illius regis, qui cum viginti millibus venit ad nos, quem nos docemur decem millium, hoc eſt cordis, in qua-

Matth. 11.

Matth. 5.

Digitized by Google

,, qua Deum quærimus,ſimplicitate ſuperare.]
Sed omninò quod ille dixit, ſe in frangendo
ſaxo laboráſſe permultùm, etſi adjutorem
haberet, de omnibus universè confirmat S.
Chryſ. in expoſitione pſalmi 8. communem,
inquàm, vitam ſuavem eſſe, ac facilem,diffici-
lem autem; ac multis difficultatibus plenam il-
lam, quæ delitias, & particularia quærit com-
moda. [Si omnia,inquit,cum facilitate ſucce-
,, derent,ſupinus,& diſſolutus evaſiſſet homo;
,, ideò quamdam Deus admiſcuit difficultatem,
,, & nec omnibus cùm labore, nec omnibus ſi-
,, ne labore frui permiſit; ſed quæ ad uſum
,, quidem ſunt, ſine labore, & ſudore habêre
,, permiſit, quæ verò ad delitiàs cum labore,
,, & ſudore.]

CAPUT II.

Inanem, & perniciosum laborem eſſe.

EST & aliud incommodum,quod inanis eſt
labor,immò & perniciosus. Inanis quidem,
nam ſi ſemel appetere iſta, & quæritare cœ-
peris, nullum unquam invenies modum, ſa-
tiaberis unquam, nec unquam contentus vi-
ves. Ita planè teſtatur idem Chryſoſt. h. 12.
in epiſtolam ad Epheſ. [Si quis,ait,in dolium
,, perforatum liquorem infunderet, inanem
,, prorſùs operam ſumeret; ita & qui delitijs
,, deditus eſt, in pertuſum dolium ſuas delitias
,, infundit.]

Delicati non Sancti.

Pernicioſus autem multis modis. Primùm
enim molles iſti homines, ac delicatuli non
numerantur cum Sanctis, inquit Chryſ. h. 25.
operis imperfecti in Matthæum: Quod ex eo
argumentatur, quòd quando Dei juſſu Moyſes
numeravit populum: Num. 13. & 26. non nu-
meravit fœminas,hoc eſt,homines molles. Sed
& Deut. 20. & Judic. 7. formidoloſos homi-
nès non admiſit ad bellum,& caſtra ſua,ſed do-
mum ſuam juſsit reverti. Audi quid graviſsi-
mus vir loquatur h. 25. ad populum; [Nemo
,, ſociatur Chriſto delitijs vacans, nemo lubri-
,, cam hanc, & ſolutam degentium vitam; ſed
,, qui anguſtam perambulat vitam, hic eſt illi
,, proximus; nam & ipſe talem perambulavit;
,, filius hominis non habet,ubi caput reclinet.]
Denique Chriſtus, inquit S. Io. Damaſcenus
in h. de Sabbato Sancto, ſepeliri voluit in ſe-
pulchro exciſo in petra. [Molles enim,& quæ
,, facilè in voluptates effunduntur animæ,divi-
,, num verbum admittere non ſuſtinent,ſed fir-
,, mæ tantùm, & maſculo robore ad virtutem
,, amplectendam præditæ.]

Nec idonei operarij.

Deindè delicati iſti homines, ſuiſq; ſervien-
tes commodis, inutiles ſunt, atque inepti ope-
rarij in Eccleſia Dei. [Delitiæ namque, inquit
,, S. Chryſ. h. 5. in epiſtolam ad Epheſ. non ad
,, corporis neceſsitatem pertinent, ſed magis
,, animę ſegnitiei admetiendę ſunt. Cibus enim
,, non delitiæ, corpori neceſſarius eſt.] [Nos
,, verò (addit h. 6.) undè ſperabimus nos,vel
,, conſervaturos eos, qui Chriſtianæ fidei jam
,, dediti ſunt, vel acquiſituros eos,qui nondum
,, acceſſerunt, homines delitijs deditos,refoci-
,, lationemque ubiq; quærentes, & pericula nè
,, in ſomnijs quidem ferre valentes,immò neq;
,, volentes etiam?] Veriſsimum eſt illud apud
S. Hieron. in epiſt. ad Heliodorum c. 2. [Cor-
,, pus aſſuetum tunicis, loricæ onus non fert.
,, Caput opertum linteo galeam recuſat. Mol-
,, lem otio manum durus exaſperat capulus.]
Et in ep. de cereo paſchali ad Præſidium (ſi
modò Hier. eſt) [Delicatum militem rex non
,, amat. Hieruſalem, quæ ſimilam, & mel, &
,, oleum manducavit, fornicationis arguitur:
,, non quod mali ſint cibi, quos paterna indul-
,, get clementia, ſed quòd mollis præliator ad
,, primam ſtatim aciem concidat, & poſt um-
,, bram ſolem ferre non queat.]

Tertiò id, quod de vidua delitiosè vivente
pronuntiavit Paulus in priore ad Tim. ep. cap.
5. Quæ in delitijs eſt, vivens mortua eſt; dici
quoq; de religioſo viro poteſt & debet, ſi deli-
tias ſectetur, & carnis ſuæ commoda: & affir-
mavit S. Chryſ. eum verè mortuum eſſe, h. 13.
in eum locum,& in ſer. contrà gulam,& cæte-
ras corporis voluptates to. 5. Reddit autem hu-
juſce dicti rationem Theodoretus in commen-
tario illius loci; [Delitiæ namque rationem
,, obruunt, & efficiunt,ut in corpore,tanquàm
,, in aliquo ſepulchro jaceat.] Neque enim ra-
tione obruta, ac jacente vitam hominis vivit,
ſed beſtiæ ſenſum ſectantis. Clemens Alexan-
drinus lib. 2. pædag. cap. 2. Acephalum propo-
nit nobis ſtellam,quæ capite in pectus compreſ-
ſo, helluones ſignificare videtur. Nam in his
ratiocinandi facultas non in capite, ſed in in-
teſtinis viget. Idem & de illis dixeris,qui nihil
aliud cogitare videntur, nihil niſi de ſuis com-
modis ratiocinari.

Quartò ſæculares homines graviter hinc
offenduntur, ſi religioſos homines,qui morti-
ficationem, & pœnitentiam profitentur, tan-
topere viderint delicatos, minuſvè mortifica-
tionis, & paupertatis amantes. [Plurimi (in-
,, quit S. Chryſoſt. h. 24. in Matth.) ſi viderint
,, monachum habêre ſuperfluum veſtimentum,
,, legem illam Dominicam imprudenter impo-
,, nunt,cum millies ipſi aliena diripiant,& quo-
,, tidiè avaritiæ crimen exerceant. Et, ſi eum
,, viderint cibo largiore uti, accuſatores exi-
,, ſtunt amari; ipſi quotidiè crapulati, atque
,, temulenti.]

Quintò nimia hæc corporis cura ineptum
hominem reddit ad ea capienda, quæ ſunt ſpi-
ritûs. [Venter enim pinguis (loquitur Chryſ.
,, h. 13. in priorem epiſtolam ad Tim.) non
,, gignit ſenſum tenuem.] Quo loco habes per-

multa & h. 5. in poſteriorem. [Nihil æquè ut, „ delitiæ, philoſophiæ adverſatur. Sicut econ- „ trà, preſſura ad philoſophiam accommoda- „ tiſſima eſt.] Et S. Bern. quoque in ſer. 6. de Aſcenſione Domini, prolatis illis Chriſti ver-
Io. 16. bis ad diſcipulos ſuos; Niſi ego abiero, paracletus non veniet ad vos; non dubitavit aſſerere, Apoſtolorum affectum ad præſentiam Chriſti carnalem, impedimento fuiſſe Spiritui Sancto in ipſos ſuperventuro, atquè indè de nobis argumentum ſumes. [Itanè, inquit, „ inviſa paracleto præſentia Chriſti, aut con- „ tuberniumDominicæ carnis Spiritus Sanctus „ horrebat, quæ nec concipi quidem, niſi eo ſu- „ perveniente potuit? Sed niſi carnis præſentia „ veſtris ſubtrahatur aſpectibus, ſpiritualis gra- „ tiæ plenitudinem occupata mens non admit- „ tit, non recipit animus, non capit affectus. Si „ hæc ita ſunt, audeat quis de cætero phanta- „ ſticis quibuſdam illecebris deditus, ſectans le- „ nocinia carnis ſuæ peccatricis genitæ in pec- „ catis, aſſuetæ peccatis, illum pariter expecta- „ re paracletum?] Vel etiam Philoſophus Seneca ita ad Lucilium ſcripſit ep. 8. [Corpori „ tantùm indulgeas, quantùm bonæ valetudini „ ſatis eſt. Duriùs tractandum eſt, nè animo ma- „ lè pareat, cibus famem ſedet, potio ſitim ex- „ tinguat, veſtis arceat frigus, domus muni- „ mentum ſit adverſùs infeſta corporis.]

CAPUT III.

Et corpori, & animæ noxias eas eſſe.

SExtò delitias, atquè commoditates nimias ſaluti corporis amicas non eſſe, obſervârunt Patres; immò inimicas magis, bonoque illius adverſantes ſtatui. Inter quos S. Chryſ. h. 45. in Matth. ſic loquitur. [Nihil „ ita corpori noſtro repugnat, ut ſatietas: nihil „ ità reſcindit, & ſuffodit ipſum, atque corrum- „ pit ut luxuria.] Et h. 21. in Io. [Non ita flu- „ vialium fluctuum vis ripas excedere, atq; con- „ vellere ſolet, ut delitiæ, laſciviæque bonam „ valetudinem, & vires omnes facilè ſubtra- „ hunt.] Et h. 39. in priorem ep. ad Cor. [Eſt „ menti non ſolùm, ſed & corpori inimica, & „ infenſa voluptas. Ex forti debile reddit, è ſo- „ lido enervatum, morbidum è ſano, tenue ex „ compacto, ex florente, & formoſo deforme, „ olidum ex fragranti, ex mundo, & puro im- „ purum, ex abſoluto doloribus undique differ- „ tum; ex utili inutilè, ex recenti vetus, ex ro- „ buſto flacidum, ex celeri tardum, ex recto „ claudum &c.] Medicos audivi, qui quò minùs ad ſummum formæ pleræq; mulieres pervenirent, obſtare voluptatem, ac delitias dicebant. Theodoretus quoque q. 14. in Exodum, cùm quæſiſſet, cur Angelus Moyſen interficere voluerit, Ex. 4. dum à Deo miſſus pergeret in Ægyptum ad liberandos gentiles ſuos reſpondit; Non defuiſſe, qui dicerent eam fuiſſe cauſam, quia conjugem itineris ſociam habêre voluit. Sic enim voluptas comes obeſt corpori, & ſæpè adducit interitum. Et S. Chryſ. h. 3. in epiſtolam ad Titum. [Suillam carnem, „ ait, & alia quædam interdixit Deus, non „ quòd immunda eſſent; ſed delitiarum partem „ maximam amputare contendit.] Et S. Cyrillus Alexandrinus lib. 9. contrà Julianum, piſces non ſquammatos, nec pinnulatos, in ſcriptura damnatos, interpretatur eſſe homines, qui in intemperantiæ luto volutantur, & delitiarum limo obruuntur: ſicut illi piſces, ſemper in limo verſantur. Ad extremum Lot in delitijs, & abundantia Sodomæ periclitatum, & in parva civitate Segor ſalvatum, memorat Chryſ. h. 6. in ſymbolum.

Septimò cæterùm, quod deterius eſt, ac damnoſius, multò magis obſunt animæ S. Chryſ. h. 24. in Acta. [Quaſi, inquit, copioſus „ amnis animam delitiæ reſolvunt, & ſicut ſe „ habent æſtas, & hyems, ita perſecutio, & de- „ litiæ.] Et h. 27. [Alimenta quæramus, non „ corruptionem: alimenta quæramus, non „ morborum fomites; morborum, & ſpiritua- „ lium, & corporalium: Nunquid ſacrificandi „ ſumus, quòd impinguamus nos ipſos? quid „ ſuppeditas vermibus tam ſplendidam men- „ ſam? quid amplius facis quàm ſaniem? Cur „ fontes ſudorum, & fœtulentias in te deponis? „ cur te ipſum ad omnia inutilem præſtas? Ath- „ letæ docent te, quòd gracilius corpus, idem „ & robuſtius; & anima frugalitati dedita fir- „ mior &c.] Porrò h. 6. ad populum, ex corporis morbis argumentatur. [Sicut enim ſplene, „ & intercute laborantes, cùm largâ fruuntur „ menſâ, & frigida potione, & delicatis fercu- „ lis, omnium ſunt miſerrimi, morbum augen- „ tes: ſi verò ſiti, fameq; ſecundùm medicorum „ leges crucientur, aliquam ſalutis ſpem habent; „ ſic &c.] Sed & hydrope laborantibus miſeriores eſſe affirmat. Et h. 1. de reſur. to. 3. eleganti utitur militum ſimilitudine. [Sicut „ enim miles ſi geſtârit arma ſe gravantia, licèt „ alioqui ſtrenuus ſit, & in militia exercitatus, „ non eſt terrori hoſtibus, qui ſciunt armaturæ „ gravitatem pedum velocitati, & bellandi uſui „ obeſſe. Sin autem levia acceperit, & tractabi- „ lia, ſicut avis aliqua obvium ſe feret hoſtibus; „ ſic & qui carnem ſuam non ebrietate, neque „ indulgentia, neque delitijs incraſſârit, ſed je- „ junijs, & precibus, diuturnâque afflictionum „ ſuſtinentiâ, leviorem, ac tenuiorem effece- „ rit; ſicut volucris aliqua ſupernè devolans, ita „ valido impetu in phalangas dæmonum irruit, „ & occurrentes virtutes facilè invadit, ſibique „ ſubjicit.] Et h. 13. in ep. ad Rom. delitias ait, & luxum animam carnalem facere; & ideò etiam carnem appellari. [Sicut enim qui ſpiritu erecti,

Nocent nimiæ.

,, ſti, ac veluti volatiles vivunt, ijs & corpus
,, quoque ſpirituale efficiunt: ſic qui à ſpiritu
,, ſunt averſi, ventrique ac voluptati ſerviunt; ij
,, & animam carnem efficiunt, non ſubſtantiam
,, immutantes, ſed illius nobilitatem perden-
,, tes.] Rurſum ex arboribus argumentum ſumit in h. 29. in epiſtolam ad Hebr. [Molle,
,, inquit, veſtimentum etiam ſeveram animam
,, diſſolvit, ac frangit: etiamſi aſperum habeat
,, corpus, & forte, citiùs per delicatam converſationem molle perficitur. Nam undè putatis mulieres ſic eſſe debiles, & infirmas? &c.
,, Ex horto aliquo in eremo conſtituto, qui
,, ventis, & tempeſtatibus verberatur, ſume arbuſtum aliquod, & pone in opaco, & aquoſo
,, loco, & videbis, quòd multum à fortitudine
,, ſua mutabitur. Mulieres, quæ in agris agunt
,, vitam, fortiores ſunt viris, qui ſunt in civitatibus conſtituti, &c. Corpore namque molli
,, reddito, ac delicato, neceſſe eſt, & animam
,, participare ex corporis morbo.] Hinc in ſer. contrà luxum, & crapulam to. 5. dixit voluptatem feram gravem eſſe. Et h. 2. ad populum. [Quando delitioſam, inquit, vitam degebat Adam, paradiſo excidit: quando laborioſam, & ærumnoſam Paulus, tunc in paradiſum raptus eſt, & in tertium cœlum aſcendit.] Et de nobis quoquè eodem modo philoſophatur h. 6. [Propterea, inquit, Deus laborioſam vitam noſtram, & gravem conſtituit; ut præſenti tribulatione compulſi, futurorum deſiderium capiamus. Sic & Judæos volens in reditûs cupiditatem inducere, & ut Ægyptum odiſſent perſuadêre: permiſit eos lateritio opere, & luto laborare, ut laborum, & ærumnæ magnitudine cruciati, ad Deum de reditu clamarent.] Hinc etiam Theodoretus libro 4. in Cantica, ſponſam loquitur aſſimilatam fuiſſe palmæ, quæ radice haud ita in profundum tendit; ſed vertice ſublimis valdè extollitur. [Quoniam ipſa de rebus terrenis leviter cogitans, quantum corporis neceſſitas urget, mentis altitudine cœlos attingit.] Et ideò in hiſtoria Sanctorum Patrum cap. 2. Julianum refert monachum; cùm ſuos vidiſſet diſcipulos majorem extruentes domunculam, quàm ipſe deſignaſſet, dixiſſe illis. Vereor, ô viri, nè dum terrena dilatamus habitacula, minuamus cœleſtia. Fulconem etiam puerum admonebat S. Bernardus ep. 2. [In domo avunculi tui non potes inebriari ab ubertate domus Dei, quia domus delitiarum eſt. Quomodò ignis, & aqua ſimul eſſe non poſſunt, ſic ſpirituales, & carnales delitiæ in eodem ſe non patiuntur.] Concludam verbis Theodoreti in libro 12. de Græcorum curandis affectionibus. [Non ſic diligenter, inquit, curandum eſt corpus, ut contrà rationem, animumq; exiliat, ſed ut miniſterium ſuggerat animæ, ſociamq; opem ferat, nutibus illius obtemperans.]

CAPUT IV.

Quanta ſit rei turpitudo.

Octavò delitioſam hanc, & proprijs deditam commodis vitam, meretricem turpiſſimam appellat S. Chryſ. h. Quòd nemo læditur, niſi à ſe ipſo to. 5. [Meretricem, ait ille, appello ego vitam hanc, quæ in delitijs, ac voluptate tranſigitur. Nec ſolùm meretricem eam nomino, ſed & turpiſſimam, & obſcœniſſimam meretricem, cujus facies fœda, horrida, aſpera, amara, crudelis; & in hoc maximè ſine venia habendi ſunt cuncti, quos decipit, & cùm videant apud eam cruenta omnia periculis, mortibus, & præcipitijs plena.] Et mox comparat iſtos puerulis turbinem, ſeu trochum verberantibus.

Nonò id verò in hominibus religioſis damnabilius multò eſt, & ut loquitur idem S. Chryſ. libro 1. de compunctione cordis, planè prodigioſum. [Quod homines, inquit, ſæculi latam viam, ſpatioſamque gradiantur, non valdè mirum eſt. Eos autem, qui videntur crucem ſuam ſuſtuliſſe, & ſequi Chriſtum, per hanc viam latam, & ſpatioſam velle incedere, nonnè tibi prodigioſum videtur? Monachi cum de monaſterijs requirunt, & de locis habitationum percontantur, antè omnia requirunt, ſi requies ſit in loco, ſi abundant omnia, ſi aquarum copia defluat; ſed & ſi de eremo requirant, etiam ibi antè omnia, requirunt, ac de requie tractant, & de opportunitate miniſterij corporalis. Jam verò ſi ad aliquam diſpenſationem vocaveris, & aliquid miniſterij divini injungere volueris: prima ſtatim ſollicitudo eſt ejus, & prima verba ſunt iſta; ſi eſt ibi requies, quò eundum eſt, ſi inveniantur, quæ neceſſaria ſunt abundanter, ſi nihil deſit eorum, quæ lata, & ſpatioſa vita depoſcit. Quid ais, ô homo? Quid loqueris? Arctam viam, & anguſtam juſſus es ambulare; ut quid de requie, ut quid de abundantiâ percontaris? Per anguſtam viam tranſire juſſus es; ut quid amplos requiris ingreſſus? Eſt aliquid iſta permutatione nequius? Eſt aliquid iſta perverſitate deterius?] Ingenuè autem fatetur Chryſ. ſe aliquandò voluiſſe fieri monachum, atq; has paſſum fuiſſe cogitationes. Undè, inquiebat, nobis in illis locis, quæ neceſſaria ſunt corpori, præberentur, ſi poſſibile eſſet, & recentis, & diurni panis habêre quotidiè copiam: nè fortè eodem oleo olla, & lucerna eſſet aptanda: ſi non leguminis gravis, & ſolitarius cibus ſumi juberetur, nè operis aliquis gravis eſſet exactor; nè fodere terram cogerer, aut ligna deferre, aut aquam humeris portare, vel cætera hujuſmodi exhibêre miniſteria; ita omni ſollicitudine pro requie corporis percontabar. Verum ſi hæc tantoperè prodigioſa videntur Chryſoſtomo in mo-

in monacho, qui ſolitudines meditatur omni humano ſubſidio deſtitutas: quid de illis religioſis cogitaret, quibus abundè omnia ſuppetunt neceſſaria?

CAPUT V.

Quidquid eſt ſingulare, vitioſum eſſe.

Singulare vitioſum. DECIMÒ veteres omnes morum, ac religioſæ vitæ magiſtros video magni ſemper feciſſe, graviterque reprehendiſſe in quovis hominum convictu ſingularitatem, & quidem jure optimo. Sapienter namque pronuntiavit Io. Caſſianus collat. 1. Abbatis Moyſis cap. 21. Actiones omnes noſtras ad publicum appendendas eſſe examen. Nam quidquid eſt ſingulare, & à communi aliorum modo diſſentiens ſemper ſuſpectum eſſe poteſt. Quoniam (ut libro de ſpiritu gaſtrimargiæ cap. 23. idem ipſe autor tradidit) quidquid extrà conſuetudinem præſumitur, uſumque communem, ut vanitatis gloriæ, atque oſtentationis morbo pollutum antiquiſſima Patrum traditio notavit. Quod quidem de jejunijs, ac cæteris hujuſmodi, in quibus ſpecies virtutis apparet, illi cenſuerunt: ſed & in commodis, ac delitijs locum habet, ſi tale aliquid ſingulare præter cæterorum morem habêre velis, ut major illis eſſe, aut quovis modo excellere videaris, nam in his quoque verum eſt illud S. Anſelmi in lib. de ſimilitudinibus cap. 149. [Proprium ſuperbiæ eſt ſingularitate ſemper gaudêre.] Et S. Greg. 23. moral. cap. 4. cùm quatuor arrogantiæ feciſſet ſpecies; cùm bonum à ſeipſis habêre æſtimant, aut ſibi datum pro ſuis meritis putant, aut jactant ſe habêre, quod non habent, quartus eſt, cùm deſpectis cæteris ſingulariter vidêri volunt habêre, quod habent; [Atque hic quartus, inquit, eſt magis diabolico ſimilis, qui deſpecto bono ſocietatis Angelorum, ſedem ſuam ad aquilonem ponens, & Altiſſimi ſimilitudinem appetens; quaſi ad culmen conatus eſt ſingularitatis erumpere.] [Quid ex obliquo, inquit S. Bern. in tract. de gradibus humilitatis, intendis ad aquilonem? Jam te video neſcio, quæ ſuprà te alta rimantem. Ponam, inquis, ſedem meam ad aquilonem. Cæteris aſtantibus cœlicolis, dum tu ſolus ſedêre affectas, fratrum concordiam, totius cœleſtis patriæ pacem, ipſius, quantum in te eſt, quietem Trinitatis infeſtas. Præſumptione ſingulari non dubitas civibus ſcandalum, injuriam facere Regi? Millia millium miniſtrant ei, & decies centena millia aſſiſtunt ei, ubi nemo ſedêre perhibetur; & tu neſcio, quæ præ cæteris inquirendo, ſedem tibi collocas in cælo?] Hæc ideò ex Bernardo adſcripſi, quia huic planè ſimilis eſt in religioſorum familia arrogantia quorumdam, qui cæteris omnibus ſtrenuè laborantibus, & communi omnium victu, ac veſtitu contenti, ſedêre ipſi volunt otioſi, & neſcio quas alias ſingularitates importuni affectant.

Arrogantiæ gradus. *Iſ. 14.*

Sed & in eodem tractatu quintum ſuperbiæ gradum ponit ſingularitatem. [Turpe eſt enim ei, qui ſe ſuprà cæteros jactat, ſi non plus cæteris aliquid agat, per quod ultrà cæteros appareat. Non ſufficit ei, quod communis monaſterij regula, vel majorum cohortantur exempla, quatenùs dicere poſſit. Non ſum ſicut cæteri hominum.] Sed in ſer. 2. in octava paſchæ ſuperbiam angeli ſedêre affectantis examinans, & dicentis: Sedebo in monte teſtamenti. [Ubi ſtabat, inquit, univerſitas angelorum, non caruit ſingularitatis vitio, qui ſedêre velle præſumpſit. Siccine ubi ſtant omnes, univerſi miniſtrant, tu pacis inimice ſedebis? Planè contriſtas ſpiritum, qui habitare facit unius moris in domo. Offendis charitatem, quia ſcindis unitatem, rumpis uniculum pacis.] Et in ſer. 6. de Aſcenſione Domini, Apoſtolum Thomam conſiderans ab Apoſtolis cæteris ſeparatum, quando venit ad eos Ieſus. [Falleris, inquit, Thoma Sancte; falleris, ſi vidêre Dominum ſperas ab Apoſtolorum collegio ſeparatus. Non amat unitos angulos, non ei diverſoria placent. In medio ſtat, id eſt, diſciplina communi, communi vitâ, communibus ſtudijs delectatur. Uſquequò miſer diverticula quæritas, tanto rubore mendicas? Eijce ancillam, & filium ejus &c.] [Deo non ſingularitas, inquit Chryſologus ſer. 132. eſt accepta, ſed unitas.] Et ſer. 170. [Binos, & binos miſit Dominus, nè deſtituta ſingularitas aut negaret, ut Petrus, aut fugeret; ut Ioannes. Citò cadit fragilitas humana, quæ de ſe ſuperbè confiſa ſocios deſpicit, non vult habêre collegam.] [Turbat proceſſionem (addit S. Bern. in ſer. 2. de Purificatione B. Mariæ) ſi quis ſolitarius incedere curat, nec ſibi ſoli nocet, ſed etiam cæteris eſt moleſtus. Hi ſunt, qui ſegregant ſemetipſos, animales, ſpiritum non habentes, nec ſolliciti ſervare unitatem ſpiritûs in vinculo pacis.]

Singularitas ex ſuperbia. *Luc. 18.* *Iſ. 14.* *Io. 20.*

Itaque in formula honeſtæ vitæ, ita de cibo præſcribit: [Sicut ad crucem, ſic accedas ad cibum, id eſt, numquàm voluptate, ſed neceſſitate paſcaris, & fames non ſapor, provocet appetitum. Singularitatem in refectorio fuge, & communitate eſto contentus, ſciens, quia caro paſcenda eſt, & extinguenda vitia.] Et rurſùm in tractatu de modo vivendi in monaſterio; [Cùm veneris ad refectionem, nec primus intrabis, nec ultimus. Si non potes ſumere, quæ apponuntur, non ea permittas omninò mutari; ſed vel modicum ſume, ut comediſſe videaris.] De ipſo Bernardo ita legimus in ipſius vita; Bernardus ſe tanquàm novitium arbitrabatur, nihil remiſſionis de communi

muni labore, vel opere ſibi indulgens. Quare ſi alij faciebant aliquid, quod ipſe neſciret; fodiebat, ligna cædebat, & humeris portabat.

CAPUT VI.

Graviùs in hoc ſordidos peccare homines.

UNDECIMÒ neſcio porrò, qui fiat, ut hac in re graviùs peccent nonnulli abjecti homines, infimo loco nati, & ſordidè victitantes in ſæculo, quàm nobiles, quique liberaliùs, ac lautiùs educati fuêre. Ita nimirùm & experientia teſtatur, & veteres adnotârunt. S. Hieronymus in regula Monachorum c. 5. ſic habet. [Mirum de infœlici conditione „ plurium hominum. Sunt enim nonnulli vi- „ les, & abjecti in ſæculo, qui quotidianis labo- „ ribus ſe ultrà vires affligentes pro victu cap- „ tando viliſſimo, & vix raris fabis, & rapis „ cum rudi, & hordeaceo pane ſaturantur. Cùm „ verò ad Chriſti menſam accedunt, & mili- „ tiam Chriſti ſuſcipiunt, ſuæ egeſtatis obliti, „ lautiora quærunt, quàm multi, qui ſunt aſſue- „ ti magnificis.] Itaque S. Aug. in regula tertia, & ep. 109. ad monachos, monendos cenſuit hoſce homines, nè ea quærant in monaſterio, quæ nec foris habêre potuerunt. Si cauſam hujus abuſus quæras, ea fortaſſe fuerit, quòd nobiles ad religionem accedunt opes, & commoditatem ſæculi fugientes, paupertatemque & incommoda quærentes. Ignobiles non item: majoraque in religione commoda, & rerum omnium abundantiam majorem inveniunt, quàm anteà habuiſſent in ſæculo: quare videntes ſe ad meliorem veniſſe fortunam, majoraque experti commoda, facilè illis aſſueſcunt, deque illis cogitant magis, quàm de mortificatione, & paupertate. Propterea S. Auguſt. viſus eſt aliquando dubitare, num religioſa vita inventa fuiſſet pro pauperibus, an ſolùm pro divitibus, ut videre eſt in epiſtola citata, & in opere monachorum. Quoniam in ea divites inveniunt humilitatem, & paupertatem, pauperes autem opes, & honores. Neſcio an de hoc hominum genere dicere illud poſſim, quod de clericis ad Innocentium Papam ſcripſit S. Bern. ep. 152. [Inſolentia „ clericorum, cujus magiſtra eſt negligentia „ Epiſcoporum, ubiq; terrarum turbat, & mo- „ leſtat Eccleſiam: Mens enim aſſueta delitijs, „ nec exculta diſciplinæ ſarculo, multas con- „ trahit ſordes: porrò inveteratam rubiginem „ ſi tentes abradere, nec ſummis ſaltem digitis „ contingi patientur.]

CAPUT VII.

Quomodo reſpondendum ſit excuſationibus.

CÆTERUM quid tandem excuſationis habeant homines delicati, placet audire. Unica eſt, & communis illorum excuſatio: neceſſitatem ſcilicet prætendunt corpuſculi, variaſque imbecillitates, quibus majori aliqua commoditate ſit ſubveniendum. At his primum reſponderet Tertullianus lib. de ſpectaculis c. 2. [Quàm ſapiens argumentatrix tibi „ videtur ignorantia humana; præſertim cùm „ aliquid ejuſmodi de gaudijs, & de fructibus „ ſæculi metuit amittere.] *Prima Reſponſio.*

Secundò reſponderet in libro ad martyres c. 1. [Carnem ſaginari, & ſpiritum eſurire „ non prodeſt.] Et rurſum c. 3. [Vocati ſumus „ ad militiam Dei jam tunc, cùm in Sacramen- „ ti verba reſpondimus. Nemo miles ad bellum „ cum delitijs venit, nec de cubiculo ad aciem „ procedit; ſed de papilionibus expeditis, & „ ſubſtrictis, ubi omnis duritia, & imbonitas, & „ inſuavitas conſtitit.] Et addit; [Nempè & „ athletæ ſegregantur ad ſtrictiorem diſcipli- „ nam, ut robori ædificando vacent. Conti- „ nentur à luxuria, à cibis lætioribus, à potu „ jucundiore coguntur, cruciantur, fatigantur: „ quantò plus in exercitationibus laboraverint, „ tantò plus de victoria ſperant.] 2.

Tertiò S. Hier. lib. 3. in caput 5. epiſtolæ ad Galatas paucis admoneret verbis, animi imperio, corporis ſervitio, vivere nos oportêre. Et rurſum ſpiritualem virum ſemper ſpiritu vivere, ſpiritui obedire: contrà carnalem: medium inter hos inter virtutes, & vitia fluctuare. 3.

Quartò S. Ambroſius libro 4. in Lucam, ubi agit de prima Chriſti tentatione; Dic ut lapides iſti panes fiant; cum reſponderet, qui ſpiritualibus intendit, corporalia non quærere. [Huic, inquit, intentus Moyſes panem „ non deſideravit: Huic intentus Elias famem „ prolixioris non ſenſit jejunij: Non enim po- „ teſt, qui verbum ſequitur, panem deſiderare „ terrenum, cùm panis ſubſtantiam cœleſtis ac- „ cipiat.] 4.

Quintò milites Gedeonis objiceret S. Gregorius Papa lib. 31. mor. c. 17. qui in dextera tubas, in ſiniſtra lagenas tenuerunt, hoc eſt, ſpiritualia pluris, quàm corporis curam fecerunt, ut ſuprà diximus. 5.

Sextò illud pſalmi 80. De petra melle ſaturavit eos, proponeret S. Chryſ. in h. Quòd nemo læditur, niſi à ſe ipſo. [Nuſquàm enim invenimus mel fluxiſſe de ſaxo: ſed pòſt multam iti- „ neris fatigationem, & laborem ſitientes aquis „ frigidis è ſaxo fluentibus fruebantur, quaſi „ melle.] 6.

Septimò S. Aug. ep. 109. ad monachas, 7.

 [Ali-

,, [Aliquando, inquit, etiam ſi noceat, prodeſſe
,, creditur, quod delectat.] Itaquè aut rei ju-
cunditate allecti, aut imaginatione noſtra de-
cepti, plerumq; quærimus ea, quæ minimè ne-
ceſſaria ſunt. Ideò S. Baſilius in conſt. monaſt.
c. 22. prudenter monet judicium noſtrum in
hac cauſa debêre nobis eſſe ſuſpectum, neque
ſibi ipſi credendum eſſe, quòd quiſque ſui ip-
ſius indulgentior ſit judex. [Nihil eſt, inquit,
,, facilius, quàm ſeipſum fallere: quòd quiſque
,, ſibi ipſi benevolus, æquovè indulgentior eſt
,, judex; & quæ jucunda ſunt, ea utilia judicat.
,, Quare qui hujuſmodi eſt, is veritatis ipſius ju-
,, dicio damnatus habendus eſt: veluti, qui ſcan-
,, dalorum uberrimam ſegetem ſuggerat mul-
,, tis, perverſoq; exemplo alios ad ſimilium fla-
,, gitiorum imitationem inſtiget.] Matth. 18.
Expedit ei, ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo
ejus, & demergatur in profundum maris.

8. Octavò ex ijs, qui ſæculi principibus ſer-
viunt, aut negotijs vacant, ratiocinatur S.
Chryſ. lib. 1. de compunct. cordis. [Qui prin-
,, cipibus, inquit, ſæculi miniſtrant, ac reipu-
,, blicæ negotijs inſerviunt, horum nihil requi-
,, runt, ſed tantùm ſi aliquid lucri temporalis
,, habeat ejus militiæ locus. Si hoc ſolùm eſſe
,, cognoverit, jam nullus refugitur labor, nul-
,, lum periculum vitatur, nulla indignitas
,, excuſatur. Nos, qui non pecuniam quæ-
,, rimus, ſed ſapientiam, nec terram, ſed cœ-
,, lum quærimus, & ad cœli divitias feſtinamus,
,, de requie corporis percontamur?] Plura ad-
dit in eandem ſententiam.

9. Nonò quoniam id ex immoderato vitæ a-
more provenit, ex Theopompo, atquè Home-
ro addit Clemens Alexand. lib. 6. ſtrom. [Si
,, præſenti vitato periculo reliquum vitæ tran-
,, ſigi tutò poſſet, non eſſet mirum, ſi vitæ eſſe-
,, mus cupidi. At cùm tot immineant ſemper
,, pericula, optanda potiùs eſt mors.]

10. Decimò S. Baſilius in conſt. monaſt. c. 21.
,, [Nè in ipſo quidem corpore tuo reſpondet,
,, poſtquàm illud Deo ſemel conſecraſti, jus
,, tibi nullum reliquum eſt, tanquàm in re Deo
,, dedicata.] Quò etiam ſpectat illa S. Bernardi
expoſtulatio propriam voluntatem incuſantis
eorum, qui arctiorem quærebant vitam. Ve-
ſtram illam, inquit in ſer. 19. in Cant. quam, &
nos frequenter reprimere conati ſumus, minùs
diſcretam vehementiam, immò intemperan-
tiam. prorſus nimiùm obſtinatam redargu-
,, it. [Non vultis eſſe contenti communi vitâ,
,, non ſufficit vobis regulare jejunium, non ſo-
,, lemnes vigiliæ, non impoſita diſciplina, non
,, menſura, quam vobis partimur in veſtimen-
,, tis & alimentis: privata præfertis communi-
,, bus. Qui veſtri curam ſemel nobis crediditis,
,, quid rurſùm de vobis vos intromittitis? Nam
,, illam quâ toties Deum conſcientijs veſtris
,, teſtibus offendiſtis, propriam ſcilicet volun-
,, tatem veſtram, ecce nunc iterum magiſtram
,, habetis non me. Illa vos naturæ docet non
,, parcere, rationi non acquieſcere, non obtem-
,, perare ſeniorum conſilio, vel exemplo, non
,, obedire nobis. An ignoratis, quia melior eſt
,, obedientia, quam victimæ? Non legiſtis in
,, regula noſtra, quòd quidquid ſine voluptate,
,, vel conſenſu Patris ſpiritualis fit vanæ gloriæ
,, deputabitur, non mercedi? Non legiſtis, quia
,, puer Jeſus erat ſubditus illis?] Hæc ille? quæ
& contrà illos magis dici poſſunt, qui non ſe-
veriores ſed indulgentiores ergà ſeipſos ſunt,
laxiorem vitæ rationem procurantes: contrà
quos graviùs ſine dubio egiſſet Bernardus.

Undecimò idem S. Bern. hoſce homines di- 11.
ceret, & verè fortaſſe diceret, non Chriſti, ſed
Epicuri, aut Hippocratis, & Galeni, eſſe diſci-
pulos. Sic enim loquitur in ſer. 30. in Cant.
,, [Dominus dicit, qui voluerit animam ſuam
,, ſalvam facere, perdet eam. Quid vos hic di-
,, citis obſervatores ciborum, morum neglecto-
,, res? Hippocrates, & ſequaces ejus docent ani-
,, mas ſalvas facere in hoc mundo; Chriſtus, &
,, ejus diſcipuli perdere: quemnam vos è duo-
,, bus ſequi magiſtrum eligitis? At manifeſtum
,, ſe facit, qui ſic diſputat: Hoc oculis, hoc capi-
,, ti & illud pectori vel ſtomacho nocet. Profe-
,, ctò unuſquiſque quod à ſuo magiſtro didicit,
,, hoc in medium profert. Nùm in Evangelio
,, legiſti has differentias, aut in Prophetis, aut
,, in litteris Apoſtolorum? Caro, & ſanguis pro
,, certo revelavit tibi hanc ſapientiam, non ſpi-
,, ritus Patris. Sed audi quid de ipſa noſtri me-
,, dici ſentiant: ſapientia, inquiunt, carnis mors
,, eſt. Item, ſapientia carnis inimica eſt Deo.
,, Nùm Hippocratis, ſeu Galeni ſententiam, aut
,, certè de ſchola Epicuri debui proponere vo-
,, bis? Chriſti ſum diſcipulus, Chriſti diſcipulis
,, loquor. Epicurus, atque Hippocrates, corpo-
,, ris alter voluptatem, alter bonam habitudi-
,, nem præfert: meus magiſter utriuſquè rei
,, contemptum prædicat.] Et rurſùm in ſer. in
ea verba. Ecce nos reliquimus omnia: [Animæ
,, curam negligunt, curam autem carnis perfi-
,, ciunt in omni deſiderio. Nequè enim virtuti
,, cordis opera datur, ſed valetudini corporis,
,, immò etiam voluptati. De ſchola Hippocra-
,, tis, & Epicuri didicerunt hæc. Nequè enim
,, ſuis Chriſtus diſcipulis horum quidquam tra-
,, didit; ſed diſcite, inquit, à me, quia mitis ſum,
,, & humilis corde. Qui ſeminat in carne, ſolùm
,, exindè metet corruptionem. At nemo in-
,, quiunt, carnem ſuam odio habuit. Verum eſt.
,, Sed zelum habet abſquè ſcientia, dùm prodeſ-
,, ſe feſtinans, invenitur obeſſe. Cùm enim judi-
,, cium carnis ex anima pendeat, carni nihil
,, poteſt utilius, quàm ſalus animæ providêri,
,, ut paſſionis ſocia, fœlicitatis quoque conſor-
,, tium mereatur.] Denique hoc ipſum eſt,
quod reprehendit S. Auguſt. ſer. 4. ad fratres
in ere-

Digitized by Google

in eremo, dum ait. [Patienter omnia portare debemus, nec dicere legumina ventoſa ſunt, caſeus ſtomachum gravat, lac capiti nocet, aquæ potum non ſuſtinet pectus, caules melancholiam nutriunt, choleram porri accendunt, piſces mihi non ſapiunt. Non enim ſæculum reliquimus, ut delicatè paſcemur in eremo.]

12. Duodecimò audiant quid hic idem S. Bern. ad fratres de S. Anaſtaſio ſcribat in ep. 321. [Compatior, inquit, infirmitati corporum, ſed timenda, & cavenda magis infirmitas animarum. Minimè competit religioni veſtræ medicinas quærere corporales: ſed nec expedit ſaluti. Nam de vilibus quidem herbis interdùm aliquid ſumere, tolerabile eſt; at ſpecies emere, quærere medicos, accipere potiones, religioni indecens eſt, & contrarium puritati. Quærenda eſt potiò humilitatis, & clamandum in toto corde; Sana animam meam Domine, quia peccavi tibi. Huic ſanitati operam date, hanc ſectamini, hanc ſervate, quia vera ſalus hominum.]

13. Decimotertiò idem S. Bern. in ſer. paulò antè ſignificato, reſpondet illa verba, Luc. 16. Memento fili, quia recepiſti bona in vita tua, quæ & delicatis hiſce hominibus tandem dicentur. [Hæccinè, inquit ille, cruciatuum cauſa tota? ipſa planè. Neque enim ad hoc nos è paradiſo voluptatis animadverſio divina ejeciſſe videtur, ut alterum hic ſibi paradiſum adinventio humana pararet. Homo ad laborem natus, ſi laborem refugit, non facit, ad quod natus eſt, ad quod venit in mundum.] At verò ex eadem Abrahæ ſententia & illud æquè conijciendum videtur; eos qui contrario ducti ſpiritu vitæ præſentis omnia bona reſpuunt, & eligunt mala, omnia quòque bona Domini, & omnem habituros conſolationem.

14. Decimoquartò idem Bernardus in ſermone 5. in Feſto omnium Sanctorum ſic loquitur. [Pudeat ſectari gloriam membra, quibus caput ſuum tam inglorium exhibetur, non habens ſpeciem, aut decorem. Pudeat ſub ſpinato capite membrum fieri delicatum.] Et ſer. in ea verba: Ecce nos reliquimus omnia. [Ubi Chriſtus mulctatur morte, cruce turpatur; quis ſuorum delitias, ſeu gloriam ſuſtinêre quærat, nè dùm audeat quærere? flagellatus Chriſtus, & ſputis illitus bajulat ſibi crucem, & ludibrio factus irriſoriâ veſte, arundineo ſceptro, coronâ ſpineâ, foditur clavis, annumeratur ſceleratis, in ligno extenditur, etiam mortuus vulneratur: & hæc intuens, qui dicitur Chriſtianus, proprijs nihilominùs voluptatibus indulgêre nullatenùs erubeſcit? Cæterùm ſi omnis, qui ſe dicit in Chriſto manêre, debet, ſicut ille ambulâvit, & ipſe ambulare, multò magis, qui pro eo manêre ſe dicit, qui pro eo legatione fungitur; qui ei miniſtrat, ſi eum non ſequitur, inexcuſabilis eſt.]

Decimoquintò Diaboli fraude fieri interdùm docet S. Bern. ſer. 33. in Cant. ut minùs prudenter, ac diſcretè laboribus, ac cæteris hujuſmodi operibus bonis te dedas, ut poſt viribus fractus abijcias omnia, & corporis curam ſuſcipias. [Ipſi, inquit, experti eſtis, quomodò quidam (ad verecundiam illorum dico) qui antè inhibêri non poterant (ita in ſpiritu vehementi ad omnia ferebantur) poſt ad tantam ignaviam devenerunt, ut ſecundùm illud Apoſtoli, cum ſpiritu cæperint, nunc carne conſumentur. Quàm turpe inière fœdus cum ſuis corporibus, quibus crudele antè indixerant bellum. Videas, proh pudor! importunè ſuperflua quæritare, qui priùs neceſſaria obſtinatiſſimè recuſabant.] 15.

Decimoſextò reſponderet adhuc Bern. ſer. 5. in vigilia nativitatis Domini; [Crede te Deo, committe te ei, jacta in eum cogitatum tuum, & ipſe te enutriret. Neque enim ſapiunt homines amantes ſeipſos, homines ſcioli, & ſolliciti pro ſe ipſis, curam carnis perficientes in deſiderijs; ſurdi ad vocem dicentis; omnem ſollicitudinem veſtram proijcientes in eum, quoniam ipſi cura eſt de vobis. Nam ſibi ipſi fidere, non fidei, ſed perfidiæ eſt, nec confidentiæ, ſed diffidentiæ magis, in ſeipſo habere fiduciam. Porrò id ſola facit humilitas cordis, ut non ſibi fidelis anima innitatur; ſed deſerens ſemetipſam aſcendat jam de deſerto innixa ſuper dilectum, atq; ideo delitijs affluens.] Et in ſer. 1. de aſcen. Domini. [Deus, inquit, recumbentibus illis apparuit; quia non dedignatur neceſſitates noſtras, ſed miſeretur: ſi tamen curam carnis non in deſiderio facimus, ſed in neceſſitate.] 16.

Decimoſeptimò in ſer. autem 10. in pſalmum; Qui habitat, pulchrè accommodat illa pſalmi verba; Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo. [Tabernaculum, inquit, noſtrum, eſt corpus noſtrum. Sed videmus nonnullos tabernacula ſua in turpiſſima captivitatis domicilia commutaſſe, nec militare in his, ſed miſeram gerere ſervitutem. Nihil ſe aliud putare; quàm ſuum hoc exterius tabernaculum videntur, acſi numquàm eſſet caſurum. Sic deditì ſunt carni, & ſanguini, acſi omninò nihil aliud, quàm carnem, & ſanguinem ſe eſſe reputent. Dilige carnem tanquàm datam tibi in adjutorium, & ad æternæ beatitudinis conſortium præparatam. Amet Adam Evam ſuam, ſed non ſic amet, ut voci ejus plus obediat, quàm divinæ.] 17.

Decimooctavò in univerſo hoc negotio, quod ad carnis, & corporis noſtri curam pertinet, etiam atque etiam cavendum eſt, nè ſub prætextu 18.

Digitized by Google

Voluptas textu neceſſitatis invadat nos voluptas,quæ ul-
trà neceſſitatem progredi ſolet. Meritò enim S.
Ambr. lib. 5. exam. c. 1. Cùm Deum legiſſet
quinta die antè hominem creâſſe piſces,& de-
litias maris, exclamavit; Vah mihi; antè homi-
,, nem cæpit illecebra, abundantia copiarum,
,, noſtræ mater luxuriæ. Antè hominem deli-
,, tiæ. Prior ergò hominum tentatio,quàm na-
,, tura.] Et libro de bono mortis c. 3. [Quod de-
,, lectatione carnali eligendum exiſtimaverit,
,, hoc ſciat falſum,ab eo fugiat,& recedat,quia
,, fraudis eſt plenum.] Et S. Greg. Papa lib.
20. mor. c. 15. [Neceſſitates, ait, naturales
,, hoc habêre valdè periculoſum ſolent, quòd
,, ſæpè in eis minimè diſcernitur, quid circa il-
,, las per utilitatis, & quid per voluptatis ſtu-
,, dium agatur. Crebrò enim dùm neceſſitati
,, debita reddimus, voluptatis vitio deſervi-
,, mus, & infirmitatis velamine antè diſcretio-
,, nis oculos excuſatio noſtra ſe palliat,& quaſi
,, ſub patrocinio explendæ utilitatis occultat.]
Itáque S. Bernard. ſer. 11. in pſ. Qui habitat,
cùm dixiſſet David, Angelis ſuis mandavit de
te, ut cuſtodiant te in omnibus vijs tuis, duas
agnoſcit hominum vias; alteram neceſſitatis,
alteram cupiditatis, dicamus nos voluptatis.
,, [Viæ,inquit, hominum ſunt in neceſſitate,&
,, cupiditate. Ab utraque ducimur, ſed magis
,, urgemur à neceſſitate,trahimur à cupiditate.
,, Neceſſitas corporis eſt, cupiditas animæ. Sed
,, contritio, & infœlicitas in vijs eorum. Con-
,, tritio in neceſſitate, infœlicitas in cupiditate.
,, Nam neceſſitas ex infirmitate carnis, cupi-
,, ditas ex cordis inedia, & oblivione procedit,
,, & ideò alienum mendicat anima, quia obli-
,, ta eſt comedere panem ſuum, propterea ter-
,, renis inhiat, quòd minimè cœleſtia medite-
,, tur.] Sed nunc in voluptate magis, quàm
in cupiditate immorantibus nobis, ità expo-
nit S. Gregorius eodem loco illud pſ. 70. De
neceſſitatibus meis eripe me Domine; ut
malos dicat de neceſſitate, conſueviſſe face-
re voluptatem, & neceſſitates ad uſum volup-
tatum retorquêre: Et lib. 5. expoſitionis in
primum Regum c. 10. gulam ſerpenti compa-
rat, quoniam ſub neceſſitatis prætextu frau-
dulenter ingreditur, atquè ubi caput neceſſi-
tatis immiſerit, mox totum voluptatis corpus
adjungit. [Voluptas, inquit S. Nyſſenus h. 3.
,, in Eccleſiaſten, ijs ſe conjungit,quæ ſunt vi-
,, tæ neceſſaria: deindè velùt aqua per varios
,, canales in omnes partes derivat.] Et h. 4.
,, [Voluptas ſerpens nominatur, cujus hæc eſt
,, natura, ut ſi caput ſubeat in compagem,
,, univerſas ſtatim ingrediatur.] Ac ſurſùm in
libro de oratione or. 4. propterea dixit fuiſſe
ſcriptum in Gen. ſerpentem acceſſiſſe ad E-
vam, ut pomi eſum ſuaderet; quia ſerpens vo-
luptatis ſymbolum eſt. [Moyſes,inquit ille,vo-
,, luptatis, quæ guſtatu percipitur, ſerpentem
,, Evæ ſuaſorem adhibuit. Serpens enim ſi
,, commiſſuræ, quam perrepere conatur,caput
,, immiſerit, non facilè à poſteriori parte re-
,, trahitur, ſquammâ in contrarium reſiſtente,
,, lævitate ſquammæ facilè ingreditur: oſten-
,, dente ſcriptura, quòd voluptatem introeun-
,, tem cavêre oportet, & quàm maximè fieri
,, poteſt vitæ compages obturare. Quòd ſi ali-
,, quem aditum nacta fuerit,non facilè eijci po-
,, teſt. Nè des aditum ſerpenti ad interiora irre-
,, penti, & à primo initio omne ſuum volumen
,, ſimili inferenti. Mane & conſiſte in uſu ne-
,, ceſſario.] De gula item, & cibo loquens
S. Aug. lib. 10. confeſſ. c. 31. [Suavis, ait, eſt
,, mihi neceſsitas,& adverſùs iſtam ſuavitatem
,, pugno,nè capiat,& quotidianum bellum ge-
,, ro in jejunijs, ſæpiùs in ſervitutem redigens
,, corpus meum.] Et iterùm. [Hoc me docui-
,, ſti; ut quemadmodùm medicamenta,ſic ali-
,, menta ſumpturus accedam. Sed dum ad quie-
,, tem ſatiëtatis ex indigentiæ moleſtia tranſ-
,, eo, in ipſo tranſitu inſidiatur laqueus concu-
,, piſcentiæ. Et cùm ſalus ſit cauſa edendi,& bi-
,, bendi adjungit ſe tanquàm pediſſequa pericu-
,, loſa jucunditas; & plerumq; præire conatur,
,, ut ejus cauſâ fiat, quod ſalutis cauſâ me face-
,, re,vel dico,vel volo.] [Ita per licitos uſus (ut
,, eleganter dixit S. Leo ſer. 12. de quadrag.) ad
,, immoderatos tranſitur exceſſus,& non ſuffi-
,, cit concupiſcentiæ,quod poteſt ſatis eſſe na-
,, turæ.] Hoc magnoperè verendum eſt iſtis,cum
quibus nunc agimus. Si enim ſolam naturæ ne-
ceſſitatem ſectatentur,communibus cum cæte-
ris eſſent contenti: at vereor,nè non neceſſitate,
ſed voluptate ſeducti ducantur.

Decimononò cogitent quàm ſeverè cum ſuo 19.
corpore egerint veteres Sancti, & monachi.
S. Auguſtinus pane, & oleribus veſcebatur, nec
adhibebat carnes, niſi interdùm propter hoſ-
pites, ut in ejus vita narrat Poſſidonius c. 22.
Bernardus nec aquam ad ſatietatem bibe-
bat, ut ipſemet teſtatur in ſer. 66. in Cant.
,, [Abſtineo,inquit,à vino,quia in vino luxuria
,, eſt. Abſtineo à carnibus, nè dum nimis nu-
,, triunt carnem, ſimul & carnis nutriant vitia.
,, Panem ipſum cum menſura ſtudebo ſumere,
,, nè onerato ventre ſtare ad orandum tædeat.
,, Sed nè ſimplici quidem aqua ingurgitare me
,, aſſueſcam, nè diſtentio ſanè ventris uſq; ad
,, titillationem pertingat libidinis.] Paula Ro-
mana teſte Sancto Hieronymo nec in ultima
ægritudine adduci potuit, ut modicum vini bi-
beret. Apud Theod. in hiſt. Sanctorum Pa-
trum c. 18. Euſebius cicere, & fabis aqua ma-
defactis veſcebatur; & c. 20. Marem mona-
chum ſcribit annis 37. incluſùm manſiſſe in
domuncula valdè humida, quæ hyeme aquæ
etiam emittebat guttas, & c. 21. Jacobum
ſine tecto aëris, & nivium, ac pluviarum im-
petus, & ſolis radios ſuſtinuiſſe. Alia etiam
gravio-

Digitized by Google

graviora leguntur plurima apud Palladium, Theodoretum, Caſſianum, & alios.

Vigeſimò corpus noſtrum omninò commoditatibus, & multâ curâ non indigêre, deduxit S.Chryſ.h.22.in Matt. ex illis Domini verbis; Quis ex vobis adijcere poteſt ad ſtaturam ſuam cubitum unum? Et illis Pauli 1. Cor. 3. Neque qui plantat eſt aliquid, neq; qui rigat &c. [Corpus ergò,inquit ille,non tam alimonia „ ſui creſcit, quàm providentia conditoris.] Quam ob cauſam,ut in ejus vita ſcriptum legimus, adventantibus novitijs ſolebat dicere; ſi ad ea, quæ intùs ſunt, feſtinatis hic foris dimittite corpora, quæ de ſæculo attuliſtis.

DE MULIERIBUS.

LIBER XV.

Fœmina, Mulier. Virgo, Nupta, Vidua.

SUPERIORIBUS hunc adjungo tractatum,quoniam intemperantiæ, ac libidinis noſtræ ferè materia eſt mulier. Fœmina ſexus nomen eſt, à maris ſexu diſtincti: nec ſolùm in homine, ſed & in univerſo animalium genere marem nominamus, & fœminam. Quamquàm quæ in univerſo genere fœmina dicitur, in homine mulierem appellamus, aut virginem, aut nuptam, aut viduam. Eſtque mulier appellatio ſexus; virgo autem, nupta, & vidua, ſexus diverſos ſtatus, & conditiones ſignificant. Virgo nondum paſſa eſt virum; quemadmodùm reliquæ, quarum illa virum habet, hæc habuit, & amiſit.

CAPUT I.

Mulier quid.

Mulier, & Virgo.

INTERDUM tamen mulier virgini opponitur, & pro nupta, vel vidua ſumitur. Ita Tertull. in libro de virginibus velandis cap. 4. „ [Virgini, inquit, dico,& mulieris,id eſt,non „ virginis.] Nam in 1.Cor.7.dixit Apoſtolus; Divis eſt mulier, & virgo, id eſt, non nupta. Naturale (id eſt naturæ, & ſexus) vocabulum eſt fœmina. Naturalis vocabuli generale mulier, quæ ſcilicet fœminas omnes humanæ ſpeciei complectitur. Generalis etiam ſpeciale virgo, vel nupta, vel vidua. Hæ enim tres ſunt mulierum conditiones diverſæ. Mulieris autem vocabulum non eam ſolùm ſignificare, quæ virum paſſa eſt, ſed ad ſexum ipſum, non gradum ſexûs pertinêre; oſtendit idem Tertullianus c. 5. & 6. Etenim Eva ſtatim formata vocatur mulier, Gen. 1. cùm eſſet virgo; & Paulus Gal.4. Mariam Virginem appellat mulierem; Miſit Deus filium ſuum factum ex muliere, & Angelus Luc. 1. Benedicta tu inter mulieres. Quòd ſi aliqui reſpondeant dictam mulierem, quia erat deſponſata, & ideò quodam modo nupta; ergò Chriſtus non eſt natus ex virgine, quia ex deſponſata? Ita conficit Tertullianus virginem quoque mulierem appellari. Sed & S. Aug. in ep. 120. ad Honoratum c.3.& lib.4 locutionum. ex lib. Num. & lib. 2. de conſenſu Evang. c. 28. & com. ad caput 4. epiſtolæ ad Gal. & lib. 11. & 23. contrà Fauſtum, & lib. de fide contrà Manichæos c. 22. & tract. 10. in Io.& lib. 4. de ſymbolo ad catechumenos c. 3.& ſer. 63. de verbis Domini, & ſer. 19. de tempore, & ſer. in Dominica infrà octavam Epiphaniæ; Mulieris nomine propriëtate linguæ hebraicæ, & ſcripturarum conſuetudine fœminas omnes, ſive intactas, viro ſive jam miſtas, nuncupari contendit. Nam & Gen. 2. Eva virgo vocatur mulier; & Num 30. Mulier ſi quidpiam voverit, & ſe conſtrinxerit juramento, quæ eſt in domo patris ſui, & in ætate adhuc puellari; & Gal.4. factum ex muliere,id eſt,ex Virgine Maria. Et S.Hier.in qq. hebraicis in Geneſim, ubi nos legimus Gen. 2. Et vocabitur virago, quoniam de viro ſumpta eſt (ipſe legit mulier) & mulieres omnes ſignificari oſtendit, quoniam ethymologia in hebræo ſervatur. Vir quippè vocatur Is, & mulier Iſſa. Et in com. ad caput 4. epiſtolæ ad Gal. [B. Maria, inquit, vocatur „ mulier, quia mulier ſexum magis ſignificat, „ quàm copulam viri.] Et ſecundùm intelligentiam Græcitatis γυναῖκα uxor, quàm mulier valet interpretari. Et com.capitis 5.citans illa verba; Natus de muliere; [Abuſivè,inquit, „ Virgo mulier appellata eſt: propter illos,qui „ eam virginem fuiſſe neſciebant,quia maritum arbitra-

Digitized by Google

,, arbitrabantur habêre.] Et S. Ambr. ep. 1. ad Juſtum. [Mulier ſexus eſt , virgo integritatis; ,, ſexus generis , virgo ſpeciei.] Et S. Cyrillus Hieroſol. catech. 12. [Virgo etiam quandoq; ,, vocatur muliër.] Et S. Greg. Papa lib. 11. moral. c. 26. Mulier aut pro ſexu ponitur , ut Gal. 4. aut pro infirmitate , ut Eccleſiaſtici 42. Undè & Lactantius in libro de opificio Dei c. 12. [Mulier , inquit , quaſi mollier , à ,, mollitie dicta.] Et S. Bern. ſer. 38. in Cant. exponens illa verba ; Si ignoras te, ô pulchra inter mulieres ; [Mulierum, inquit, nomine ap- ,, pellantur animæ carnales , & ſæculares, nihil ,, in ſe virile habentes, nihil forte, aut conſtans ,, in ſuis actibus demonſtrantes , ſed totum re- ,, miſſum , totum fœmineum , & molle.] Et hæc quidem de nomine ſatis.

Jam ergò de mulieribus dicturus, bipartitam faciam conſiderationem ; Primùm enim de illis per ſe , & abſolutè dicam. Deindè etiam per comparationem ad nos.

CAPUT II.

Mulier cur viro mollior.

SATIS autem omnes ultrò concedent; Mulierem ut corpore, ſic & animo, ac moribus molliorem eſſe , humaniorem , faciliorem , ac ſuaviorem viro. Cujus rei præter naturalem corporis temperationem , duas apud S. Baſilium reperio cauſas. Alteram , propter filiorum educationem. [Mulier (inquit ille h. in ,, aliquot ſcripturæ loca) humanior , ac dul- ,, cior à Deo facta eſt , ut parvulos benigniùs, ,, & humaniùs educaret. Si enim auſterior ,, fuiſſet , plorantem infantem ulnis , & pecto- ,, re non foviſſet.] Alteram , ut vehementiùs ad ſe alliceret marem , ad opus illud perficiendum , quod ſpeciei conſervandæ erat perneceſſarium. Eſt ſanè utrique & mari, & fœminæ inſitus hic appetitus : tum quia ſexus uterq; neceſſarius ; tùm quia, ut ratiocinatur S. Greg. Nazian. in libro adverſus mulieres ambitioſiùs ſeſe ornantes , mulier appetit virum , quia ex illius coſta formata ad ſuum vellet redire locum. [Si te , inquit , lateris illius , à quo ſe- ,, cta es , cupiditas cœpit unicum ſaltem illud ,, latus tuum complectere (legitimum ſcilicet ,, maritum tuum) ac præclarum, & laudabilem ,, amorem fove : alijs autem affectibus , nè per ,, ſomnium quidem indulge.] At vir quoque ſuam cuperet recuperare coſtam , ſibiq; abſciſſam partem reponere. Itaque S. Baſilius in libro de vera virginitate , magis credidit marem ad fœminam trahi , quàm à mare fœminam , & quidem magnetis , & ferri uſus exemplo. [Si- ,, cut, inquit , non magnes ad ferrum , trahitur, ,, ſed ad magnetem ferrum : ità non ad marem ,, fœmina, ſed mas ad fœminam trahitur.] Propter hoc relinquet homo patrem , & matrem, & adhærebit uxori ſuæ. Non fœmina, ſed vir. ob inſitum libidinis ſtimulum. Ideò fœminam Deus fecit molliorem , & delicatam magis , ut magis marem traheret.

Appetitus maris, & fœminæ.

Tertiam rationem habes apud Sanctum Gregorium Nyſſenum or. 1. in ea verba ; Faciamus hominem ad imaginem , & ſimilitudinem noſtram : Ut ad humanitatem , & commiſerationem omnem eſſet propenſior. In rebus enim , quæ fortitudinem poſtulant , robuſta eſt ; in vigilijs, & laboribus conſtans: immò magis , quàm vir. Quam ob cauſam non dubitavit affirmare S. Io. Chryſ. h. 13. in epiſtolam ad Epheſ. eam eſſe magis ad pietatem propenſam , quàm virum. [Habent , inquit , in ſe ,, mulieres quoddam vanæ gloriæ ſtudium , ,, verùm commune cum viris. Iracundæ ple- ,, rumq; ſunt, & hoc commune habent cum vi- ,, ris. Communia verò cum viris non habent, ,, in quibus excellunt: pudicitiam dico , fervo- ,, rem , piëtatem , & quam ergà Chriſtum ha- ,, bent, dilectionem.] Eccleſia quoq; in publicis precibus intercedi petit pro devoto fœmineo ſexu. Et ut Sanctus Aug. in tract. 7. in Jo. loquitur , ipſæ magis , quàm viri ad Eccleſiam currunt ; quamquam hoc ipſe doleat ; quia ſi non timor certè verecundia eas debuit de publico revocare, quod autem majorem dicit Chryſ. ergà Chriſtum dilectionem ; S. Bern. in lib. de paſſione Domini , ſuper : Ego ſum vitis vera ; cum attuliſſet illud, Iſ. 53. Et de gentibus non eſt vir mecum; [Tanquàm , inquit, intelligen- ,, dum ſit, ſolas mulieres cum illo remanſiſſe.] Sicut in perſona Chriſti conquerentis loquitur Iob c. 19. Derelicta ſunt tantummodo labia circà dentes meos. Per labia quippè , quæ cæteris membris ſunt molliora , muliebris ſexus mollis, & infirmus intelligitur , qui ſolus diſcipulis fugientibus adhæſit. Elegit enim dominus infirma mundi ; ut confundat fortia.

Mulierum devotio.

CAPUT III.

Mulier cur formata.

SECUNDÒ cur viro adjuncta fuerit mulier ſocia , atq; omninò à Deo formata, ineptè prorſùs , & impiè dixit homo quiſpiam, ſenſui magis , quàm rationi ſerviens , eam ad delitias , & oblectationem viri fuiſſe factam. Sed neq; Ariſtoteli cum illud audiendum eſt ; eam ex accidenti eſſe in mundo, velut naturæ monſtrum , atq; imbecillioris naturæ peccatum ; quæ marem intendens , nec producere valens, nè fruſtrà omninò videatur egiſſe , præter intentionem ſuam declinat ad fœminam. Non enim ex accidenti , & præter intentionem dici poteſt eſſe in univerſo procreationem, & conſervationem ſpeciei ; immò verò hoc , ipſomet conſen-

Io. Boccatius in Decam.

Digitized by Google

conſentiente, naturaliſſimum, & perfecto-
An. 34. rum dumtaxat opus. At procreatio, & conſervatio ſpeciei, non minùs indiget fœminâ, quàm mare: uterque igitur ſexus per ſe quæritur in natura.

Verùm aperta eſt Dei creatoris ſententia, Gen. 2. Non eſt, inquit, bonum hominem eſſe ſolùm, faciamus ei adjutorium ſimile ſibi: ſummo ergò conſilio facta eſt mulier. Scio S. Io. Damaſcenum in 2. libro de orthodoxa fide cap. 30. Deum (ſcripſiſſe) hominem ab initio condidiſſe marem; deindè ex præſcientia peccati, quo homo in corruptionem laberetur, fœminam adjunxiſſe ad humanum genus per generationem conſervandum adjutricem. At quò minùs ego aſſentiar, duo faciunt. Alterum; quòd in ſtatu quoque innocentię, non peccante Adamo generatio fuiſſet hominum non minùs quàm cæterorum animalium: Ideò in hominum ſpecie neceſſaria fœmina, ut in ſpeciebus cæteris. Alterum; quòd omninò ſtat divina ſententia: Non eſt bonum hominem eſſe ſolùm, etiamſi non peccaſſet. Nec minùs illi, quàm cæteris animantibus, benedixit
Gen. 2. Deus, dicens: Creſcite, & multiplicamini, & replete terram. Quid enim tandem ageret ſolitarius homo, etiamſi in innocentia permanſiſſet? Nimis moleſta, & gravis ſolitaria illa fuiſſet vita. Propterea abſolutè, & abſque dependentia à peccato, factum eſt illi adjutorium ſimile ſibi, quoniam abſolutè non erat bonum, hominem eſſe ſolum.

1. Fuit igitur mulier viro data, in adjutorium: tùm ad ſobolis procreationem, atque educationem, humanæque ſpeciei multiplicationem: tùm ad civilem convictum, & vitæ ſolatium,
2. ut jucundior foret ſocialis vita cum omnibus illis commodis, quæ communis habet plurium convictus. Quanquàm hoc non magnopere S. Auguſtino probatur in lib. 9. de Geneſi ad litteram c. 5. [Si enim, inquit, ad convivendum, & colloquendum; quantò congruentiùs duo amici pariter, quàm vir, & mulier habitarent?] Sed reſpondêri poteſt; ſi danda fuit mulier ad ſobolem, potuit eadem, & hunc alterum convictus uſum præſtare.

3. Tertium adjutorium fuerit ad rei domeſticæ adminiſtrationem: S. Ambr. in lib. de paradiſo c. 11. conſiderat illud verbum, quo ſcriptura utitur; & ædificavit Dominus Deus coſtam in mulierem. [Benè, inquit, dixit ædificavit, ubi de mulieris creatione loquebatur. Quia in viro, & muliere domus videtur quædam plena eſſe perfectio. Qui ſinè uxore eſt, quaſi ſine domo eſt. Sicut enim vir publicis officijs, ita mulier domeſticis miniſterijs habilior æſtimatur.] Et libro de Noë, & arca cap. 13. [Dies ſignificat virum, qui ſit purior, ſimilis luci: nox mulierem, quę viro dormiente creata eſt. Ille prior, quaſi autor, qui virtutem moveat mulieris, & in partus excitet: Ille actu clarior publico; hæc obſcurior, tanquàm domeſticis clauſa parietibus, & nocti proxima.] Ac demùm in libro 1. de Abraham cap. 5. huc adfert illud, quod Gen. 18. legitur factum. [Antè tabernaculum, inquit, vir hoſpitum explorat adventus (Abraham ſcilicet) intrà tabernaculum Sara tuetur fœminæ verecundiam, & opera muliebri tuto exercet pudore.]

Quartum mulieris adjutorium fuit ſanè quàm maximum Redemptio per Chriſtum, 4.
quæ per mulierem erat futura. Hoc S. Ambr. tradidit in libro de inſtitutione virginis cap. 3. Quo loco cùm quæſiſſet, cur Deus in mundi creatione opera ſua laudavit omnia, ſingulis diebus dicente ſcriptura; Vidit Deus, quòd Gen. 1.
eſſet bonum: ſolus non laudatur homo, propter quem omnia facta ſunt. Duas reſpondet fuiſſe cauſas. Alteram; quia cæterarum rerum bonitas exterior eſt, totaque ſtatim apparet: at hominis bonitas eſt interior, & ideò antè probandus fuit homo, quàm prædicandus; Alteram, quia non eſt bonum hominem eſſe ſolum: quare ſine muliere homo non habet laudem: in muliere prædicatur, quia per mulierem Chriſtus venire debeat in mundum ſalus noſtra. Alias tamen hujus rei rationes habet S. Aug. lib. 3. de Gen. ad litteram cap. 24.

Cæterùm calumniabatur apoſtata Julianus; Mulierem in ruinam potiùs, & perditionem, quàm in adjutorium fuiſſe & viro, & ſibi ipſi. Nam & ex paradiſi delitijs, muliere ſuadente, exciderunt ambo, & immortalitate privati ſunt. Sapienter reſpondit S. Cyrillus Alexandrinus lib. 3. adverſùs ipſum; eam à Deo factam fuiſſe liberam, & natura vertibilem; abuſamque hac libertate fuiſſe ſecùs, quàm Dominus voluiſſet.

CAPUT IV.

Cur ex viri coſta.

TERTIÒ cur ex viri coſta formata fuerit mulier, cùm omninò poſſet Deus ex alia formare terra, ſicut formaverat virum. Eam ob cauſam fuiſſe factam S. Ambr. credidit in libro de paradiſo cap. 10. Ut unam ſciremus eſſe in viro, & muliere corporis naturam, unum fontem humani generis, unum principium. Et Theodor. libro 5. de curandis Græcorum affection. [Deus, inquit, ex coſta viri mulierem formavit, nè ſe diverſæ naturæ eſſe exiſtimans, contumacem ſe illi præberet; ſicut & omnes homines ex duobus propagavit, ut omnium eandem eſſe naturam intelligeretur.] Alij, ut magis amaretur à viro veluti pars aliqua ſui. Inter

Digitized by Google

quos Sanctus Hilarius in metro in Geneſim;

Quò magè chara viro, & lateri ſit conjugis apta.

Et S. Cyrillus Alexand. loco jam citato. Ut viro inſereretur affectio ergà eam. Et S. Anſelmus in Elucidario; [Mulier de viro creata, „ ut ſicut in carne una, ita per dilectionem eſ- „ ſet cum eo in mente una.] Sed ut vir amare debet mulierem velut partem ſui, ità & mulier virum, quia pars illius eſt, atque ex ipſo derivata. Ita Theodoretus q. 30. in Gen. [Evam „ ex Adæ coſta formavit Deus, ut ad concor- „ diam, & benevolentiam utrumque ſexum „ adduceret.]

CAPUT V.

De Evæ maledictione.

QUartò mulier, poſtquàm virum ad peccatum induxit, maledictionem à Deo illam audivit, Gen. 3. In dolore paries filios tuos, & ſub viri eris poteſtate, & ipſe dominabitur tui: & rurſùm; Et ad virum erit converſio tua. Antè peccatum erat æqualis viro, atque hæc ſubjectio fuit peccati pœna. Video tamen in hoc veteres Patres non tàm pœnam, quàm ſingulare Dei beneficium agnoſcere: quemadmodùm & in Cham, & Eſau, dum ſuis fratribus ab illorum parentibus fuêre ſubjecti. Æqualitatem porrò naturæ S. Greg. Nyſſenus in or. 1. in ea verba, Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, ex eo oſtendit, quod mulier æquè ac vir ad imaginem Dei facta eſt, ſolaque diverſitas in corporibus eſt. Quo loco obiter adnotabo, S. Ambr. in com. ad caput 14. prioris epiſtolæ ad Cor. & S. Aug. libro 3. de Gen. ad litteram cap. 22. mulierem quidem conſentire ad imaginem Dei factam, non eſſe tamen imaginem Dei, ſed ſolum virum contendere. Sed hoc alibi pluribus, & S. Chryſ. h. 26. in priorem ep. ad Cor. [Mulier, inquit, cùm fuit „ facta, non ſtatim fuit ſubjecta: ſed quando ad- „ duxit eam ad virum dixit illi, quod eſſet os ex „ oſſibus ejus, & caro de carnibus ejus; imperij „ autem, & ſubjectionis non meminit. Quando „ autem malè uſa fuit poteſtate, & facta adju- „ trix, inventa eſt inſidiatrix, & omnia perdidit, „ tunc meritò audit; Ad virum tuum converſio „ tua.] Et rurſùm h. 9. in priorem ad Tim. [Id- „ circò mulierem Deus ſubdidit viro, quia ho- „ noris parilitate principiò ſibi indulta peſſimè „ uſa fuerat.] Et homilia 17. in Gen. [Eva antè „ peccatum honore æqualis Adamo, poſt pec- „ catum verò ſubjecta illi. Melius enim eſt, ut „ tu ſub illo ſis, & illum dominum habeas, quàm „ impavidè liberè vivens per præcipitia feraris.] Et omninò de Eva dici poteſt illud, quod de Cham, & Eſau ſcripſit Origenes h. 3. in Ioſuë. [Admiranda eſt, inquit, benignitas, & „ providentia Dei, qui volens peccatori Cha- „ naän præſtare remedium, & conferre ſalutem, „ ſervum eum fecit fratribus ſuis: ſicut Eſau fa- „ ctus eſt, ut ſerviret fratri ſuo Iacob: non utiq; „ ut periret, ſed ut ſalutem obediendo conqui- „ reret. Præſtatur enim malis plurimùm, & „ peccatoribus, qui ſeipſos regere neſciunt, ut „ non ſibimetipſis committantur, ſed ut ſervi „ fiant Sanctorum, & ſubjaceant melioribus, ut „ non ſuo ſenſu malo, ſed illorum bono regan- „ tur.] Addit verò S. Ambr. in libro de paradiſo cap. 14. Inter benedictiones numerari hujus ſervitutis obſequium. [Nam & Iſaäc in loco „ benedictionis eam dedit Eſau filio ſuo ut ſer- „ viret fratri ſuo; credidit enim eum fore meli- „ orem, ſi typum Chriſti veneraretur in fratre.] Quod pluribus planè perſequitur in libro 2. de Iacob, & vita beata c. 3. & in pſalmum 104. ad Simplicianum. [Iſaäc, inquit, pater pius duo- „ bus filijs ſuis diviſit alteri gratiam, alteri miſe- „ ricordiam; ſapienti gratiam, inſipienti miſe- ricordiam.]

Mulier ſubjecta viro poſt peccatum.

Obedientiæ bonum.

Verùm revertamur ad Evam. Certè S. Aug. in 11. libro confeſſ. cap. 32. mulierem ſcripſit viro fuiſſe ſubjectam, ſicut appetitus rationi ſubjectus eſt. Quæ ſanè ſubjectio bona, & ſalutaris eſt illi. [Fœmina, inquit, ita ſubjecta eſt „ viro, quemadmodùm ſubijcitur appetitus „ actionis ad concipiendam de ratione mentis „ rectè agendi ſolertiam.] Et Sancti Ambroſius, atque Anſelmus in com. ad caput 14. epiſtolæ prioris ad Cor. mulierem duas ob cauſas ſubjectam fuiſſe tradiderunt; Quia & ex viro eſt, & per ipſam intravit peccatum. Et S. Io. Chryſ. h. 26. in eandem epiſtolam, quatuor prorſùs viri ſuper mulierem excellentias collegit ex Paulo: primam; quòd eſt caput mulieris, ſicut caput noſtrum eſt Chriſtus: ſecundam; quòd mulier eſt viri gloria, quemadmodùm vir gloria Dei: tertiam; quòd non vir ex muliere, ſed mulier ex viro: quartam; quod non vir propter illam, ſed propter virum illa.

Vir mulieri præſtat.

CAPUT VI.

Alia mulierum probra.

QUintò quoniam mulier viro fuit peccati cauſa, multa contra univerſum hunc ſexum à veteribus pronuntiata leguntur. Non ſolùm enim Severiani, & Andronici hæretici homines, apud S. Epiphanium hæreſi 45. mulierem dixerunt Satanæ opus fuiſſe, matrimoniumque contrahentes cum illa, Satanæ opus perficere. Et Columbaſij, ut idem eſt autor hæreſi 35. Virum, & mulierem omonymè hominem nominari. Verùm etiam καλὸν κακόν, pulchrum malum appellavit S. Cyrillus Alexand. in 3. libro adverſus Julianum: & verſutiæ organum, in libro de adoratio-

ratione in Spiritu Sancto, & univerſè adjunxit; [Voluptatis figura mulier eſt, & quod in Adam ſenſibiliter accidit, hoc etiam in unoquoque noſtrum ſpiritualiter impletur. Voluptas enim præſtigijs imponit menti, eámq; impellit, ut nihil eſſe opinetur, ſi prævaricetur legem Dei.] Hæc Cyrillus; qui rurſùm in lib. 7. loquens de Salomone à mulieribus decepto, atq; ad idola colenda perducto; [Deceptrix, ait, res eſt mulier, & ad decipiendum idonea. Nam inter arma cætera voluptatem habet, qua mens vincitur.] Et S. Auguſt. in 1. ſoliloq. lib. cap. 10. [Nihil eſſe ſentio, quod magis ex arce deijciat animum virilem, quàm blandimenta fœminea, corporumq; ille contactus, ſine quo uxor haberi non poteſt.] Quare in lib. 11. de Gen. ad litteram cap. 42. Salomonem ſcribit nihil in ſimulachrorum cultu putaſſe utilitatis ineſſe, ſed trahenti mulierum amori reſiſtere non valuiſſe. Et Adamum quoque de prohibito ligno comediſſe, nè contriſtaret uxorem, quam credebat ſine ſuo ſolatio poſſe contabeſcere, ſi ab ejus alienaretur animo. Valentem item Imperatorem narrat Theodoretus libro 4. Hiſt. Eccleſ. cap. 12. ab uxore deceptum, factum fuiſſe Arianum. Et Diabolum adnotavit S. Io. Chryſ. h. 28. in priorem ad Cor. epiſtolam, cùm cæteris ſuis artibus virtutem Job expugnare non potuiſſet, velut validiſſima arma poſtremo loco uxorem adhibuiſſe. Et S. Aug. lib. 1. contrà Gaudentium cap. 30. [Diabolus mulierem ſibi miniſtram ad decipiendum virum, ſuis illi ablatis omnibus, reſervavit.] Et tr. 5. in epiſtolam Io. [Diabolus per fœminam venenum primo homini propinavit, & ipſi Job; fœminam ſervavit, per quam maritus non conſolaretur, ſed tentaretur.] Et S. Greg. Papa lib. 3. moral. cap. 6. [Diabolus, inquit, invictum animi robur Job videns, antiquæ artis inſidias reperit: & quia ſcit quomodo Adam decipi ſoleat, ad Evam recurrit; cor mulieris tenuit, & quaſi ſcalam, quâ ad cor viri aſcendere potuiſſet, invenit: occupavit animum conjugis, ſcalam mariti.] S. Amb. verò in ſer. 48. in ſer. 3. hebd. Sanct. loquens de Petro ab oſtiaria ancilla decepto ad negandum Chriſtum: [Oſtiaria, inquit, decepit Petrum, ſicut Eva Adamum. Uſitatus enim ad decipiendum ſexus eſt. Fraudis ſuæ vaſculum in oſtiaria diabolus recognovit. Fides non niſi per mulierem oppugnari conſuevit.] Eadem prorſus S. Maximi Taurinenſis verba in h. 3. de pœnitentia Petri. [Uſitatus, inquit, ad decipiendum ſexus eſt; fraudis ſuæ vaſculum in oſtiaria recognovit, quia fideles viros, non niſi per mulierem oppugnare conſuevit. Ibi Adam per Evam ſuperat, hìc Petrum vincit per oſtiariam.]

Univerſè magis Origenes lib. 2. in Job. Diabolus frequenter conſuevit loqui ad viros per os mulierum, & ſubvertere viros per os conjugum, atque ad mala concitare; & mala docere. Sic per Evam ad Adam, & per uxorem ejus ad Job, & per Iezabel ad Achab, & per Herodiadem ad Herodem. Itaque viros monet in 3. libro, ut ab uxoribus caveant. Per has enim plurimos ſubvertit Diabolus. S. Hieronymus in 7. Micheæ caput; [Non eſt, inquit, fidendum mulieribus, neque uxoribus.] Et lib. 1. adverſùs Jovinianum cap. 15. multa de hoc ſcripſit. S. Greg. Nazian. in diſticis ſententijs; [Horrendi ſunt dracones ſubdolæ, aſpides, utriuſq; feræ vim mulier complexa eſt.] Et S. Io. Chryſ. h. 15. ex varijs Matthæi locis; [Ego, inquit, exiſtimo nullam eſſe in hoc mundo beſtiam comparabilem mulieri malæ.] Et iterùm. [Nulla in hoc mundo beſtia ſimilis eſt mulieri malæ. Nulla malitia æmulari poteſt mulierem malam &c. O malum ſummum! & acutiſſimum diaboli telum mulier!] Solent etiam Patres antiquum diaboli organum, ſeu inſtrumentum appellare mulierem. Et idem Chryſ. h. 3. de patientia Job, & h. 17. ex varijs Matthæi locis, alijque plures. Inter quos S. Bern. in modo benè vivendi; [Mulier organum Satanæ, & velut ſyrena. Quid enim ſunt verba mulieris, niſi cantus ſyrenarum? Sic declina quaſi ſibilos ſerpentis.] Et S. Anſel. in carmine de contemptu mundi.

Eſt nihil in rebus muliere nocentius: & nil,
Quo capiat plures, lethifer hoſtis habet.

Quod argumentum multis eo loco perſequitur, & S. Hier. in ep. ad Oceanum, de vita clericorum; [Janua, inquit, diaboli, via iniquitatis, ſcorpionis percuſſio, nocivumq; genus eſt fœmina.] Extat inter Hieron. opera Valerij epiſtola ad Ruffinum, adſcripta Hieronymo, quâ perſuadere illi conatur, nè uxorem ducat. [Quoniam, inquit, inobedientes ſemper ſunt fœminæ; quia hoc à matre Eva traxerunt. Bona fœmina rarior Phœnicæ.] [Eſt enim, ut loquitur S. Epiphanius hæreſi 79. muliebre genus lubricum, & erroneum, ac intellectu humili præditum.] Et S. Chryſ. h. 21. ex varijs Matthæi locis, & h. 32. operis imperfecti; [Quid aliud eſt mulier, niſi amicitiæ inimica, ineffugabilis pœna, neceſſarium malum, naturalis tentatio, deſiderabilis calamitas, domeſticum periculum, delectabile detrimentum, mali natura boni colore depicta?] Et S. Petrus Chryſologus in ſer. 79. [Mulier mali cauſa, peccati autor, via mortis, ſepulchri titulus, inferni janua, lamenti neceſſitas tota. Ob hoc naſcuntur lachrymis, mancipiantur mœroribus, gemitibus addicuntur; & in lamentis tantùm fortes ſunt, quantùm viribus inveniuntur infirmæ, & quantùm comparatæ ſunt ad labores, tantùm ad lachrymas ſunt paratæ. Hinc eſt, quod lachrymis

„ chrymis arma vincunt, regna fletibus incli-„ nant, lamentis totam fortitudinem virorum „ frangunt.] Denique cum uno verbo dixiſſet S. Aug. in ſer. 77. de tempore; Mulierem, hoc eſt, Evam, omnium malorum cauſam, hoc ſubjungit, quod eſt magnoperè conſiderandum: [In Paradiſo cùm Adam Diabolus de-„ certat, in deſerto cum Chriſto dimicat, ubiq; „ inſidiatur homini; ſed ubi mulierem invenit, „ vincit, ubi mulierem non invenit, victus ab-„ ſcedit.] Et Origenes h. 11. in Num. quidpiam dixit adnotatu dignum. Cùm enim illa legiſſet verba; Filij qui nati fuerint eis, tertia generatione intrabunt in Eccleſiam Domini; „ [Filij, inquit, ſoli, & non filiæ, faciunt intro-„ ire patres in Eccleſiam Domini. Invenies „ etiam Sanctos difficilè filias, ſed filios genuiſ-„ ſe. Abraham non filias genuit, nec Iſaac ipſe: „ ſolus Iacob unam genuit, & ipſam fratribus, „ & parentibus gravem, nempè Dinam; ſed & „ ter in anno apparêre Domino jubetur omne „ maſculinum: fœmina ad apparendum Domi-„ no non vocatur; & primitiæ, quæ offeruntur, „ à ſanctificatis filijs Iſrael, non à filiabus ju-„ bentur offerri.] Denique ſummam in eo circà nos Dei providentiam agnovit Climacus grad. 15. quod fœminæ procacitatem quaſi fræno quodam pudore reſtrinxit. Nam ſi hæc ad marem ſponte accurreret, non fuiſſet, inquit, ſalva omnis caro.

CAPUT VII.

De Mulierum pudicitia.

SExtò præcipua mulierum virtus exiſtimatur eſſe pudicitia, atque hæc in hoc ſexu maximè laudatur. S. Auguſt. vel quiſquis fuit autor libri de 12. abuſionis gradibus, quintum gradum ponit fœminam ſinè pudicitia: ut quod eſt in viris prudentia, hoc ſit in fœminis pudicitia, ſed S. Gregorij Nazianzeni, aut ſi mavis alterius Gregorij Neocæſarienſis, verba ſunt illa in metaphraſi in Eccleſiaſten: [Cùm per „ omnes mulieres pudicitiam quæſiviſſem, in „ nulla reperi: ac virum quidem pudicitiâ orna-„ tum inter mille fortaſſe perſpexeris, mulie-„ rem autem minimè.] Nam & Eccleſiaſtes c. 7. dixit; Virum de mille unum reperi, mulierem ex omnibus non inveni. Extat & apud S. Auguſtinum lib. 19. de Civitate Dei cap. 23. reſponſum illud Apollinis; [Fortè magis po-„ teris in aqua impreſſis litteris ſcribere, aut „ inflans pennas leves per aëra ut avis volare, „ quàm ſemel pollutæ revoces impiæ uxoris „ ſenſum.] Et S. Io. Chryſ. h. 40. operis imperfecti in Matthæum, cùm dixiſſet Dominus; Publicani, & meretrices præcedent vos in regnum Dei. *Mat. 21.* [Ex perſona, inquit, omnium „ virorum peccatorum ponuntur Publicani, & „ ex perſona omnium mulierum peccantium „ ponuntur meretrices: quoniam etſi multa ſint „ peccata in viris, & mulieribus præter iſta; „ præcipuè tamen in viris avaritia abundat, for-„ nicatio in mulieribus.] Ut non dubitaverit affirmare S. Hier. ſive Valerius in ep. ad Ruffinum paulò antè citata. [Quælibet fœmina ne-„ gat, nulla pernegat.] Plurimas tamen ſcimus eſſe, & omni tempore fuiſſe honeſtiſſimas, & ſanctiſſimas fœminas: quæ etiam, ut caſtitatem, & verò etiam virginitatis florem retinerent, vitam libenter dare maluerunt. At illæ virtute multa, divinâque gratiâ ſexûs imbecillitatem ſuperârunt. Ut meritò dixeris exclamâſſe Chryſ. h. 20. in epiſtolam ad Hebræos; [Ma-„ gnum eſt bonum mulier, ſicut etiam eſt ma-„ gnum malum.]

CAPUT VIII.

Mulieres nè vagentur.

SEptimò muliebris porrò pudicitiæ argumentum, & cuſtos eſt pudor: quam ob cauſam, & in illis virtutes cunctas ſuperare pudorem ſcripſit ad Celantiam S. Hier. cap. 5. eas enim maximè decet. *Mulierum pudor.* Pudor autem in duobus præſertim videtur conſiſtere. Primùm, nè multùm exeant in publicum; neque per plateas vagentur, ſed domi plurimùm ſeſe contineant. Deindè, nè ullam corporis partem nudent, aut oſtentent. De utroque dicendum. Et quidem de prima extat illud S. Nazianzeni or. de moderatione in diſput. ſervanda; [Convulſa, & proculcata pudoris lege, „ quo nullum majus adjumentum ad virtutem „ excogitari poteſt, contumaciæ, arrogantiæq; „ lex inducitur.] Et in Parænetico ad Olympiadem; [Pudoris jactura flagitiorum omnium „ certiſſima eſt parens.] Ideò mulieres prohibet crebrò egredi domo, aut ad publicos ludos, turbamque inconditam proficiſci. Et iterùm; [Ad hominum aſpectum erubeſcas, ocu-„ loſque cœcos, & ſupercilium humi depreſ-„ ſum habeas.] Philo Judæus in libro de ſpecialibus legis ad hunc modum loquitur. [Abſit, „ ut mulier aliquid extrà familiæ curam ſata-„ gat, ſed amet ſolitudinem; nec tanquàm pro-„ ſtituta in publico in conſpectu virorum ope-„ retur, nec niſi ad templum procedat, ac nè „ tùm quidem ſine pudore per forum frequen-„ tiſſimum, ſed turbâ jam domum reverſâ, ita „ ut decet mulierem ingenuam, & verè civi-„ lem, perſolutis ſine ſtrepitu votis, & precibus „ ad avertenda mala, & bona impetranda. Rix-„ antibus autem, pugnantibuſque viris, mulie-„ res audenter procurrere velut in auxilium, „ non mediocris fuerit impudentiæ, quando „ etiam in bello vacationem habent militiæ, „ ubi de communi ſalute patriæ agitur. Et rurſum:

Digitized by Google

ſum : [Laudandi ſanè gymnicorum certami-
,, num præſides , qui fœminas arcent ab hujus
,, generis theatris , nè viros nudatos contem-
,, platæ probitatem pudoris depravent.]Sed &
vel ipſum tantùm ſcire quænam ſit ipſa , mu-
lieri pudorem adferre , cenſuit Clemens Ale-
Gen. 18. xandrinus lib. 2. pædag. cap. 2. Nec pauci
commendârunt magnoperè Saræ pudorem,
quæ Abraham extrà tabernaculum prodeunte,
intrà tabernaculum contineret ſeſe. Inter
quos S. Ambr. in primo libro de Abraham cap.
5. [Antè tabernaculum, inquit,vir hoſpitum
,, explorat adventus ; intrà tabernaculum Sara
,, tuetur fœminæ verecundiam , & opera mu-
,, liebri tutò exercet pudore.]Et rurſum;[Do-
,, minus ſimulavit ſe ignorare,& quæſivit;Ubi
,, eſt Sara uxor tua ? non quòd ignoraret , ſed
,, docêre nos voluit quantus pudor eſſe debeat
,, fœminarum , nè procaci occurſu hoſpitum
,, in ſe oculos inflectant : ſalvâ verecundiâ mi-
,, niſterium ſuum exerceant.Provectior ætate,
,, jam Sara juvenilem cuſtodit verecundiam.]
Et S. Epiphanius in Ancorato , Deum , ſcri-
bit,interrogâſſe de Sara , ut ipſius oſtenderet
caſtitatem , quæ exemplum ſit earum , quæ
pietatem exercêre volunt , quæ ubi ſuſcepe-
rint peregrinos , proprijs quidem laboribus
inſerviant ; verùm propter verecundiam , &
caſtitatem , faciem ſuam viris non oſtendant.
Gen. 18. Porrò riſiſſe Saram, ait Clemens lib. 6. ſtrom.
non quòd Angelo fidem non haberet;ſed quòd
eam puderet congreſſionis , per quam futura
erat mater filij. Quod etiam alterum eſt pu-
Dan. 13. doris argumentum. Suſannæ quoque vere-
cundiam , & Domini Matrem ab Angelo ſa-
lutatam commemorat S. Ambr. in primo libro
de offic. cap. 18. [Tacebat in periculis Suſan-
,, na, & gravius verecundiæ, quàm vitæ,dam-
,, num putabat : nec arbitrabatur periculo pu-
,, doris tuendam ſalutem. Deo ſoli loqueba-
,, tur, cui poterat caſta verecundia eloqui; re-
,, fugiebat ora intueri virorum. Eſt enim & in
,, oculis verecundia,ut nec vidêre viros,nec vi-
Maria turbatio Luc. 1. ,, dêri fœmina velit.Domini Mater ab Angelo
,, ſalutata tacet,& ad virilis ſexûs ſpeciem tur-
,, batur aſpectus Virginis.] Maximè namque
virgines decet pudor. Hic enim,ut idem ſcrip-
ſit in 2. libro de virginibus , individuus debet
eſſe virginitatis comes,ſine quo non poteſt eſ-
ſe virginitas. Bona domus in ipſo veſtibulo
debet agnoſci : ac primo prætendat ingreſſu,
nihil intùs latêre tenebrarum. Et de Virgine
matre loquens Euſebius Emiſſenus h. feria
quarta, ſuper, Miſſus eſt: [Turbata eſt,inquit,
,, non in vultu,ſed in ſermone ejus. Non enim
,, Angelum , ſed verbum Angeli attendebat.]
Et S. Hieronymus in ep. ad Euſtochium, de
cuſtodia virginitatis cap. 16. [Maria turbata:
,, nunquàm enim à viro fuerat ſalutata.] Ja-
cobum Niſibitam refert Theodoretus in hiſt.
Sanctorum Patrum cap. 1. cùm tranſiret per
amnem , ubi pannos lavabant puellæ quæ-
dam; neque hæ veſtes ſuccinctas demitterent,
ſed eum impudenter intuerentur , & fontem,
& illas execratum fuiſſe:fontemque illicò ſic-
catum , & illarum capillum repente mutatum
factum eſſe canum. S. Nazianzenus in Paræ-
netico ad Olympiadem , fœminas eas laudat,
quæ maribus prorſùs incognitæ ſunt. Et om-
ninò retinendum ubique pudorem eſſe , nè la-
bamur unquam , monuit Clemens in 3. lib.
pædag.cap.5.[Oportet enim domi quidem pa-
,, rentum , & famulorum pudore affici; in vijs
,, autem,eorum,qui fuerint obviam;in lavacris
,, verò, mulierum; in ſolitudine autem, ſui ip-
,, ſius , ubique autem, Verbi,quod eſt ubique.
,, Hâc enim ſola ratione fit , ut quis nunquàm
,, labatur.]

Propterea non nuptis nullo modo , nuptis
autem vix permittitur ad virorum convivia ac-
cedere,in quibus inter pocula major loquendi, Mulier convivia vitet.
& jocandi licentia eſſe ſolet. Clemens lib. 2.
pædag. c. 7. [Mulieres nuptæ ,cùm ad convi-
,, vium accedunt, exteriùs amictu pulchrè te-
,, gantur,intùs autem pudore. Quæcunque au-
,, tem non ſunt viro ſubjectæ,ijs eſt extremum
,, probrum intereſſe convivio virorum.] Et S.
Nazianz. loco jam ſignificato;[Nè ad nuptiale,
,, vel natalitium convivium properes,ubi & po-
,, tatur , & ſaltatur,& ridetur,ac denique inſa-
,, cetis facetijs indulgetur.Hæc enim vel pudi-
,, cum pectus delinire , ac demulcêre queunt,
,, non ſecùs ac ſolis radius ceram,quam citiſſi-
,, mè penetrans. Nec verò vel præſente , vel
,, abſente marito compotationes domi excita;
,, venter quippè modum tenens perturbationi-
,, bus animi fortaſſe, ac libidini dominari que-
,, at : helluonem autem, ingluvieque laboran-
,, tem, non ego ſolus,ſed maritus quoque ipſe
,, pertimeſcit.]

Quin & inceſſum vult eſſe perquàm mo-
deſtum, ut ſervetur pudor. Pedes enim ſuper-
bè incedentes pudicitiam mentiuntur , greſſi-
buſque ipſis libido ineſſe poteſt. Mulieres ſui
temporis graviter reprehendit Clemens lib. 2.
pædag. cap. 11. quod vel per terram nume-
roſè incedentes meretricios ſpiritus in inceſſu
inſculperent.

Domi ergo plurimùm ſi contineant , nè per
publicas curſitando plateas , pudoris, ac pudici-
tiæ jacturam faciant : nevè illas aſpiciens quiſ-
piam dicat illud , quod apud Clementem legi-
mus in 3. libro pædag. cap. 6. de quopiam di-
ctum; Equus ejus eſt pretij quindecim talento-
rum,vel fundus,vel ſervus,vel aurum;ipſe verò
eſt tribus obolis vilior. Certè S. Nazianzenus
in Chriſto patiente hoc nomine ſcripſit eas ma-
lè audire.

Hoc itaque probrum fœminis impingitur,
Sive illud inſit , ſive non inſit ; tamen

Digitized by Google

Malè ut audiat, quæ ſe domi non continet. Et S. Ambroſij ſententia in libro de paradiſò cap. 11. [Vir publicis officijs;mulier domeſti-,, cis miniſterijs habilior æſtimatur.] Et libro

Luc. 1. 2. in Lucam, de Angelo loquens ad Mariam ſalutandam ingreſſo; [Diſcant,inquit mulie-,, res propoſitum pudoris imitari. Sola in pe-,, netralibus, quam nemo virorum videret, ſo-,, lus Angelus reperiret: ſola ſine comite, ſola ,, ſine teſte.] Eandem Virginem obſervavit S. Anſelmus in Dialogo de paſſione Domini, etiamſi tantoperè amaret filium, cum illo tamen ad hortum non exiſſe, dùm ad paſſionem iret: quia inſtabat nox, nec decebat, ut mulieres eo tempore foris invenirentur. Denique Herundem fœminam ſuper præneſtinos montes, cum duabus diſcipulis eremiticam duxiſſe vitam, narrat S. Gregorius Papa h. 40. in Evangelia; & de viduis ſcripſit Clemens Romanus lib. 3. conſtit. cap. 6. eas domi ſedêre debêre quoniam altare Dei ſunt. Altare enim Dei non circumcurſat, ſed in uno loco ſtabile manet. Idem multò magis virginibus præcipit. Porrò Ægyptijs mulieribus calceis uti permiſſum non fuiſſe, nè prodirent in publicum, ſed ſeſe continerent domi, habet in connubialibus præceptis Plut. & Phidias Venerem fecit teſtudinem calcantem,quo mulierum oſtenderet munus eſſe ædes cuſtodire, & appoſitè Seneca in libro de tranquillitate vitæ cap. 8. ſine propoſito vagari quaſi quærendo negotia, inquietam appellavit inertiam. [Sic formicæ, inquit, per arbuſta re-,, punt, & in ſummum cacumen, deindè in ,, imum inanes agunt.] Et ep. 2. ad Lucilium; ægri animi jactationem dicit. Benè quippè compoſitæ mentis argumentum eſt conſiſtere, & ſecum morari. Nuſquàm enim eſt, qui ubique eſt.

CAPUT IX.

Nè corporis partem nudent.

OCTAVÒ illud quoque ad mulierum pudorem,atq;honeſtatem pertinet,quod ſecundo loco dicebatur,nè ullam corporis partem nudent,non pectus,non brachia,non pedes,non aliam partem. [Non enim decet virginem, ,, inquit S. Baſilius in libro de vera virginitate, ,, etiam cùm ſola domi eſt, ideò quod nullus ,, hominum adſit, paſſim, licenterque nudari.] Et S. Anſelmus exponens illud Pauli in priore ad Tim. Mulieres orent in habitu ornato; [Ut ,, veſtes,inquit,earum religionem prætendant; ,, non libidinem provocet ipſarum indiſcipli-,, nata nudatio.]Et Clemens in 2.libro pædag. cap.2. [Nullo módo permittendum eſt mulie-,, ribus,ut appareant aliquid corporis denudan-,, tes,nè ambo prolabantur:hi quidem,ut qui ad ,, videndum incitentur; illæ verò,ut quæ in ſe ,, virorum intuitum attrahant.]Et c.10.[Nul-,, lam partem fœminæ nudari decorum eſt.Ne-,, que enim honeſtum eſt corporis pulchritudi-,, nem eſſe hominum aucupium.]Undè faceta illa vox; Pulcher cubitus, at non publicus. Hiſtoriam hanc pluribus habes in 4. libro ſtrom. Cùm enim Theano Pythagorea mulier quemdam, qui eam aſpexerat, dicentem audiſſet: Pulcher cubitus; ſtatim illa reſpondit: At non publicus. Meminit etiam hujus rei Theodoretus in 12. libro de curandis Græcorum affectionibus. Pudicas enim ait mulieres apud Græcos habitas fuiſſe, quæ nudatum corpus nulla ex parte oſtenderent. Undè illud, inquit, ab una dictum; Pulchrum brachium, at non publicum. Hoc verò tam ſeverè obſervari voluit Clemens, ut nè pedem quidem nudum habêre permiſerit, in cap. 11. libri ſecundi notati. [Viro, inquit, convenit ,, nullos habêre calceos,prætèrquàm ſi militet. ,, Fœminam autem non decet pedem oſten-,, dere.] Immò nec faciem,lib.3.cap.11.[Mu-,, lier ſemper tecta ſit, niſi domi fuerit; num-,, quàm enim labetur, ſi & verecundiam, & ,, veſtem antè oculos poſuerit: nec ad peccati ,, lapſum alium provocabit, dum vultum ſuum ,, operit.] Dicunt autem Æneæ uxorem propter inſignem honeſtatem, nè cùm Troia quidem caperetur,perterritam ſe detexiſſe: ſed etiam dum ab incendio fugeret manſiſſe coöpertam.Polyxenam quoque tradit in 2.lib.ſtrom. etſi interficeretur, moriendo tamen magnam adhibuiſſe diligentiam, ut honeſtè caderet, nè ſcilicet ulla nudaretur corporis pars. Et libro 3. ex Dione,quamdam refert mulierem Lyſidiſam propter inſignem pudorem ſe lavaſſe cum tunica. Et Philoteram, cùm eſſet ingreſſura ſolium,paulatim contraxiſſe tunicam, quantum quæ nuda erant, tegebantur ab aqua; deindè rurſus paulatim aſcendentem induiſſe. Pudeat nunc Chriſtianas mulieres tam impudenter pectus, & ubera oſtentare nudata. De S. Agnete ſcribit S.Ambr. ſer. 90. ſeu epiſtola ad virgines ſacras, libro 4. ep. 34. Eam veſtibus ſpoliatam, capillis illicò ſuis meliùs fuiſſe tectam, quàm veſtibus; & mox cœlitùs ei veſtem immiſſam. Diſcant vel à meretricibus pudicitiam, & modeſtiam mulieres noſtræ, quæ honeſtæ habêri volunt. Scribit ex Chryſippo Origenes lib. 4. contrà Celſum; Meretrices olim perſonatas, & velamento obductas extrà urbes ſeſe ad merendum abuti volentibus expoſuiſſe. (Nam & Thamar, Gen. 38. meretricem ſe ſimulans, ſedit in bivio itineris, & operuit vultum ſuum; deindè ſpreto demum decore velamenta depoſuiſſe) & cùm legibus urbem ingredi non permitterentur, extrà urbes verſatas. Indies verò ex conſuetudine majore partâ licen-

tiâ

Digitized by Google

tia vel urbes iniſſe. Hæc Origenes. Quæ nunc mulierum noſtratum licentia eſt, vel legibus ſeverè coërcenda.

CAPUT X.

Mulieres caput velent.

NONò hùc etiam ſpectat illud quod Apoſtolus in priore ep. ad Cor. cap. 11. præcepit; Mulieris caput velari. Quod ita accepit Clemens Rom. lib. 1. conſt. Apoſt. c. 9. ut obvoluto eas capite voluerit ingredi. Neque hoc ſolùm ad pudorem, & modeſtiam pertinet; verùm etiam idcircò requiritur, quia debet mulier poteſtatem habêre ſuper caput ſuum propter Angelos, inquit Apoſtolus. [Virum namque „ (ait S. Io. Chryſ. h. 26. in eum locum) detecto „ eſſe capite, mulierem velato, ſymbolum eſt in „ illo principatus, in hac ſubjectionis.] Debet enim poteſtatem habêre ſuper caput ſuum, hoc eſt ſignum virilis poteſtatis, cui ipſa ſubjecta eſt. Quam ob cauſam paulò poſt adjungit; [Velare caput admonet, ut deorſum „ aſpiciat, & revereatur, & propriam ſervet „ virtutem.] Virtus enim ſubditi eſt honor, & obedientia. Et S. Baſilius in libro de vera virginitate; [Mulier, inquit, debet habêre po„ teſtatem in capite propter Angelos, etiam„ ſi nullus vir adſit. Vir cum Angelicæ quodam „ modo ſit dignitatis, nudo capite, cognatæ „ confidens naturæ cernatur. Mulier verò cùm „ ſit inferior viro, poteſtatem habeat in capi„ te, & ſubjectionem, quâ ſuperiori ſubeſt, ho„ neſtè præ ſe ferat.] Itaq; (propter Angelos) interpretatur propter reverentiam Angelorum, quorum locum, & dignitatem refert vir. S. Io. Chryſ. h. 40. operis imperfecti Angelos cuſtodes intelligit. Et alibi, ſacerdotes, qui ſunt in eccleſia, nè parùm honeſto mulierum aſpectu patiantur ſcandalum. Porrò Tertullianus in libro de velandis virginibus c. 7. Angelos, ques à Deo, & cœlo excidiſſe ipſe credidit propter fœminarum concupiſcentiam, intellexit. [Ut propterea obumbrari debeat fa„ cies tam periculoſa, quæ uſq; ad cœlum ſcan„ dala jaculata eſt, & malam illam libertatem „ capitis ſui aliquando comprimat, jam nec ho„ minum oculis offerendam.] Apud Hebræos verò antequàm ordinaret Apoſtolus, tam ſolemne fuiſſe fœminis velamen capitis, ut indè noſcerentur Hebrææ fœminæ, autor eſt idem Tertullianus cap. 4. libri de corona militis. Et c. 17. [Arabiæ, inquit, fœminæ non caput, „ ſed faciem quoque ita totam tegunt, ut uno „ oculo liberato contentæ ſint dimidia frui lu„ ce potiùs, quàm totam faciem proſtituere.] „ [Cuidam autem ſubjungit, ſorori noſtræ cum „ Angelus in ſomnis cervices quaſi applaude„ ret; elegantes, inquit, cervices, & meritò nu„ dæ bonum eſt, uſq; ad lumbos à capite veleris; „ nè & tibi iſta cervicum libertas non proſit.]

Aliam Anſelmus in com. ad cap. 14. prioris epiſtolæ ad Cor. Adfert veli cauſam: [Id„ circò, ait, velantur, ut in humilitate appa„ reant; ſi autem inverecundè ſe oſtendunt, „ opprobium eſt viris, quia in mulierum inſo„ lentia etiam mariti notantur.] Denique S. Ambr. lib. 1. de Abraham cap. 9. Rebeccam proponit pallio caput obvolventem, cùm Iſaäc ſponſum à longè vidiſſet. [Diſcite, in„ quit, virgines, quemadmodùm ſervetis vere„ cundiam, nè intecto capite prodeatis antè „ extraneos, cum Rebecca jam deſponſata de„ ſignatum maritum aperto capite non puta„ vit videndum.] Et libro de Iſaäc, & anima c. 6. ita expendit verba ſponſæ c. 5. Tulerunt pallium meum cuſtodes murorum, ut dicat: „ [Benè quaſi ſponſa veniebat cum pallio, quo „ obnuberet caput ſuum, cùm ſponſus occur„ reret: ſicut Rebecca videns Iſaäc ſibi ob„ vium, deſcendit de camelo, & pallio ſe „ operuit.]

Jam verò Tertull. libro de virginibus velandis cap. 11. ab ea ætate velari voluit, quâ libidinis ſenſum habêre incipiunt. [Nam & „ Adam, Evaq; anteà nudi agebant, at ubi de „ arbore agnitionis guſtaverunt, ſui ſexûs in„ tellectum tegmine notaverunt. Sed etſi „ propter Angelos velandæ ſunt, ea ætate ve„ landæ ſunt, à qua potuerunt ad concupiſcen„ tiam ſui adducere, & nuptias pati.] Nimirùm in illa ſua opinione perſiſtit de Angelorum concupiſcentia, & peccato de qua dictum eſt.

CAPUT XI.

Nè vino utantur.

DECIMò ad mulierum quoq; pudicitiam pertinet abſtinentia à vino, aut certè moderatiſſimus, & parciſſimus illius uſus; In vino enim eſt luxuria, ut monuit Paulus ad Eph. 5. Romanis fœminis multo tempore incognitum fuiſſe vini uſum ſcribit S. Aug. q. 115. Ex utroque teſtamento mixtim, & confirmat ex profanis ſcriptoribus Valerius Maximus lib. 2. c. 1. Nè ſcilicet in aliquod ſcelus prolaberentur. Quin & apud alias quoque gentes fuiſſe mulieribus interdictum vinum, ſcribit Ælianus libro 2. de varia hiſtoria cap. 38. Romæ autem fuiſſe capitale, non minùs, quàm adulterium, & ideò inſtitutum, ut cognatis oſculum ferrent, quo indicium odor faceret, ſi bibiſſent; & apud Aulum Gellium legimus libro 10. c. 23. Hoc enim ad earum pudicitiam pertinêre magnoperè arbitrabantur, neque pudicas eſſe poſſe, quæ vinum biberent. Et Tertullianus in apolog. adverſùs Gentes c. 6. Mulieres

lieres ſcribit uſque adeò abſtinuiſſe à vino, ut matronam ob reſignatos cellæ vinariæ loculos inedia necârint: Sub Romulo verò, quæ vinum attigerat, impunè à Mæcenio marito trucidata ſit. Idcirco & oſcula propinquis offerre etiam neceſſitas erat, ut ſpiritu indicarentur. Confirmat Valerius Max. lib. 6. c. 3. & Plinij quoq; in libro 14.c.13.hæc ſunt verba;Invenimus inter exempla, Egnatij Mæcenij uxorem, quòd vinum bibiſſet è dolio, interfectam fuiſſe à marito, eumque cædis à Romulo abſolutum. Fabius Pictor in annalibus ſuis ſcripſit; Matronam quòd loculos, in quibus erant claves vinariæ cellæ, reſignaviſſet, à ſuis inediâ mori coactam. Et Lactantius Firmianus in libro de falſa religione c. 22. ex Sex. Clodio refert, Fauni uxorem,quia contrà morem, decuſq; regium clàm vini ollam ebiberat, & ebria facta erat, virgis myrtheis à viro uſque ad mortem fuiſſe cæſam. S.Aug. lib.9. confeſſ. c.8. Puellis, ac virginibus nec aquæ multum potum voluit eſſe permittendum, nè cùm nupſerint, aſſuetæ multo potui, multum vini bibant. Et S. Ambr. *Judith 13.* in libro de viduis, hiſtoriam tractans Holophernis propter nimium vini potum à vidua Judith truncati capite, indè argumentum ſumpſit. [Quantùm, inquit,nocêre mulieribus „ poſſit vinum; quando viros vina ſic ſolvunt, „ ut vincantur à fœminis?] Et Clemens lib.2. pædag. c. 2. Cum juvenes voluiſſet in prandio abſtinére à vino, & in cœna modicè uti, ut ita neceſſario miſceant utile; Univerſè adjungit; [Nihil, quod probrum adfert, & vituperationem viro, multò minùs convenire mulieri.] S.Ambr. tamen in libro de Elia,& jejunio c. 18. mulieres quoque refert ſuo tempore uſque ad ebrietatem bibentes; quæ mox prodibant in publicum non velato capite, vultu procaci, & cum adoleſcentibus impudicè cantantes ducebant choreas.

CAPUT XII.

Nè doceant, nec loquantur in Eccleſia.

Mulieres doctæ. UNDECIMÒ legimus quidem apud Theodoretum libro 1.Eccleſiaſticæ hiſtoriæ c. 24. captivam mulierem Iberibus tradidiſſe fidem. Et interdùm etiam mulieres philoſophiæ vacantes, doctrinaq; pollentes. Et apud S. Cyrillum Alexandrinum lib.6.adverſus Julianum, Theod.lib.11.de Græc. affect. & Clementem lib.4.ſtrom. & S.Hieronymum ep.ad Paulam, de obitu Bleſillæ,& ep. ad Euſtochium, Epitaphium Paulæ, & ep. quæ eſt præfatio in Eſther; & Diodorum Socraticum quinque filias dialecticas habuiſſe;idem eſt autor lib.1.adverſus Jovinianum c. 26. ut omittam alias. Apoſtolus tamen Paulus eas docêre prohibuit in Eccleſia, ſed in ſilentio audire, & diſcere cum omni ſubjectione, 1. Tim. 2.& 1. Cor.14.& Apoſtolorum omnium conſtitutionem refert Clemens Rom. lib. 3. c.6. [Non permittimus „ mulieres in Eccleſia docère, ſed tantùm orare, & magiſtros audire. Nuſquàm enim „ mulieres miſit Chriſtus ad prædicationem, „ quamquàm non deerant, & Mater Domini, „ & ſorores ejus, & Magdalena,& Maria Iacobi, & Salome,& Martha, & quædam aliæ.] Rationem ſi quæras? Primùm quidem reſpondebitur,non decêre mulieres docêre viros,neq; ſubjectam præcepta ſeu fidei.ſeu morum ſuperiori ſuo tradere: quippè mulieris caput eſt vir; atq;hoc ſignificat illud (Cum omni ſubjectione) quaſi diceret Paulus, meminerit mulier ſe viro ſubjectam eſſe,neq;debêre docêre,ſed diſcere. Adam enim primus formatus eſt, deindè Eva. Sed & alteram ſubjungit rationem. Adam enim non eſt ſeductus, mulier autem ſeducta in prævaricatione fuit. Hoc eſt quod S. Ambr. loquitur in com. ad caput 14. prioris ep. ad Cor. [Mulieribus magis competit, ut in domo Dei precibus vacent, linguam retinentes „ aures aperiant, ut audiant quomodo miſericordia Dei mortem vicit per Chriſtum, quæ „ per eas regnavit.] Et libro 2.in Lucam; Eliſabeth notavit paucis, Zachariam multis prophetâſſe: ut mulier magis diſcere, quæ divina ſunt, ſtudeat, quàm docêre. Et S. Io. Chryſ. h. 31. in epiſtolam ad Rom. [Præſidentiam, „ inquit, quæ ſit in medio Eccleſiæ, illi prohibet,ſedemque in pulpito, cùm ait; Mulierem „ docêre non permitto: non doctrinæ verbum privatim.] Et h. 9. in priorem ad Tim. rationem exponens cur docêre prohibeatur. „ [Semel, inquit, docuit mulier,& cuncta pervertit.] (Cùm ſcilicet pomi vetiti eſum ſuaſit) Idcircò, inquit Paulus, ultrà non doceat. Idem habet S. Greg. Papa lib. 3. moral. c. 6. „ [Docêre mulieri non permittit Paulus; quia „ nimirum aliquando cùm docuit, à ſapientiæ „ æternitate ſeparavit.] Et S. Anſelmus com. 13. ad caput 14. prioris ad Cor. [Jure taceat „ inter viros,quæ cùm loqueretur viro ſuo,ſuaſit peccatum.] Et rurſum; [Mulieres retinentes linguam, aurem aperiant, ut audiant „ quomodò miſericordia Dei mortem vicit per „ Chriſtum, quæ per eas regnavit.] Deniquè Tertullianus in libro de virginibus velandis cap. 9. [Non ſolùm, ait, non permittitur mulieri in Eccleſia loqui: ſed nec docêre, nec „ tingere, nec offerre, nec ullius virilis muneris, nè dùm ſacerdotalis officij ſortem vendicare.] Quamquàm aliquando eas in miniſterio Eccleſiæ quopiam inferiori conſtitutas fuiſſe, apud Origenem reperias in caput 16. *Diaconiſſæ in Eccleſia.* epiſtolæ ad Rom. Nam de diaconiſſis, quæ olim erant in Eccleſia, ità legimus apud S. Epiphanium hær. 79. [Miniſtrarum quidem

diaconiſ-

„ diaconiſſarum appellatarum ordo eſt in Ec-„ cleſia. Sed non ad ſacrificandum, neque ut „ quidquam aggredi permittantur: verùm re-„ verentiæ gratia muliebris generis, aut prop-„ ter harum balnei, aut viſitationis, affectio-„ nis, aut laboris. Et quando nudatum fuerit „ corpus mulieris, ut nè à viris ſacrificantibus „ conſpiciatur, ſed à muliere miniſtrante, cui „ præcipitur à ſacerdote, ut curam gerat ad „ tempus indigentis mulieris, in tempore denu-„ dationis corporis ipſius, &c.] Et in compendiaria doctrina fidei; [Diaconiſſæ conſtituun-„ tur in miniſterium mulierum ſolùm, propter „ reverentiam, ſi opus fuerit balnei gratia; aut „ viſitationis, aut inſpectionis corporum.] Earum meminit etiam S. Ignatius ep. ad Antiochenos his verbis. [Saluto hypodiaconos, le-„ ctores, cantores, janitores, laborantes, exor-„ ciſtas, confeſſores, cuſtodes ſacrorum veſti-„ bulorum in Chriſto diaconiſſas.] Quibus verbis inter miniſtros Eccleſiæ diaconiſſas quoque commemorat.

Ne loquantur in Eccleſia.

Duodecimò etenim ſi Eccleſiæ nomine templum quoq; materiale intelligamus; adhuc mulieribus non ſolùm docêre, ſed neque loqui permittitur in Eccleſia. Itaq; earum garrulitati, eo præſertim in loco magnoperè Patres indignantur; illas id ſolùm tacêre poſſe quod neſciunt; dixit aliquando in controverſijs Seneca. Et tamen Clemens 2. lib. pædag. c. 7. Silentium monuit propriam eſſe mulierum virtutem. Et S. Ambr. libro 6. de Sacramentis c. 4. de illarum in Eccleſia garritu loquens; „ [Eas, inquit, in Eccleſia ſuſtinêre non poſ-„ ſumus.] Ideò Paulus in priore ad Tim. c. 2. dixit, volo viros orare in omni loco. Viros dixit, & non mulieres: non quòd oratiò non ſit illis etiam communis, ſed nè mulieres uſurparent, & malè intelligerent in omni loco, & inciperent ubique clamare, quas in Eccleſia ſuſtinêre non poſſumus. Et S. Io. Chryſ. h. 9. in priorem ad Tim. [Ingens ubiq; tumultus, max-„ imus clamor, collocutio plurima, atq; confu-„ ſa: nequè uſquam alibi tantùm loqui mulie-„ res, neq; in foro, neq; in balneis, quantùm „ intrà Eccleſiam videas: quaſi ad hoc ipſum, „ eo conveniant, ut quæ velint, licitè loqui poſ-„ ſint.] Et ſtatim ita monet. [Adeò oportet „ illas ſtudêre ſilentio, ut non modò de ſæcula-„ ribus rebus, verùm nè de ſpiritualibus quidem „ loquendum ſibi in Eccleſia noverint.] Ita illis generale ſilentium indicit.

DE MULIERUM
CULTU, ATQUE ORNATU.
LIBER XVI.

CAPUT I.

Poſſe Mulieres modeſtè ornari.

DE mulierum ornatu ſeorſim dicam; quoniam de eo plurimus apud veteres ſermo. Verùm quod ad virgines attinet, & viduas, manifeſtum eſt, omnem eas decêre modeſtiam; & quidquid ab illis peccatur, reprehendendum eſſe, & caſtigandum. Nuptis aliquid permitti poteſt, quas diviſas eſſe, & cogitare poſſe, quæ mundi ſunt, & quomodò placeant viris, ſcripſit Apoſtolus in priore ad Cor. epiſtola c. 7. Quare cùm S. Auguſt. ad Poſidium ſcripſit ep. 73. ornatum auri, & veſtium non permitti non conjugatis, nec conjugari cupientibus, colligere licet, conjugatis, conjugarique cupientibus poſſe permitti. Sed & de illis aperta extat Pauli ſententia in priore ad Tim. c. 2. Mulieres in habitu ornato, cum verecundia, & ſobrietate ornantes ſe, & non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veſte pretioſa: ſed quod decet mulieres promittentes pietatem per opera bona. Ornatum ergò moderatum permittit. Permittit etiam S. Hieronymus in epiſt. ad Celantiam c. 7. [Mu-„ lieres, inquit, maritatæ non ſordes affectare, „ ſed modeſtè ornari debent.] Sed tortos crines prohibuit Apoſtolus, aurum, margaritas, & omnem veſtium luxum. An verò obtemperent illi mulieres noſtri ſæculi, non eſt opus dicere. [φιλόκοσμοι (inquit S. Hier. in „ epiſt. ad Gaudentium, de infantulæ educa-„ tione) genus fœmineum eſt; multaſq; etiam „ inſignis pudicitiæ, quamvis nulli virorum, „ tamen ſibi ſcimus libenter ornari.]

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT II.

De veſtitu Mulierum.

EARUM autem vanitas tùm in pretioſis apparet veſtibus, tùm in auro, margaritis, & gemmis, tùm in crinibus, ſive tortis, & cincinnatis, ſive adulteratis, & coloratis, omnique ornatu capitis; tùm in purpuriſſo, alijſque faciei coloribus, & unguentis; tùm verò etiam in odoribus; quæ omnia ad duo revocavit capita; Tertullianus in libro de habitu mulierum c. 4. ad cultum, atq; ornatum. [Habitus, „ inquit, fœminæ duplex, cultus, & ornatus; „ Cultus in auro, gemmis, & veſtibus. Ornatus in cura capilli, & cutis, & partium, quæ „ oculos trahunt. Alter ambitionis crimen habet; alter proſtitutionis.] Scortationis argumenta vocavit S. Clemens Rom. lib. 1. conſtit. c. 4. Sanè ad Demetriadem ita ſcribit S. Hieronymus; [Quando eras in ſæculo, ea, „ quæ erant ſæculi diligebas: polire faciem „ purpuriſſo, & ceruſſa ora depingere, ornare „ crinem, & alienis capillis turritum verticem „ ſtruere. Ut taceam de inaurium pretijs, candore margaritarum, rubri maris profunda „ teſtantium, ſmaragdorum virore, ceraunio„ rum flammis, hyacintorum pelago, ad quæ „ ardent, & inſaniunt ſtudia matronarum.] Et S. Gregor. Nazian. or. in laudem Gorgoniæ ſororis, eam laudat magnoperè, quòd laſcivo numquam ornatu delectata eſſet, verùm ornatûs contemptum pulchritudinem judicaſſet. Et or. in laudem Cypriani. [Virgines, „ inquit, carnis contemptum; uxores virtutis „ potiùs, quàm corporis concinnitatem, & „ elegantiam offerant.] Et dùm de calamitate animæ ſuæ ſcribit, ornatûs contemptum, addit, ornatum mulieribus conciliare. [Virgi„ nes, inquit, duæ candidis veſtibus indutæ, „ ambæ formoſæ, atque ejuſdem ætatis, am„ bæ incomptæ, atque inornatæ, ac proindè „ ornatæ, ornatûs enim contemptio mulie„ ribus elegantiam, decuſque conciliat.] Et in eandem ſententiam S. Io. Chryſ. h. 60. in Io. „ [Non aurum adeò amabilem, ac deſiderabi„ lem uxorem reddit, ut modeſtia, & charitas, „ & animus exponendi vitam pro marito. Hæc „ virum capiunt. Ille ornatus obſtat ei, pecu„ nias exponit, & ſumptum, ac ſolicitudinem „ præbet. Et quæ ſequuntur uſque ad finem.] Et h. 25. in Acta. [Quot mulieres ſerica veſti„ menta ferunt, nudæ autem ſunt à virtutum „ veſtibus. Si quis domum tapetibus ornet, „ ipſe autem intùs ſedeat nudus, quæ utilitas? „ Ità & mulieribus accidit (nam domum ani„ mæ corpus voco) multis amiciuntur, mater „ familias autem intùs ſedet nuda.] Et h. 30. in epiſtolam ad Rom. Vilis fœni onus appellat veſtimentum ſumptuoſum, & poſt hæc; [Ne„ quit, ait, mulier ſpiritualibus adornata vir„ tutibus ridiculum iſtum ornatum quærere. „ Hic eſt Eccleſiæ ornatus, ille theatrorum; hic „ cœlis dignus, ille equis, & mulis.] Et h. 18. in priorem ad Cor. [Difficile eſt dilectiſſimi, „ difficile, inquam, eſt, fortaſſe autem impoſſi„ bile, corpore in hunc modum ornato, ſimul „ ornari animam. Sed neceſſe eſt alterum negli„ gi, ſi alterum curæ habetur.] Et h. 19. [Quæ „ rerum ſæcularium curam habet, neque virgo „ eſt, neque honeſta.] Confirmat hoc S. Nazian. in phræneſi ad Olympiadem. Sic enim habet. [Purpureæ, & aureæ, eximiæq; & ſplen„ didæ veſtes his demùm conveniunt, quibus „ nullus vitæ ſplendor, nullum virtutis decus „ ſuppetit. Pudicitia tibi curæ ſit, pulchritu„ doq; etiam clauſis oculis admiranda. Mores „ autem præclaramque famam optimum, cer„ tiſſimumq; florem exiſtima.] Et S. Bern. in ep. 113. ad Sophiam virginem, his verbis ſcripſit; [Indignum tibi judica formam à pellibus „ murium, & operibus vermium mutuari. Ille „ eſt verus, propriuſq; decor, qui nulla interja„ cente materia per ſe ineſt. O quàm decenti „ rubore genas ſuffundit ingeniti gemma pu„ doris!] Clemens Alexand. lib. 2. pædag. c. 10. Lacedemonios teſtatur ſolis meretricibus floridas veſtes, & aurum mundum geſtare permiſiſſe. Et ſanè de noſtris maritatis, quæ honeſtiſſimæ haberi volunt, illud opinor diceret. [Si „ corpus earum venundetur, numquàm mille „ drachmas Atticas invenerit; unam autem „ veſtem mille talentis ementes, ſe eſſe veſti„ bus inutiliores, & viliores arguunt.] Nec ſolùm pretium, ſed & prolixitatem reprehen„ dit. [Trahere, inquit, veſtes ad ſummos „ uſque pedes demiſſas, valdè eſt arrogans, & „ ſuperbum: quòd ambulandi actionem impe„ dit, cùm veſtis inſtar verriculi, quæ ſoli ſunt „ in ſuperficie, ſordes ſecum trahat.] Quid diceret, ſi noſtras nunc videret fœminas poſt ſe longas trahentes caudas? Vidit ſua ætate S. Bernardus, & magnoperè damnavit in ep. paulò antè indicata [Vides, inquit, longas „ poſt ſe trahentes fimbrias, ipſaſq; pretioſiſſi„ mas, & denſas pulveris nubes excitantes in „ aëra.] At de hoc veſtium luxu nimis fortaſſe multa.

CAPUT III.

De Gemmis, annulis, &c.

AD cultum; in quo ambitionis crimen agnoſcitur, aurum quoq; & gemmas pertinêre voluit Tertullianus. Cujus graviſſimi viri verba velim audiant iſtæ mulieres, antequàm de hoc ornatûs genere dicam. [Tu es „ (inquit ille, in lib. de habitu muliebri c. 1.) „ diaboli janua; tu es arboris illius reſignatrix; tu

„ tu es divinæ legis prima deſertrix; tu es, quæ „ eum ſuaſiſti, quem diabolus aggredi non va- „ luit. Tu imaginem Dei, hominem, tam faci- „ lè eliſiſti. Propter tuum meritum, id eſt, mor- „ tem, etiam filius Dei mori habuit: & adorna- „ ri tibi in mente eſt, ſuper pelliceas tuas tu- „ nicas?] Angelos malos, qui de Cœlo ceciderunt, meritò ſubjungit c. 2. fœminis tradidiſſe inſtrumentum muliebris gloriæ, vanitateſq; iſtas, & artem ſeſe ornandi docuiſſe, maloſque magiſtros malè docuiſſe neceſſe eſt. Aurum, & lapillos, quæ mutuum ſibi lenocinium præſtant, ut idem loquitur c. 6. intrà terram, & aquam abſcondit Deus, ut dixit Clemens Alexand. lib. 2. pædag. c. 12. quòd illis nollet mulieres abuti. Intrà animalium corpora ſunt etiam permulti lapilli conditi. [Ajunt & de „ frontibus draconum, inquit Tertullianus, „ gemmas erui. Sic calcabit diaboli caput, dùm „ de capite ejus cervicibus ſuis mulier, aut ipſi „ capiti ornamenta ſtruit.] Quibus verbis acutè alludit ad illud Gen. 3. ſerpenti dictum à Deo; Inimicitias ponam inter te, & mulierem, ipſa conteret caput tuum. [Monilium tela, ſcribit „ S. Aug. ſer. 229. de tempore, pudori ſemper „ adverſa, hoſtem ferire dedicerunt.] Sanè non recipit hæc nos rerum natura, niſi nudos, ſapienter monuit Plinius lib. 9. cap. 35. qui Lolliam Paulinam in mediocrium ſponſalium cœna ſmaragdis, margaritiſq; opertam, alterno textu fulgentibus, toto capite, crinibus, ſpiris auribus, collo, manibus, digitiſque vidiſſe ſe memorat: quæ ſumma quadrigenties ſeſtertium colligebat; hoc eſt, coronatorum decies centena millia.

Mulierum ornatus Diaboli inventum.

Ornant porrò gemmis, & auro, digitos annulis, brachia murænulis, collum torquibus, & margaritis, aures inauribus. [Saltus, & in- „ ſulas tenera cervix fert (inquit Tertullianus „ extremo libro citato) graciles aurium cutes „ calendarium expendunt; & ſiniſtra per ſin- „ gulos digitos de ſaccis ſingulis ludit: Hæ ſunt „ vires ambitionis tantarum uſurarum ſubſtan- „ tiam uno; & muliebri corpuſculo bajulare.] „ [Non ſatis muliebris inſania viros ſubjece- „ rat, ait Seneca in 7. de beneficijs libro; ni- „ ſi bina, & terna patrimonia auribus ſingulis „ pependiſſent.] Sed & de pedibus addit Plinius, non crepidarum tantùm obſtragulis, ſed totis ſocculis additas margaritas. Neque enim geſtare jam margaritas, niſi calcent, & per uniones etiam ambulent ſatis eſt. Et S. Cyprianus in lib. de bono pudicitiæ. [Cervi- „ ces peregrinis lapidibus urgentur, & abſcon- „ duntur: quorum pretia etiam ſine artibus ca- „ lendarium cujuſvis excedunt. Mirum nego- „ tium: mulieres ad omnia delicatæ ad vitiorum „ ſarcinas fortiores ſunt viris.] Et in ſer. de lapſis. [An illa ingemiſcit, & plangit, cui va- „ cat cultum pretioſæ veſtis induere; nec in- „ dumentum Chriſti, quod perdidit, cogita- „ re? Accipere pretioſa ornamenta, & monilia „ elaborata, nec divini, & cæleſtis ornatûs dam- „ na deflêre? Tu licèt indumenta peregrina, „ & veſtes ſericas induas, nuda es. Auro te li- „ cèt, & margaritis, gemmiſq; condecores, ſi- „ ne Chriſti decore deformis es. Et quæ ca- „ pillos tuos inficis, vel nunc in doloribus deſi- „ ne, & quæ nigri pulveris ductu oculorum li- „ neamenta depingis, vel nunc lachrymis ocu- „ los tuos ablue.] Ac demùm in tractatu de habitu virginum, ſic loquitur idem S. Pater; „ [Fugiant caſtæ virgines, & mulieres pudicæ „ inceſtarum cultus, habitus impudicarum, lu- „ panarium inſignia, ornamenta meretricum: „ Serico, & purpura indutæ Chriſtum induere „ non poſſunt: auro, & margaritis, & monili- „ bus adornatæ ornamenta cordis, & pectoris „ perdiderunt; & quæ ſeq.] Et S. Jo. Chryſ. h. 28. in epiſtolam ad Hebr. [Quid ſibi vult plu- „ rimum illud aurum? Eis enim, quæ in ſcena „ ſunt, iſta conveniunt: hæc illarum ſunt indu- „ menta mulierum, hoc eſt meretricum, quæ „ omnia ad hoc faciunt, ut ſpectentur. Illa, „ quæ deſcendit in ſcenam, componatur: om- „ nes enim cupit ad ſe attrahere. Quæ autem „ pietatem profitetur, non ita ſe debet or- „ nare. Habes enim ornatum illo majorem, „ habes & tu ſpectaculum; ad illud ſpectacu- „ lum te compone, & quæ ſeq;] Appoſitè verò dixiſſe mihi videtur Clemens Alexand. in 3. lib. pædag. c. 2. mulieres haſce perſimiles eſſe Ægyptiorum templis, quæ magno extrinſecùs apparatu, intùs nihil aliud, niſi felem, aut crocodilum, vel ſerpentem continent. Et veriſſimè illis dici poteſt id, quod Scribis, & Pharifæis hypocritis dixit Dominus, Matt. 23. Nam & hypocriſis magna eſt corpus oſtentare tam ſpecioſum, ac magnificè ornatum, atque in eo tam deformem habêre animam: Similes eſtis ſepulchris dealbatis, dixit Dominus, quæ à foris parent hominibus ſpecioſa, intùs verò plena ſunt oſſibus mortuorum; & omni ſpurcitia. Apelles olim cùm vidiſſet quemdam ex ſuis diſcipulis pinxiſſe Helenam multo ornatam auro; ô adoleſcens, inquit, cùm non poſſes pingere pulchram, feciſti divitem. Autor eſt idem Clemens lib. 2. pædag. c. 12. Idem de noſtris mulieribus dici poteſt, quæ ſi non pulchræ, divites certè vidêri volunt; alioqui vera pulchritudo ornatu non êget. [Vides „ (ait S. Bern. ep. 113.) auro, & argento, lapidi- „ bus pretioſis, & omni cultu regio non tam „ ornatas, quàm oneratas.] Et S. Ambr. in 2. lib. de pœnit. c. 9. [Fœminas videas margaritis „ onerare aures, curvare cervices, quas benè „ Chriſto non auro inclinarent, quæ ſeipſas flê- „ re debebant, quòd margaritam, quæ de cœ- „ lo eſt, perdiderunt.] Hac eas ornari vult Clemens quæ eſt pellucidus, & purus Jeſus; &

Sanctis

Digitized by Google

Sanctis lapidibus, quibus conſtructa eſt ſuperna Hieruſalem. Eas verò interim deplorat plurimùm, tot torquium, ac monilium, velut catenis, & vinculis miſerè ligatas. [Innu-,, merabilibus, inquit, ſe vinculis alligant, ,, quemadmodùm dicunt apud Barbaros, ſcele-,, ſtos homines auro vinciri. An non colli vin-,, culum eſt torques aureus, & monilia, quæ ,, verè catenæ dicuntur, & catenarum locum ,, obtinent? Sed vos, ô fœminæ, vultis videri ,, compedibus eſſe aſtrictæ; & Venus adulte-,, rium committens ejuſmodi dicitur vinculis ,, comprehenſa fuiſſe, ut nihil aliud ſint hæc ,, ornamenta, quàm adulterij ſigna.] Ex mox; ,, [Mihi, addit, venit in mentem admirari, quod ,, eæ non enecentur, dùm tantum onus bajulant.] Sed & in libro 3. c. 11. inaures mirum in modum irridet. [Nè auriculas, inquit, ſau-,, ciemus, vim naturæ afferentes. Cur enim non ,, itidem narem? Ut illud impleatur Prov. 11. ,, ſicut inauris in nare ſuis, ita improbæ fœmi-,, næ pulchritudo.] Quamquàm & hoc apud Mauros factitatùm, ut in naribus quoque inaures haberent, legimus apud S. Auguſtinum q. 115. ex ùtroque teſtamento mixtim. Iam verò S. Ambr. lib. 1. de Abraham c. 9. eas non vult geſtare inaures in auribus, nec virias in manibus. Et inaures, S. Aug. ep. 73. ad Poſidium, diaboli ſignum appellat. S. item Io. Chryſ. h. 7. in priorem ad Timot. epiſtolam, eadem illa ita exagitat vincula. [Si illi, inquit, hujuſmodi ,, circumdederis vincula, atque in ſolitudine, ,, ubi nullus inſpector ſit, manère permiſeris, ,, gravabitur vinculo, moleſtiſſimumq; porta-,, bit, atque à ſe quàm primùm excutiet. Ti-,, meamus, nè verba illa audire contingat; Li-,, gatis manibus, & pedibus mittite eam in te-,, nebras exteriores. Quid tibi, infœlix mulier ,, manus, & pedes vinciri permittis? Ut alius ,, oblectetur aſpectu, tu teipſam & vinculis, & ,, curis, atque periculis, & angoribus, quoti-,, dianiſq; cum viro corrixationibus ſubjicis?] At de cultu ſatis; in quo ambitionis ineſt crimen.

CAPUT VI.

De faciei, & capitis ornatu, & vanitate.

IAM de ornatu, in quo alterum proſtitutionis crimen agnoſcebat Tertullianus, totus autem hic ornatus in facie verſatur, & capite. Faciem fucis, & pigmentis immutant, & capillos capitis, ac crines criſpant, illorumque colorem alterant. [Sedent, inquit Clemens ,, libro 3. pædag. c. 12. velut depictæ ad ſpe-,, ctaculum, non natæ ad domûs cuſtodiam, fa-,, miliæve adminiſtrationem.] Et S. Pacianus in paræneſi ad pœnitentiam; [Si quid ferru-,, ginei pulveris in ſupercilio fulgeat, aut ficti ,, nitoris in gena rutilet, aut cocti ruboris in la-,, bia deſudet, &c.] Et Tertullianus in libro de virginibus velandis c. 12. [Iam & conſilium ,, formæ à ſpeculo petunt, & faciem moroſio-,, rem lavacro macerant, forſitan, & aliquo ,, eam medicamine interpolant: pallium ex-,, trinſecùs jactant, calceum ſtipant multifor-,, mem, plus inſtrumenti ad balneas deferunt.] Et in libro de cultu fœminarum c. 6. [Video ,, quaſdam & capillum croco vertere. Pudet ,, eas etiam nationis ſuæ, quòd non Germanæ, ,, aut Gallæ ſint procreatæ: ita patriam capil-,, lo transferunt. Malè, ac peſſimè ſibi auſpi-,, cantur flammeo capite, & decorum putant, ,, quod inquinant. Et atrum ex albo conantur ,, facere, quas pœnituit ad ſenectam uſquè ,, vixiſſe.] Germanæ mulieres flavæ, Gallæ albæ, & candidæ viſuntur: ideò pudet, inquit, quod non Germanæ aut Gallæ ſint procreatæ, hoc eſt flavæ, & rubicundæ, aut candidæ. Ita & in libro 1. ad uxorem c. 4. repetit; [Non ,, Gallicos vultus, nec Germanicos bajulos.]

Porrò totum hoc mulierculatum ſtudium pluribus modis video ſemper fuiſſe damnatum. Triplex in eo deprehenditur crimen. Primum eſt inſignis quædam vanitas, ac levitas, muliebri modeſtiæ, Chriſtianæq; gravitati prorſus contraria. Gloriantur enim plurimùm, *Inſignis vanitas.* ſi pulchræ, ac formoſæ ab hominibus judicentur. [At non de integra conſcientia (loquitur ,, Tertullianus in libro de cultu fœminarum c. ,, 2.) venit ſtudium placendi hominibus per de-,, corem; quem naturaliter invitatorem libidi-,, nis ſcimus. Perit ille ſimul in tua forma, ſi ,, concupiêrit, & admiſit jam in animo, quod ,, concupivit, & facta es tu gladius illi, & quam-,, quam tu non peccandi ſtudio hoc nefas com-,, miſiſti, ſed tantum cultûs cauſâ; non ideò ta-,, men effugies pœnam.] Addit Clemens Romanus lib. 1. conſtit c. 9. [Quia illo ornatu ,, coëgiſti aliquem ut ad te concupiſcendum ,, induceretur; neq; adhibuiſti cautionem, ut ,, neque tu in peccatum incideres, neq; alij in ,, ſcandalum.] [Ob ſolam vanam gloriam (ait ,, S. Io. Chryſ. in ſer. quòd regulares fœminæ ,, viris cohabitent, to. 5.) in alienis luditis ani-,, mabus, & ex alienis animabus voluptatem ,, propriam conſtituitis.] Et iterùm; [Infirmus ,, eſt, qui offenditur, igitur dignus eſt, cui par-,, catur, non ut lædatur: vulnera habet, nè ,, igitur atteramus, ſed curemus. Suſpicatur ,, malè, & imprudenter, igitur auferamus ſuſ-,, picionem, non inferamus.] Et rurſùm; [Non ,, quæ ſervire facit viros, ſed quæ reveretur, ,, omnibus eſt reverenda, & glorioſa.] Undè dicitur Gen. 3. Ad virum tuum converſio tua, & ipſe dominabitur tui: Illud verò etiam, atque etiam conſiderent, quod idem S. Pater habet in h. 17. in Matth. [Si quæ, inquit, ideò ,, ornatur, & comitur, ut in ſe oculos omnium irritet,

Digitized by Google

„ irritet, etſi nullum pulchritudine ſua potue„ rit vulnerare; dabit tamen extrema ſupplicia. Paravit quippè virus, temperavit venenum, porrexit poculum, etiamſi nullus, qui mortem biberet, inventus eſt.] [Accuſandus ſanè decor non eſt; inquit Tertullianus, ut fœlicitas corporis, ut divinæ plaſticæ acceſſio, ut animæ aliqua veſtis urbana. Timendum tamen eſt, vel propter injuriam, & violentiam ſpectatorum, quam etiam pater fidei Abraham in uxoris ſuæ ſpecie pertimuit, & ſororem mentitus Saram, ſalutem contumelia redemit.] Sed hæc de naturali forma is, & pulchritudine loquebatur: quid de noſtrarum mulieicularum per malas artes procurata dixiſſet? Non enim tantum adhibent ſtudium, ut marito placeant, neque omninò opus eſt adhibêre. [Uxor namque nulla, ut idem ipſe c. 4. ſubjungit, deformis eſt marito ſuo. Satis placuit cùm electa eſt, ſive moribus, ſive forma commendata. Nè quæ veſtrûm putent, ſi temperaverint à compoſitione ſui, odium, & averſionem maritorum proſecuturas. Omnis maritus caſtitatis exactor eſt.] Et S. Auguſt. in ep. 73. jam memorata; [Fucari, ait, pigmentis adulterina fallacia eſt, quâ nec mariti decipi volunt: nam verus ornatus Chriſtianorum, mores boni ſunt.] [Propter conventum, & mutuum vidêre, & viderì (verè dixit idem Tertullianus c. 11.) omnes pompæ in publicum proferuntur, aut ut luxuria negotietur, aut gloria inſoleſcat. Vobis nulla procedendi cauſa non tetrica. Aut imbecillis aliquis ex fratribus viſitandus, aut ſacrificium offertur, aut Dei verbum adminiſtratur. Quodvis horum gravitatis, & ſanctitatis negotium, & cui non ſit opus habitu extraordinario.] Et c. 5. [Quantùm à noſtris diſciplinis, & profeſſionibus aliena ſunt, quàm indigna nomine Chriſtiano, faciem fictam geſtare, quibus ſimplicitas omnis indicitur, effigiem mentiri, quibus lingua non licet, appetere, quod datum non ſit, quibus alienum abſtinendum, ſpeciem exercêre, quibus ſtudium pudicitiæ eſt?] Et c. 8. [Ubi Deus, ibi pudicitia, ibi gravitas adjutrix, & ſocia ejus.] Quo ergò pacto pudicitiam ſine inſtrumento ejus, id eſt, ſine gravitate tractabimus? Quomodò autem gravitatem adminiſtrandæ pudicitiæ adhibebimus, niſi & in facie, & in cultu, & in totius hominis contemplatione ſeveritas circumferatur? S. Aug. in ſer. 247. de tempore, de illo diſſerens, qui Matt. 22. non nuptiali, ſed adulterina indutus veſte auſus eſt intrare ad nuptias; adulterinos omnes utriuſque ſexus excludi affirmat, & eijci à nuptijs Chriſti, nec excludi modò, ſed & in tenebras eijci exteriores. [Habitus, inquit, impudicus corporis nuntius eſt adulterini cordis. Impudicus autem habitus

Gravitas pudicitiæ inſtrumentum.

corporis in viris eſt ſuperflua, & inordinata capillatura, veſtimentorumque muliebrium affectata ſimilitudo, calceamentorum quoque metas neceſſitatis excedens ſimulata longitudo. In mulieribus facies fucata, virilium veſtimentorum imitatio, capillorum nativi coloris adulteratio. Hic habitus in utroque ſexu adulterinus eſt, & ſanctarum nuptiarum ſocietate indignus, & à conſpectu tanti ſponſi, & tantæ ſponſæ prorſus amovendus.]

CAPUT V.

De Proſtitutionis crimine.

SECUNDUM malum cum hoc primo magnoperè conjunctum; eſt illud, quod Tertullianus proſtitutionis crimen appellavit. Verè namque meretricium quiddam eſt majorem tanta arte affectare ſpeciem, eamque hominibus velut venditantes oſtentare. Ita loquitur idem Tertullianus in Apologet. adverſus Gentes capite 6. [Video & inter matronas, atque proſtitutas nullum de habitu diſcrimen relictum.] Et S. Cyprianus in tractatu de habitu virginum; [Ornamentorum, & veſtium inſignia, & lenocinia fucorum, non niſi proſtitutis, & impudicis fœminis congruunt: & nullarum ferè pretioſior cultus, quàm quarum pudor vilis eſt. Fugiant caſtæ virgines, & mulieres pudicæ inceſtarum cultus, habitus impudicarum, lupanarium inſignia, ornamenta meretricum.] Et in libro de bono pudicitiæ; [Non eſt pudica, quæ affectat animum alterius movere, etiam ſalva corporis caſtitate. Longè abſint, quibus pulchritudo non ornatur, ſed proſtituitur. Nam ſolicitudo de pulchritudine, & malæ mentis indicium, & deformitatis eſt. Sit natura corporis libera, nec divinis operibus inferatur vis. Semper eſt miſera, quæ ſibi non placet, qualis eſt.] Et S. Greg. Nazianz. adverſus mulieres ſcribens ambitioſiùs ſe ornantes; [Hæc artificia, inquit, non pudicitiæ ſunt, ſed laſciviæ, ac libidinis. Quidquid enim in virorum gratiam commiſceris, corporis libidinem prodit.] Adfert pavonem caudam extendentem pulchra varietate depictam, ac fœminam clangore ſuo ad Venerem invitantem. Tales enim & mulierculas haſce dixeris eſſe. Quin etiam Pandoræ adjungit fabulam, cujus filias, atque alumnas aſſerit has mulierculas eſſe. Pandoram, inquit, cum ignis à Prometheo furtim ſublatus fuiſſet: vindicandi hujus ſceleris cauſâ mortalibus, advenisse: pro bono videlicet, atque utili igne, ignem alium malum, ac peſtiferum. Quoque ardentiùs hominum animos inflammaret; omni eam pulchritudinis genere à Dijs inſtructam, & exornatam fuiſſe. Pandoræ verò filiæ ſunt procaces omnes mulierculæ perpictæque

Proſtitutionis crimen ornatus.

ctæque frontis. Pulchrum verò eſt illud, quod addit. [Nullam ipſe aliam pulchritudinem „ agnoſco, quàm eam, quæ naturæ dono con„ tingit. Nam & præſtantiores eas opes eſſe „ judico, quas pater mihi reliquit, quàm quas „ manus mea injuſtis artibus collegit, etſi alio„ qui multis partibus ſuperent.] Hoc deplorabat quoque Clemens Alexandrinus lib. 2. pædag. c. 12. his prorſùs verbis. [Ritu meretri„ cio opes effundunt in probra, & dedecora; „ ſuaq; improba, & arroganti ſtoliditate Dei „ dona corrumpunt, & adulterant, artem „ maligni imitantes.] Contrà quas ad hunc modum pulchrè argumentatur. [Si ſunt pul„ chræ ſufficit natura, non contendat ars con„ trà naturam, fraus non litiget cum veritate: „ ſi autem ſunt natura turpes, ex ijs, quæ ſibi „ applicant, quod non habent, arguunt.] Eodem ferè modo ratiocinatur quoque S. Nazianzenus. [Si naturæ, inquit, beneficio formæ „ elegantia vobis conceſſa eſt, pigmentis eam „ nè occultate, ſed puram eam maritis veſtris „ conſervate. Sin autem vobis pulchritudo à „ natura negata eſt, ſecundam deformitatem „ fugite. Sic enim pulchritudinem eàm voco, „ quæ manibus, & arte comparatur, atque à „ trivialibus mulieribus, & quidem paucis obo„ lis, emi poteſt.] Idem Clemens libro 3. ejuſdem operis cap. 2. cùm ejuſmodi fœminam fuco intritam, & incruſtatam, ſimiam, & ſeductorem ſerpentem appellaſſet. [Non eſt, in„ quit, mulieris, ſed meretricis, illud nimium „ ſui ornandi ſtudium.] Atq; ex Menandro adjungit; [At nunc recede ab his ædibus: nam „ fœminam pudicam non decet facere flavos „ capillos. Sed neque genas fucare, neque ocu„ los pingere.] Extat & S. Cyrilli Alex. ſententia in or. de exitu animi. [Quæ ſibi purpuriſſo „ vultus humectant, & ceruſſa genas alliniunt, „ dealbantque, & ad ſpeculum comantur, ut ho„ mines ad nequitiam, & pravas cupiditates, „ amoreſq; ſatanicos incitent, eæ in die judicij „ torquebuntur: & quæ pulchritudinem aſciſ„ cunt alienam, Paradiſi pulchritudine priva„ buntur.] S. Nazianzen. in or. de funere patris loquens de Nonna matre ſua. [Pictum, inquit, „ & arte quæſitum ornatum ad eas, quæ thea„ tris delectantur, ablegabat.] Et rurſùm aliquantò poſt; [Stultiſſimæ mulierculæ, quæ na„ tura pulchritudine carentes; ad colores confu„ giunt; theatriceque ut ſic loquar; comptę atq; „ ornatæ ſunt ob venuſtatem invenuſtæ, atque „ ob fœditatem deformiores.] S. Hier. in ep. ad Furiam de viduitate ſervanda, univerſum hunc ornatum velamen Antichriſti nominavit. „ [Quid facit, inquit, in facie Chriſtianæ pur„ puriſſum, & ceruſſa? Quorum alterum rubo„ rem genarum, labiorumq; mentitur; alterum „ candorem oris, & colli; ignis juvenum, fo„ menta libidinum, impudicæ mentis indicia. „ Ornatus iſte non Domini eſt; velamen iſtud „ Antichriſti eſt. Quâ fiduciâ erigit ad Cœlum „ vultus, quos conditor non agnoſcit?] Et iterùm in ep. ad Marcellam, de ægrotatione Bleſillæ has fœminas non eſt veritus appellare idola. [Illæ, inquit, Chriſtianos oculos „ ſcandalizent, quæ purpuriſſo, & quibuſ„ dam fucis ora, oculoſq; depingunt. Quarum „ facies gypſeæ, & nimio candore deformes „ idola mentiuntur. Quibus ſi forte improvi„ dis lachrymarum ſtilla eruperit, ſulco de„ fluit.] S. Nazianzenus viventes tabulas appellare ſolet; nam in or. in laudem Gorgoniæ. „ [Unus, inquit, illi rubor placebat, quem gig„ nit pudor; unus candor, quem parit abſtinen„ tia. Nam picturas, & oculorum fucos, vivaſq; „ tabulas, & fluxam, atque caducam formæ ve„ nuſtatem ijs relinquebat, quæ theatra, & tri„ via conſectantur, quibuſq; pudori, & probro „ eſt erubeſcere.] Et in exhortatione ad virgines: [Sordidam veſtem tuam, comamque ſqual„ lidam, magis revereor, pluriſque facio, quàm „ margaritas, veſtiumq; ſericearum elegantiam. „ Egregius flos verecundia, magnum ornamen„ tum pallor, textura inſignis virtutes ſunt. „ Omnes hæ caput tuum coronâ cingant. A„ liæ fucis, & colorum nitoribus imaginem di„ vinam adulterent, vivæ tabulæ, fœdi indices „ interiorum animi affectuum. At tu ejus etiam „ formæ, & venuſtatis, quâ prædita es, maxi„ mam partem extingue, atque ita te compara, „ ut animæ divinitùs ornatæ pulchritudinem „ illuſtres.] Ac demùm in carmine cui titulum fecit; Præcepta ad virgines.

Viventes tabulæ; myſteria noctis opacæ,
Externèq; nitens labes, pulchrumq; ſepulchrum,
Interno fœtore madens, & ſordibus atris.

Quibus verbis ſententiam expreſſit Chriſti, Matth. 23. contrà Scribas, & Phariſæos pronuntiatam. Verùm id, quod totum hunc corporis ornatum, & cultum, dixit eſſe indicem interiorum animi affectuum, magnoperè confirmat Clemens lib. 3. pædag. cap. 2. affirmans eſſe velut inuſtam ſervo fugitivo notam. [Sicut, inquit, notæ inuſtæ fugitivum, „ ita floridi colores adulteram indicant, quæ ex „ ſuo vultu perſonam facit.] Et cap. 11. [Ut „ fumus ignem, & bonus color, bonuſq; pulſus „ ſanitatem, ita amictus indicat qualis ſit no„ ſtrorum morum conſtitutio.] Itaque in 2. libro c. 8. ſolutum Mariæ Magdalenæ capillum, quo Domini pedes lachrymis ablutos terſit, ſignificare voluit liberationem, ac ſolutionem à nimio ſuperflui ornatûs amore. Nobiſque argumentari licebit, criſpatum, & cincinatum capillum, varijſque implicatum, atque involutum modis, ligamen animi, & vanitatis omnis miſeram ſervitutem indicare. Hypocritas quidem certè reprehendit Chriſtus; Matth. 6. Facies ſuas exterminantes; quid

de

Digitized by Google

de iſtis mulieribus tam artificioſè facies ſuas ornantibus diceret ? Optimè ratiocinatur S. Io. Chryſ. h. 21. in eum locum. [Si faciei corruptio eſt, propter inanem gloriam pallidum apparêre quemquam: quidnam dicendum eſt de fucis, atque picturis corrumpentibus facies fœminarum in perditionem juvenum laſcivorum. Nam hi quidem, qui oſtentant pallorem jejunij, ſemetipſos tantummodò; hæ verò & ſeipſas & eos, à quibus videntur, interimunt.] S. Hieronymus quoq; vel quiſquis fuit autor epiſtolæ ad Mauritij filiam, de virginitatis laude, caput in baptiſmo inunctum Chryſmate, & ſanctificatum nefas eſſe dixit pigmentis, aut fucis maculari. [Munda, inquit, ab omnibus inquinamentis caput, quia crimen eſt, illud poſt Chryſmatis ſanctificationem, aut croci, aut alterius pigmenti fuco, vel pulvere ſordidari.] Et in ep. ad Demetriadem; [Satis pulchram Deo crede faciem tuam, ſi hominibus pulchra apparêre non ſtudeas.]

CAPUT VI.

De capillis.

Capillorum ornatus. QUOD autem ad capillos attinet, præter illud, quod ad Demetriadem hic idem ſcripſit Hieronymus, & alienis capillis turritum verticem ſtruere. Sanctus Nazianzenus adverſus mulieres ambitioſiùs ſe ornantes. [Cavete, inquit, ô mulieres, nè caput veſtrum nothis, & adulterinis crinibus, tanquàm turribus quibuſdam muniatis, mollia colla è ſcopulis delicatè oſtentantes.] Clemens verò in 3. libro pædag. cap. 11. ad hunc modum definivit: [Mulieribus crines mollire ſufficit, & tenui aliquâ fibulâ comam alligare frugaliter, ſimplici culturâ pudicas comas in veram, & germanam pulchritudinem alentibus. Meretricij enim pilorum plexus, & catenarum nexus, cùm eas deformes reddunt; tùm etiam pilos diſcerpunt, artificioſis inſertis vinculis evellentes. Quò fit, ut nè ſua quidem tangant capita, nè capillos confundant pertimeſcentes. Quin etiam non ſinè metu eas invadit ſomnus, dùm timent, nè texturæ figuram imprudentes ſpolient. Alienorum autem capillorum appoſitiones ſunt omninò reijciendæ, & externas comas capiti adhibêre, eſt maximè impium, quæ mortuis pilis cranium induunt. Cui enim manum imponit presbyter? cui autem benedicet? Non mulieri, quæ eſt ornata, ſed alienis capillis, & per ipſos alij capiti; Si autem mulieris caput eſt vir, viri autem caput eſt Chriſtus, quomodò non eſt impium eas in duplex peccatum incidere? Per immodicam enim comam viros decipiunt, Dominum autem, quantum in ipſis eſt ſitum, dedecore afficiunt; dùm meretricè ornantur, in fraudem veritatis, & caput, quod verè pulchrum eſt, maledictis inceſſunt.] S. Hieronymus in epiſtola ad Lætam, de inſtitutione filiæ, cùm haſce omnes vanitates ſeverè prohibuiſſet; [Cave, ait, nè aures perfores, nè ceruſſa, & purpuriſſo ora depingas, nè collum auro & margaritis premas, nè caput gemmis oneres, nè capillum irrufes, & ei aliquid de gehennæ ignibus auſpiceris.] Terribileque ſtatim ſubjungit exemplum prætextatæ nobiliſſimæ fœminæ, quæ virginis Euſtochij neglectum crinem mundano more texuit, & eadem nocte in ſomnis vidit Angelum terribili voce minitantem pœnas: Tunè auſa es caput virginis Dei tuis ſacrilegis attrectare manibus? quæ jam nunc areſcent, & finitò menſe quinto ad inferna duceris. Sin autem perſeveraveris in ſcelere, & marito ſimul orbaberis, & filijs: Quæ omnia, inquit Hieronymus per ordinem expleta ſunt.

Poſtremò, moris etiam aliquando fuiſſe caput coronare, florum coronas imponendo, *Capitis coronæ.* ſcimus ex Tertulliano in libro de corona militis. Sed & dæmonis inventum appellat cap. 7. Et poſt cap. 14. [Quid eſt, inquit, aliud capiti fœminæ corona, quàm formæ læna, quàm ſumma laſciviæ nota, extrema negatio verecundiæ, conflatio illecebræ? Quale, oro te, ſertum pro utroque ſexu ſubijt Chriſtus Ieſus? ex ſpinis, opinor, & tribulis, in figuram delictorum, quæ nobis protulit terra carnis: abſtulit autem virtus crucis omnes aculeos mortis in Dominici capitis tolerantia obtundens.] At jam non floribus, ſed auro, gemmiſque alicubi coronantur: crinibus ſcilicet ſuis miro modo ornatis coronam capiti ſuo facientes. Quod multò magis damnandum eſt.

CAPUT VII.

De Creatoris injuria.

TERTIUM peccatum eſt, quòd ita agentes iſtæ mulierculæ, melioremq; ac formoſiorem fucis procurantes faciem, creatori Deo magnam injuriam faciunt. *Injuria Creatoris.* [Quæ formam, inquit S. Aug. in ſer. 247. de tempore, quam omnipotens, & prudentiſſimus plaſmator finxit, in aliam transfigurare contendit, nonnè evidenter dicere ei videtur, qui ſe finxit; Cur me feciſti ſic? Improba temeritas, conditoris plaſmata vilificare. ut formam ſuam, quantum in ſe eſt, in aliud transfiguret.] Et S. Hieronymus in lib. adverſus Helvidium c. 10. [Ad ſpeculum pingitur; & in contumeliam artificis conatur pulchrior eſſe, quàm nata eſt.] Et Tertullianus in libro de cultu fœminarum c. 5. [In Deum delinquunt, quæ cutem medicaminibus ungunt, genas rubore maculant, oculos fuligine collinunt. Diſplicet illis

Digitized by Google

„ nimiùm plaſtica Dei: In ipſis redarguunt, „ reprehendunt artificem omnium. Reprehen- „ dunt enim, cùm emendant, cùm adijciunt; „ utique ab adverſario artifice ſumentes addita- „ menta iſta, id eſt, à Diabolo. Ille indubitatè „ hujuſmodi ingenia concinnavit, ut in nobis „ quodam modo manus Deo inferret. Quod „ naſcitur, opus Dei eſt. Ergò, quod fingitur, „ diaboli negotium eſt. Divino operi Satanæ „ ingenia ſuperducere, quàm ſceleſtum eſt?] Et S. Cyp. in tract. de habitu virginum. [Dicit „ Deus; Faciamus hominem ad imaginem, & „ ſimilitudinem noſtram: & audet quiſquam „ mutare, & convertere, quod Deus fecit? Ma- „ nus Deo inferunt, quando illud, quod ille for- „ mavit, reformare, & transfigurare conten- „ dunt, neſcientes, quia opus Dei eſt omne, quod „ naſcitur, diaboli, quodcumque mutatur.] Et ſtatim argumentum adfert ex pictoribus; [Si „ quis enim pingendi artifex vultum alicujus, „ & ſpeciem, & corporis qualitatem æmulo „ colore ſignaſſet, & ſignato jam, conſumma- „ toque ſimulachro manus alius adferret, ut jam „ formata, jam picta, quaſi peritior reforma- „ ret, gravis prioris artificis injuria, & ju- „ ſta indignatio videretur. Tu te exiſtimas im- „ punè laturam, tàm improbæ temeritatis au- „ daciam, Dei artificis offenſam?] Et iterùm; „ [Audaci conatu, & ſacrilego contemptu cri- „ nes tuos inficis, malo præſagio futurorum ca- „ pillos illos flammeos auſpicans. Non metuis, „ nè cùm reſurrectionis dies venerit, artifex „ tuus te non recognoſcat? Ad ſua præmia, & „ promiſſa venientem removeat, & excludat? „ increpans vigore cenſoris, & judicis dicat; „ opus hoc meum non eſt, nec hæc imago no- „ ſtra eſt.] Eadem fuit S. Ambroſij ſententia in lib. 6. exam. c. 8. [Pictus es, inquit, ô homo! & „ pictus à Domino Deo tuo. Noli bonam delè- „ re picturam, non fuco, ſed veritate fulgentem, „ non cerâ expreſſam, ſed gratiâ. Deles pictu- „ ram mulier, ſi vultum tuum materiali candore „ oblinas, ſi acquiſititio rubore perfundas. Illa „ pictura vitij, non decoris eſt. Illa pictura frau- „ dis, non ſimplicitatis eſt. Si ſuper artificem „ aliquem inducas alterum, qui opus illius no- „ vis operibus obducat, nonnè indignatur ille, „ qui opus ſuum adulteratum eſſe cognoverit? „ Noli tollere picturam Dei, & picturam me- „ retricis aſſumere. Grave eſt crimen, ut putes, „ quod meliùs te homo, quàm Deus, pingat. „ Grave eſt, ut dicat de te Deus; Non agnoſco „ colores meos, non agnoſco imaginem meam, „ non agnoſco vultum, quem ipſe formavi, „ reijcio ego, quod meum non eſt.] Ac rurſùm eodem pictorum exemplo uſus eſt Theod. in hiſtoria SS. Patrum cap. 9. Et S. Nazianz. ad mulieres ambitioſiùs ſe ornantes, Deum ita loquentem inducit: [Nonnè ego te depinxi, & „ imaginem meam finxi? Qui fit igitur, ut pro „ chara imagine idolum habeam?] Et Origenes h. 4. in diverſos, tractans illud Matt. 6. Exterminant facies ſuas; [Tales, inquit, ſunt aliquæ „ mulieres, quæ album, & nigrum, & rubi- „ cundum ſuper facies ſuas inducunt, quaſi „ ſapientiores plaſmatore ſuo, tanquàm non „ benè illum fecerit vultum, tanquàm non pru- „ denter iſtam faciem conſtituerit. Hujus Cre- „ antis opus volunt emendare, & componere „ non erubeſcunt, & poſt fabricatoris manus „ ſuperaddere non verentur; mortis coloribus „ viventes ſuas facies liniunt, & de viventibus „ in mortem tranſmutant, ideò ut imprudentium faciant evolare corda, ut minùs cauto- „ rum ſubvertant animas, ut multam perditio- „ nem ſibimet parent.] Iſta ergò omnia religioſæ credentes animæ fugere, & abominari debent. Ac demùm Clemens lib. 3. pædag. cap. 11. [Abſurdum eſt eos, qui ad Dei imaginem, „ & ſimilitudinem facti ſunt, tanquàm arche- „ typum exemplar contemnentes, externum „ ornatum inducere; improbum humanum ar- „ tificium Dei opificio præferentes.]

Inventum Diaboli.

CAPUT VIII.

Quanta harum Mulierum impudentia.

QUARTUM peccatum eſt impudentia. Sunt enim fucatæ mulieres velut larvatæ. Gypſo namque, purpuriſſo, & ceruſſa, velut larvam faciei obducunt ſuæ. Quare quæ larvatis hominibus, ea ferè & fœminis hiſce licentia, & impudentia. Quam ob cauſam execratur S. Nazianzenus loco jam ſæpiùs citato: [Pereat quiſquis ille fuit, qui primus colo- „ ribus, atque pigmentis impudentiam ad- „ junxit. Ut enim impudentes viri larvâ pri- „ mùm faciem tegunt, atque ita ſequuntur, „ quæ inhoneſtæ vitæ conveniunt, ſaltationes „ & cætera: ita & hæ poſtquàm alienam for- „ mam externè induxerint, ita demùm ut pictâ „ illâ, & fucatâ formâ dignum eſt, moventur.]

Impudentia grandis.

Quintum malum eſt boni nominis, famæque jactura; immò ſuſpicio mala, quam de ſe ſpectatoribus ingerunt, etiamſi fortaſſe honeſtæ fuerint fœminæ. [Si non ut carnis libi- „ dini, ait S. Nazianzenus, ſed ut oculis tantùm „ obſequaris, atque à viris ſpecteris, fuco tibi „ utendum putas, aereum quoque amorem „ in morbo, & vitio eſſe ſcito. An prorſùs à „ vulneribus tuta es? Credo equidem: ſed nè „ hoc quidem pulchrum, atque honeſtum mihi „ videtur, inanis vitij ſuſpicione laborare.] Et S. Io. Chryſ. h. 12. in priorem epiſtolam ad Cor. [Confricationes, vultûs pigmenta, & „ tanta ornatûs cura. Si pudica ſit, vix malam „ effugiet ſuſpicionem. Sin minùs, incontinen- „ tiæ occaſione accepta fortaſſè capietur.] Et S. Hier. in ep. ad Saluinam, de ſervanda viduitate

Suſpicio mala.

Digitized by Google

duitate cap. 5. [Tenera res in fœminis fama pudicitiæ eſt; quaſi flos pulcherrimus citò ad levem marceſcit auram, levique flatu corrumpitur: maximè ubi & ætas conſentit ad vitium, & maritalis deeſt autoritas, cujus umbra tutamen uxoris eſt. Scio multas clauſis ad publicum foribus, non caruiſſe infamiâ ſervulorum, quos ſuſpectos faciebat, aut cultus immoderatus, aut craſſi corporis nitor, aut ætas apta libidini.] Et ep. ad Furiam c. 1. [Exit fama de mendacio: quæ cùm ad matronas pervenerit, & earum linguis fuerit ventilata, provincias penetrat.]

CAPUT IX.

De odoribus.

HIs omnibus adduntur odores, qui quantam ad libidinem procurandam vim habeant, duobus modis expoſuit Clemens lib. 2. pædag. cap. 8. [Primùm enim, ait, ſicut boves annulis, & funibus, ità & intemperantes ſuffitibus, & unguentis, & ſuavè olentibus odoribus trahuntur.] Deindè etiam; [Quemadmodum qui naribus ſunt ſagacibus canes, feras inveſtigant; ita, & nimia unguentorum fragrantia, qui moderati ſunt, & temperantes, venantur intemperantes.] [Iſtæ verò mulieres, ait idem autor, & ſua veſtimenta, & veſtes ſtragulas domoſque ſuas ſuffumigant, & aſpergunt, atque adeò vel ipſas propemodùm matulas olêre cogunt.] Et S. Cyrillus Alexandrinus in or. de exitu animi; [Odores mimas, & impudicas decent mulieres.] Et S. Athanaſius in libro de virginitate; [Quæ unguentis, aromatibus, & fragrantijs, & amictu pretioſo, & auro venuſtant corpora ſua, ut placeant hominibus, Deo placêre non poſſunt.] Et S. Cyrillus alter Hieroſolymitanus catech. 12. [Exterminetur omnis nimius ornatus, & omnis laſcivus aſpectus, & omnis circà te obambulans fœminea veſtis, & ſtola; & ſuffimentum voluptatis ineſcativum.]

CAPUT X.

De Eccleſiæ ingreſſu.

PORRò illud etiam offendit plurimùm, quod eas ita ornatas, & ad ſcenam, atque theatra magis compoſitas, non pudeat Eccleſiam Dei intrare ad orandum cum cæteris, ad audiendum verbum Dei, ad ſacrificium. Audiant Sanctum Io. Chryſoſtomum h. 3. in poſteriorem ad Theſſ. epiſtolam. [Si intraverit hûc, inquit, mulier opulenta, non curat, quomodò audiat oracula Dei; ſed quomòdò ſe oſtentet, quomodò cum elatione ſedeat, cum multa gloria, quomodò reliquas omnes veſtimentorum ſumptuoſitate excellat. Et ſchemate, & aſpectu, & inceſſu ornatiorem ſeipſam exhibeat. Et omnis cura & ſolicitudo hæc illi eſt, nùm ille vidit? nùm admiratus eſt? nùm benè ornata ſum? nè marceſcant indumenta; nè rumpantur: circà hoc omnis verſatur cura.] Et h. 8. in priorem ad Timot. [Deum precatura pergis, & ornamenta aurea circumfers, flavoſque crines, & ipſos auro compoſitos. An verò ſalt●ura ad eccleſiam pergis? numquid hîc nuptias, & laſciviæ oblectamenta conquiris? nùm ut tui ſpectaculum præbeas, advenisti? Acceſſiſti, ut Deum pro peccatis tuis ſuppliciter depreceris, ut tuis in illum ſceleribus veniam cum gemitu, & lachrymis petas; acceſſiſti, ut Dominum tibi propitium facias: Quid te ipſam ornari improbo, atque intempeſtivo ſtudio contendis? Non iſte ſupplicis habitus eſt. Nequè enim auro amicta debet incedere, quæ lachrymas pro peccatis profundere intendit. Iſta mimis, & ſaltatoribus, & his, qui in ſcena verſantur, relinquenda ſunt: ſobriæ mulieri nihil ejuſmodi congruit.] Et rurſùm. [Ejuſmodi exterior ornatus ornamenta intima demolitur. Pugnare hic congruit, non ornari; luctari convenit, non in mollitiem ſolvi. Non aſpicis pugiles, atque luctatores, ut illis nequaquàm cura ſit inceſſus, & habitus. Stat ecce Diabolus dentibus ſtridens, & modis omnibus te proſternere cupiens, dùm tu circà hujuſmodi diabolicum prorſùs ornatum verſaris attonita.] Et S. Ambroſius in commentario ad caput 2. prioris epiſtolæ ad Timotheum. [Humili habitu mulieres orare debent. Qui enim audiri vult, inclinare ſe debet, amotâ pompâ, ut miſericordiam Dei provocet. Quis enim jactanter ornatam mulierem non horreat? Quantò magis Deus, qui corpus à ſe liberum factum, obligatum metallis videt? Quæ ergò in domo Dei cum pompa ſe mavult vidêri, conſequitur, quod vult, ut glorioſa videatur, nihil conſecutura à Deo niſi maculam. Quantò enim hominibus ſplendida videtur, tantò magis deſpicitur à Deo.]

CAPUT XI.

Quanta Virorum culpa.

QUANQUAM ego in hac re univerſa majorem virorum agnoſco, quàm mulierum culpam. Etenim viri ut prudentiores ſunt, & magis natura graves, ac ſenſati, ſic infirmiorem, ac leviorem ſexum, ad vanitatem omnem magis propenſum, regere debebent, ac moderari, præſertim ſibi ſubjectum. At vereor plurimùm, nè ipſimet interdùm uxores ſuas natura propenſas urgeant magis. [Ignominioſum quippè, ait S. Chryſ. h. 12.

„ in priorem ad Cor. ſibi ducunt, niſi à multis „ uxor conſpiciatur, niſi commune omnibus „ ſpectaculum proponatur.] A quibus tamen detrahi ab uxoribus oportêre haſce omnes vanitates, velut ab aviculis pennas, ſi eas modeſtas, atque honeſtas velint, ſapienter admonuit Clemens Alexandrinus in 3. libro pædag.cap.11.[Quæ à fœminis,inquit,ad luxum „ comparantur, ab eis tanquàm pennæ detrahenda ſunt; ita quæ inſtabilem ſuperbiam,& „ mollitiem, inaneſque voluptates procreent, „ quibus excitatæ, & quodam modo allectæ, „ ſæpè à matrimonijs reſiliunt.] Et S. Gregorius Nazianzenus dum mulieres ambitioſiùs ſeſe ornantes alloquitur, adverſùs ſtupidos maritos, qui hæc illis permittunt, multis invehitur, quæ jucundum erit perlegere,& utilius attentè perpendere. Et S. Io. Chryſoſt. h. 13. in epiſtolam ad Epheſ. ita ſcripſit.[Non „ puto mulierem in muliebri ſuo mundo ità „ gloriari,ut virum in illis,quæ conjugem ſuam „ exornant. Non ità in zona ſua auro conſpicua ſuperbit vir, ut quòd uxorem habet ornamenta auro inſignia geſtantem. Non tan„ tum mulieri delictum imputatur, quantum „ viro. Officij tui eſt, ut illam in ordinem re„ digas.] Itaque h. 20. præclarè,& ſapienter docet, quomodò vir novam ſponſam inſtituere debeat. [Tanquàm ſtatuam, inquit, „ quandam fingendam, & ornandam nactus; „ ita ab ipſa veſpera, quâ in thalamum nuptia„ lem eam primùm accipit, modeſtiam, & „ manſuetudinem, & quomodò vivere de„ beat, mox ab exordio doceat: Ex ipſiſque „ veſtibulis pecuniarum amorem deijciat: & „ adhortetur, nè ſint illi monilia aurea,ſive ab „ auribus, ſive circà genas, ſive circa collum „ pendentia; nevè veſtes ſint deauratæ, ac „ ſumptuoſæ: ſed ſit quidam nitidus ornatus, „ ſed tamen nè ſplendor vituperio obnoxius „ fiat.] In epiſtola ad Demetriadem cap. 10. teſtatur S. Hier. contrà laſcivos pueros, puellaſque cenſuras eccleſiæ interdùm fuiſſe latas. Utinam & hoc tempore,qui Rempublicam adminiſtrant,remedium aliquod tanto adhiberent malo. Certè de veterum mulierum modeſtia ità ſcribit Tertullianus in apologetico adverſùs Gentes cap. 6. [Aurum nulla norat præter „ unico digito, quem ſponſus oppignoràſſet „ pronubo anulo.]

CUM MULIERIBUS

PARCE, ET CAUTE AGENDUM ESSE.

LIBER XVII.

ALTERUM propoſitionis meæ caput de mulieribus per comparationem ad nos dicendum propoſuit. Video autem, ut paucis me ab illis expediam, converſationem cum illis multam fuiſſe ſemper damnatam, clericis præſertim, ac religioſis viris, & omninò illis, qui ſpirituales aut eſſe,aut certè vidêri volunt. Primùm enim res eſt nobis ipſis pluſquàm dici poſſit periculoſa. Deindè verò, & cæteris offenſioni.

CAPUT I.

Mulierum aſpectus cavendus.

VEL ſolum aſpectum debêre nobis eſſe ſuſpectum, & verò cavendum maximè, teſtantur illa Chriſti verba Matt. 5. Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo. Quantus autem ſit aſpectus, & concupiſcentiæ nexus; quamque facilis ab aſpectu ad concupiſcendum prolapſus; quis eſt, qui ignoret? Propterea S. Greg. Nazianz. adverſùs mulieres ſcribens ambitioſiùs ſe ornantes; impudentis amoris originem dixit impudentem eſſe aſpectum. Quem ſi quis fugerit, idem procùl dubio ſcelus quoque effugiet. Et S. Baſilius in ſer. de abdicatione rerum inter cætera monet; [Nè „ curioſus ſis, neque omnia vidêre velis,nè ex „ ea viſione in animum tuum libidinum ſanies „ poſteà redundet.] Et in libro de vera virginitate ad hunc prorſùs modum præcipit. [Non „ ſit virginis mollis obtutus,nè intuentibus vo„ luptatis contrà ſe emittat indicia,neque emiſ„ ſum forinſecùs oculi jactum ſe patiatur attin„ gere,nè hoc veluti ignito jaculo in corde per„ cuſſa ad voluptatis inflammetur imagines.] Et paulò pòſt; [Eſt ſanè iniquum,& indignum „ virginem, quæ manu contrectare non audet, „ ea jactu oculorum indifferenter attingere.

Dux

Digitized by Google

„ Dux enim,& prævius,ac pronubus oculorum „ jactus eſt ejus,cujus manus miniſtræ ſunt ta- „ ctus.] Et pòſt , accommodato exemplo rem hanc pulchrè illuſtrat : [Ut enim lapis in a- „ quam injectus , non ſolùm adjacentem aquæ „ partem , ſed totam aquam agitat , & or- „ bes ubiq; excitat : ita laſcivus obtutus in ani- „ mam injectus , alias poſt alias cogitationes „ amatorias excitat, totamq; fluctibus agitat.] Adnotavit S. Aug. in com. in pſalmum 50.& in libro 50. homiliarum h. 21. De longè Da- videm vidiſſe mulierem , in qua captus eſt ; „ [Quoniam mulier , inquit,longè;libido pro- pè.] Et S. Io. Chryſoſt. in 6. libro de ſacerdo- tio , animum noſtrum admonet non impudicæ tantùm, ſed & pudicæ mulieris oculo feriri, & commoveri. Et in ſer. de continentia Joſeph; to.1. acceptis verbis illis Job c. 31. Pepigi fœ- dus cum oculis meis , ut nè cogitarem quidem de virgine. [Job, inquit, legem oculis ſuis po- „ ſuit , nè in virginis viderent faciem , nè fortè „ mentem illius irradians raperet pulchritudo.] Sed magnoperè , & quidem meritò admiratur, & obſtupeſcit , quòd tantus vir cum diabolo quidem viriliter certârit,virginis autem faciem fugeret , & à formoſæ puellæ (ut illius verbis utar) aſpectu oculos ſubduxerit. [Diabolum „ quidem videns accedentem non fugit , ſed „ manſit,ſicut leo viribus fidens:virgine autem „ viſa non ſtetit , neque moratus in contuenda „ pulchritudine , ſed ſtatim ſeceſſit. Cenſebat „ nimirùm in prælio contrà dæmones virili, & „ audaci animo opus eſſe ; in continentiæ au- „ tem præparatione victoriam concedi non ex „ virginum conſuetudine,ſed ſeceſſu.] Ideò S. Ambroſius in or.funebri,de obitu fratris ſui Sa- tyri,laudat Satyrum, quòd cùm in fœminas in- cidiſſet , non levabat oculos , ſed in terram fi- xos habebat. Et Abbatem Paulum refert Jo. Caſſianus collat. 7. Abbatis Sereni c. 26. non modo fœminarum vultum , ſed nec veſtimen- ta paſſum fuiſſe ſibi offerri. Quarè cùm ad quemdam ſeniorum pergeret , caſu obvia muliere ſtatim ad ſuum monaſterium fugiens recurrit. Sed mox in morbum incidens, oleum ex corpore ſuo reddebat , quo ſanabantur in- firmi. Ita Caſſianus refert. Et optimè mo- nuit Ruſticum S. Hier. ad ipſum ſcribens de vivendi forma c. 8. [Fœminæ nomen tuum „ noverint , & vultum tuum neſciant.] Et S. Bernardus in modo benè vivendi c. 57. [Cùm „ videris mulierem,muni cor tuum ſcuto fidei, „ & contrà eam trophæo crucis arma frontem „ tuam.] Florida namque facies,ut loquitur S. Nilus in libello de octo vitioſis cogitationibus c. de fornicatione , telum venenatum eſt , ani- mum ſauciat , ac in ipſo venenum infigit : Et quo diutiùs immoratur , eò majorem ſaniem efficit. Gen. 6. Videntes filij Dei filias homi- num , quod eſſent pulchræ,&c. quæ præcipua fuit diluvij cauſa. Et c.12. Videntes Ægyptij uxorem Abrahæ , quod eſſet pulchra nimis ; ſuſtulerunt eam in domum Pharaönis ; & fla- gellavit Dominus Pharaönem , & domum ejus plagis maximis; & c.34. Cùm vidiſſet Si- chem Dinam , rapuit illam : undè tam multi occiſi. Jud. 14. Sampſon videns Dalilam fuit ſibi mortis cauſa. 2. Reg. 11.vidit David mu- lierem ſe lavantem , & adulterium commiſit, & homicidium. Judith 10. Holophernes vi- dens Judith captus eſt in oculis ſuis , & inter- fectus eſt. Dan. 13. ſeniores videntes Suſan- nam exarſerunt in concupiſcentiam ejus , & lapidati ſunt. Et alia plurima his ſimilia. Porrò ſi vidêre interdum hujuſmodi fœminas ne- ceſſe ſit ; idem Nilus in c. de ſuperbia , præcla- rum adhibet huic malo remedium ſpirituali- bus viris familiare. [Cùm enim elegantem „ formam conſpexerint hinc divinæ gloriæ ce- „ lebrandæ occaſionem arripiunt : illud ſecum „ reputantes, quonam modo ex tam vili,& ab- „ jecta materia tantam pulchritudinem effin- „ xit , atq; etiam illachrymant, partim lætitiâ, „ partim quòd tantus ſplendor turpi volupta- „ te contaminetur.]

CAPUT II.

Multò magis tactus.

AB aſpectu tranſeamus ad tactum. Veriſſi- mè dixit Apoſtolus in priore ad Cor. ep. cap.7.Bonum eſt homini mulierem non tange- re. Nam etſi is de licito conjugali contactu loqueretur , quem non prohibêre , ſed ad me- liora nos voluit cohortari : Universè tamen & abſolutè loquendo ; Bonum eſt homini mu- lierem non tangere. Quod ideò dictum pu- tant S. Auguſt. in ſer. 249. de tempore ; & S. Chryſ. ep. 6. ad Theodorum , quia ſtatim in tactu periculum eſt. Et idem Aug. lib. 1. ſoli- loq. c. 10. propterea ſcribit conſtituiſſe ſe non ducere uxorem , quòd ſentiret ipſe,nihil eſſe, quod magis ex arce deijciat animum virilem, quàm blandimenta fœminea , corporumque il- le contactus , ſine quo uxor habêri non poteſt. Et S. Baſilius in admonitione ad filium ſpiri- tualem ; [Mulieris , inquit , carnem non velis „ tangere , nè per tactum ejus inflammetur cor „ tuum , & ſpiritu tuo labaris in perditionem.] Et libro de vera virginitate ; [Si ignem tan- „ gas, illæſa manus non erit : ſed aut bullæ tur- „ geſcunt , aut acria viſuntur ulcera;ita impoſ- „ ſibile eſt eum,quem ignis amor attigerit,hu- „ juſmodi tactum innocuum,inviolatumq;præ- „ ferre : ſed aut bullæ per tactum manus cordi „ ſubrepunt, atque intumeſcunt , diræq; amo- „ ris perturbationes æſtuant ; aut animus totus „ in intimis jam graviter exulceratus indicatur. „ Et quoniam in membris omnibus ignis hic

Digitized by Google

„ ardet, membrorum omnium contactus vitan-„ dus eſt.] Atque S. Ambr. in libro de ijs, qui myſterijs initiantur c. 1. obſervans illud, quod legitur Mar. 7. Chriſtum ſanâſſe mutum tangendo illius os; tetigiſſe os, ait, quia curabat virum, alioqui ſi fuiſſet mulier, non fuiſſe tacturum. [Chriſtus, inquit, ſanans mutum te-„ tigit os ejus, quia virum curabat: fœminam „ non tetigiſſet, quia non decebat.] Et libro 1. de Sacramentis c. 1. de illa diſſerens baptiſmi cæremonia, quâ aures, & nares baptizati tanguntur, eandem ſententiam repetit. [Myſte-„ ria, inquit, celebrata ſunt apertionis, quan-„ do aures tibi tetigit ſacerdos, & nares. Chri-„ ſtus curans mutum, & ſurdum, tetigit os, & „ aures. Sed ille vir erat, nos verò etiam mu-„ lieres baptizamus. Ideò non os tangit Epi-„ ſcopus, ſed nares.] Joſeph caſtiſſimus, ut ſacra narrat hiſtoria Gen. 39. veſtimenta quoque abjecit, quæ impudica tetigerat mulier. „ [Contagium judicavit (inquit idem Ambr. „ in libro de Joſeph c. 5.) ſi diutiùs moraretur, „ nè per manus adulteræ libidinis incentiva „ tranſirent.] Si tam periculoſus, & noxius eſt veſtium contactus, quid contactus carnis? Audi S. Hieronymum in 1. libro adverſus Jovinianum cap. 4. ubi copiosè Pauli verba illa tractat; [Alligabit, inquit, quis in ſinu ignem, & „ non comburetur? aut ambulabit ſuper carbo-„ nes ignis, & non ardebit? quo modo, qui ig-„ nem tetigerit, ſtatim aduritur; ita viri tactus, „ & fœminæ, ſentit naturam ſuam, & diverſi-„ tatem ſexus intelligit. Undè & Joſeph, quia „ tangere volebat eum Ægyptia, fugit ex ma-„ nibus ejus, & quaſi ad morſum rabidiſſimæ „ canis, nè paulatim virus ſerperet, pallium, „ quod tetigerat, abjecit.] Et S. Anſel. ad caput 7. prioris ad Cor. epiſtolæ. [Bonum eſt homi-„ ni mulierem non tangere, inquit Apoſtolus. „ Undè patet, quia malum eſt tangere. Ideò ve-„ rò conceditur, nè mali quid deterius fiat. „ Conceditur autem conjugatis.] De Urſino presbytero ita ſcribit S. Greg. Papa lib. 4. dial. cap. 11. [Urſinus presbyter presbyteram ſuam „ (hoc eſt uxorem, uxorati enim eligeban-„ tur in Sacerdotes, ſed uxorem deinceps non „ tangebant) ut ſororem diligens, ſed quaſi ho-„ ſtem cavens, ad ſe propiùs accedere num-„ quàm ſinebat. Hæc cùm ad illum moribun-„ dum accederet, naribus ejus appoſita aure num „ adhuc ſpiraret explorans; ille dixit; Recede „ à me mulier, adhuc igniculus vivit; paleam „ tolle.] Extat in Conc. Toletano 10. exemplum Ponamij Epiſcopi, qui multis cum lachrymis, & ſingultibus ſolo fœminę tactu pollutum ſe confeſſus eſt. Verè dixit quiſpiam aquam eſſe bonam, & terram bonam; ſed aquam cum terra miſtam facere lutum. Et manus item fœminæ bona eſt, & manus viri bona; ſed ſimul junctæ lutum, & animæ ſordes generant.

Humbertus ep. de tribus votis c. 30.

CAPUT III.

Collocutio quoque fugienda.

IN auditu quoquè, & collocutione mutua periculi plurimum eſt, dùm cum mulieribus convenimus ſæpiùs, & ſedemus, & confabulamur. Hanc eſſe primam clericorum tentationem, ſcripſit in regula monachorum S. Hieronymus. [Prima; inquit, tentamenta „ clericorum ſunt mulierum acceſſus.] Quare S. Baſilius in ſer. de Aſceſi, à mulieribus, & vino abſtinendum eſſe dixit. [Potiſſimùm au-„ tem, inquit, à congreſſione mulierum, itemq; „ à vini uſu debet ſe monachus abſtinêre; quia „ vinum, & mulieres apoſtatare faciunt ſapien-„ tes.] S. Ambr. ſer. 15. in pſ. 118. [Diabolus ut „ Adam tentaret, plus fœminæ confidit illece-„ bris, quàm ſuis venenis. Sampſon captus eſt „ per uxorem; nunquid tu fortior? Salomon „ captus eſt in uxore; nunquid tu ſapientior?] „ [Nihil eſt periculoſius viro (ait S. Hier. in „ regula monacharum c. 18.) quàm mulier; & „ mulieri, quam vir. Uterque palea, uterque „ ignis.] Propterea monet S. Ambr. libro primo de pœnitentia c. 13. [Non ipſi nobis injiciamus „ nodos, non miſceamus ſermonem cum hu-„ juſmodi, undè exæſtuet ignis. Sermo juven-„ culæ nodus adoleſcentium eſt. Verba adoleſ-„ centis vincula ſunt amoris. Vidit hunc ignem „ Ioſeph, quando eum adulterij cupida mulier „ allocuta eſt: voluit eum capere ſermone, mi-„ ſit laqueum labiorum ſuorum: ſed pudicum „ virum ligare non potuit. Miſit manum, & ap-„ prehendit veſtem ejus, ut nodum ſtringeret. „ Verba mulieris cupiditatum retia ſunt, manus „ ejus amoris nodus eſt: ſed excuſſa veſte ſo-„ lutus eſt nodus.] Et graviſſima omninò ſunt verba illius in c. 14. [Paſcitur, inquit, libido con-„ vivijs, nutritur delitijs, vino accenditur, ebrie-„ tate flammatur. Graviora his ſunt fomenta „ verborum, quæ vino quodam Sodomitanæ „ vitis mentem inebriant.] S. Bernard. mulierum verba dixit eſſe velut ſyrenarum cantus, quæ dementant, & abripiunt virilem animum. Sic enim loquitur in libro de modo benè vivendi ad Sororem c. 57. [Quid ſunt verba mulie-„ ris, niſi cantus ſyrenarum? Sic declina, quaſi „ ſibilos ſerpentis.] Et c. 58. [Moneo te, ut „ vir, quamvis ſit ſanctus, nullam tecum ha-„ beat ſocietatem; licèt ſit ſanctus, & juſtus „ nullam tecum habeat familiaritatem, quamvis „ ſit religioſus, nullam tecum habeat aſſiduita-„ tem, quamvis ſit bonus, nullam tecum habeat „ vivendi jugitatem. Nè viſitando utriuſq; pe-„ reat caſtitas, nè vivendi frequentatione utri-„ uſque annihiletur honeſtas, nè vivendi jugi-„ tate utriuſq; religioſitas infatuetur, nè viven-„ di uſu utriuſque perſona dehoneſtetur.] At quod

Digitized by Google

quod monetur mulier de cavenda virorum
conſuetudine, monendus eſt & vir de mulie-
rum familiaritate fugienda. Quàm enim hæc
ſit periculi plena ob ſubdolam mulieris natu-
ram, & agendi modum, declarat S. Nilus loco
antè ſignificato. [Mulierum, inquit, cœtum
,, fuge, nec libertatem illis concede. Ut pri-
,, mùm eas conveneris, depreſſa humi facie le-
,, niter, ac ſedatè loquuntur, atq; hujuſmodi
,, lachrymas edunt, quæ commiſerationem re-
,, doleant, modeſtèq; ſeſe componunt, ac fre-
,, quenter ingemiſcunt. De caſtitate percon-
,, tantur, & ſtudioſè, ac diligenter audiunt. Si
,, eas proſpexeris, pauliſper caput attollunt: poſt
,, etiam defixioribus oculis te intuentur, & ſub-
,, rident. Immò etiam profuſum, ac diſſolutum
,, riſum edunt: ac demùm omnes mortis ha-
,, mos, & præſtigiarum illectamenta, atq; om-
,, nis generis caſſes, quibus anima obſidetur,
,, expediunt.] Et rurſùm multò poſt. [In ple-
,, riſq; monachis, cùm mulieres alloquuntur,
,, hoc agit dæmon, ut lachrymas emittant, &
,, ingemiſcant, ac de mortis memoria, & caſti-
,, tatis cultu cohortationes habeant: quò his re-
,, bus miſeræ illæ ineſcatæ ad lupum tanquàm
,, ad paſtorem accurrant, ortaq; familiaritate, ac
,, fiducia, in foveam incidant.] Itaque ad rem
omninò S. Baſilius in libro de vera virginitate;
,, [Diligere, inquit, oportet eos, qui ad ſponſum
,, invitant, ſed charitate ordinata: nè fortè ſponſi
,, famulos, dum eos audis de ſponſo loquentes,
,, perindè ac ſponſum diligas. Jam enim quæ-
,, dam minùs cautæ ipſos amplius perverſa cha-
,, ritate impiè, dum non advertunt, dilexe-
,, runt, ac ſponſi penitùs oblitæ, famulorum
,, ejus ſponſæ totæ factæ ſunt: immò nec ſervo-
,, rum ejus ſponſæ, ſed alienorum fœdiſſimæ
,, uxores evaſerunt.]

Alterum ejuſdem rei adfert idem autor ex-
emplum ejus, qui muſicum quidpiam audit,
& mox ad inſtrumentum; ſeu perſonam
muſicam afficitur. [Plerique, inquit, minùs
,, cauti, dum libenter muſicum audiunt, ſenſim
,, eò deducuntur, ut non jam muſicum, ſed vi-
,, ſibile inſtrumentum diligant. Per quod pe-
,, tita muſici modulatione fruuntur, ideò ſum-
,, mâ diligentiâ obſervandus eſt auditus, & vi-
,, ſus, nè clàm fortè, & illi ſubrepat, ut pro lo-
,, quente anima inſtrumentum, per quod illa
,, ſibi loquitur, diligat.] Ita enim interdùm eve-
niſſe teſtatur. Hanc ob cauſam S. Cyprianus
in libro de ſingularitate clericorum, ſeveri-
tatem monet cùm fœminis ſemper eſſe ſer-
vandam. [Severitas, ait, non deſit, quæ cum
,, clerico fœminam poſſit aſtringere, ut ipſa
,, conſolationem noſtram ſuſcipiat, cum tre-
,, more, & ita ſentiat viſitationis affectum, ut
,, clericum veneretur.] Hoc eſt, quod dolet S.
Io. Chryſ. lib. 3. de Sacerdotio. [Memini, in-
,, quit, ex quodam me audire, quod & tantam
,, ipſis impertiſſet libertatem, ut & Eccleſia-
,, rum præſides objurgarent, illoſq; acerbiùs
,, inceſſerent, quàm ſervi à dominis ſuis inceſ-
,, ſantur.] Quis inſolentiam, & impudentiam
tantam toleraret? Et quis credat in tanta liber-
tate, atque audacia tanta tutam caſtitatem eſſe
potuiſſe? [Niſi Dominus, ait Nilus, fœminæ
,, impetum pudoris fræno compreſſiſſet, verùm
,, ipſa ad maſculum proficiſceretur; profectò
,, non ſalva fuiſſet omnis caro.] At ſublato pu-
dore, quid niſi pernicies extrema, & caſtitatis
naufragium expectare poſſis? juvenem olim
quemdam legimus audiente Pythagora dix-
iſſe, libentiùs ſe inter mulieres, quàm inter
philoſophos converſari. Cui ſtatim ille reſ-
pondit; & ſues libentiùs in luto, quàm in aqua
pura commorantur. Et nos Zach. 12. au-
divimus, & viros, & mulieres ſcorſum, & ſe-
paratim habitaſſe. Sic enim habes: Familiæ,
& familiæ ſeorſum; familiæ David ſeorſum,
& mulieres eorum ſeorſum: familiæ domus
Nathan ſeorſùm, & mulieres eorum ſeorſum:
familiæ domus Levi ſeorſum, & mulieres eo-
rum ſeorſum &c. Et Luc. 2. Joſeph & Maria
amiſerunt puerum Ieſum; quoniam cum viri,
& mulieres non permiſtim, ſed ſeorſim irent
ad templum, eorum uterq; illum credidit eſſe in
altero comitatu. Quam ſeparationem ho-
neſtatis cauſâ introductam fuiſſe; nè aliquid
fortè coinquinationis ſubreperet, præſcriben-
te lege, ut mundi tantùm ſacris ſolemnijs in-
tereſſent, autor eſt S. Bernardus h. in ea ver-
ba; Cùm factus eſſet Jeſus annorum duodec-
cim &c. Eundemq; apud nos morem in pleriſq;
eccleſijs benè moratis introductum fuiſſe vi-
demus, in quibus ſeparatus eſt virorum, atque
mulierum locus. Nam & de veteribus ſui tem-
poris Chriſtianis ſcribit Philo Judæus in libro
de vita contemplativa; [Mulieres quoque ſi-
,, mul auſcultant, quæ inſtitutum idem ſectan-
,, tur. Medius autem paries à ſolo ſurgit tri-
,, bus, quatuorvè cubitis, ſeparatis virorum, ac
,, mulierum cœtibus.] Et ex noſtris S. Auguſt.
libro 2. de civitate Dei c. 28. [Confluunt ad
,, eccleſias caſtâ celebritate, honeſta utriuſque
,, ſexus diſcretione: ubi audiant, quàm benè hic
,, ad tempus vivere debeant, ut poſt hanc vi-
,, tam beatè, ſemperq; vivere mereantur.] Et
lib. 22. c. 8. [Innocentia cancro in mamilla la-
,, borans, in eccleſiam ingrediens in parte fœ-
,, minarum, ſigno crucis ſanata eſt.] Quod obi-
ter dictum ſit. Nam Eccleſiaſticus c. 42. præ-
cepit nobis; In medio mulierum noli commo-
rari: de veſtimentis enim procedit tinea, &
de muliere iniquitas viri. Et appoſitè notat
S. Jo. Chryſ. in ſer. contrà concubinarios to.
5. id quod Act. 6. fecerunt Apoſtoli; non
enim voluerunt ipſi circà mulieres viduas
occupari. [Viduarum, inquit, diſpenſare opes
,, noluerunt generoſi olim illi viri, exiſtiman-
tes

Separatio virorum, ac mulierum in eccleſia.

Digitized by Google

„ tes hoc inferiùs eſſe ſuâ philoſophiâ, ſed alijs „ demandârunt, ut ipſi orationi,& verbi mini- „ ſterio inſtantes eſſent.] [Tu verò (ſcribit S. „ Hier. ad Pammachium, adverſùs errores Io- „ annis Hieroſolymitani c. 15.) propter unius „ mulierculæ delitias, quæ te abſente doleat „ caput, faſtidium ſuſtineat, ſtomacho perfri- „ geſcat,eccleſiæ cauſam negligis?] Et Sanctus Proſper libro 2. de vita contemplativa cap. 5. „ [Impudenter ſe aſſuunt virginibus ſacris, & „ viduis; quibus tanto inglutinantur affectu,ut „ faciliùs ab eccleſiæ,quàm ab earum commu- „ nione diſcedant.] [Qui juſſi eſtis,addit S. Jo. „ Chryſ. portare crucem, & ſequi Chriſtum, „ abjeciſtis crucem, & quaſi effœminati mili- „ tes ſcuto ſublato, ad fuſum, & calathum con- „ ſidetis.] [Non propter hoc, ratiocinatur ille, „ nos armavit armis ſpiritualibus, ut puella- „ rum tribolarium miniſteria ſuſcipiamus, ut „ circà lanas, & ſtamina, & alia miniſteria „ verſemur, ut aſſideamus mulierculis nenti- „ bus, & texentibus: ſed ut configamus inviſi- „ biles virtutes, & diabolum percutiamus &c. „ Si militem, poſtquàm induerit galeam, o- „ creas, thoracem, & acceperit ſcutum, gla- „ dium,lanceam,tuba jam omnes evocante,ho- „ ſtibuſq; magno impetu ſævientibus, videres, „ non in agrum prodire, ſed in domum ingre- „ di, & mulieri aſſidêre cum armis illis;an non „ gladio medium transfoderes?] [Quid tibi „ cum fœminis (ſcribit ad Oceanum S.Hiero- „ nymus de vita Clericorum) qui ad altare cum „ Domino fabularis?] Evam Adamo,& fœmi- nam viro datam fuiſſe adjutorium ad ſobolem, admonet S. Auguſt. lib. 9.de Gen. ad litteram c. 5. non ad convivendum, & colloquendum; congruentiùs enim duo amici pariter, quàm vir, & mulier habitarent. Sed & in libro de honeſtate mulierum c. 1. [Sine ulla dubitatio- „ ne, inquit, qui familiaritatem mulierum non „ vult fugere, citò dabitur in ruinam.] Abſque nuptijs, & congreſſu habêre voluptatis non nihil mulieris convictum, affirmavit S. Joan. Chryſ. At non facilè is credidit omni mala voluptate, & concupiſcentia carêre poſſe. „ [Vellem, inquit,poſſe hoc nobis perſuadêri, „ quòd adoleſcens fervens corpore, puellæque „ virgini cohabitans, & ad latera ejus aſſidens, „ & per diem totum confabulans, ut non ap- „ ponam intempeſtivos riſus,& effuſos cachin- „ nos, & mollia verba, & alia dicta inhoneſta, „ nulla humanarum affectionum capiatur: ſed „ purus à mala voluptate, & concupiſcentia „ permaneat.] Et multò pòſt: [Niſi hæc eſſet, „ nullus vir vellet ejus imperfectiones ferre. „ Propterea & ab initio Deus mulierem hoc „ robore armavit:probè ſciens, quòd valdè de- „ ſpicabilis ei eſſet, niſi hoc ipſi initio confer- „ ret; & quòd nullus ei eſſet cohabitaturus,qui „ à cupiditatibus eſſet immunis.]

Utuntur autem non pauci exemplo ignis, qui abſq; vehementi læſione, & gravi damno contingi à nobis non poteſt; mulieremque ve- raciſſimum ignem eſſe autumant Sanctorum Baſilij,&Hieronymi verba,quæ in ſuperioribus c. 2. & 3.audiſti. S. Greg. Nazianz. in diſti- chis ſententijs. [Quàm difficile eſt, inquit, „ ei, qui carnes propinquas habet, libidinis tu- „ multus effugere? Ignis ſtipulæ propinquus, „ parùm tuta res eſt.Si procùl à fœmina abfue- „ ris manet ſcintilla: ſi autem vitæ commer- „ cium cum ea habeas, ex parvo vento incen- „ dium magnum excitabis.] Et S. Greg. Nyſ- ſenus in libro de vita Moyſeos. [Qui legiones „ armatas fugârunt, mulieris forma percuſſi „ ceciderunt: qui viros vicerunt, mulieribus „ pervincuntur: Procùl à tam terribili beſtia „ nobis eſt habitandum, nè morbus more ignis „ propter vicinitatem flammam ad nos uſquè „ tranſmittat.] Et S. Bern. in libello de modo vivendi c. 58. [Circà ignem ſedens etſi ferreus „ ſis, aliquando diſſolveris. Circà periculum „ conſtitutus, non eris diù illæſus,vel ſecurus. „ At non ferrei ſumus, ſed carnei.] Et iterùm addit. [Quis colligabit ignem in ſinu ſuo, „ & non comburetur? ignis,& ſtuppa in unum „ poſita flammas generant.] Et S. Anſelmus in carmine de contemptu mundi.

Sed carnem fœnum clamat Sacer eſſe Propheta;
Fac procùl à fœno flamma ſit iſta tuo.

Et S. Nilus; [Ad ignem ſi propiùs acceſſeris, „ ſtatim pedem referes: at ſi mulieris verbis te „ emmoliri ſinas, non ſtatim recedes.]

Addit, & mulieris conſuetudinem eſſe in- ſtar olei, quo libidinis flamma nutritur. [Ut „ oleum, inquit, flammam alit; ſic voluptatis „ inſaniam mulieris conſuetudo. Mulierum „ cœtum fuge, nec libertatem ipſis concede.] Atque ſapienter dictum eſt illud à ſeniore quodam apud Sophronium c. 217. [Sal ex „ aqua eſt, & ſi appropinquaverit aquæ „ continuò ſolvitur, & deficit. Et monachus „ ex muliere eſt,ſi appropinquat mulieri,ſolvi- „ tur & ipſe, & jam monachus non erit.] S. Cyprianus in libro de ſingularitate clericorum, venenum eſſe dixit, & diaboli viſcus.[Diffici- „ le, ait, quis venenum bibet, & vivet.]Et ite- „ rùm; [Omnis inconveniens ſodalitas fœmi- „ narum gluten eſt delictorum, & viſcus toxi- „ catum, quo diabolus aucupatur.] Nilus ac- cepto exemplo ex herbis, quæ propè fluenta a- quarum fœliciùs adoleſcunt. [Viret, inquit, „ herba, quæ aquis propinqua eſt, & libidinis „ affectus in muliebri colloquio.Par eſt libidi- „ nis & ſerpentis indulgentia, nam ut occaſio- „ nem invenerint, mortem ſtatim afferunt.]

In fœmina (Cypriani quoque ſententia) nihil eſt, niſi quod feriat proximantem. [Acu- „ leus peccati facta eſt forma fœminea; & „ mortis conditio non aliundè ſurrexit; niſi de mulie-

Digitized by Google

„ muliebri ſubſtantia. Tunc omninò mulier „ nobis non noceat, cùm & ipſa mors fuerit e„ vacuata. Quanti, & quales Epiſcopi, & Clerici ſimùl, & Laici, poſt confeſſionum, victori„ arumq; calcata certamina, poſt magnalia, & „ ſigna uſquequaquè monſtrata, noſcuntur „ cum his omnibus naufragâſſe; cùm volunt „ cum navi fragili navigare? Quantos leones „ domuit una infirmitas delicata, quæ cùm ſit „ vilis, & miſera, de magnis efficit prædam?]

Irridet Encratitas S. Epiphanius hæreſi 47. „ [Jactant continentiam; cùm tamen inter mu„ lieres reperiantur, & cum illis iter faciant, & „ inter illas vivant, atque illarum miniſteria „ admittant.] [Virilis namque ſexus (ut ad „ Chromatium S. Ambroſius ſcribit) nullo ma„ gis lubricus, quàm muliebri decore. Ideò Ba„ laàm conſuluit Balac, ut inter Iudæos immit„ teret pulchras mulieres; ut illi peccantes à „ Deo deſtituerentur.] [Si ſingulares penè „ omnes (argumentatur S. Cyprianus) vix du„ rant carnales inſidias ſuſtinêre; quid faciunt „ illi, qui ex utroque latere gladijs impendenti„ bus non cunctantur incumbere? Si mariti, & „ uxores deſideria conjugalia quotidiè geren„ tes, ſibi non ſufficiunt; quid agunt illi, qui ad „ augendas impugnationes fœminis ſociantur? „ Ex improviſo, vel tranſeunter ad horam fœ„ mineus aſpectus occurrens, velut ſagittas „ alienis oculis jactat, quando libera non eſt „ ſimplex reverentia: quid illic geritur, ubi li„ bertatis ſumit mulier in contubernalitate con„ ſtantiam? Quando in domeſticis negotijs „ nunc lacertos, ac femora lanificis operibus „ nudat, nunc æſtuans detegit membra, nunc „ fatigata jactatur, aut in riſum aliquando diſ„ ſolvitur, nunc blanditias exhibet, & quod eſt „ venenoſiùs ſuper cuncta, pſallere delectatur, „ aut canere?]

Meritò miratur S. Bern. in modo benè vivendi c. 58. Cur mulier, quæ in ſæculo maritum habêre noluit, in monaſterio poſita facies hominum vidêre concupiſcat. Miremur, & nos magis, cur hominem, qui in ſæculo uxorem habêre noluit, mulierum facies in religione poſitus contemplari delectet. S. Greg. Nazianz. in diſtichis ſententijs. [Splendor, inquit, præ„ clarus eſt monachus; verùm animum à mun„ do abducat, atque à mulieribus quam lon„ giſſimè abſit.] Extat canon 25. Carthaginenſis concilij 3. Nè clerici vel continentes ad viduas, aut virgines accedant, niſi juſſu vel permiſſu Epiſcopi. Neq; ſoli, ſed cum quibus Epiſcopus juſſerit. Quin etiam nec Epiſcopus ipſe accedat, niſi aut clerici, aut graves aliqui Chriſtiani præſentes ſint. Et S. Baſilius in regulis brev. 220. cùm quæſiſſet, an cuivis permittendum ſit, ut cum mulieribus loquatur: reſpondendum putavit, Nè virum quidem cum altero viro paſſim temerè congredi debêre: Sed eum, qui juvare poſſit, & juvari; nedum cum muliere. Secundò reſpondet, temporis, loci, & perſonæ ratio habeatur, ut omnis mali tollatur ſuſpicio, & ad ædificationem congreſſio fiat, & ſine offenſione ullius. Tertiò addit, neque rationem permittere colloquium habêri tantùm inter duos, arbitris remotis. Quod in colloquio fœminarum multò magis ſervandum erit. Sed de his in conſtit. monaſt. cap. 4. omninò ſtatuit, ultrò eas nullo modo conveniendas eſſe. [Bellum, „ inquit, quod præter voluntatem noſtram in„ cidat nobis, excipere fortaſſe neceſſarium „ ſit. Ipſum verò ſibi voluntarium creare, id „ verò ſummæ ſtultitiæ eſt. Ignoſci enim ei „ fortaſſe poſſit, qui in priore illo victus ſit: at „ qui in poſteriore, is non meretur, ut ſibi „ ignoſcatur.]

Quocircà fugiendæ in primis cum mulieribus congreſſiones ſunt, collocutioneſq; neque ad eas unquam accedendum, niſi graviſſima nos aliqua ad eas neceſſitas impellat, & aliter facere non poſſimus. Atque ubi etiam nos neceſſitas adegerit, ab iis non ſecùs atque ab igne cavendum eſt; adeò ut quàm ociſſimè nulla mora ab iſtis nos extricemus. Denique huc ſpectat illud Sancti Gregorij Papæ decretum libro primo regiſt. c. 48. [Mulieres circà „ monachorum monaſteria nè habitent.] Et illud lib. 3. c. 40. [Mulieres nè monachorum „ monaſteria ingrediantur, vel monachorum „ commatres fiant.] Et illud S. Bern. in ep. 79. ad Abbatem Lucam: [Non teneantur Mona„ chi converſi in molendino, ad quod accedunt „ fœminæ, ſed aut locetur, aut relinquatur, aut „ fœminæ prohibeantur.] Hæc enim omnia eò referuntur, ut collocutio, & converſatio omnis cum mulieribus religioſo homini interdicatur. Omnium autem clauſula ſit ex verbis Bernardi, ſive Clarevalenſis, ſive Sylveſtrenſis in ep. de cura rei familiaris: [Cor „ nobile, & altum non inquirit de operibus „ mulierum.]

CAPUT IV.

Excuſationes qua ratione tollantur.

ETENIM duo ſolent iſti reſpondêre, qui liberiorem hanc mulierum converſationem ſibi permitti debêre contendunt. Primùm enim non niſi ex charitate, & ob piam aliquam cauſam ſe ad illas adduci ajunt. Sed optimè urget S. Chryſ. loco jam ſæpiùs ſignificato, in quo loco hoc argumentum copioſè tractat. *Prima excuſatio.* Et quod ad rem noſtram facit, duo reſpondet. Primum eſt; Defenſore caret mulier, neque virum habet, neque tutorem, neque fratrem; indiget aliquo, qui ei manum præbeat, & ſolitariæ mœrorem conſoletur, & ubique

Digitized by Google

ubique ſe pro eà opponat adverſarijs, & ipſam in ſecuritate, & portu conſtituat. [Quam tu „ mihi, reſpondet ille, ſecuritatem quæſo, „ quem portum narras? Portum enim propu- „ gnaculum video, non arcens fluctus, ſed exci- „ tans: & portum non comprimentem tempe- „ ſtates, ſed & proprias habentem, & graviores „ procellas. An non miſeri eſtis, qui ſæculari „ ſtudio dediti, & negotijs vos immiſcentes, ac „ in mundanis inſtruentes curis, redacti ſitis in „ diſpenſatorum, & procuratorum, & advoca- „ torum ordinem? Non poteritis multa de pau- „ pertate diſſerere, vel perſuadêre, ut faculta- „ tes contemnantur, propter illas inſtitores fa- „ cti, nè quid ex facultatibus decedat, & opibus „ opes accreſcant. Non poteſtis Deo ſervire, „ & mammonæ.]

Reſponſio. *Matt. 6.*

Altera reſponſio eſt. [Si ex miſericordia, & „ humanitate eſſent, hæc circà viros quoque „ declarare oportebat. Aut ſi vobis maximè „ curæ eſt mulierum genus, utpotè infirmius; „ ſunt & mulieres quædam, quæ ſenio confe- „ ctæ, vel reſectis manibus, vel captæ oculis, „ varijs alijs morbis invalidæ, & difficiliore „ morbis paupertate: has adjuva: Quòd ſi has „ neque per ſomnium vidêre vis, ſed formoſas, „ & adoleſcentes obambulando venaris; illi- „ beralis hujus venationis cauſam aliam habes „ non ferendam. Dicis quidem, quòd propter „ Deum facias omnia: facis autem opera, quæ „ ſunt inimicorum Dei. Nam & nomen Dei „ blaſphematur, & accuſatur.]

Tertiò reſpondet: Multa alia eſſe opera bona, quæ propter Deum ſine offenſione cujuſquam fieri poſſunt quorum tamen nullum ipſe complecteris, qui ut mulierculis vaces, cætera abijcis univerſa.

Quartò reſpondet quoque S. Cyprianus; „ [Qui de charitate cauſantur, charitatem „ intelligant Dei præceptis non obſiſtere, nun- „ quam fluxis favêre, nec per ſe ſanctitatem „ optare culpari. Poſſunt parentes, poſſunt „ filij, poſſunt fratres, poſſunt & ipſi conjuges „ à Deo ſibi conceſſa vincula diſrumpere; & „ clerici Deo non concedente, inſuper prohi- „ bente, mulierum nexibus ancillatam non „ valent recuſare charitatem?]

Secunda excuſatio.

Alterum illi reſpondêre ſolent, nihil ſe damni ſpiritualis ex hac mulierum converſatione, ac collocutione reportare. Cæterum nè hanc quidem excuſationem admiſerunt Patres. Inter quos S. Ambroſius libro 4. in Lucam, paucis ad hunc modum monet. [Et „ tu quamvis de propoſito præſumas, cave „ tentationem, ſciens naturam.] Et pluribus S. Baſilius in conſtit. monaſt. c. 4. [Si quis, in- „ quit, dicat ex aſſiduo ſe cum mulieribus col- „ loquio, congreſſuq; non admodùm lædi: hic „ ſine dubio aut maris naturę particeps non eſt, „ & portentum quoddam eſt inſolentiſſimum, „ & præter omnium opinionem admirabile, „ aut certè cùm totus immerſus libidinibus ob- „ ruatur, ebrijs, aut phrænetide correptis ſi- „ milem ſe eſſe non ſentit. Qui graviſſimis af- „ fecti morbis, morbum à ſe tamen abeſſe om- „ nem exiſtimant. Verùm etſi ipſe non ſen- „ tiat; quomodò ad ita eſſe cæteris facilè per- „ ſuadebit? Nulla autem ſibi propoſita utilita- „ tis ſpe multitudinem ſcandalizare, non vacat „ periculo. Prætereà de muliere, quòd ea quo- „ que nihil damni ſentiat, illi non conſtat: im- „ mò ſæpè propter conſilij imbecillitatem, & „ majorem in eo ſexu ad libidinis proclivita- „ tem, accidit ſæpè, ut fœmina ejus, qui inconſi- „ deranter ſecum congeſſus ſit, libidine com- „ mota ſit. Et ille quidem nullum vulnus acce- „ pit, ſed inflixit.]

Reſponſio.

Alio modo reſpondit S. Nilus; [In congreſ- „ ſu, inquit, pernicioſarum perſonarum, quieſ- „ centibus tuis paſſionibus, nè propterea con- „ fidas. Id enim ſubdolè faciunt, ut adverſùm „ te nec opinantem inſurgant, teque ad hunc „ modum faciliùs in poteſtatem redigant.] Et S. Cyprianus; [His, inquit, diabolus blandiens „ ſecuritatem præparat ſanctimoniæ, ut con- „ junctos ſe magis æſtiment, quàm disjunctos, „ immobiles circà libidinem perdurare. Quos „ cum omni tranquillitate deducens, nullis pro- „ cellis, aut fluctibus inquietat, & velut in me- „ dio mari minùs cautos inducit laxare vela, „ nec quærere gubernacula: ut ſubita tempe- „ ſtate concitatos, naufragos ex inſperata „ commotione ſubmergat. Hanc primò exhi- „ bet lenitatem, ut duas naves oblectet ad in- „ vicem convenire, quas, cùm fecerit junctas, „ repentinis turbinibus in ſemetipſas elidere „ poſſit, & frangere. Et his utitur blandimen- „ tis, ut ſubactis omnibus jaculis, compeſcens „ adverſa, ſuggerens proſpera, tamdiu ſopitum „ ignem ſine ullis flammis occultet, donec duas „ faculas jungens, ſimul ambas accendat: & „ tamdiu ceſſat ſævitiæ ſuæ tela ſupponere, do- „ nec ſicut peritus venator, quos occiſurus eſt, „ laquei ſui vinculis alliget. At ubi indiſſolu- „ bili catena devinctos aſtrinxerit velut laniſta „ protinùs duos gladiatores adverſùs invicem „ compellit armari; & ſubindè ſtimulans mem- „ bra, ſtatim gladios aptat, ſtatim ſuccendit in- „ ſaniam, & vulnificos amplexus impingens, „ utrumq; ſimul uno ictu mortificat. Sic expli- „ cat quod antè præſtare videtur; ſic de ſimpli- „ ci charitate amorem conflat illicitum; ſic per „ ſanctitatem ſibi inducit interitum; dum con- „ tentus eſt cedere, ſic valet fortiùs occupare; „ & dum ſubmiſſus patitur ſemetipſum præ- „ bêre devictum, ſic pleniùs devincere gloria- „ tur.] Hæc non minùs verè, quàm eleganter Cyprianus, multiplici exemplo, navium, facularum, venatorum, gladiatorum explicat, & antè oculos ſpectandum proponit, quid in his mulie-

Digitized by Google

mulierum converſationibus non rarò eveniat. „[Nimiùm præceps eſt (ratiocinatur idem „ipſe circà initia illius libelli) qui tranſire „contendit, ubi alium conſpexerit cecidiſſe, „& vehementer infrænis eſt,cui non incutitur „timor alio pereunte. Adverſa eſt confiden„tia,quæ periculis vitam ſuam pro certo com„mendat:& lubrica ſpes eſt,quæ inter fomen„ta peccati ſalvari ſe ſperat. Incerta victoria „eſt, inter hoſtilia arma pugnare: & impoſſi„bilis liberatio eſt, flammis circumdari, nec „ardêre. Verendum eſt dormienti in ripa, nè „cadat: expedit plus benè timêre, quàm malè „fidere: & utiliùs infirmum ſe homo cognoſ„cat, ut fortis exiſtat, quàm fortis videri „velit,& infirmus emergat.] Et iterùm; [Sa„pientiæ arma geſtanda,ubi fœminei,& virilis „ſexus certamen indicitur.Eſtote timidi ut ſi„tis intrepidi.] Et licèt timor in certamine infirmitas eſſe videatur;tamen ſecundùm verbum Apoſtoli; Virtus in infirmitate perficitur. Minùs voluptatibus ſtimulatur, qui non eſt, ubi frequentia eſt voluptatum.

CAPUT V.

Mulieres quatenùs viſitandæ.

EX his omnibus conſequens eſt, ad mulierum domos viſitationis cauſâ minimè accedendum nobis eſſe. Audi S. Baſilium in admonitione ad filium ſpiritualem. [Non te ſi„mules ſimpliciter accedere ad virginum do„mos,nec velis cum eis uti longis,& otioſiſſi„mis fabulis, nè per plurimas ſermocinationes „utrorumque mens polluatur.] Et in reg. fuſiùs diſp. 33. de fœminis viſitandis ad hunc modum præcipit. Primò, non omnibus, quicunque velint,ſine delectu liberam fieri debêre hanc poteſtatem, neque quovis tempore, aut loco; ſed perſonæ, temporis, utilitatis, & loci, ſervato decore, habendum eſſe delectum. Secundò colloquia debêre eſſe de rebus placentibus Deo, tam ad neceſſarium corporum uſum, quàm ad animarum culturam pertinentibus. Tertiò non debêre eſſe pauciores,quàm duos. Unus enim facilè ſuſpicionem daret, & ad ea, quæ dicuntur, minus habet autoritatis. Neque plures, quàm tres, nè longiùs colloquium protrahatur. S. Clemens in ep. 2. ad Jacobum fratrem Domini ſeverè præcipit, nè ullus clericus ſolus,non,inquam,niſi cum duobus teſtibus ad mulierem ullam accedat. Quartò & viri, & fœminæ ætate provectiores ſint. Et in or. de temperantia, & incontinentia; „[Si fortuiti congreſſus iis,qui mulieres aliud „agentes intuentur, tantùm adferunt pericu„li,ut qui fœminam ſic aſpicit,ut eam concu„piſcat,jam adulterio ſe inquinaverit:quantùm „faceſſere putas congreſſiones illas, quæ ex „induſtria ſuſcipiuntur.] Certè Ioannes Caſſianus in libro de ſpiritu acediæ c. 2. inter cæteros acediæ effectus,hunc numerat;[Illam re„ligioſam, Deoque devotam fœminam, om„ni præſertim parentum præſidio deſtitutam „magnum eſſe opus pietatis frequentiùs invi„ſere,& ſi quid ſit neceſſarium,procurare.]Et in libro de ſpiritu Cænodoxiæ cap.17.[Perma„nens, inquit, fuit Patrum ſententia, omninò „monachum fugere debêre mulieres, & Epiſ„copos. Neuter enim ſinit eum, quem ſemel „ſuæ familiaritati devinxerit,vel quieti cellulæ „ulteriùs operam dare,aut divinæ theoriæ per „ſanctarum rerum intuitum puriſſimis oculis „inhærêre.]Sed in collat. 1. Abbatis Moyſis c. 20. in hoc aſſerit vigêre pluſimùm dæmonis tentationem. [Diabolus,inquit,ſæpè ſuperfluas „viſitationes, fœminarum præſertim,pio præ„textu ingerit,ut monachum à ſecreto quietis „excutiat, & pernicioſa ſolicitudine irretiat.] Et S. Ambr. lib. 1. off. c. 20. ſeverè cavet, nè viduarum, & virginum domos juvenes adeant, niſi cum ſenioribus, hoc eſt,Epiſcopo,vel preſbyteris. [Quid enim, inquit, neceſſe eſt, ut „demus obtrectandi locum ſæcularibus? Quid „ſi aliqua illarum labatur, cur alieni lapſus ſub „eas invidiam? Quàm multos etiam fortes il„lecebra decepit? Cur non illa tempora,quibus „ab eccleſia vacas,lectioni impendas? Cur non „Chriſtum reviſas, Chriſtum alloquaris oran„do,Chriſtum audiás divina legentem oracu„la? Miniſterium altaribus Chriſti,non obſe„quium hominibus deferendum recepimus.] Et S. Auguſt. ſer. 37. ad fratres in eremo:[Non „decet Clericum cum mulieribus ſedêre, vel „fabulari, vel domum earum frequentare, nè „ſuſpicio mala oriatur.]

Si quando tamen adeundæ mulieres ſint, nullus unquam eas ſolus adire debet. De hoc etiam dictum eſt, & nunc rurſùm audiant S. Cyprianum mulieres,quæ virum ſolitarium admittunt; [Nunquam ſecurus cum theſauro „latro tenetur incluſus,nec intrà unam caveam „habitans cum lupo tutus eſt agnus.Ipſe ſe vo„luit ſuperari, qui hoſtem proprium in ſuas „portas induxit, & inteſtinum gladium ſibi „ipſe ſuppoſuit, qui locum habitationis ſuæ „adverſarij ingreſſibus reſeravit.] Omninò uſurpari & hoc loco poteſt illud, quod in principio dixit Deus; Non eſt bonum hominem eſſe ſolum, faciamus illi adjutorium ſimile ſibi; hoc eſt,non jam fœminam,ſed alterum marem illi ſimilem. Et illud; Vah ſoli, quia ſi ceciderit, non habet ſublevantem ſe. Habeat alium ſecum, qui & cuſtos ſit, & teſtis. Cuſtos quidem illius, quippè nec ille, nec mulier audebunt illo inſpectore quidquam, quod fortaſſe ſolus cum ſola, vel ſola cum ſolo auderent. Teſtis autem calumniantibus, ſi qui fortaſſe fuerint. Deus quidem certè nec Moyſen ſolùm miſit

Nè ſolus adeas mulieres.

Gen. 2.

Exod. 4.

T

miſit in Ægyptum, ſed Aäron adjunxit comitem: neque alter ſolus, ſed ambo ſimul ad Pharaönem intrârunt, quantò minùs ad mulierem unus ſolus intrabit? Nec Ioſuë unum, ſed duos miſit ad explorandam terram promiſſam. Neque Tobias filium ſolum, ſed cum eo Raphaëlem Angelum. In tabernaculo Seraphin duo viſebantur ſeſe viciſſim reſpicientia, velut alterum alterius cuſtos. Chriſtus quoque binos, & binos miſit diſcipulos ſuos: & Spiritus Sanctus non Paulum ſegregari ſibi voluit, ſed Paulum, & Barnabam: & Apoſtoli cùm audiſſent, quia recepiſſet Samaria verbum Dei, miſerunt ad eos Petrum, & Joannem: ac demùm in fine mundi adverſus Antichriſtum pugnaturi ſimul venient Enoch, & Elias.

Ioſ. 2. *Tob. 5.* *Ex. 35.* *Luc. 10.* *Act. 13.* *Act. 8.*

Solitudo magnoperè audacem facit, præſertim ſi ſint tenebræ. Omnis namque abſcedit pudor. Undè Eccleſiaſtici 23. dicebat fornicarius; Quis me videt? tenebræ circumdant me, & parietes coöperiunt me, & nemo circumſpicit me; quem vereor? Res geſta narratur Gen. cap. 39. Accidit enim quadam die, ut Ioſeph intraret domum, ut operis quidpiam abſque arbitris faceret, & mulier apprehenſâ laciniâ veſtimenti ejus diceret; Dormi mecum. Quod ſanè factum non fuiſſet, ſi alius quiſpiam adfuiſſet. S. Bernardus Eugenium Papam monêre non dubitavit, ut bonos contubernales haberet, qui vitæ, & honeſtatis ſuæ cuſtodes eſſent, & teſtes. Scripſit penè in hanc ſententiam S. Hieronymus quoque epiſtolam, cui titulus eſt; De vitando ſuſpecto contubernio, in qua ſunt illa verba. [Bona „ conſcientia nullius oculos fugit.] Et in ep. ad Nepotianum, de vita clericorum; [Solus cum „ ſola ſecretò, & abſq; arbitro, vel teſte, non ſe„ deas.] Et in ep. ad Gaudentium. [Quarè ſo„ lus cum ſola, & non cum arbitris ſedes, ut „ cùm ipſe non pecces, alijs peccare videaris; ut „ exemplo ſis miſeris, qui neminis tui autori„ tate delinquant? Bonus ſermo ſecreta non „ quærit, quin potiùs delectatur laudibus ſuis, „ & teſtimonio plurimorum.] Hùc enim ſpectat ſcandalum, & oblocutio plurimorum, qui tantam converſationem, temporiſque jacturam mirari ſatis non poſſunt, neque in meliorem partem interpretantur. S. Baſilius in libro de vera virginitate; [Viri, qui mulierum familia„ ritatibus gaudent, meritò ſuſpicionem adver„ ſum ſe turpitudinis concitant.] Et in regulis brevior. 109. cùm quæſiſſet; An conveniens ſit, ut Antiſtes cum Antiſtita ſæpiùs in colloquium veniat: Reſpondet non eſſe, propter aliorum ſcandalum, omninòq; curandum eſſe, ut colloquia quàm rariſſima, & quàm breviſſima fiant. Et in epiſt. ad Gregorium preſbyterum; ſeptuagenarium presbyterum cum muliere habitantem graviter reprehendit, propter aliorum ſcandalum, cùm alioqui nullum videretur mali eſſe periculum. Etſi Antiſtite, & Antiſtita, quorum uterque, & provectioris ætatis ſit, & probatioris virtutis, ſcandalum ſit, quid de cæteris dicendum erit? S. Athanaſius in exhortatione ad Monachos; „ [Non mihi fas eſt, inquit, de his, qui verè „ ſemel devota Deo pectora dicârunt, ſecùs „ exiſtimare aliquid; ſed ex abundanti omni, „ quod fingi poteſt, tanquàm poſſit & cre„ di; caveamus, nè in ullo famæ noſtræ vul„ nere ſerpat nata ab occaſione ſuſpicio.] De Sancto Auguſtino ſcribit Poſidonius in ipſius vita, capite 26. nullam fœminarum intrà domum ejus converſatam unquam fuiſſe; nè germanam quidem ſororem Sanctam alioqui viduam, nec patrui filiam, & fratris filiam Deo ſervientes fœminas: Quia etſi de ſorore, & neptibus nulla naſci poſſet mala ſuſpicio; poſſet tamen de alijs cum illis commorantibus, aut ad eas adventantibus. Ipſe verò ſi quando neceſſe foret, nunquam ſine clericis ad ullam intravit, aut ſolus cum ſola locutus eſt, niſi ſecretorum aliquid intereſſet. Et ipſe Auguſt. in libro de honeſtate mulierum cap. 2. & ſer. 250. de tempore; eos ſcripſit, qui cum mulieribus habitant; apud Deum dupliciter reos eſſe; dum ſeipſos in periculum mittunt, & alijs exemplum perverſæ familiaritatis oſtendunt. Et libro de bono viduitatis cap. 22. „ [Innuptârum converſatio cauta eſſe debet, „ nè fortè cum mala vita non ſit per laſciviam, „ mala ſit fama per negligentiam.] Et ſer. 250. de tempore; [Sine ulla dubitatione, qui „ familiaritatem non vult vitare ſuſpectam, „ citò dilabitur in ruinam.] Maximè verò ab ancillis noſtris, & quibuſcunque vicinis cavendum monet, quia quantò earum vicinior conditio, tantò facilior ruina eſt. Et S. Hier. in ep. ad Ruſticum cap. 2. [Ancillas tibi ſcias „ eſſe in inſidijs, quia quantò vilior earum con„ ditio, tantò facilior eſt ruina.] S. Io. Chryſ. h. 44. operis imperfecti in Matthæum, viduas præſertim cavendas eſſe monet, quòd de illis fortaſſe quis magis ſuſpicari poſſit. „ [Chriſtiani Sacerdotes, inquit, non cum vi„ duis mulieribus amplius permaneant, quàm „ cum cæteris: quia etſi voluntas permanendi „ mala non fuerit, tamen ſuſpicio eſt mala.] Et libro 6. de ſacerdotio, de hac ipſa mulierum converſatione differens; [Studium, ait, adhibêre „ oportet, ut malas opiniones non ſolùm dum „ erumpunt, divellamus, arceamuſque; ſed & „ procul undè erumpere poſſint, perſpiciamus; „ atque adeò cauſas ipſas, è quibus enaſcantur, „ longo antè tempore interimamus: non etiam „ dum coaleſcant, & in vulgi ore verſentur, ac „ divulgentur, expectemus.] [At quid ad nos, „ (ait idem in ſer. contrà concubinarios) ſi quis „ ſtultè ſcandalizetur? Paulus non hoc dixit, *Scandalum.*

reſpon-

„ reſpondet ille: ſed juſſit, ut ſi injuſtè ſcandalizetur aliquis, ejus infirmitati conſulatur. „ Atque hoc ipſum nos ſuſpectos reddit malæ „ affectionis, quòd non curemus aliorum ſcandalum.] Et S. Cypriani ſunt illa verba, in libro de ſingularitate clericorum; [Pejus eſt quàm „ mœchari, continentiam ducere criminoſam, „ & infamem facere ſanctimoniam.] Et rurſum poſt hæc. [A Deo Patre miſſus eſt filius de „ ſinu Patris, & regno abſens eſſe duravit, ut „ Eccleſiam faceret innocentem, & clericus „ mulieris latus deſerere non poteſt, nè Chriſti „ Eccleſiam reddat infamem?] De hac ipſa re ſcribens S. Bern. ad Abbatem S. Joannis Carnotenſis ep. 82. [Libenter, inquit, carebo quantolibet etiam ſpirituali guſtu, qui „ non poteſt acquiri, niſi cum ſcandalo. Ubi „ enim ſcandalum, ibi charitatis eſt detrimentum: ubi autem diminutio charitatis, quod „ vel quale poteſt ſpiritualis exercitij ſperari „ lucrum?] Denique ſanctum Hieronymum quoque virum ſanctiſſimum ſcimus propter multam mulierum converſationem, non benè apud quoſdam audiſſe, ut ipſemet ſcribit ad Aſellam: & quòd ad eas ſcriberet ſæpiùs ut teſtatur in epiſt. ad Principiam: atque adeò libros quoque illis dicaret, ut narrat in prologo in Sophoniam.

Sed & S. Cyprianus alios nonnullos memorat levitatem ſuam, ac muliebrioſitatem pallio ſanctitatis alienæ occultare ſtuduiſſe; neque veritos fuiſſe reſpondére, viros quoque Sanctos, Eliam, Apoſtolos, Ioannem, & Chriſtum ipſum cum mulieribus fuiſſe verſatos. „ [Reverà magni homines, inquit ille, qui ſe „ comparant Sanctis, & eximia converſatio noſtra, quæ Prophetis, vel Apoſtolis videatur eſſe æqualis. Ad occaſionem luxuriæ noſtræ in „ perverſum Sanctos volumus imitari, & in cæteros actus veſtigia juſtorum nolumus ſequi. „ In quibuſdam infirmos nos excuſamus ad „ imitanda facta majorum, & in alijs nos æquales majoribus proteſtamur. Ad alias imitationes infirmi ſumus, & ad mulieres circumducendas poſſibilitatem nobis comparandæ imitationis aſciſcimus.] Et S. Bern. in ſer. 65. in Cant. [Vobiſcum mulierculas non circumducitis, ſed includitis. Non æquè ut cohabitatio, „ comitatio ſuſpicioni patet. Verùm quiſnam „ de illis ſiniſtrum quidpiam ſuſpicaretur, qui „ mortuos ſuſcitabant. Fac tu ſimiliter, & unà „ recubantem putabo fœminam virum. Alioqui „ temerè tibi uſurpas illorum diſpenſationem, „ quorum ſanctitatem non habes; cum fœmina „ ſemper eſſe, & non cognoſcere fœminam „ nonnè plus eſt, quàm mortuos ſuſcitare? „ Quotidiè latus tuum ad latus juvenculæ eſt „ in menſa, lectus tuus ad lectum ejus in camera, oculi tui ad illius oculos in colloquio, manus tuæ ad manus ipſius in opere, & continens vis putari? Eſto, ut ſis: ſed ego ſuſpicione non careo, ſcandalo mihi es: tolle ſcandali „ cauſam.] Adde Cypriani verba; [Qui deſpexerit, inquit, vinculum nuptiarum, & aliter vinculis fœmineis obligatur, quamvis nullo concubitu miſceatur, deſiderio tamen, viſu, „ colloquio, conjunctione ſemper oblectatur. „ Nam ſi deſiderium fœminæ non haberet, „ nunquam fœminam ſuis oblectamentis alluderet.]

CAPUT VI.

Cum mulieribus non habitandum.

Mulieres ergò in eadem domo, & ſub eodem tecto cum viris non maritis, ac præſertim cum clericis, habitare fuit omnibus temporibus damnatum, & verò etiam ſeverè cautum. Extant de hoc integri libelli Sancti Cypriani de ſingularitate clericorum, & Sancti Chryſoſtomi contrà concubinarios; ſed & S. Nazianzenus in carmine, cui titulus eſt; Præcepta ad virgines.

Aut ſi quoſdam alios caſto amplexaris amore,
Saltem nè tecti jus ſit commune caveto.

Et S. Greg. Nyſſenus in libro de vita Moyſeos; [Procul à tam terribili beſtia habitandum, „ nè morbus more ignis propter vicinitatem „ flammam ad nos uſque tranſmittat.] S. Hier. hoc in ep. ad Ruſticum cap. 2. deplorat his verbis: [Videas nonnullos accinctis renibus, pullâ tumiâ, barbâ prolixâ, à mulieribus non „ poſſe diſcedere: ſub eodem manêre tecto, ſimul inire convivia, ancillas juvenes habêre „ in miniſterio, & præter vocabulum nuptiarum omnia eſſe matrimonij.] Et rurſùm. [Joannes Baptiſta ſanctam habuit matrem, Pontificiſq; filius erat, & tamen nec matris affectu, nec patris opibus vincebatur, ut in domo „ parentum cum periculo viveret caſtitatis. Filij Prophetarum, quos monachos in veteri teſtamento legimus, ædificabant ſibi caſulas „ propè fluenta Iordanis, & turbis urbium derelictis, polenta, & herbis agreſtibus victitabant.] Dicta ſunt ſatis multa in ſuperioribus. Quò circà ſanctè prohibuit S. Gregorius Papa in tertio dialogorum libro cap. 7. [Qui corpus ſuum continentiæ dedicant, habitare „ cum fœminis non præſumant, nè ruina mentem tantò repentina ſurripiat, quantò ad „ hoc, quod malè concupiſcitur, etiam præſentia concupitæ formæ famulatur.] Andreæ Epiſcopi & monialis, quam domi tenebat, hiſtoriam mox ſubjungit. Immò verò in libro 1. regiſtri cap. 48. cavet, nè mulieres circà monachorum monaſteria habitent. Et cap. 50. „ [Prohibeantur Sacerdotes, nè cum mulieribus converſentur, excepta dumtaxat matre, „ & ſorore, vel uxore, quæ caſtè regenda eſt.] Quarè S. Bern. ſer. 65. in Cant. [Cohabitationem,

Digitized by Google

,, tionem, inquit, virorum, ac fœminarum, in
,, his, qui vovêre continentiam, eccleſia vetat.
,, Si non vis ſcandalizare eccleſiam, eijce fœ-
,, minam, alioqui cætera, quæ non adeò mani-
,, feſta ſunt, credibilia fiunt.] Leontium Aria-
num hominem ſcribunt S. Athanaſius in apo-
logia pro fuga ſua, & Theodoretus lib. 2. hiſto-
riæ cap. 24. excidiſſe ſibi genitalia, ut ſine ſu-
ſpicione cum quadam muliercula poſſet vive-
re: at cùm nec ita ſuſpicionem tolleret, cùm eſ-
ſet presbyter, fuit depoſitus. Aliud quid ſimile
refert S. Auguſt. q. 115. ex veteri teſtamento
mixtim. [Quidam, inquit, peregrè proficiſcens,
,, uxorem amico commendavit: is ut ſine ſu-
,, ſpicione verſaretur, abſcidit ſeſe.]

CAPUT VII.

Mulieres quatenùs amandæ.

POSTREMÒ quatenùs à nobis amandæ ſint fœminæ, dicendum eſt. Apertè hoc docuit
illud quod ex S. Baſilio in libro de vera virgi-
nitate recitavimus cap. 3. S. Nazianz. verò in
carmine; Præcepta ad Virgines, amorem quo-
que ſpiritualium hominum cavendum voluit,
qui decorum Agapes cognomentum ſubit.

Et flammam, aut flammæ triſtiſſima ſigna relinquit.

Et rurſùm in diſtichis ſententijs; [Angeli-
,, cæ, inquit, gloriæ imago eſt unitas; quòd ſi
,, amaſijs oblectamini, mortalis utique dualita-
,, tis amici eſtis.] S. Cyprianus amandas dixit
fœminas in templo, non in privatis ædibus.
,, [Ama, inquit, fœminas inter ſacra ſolemnia,
,, & odio habe in communione privata.] S.
Hier. in ep. ad Nepotianum cap. 5. & 6. [Om-
,, nes puellas, & virgines Chriſti aut æqualiter
,, ignora, aut æqualiter dilige. Nec in præterita
,, caſtitate confidas. Nec ſanctior Davide, nec
,, Sampſone fortior, nec Salomone potes eſſe
,, ſapientior. Memento ſemper, quòd paradiſi
,, colonum de poſſeſſione ſua mulier ejecit.]
Scio quoſdam convaluiſſe corpore, & animo
ægrotaſſe. Quod ſcilicet ægrotantibus mini-
ſtrarent mulieres, ad quas illi ſenſim cæperunt
affici. Et in com. ad caput 2. epiſtolæ ad Ti-
tum; [Nonnumquam evênit, ut primùm à no-
,, bis in virginem ſive in quamlibet fœminam
,, ſit ſancta dilectio, & cùm mollita mens fue-
,, rit in affectus, paulatim ſanitas charitatis lan-
,, guore palleſcat, & infirmari incipiat, & ad
,, extremum diligentem ferat.] Poſtremò non
ineptè Humbertus in regulam Sancti Auguſti-
ni cap. 9. eum adnotavit in regulis monacho-
rum præmiſiſſe præceptum de diligendo Deo,
& proximo; at non in regulis monacharum.
Quoniam in muliere amor ſpiritualis facilè
degenerat in carnalem, timuitque nè huic de-
generationi daret occaſionem, ſi proximi di-
lectionem impoſuiſſet. Sed S. Io. Chryſ. quid-
piam non omittendum adnotavit in ſer. con-
trà concubinarios ſæpiùs citato. [Qui metu,
,, inquit, & neceſſitate à dilecta ſejungitur, for-
,, tior amator fit, & fortaſſis iterùm ad illam
,, accedet: at ſi ut rem damnoſam, & amaram
,, fugit, non iterùm revertitur ob calculum
,, ſententiæ ſuæ, quæ quavis neceſſitate vio-
,, lentiùs illi perſuadet.]

FINIS SECUNDÆ PARTIS.

Digitized by Google

HIERONYMI DANDINI CÆSENATIS

E SOCIETATE IESU

ETHICA SACRA

DE CÆTERIS VIRTUTIBUS MORUM

TERTIA PARS.

DE HUMILITATE.

LIBER XVIII.

DE cæteris virtutibus, quæ morum dicuntur, & poſt quatuor illas cardinales numerantur; hoc ordine dicam, ut primum humilitati tribuam locum; quæ velut omnium fundamentum eſt.

CAPUT I.

Humilitas multiplex.

Humilitas quid.

PRincipiò autem multiplex vocis intelligenda ſignificatio eſt. Non enim eodem ſemper modo humilitas nominatur. Nam S. Ambr. in ſer. 52. in pſal. 118. cùm illa Davidis audiſſet verba; Perijſſem in humilitate mea; ſapienter adnotavit, humilitatem non ſemper virtutis eſſe, ſed etiam afflictionis. Et S. Io. Chryſ. in pſal. 142. cùm idem Propheta diceret; Humiliavit in terra vitam meam. „ [Multa, inquit, ſignificat humilitatis nomen. „ Eſt enim, & virtutis humilitas; ut quando dicitur; Cor contritum & humiliatum Deus „ non deſpicies: eſt & humilitas, quæ procedit „ ex calamitatibus, & peccatis. Nam & in pſal. „ 106. dicitur; Propter injuſtitias ſuas humiliati „ ſunt. Prior illa electionis eſt noſtræ, & ſpon„tanea; poſterior hæc coactionis alienæ.] Quam S. Greg. Nazian. orat. 1. in Julianum, affirmavit eſſe mediam inter peccatum, & reſipiſcentiam, ab illo ortam, atque hujus procreatricem. Peccatum enim humiliationis eſt mater; reſipiſcentia autem humilitatis. Undè in

Digitized by Google

pſal. 118. Priusquàm humiliarer, ego deliqui; propterea eloquium tuum cuſtodivi.

Humilitas fucata. Verùm & electa illa, ſpontaneaque humilitas, duplex item eſt. Una vera; Fucata altera, & falſa. Fit enim miris modis in anima hominis, ſcribit S. Auguſt. ep. 59. ad Paulinum, ut de falſa humilitate magis inflettur, quàm ſi apertiùs ſuperbiret. Harum altera virtus eſt præcipua; altera vitiùm turpiſſimum. De qua idem Auguſtin. in lib. de ſancta virginitate cap. 43. ita pronuntiavit; [Simulatio ,, humilitatis major ſuperbia eſt.] Et ideò S. Hier. in com. ad caput 58. Iſaiæ, proferens illa Chriſti verba, Matt. 11. Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde. [Humilitas, in- ,, quit, non ſit affectata, ſed cordis: non gloriam ,, quęrens hominum, ſed animę conſcientiam.] Et S. Ambr. ep. ad Conſtantium. [Multi habent ,, humilitatis ſpeciem, ſed virtutem non ha- ,, bent. Ad fucum præ ſe ferunt, ſed veritatem ,, abjurant, ac gratiam negant. Ipſa eſt vera, ,, quæ habet piam mentis ſinceritatem.] Et ep. ad Demetriadem virginem (ſi modo Ambroſij eſt, & non magis Proſperi) Non omnes quoquo modo humiles putamus eſſe laudabiles. Imitatur enim plerumque neceſſitas voluntatem, & ab imagine modeſtiæ parùm differt forma ſegnitiæ.

Humilitas ſuperborum. Falſæ hujus, & ſimulatæ humilitatis duas commemorat ſpecies S. Chryſ. in pſal. 142. quarum altera procedit ex ſuperbia: quippè ut S. Bern. loquitur in tract. de gradibus humilitatis. [Hac ipſa quoque palliare ſe appe- ,, tit, nè vileſcat.] Atque in ambitioſis præſertim hominibus apparet. De qua interpretatur S. Chryſ. illud; Qui ſe exaltat, humiliabitur. [Viri enim callidi, & doloſi (ait Bernar- ,, dus in 4. lib. de conſideratione ad Eugenium) ,, proprium eſſe ſolet; tunc prætendere humi- ,, litatem, cùm aliquid obtinêre voluerit.] De his loquitur Eccleſiaſticus cap. 29. ubi ait; Donec accipiant, oſculantur manus dantis, & in promiſſionibus humiliant vocem ſuam. Et S. Chryſ. hom. 3. in priorem ep. ad Tim. [Hu- ,, militatem quidem verborum plurimam, & ,, ultrà quam ſatis ſit, abſque difficultate repe- ,, ries, animi verò humilitatem difficillimè.] Nec ſolùm in verbis addit; ſed & in ſcriptis, & actionibus. Jam tunc in litteris erat in uſu ſervos ſe ſubſcribere. [In litteris, inquit, per ,, omnia ſubſcribunt humilitatem, & Hoſpitum ,, quiſque pedes abluit, & multa de hoc conten- ,, tio.] Loquitur de monachis, apud quos hic erat mos abluendi Hoſpitum pedes.

Humilitas avarorum. Altera falſæ humilitatis ſpecies avarorum hominum propria, proficiſcitur, ait idem Chryſ. ex inſatiabili cupiditate; [Quid enim ,, eſt abjectius, & humilius ijs, qui ſe ipſos info- ,, diunt in divitijs, potentia, & gloria?]

Humilitas Hypocritarum. Eſt & tertia falſa, & doloſa Hypocritarum humilitas, & eorum, qui nocêre volunt, de qua Eccleſ. cap. 19. Eſt, qui nequiter ſe humiliat, & interiora ejus plena ſunt dolo.

Quarta indiſcreta, & ſtulta, quæ ex ſimplicitate ſuſtinet non ſuſtinenda. Quam ob cauſam dixit Eccleſ. c. 13. Noli eſſe humilis in ſapientia tua; nè humiliatus in ſtultitia ſeducaris.

Quinta omninò nimia, quâ ultrà quàm deceat hominis ſtatum, humiliat ſe quiſpiam. De qua Eccleſiaſtici cap. 19. Eſt juſtus, qui ſe ſubmittit nimiùm à multa humilitate.

At verò S. Ber. ſer. 4. de Adventu Domini, duplicem aliam diſtinguit humilitatem. Altera eſt, inquit, cognitionis; altera affectionis: quæ cordis à Domino appellatur, cùm ait; Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde. Priore cognoſcimus, quod nihil ſumus, & hanc diſcimus à nobis ipſis, & ab infirmitate propria. Poſteriore calcamus gloriam mundi, & hanc ab illo diſcimus, qui exinanivit ſemetipſum formam ſervi accipiens. *Humilitas cognitionis, & affectionis.*

Alteram dixeris eſſe theoreticam, quæ in ſola cognitione verſatur: alteram practicam, quæ ad affectum progreditur, cujus fructum in tractatu de gradibus humilitatis voluit idem Ber. eſſe cognitionem veritatis, hoc eſt, Dei.

CAPUT II.

Vera Humilitas quid.

Ergò humilitas virtus eſt cordis, quæ in eo agnoſcitur, ut demiſſè de te ipſo ſentias, nulli te præferas, ſubijcias omnibus, omnium te infimum reputes. Ita definivit S. Ber. in tract. ſignificato. [Humilitas eſt virtus, qua ,, homo veriſſima ſui cognitione ſibi ipſi vile- ,, ſcit.] Et rurſum aliquantò poſt, ſuperbiam quoque complectens; [Superbia eſt amor pro- ,, priæ excellentiæ: Humilitas propriæ excel- ,, lentiæ contemptus.] Et S. Baſilius in regulis brevioribus 197. [Humilitas eſt, cùm quis cæ- ,, teros omnes ſe ipſo ſuperiores exiſtimat.] Itaque in regula 216. cùm dominum audiſſet dicentem; Niſi efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum; quærens quomodo efficiamur ut parvuli, reſpondet; [Si excel- ,, lentiam non quæramus; ſed naturæ æqualita- ,, tem cognoſcamus, & cum ijs, qui quibuſdam ,, in rebus inferiores nobis videntur, libenter ,, nos exæquemus: ſi quidem tales ſunt etiam ,, parvi inter ſe.] In eandem ſententiam apud S. Dorotheum ſer. 21. [Humilitas eſt, cùm te ,, nullius exiſtimas valoris; cùm tuam ipſius ,, voluntatem abnegas, & eam in omnibus ab- ,, rumpere omninò ſtudes, ita ut omnibus ſub- ,, ditus ſis, & obediens.] Verùm hæc effectus potiùs, atque indicia humilitatis ſunt: natura in eo agnoſcitur, ut nullius te valoris exiſtimes. Simile illud eſt S. Ambroſij, ſeu mavis Proſpe- *Humilitas vera quid.* *Matt. 18.*

ri

ti in ep. ad Demetriadem. [Prima, inquit, „ humilitatis ratio in communis vitæ verſatur „ officijs. Ut ſcilicet honore ſe præveniant, „ & alter alterum ſuperiorem exiſtimet; ut & „ pauper divitem ſibi præferat, & pauperem „ dives ſibi gaudeat æquare.] Hæc, inquam, interioris humilitatis effectus, & indicia ſunt; ſicut & illud Sancti Bernardi ſerm. 16. in Cant. [Appetere de humilitate laudem, hu- „ militatis non virtus eſt, ſed ſubverſio. Verus „ humilis vilis vult reputari, non humilis præ- „ dicari: gaudet contemptu ſui; hoc ſolo ſanè „ ſuperbus, quòd laudes contemnit.] Et illud item Sancti Io. Chryſoſtomi h. 27. in ep. ad Hebr. [Si nos ipſos innumeris ipſi modis ma- „ los vocaverimus, ab alijs autem id audientes „ ægrè tulerimus, non erit hoc humilitatis, neq; „ confeſſio, ſed oſtentatio, & vana gloria. Hu- „ militatis quippè opinionem captantes cele- „ bramur, & laudamur. Quid eſt autem humi- „ litas? ut cùm ab alio improperium audimus, „ toleremus, agnoſcamus peccatum noſtrum, „ & patienter feramus accuſationem.] Et neq; hoc adhuc humilitatis eſt, ſed ingenuitatis. „ [Nulla enim humilitas eſt (inquit in h. 5. de „ incomprehenſibili natura Dei) ut cùm pecca- „ tor ſis, peccatorem te opineris. Humilitas eſt, „ quoties quiſpiam rerum præclararum ſibi „ conſcius, nihil magni de ſe ipſo exiſtimat. Hoc „ eſt humilitas, ſi te excelſum per virtutum of- „ ficia, humilem per opinionem reddas.] [Is „ namq; verè magnus eſt (ut idem ipſe loqui- „ tur in 2. libro de compunctione cordis) qui „ nihil de ſe magni ſentit, aut loquitur; ſed om- „ nium ſe ultimum judicat, & ſalutem de ſola „ Dei miſericordia ſperat.] Hunc veram pror- ſùs humilitatem cordis adeptum fuiſſe teſtatur etiam in h. 2. in epiſtolam ad Philem: [Ille, in- „ quit, ſolus humilitatem animi verè conſecu- „ tus eſt, qui ſibi ipſi perſuaſit, quantumlibet „ peregerit, nihil ſe magnum geſſiſſe; nec ad „ finem perveniſſe ſe arbitratur. Feciſti ali- „ quid humile, noli magnum ſapere; alioqui „ omnia perdidiſti.]

Matt. 25. Origenes verò tract. 34. in Matt. Chriſtum obſervat de extremo futuro judicio loquentem ſingula juſtorum benefacta commemorâſſe; Eſurivi, & dediſtis mihi manducare, & cætera quæ ſequuntur: ad injuſtos autem compendiaſſe, atque in breve malefacta collegiſſe; Infirmus fui, & in carcere, & non veniſtis ad me. Quid ita? [Quoniam miſericor- „ diæ judicis erat, benefacta hominum largiùs „ prædicare, & ampliare: malefacta autem „ tranſitoriè memorare, & breviare. Juſtos verò „ & ipſos immorari in ſingulis dicentes; Quan- „ do te vidimus, &c. quoniam proprium eſt „ juſtorum beneficia ſua relata ſibi in facie dili- „ genter, & per ſingula refutare, propter hu- „ militatem. Injuſtos autem non per ſingula, „ ſed curſim dicere; Quando te vidimus, &c. „ quaſi præcidentes, & prætereuntes crimina, „ ut non graviora videantur diligenter, & ſin- „ gillatim enumerata: quia proprium eſt ma- „ lorum hominum culpas ſuas excuſationis „ cauſâ, aut nullas velle oſtendere, aut leves, & „ paucas.] Contrà verò humilitatis indicium fuit ſemper judicatum, culpam ſuam agnoſcere, & confitêri, ſic enim inter cæteros S. Gregorius Papa lib. 22. moral. c. 9. [Hæc ſunt, in- „ quit, veræ humilitatis teſtimonia, & iniquita- „ tem ſuam cognoſcere, & cognitam voce „ confeſſionis aperire.] Superbiæ autem ſigna S. Bern. adnotavit in libro de interiori dono c. 41. [Clamorem in locutione, amari- „ tudinem in ſilentio, diſſolutionem in hilarita- „ te, furorem in triſtitia, honeſtatem in imagi- „ ne, & inhoneſtatem in actione, rancorem „ in reprehenſione.] Quorum oppoſita, fuerint tibi aperta humilitatis argumenta. [Su- „ percilium (dixit Philo in libro de ſtatu Eſ- „ ſeorum) mendoſitatis (nos ſuperbiæ di- „ camus) indicium; virtus verò (hoc eſt humi- „ litas) ſimplicitatis amica.] Et omninò verè pronuntiavit S. Baſilius in h. de humilitate; *Humilitatis indicia & ſuperbia.*

„ [Vitæ ſtudijs, & exercitijs aſſimilatur anima: „ & qualia facit talis etiam formatur, & eiſ- „ dem configuratur. Ita ornatus modeſtus, in- „ dumentum, inceſſus, cathedra, cibus, lectus, „ domus, vaſa domeſtica, ſermo, cantus, con- „ verſatio, & cætera omnia mediocria ſi ſint, „ conferunt ad humilitatem animæ.] Horum contraria ſuperbiam adferunt, & ſi adſint in nobis argumenta item fuerint ſuperbiæ. Ac rurſùm in or. 17. de humilitate, & vana gloria idem S. Pater addit: [Conſequitur ani- „ mum humilem viſus ſubtriſtis, & in terram „ demiſſus, habitus neglectus, capillus paſſus, „ veſtis ſordida; ita tamen, ut eæ videantur. „ Caſu, & fortuitò fieri, quæ lugentes de indu- „ ſtria faciunt.] Poſtremò ſic habet Humber- „ tus in ep. de tribus votis c. 36. [Humilitatis „ ſigna ſunt; gratiam hominum negligere, ſen- „ tentijs aliorum acquieſcere, correctiones li- „ benter audire, caput inclinare; veſtes nota- „ biles non ferre, tortuoſum inceſſum vitare, „ majorum præcepta ſine diſcuſſione perficere, „ æqualibus ad obſequia paratum eſſe, majores „ non contemnere, ſimplici gradientes via nun- „ quam duplicatum, aut fictionis veſtigium „ prætendere; in litibus nolle victoriam obti- „ nêre.]

Sed Io. Caſſianus collat. 18. Abbatis Pyamonis c. 11. in tolerantiâ præſertim injuriarum humilitatem agnoſcit. Sic autem habet; [Intima mentis humilitas tum demùm „ evidentiſſimis patientiç ſuæ fulgebit indicijs; „ cùm quis non ipſe de crimine ab alijs non „ credenda jactaverit; ſed ab alijs ſibimet ar- „ roganter ingeſta contempſerit, & irrogatas

„ injurias manſueta cordis æquanimitate tole-
„ raverit.] Quod Abbas Serapion præclaro comprobat exemplo. Ut omninò conficiat Pyämon c. 13. Patientiam abſque profunda cordis humilitate nec acquiri poſſe, nec teneri.

CAPUT III.

Humilitas virtutum parens.

VERISSIME dictum eſt à Sancto Auguſtino lib. 1. de Civitate Dei c. 1. Magnis omninò viribus opus eſſe, ut perſuadeatur ſuperbis quanta ſit humilitatis virtus. Maximam tamen eam virtutem eſſe, vel ex eo manifeſtum eſt, quòd à Sanctis Patribus pari cum charitate gradu laudatur, eademque prorſùs de utraque prædicantur. Quid autem melius, quid præſtantius charitate? Charitas virtutum omnium mater eſt, & procreatrix, origo, & fundamentum; At de humilitate quoq; ita loquitur S. Io. Chryſ. h. 35. in Gen. [Virtus non „ eſt, niſi conjunctam habeat humilitatem. Qui „ hoc fundamentum rectè jecerit, poterit in „ quantam voluerit altitudinis ſtructuram ex- „ citare.] Et h. 15. in Matt. [Unuſquiſq; hu- „ militate ſuppoſita tutiſſimè cuncta alia ſu- „ perponit ædificans; hâc verò ſubductâ, etſi „ ad ipſum uſquè cælum converſationis ſubli- „ mitate pervenias; ſimùl omnia ſubtrahun- „ tur, atq; in finem peſſimum relabuntur. Si- „ cut enim ſuperbia omnium fons malorum eſt; „ ita humilitas cunctarum origo virtutum.] Propterea Chriſtum arbitratur primam hanc beatitudinem poſuiſſe. Beati pauperes ſpiritu, hoc eſt humiles; velut reliquarum omnium fundamentum. Et h. 30. in Acta. [Nihil confe- „ rendum humilitatis virtuti. Ipſa enim eſt ma- „ ter, & radix, & alumna, & fulcimentum, & „ vinculum bonorum, ſine illa abominabiles, & „ ſceleſti, & immundi ſumus.] Et iterùm h. quoque prima, & 20. in ep. ad Rom. bonorum omnium matrem appellat; & h. 38. ad populum; [Vis verè aliquid magnum operari? „ nunquam te ſuſpiceris tanquam magnorum „ meritorum. Humilitati nihil æquale. Hæc eſt „ bonorum mater, & radix, & altrix, & occa- „ ſio ſimul, & vinculum. Hâc ſemotâ abo- „ minabiles, & ſceleſti ſumus, & immundi.] „ [Hic eſt primus religionis introitus (inquit „ S. Cyprianus in ſer. de Chriſti Nat. Siquidem „ in mundum primus Chriſti ingreſſus. Ut qui- „ cumq; piè vult vivere, humiliter de ſe ſentiat, „ neque ſuper ſe in mirabilibus ambulare præ- „ ſumat. Fundamentum ſanctitatis ſemper „ fuit humilitas, nec in cœlo ſtare potuit ſuper- „ ba ſublimitas. Qui de fraternitate Chriſti „ gloriantur, & volunt aſcendere, non erubeſ- „ cant deſcendere: ſed eidem ſcalæ cum Iacob „ innitantur, & cantantes canticum graduum „ ab imis ad ſuperiora conſcendant.] S. Hier. in ep. ad Euſtochium epitaphium Paulæ c. 7. primam operariorum virtutem appellat. Et illa ſunt Proſperi verba in ep. ad Demetriadem; [Firmiſſimum bonum humilitas, om- „ nium virtutum inexpugnabilis fortitudo, & „ quædam ſuorum vita membrorum.] [Om- „ nis enim fortitudo (ait S. Aug. in pſalmum „ 92.) in humilitate; quia fragilis eſt omnis ſuperbia.] Et ſer. 10. de verbis Domini; fundamentum eam ponit ſpiritualis totius fabricæ. „ [Magnus, inquit, eſſe vis à minimo incipe; „ cogitas magnam fabricam conſtruere celſi- „ tudinis, de fundamento priùs cogita humilitatis.] Et iterùm; [Hoc in te fode fundamentum „ humilitatis: Et pervenies ad faſtigium chari- „ tatis.] Sed præclara ſunt illa verba, quæ in ep. 56. ſcribit ad Dioſcorum: [Niſi humili- „ tas, inquit, omnia quæcumque benè facimus „ & præceſſerit, & comitetur, & conſecuta „ fuerit; & propoſita, quæ intueantur, & appo- „ ſita, cui adhæreamus; & impoſita, qua repri- „ mamur; jam nobis de aliquo bono facto gau- „ dentibus totum extorquet de manu ſuper- „ bia. Vitia quippè cætera in peccatis; Super- „ bia verò etiam in benefactis timenda eſt: nè „ illà, quæ laudabiliter facta ſunt, ipſius laudis „ cupiditate amittantur.] Sed & illud, quod de pronuntiatione reſpondit aliquando Demoſtenes; de humilitate quoque affirmat eſſe dicendum.

De S. Io. Baptiſta dictum fuit; Joannes erat lucerna, hoc eſt, res illuminata, accenſa; ut luceret. [At quæ accendi poteſt (ratio- „ cinatur idem Auguſt. ſer. 8. de verbis Domi- „ ni) poteſt, & extingui. Ut ergò non extin- „ guatur, ventum ſuperbiæ non patiatur.] S. Gregorius Papa in pſalmum 3. pœnitentialem ſapienter monuit. [Qui ſine humilitate virtu- „ tes congregat, quaſi in ventum pulverem „ portat. Virtutes animæ aut vitijs impugnan- „ tur, aut plerumque elatione deprimuntur.] Et lib. 23. moral. c. 7. humilitatem magiſtram eſſe, matremque virtutum prædicat. Et lib. 27. cap. 27. [Quia, inquit, origo virtutis hu- „ militas eſt, illa in nobis virtus veraciter pul- „ lulat, quæ in radice propria, id eſt, in humili- „ tate perdurat. A qua nimirùm ſi abſcinditur, „ areſcit, quia vivificantem ſe in intimis humo- „ rem charitatis perdit.] Hinc Davidis humilitatem commendat: Qui poſt tot præclara facinora, coràm arca Dei ſaltavit; nec ſaltavit modò, ſed & ſe rex in divino obſequio per ſaltum rotavit. [Ego, inquit Gregorius, Da- „ vid plus ſaltantem ſtupeo, quàm pugnantem; „ Pugnando quippè hoſtes ſubdidit, ſaltando „ autem coràm Domino ſe ipſum vicit.] Io. Caſſianus in libro de ſpiritu fornicationis c. 1. prudenter monet, nec caſtitatem, nec virtutem

Digitized by Google

tutem ullam acquiri ab illo poſſe,qui humilitatis fundamenta antè non jecerit. [Spiritus fornicationis, ait ille, & carnis tentatio gemino armata vitio conſurgit ad prælium; morbo carnis, & animæ; ideò gemina eſt ei acie reſiſtendum: Non enim ſufficit ſolùm corporale jejunium ad conquirendam perfectæ caſtimoniæ puritatem: niſi præceſſerit contritio ſpiritûs, & omninò perſeverans continua meditatio ſcripturarum, & antè omnia fundata fuerit humilitas vera, ſinè qua nullius penitùs vitij poterit triumphus acquiri.] Et collat. 15. Abbatis Neſterotis, c.6. [Humilitas omnium eſt magiſtra virtutum,& cœleſtis ædificij firmiſſimum fundamentum.] Et rurſùm collat. 19. Abbatis Ioannis, c.2. [Humilitas virtutum omnium mater, & totius ſpiritualis ſtructuræ fundamentum ſolidiſſimum.] Quam ob cauſam hortatur S.Bernardus ſer.1.in die natalis Domini: [Studete humilitati, quæ fundamentum eſt, cuſtoſq; virtutum; ſectamini illam,quæ ſola poteſt ſalvare animas veſtras.] Et ſer. 4. Paſtores interpretatur non infantem ſolum inveniſſe poſitum in præſepio; ſed cum eo Joſeph, & Mariam; ſcilicet continentiam, & juſtitiam. [Humilitas Deo debetur, continentia corpori, juſtitia proximo. Ideò apparuit gratia Dei, ad Titum 1.ut ſobriè,& juſtè,& piè vivamus; primum corpori, ſecundum proximo, tertium Deo.]& ep.42. Ad Henricum Sennonenſem Archiepiſcopum. [Humilitas meretur, ut detur caſtitas, & charitas: ſervat acceptas, & ſervatas conſummat: ſola propugnaculum quoddam eſt, turriſq; virtutum. De hac ſola gloriati ſunt B.Virgo,& Chriſtus; Inviderunt mihi altitudinem,quam habeo,Angelus, & homo; ille potentiæ, iſte ſcientiæ;vos autem; Diſcite à me,quia mitis ſum,& humilis corde.] Itaq; in ſer.37.in Cant.matrem ſalutis humilitatem prædicat,& libro 5. de conſid. [Virtutum bonum quoddam, & ſtabile fundamentum humilitas; nempè ſi mutet illa, virtutum aggregatio non niſi ruina eſt.] Ac demùm in tractatu de ordine vitæ, ac morum inſtitut. [Sine cauſa laborat, qui virtutes ſinè humilitate congregat.]

CAPUT IV.

Humilitas virtutum omnium cuſtos.

SI charitas virtutes omnes cæteras coronare prædicatur, illaſæq; univerſas hac abeunte perire; hoc ipſum de humilitate quoq; affirmatur. Ita S. Ioan. Chryſ. libro 1. de providentia; [Summum omnium virtutum culmen humilitas.] Et hom.6. ex varijs Matthæi locis; [Sive jejunium, ſive orationem, ſive eleëmoſynam, ſive continentiam,ſive quid aliud boni congregaveris ſine humilitate; defluit, & omnia pereunt.] Et S. Dorotheus ſer. 14. de ædificio virtutum animæ. [Humilitas virtutes omnes, & coronat, & conſervat, & ut omnis virtus, ex humilitate gignitur, & cum humilitate producitur, & exercetur; ita virtutum omnium abſoluta perfectio humilitate completur.] Et ſer.2.de cordis humilitate. [Antè omnia opus eſt nobis humilitate;quia nulla virtus ſine humilitate poteſt egregiè fieri,aut cum laude exercêri.] S.Hieronymus in pſ.133.[Fruſtrà habemus virtutes,ſi non ipſæ virtutes humilitate Domini coronentur.] Et in regula monachorum. [Nunquam tuta eſt humana fragilitas; & quantò magis virtutibus creſcimus, tantò magis timêre debemus, nè de ſublimibus corruamus.] S. Baſilius in conſt. mon. c. 17. Tutiſſimum appellavit omnium virtutum theſaurum, & S. Gregorius Papa h. 7. in Evang. [Humilitas, inquit, eſt cuſtos virtutis; etſi quælibet bona adſint opera, nulla ſunt, niſi ex humilitate condiantur;& qui ſine humilitate virtutes congregat, quaſi in vento pulverem portat, & undè aliquid ferre cernitur, indè deteriùs cœcatur.] Propterea S. Bernardus in libro de interiori domo c. 41. ſuperbiam dixit virtutes omnes velut peſtem, & morbum corrumpere; humilitatem tueri, & conſervare; [Cætera, inquit, vitia ſolas illas virtutes impetunt, quibus ipſa deſtruuntur; ſola ſuperbia contrà omnes ſe erigit, & quaſi generalis, ac peſtifer morbus omnes corrumpit. Idcirco niſi omnia opera noſtra humilitas comitetur, totum de manu extorquet ſuperbia. Perit omne, quod agitur, niſi ſolicitè in humilitate cuſtodiatur.] Ac demùm in ſer. 47. in Cant. conſummationem vocat juſtitiæ; Quod enim Chriſtus ad Ioannem accedens, ut ab eo baptizaretur; dixit; Sic decet nos implere omnem juſtitiam; de illa eximia Chriſti humilitate intelligit. [Conſummationem, inquit, juſtitiæ in humilitatis conſtituit perfectione.]

CAPUT V.

Humilitas virtutum maxima.

CHaritas virtutibus omnibus antecellit; omnium maxima eſt. At vide, quid de humilitate dicat S. Gregorius Papa lib. 9. mor. c. 19. [Humilitas antè Dei oculos cæteris virtutibus præeminet.] Quam ob cauſam de Epiſcopis loquens in 2. libro regiſtri c. 93. hanc verè affirmat eſſe pallium, quod illis à ſummo paſtore datur; eorumq; cervices mirè exornat. [Decorari pallio, ait ille, volumus forſan moribus indecori: dum nihil in Epiſcopali cervice ſplendidiùs fulget quàm humilitas.] Et apud S. Hilarium in Com. Pſalmi 130. reperies, maximum fidei noſtræ opus humilitatem eſſe. [Chriſtus namq; (ut eſt apud S. Hieronymum in ep. ad Theophilum

Digitized by Google

„ lum adverſus Io. Hieroſolymitanum c. 1.) „ mortalium genus; non fulminans,& tonans; „ ſed in præſepi vagiens, & tacens. ſalvavit in „ cruce;] Hoc eſt non potentia, & majeſtate; ſed humilitate, & abjectione. Et S. Bernardus ſer. 5. in vigilia Nativitatis Domini; de Chriſti præſepis humilitate ita loquitur; [Pretioſiores panni Salvatoris omni purpura; & glorioſius hoc præſepe auratis regum ſolijs. „ Ditior deniq; Chriſti paupertas cunctis opibus,cunctiſque theſauris ſæculi. Quid enim „ humilitate ditius, quid pretioſius,invenitur? „ quâ nimirùm regnum Cœlorum emitur, & „ divina gratia acquiritur, ſicut ſcriptum eſt; „ Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt „ regnum cœlorum.] Itaq; in ſer.85. in Cant. „ [Magna, inquit, fratres, magna, & ſublimis „ virtus humilitas,quæ promeretur, quod non „ docetur; digna adipiſci,quod non valet addiſci; digna à verbo, & de verbo concipere, „ quod ſuis ipſa verbis explicare non poteſt.] Neq; dubitavit in ſer. 13.in Cant.virtuti quoq; miraculorum anteponere: [Magna inquit, & „ rara virtus profectò eſt,ut magna operantem „ magnùm te neſcias, & manifeſtam omnibus, „ tuam te ſolum latêre ſanctitatem. Mirabilem te apparere, & contemptibilem reputare. „ Hoc ego ipſis virtutibus mirabilius judico.] S. autem Cyrillus Alexandrinus libro 3. de Trinit. illa Pauli de Chriſto pronuntiata verba in epiſt. ad Philip. cap. 2. Dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen; de Incarnationis humilitate intellexit;quâ filius Dei formam accepit ſervi. Sic enim habet. [Accipere „ nomen ſuper omne nomen tanquam loco „ beneficij, eſt exinanitio, & humiliatio Verbi „ ergà nos diſpenſatoria.] [Tantò enim (ut eſt „ apud S. Gregorium Papam libro 18. moral. „ cap. 20.) unaquæq; anima fit pretioſior antè „ oculos Dei, quantò præ amore veritatis deſpectior fuerit antè oculos ſuos.] In primo enim libro Regum c. 15. Sauli dicitur; Nonnè cùm eſſes parvulus in oculis tuis caput in tribubus Iſraël factus es? Acſi diceret; Magnus mihi fuiſti, quia deſpectus tibi; ſed nunc quia magnus tibi es, factus es deſpectus mihi. Et homilia 28. in Evang. [Humilitas „ cordis noſtri tantò apud Deum in alto eſt, „ quantò hominibus in imo.] Et parte 2. paſtor. curæ c. 6. commemoratum Saulis exemplum rurſum profert; qui cùm apud ſe parvulus, apud Deum magnus fuit. S.Ambroſius quoque libro 8. in Lucam, ipſam humilitatis naturam perpendens; [Nihil dixit humilitate excelſiùs, quæ tanquam ſuperior neſcit extolli: quia nemo id affectat, quod infrà „ ſe indicat.] Et alio modo S. Gregorius Nazianz. hom. in illud Evangelij; Cùm conſummaſſet Ieſus &c. Et in exhortatione ad virgines, animi dejectionem ſublimitatis parentem eſſe ſcripſit. [Quia non eſt humilium cadere; „ ſed eorum, qui in altum feruntur.] Undè & Hetruſcus Poëta.

A cader và chi troppo in alto ſale.

Ideò S. Leo Papa ep. 90. hortatur ut declinata ſuperbia, cui proximum eſt, ut decidat, ametur humilitas, cui ſemper debetur; ut creſcat. [Neque verò ſpiritualibus oculis (ait S. „ Anſelmus in epiſt. 137. ad Turoldum Monachum) videntur qui ſe humiliant deſcendere,ſed ad montem altiſſimum,de quo ad regnum cœlorum aſcenditur,conſcendere.] Addo etiam apud homines ita evenire. Superbi enim odio habentur ab omnibus,& contemnuntur, humiles amantur, & æſtimantur. Veriſſimum quippè eſt illud S. Gregorij Papæ lib. 7. moral. c. 15. [Superbia odium generat, humilitas amorem.] Et S. Nazianzenus or. 1. in Iulianum; [Quemadmodùm,inquit,calamitas „ inſolentiam; ita ſplendor, & gloria humilitatem comitatur.] Aſpectus exemplo id oſtendit S.Greg.Nyſſ.in or.de infantibus, qui præmaturè abripiuntur. [Sicut enim palpebrarum prominentibus pilis, quaſi vallo objecto, „ puritatem, ac vehementiam radiorum natura obumbrans temperatum ſplendorem oculis infert.Ita morum gravitas,ac majeſtas cum „ moderata animi demiſſione commiſta, non „ avertit oculos intuentium, ſed jucundùm affert aſpectum.] Proptereà prudenter S. Io. Chryſ. h. 66. in Matth. [Noli, ait, timêre, „ quaſi honorem tuum humilitate amittas. „ Nunquam enim tantum poteris humilitatis „ oſtendere,quantum pro te Dominus ſuſcepit; „ cujus deſcenſus & alios erexit, & gloriam ejus manifeſtavit. Nihil humilitate altius, nihil arrogantia depreſſius.] Et iterùm;[Humiles ab omnibus quaſi parentes coluntur,quaſi „ fratres amantur,quaſi propria membra foventur.] Et h. 63. [Nullum magis oppugnant „ homines, quàm elatos, arrogantes,& inanis „ gloriæ ſervos.] Sunt & illa S.Hieronymi verba in ep. ad Celantiam matronam c. 5. [Nihil humilitate præſtantius, nihil amabilius. „ Hæc eſt præcipua conſervatrix,& cuſtos virtutum omnium: nihilq; eſt, quod nos ita & „ hominibus, & Deo gratos faciat;quàm ſi vitæ merito magni, humilitate infimi ſimus.]

Chriſti, & Ioſeph exempla profert S.Ambr. ſer.14. in pſal.118.quos amabiles maximè humilitas fecit. [Humilitatem, inquit, in Chriſto „ plus veneror, quàm creationem; quia creati „ ad laborem ſumus, redempti ad quietem. „ Quanta fecit Dominus audeo dicere, & non „ flexi ei genu;ſed flexi ei,poſtquam ſe humiliavit,factus obediens uſq; ad mortem:propter „ quod & Deus exaltavit illum, ut in nomine „ Ieſu omne genu flectatur. Ioſepho obfuit, „ quod prælatus eſſet fratribus; prælatio armavit fratres; humilitas conciliavit extraneos; præla-

Digitized by Google

„ prælatio concitavit germanos, humilitas re-„ gem ſubditum fecit.

CAPUT VI.

Humilitas perfectio noſtra.

IN charitatis perfectione perfectio agnoſcitur Chriſtiana. At de humilitate quoq; ita pronuntiâſſe reperies S. Athanaſium in libro de humana natura ſuſcepta. De Chriſti enim humilitate loquens. [Tota, inquit, & abſo-„ luta Chriſtianiſmi perfectio humilitas.] Et verè, ut loquebatur S. Leo Papa ſer. 11. de paſſione; [Mirabilior nobis fit in Deo humili-„ tas,quàm poteſtas.] Sed & de nobis quoque dixit S. Hieronymus adverſùs Pelagium ſcribens ad Eteſiphontem c. 3. [Hæc hominibus „ ſola perfectio, ſi imperfectos eſſe ſe nove-„ rint.] Et in ep. ad Deſiderium. [Scis dogma „ noſtrum humilitatis tenêre vexillum, & per „ ima gradientes, ad ſumma nos ſcandere.] Et Auguſtinus in commentario in pſalmum 130. „ [Quandiù hìc vivis,ipſa eſt perfectio noſtra, „ humilitas.] Et ſer. 49. de tempore, conſiderans illa Pauli verba in ep. ad Philip. cap. 3. Quicunq;perfecti ſumus. [Jam dudùm,inquit, „ dixerat ſe imperfectum, nunc autem perfe-„ ctum; quia ipſa eſt perfectio hominis, inve-„ niſſe ſe non eſſe perfectum.] S. Gregorius Papa lib. 28. moral. cap. 3. veram hominis ſapientiam appellavit, his verbis; [Quia prima „ ſtultitia Angeli elatio cordis fuit;vera ſapien-„ tia efficitur hominis, humilitas ſuæ æſtima-„ tionis.] In eamdem ſententiam Origenes lib. 9.in epiſtolam ad Romanos; [Qui ſibi ipſi pru-„ dens eſſe videtur, hic cum arrogantia ſtultus „ eſt; nec poteſt veram ſapientiam Dei ſcire, „ qui ſuam ſtultitiam, quaſi ſapientiam colit.] Ita interpretatur Pauli verba; Nolite prudentes eſſe apud voſmetipſos; & S. Gregor. Nazianz. in or. de moderatione in diſputationibus ſervanda; [Sapientiæ genus eſt ſe ipſum „ noſſe,ac non immodicè efferri;eodemq; mo-„ do affici, quo voces,quæ ſi vehementiùs con-„ tendantur, propter immoderationem peni-„ tùs deficiunt,] Ac demùm S. Anſelmus in li-„ bro de ſimilitudinibus; [Humilitas mons al-„ tus (propter perfectionem ſcilicet) ſuperbia „ vallis profunda, in qua denſæ tenebræ, & „ omnis generis beſtiæ.]

CAPUT VII.

Humilitas Dux ad Deum.

HUMILITAS non minùs, quàm charitas, nobis creditur eſſe dux ad Deum. Ita S. Cyrillus Alexandrinus lib. 6. in Jo. c. 2. eam ſcripſit optimam eſſe ducem ad Deum; illiuſq; gratiam conſequendam, & S. Chryſ. h. de verbis David; Quis ſum ego? to. 1. ex Cypriano citat illud; [De humilitate ad ſummum aſ-„ cendimus, & diſcimus undè placeamus.] Et S. Ambroſius ſer. 20. de Sanctis, in feſto S. Michaëlis Archangeli; citans Chriſti verba, Matth. 18. Quicunque humiliaverit ſe, ſicut parvulus iſte: [Humilitate, ait, pervenitur ad „ regnum, ſimplicitate penetratur ad cælum; „ quiſquis ergò cupit divinitatis tenêre faſti-„ gia, humilitatis ima ſectetur.] Quæ eadem verba repetit S. Maximus Taurinenſis Epiſcopus h. de S. Michaële Archangelo.

Sanctus Auguſtinus autem lib. 14. de civitate Dei cap. 13. duas illas civitates, Dei, & diaboli, humilitate, & ſuperbia dignoſci voluit: & lib. 16. c. 4.[Tutam, inquit, veramq; „ in cælum viam molitur humilitas;ſurſum le-„ vans cor ad Dominum, non contrà Domi-„ num;ſicut Nembrot dictus eſt venator contrà „ Dominum; quia erigebat turrim contrà Do-„ minum.] Et conc. ſecunda in pſalmum 36. *Gen. 10.* „ [Juſti conantur in ſublimia per humilitatem, „ iniqui præponderant ad inferiora per elatio-nem.] Et ſer.26.de tempore.[Redite ad Deum „ non poſſumus, niſi humilitate; qui ſuperbia „ lapſi ſumus.] Et ſer.213. [Humilitatis paſſi-„ bus ad cæli culmina conſcenditur, quia Deus „ excelſus non ſuperbia, ſed humilitate attin-„ gitur.] Quod ipſum repetit in ſer. 70. ad fratres in eremo, & poſt ſubjungit; [Quanta „ humilitate inclinatur cor ad ima, tantum „ proficit in excelſo.] Et S.Bernardus hortatur nos in ſer. 2. de aſcenſione Domini. [Per hu-„ militatem ad ſublimia aſcendite:quia hæc eſt „ via, & non eſt alia præter ipſam. Qui aliter „ vadit, cadit potiùs, quam aſcendit. Chriſtus „ cùm per naturam divinitatis, non haberet „ quò creſceret, vel aſcenderet, quia ultrà De-„ um nihil eſt; per deſcenſum quò creſceret in-„ venit; veniens incarnari, pati, mori: propter „ quod & Deus exultavit illum &c. Vade, & „ tu fac ſimiliter; neq; enim aſcendere poteris, „ niſi deſcendas.]

Itaque magnoperè mihi ſemper placuit illa Patrum interpretatio; quâ ſcalam, quam vidit Iacob, Gen. 28. voluerunt humilitatis fuiſſe typum, per eam enim aſcendebant Angeli ad Deum ſcalæ innixum; & nos per humilitatem aſcendimus. Inter cæteros audiſti cap. 3. Sanctum Cyprianum loquentem. Audi & S. Bernardum in tractatu de gradibus humilitatis; [Scala, inquit, Iacob typus hu-„ militatis; & Dominus deſuper innixus ſca-„ læ innuit,quòd in culmine humilitatis conſti-„ tuitur cognitio veritatis, & indè proſpiciens „ ſuper filios hominum clamat: Venite ad me „ omnes qui laboràtis. Quò? Ad veritatem: „ quà? per humilitatem: quo fructu? ego vos „ reficiam. Hæc autem refectio eſt charitas,

ad

Digitized by Google

„ ad quam aſcenſis omnibus humilitatis gradi-
„ bus pervenimus;& quæ ſeq.]Et rurſùm poſt multa. [Per humilitatem aſcendimus ad chari-
„ tatem , & per hanc ad cognitionem, & con-
„ templationem Dei. Ideò Chriſtus Dei filius
„ docet humilitatem.Si ego lavi pedes veſtros,
„ dominus, & magiſter;& vos debetis alter al-
„ terius lavare pedes.SpiritusSanctus docet cha-
„ ritatem. Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus
„ noſtris per Spiritum ſanctum , qui datus eſt
„ nobis. Pater denique revelat. Beatus es Si-
„ mon Bar-Iona, quia caro, & ſanguis non re-
„ velavit tibi ſed pater meus , qui eſt in Cœlis.
„ Et Pater filijs notam faciet veritatem ſuam.
„ Et Confiteor tibi Pater,quia abſcondiſti hæc
„ à ſapientibus , & prudentibus , & revelaſti
„ ea parvulis. Et quarè raptum , & non po-
„ tiùs ductum ſe dicit Paulus ad tertium cœ-
2. Cor. 28. „ lum ? ut videlicet ſi tantus Apoſtolus raptum
„ ſe dicit fuiſſe, quò nec doctus ſcivit, nec du-
„ ctus potuit ire ; me , qui procul dubio minor
„ ſum Paulo , ad tertium cœlum mea virtute,
„ nullo meo labore pervenire poſſe præſumam:
„ nè vel de virtute confidam,vel pro labore dif-
„ fidam.] Et rurſùm poſt pauca; [Pedem gra-
„ tiæ fortiter figens,& meum,qui infirmus eſt,
„ leniter trahens , ſecurus aſcendam per ſcalam
„ humilitatis , donec veritati adhærens , ad la-
„ titudinem tranſeam charitatis. Tunc dicam
„ cum gratiarum actione; ſtatuiſti in loco ſpa-
„ tioſo pedes meos.] Et rurſum in ſer.in ea ver-
ba ; Ecce nos reliquimus omnia &c. [Latera,
„ inquit , ſcalæ Jacob ſunt vilitas , & aſperitas.
„ Uni tantùm lateri innitentis periculoſus ni-
Gen. 28. „ mis aſcenſus , & proximus eſt ruinæ ; longè
„ tamen horribilius eſt periculum, ſi quis fortè
„ caſtigans corpus ſuum inveniatur minùs reſi-
„ ſtens gloriæ deſiderio, minùs ſolidæ humili-
„ tatis habens ; & quæ ſequuntur.] Certè S. Gregorius Papa h. 40. in Evang. cauſam quæ-
Luc. 16. rens , cur mendicus Lazarus in Evangelio nominetur ; non item dives ille ſuperbus ; cùm tamen apud nos divitum magis , quàm pauperum , nota ſint nomina. Eam eſſe reſpondit. Quoniam Deus humiles novit , & approbat , ſuperbos ignorat ; ſicut Matth.7. dicitur, Neſcio vos undè ſitis. Moyſi verò Ex. 33. novi te ex nomine. Sanè meritò, ſuperbi namque hìc ubique ſe ipſos prædicant , ſuaq; ab omnibus celebrari volunt : humiles verò occultant ſeſe , nec nominari cupiunt. Ita S. Hieronymus in com. ad caput Iſaiæ 37. Iſaiam obſervat non ſe Prophetam , ſed filium Amos nominaſſe ; & in 4. lib. Reg. c. 19. Prophetam appellari. Ac rurſùm Matthæum c. 9. publicanum ſe dixiſſe ; quem cæteri Evangeliſtæ publicanum tacent , & apoſtolicam ponunt dignitatem , & ad Matthæi caput 9. [Mat-
„ thæum cæteri Evangeliſtæ non appellant no-
„ mine vulgato,ſed Levi;Ipſe Matthæum ſe,&
„ publicanum nominat.] Ea ſemper fuit Sanctorum virorum humilitas.

CAPUT VIII.

Humilitas Dæmonem fugat.

HUMILITAS dæmonem fugat, noſtraque vitia ſuperat. Mentiar , niſi hoc David orabat in pſal. 50. cùm diceret ; Aſperges me hyſopo , & mundabor , &c. namque de humilitate interpretantur Sancti Hieronymus , & Hyſopus humilitas.
Auguſtinus. [Hyſopus enim, inquiunt, humi-
„ litatem ſignificat; & ut ille pulmones , & in-
„ flationem, ita hæc ſuperbiam curat.] Scitum eſt illud, quod de S. Antonio Abbate legimus; qui univerſum hunc mundum laqueis plenum cernens , vocem audivit à Deo , ſolam eos omnes humilitatem vitare poſſe. Teſtatur inter cæteros S. Dorotheus in ſer. 2. de cordis humilitate. Et S. Nilus in libello de octo vitioſis cogitationibus c. de ſuperbia ; Monachum dixit eſſe humilitatis abyſſum, in ea malos omnes ſpiritus peſſumdantem , & præfocantem ; & ut fieri nequit , ut ſine navi quiſpiam mare traijciat ; ita nec ſine humilitate ſalutem nos poſſe conſequi. Ioan. Caſſianus in libro de ſpiritu fornicationis c. 1. ad expugnandum hoc vitium , admonet non eſſe ſatis jejunium corporis ; ſed neceſſariam quoq; humilitatem eſſe. Habes illius verba c. 3. poſita. Atque ad hoc perſuadendum utitur S. Chryſ. commentario in pſalmum 146. verbis pſalmi ; Qui ſanat contritos corde ; & alibi : Cor contritum , & humiliatum Deus non deſpicies.
„ [Quando ergò , inquit, volueris conſolatio-
„ nem aſſequi , redde te ipſum humilem , ani-
„ mum tuum contere.] Et h.3.in Matthæum; publicanum proponit propter humilitatem juſtificatum. [Si vis , inquit , ſublime oſtendere
„ virtutis , noli ſapere ſublime , & tunc illud,
„ quod egeris, eſſe monſtrabis excelſius. Noli
„ te putare quidquam feciſſe, cùm feceris; etſi
„ pleniſſimè cuncta feciſti.Si enim etiam cùm
„ peccatores ſumus , juſtificamur ; ſicut etiam
„ publicanus : quantò magis ſi cùm juſti fueri-
„ mus, eſſe nos peccatores tamen putemus ? ſi
„ quidem ex peccatoribus quoq; juſtos humili-
„ tas facit ; & quæ ſeq.]

CAPUT IX.

Humilitas Deum conciliat.

HINC jam conſequens eſt , ut humilitas gratiam, & auxilium Dei provocet,quod charitati maximè ſolet attribui. Quod ex illo probari poſſet ; quod Deus dicitur ſuperbis reſiſtere , humilibus autem dare gratiam. Et pulchrè id oſtendit S. Cyrillus Alexandrinus libro

Digitized by Google

libro 6. in Io. c. 22. & ex verbis, atq; oratione Davidis pſ. 24. Vide humilitatem meam, & eripe me, colligit S. Io. Damaſcenus in libello adverſus Manichæos. Quaſi humilitas provocet Deum, ſitque digna, cui ab ipſo ſubveniatur. [Nihil eſt, inquit, quod Dei opem, & „ auxilium æquè provocet ut humilitas.] Sancti Io. Chryſoſtomi argumenta ex pſalmo 50. & 146. paulò antè protulimus. Jam quid eſt opus pluribus? Ipſemet Deus apud Iſaiam cap. 66. apertè pronuntiavit; Quis eſt locus quietis meæ? & ad quem reſpiciam, niſi ad pauperculum, & contritum ſpiritu, & tre-
Gen. 1. mentem ſermones meos? Deus, inquit, S. Ambroſius libro 6. exam. c. 8. cùm feciſſet piſces, & beſtias, non requievit; ſed poſtquam hominem ad imaginem ſuam fecit; Qui non requievit in beſtijs, multò minùs requieſcet in pectore beſtiali. Superbi ſcilicet hominis, & adfert hunc Iſaiæ locum.

In lib. Exod. c. 19. Deum legimus in igne, & fumo legem daturum deſcendiſſe. [Quia „ (ut habet S. Greg. Papa libro 6. moral. c. 17.) „ & humiles per charitatem ſuæ oſtenſionis il„ luminat, & ſuperborum oculos per caliginem „ erroris obſcurat. Et populus à monte prohi„ betur, ut qui adhuc infirmis ſunt mentibus „ conſiderare ſublimia non præſumant. Be„ ſtia etiamſi tangat lapidibus opprimatur. „ Beſtia enim montem tangit, cùm mens ir„ rationalibus deſiderijs ſubdita ad contem„ plationis alta ſe erigit, quæ lapidibus percu„ titur, quia ſumma non ſuſtinens ſuperni pon„ deris ictibus necatur.] Et libro 4. in primum Regum c. 5. [Sanctus Spiritus quò majori luce „ virtutum electorum corda irradiat, eo, & „ abundantiori dono humilitatis ditat. Quò „ enim celſiores ſunt meritis, planiores ſunt per „ virtutem humilitatis.] Ita impletur illud Pauli 1. Cor. 1. Elegit Deus ea, quæ non ſunt, ut ea, quæ ſunt, deſtrueret; eos enim interpretatur S. Chryſoſtomus hom. 5. qui nihil ſe eſſe arbitrantur, ut magnos ſubijceret.

Solent etiam Patres ex Evangelio proferre exemplum ſuperbi, & jactabundi Phariſæi, humiliſque Publicani. S. Chryſoſtomum paulò antè loquentem audiſti. Audi & S. Nilum in libello antè indicato. [Junge juſtitiam cum ſu„ perbia, & ex alia parte peccatum cum humi„ litate: ac peccati, quàm juſtitiæ jugum cele„ riùs currere, ſuperioreſq; fore conſpicies; non „ ob vim ſuam, ſed ob conjunctæ humilitatis „ robur. Atq; alterum rurſus ſuperari, non ob „ juſtitiæ imbecillitatem, ſed ob ſuperbiæ gra„ vitatem: exemplum eſt in phariſæo, & publi„ cano.] Sic etiam S. Aug. in pſ. 75. & ſer. 55. de verbis Domini, mulierem maritatam humilem pronuntiavit eſſe meliorem ſuperba virgine; & S. Bernardus in ſer. de donis Spiritus Sancti; Meliùs eſſe, peccatorem eſſe humilem, quàm juſtum arrogantem, idq; in Phariſæo, & Publicano manifeſtum eſſe. Et in modo benè vivendi cap. 22. meliorem eſſe viduam humilem, quam ſuperbam virginem; meliorem peccatorem humilem, quàm juſtum ſuperbum; & S. Anſelmus in Evangelium Matthæi cap. 17. aſſumpſit Ieſus Petrum. [Acceſſit, inquit, Ie„ ſus, & tetigit eos, in terra ſcilicet jacentes: „ quia cum nos infirmitatem noſtram agno„ ſcentes, humiliter jacemus, tunc virtute Spi„ ritus Sancti tangimur, & ad robuſta opera „ ſurgere præcipimur.]

In 3. libro Reg. cap. 21. ſuper Achab quoque humiliatum Deus retractavit ſententiam, quam per Eliam Prophetam fuerat comminatus. Quod conſiderans S. Gregorius Papa h. 10. in Ezech. [Humilitas, inquit, com„ pellit Deum mutare ſententiam.] Poſtremò S. Ber. ſer. 3. de Annuntiatione B. Mariæ, hujus Virginis humilitatem propoſuit, quæ Incarnationem filij Dei promeruerit; ſic enim habet. [Gratia Dei balſamum eſt puriſſimum, „ & ſolidiſſimum vas requirit, & quid tam pu„ rum, quidvè tam ſolidum, quàm humilitas „ cordis? meritò ergò humilibus dat gratiam; „ meritò reſpexit Deus humilitatem ancillæ „ ſuæ. Animum enim humilem, meritum non „ occupat humanum; quò minùs liberè influat „ divinæ gratiæ plenitudo.] Cui licet ex adverſo opponere ſponſam, Cant. 1. affectuoſiùs quærentem ſponſum: cùm reſponſum fuit; Si ignoras te, egredere, & abi poſt veſtigia gregum tuorum. [Moyſes, inquit S. Bernardus „ ſer. 34. petijt vidêre faciem Dei, & accepit „ vidêre poſteriora. Filij Zebedæi petierunt „ ſedêre ad dexteram, & ad ſiniſtram: ſic & „ ſponſa petijt &c. Sed reprimitur auſteriori „ reſponſione. Oportet enim humiliter ſentire „ de ſe nitentem ad altiora. Niſi enim humi„ litatis merito, maxima non obtinentur. Prop„ tereà qui provehendus eſt, correptione humi„ liatur, humilitate meretur. Cùm ergò humi„ liari te videris, omninò argumentum eſt gra„ tiæ propinquantis.] Et ſer. 54. [In veritate „ didici; nihil æquè efficax eſſe ad gratiam pro„ merendam, retinendam, recuperandam, quàm „ ſi omni tempore coram Deo inveniaris non „ alta ſapere, ſed timere. Beatus eſt, qui ſemper „ eſt pavidus. Time ergò cùm arriſerit gratia, „ time cùm abierit, time cùm denuò reverte„ tur: & hoc eſt ſemper pavidum eſſe: cùm „ adeſt, time, nè dignè opereris ex ea; cùm abie„ tit, time tanquam mox caſurus: ſi redierit, „ time, nè fortè contingat recidivum pati, nè „ aliquid tibi deteriùs contingat.]

Digitized by Google

CAPUT X.

Humilitatis meritum.

SI operum,atque actionum noſtrarum meri-
tum omne tribui charitati ſolet, tribuitur,
& humilitati. Nam Origenis fuerunt illa ver-
ba in tract. 24. in Matthæum. [Humilitas
,, prima exaltationis occaſio apud Deum; ſicut
,, humiliationis occaſio eſt diligere primas ca-
,, thedras.] Et illa Sancti Io. Chryſoſtomi h.
38. ad populum quæ cap. 3. adſcripſimus. Vis
verè magnum aliquid operari ? &c. & rurſum
poſt hæc.[Tutus meritorum penus oblivio me-
,, ritorum,& ſicut cùm veſtes,& aurum in fo-
,, ro exponimus,multos provocamus inſidiato-
,, res ; ſi verò domi reponamus,& celemus,in
,, tuto repoſuerimus omnia;ita & merita,ſi ju-
,, giter mente geſtemus , dominum irritamus,
,, armamus inimicum,ad furtum vocamus. Si
,, verò ſciat ipſa nemo , ſed quem ſcire ſolum
,, oportet,in tuto jacebunt.]Et iterùm.[Si ma-
,, gna vis reddere merita tua,ea nè magna eſſe
,, putes ; & magna tunc erunt.] [Quæ enim
,, agimus, ait S. Gregorius Papa lib.30.moral.
,, c. 9. tunc apud Deum creſcunt per meritum,
,, cùm apud noſmetipſos per humilitatem de-
,, creſcunt.] Ut verè dixerit S. Bernardus in
ſer. Quomodo voluntas noſtra divinæ volun-
tati ſubjici debeat , inſipientem , & inſanum
eſſe,quicunque in alijs vitæ meritis , niſi in ſo-
la humilitate confidat. Prudens , ac peritus
agricola apud Lucam cap. 13. pro infructuoſa
ficulnea rogavit uſque foderet circà illam , &
mitteret ſtercora. Humilitatem intellexit S.
Ambroſius lib.7. in Lucam, eſſe velut ſtercus,
quo fœcundantur , & fructuoſa fiunt opera
noſtra. [Magna , inquit , vis ſtercoris; quod
,, & de infœcundis fœcunda,& de arentibus vi-
,, rentia, de ſterilibus faciat fructuoſa. In quo
,, ſedit Iob, cùm tentaretur,& vinci nequivit ;
,, & cùm anteà plurima perdidiſſet, poſtquam
,, ſedit in ſtercore,non habuit,quod ei Diabo-
,, lus poſſet auferre.]Deniq;de terra Dominus
ſuſcitat inopem , & de ſtercore erigit paupe-
rem.

S. Auguſtinus quoq; in pſalmum 79. & ſer.
31.de verbis Domini;circumfoſſionem,& co-
phinum ſtercorum, humilitatem, & pœniten-
tiam interpretatus eſt ; quòd opera noſtra fœ-
cundant. Quòd ſi charitatem quoque deſide-
ras: [Sola,inquit S.Chryſoſtomus h. de verbis
,, David;Quis ſum ego?&c. humilitas eſt,quæ
,, charitatem acquirit.] Et hom. 9. operis im-
perfecti. [Secundùm teſtimonium Chriſti,&
,, Apoſtoli, plenitudo legis eſt dilectio: tamen
,, nutrix dilectionis humilitas eſt,& totius mali
,, odij mater ſuperbia.] Et S. Proſper in ep. ad
Demetriadem ; [In nullo hæ duæ virtutes ab
,, invicem dividuntur ; & ambarum tam indiſ-
,, creta connexio eſt,ut qui in una earum con-
,, ſtruitur,ſimul utraque potiatur. Sicut enim
,, pars charitatis eſt humilitas,ita pars humilita-
,, tis eſt charitas.] Et S.Auguſtinus in caput 2.
epiſtolæ ad Gal. [Humilitas maxima eſt diſci-
,, plina Chriſtiana:conſervat enim charitatem,
,, quàm nihil citiùs violat,quàm ſuperbia.] S.
Bernardi verba in ep. 42. audiſti cap. 3. Hu-
militas meretur ut detur caſtitas , & chari-
tas , ſervat acceptas , & ſervatas conſummat.
Et ſer. 2. in die natalis Domini ; [Virtus hu-
,, militatis eſt læſæ reparatio charitatis.]Et ob-
ſervavit S. Gregorius Papa h. 30. in evange-
lia , ſuperbiam diviſiſſe linguas in ædificatio-
ne turris ; humilitatem univiſſe in die Pente-
coſtes. Ac demùm S. Bernardus in tractatu
de gradibus humilitatis. [Per humilitatem
,, aſcendimus , inquit , ad charitatem.]

CAPUT. XI.

Humilitatis doctor Chriſtus.

CHRISTUS Dominus fuit ſanè charitatis
doctor,atq;præceptor cùm dixit;Manda-
tum novum ego do vobis; Hoc eſt præceptum
meum, ut diligatis invicem;In hoc cognoſcent
homines , quòd diſcipuli mei eritis ſi dilectio-
nem habueritis ad invicem. At non minùs
humilitatis extitit. Et S. Aug. in lib. de Sancta
Virginitate c.31.33.& 35. doctorem humili-
tatis appellat; & quibus eam locis maximè do-
cuit diligenter ſatis perſequitur cap. 32. ſed ut
mihi quidem videtur , duobus modis docuit ;
exemplo,& verbo. Exemplo in Incarnatione,
nativitate , in tota vita , ac demùm in morte ;
Verbo autem , ubi præcipuè tanquam in Ca-
thedra ſedens dixit, Matthæi 11. Diſcite à me
quia mitis ſum,& humilis corde. [Non dixit,
,, inquit S. Ambroſius ſer. 14. in pſ. 118. Di-
,, ſcite , quia potens ſum ; non dixit : Diſcite,
,, quia glorioſus ſum : ſed diſcite, quia humilis
,, ſum:quod poteris imitari.] Et S.Auguſtinus
libro 8. de Trinit. c.7. [Non ait; Diſcite à me
,, quatriduanos mortuos ſuſcitare;ſed quoniam
,, mitis ſum, & humilis corde;potentior enim,
,, & tutior eſt ſolidiſſima humilitas,quàm ven-
,, toſiſſima celſitudo.]Et in libro de ſancta vir-
ginitate cap. 35. [Ille, ille,cui omnia tradidit
,, Pater, & quem nemo agnoſcit, niſi pater,&
,, qui Patrem ſolus agnoſcit; non dicit; Diſci-
,, te à me mundum fabricare,& mortuos ſuſci-
,, tare. Sed quia mitis ſum,& humilis corde.]
Et ſer. 10. de verbis Domini. [Diſcite à me,
,, non mundum fabricare , non cuncta viſibilia
,, & inviſibilia creare;non in ipſo mundo mira-
,, bilia facere,& mortuos ſuſcitare;ſed quoniam
,, mitis ſum,& humilis corde.] Et rurſum ſer.
38. [Quid magiſter filius Dei concionatur ?
Putabas

Digitized by Google

„ Putabas fortè dicturam ſapientiam Dei; Diſcite, quomodo Cœlos feci, & aſtra? Non ſed prius illud, quoniam mitis ſum, & humilis corde; vis capere celſitudinem Dei? Cape priùs humilitatem Dei.] Et ſer. 12. de verbis Apoſtoli. [Diſcite à me: quid diſcimus, à te? Non alium mundum diſcipuli tui tanquam diſcipuli artificis, & fabricatoris condituri ſumus. Diſcite à me, inquit, cùm eſſem in principio apud Deum, creavi vos; Hoc nolo diſcatis à me, ſed factus ſum, quod feci, nè perirent, quæ feci: me metipſum exinanivi, formam ſervi accipiens. Hoc diſcite à me; & quæ ſequuntur.] Et ſer. 24. [Diſcite à me. Quid? Quia in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, & omnia per ipſum facta ſunt? nunquid hoc ab eo diſcere poterimus; mundum fabricare, Cœlum luminibus implêre, diei, noctiſq; viciſſitudines ordinare; tempora, & ſæcula jubêre percurrere, ſeminibus vim tribuere, animalibus terram implêre? Nihil horum jubet nos diſcere Magiſter cœleſtis. Illa fecit, ut Deus. Sed quia iſte Deus & homo eſſe dignatus eſt; in eo, quòd Deus eſt, audi ut recreëris; in eo quod homo eſt; audi ut imiteris: & quæ ſequuntur.] In libro quoque 50. homiliarum h. 34. pluribus in eandem ſententiam diſſerit. Et libro 2. de doctrina Chriſtiana c. 41. exponens illud Pauli; Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus; [Nihil, inquit, magis immolatio Chriſti nos docet, quàm illud, quod ipſe clamat; Diſcite à me quia mitis ſum, & humilis corde; & qui Paſcha celebraturi erant hyſopo ſignabantur: quæ herba humilis eſt, & purgat, nè inflemur.] Ideò in pſ. 50. Aſperges me hyſopo, & adjungit; & exultabunt oſſa humiliata. Et S. Greg. Papa lib. 4. regiſtri, cap. 82. non eſt veritus affirmare, Chriſtum factum fuiſſe hominem, ut humilitatem doceret. [Quanta, inquit, humilitatis eſt virtus, propter quam ſolam veraciter edocendam is, qui ſine æſtimatione magnus eſt, uſquè ad paſſionem mortis factus eſt parvus? quia enim originem perditionis noſtræ præbuit ſuperbia diaboli; inſtrumentum redemptionis noſtræ inventa eſt humilitas Dei.] Et Io. Caſſianus in lib. de ſpiritu ſuperbiæ c. 4. [Deus videns hominem per ſuperbiam periiſſe, & Angelum, humilitatem elegit, ut qui per ſuperbiam perierat, per humilitatem reſurgeret. Ille dicit; In Cœlum conſcendam; hic dicit: Humiliata eſt in terra vita mea; ille; Et ero ſimilis altiſſimo: hic; Cùm eſſet in forma Dei formam ſervi accepit. Ille; Super aſtra Dei exaltabo ſolium meum. Hic; Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.] Itaque & veniens in mundum hunc, & vivens, & moriens perpetuus fuit humilitatis magiſter, & doctor.

Hûc etiam ſpectant illa verba Mar. 10. Sinite parvulos venire ad me, hoc eſt, humiles. Quæ verba quemadmodùm interpretatus fuerit S. Baſilius in regulis brevioribus 216. dictum eſt c. 2. Et quamvis S. Dorotheus in ſer. 14. de ædificio virtutum animæ, legens in lege; Nè parvuli veſtri cadant, & ruant è tecto; Parvulos intellexerit cogitationes, quæ in anima gignuntur noſtra; eas tamen adjunxit oportêre humilitate cuſtodiri, nè ruant è tecto.

CAPUT XII.

Humilitas Sanctorum virtus.

HUMILITAS non minùs, quàm charitas; virtus dicitur eſſe Sanctorum maximè propria; itaque cùm in epiſtola ad Gal. cap. 3. ſcripſiſſet Paulus; Mihi omnium Sanctorum minimo; ſapienter in commentario ad eum locum demonſtrat S. Hieronymus quàm verè id Apoſtolus affirmaverit. Et S. Ambroſius in pſalmum 21. & S. Maximus Taurinenſis h. in ramis palmarum. [Humilitas, inquiunt, Sanctorum virtus eſt maxima.] Ac rurſùm idem S. Ambroſius ſer. 5. in pſalmum 118. Eccleſiam ait Cant. 2. lilium appellari convallium; quia in humilibus magis elucet gratia, eſt etiam lilium inter ſpinas, id eſt, inter Iudæos, & hæreticos, & inter ſolicitudines hujus ſæculi, & ut lilium inter ſpinas èminet, ita ſuper omnes conventus eccleſia Dei refulget.

S. Bernardus ſer. 2. de verbis Iſaiæ; Vidi Dominum &c. [Sola ei placet humilitas; & qui ſedet in throno, ſolos eligit ſubditos, è quibus repleat templum. Scriptum eſt enim in pſalmo 112. Quis ſicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat, & humilia reſpicit, & alta à longè cognoſcit.] Denique S. Dorotheus in ſer. de cordis humilitate, arborum exemplo utitur, quæ fructibus onuſtæ ad terram inclinantur. Sic enim Sancti virtutibus onuſti humiliantur. [In arboribus, inquit, multo fructu onuſtis, fructus ipſe ramos incurvat: ramus verò, qui nullum fructum habet, in altum attollitur, & rectus aſſurgit, ſic & anima cùm uberem fructum àdfert &c. & quantò uberiorem, tantò magis inclinatur; & viri Sancti quò propiùs ad Deum accedunt, eò magis ad terram per humilitatem inclinant.] Hoc cùm quidam ex Dorotheo audiſſet, admiratus eſt; cui ille. Quem locum habes in tua civitate? magnum, inquit, & principem, quòd ſi Cæſaræam iveris? viliorem, inquit, omnibus. Si Antiochiam? ut ruſticum, inquit, me haberem; ſi ad regiam civitatem Conſtantinopolim? ut pauperem & mendicum.

Iuſti arbores fructus onuſtæ.

CAPUT XIII.

Humilium Orationes.

CHaritatem hoc præſtare nobis, ut orationes noſtræ exaudiantur à Deo, illud oſtendit; Deus peccatores non audit; ſed ſi quis eſt cultor Dei, hunc exaudit. At ex pſalmo 9. hoc idem de humilitate collegit S. Chryſ. [Illi, ait, maximè exaudiuntur, dum „ orant;qui ſunt corde humili,& contrito. Ait „ enim, non eſt oblitus clamorem pauperum. „ Illos enim dicit pauperes, qui ſunt pauperes „ ſpiritu. Ubique enim orationis vehiculum eſt „ humilitas. Oportet itaque eum,qui orat,ma„ ximè liberari à bilioſo ardore.] Ità Chryſoſtomus. Atq; mendicantium pauperum exemplo confirmat S. Bernard. in ſer. 4. de adventu Domini. [Utile, inquit, magis eſt abſcon„ dere, quàm oſtentare, ſi quid habemus boni. „ Sicut mendici,cùm eleëmoſynam petunt,non „ pretioſas veſtes oſtendunt; ſed ſeminuda „ membra, aut ulcera, ſi habuerint;ut citiùs ad „ miſericordiam videntis animus inclinetur.] Apertum rei hujuſce teſtimonium habemus in libro Iudith cap. 9. Humilium, & manſuetorum ſemper tibi placuit deprecatio.

CAPUT XIV.

Humilitas patiens, manſueta, & magnanima.

DE Charitate Paulus pronuntiavit; Charitas patiens eſt. Hoc ipſum de humilitate dictum à S.Chryſoſtomo reperies in Com. ad pſalmum 9. [Humilitas patientiam, & „ patientia humilitatem ſe invicem conſti„ tuunt.]

Charitatem item omnes norunt, & manſuetam eſſe; & magnanimam. Hujuſmodi eſt etiam humilitas. De manſuetudine ad hunc modum loquitur S. Ber. in ſer. de verbis Apoſtoli Ioannis; Signum magnum apparuit in Cœlo: [Collactaneæ ſunt humilitas, & man„ ſuetudo, in eo confœderatæ germaniùs,qui „ dicebat; Diſcite à me,quia mitis ſum,& hu„ milis corde.] Et mox de magnanimitate ſubjungit. [Agit hoc in cordibus electorum „ gratiæ prærogativa divinæ;ut eos, nec humi„ litas puſillanimes faciat, nec magnanimitas „ arrogantes.] Et S. Ioan. Chryſ. in pſalmum 144. [Aliud eſt arrogantia, aliud magnitudo „ animi;eſt enim arrogans,qui propter res par„ vas ſe jactat,& gloriatur,& conſervos deſpi„ cit. Alto verò animo;qui mente eſt humilis „ & præſentis vitę umbras nihil eſſe exiſtimat.] Et h.70.in Io. [Qui præſentibus rebus ut ma„ gnis inhiat, vilis eſt,& abjecti animi. Itaque „ nunquam humilitas eſt ſine magnitudine „ animi, neque ſuperbia ſine puſillanimitate. „ Quemadmodùm pueri vilium rerum ſpecta„ cula admirantur, & obſtupeſcunt; pilis, tro„ chis, & talis inhiant; magnas autem res nè „ cogitatione quidem capere poſſunt.] Et rurſùm h. prima in priorem epiſtolam ad Cor. „ [Veram animi magnitudinem, atque præ„ ſtantiam humilitas facit: ſuperbia, ſeu arro„ gantia ex animi imbecillitate;manſuetudo,& „ humilitas ex magnanimitate, atq; præſtantia „ proficiſcitur.]Itaq; quod Abraham ſe pulverem ac cinerem appellavit; ex magnanimitate Gen. 13. profectum dicit; Qui verò nec terram ſe, nec cinerem eſſe intelligit, ſed intumeſcit, & magnam de ſe concipit opinionem, parvi eſt animi, cùm minima magna eſſe ſibi perſuadet. Sicut, qui lutum tanquam aurum admiretur, & magni faciat. Contrà qui tanquam lutum contemnat, magnanimus eſt. Affert ex corporibus exempla, ex quibus de animis ratiocinatur. [In corporibus, inquit, aliud eſt vi„ vidum, aliud tumidum;aliud corruptæ,aliud „ ſanæ plenitudinis. Superbus eſt tumidus,hu„ milis vividus, item alius eſt ſtatura corpo„ ris altiore, alius brevi; qui acceptis ſoleis illo „ major apparet. Utrum magnum dicamus?] Tales ſunt qui in pecunijs, & gloria intumeſcunt. [At pueros, inquit,in h.4. in epiſtolam „ ad Philip.ridemus cùm elatos,& jactabundos „ videmus, aut cùm lapides tollunt, & proij„ ciunt;ita & humana arrogantia animi puerilis „ eſt,& mentis imperfectæ & vilis.] S.Proſper in ep. jam ſæpiùs citata;divites quoque,& magnates poſſe eſſe humiles, exemplo oſtendit Abrahæ, Iſaäc, & Iacob, Melchiſedech,Iob,ac cæterorum Patrum.

Poſtremò ad humilitatis commendationem hoc etiam magnoperè pertinet;quod charitatis ſoror appellatur humilitas. S. Proſperi verba habes ſuperiùs cap. 11.

CAPUT XV.

Humilitas rara.

ETenim rara prorſus virtus humilitas eſt: In quibus maximè. in ijs præſertim, qui virtutibus aut abundant,aut certè abundare ſe putant, S. Io. Chryſ. h.3.in pr.ep.ad Tim. [Humilitatem animi,ait, „ lucra ferre ingentia cernimus, ſed ea non fa„ cilè invenitur.] Eam tamen ſtatim ſubjungit his maximè neceſſariam eſſe; [Illis,inquit,ma„ ximè laborare opus eſt, ut veram conſequi „ humilitatem poſſint, qui magnarum ſibi vir„ tutum conſcij ſint;magnam ſibi vim inferant „ neceſſe eſt, ut conſcientiam rectè factorum „ ſeſe ſemper efferentem obtundere queant.] Quocircà h. 22. ad populum; Virgines illas à Domino dictas fatuas propterea fuiſſe arbitratur, quòd ſervato magno virginitatis munere,

Digitized by Google

nere,mandatum humilitatis parvum non cuſto-
dierunt. [Inter vitia(verè ſcribit ad Demetria-
,, dem S. Proſper) aut nulla,aut rara jactantia,
,, & facilè ſpernitur , qui de opprobrio gloria-
,, tur : malum ſuperbiæ maximè in virtutibus
,, cavendum eſt; quià nullis importuniùs inſi-
,, diatur, quam quibus laus juſta debetur.] Et
,, [Superbis mentibus (ait S. Gregorius Papa
,, libro 15. moral. cap. 21.) pondus grave eſt
,, oriens doctrina humilitatis.]

CAPUT XVI.

Humilitas facilis , & neceſſaria.

EST tamen facilis , & neceſſaria. Facilis,
quia ut eſt apud S. Ber. ſer. 2. de quadrag.
,, [Qui contendit ſupergredi proximos,multas
,, inveniet difficultates , multos habebit æmu-
,, los , multos patietur contradictores.] Nihil
Humilitas facilior, quàm ſuperbia.
verò facilius quàm humiliare ſemetipſum :
quam ob cauſam jure optimo Euſebius Emiſ-
ſenus miratur ; qui fiat , ut ſuperbiam potiùs
quàm humilitatem amplectamur : cùm hu-
militas facilior , quàm ſuperbia ſit. Sic enim
loquitur h. 1. de Epiphania , & h. de Macha-
bæis. [Neſcio cur nobis vitiorum , ac ſuper-
,, biæ itinera aſpera & naufragoſa magis pla-
,, ceant; cùm magis humilium viæ molles,pla-
,, næ , atque directæ ſint. Ubi enim eſt humi-
,, litas , ibi requies , ibi tranquillitas, ibi omnis
,, ſerenitas. Dum enim ipſa ſibi placet,atq; pa-
,, cata eſt;etiam ſi qua tribulatio,ſi qua tempe-
,, ſtas oborta; nihil erectum, nihil ſublime, ni-
,, hil oppoſitum invenit , ubi illidat impetum
,, ſuum; ſi quid ex adverſo invenit, totum poſt
,, ſe humiliata fronte tranſmittit: quælibet tri-
,, bulatio ita ab humilitate mitigatur , ac vinci-
,, tur , ſicut in planis littoribus ſine aliquo fra-
,, gore unda conſumitur : aurarum motus fe-
,, rociamq; ventorum,montium objecta ſuſci-
,, piunt; vallium verò ſubjecta non ſentiunt;&
,, quæ ſequuntur.]

Superbiendum non eſſe.
Quòd autem ex rebus hujus mundi ſuper-
bire , atque extolli nos minimè oporteat ; per-
accommodato exemplo demonſtrat S. Grego-
rius Nyſſenus in libro de beatitudinibus or. 1.
dum ait [Ambitioſi ſimiles ijs ſunt,qui perſo-
,, nati in ſcenam prodeunt;qui tamen ex regio
,, habitu non ſuperbiunt,neque poſt cum triſti-
,, tia,& dolore deponunt.]Eodem enim modo
ad hæc omnia,ex quibus ſuperbire homines ſo-
lent , affectos nos eſſe oportet.

Humilitas neceſſaria.
Neceſſaria verò ; quia ut S. Baſilius loqui-
tur in ſer. de abdicatione rerum ; Animi in
virtute progreſſus , in humilitate progreſſus
eſt ; contràque in poſtremis relinqui , id non
aliundè , quàm ex elatione progignitur & in
ep. ad Canonicam ; Inter ea, in quibus ſervan-
dis magna opus ſit contentione ; hoc nume-
rat. [Memores ſimus,neque ſi qua in re præci-
,, pua dote aliqua naturæ , aut corporis , aut
,, animi,cæteris excellamus;ea cauſa nobis ipſis
,, placeamus,neque aliorum de nobis exiſtima-
,, tione ad ſuperbiam abutamur.] Et rurſùm
or. 17. quæ eſt de humilitate , & vana gloria,
inter cætera , quæ de hac virtute hic S. Pater
diſſerit præclarè ; [Difficilè eſt, inquit, ut is,
,, qui nec omnium infimus eſt,nec poſtremum
,, tenere locum cupit, unquam poſſit,aut con-
,, vitijs jactatus iracundiæ reſiſtere, aut multis
,, coöpertus miſerijs tolerando , ac patienter
,, ferendo tentationibus eſſe ſuperior.] Nolite
prudentes eſſe apud voſmetipſos , Apoſtolus
monuit Rom. 12. quem locum exponens O-
rigenes ; [Qui ſibi ipſi,inquit,prudens eſſe vi-
,, detur,hic cum arrogantia ſtultus eſt;nec po-
,, teſt veram ſapientiam Dei ſcire , qui ſuam
,, ſtultitiam quaſi ſapientiam colit.] S. autem
Gregorius Nazianz.in Iambicis tetraſticis,per-
indè ait illis evenire, qui ob virtutes multo ſtu-
dio comparatas extolluntur ſuperbè ; atque
illis, qui poſt ſecundam navigationem naufra-
gium faciunt in portu : verba illius ſunt; [Nè
,, quid proſperè navigans magnificè dicas , an-
,, tequam ad portum appulleris. Multi enim
,, cùm ſecundo curſu navigaſſent, in ipſo por-
,, tu naufragium fecerunt.] Et Sancti Ioannis
Chryſoſtomi illa in h. 31. in Gen. [Etſi quis
,, innumera bona opera fecerit , virtutemque
,, omnem abſolverit;ſi tamen magnum quid de
,, ſe ſentit, maximè omnium miſerabilis eſt,&
,, miſer.] Et adfert illud , quod in Evangelio
de jactabundo Phariſæo legitur : & illud Chri-
ſti ; Cùm hæc omnia feceritis, dicite, quia ſer-
vi inutiles ſumus. Et rurſum h. 33. [Si quis ſi-
,, bi plurimorum benè geſtorum conſcius ſit ,
,, niſi apud ſe ſentiat,quòd omnium ſit poſtre-
,, mus , nulla ei futura utilitas ex omnibus ſuis
,, bonis operibus.] Et h.38. [Nihil ita naturæ
,, noſtræ conducit , ut mentem ſubducere , &
,, humiliare ſuperbum ſpiritum , & inflatio-
,, nem mentis deprimere.] Et h. 6. ex varijs
Matthæi locis;[Sive jejunium,ſive orationem,
,, ſive eleëmoſynam , ſive continentiam, ſive
,, quid aliud boni congregaveris ſine humilita-
,, te,defluit,& pereunt omnia.] Et h. 32.in Io.
,, [Sine humilitate pietatis opera nihil adferunt
,, utilitatis.] Et h. de profectu Evangelij , ex
ædificijs argumentum ſumit. Quàm enim eſt
in illis neceſſarium fundamentum , tàm eſt in
Chriſtiana omni philoſophia humilitas ; [E-
,, ſto, inquit,multum ædifices,habeas eleëmo-
,, ſynas, preces, jejunia, virtuteſque omnes,hac
,, non præjacta , fruſtrà & in vanum erunt
,, omnia;facileq; ruet ſuper arenam extructum
,, ædificium.Nihil eſt in omnibus noſtris bonis
,, operibus quod hac non egeat:nihil eſt, quod
,, ſine hac ſtare poſſit:omnia prophana,impura,
,, atque abominabilia ſunt abſque humilitate.]

 S. Au-

Digitized by Google

S. Auguſtini de hac re ſententiam ex epiſtola 56. ad Dioſcorum audiſti in ſuperioribus c. 3. Jam S. Gregorius Papa h. 12. & 14. in Ezech.
Ezechiel filius hominis. Prophetam; hunc obſervat, quoties ſublimia conſpicit, aut agere aliqua myſtica jubetur, filium hominis appellari: nè extollatur ex his, ad quæ ducitur. Ideò infirmitatis propriæ admonetur; ut conſcius conditionis infirmæ elevari in cogitatione non debeat de magnitudine contemplationis. Et Sanctus Proſper in
Pueri, qui dicti pſalmum 112. Pueros in ſcriptura non infantes dici, ſed animorum humilitatem; ſuperbia enim de vana granditate præſumens, non ſinit hominem ambulare per arctam viam, & intrare per anguſtam portam: puer facilè intrat. Ita dicitur: Laudate pueri Dominum; &
Ps. 112. Matt. 18. alibi; Niſi efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum Cœlorum. Et iterùm in pſalmum 130. ubi dicitur ſi non humiliter ſentiebam &c. Et ſicut ablactatus &c. [Malè, inquit, agitur cum infante, qui non poteſt edere ſolidum cibum, ſi à matris uberibus auferatur. Ita nobiſcum agitur, qui cùm panem Angelorum edere non valemus, potum materni lactis amittimus: & cùm ea, quæ ſuper nos ſunt, apprehendere non queamus, humilitatis bono caremus.]

CAPUT XVII.

Humilitas in quibus commendetur.

In juvenibus, an in ſenibus. CÆTERÙM hanc virtutem non tam in ſenibus, quàm in juvenibus, commendat, & admiratur S. Ambroſius ſer. 18. in pſalmum 118. [Non mirabilis, inquit, humilitas in ſenectute, quæ effœta viribus, fracta debilitatibus, triſtis doloribus, anhela ſuſpirijs, cocta curatum æſtibus, & ipſo vivendi affecta faſtidio, alacritatem eſt oblita jactantiæ. Rara ſanè in juvenibus, ideòq; miranda. Adoleſcentulus ſum ego, & contemptus, dixit David: præmiſit juvenem, ut augeret humilitatem.] Ego tamen neſcio; an in ſenibus laudare magis, & admirari debeam. Etenim ſi juvenes & propter corporis vires, & propter multam conſequentis ætatis ſpem poſſint extolli: in ſenibus adſunt multa anteactæ vitæ merita, magna apud homines exiſtimatio, virtutes plurimæ, atque præcipuæ doctrinarum ſcientiæ, rerum uſus, & experientia plurima; & omninò quidquid à juvenibus ſperari poteſt. Quam ob cauſam eos admonet Euſebius Emiſſ. in h. 3. ad monachos. [Quantò plus proficimur, tantò plus humiliemur: quia quantò plus humiliamur, tantò magis proficimus. Humilitas, & obedientia in junioribus adhuc neceſſitas, in ſenioribus verò dignitas. Ille enim benè proficit, ille benè conſummat; qui quotidiè agit, quaſi ſemper incipiat. Quare augmenta meritorum debent incitamenta eſſe profectuum.] Et in ſer. exhortatorio contrà diverſa vitia; [In hoc ſolùm videatur eſſe elatio, ut dedignetur, ſubjacêre peccato; in hoc ſolo ſe erigat, ut paſſionum vilia blandimenta calcet, & conterat; ut delectationes concupiſcentiæ carnalis exhorreat, ut contrà laſcivam mollitiem malè ſuadentis carnis tota affectu conſcientiæ generoſitatis aſſurgat; cæterum illud ſuperbiæ genus vile, ac detestabile, eſt contrà humilem ſe erigere, & deſtitutum, infirmumq; deprimere, & imbecillitate nutantem impellere: pauperem, atque ſubjectum contempto Dei timore calcare, & in afflictione miſeri potentiæ ſuæ pondus exercere, ac virum tenuem avidis faucibus ferinis nitibus devorare.] Ac rurſum S. Gregorius Papa illos monet in libro 23. moral. c. 19. ſi quid virtutis habeant, id non ſibi tribuant, ſed agnoſcant à Deo, neque indè ſuperbiant. [Nemo, inquit, ſe alicujus virtutis æſtimet, etiam cùm aliquid fortiter poteſt; quia ſi divina protectio deſerat, ibi repente enerviter obruitur, ubi ſe valenter ſtare gloriabatur.] *Vile ſuperbiæ genus.*

De quodam Propheta narratur in libro 3. Regum c. 13. qui in ſe ipſo fortaſſe elatus, quòd Dei præcepto obediens contempſiſſet regem, in via mortuus eſt. [Propheta, inquit idem Gregorius, in domo regis invitatus comedere noluit; qui tamen in eadem via, & ſeductus comedit, & paſtus interijt; quia fortaſſè apud ſemetipſum tacitus pro præceptis dominicis regem ſe contempſiſſe gloriabatur; ab interna mox ſoliditate quaſſatus eſt; ut diſceret quia nequaquam propriæ fortitudinis fuerit, quod verbis regis reſtitiſſet.] Et S. Io. Chryſ. h. 3. in priorem epiſtolam ad Tim. [Illis maximè laborare opus eſt ut veram conſequi humilitatem poſſint, qui magnarum ſibi virtutum conſcij ſunt: magnam ſibi vim inferant neceſſe eſt, ut conſcientiam rectè factorum ſeſe ſemper efferentem obtundere queant.] De illis autem ſeorſim, qui ob ſcientiam extolluntur; ita loquitur S. Gregorius Nazianzenus in or. de moderatione in diſputationibus ſervanda; ſuperbiam, & rebellionem adducens Dathani, & Abironis adverſus Moyſen: *Doctorum ſuperbia.* [At nos, inquit, ſi exiguam quandam gloriam nominiſque ſplendorem aſſecuti fuerimus, ac nè id quidem perſæpè; verùm ſi temerè duo, aut tria ſcripturæ verba, eaque imperitè, & conciſè perdidicerimus; jam & furioſè adverſus Moyſen inſurgendum eſt, & importuna Dathani, & Abironis contumelia, & impietas imitanda.] Proptereà in or. in laudem Baſilij commemorans adoleſcentiæ ſtudia; ſimul etiam recenſet, quemadmodùm Athenis adoleſcentes, qui ad ſcientias perdiſcendas confluebant illuc, ad humilitatem, atque modeſtiam inſtituerentur: adjungit hæc verba;

Digitized by Google

ba; [Qui Athenas ad ſtudia litterarum adven-
„ tat, primum apud aliquem hoſpitem accipi-
„ tur; deindè à quovis volente cavillis laceſ-
„ ſitur; Quod quidem eò faciunt ut novitio-
„ rum faſtum, & ſuperbiam retundant, atque
„ à principio ipſos in poteſtatem redigant.]
Atq; hæc ſit clauſula à S. Gregorio Papa ad-
notata in libro 30. moral. c. 18. ſemper nos
meminiſſe debere; [Quod in hac vita tantò
„ veraciùs docti ſumus, quantò doctrinam
„ nobis à nobiſmetipſis ſuppetere non poſſe
„ cognoſcimus; ſed à Deo.]

Divites quoq; & nobiles perſonæ plurimum in hac virtute comparanda laborant. Nam & extollunt divitiæ, & nobilitas generis altos progignit ſpiritus. S. Gregorius libro 15. moral. c, 33. exponens illa Iob verba; Viſcera ejus plena ſunt adipe: ſuperbiam eſſe velut adipem affirmavit; quæ ex rerum abundantia generatur. [Sicut enim, inquit, ex abun-
„ danti cibo adeps, ita ex abundantia rerum
„ ſuperbia naſcitur, quæ impinguat mentem,
„ dum elevatur animus ſuperbientis.] Dequò illis, qui ex illuſtri genere ad Chriſtum veniunt, ità præcepit S. Baſilius in or. 6. de inſtitutione, & admonitione. [Qui ex illuſtri aliquo
„ genere vitæ ad humilitatem contendit; hunc
„ præcipuè oportet, ut ſit aliquis è numero eo-
„ rum, qui ab hominibus externis ignominia
„ afficiuntur; & obſervandum eſt, an eum om-
„ ninò non pudeat operam navare Chriſto.] Verùm & divites quoque ac nobiles poſſe eſſe humiles, jam ex S. Proſpero antè dictum eſt.

Divitum, & Nobilium ſuperbia.

Iob. 21. Superbia adeps.

CAPUT XVIII.

Humilitatis gradus.

PORRÒ humilitatis gradus ſeptem numerat S. Bernard. in lib. ſent. nu. 41. Abdicationem rerum, abdicationem veſtium, corporis exercitium, dejectionem in properijs, patientiam in adverſis, abhorrêre proſperis judicium, & propriam voluntatem; ſed duodecim prorſus conſtituit in tractatu, quem de hac ipſa re inſcripſit. Nam duodecim ſuperbiæ gradibus conſtitutis; curioſitate oculorum, levitate animi, inepta lætitia, jactantia, ſingularitate, arrogantia, præſumptione, defenſione peccati, ſimulata confeſſione, rebellione, libertate peccati, contemptu Dei; totidem his oppoſiti ſunt humilitatis gradus.

At in ſer. 4. in Epiph. Domini, tribus planè gradibus univerſam hanc virtutem complectitur; ſi te humilies ſuperiori, ſi æquali, ſi inferiori. Sic enim habet. [Sicut grandis, &
„ gravis eſt ſuperbia præferre ſe æquali, aut æ-
„ quare prælato: ita magnæ humilitatis eſt in-
„ feriorem ſe exhibere æquali, aut æqualem
„ inferiori. Maxima verò, & plena juſtitia eſt
„ inferiorem ſe exhibere ipſi etiam inferiori.
„ Ita Chriſtus Joanni; Ita decet nos implere
„ omnem juſtitiam.] In quam ſententiam adjungam verba ejuſdem Sancti Patris in ſer. 37. in Cant. [Non eſt, inquit, periculum, quantum-
„ cunq; te humilies, quantumcunq; reputes mi-
„ norem, quam ſis; hoc eſt, quam te veritas ha-
„ beat, eſt autem grande malum, horrendumq;
„ periculum, ſi vel modicè plus vero extollas, ſi
„ vel uni in tua cogitatione te præferas, quem
„ fortè parem tibi veritas judicat, aut etiam
„ ſuperiorem; ſicut enim, ſi per oſtium tranſ-
„ eas, cujus ſuperliminare baſſum ſit; non no-
„ cet, quantumcunq; te inclinaveris; nocet au-
„ tem, ſi vel tranſverſi digiti ſpatio pluſquam
„ oſtij patiatur menſura, érexeris, ita ut impin-
„ gas, & capite quaſſato collidaris: ſic &c.]

Verùm S. Chryſoſt. in hom. 44. in Acta. Prætermiſſis æqualibus, bipartitam fecit humilitatem; ergà ſuperiores, & ergà inferiores, eamq; tum in ſermone, tum in opere. [Multa,
„ inquit, pertinent ad humilitatem, eſt enim
„ humilitas in ſermone, & in opere: ergà eos,
„ qui præſunt, & ergà eos, qui ſubditi ſunt.
„ Vultis vobis dicam modos humilitatis? ſunt
„ quidam qui ergà humiles extant humiles, er-
„ gà ſublimes autem ſublimes: quòd tamen non
„ eſt humilitatis. Sunt iterùm alij non tales; ſed
„ ergà utroſque humilitatem, & ſublimitatem
„ ſervant: quod etiam maximæ humilitatis eſt.] Jam verò humilitatem ergà ſuperiores Abbas Moyſes apud Caſſianum collat. 2. c. 10. non ſolùm voluit in exteriori obſervantia, atq; obedientia conſiſtere; ſed etiam in aperiendis ijs omnibus, quæ ad interiorem animæ ſtatum pertinent; [Vera, inquit, diſcretio non niſi
„ vera humilitate acquiritur. Cujus humilita-
„ tis hæc erit prima probatio, ſi omnia, quæ a-
„ guntur, vel cogitantur, ſeniorum reſerventur
„ examini, nihilque ſuo judicio quiſquam cre-
„ dens, quid bonum, vel malum debeat judica-
„ re, eorum traditione cognoſcat.] Tres item alibi gradus idem Bernardus agnoſcit. Quorum primus eſt nolle dominari; ſecundus velle ſubijci; tertius in ipſa ſubjectione quaſlibet contumelias, & injurias illatas æquanimiter pati. Hæc enim fuerunt hominis verba in parvis ſermonibus, ſer. 18. tres alios habes in ſer. 34. in Cant. [Aliqui namq; inquit, cum
„ rancore humiliantur; alij patienter; alij liben-
„ ter. Primi rei ſunt; ſequentes innoxij; ultimi
„ juſti.] Apud S. Anſelmum quoq; totidem reperies in ep. ad Connium, quæ eſt 75. lib. 3. ubi tribus poſitis ſuperbiæ modis, quorum primus eſt in æſtimatione, quâ quis æſtimat de ſe plus, quàm debeat; alius in voluntate, quâ ſe altiùs vult tractari, quàm debeat; tertius in opere, de quo dictum eſt à Domino: Cùm invitatus fueris ad nuptias, non recumbas in primo loco: [His, inquit, reſpondent tres modi

Superiori omnia aperiri.

Digitized by Google

„ di humilitatis; ſed ſinguli modi ſuperbiæ nominant hominem ſuperbum; humilis autem „ non dicitur, niſi ex omnibus tribus.]

Duplicem ex S. Bernardo in ſer. 4. de adventu; alteram cognitionis, alteram affectionis humilitatem; initio hujuſce tractationis commemoravimus. De qua item loquitur in ſer. 44. in Cant. Quo loco tractans illa verba; Nardus mea dedit odorem ſuum; ita interpretatur. [Eſt nardus humilis herba, ſed calidæ „ naturæ. Humilitatem ſignificat; ſed quæ „ ſancti amoris vaporibus flagrat; eſt enim humilitas, quam veritas parit, & non habet „ calorem; & eſt humilitas, quam charitas format, & inflammat. Hæc in affectu, illa in „ cognitione conſiſtit; & quæ ſequuntur.] Denique S. Gregorius Papa lib. 2. regiſtri c. 24. duplicem item humilitatem memorat, alteram, quam illis exhibemus, à quibus honoramur; alteram, quam illis à quibus mala, & perſecutiones patimur. [Non eſt, inquit, grande his nos humiles eſſe, à quibus honoramur; „ quia & hoc ſæculares quilibet faciunt; ſed illis maximè humiles eſſe debemus, à quibus „ aliqua patimur. Nam Pſalmiſta dicit. Vide „ humilitatem meam de inimicis meis.]

Cant. 1.

CAPUT XIX.

Humilitatis adjumenta.

AT quænam ad hanc virtutem comparandam erunt nobis adjumenta? Plurima ſanè.

1 Cognitio ſui.

Primum eſt cognitio ſui, crebraque hujus conſideratio S. Bern. ſer. 36. in Cant. ita loquitur. [Ad te humiliandum nihil anima invenire vivacius, aut accommodatius poteſt, „ quàm ſi ſe in veritate invenerit: tantùm non „ diſſimulet, non ſit in ſpiritu ejus dolus. Statuat ſe antè faciem ſuam, nec ſeſe à ſe avertere abducatur, & quæ ſequuntur.] Et in libro de interiori domo c. 53. [Super tria firma „ ſedet humilitatis perfectio: ut attendat homo, quid fuit antè ortum, quid eſt ab ortu „ uſquè ad occaſum, & quid erit poſt hanc vitam.] Ac rurſum libro de Paſſione Domini ſuper; Ego ſum vitis vera. [Multæ ſunt cauſæ, „ quæ nos ad humilitatem cogant; initium pudoroſum, vita doloroſa, finis timoroſus.] Appoſitè autem, ut adnotavit S. Io. Chryſoſt. h. 12. in Gen. cùm dixiſſet Moyſes hominem factum ad imaginem Dei; [Nè homo magnus ſibi „ eſſe videretur, & præſcriptos ſibi limites „ tranſiret, formationis illius originem adjunxit; Et formavit Deus hominem de limo terræ. Hinc enim non parva nobis humilitatis „ offertur doctrina; Nam cùm cogitaverimus „ undè conſtitutionis ſuæ initium natura noſtra „ ſuſceperis, etiamſi ſexcenties ſupercilia ſurrigamus; ea reprimemus, & humiliabimur, & „ ſubſtantiæ noſtræ qualitatem perpendentes „ modeſtiam diſcemus.] Et iterùm in pſalmum 48. exponens illa verba. Quiq; terrigenæ, & filij hominum. [Cogita, inquit, quænam ſit „ mater, & faſtum tuum comprime. Conſidera, quòd terra es, & in terram reverteris; & „ omnem arrogantiam expelle.] Theodoretus quoq; q. 10. in Exodum; Deum putavit Moyſis manum feciſſe leproſam; ut cùm poſteà mirabilia multa eſſet facturus, non ſuperbiret, ſed agnoſceret naturam cum recordatione dexteræ leprâ priùs infectæ. In pſalmo 115. ubi nos legimus. Omnis homo mendax: S. Hieronymus in Commentario. [In Hebræo, inquit, „ habetur omnis homo mendacium; Ergò in „ exceſſu meo humiliatus ſum nimis, & dixi; „ Omnis homo mendacium; hoc eſt, nihil ſolidi, ſed umbra, & quaſi imago. Nam in pſalmo 38. in imagine pertranſit homo.] Et quiſquis fuit autor epiſtolæ de viro perfecto, quæ eidem aſcribitur Hieronymo; Deum ſcripſit hominem non de ſyderea, vel alia nobiliore materia, ſed de limo formaſſe; ut nihil in ſe haberet, quo gloriari & extolli poſſet. Poſtremò ad univerſum hoc caput pertinêre mihi videtur illud, quod adnotavit S. Io. Chryſ. in ſer. de fide & lege naturæ, & Spiritu Sancto, qui habetur to. 3. Quo loco Deum ſcripſit non in univerſa modò hominis natura, ſed in ſingulis etiam corporis membris, aliquod velut humilitatis admonitorium inſeruiſſe. [Deus, inquit „ ille, dedit homini linguam, quæ minimum „ cum ſit membrum, diſſerit de Cœlo, &c. & „ nè ſe extollat, ſæpè tumores, & vulcera in ea „ fiunt; ut diſcat, quòd mortalis exiſtens de „ immortalibus loquatur, & ſciat, quòd virtus ejus ſit, quæ prædicatur, & infirmitas „ ejus quæ prædicat. Dedit oculum, parvum illud milium, quo videt omnem creaturam, & „ nè extollatur, ſæpè naſcuntur in oculis leniæ „ & lacrymæ, quæ dolorem faciunt. Dedit cor „ rationale, fontem cogitationum, radicem cupiditatum: ſed in eiſdem locis fecit viſcera, „ quæ ſtercoribus aliiſque ſordibus replentur; „ ut ſi cor extollatur, humiliet venter.]

Ex. 4.

Secundum adjumentum fuerit incultus, & neglectus exterior corporis cultus. Hoc inter cæteros magnoperè commendant Sancti Baſilius, & Dorotheus; quorum alter rationem quoque verbis illis reddidit, quæ, ex homilia de humilitate poſita ſunt capite 2. Alter verò in eandem ſententiam in ſermone 2. de cordis humilitate laborem corporis multum voluit ad humilitatem conferre. [Humiliato enim ac demiſſo corpore, humiliatur ſimul, & anima. Ita enim afficitur anima, pro„ ut ea ſunt, quæ aguntur in corpore. Aliter „ enim afficitur anima benè habentis, aliter ægrotantis, aliter fameſcentis, aliter ſaturati,

2. Incultus corporis cultus.

„ ti, aliter ejus, qui equo vehitur, aliter illius, „ qui vectatur aſello, aliter ejus, qui ſedet in „ throno, aliter ejus, qui in terra, aliter ejus, qui „ pretioſis indutus eſt veſtibus, aliter ejus, qui „ pannoſis, & laceris. Ideò cùm Evagrius à „ ſpiritu blaſphemiæ oppugnaretur, qui à ſpiri- „ tu ſuperbiæ provenit, quadraginta diebus & „ noctibus fuit ſub divo; ita ut corpus ejus „ muſcas caninas proferret, ut bruta animalia „ ſolent.] Humiliato enim corpore, humiliatur anima.

3. Humiliatio. Tertium proponit S. Ber. in ep. 87. ad Ogerium Canonicum regularem. Nam, ut virtutes cæteræ repetitis, & crebris earum actionibus comparantur; ita, & humilitas crebris humiliationibus quærenda eſt. [Humiliatio, „ ait ille, via eſt ad humilitatem; ſicut patientia „ ad pacem, lectio ad ſcientiam.] Si virtutem appetis humilitatis, viam nè refugias humiliationis.

4. Multa nobis deſunt. Quartum addit S. Chryſ. Si enim elati inſurgant ſpiritus, & aliquid nos eſſe videamur nobis, cogitandum erit, quàm multa nobis deſint, & quàm multis indigeamus alijs. Ad hunc autem is modum loquitur in Comm. pſalmi 43. [Nè aliqua eſſet arrogantia, effe- „ cit Deus, ut magna ſemper parvis egerent. „ Hoc etiam fecit in rebus inanimis; Laboran- „ tem enim columnam ſubjectus ſæpè calculus „ firmam, ſtabilemq; præſtitit: & navigium „ in quo plurimi ſunt vectores, parvus clavus „ dirigit, & liberat à periculis.] Et iterùm h. 37. in Acta argumentum ſumit ex corporis noſtri membris; quorum unum adverſus alterum non inflatur, nec extollitur, quoniam eorum unumquodque alterius membri ope indiget, mutuiſque ſtant auxilijs omnia. [Idcircò, „ inquit, in corpore eſt moderatio qualitatum, „ & harmonia, quia non eſt inflatio. Non eſt „ autem inflatio, quia membra ita conſtituta „ ſunt, ut ſeipſis invicem utantur neceſſariò: & „ caput pedibus eget, & pedes capite.] Quod argumentum ex Paulo deſumptum eſt 1. Cor. 12. non poteſt oculus dicere manui, opera tua non indigeo; aut corpus pedibus, non eſtis mihi neceſſarij.

5. Superbia abiecti eſt animi. Quintum erit non minimum; ſi conſideres illud, quod habet idem Chryſ. h. 1. in priorem ep. ad Cor. ſuperbiam ex animi imbecillitate, & abjectione naſci, humilitatem ex magnanimitate; ita & ſuperbiam vitabis, & humilitatem ſectaberis. Verba jam poſita ſunt c. 14.

6. Non eſt noſtrum perſeverare. Sextum fuerit ſi ſeriò cogites, te non poſſe perſeverantiam in bono tibi polliceri, undè extolleris, & ſuperbis: quòd ſi cadas, turpiùs cades. Hùc ſpectant S. Chryſoſtomi verba in h. 2. in ep. ad Philem: quæ habes c. 2. ſed aperta magis S. Gregorij ſententia lib. 23. moral. c. 19. quam audiſti c. 17. ſed & h. 8. in Ezech. cum Cherubin diceret Propheta demiſiſſe alas, dum vox fieret ſuper firmamentum; vocem ſuper firmamentum factam occulta Dei ſuper nos judicia interpretatur, quæ dum conſideramus, ſuperbiæ alas demittimus, nec de ulla virtute noſtra confidimus, ſed ſub magno timore trepidamus. *Ezec. 1. 7.*

7. Reddenda Deo ratio. Septimum; ſi crebrò cogites, ſi quid in te ſit eximium, aut præclarum: id totum à Deo eſſe acceptum, reddendamq; illi de adminiſtratione rationem: an inquam, ad illius honorem, an ad tuam propriam gloriam fueris eo uſus. Propterea S. Chryſ. h. 38. ad populum. [Maximè, ait, „ debes humiliari, quòd pluribus donis prædi- „ tus es. Cui enim plus datum eſt, plus repete- „ tur ab eo. Igitur oportet te humiliari, quòd „ alios prætergreſſus in te Deus inclinavit. Fre- „ quenter enim, & hoc tibi cauſa perditionis „ fuerit, niſi vigilaveris.] Et S. Auguſtinus in „ libro de ſancta Virginitate c. 41. [Non ſu- „ perbies de virginitate, & alijs virtutibus, ſi „ cogites eſſe dona Dei, non tua bona.] Quam ob cauſam c. 44. & 47. virginem monet, nè unquam audeat ſe præferre mulieri conjugatæ; quia neſcit judicia Dei, & interiora illius mulieris.

8. Humilitate cuſtodiri. Octavum ſi humilitatem conſideres optimam eſſe bonorum, ac donorum omnium cuſtodem; ſuperbiam verò expoliatricem, ac deprædatricem certiſſimam. Aperta fuerunt S. Chryſoſtomi verba h. 38. ad populum; quæ audiſti c. 10. Quibus adde S. Gregorij Papæ ſententiam h. 11. in Evang. [In præſenti nam- „ que vita, ait ille, quaſi in via ſumus, quâ ad „ patriam tendimus. Maligni autem ſpiritus „ iter noſtrum quaſi latrunculi obſident. De- „ prædari ergò deſiderat, qui theſaurum publi- „ cè portat in via.]

9. Cordis contritio. Nonum ſit cordis contritio, dolorq; vehemens de peccatis: contritionem enim ſtatim humilitas ſequitur, quod in pſalmo 50. ſignificavit David, dicens; Cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies, contritioni enim humilitatem adjunxit, ſed & S. Chryſ. h. 4. in poſteriorem ep. ad Cor. adhortans ad contritionem verbis Ioëlis 2. Scindite corda veſtra, & pſalmi 50. citati; addit illicò. [Dilacera cor; nè „ ſinas illud ſublimes tollere ſpiritus, neque „ inflari: quod enim diſcerptum eſt, non infla- „ tur.] Sed & in h. 5. in ep. ad Philip. eiſdem Pſalmiſtæ utitur verbis ad perſuadendam patientiam, ſervandamq; cum omnibus pacem, & contentiones vitandas: quæ item humilitatis bona ſunt. [Omnium, inquit, bonorum „ cauſa eſt animi humilitas. Audi Prophetam; „ Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus; Cor „ contritum, & humiliatum Deus non deſpi- „ cies. Non ſolùm animi humilitatem, ſed in- „ tentionem animi humilis poſuit. Ut enim in „ corporibus, quod contritum eſt, duro, ac ſoli- „ do nunquam ſanè reſiſtet; ſed quæcunq; tandem

Digitized by Google

„ dem mala ab eo feret; peribit potiùs, quàm „ cum altero contendat: ita & in animo eſt, e„ ligit magis perpetuò malè pati,& mori,quàm „ contendere, & ulciſci.]

10. Humilitas Chriſti. Decimum ſit conſideratio humilitatis Chriſti, ad quam imitandam ipſemet invitat dicens; Diſcite à me; quia mitis ſum, & humilis corde. S. Gregorius Nyſſ. in lib. de beatitudinibus; cùm paupertatem ſpiritus voluntariam animi humilitatem, ac demiſſionem expoſuiſſet. [Cætera, inquit, divinæ naturæ pro„ pria modum naturæ noſtræ ſuperant: humi„ litas autem coalita nobis eſt humi repentibus, „ & ex terra conflatis, & in terram defluenti„ bus. Si in cæteris non poſſumus, imitemur „ Chriſti humilitatem, & beati erimus.] [Ho„ mo, addit S. Auguſt.in pſ. 33. dedignabatur „ imitari hominem humilem. Deus factus eſt „ humilis, ut vel ſic ſuperbia generis humani „ non dedignaretur ſequi veſtigia Dei.] & tract. 25. in Io. [Puduit te fortaſſe imitari hu„ milem hominem, ſaltem imitare humilem „ Deum.] [Medicina tumoris hominis humi„ litas eſt Dei.]inquit idem in ſer.41. de verbis Domini; [Non enim poſſumus redire ſine hu„ militate, ut habet in libro de fide, & ſymbolo „ cap.4.qui ſuperbiâ lapſi ſumus.Hujus humi„ litatis exemplum ipſe reparator noſter in ſe „ ipſo demonſtrare dignatus eſt; factus princi„ pium viæ, quâ redeundum eſt.] [Neq; (ut „ ratiocinatur S. Leo Papa ſer. 2. de reſurre„ ctione Domini) in tantum poteſt provehi „ quælibet fœlicitas humana faſtigium, ut „ æſtimet ſibi pudendum, quod manens Deus „ in forma Dei, Deo non eſt arbitratus indi„ gnum.] Ergò, ut verbis utar S. Chryſ. h.2.in ep. ad Philem: [Quoties tibi ſubrepit elata co„ gitatio,quòd quaſi humilitatis culmen occu„ paveris; conſidera, ubinam,undè deſcenderit „ Dominus tuus; & tunc deſines te ipſum ad„ mirari, & laudare; immò te, & tua omnia „ ridere cogeris, cùm ex collatione dominicæ „ humilitatis nihil te omninò profeciſſe co„ gnoveris, debitorem te ſemper exiſtimans.] Chriſti enim humilitatis exemplo; ut ad Dioſcorum ſcribit S. Aug.in ep.56.in cujuſvis animo ferociter arrogantis omnis ſuperbia cedit,& frangitur, & emoritur. Sanè multæ ſunt cauſæ; ut colligit S. Ber. in lib. de paſſione Domini ſuper; Ego ſum vitis vera; quæ nos ad humilitatem cogant: ſed ſola regis noſtri, & redemptoris Ieſu humilitas non ſolùm invitare, ſed violenter cogere deberet. S. tamen Auguſt. in lib. de Catechizandis rudibus c. 22. Beatæ quoq; Mariæ humilitatem imitandam,atq;cum Chriſti humilitate conjungit. [Beata, inquit, „ Maria fabro deſponſata omnem typhum car„ nalis nobilitatis extinxit. Et Chriſtus natus „ in Bethlehem minima civitate, quæ & hodiè „ villa appellatur.]

Undecimum comparatio virtutum, ac geſtorum noſtrorum cum virtutibus, & geſtis Chriſti Domini. *11. Chri. ſti geſta.* Intelligemus enim quam parum ſit quidquid eſt in nobis, neque magnam indè eſſe ſuperbiendi occaſionem; immò verè poterimus illud uſurpare ſponſæ Cant. 1. Fuſca ſum, quia decoloravit me ſol. Quo loco S. Gregorius Papa; [Decoloravit, inquit, me „ ſol; quia quantumlibet fulgeat anima, in „ comparationeChriſti fulgorem amittit.]Qui rurſum in h. 8.in Ezech. conſiderans illud,animalia cùm vox fieret ſuper firmamentum, demiſiſſe alas ſuas; firmamentum putat Dei filium incarnatum ſignificare, quòd in eo natura noſtra ad æternitatem firmata eſt. Dum ergò illius virtutes contemplamur, quæ in nobis magna videbantur, parva judicantur; & ideò demittimus alas,& qui volare credebantur, vix humi repere deprehenduntur. Sic Abraham alas depoſuit, qui quando cùm Deo loqui cœpit; pulverem, & cinerem ſe eſſe cognovit; *Gen. 18.* Sic Moyſes alas depoſuit, qui eruditus omni ſcientia Ægyptiorum; *Ex. 4.* mox ut verba Domini audivit verba ſe non habêre deprehendit; Sic Iſaias *Iſ. 6.* Dominum contemplatus virum ſe pollutum labijs pronuntiavit; Sic loquente Domino Ieremias clamat; A, a, a, Domine neſcio loqui, *Ier. 1.* quia puer ego ſum; Sic Daniel ſublimem viſionem videns per plurimos dies elanguit, & *Dan. 8.* ægrotavit; Sic beatus Job, de quo Dominus *Iob. 42.* amicis illius dixit;Non eſtis locuti, ſicut ſervus meus Job; cùm verba Dei loquentis audiret, reſpondit; Inſipienter locutus ſum, & quæ ultrà modum excederent ſcientiam meam quia in contemplatione veræ ſapientiæ ſua ei ſapientia vileſcit. Hoc ipſum, & nos de virtutibus noſtris ſentiemus, & pronuntiabimus, ſi Chriſti virtutes conſiderabimus.

Duodecimum, ac poſtremum ex Sanctorum *12. Sanctorum exempla.* virorum exemplo ſumatur, qui omnes humilitatem ſemper maximè coluerunt. S. Baſilius or. 17. de humilitate, & vana gloria, ita de ſeipſo loquitur. [Ego profectò magis ſtudeo „ in loco obſcuro eſſe, quàm quidam ambitioſi „ in conſpicuo, & illuſtri.] Et apud S. Nazianz. in or. in laudem Baſilij; [Cæteris in rebus „ clementes, & pavidi ſumus, atque omnium „ abjectiſſimi,nec adverſus quemquam vel ple„ bejum, & infimi ordinis, ſupercilium attolli„ mus. Verùm ubi nobis Deus periclitatur,tum „ demùm omnia alia pro nihilo putamus; ip„ ſum ſolum intuemur.] S. Athanaſius in ep. ad Epictetum, illitteratum ſe appellat, & correctioni ſe ſubijcit. Conſtantius manſionarius ruſticum ſe deſpicantem amplexatus, dixit; Tu ſolus es,qui in me apertos oculos habuiſti. Auctor eſt S. Gregorius Papa libro 1. dialog. cap. 5. cujus ipſius humilitatem ſummam celebrat Io. Diaconus in ipſius vita lib.4. c. 63. Plurima his ſimilia paſſim leguntur.

Chri-

Digitized by Google

Chriſtum porrò humilitatis doctorem fuiſſe dictum eſt c. 11. De Beatæ Mariæ Virginis humilitate, ſunt ſatis illa verba; Ecce ancilla Domini. [Ancillam ſe dicit (inquit S. Am-„ broſius lib. 2. in Lucam) quæ mater eligitur; „ nec repentino exaltata promiſſo eſt. Mitem „ enim, humilemq; paritura, humilitatem de-„ buit, & ipſa præ ſe ferre.] Nec immeritò miratur S. Bernardus h. 4. ſuper Miſſus eſt. [Quæ „ eſt hæc ſublimis humilitas, quæ cedere non „ novit honoribus inſoleſcere gloria neſcit? „ Mater Dei eligitur, & ancillam ſe nominat. „ Non magnum eſt eſſe humilem in abjectio-„ ne; magna prorſùs & rara virtus humilitas ho-„ norata; & quæ ſequuntur.]

Ethnicorum humilitas & Hebræorum. Ethnicarum quoque & hebræarum mulierum humilitatem commendat Clemens Alexandrinus in 4. ſtrom. libro. Cleoboli enim Lyndorum monarchæ filiam non pudebat lavare pedes hoſpitum paternorum: & Abrahæ uxor Sara paravit ipſa Angelis panes ſubcinericios, & puellæ regiæ paſcebant oves apud Hebræos, & apud Homerum Nauſicea iverat ad pannos lavandos. Abrahæ autem humilitatem, cùm ſe pulverem, & cinerem *Gen. 18.* appellavit, exaggerat S. Cyrillus Hieroſolym. catech. 6. [Non enim dixit ſolum terram, „ nè ſe magnum elementum terram appellare „ videretur, ſed addidit cinerem, ut vilitatem, „ fragilitatem, & imbecillitatem ſuam oſten-„ deret; quid enim cinere levius, aut exilius?] Petri etiam Apoſtolorum Principis humilitatem, ac modeſtiam, cùm Pauli reprehenſionem toleravit, S. Gregorius prædicat h. 18. in Ezech. [Petrus Apoſtolorum primus à Pau-„ lo reprehenſus, minori fratri ad conſenſum „ dedit, & factus eſt ſequens minoris ſui; etiam „ ut in hoc præiret; quatenus qui primus erat „ in Apoſtolatûs culmine, eſſet primus & in „ humilitate; omnia dona, quæ acceperat, quaſi „ è memoria repulit, ut unum fortiter humili-„ tatis donum teneret.] Deniq; maximum humilitatis teſtimonium habetur ex verbis illis, quibus non ſolùm Pontifices ſummi apud Chriſtianos noſtros ſunt uſi, & nunc quoque utuntur; dum ſervos ſe ſervorum Dei nominant: ſed uſum quoque legimus S. Auguſtinum in ep. 107. ad Vitalem, & S. Bernardum in ep. 319. ad Lelbertum Abbatem, aliòſque Sanctos viros.

DE MANSUETUDINE, ET IRA.

LIBER XIX.

Qui veræ humilitatis poſſeſſor fuerit, erit & manſuetudinis. Ut non ſit mirum, ſi Chriſtus Dominus noſter ubique ferè humilitatem, & manſuetudinem conſueverit copulare; dumq; ſe alterius doctorem profeſſus eſt; alteram; ſimul pollicitus eſt; dicens: Diſcite à me quoniam mitis ſum, & humilis corde: dumq; beatitudines octo commendaret in monte; primam quidem omnium fecit humilitatem, inquiens; Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum: ſed illi ſtatim manſuetudinem adjunxit; Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram. De humilitate ſatis dictum eſt; Pauca de manſuetudine dicenda ſuperſunt, ut à Domino virtutem utramque diſcamus. *Matt. 5.*

CAPUT I.

Manſuetudo quid.

Ergò Manſuetudinem definivit Ariſtoteles in ſecundo artis Rhetoricæ c. 3. depreſſionem iræ, atque ſedationem. Sed accuratiùs in quarto ad Nichomacum lib. c. 5. mediocritatem circà iram; inter exceſſum, inquam, & deffectum iræ exceſſus eſt iraſci, cui non debeas, quando non debeas, propter quod non debeas, & plus quam debeas. Deffectus, non iraſci, & quando, & propter quod, & quantum iraſcendum fuerat. Hoc ſtolidi, & inſenſibilis hominis eſt, qui perindè habet, acſi nullius rei ſenſum haberet: illud autem nimio affectu parcit; Manſuetus inter utrumq; ſtat. Neq; enim affectu nimio, ac perturbatione ducitur, ſed ratione; cujus ſuaſu quando, & quatenus, & quibus, & propter quod oportet, iraſcitur. Potiùs tamen ad deffectum accedit, quàm ad exceſſum:

Digitized by Google

exceſſum: quia propenſior ad veniam dandam, quàm ad repetendam ultionem. Ita exceſſus magis, quàm deffectus, manſuetudini opponitur. Eſtque rarus manſuetudinis exceſſus; ut idem Ariſtoteles habet in ſecundo mor. ad Eudemum cap. 6. omnibus in alterum extremum propenſis. Neque verò ergà homines tantùm, verùm etiam ergà beſtias, & animalia bruta tenenda mediocritas eſt. Ita nos admonuit S. Ioan. Chryſ. hom. 29. in ep. ad Rom. [Sunt, „ inquit, Sanctorum animæ vehementer mi„ tes, & hominum amantes, non ſolùm ergà „ domeſticos, ſed & alienos: ita ut hanc ſuam „ manſuetudinem etiam ad animantia bruta „ extendant.]

CAPUT II.

Manſuetudinis virtus.

Manſuetudo ut dicta. MANSUETUM quaſi manu aſſuetum; hoc eſt, contrectabilem, mitem, facilem, ac lenem ad omnes; dictum fuiſſe ſcribit S. Anſelmus ad caput 5. epiſtolæ ad Galat. & ad caput 4. ep. ad Epheſ. & caput 2. poſterioris ad Tim. & S. Ambroſius lib. 7. in Lucam Chriſtum adnotavit Apoſtolos ſuos miſiſſe ſine baculo, ut *Matt. 10.* humilitatem, & manſuetudinem docerent; atq; hoc pugno verberantem repercuterent, ut percuſſi in maxillam, præberent & alteram. Quod ſi Paulus 1. Cor. 4. minatus eſt virgam; eam ex *Paulus virgam minans.* doctrina, inquit, legis accepit: Legerat autem Prov. 13. Qui parcit baculo, odit filium ſuum; & in libro Exod. c. 12. agnum manducantes baculum in manibus Deo jubente habuiſſe: Sed & dum virgam minatur, in ſpiritu manſuetudinis viſitat delinquentes, & illorum ipſorum conſulit voluntatem. [Quid vultis inquit? in virga „ veniam ad vos, an in charitate, & ſpiritu man„ ſuetudinis? Priùs quidem minatus eſt vir„ gam, ſed exhibuit manſuetudinem.] Et S. Aug. ep. 48. ad Vincentium, conſiderat illa verba, quæ Petro percutienti Pontificis ſervum dixit Chriſtus, Io. 18. Mitte gladium tuum in vaginam. [Quia tempore novi teſtamenti, ait „ ille, manſuetudo charitatis non ſolùm in cor„ de ſervanda erat; verùm etiam in luce mon„ ſtranda, & Petri gladius in vaginam revoca„ tur à Chriſto, ut oſtendatur non debuiſſe de „ vagina eximi, nec pro Chriſto.] Et commentario in pſalmum 33. Dominum notat non ſuper equum ſediſſe, nec mulum, quæ ſuperba ſunt animalia, & cervicem interdùm erigunt; *Chriſtus ſedens ſuper aſinum.* ſed ſuper Aſinum, animal manſuetum. Ut indicaret, aſinos nos eſſe oportere, ut portemus Chriſtum; non equos, aut mulos, quibus non eſt intellectus. Eccleſiaſtici cap. 45. legimus: In fide & lenitate Sanctum fecit illum. [Ne„ que enim, inquit S. Bernardus ſer. 5. in vi„ gilia nativitatis Domini; hominibus ſine le„ nitate, neque Deo ſine fide placere poſſibile „ eſt.] Et ſi quis peccaverit, in ſpiritu lenitatis inſtruendum eum eſſe voluit Paulus in ep. ad Gal. cap. 6. extat epiſtola S. Dionyſij Areopagitæ ad Demophilum; quem graviter objurgat, quòd pœnitentem hominem non recepiſſet; immò & inſurrexiſſet adverſus Sa- *Manſuetudo gratiſſima Deo* cerdotem, qui eum miſericordia dignum dixiſſet. Deique proponit exemplum ergà homines peccatores. Quin etiam ex Hebræorum Hiſtorijs Moyſen narrat propter inſignem clementiam, & lenitatem judicatum fuiſſe Dei aſpectu dignum, & ſi quando eo privatus fuit, propterea fuiſſe, quòd à manſuetudine receſſiſſet, & omninò Deo gratiſſimam eſſe confirmat S. Io. Chryſ. in ſerm. de manſuetudine, tom. 5. [Servus, inquit, Chriſti „ magis à motum mititate, quàm à nomine, „ quod ei parentes impoſuerunt, vocandus eſt, „ neque Deus homines ita diligit propter vir„ ginitatem, jejunium, contemptum divitia„ rum, hilarem eleemoſynarum dationem, ut „ propter mites, benèque compoſitos mores.] Multiſque deinceps in hujus virtutis commendationem loquitur. Apud S. Baſilium in conſtit. monaſt. cap. 14. illud eſt argumentum, quòd Deus eſt manſuetudinis ſpiritus, noſque eodem ſpiritu duci oportet. Convenit enim, ut ſuſcepto hoſpiti hoſpes ſimilis ſit. S. Gregorius quoque Papa non dubitavit aſſerere, manſuetudinem ſimilitudinem Dei eſſe, ſic enim habet in lib. 5. moral. c. 30. [Quoties turbu„ lentos animi motus ſub manſuetudinis vir„ tute reſtringimus, ad ſimilitudinem redire „ conditoris conamur.]

Sed & miram animi ſui pacem, ac tranquillitatem experitur in ſe quiſquis eſt manſuetus. *Manſueti pax.* Ut enim ira commotio eſt, & agitatio; ita ſedatio, & quies manſuetudo eſt. [Manſue„ tudo illa eſt (ait S. Hieronymus in Com. ad „ caput 4. epiſtolæ ad Epheſ.) quæ nulla paſſio„ ne turbatur, & ſpecialiter ira, & furore non „ rapitur.] Et Io. Caſſianus in collat. 12. Abbatis Cheremonis cap. 6. multis oſtendit, mitem ac manſuetum hominem in multitudine pacis vivere, nec ullis impugnari vitijs; ac præſertim libidine: Quantumque quis in lenitate profecerit, tantum in corporis puritate, & caſtitate profecturum eſſe, juxtà illam Chriſti ſententiam; Beati mites, quoniam ipſi poſſide- *Mat. 5.* bunt terram, rebellem ſcilicet corporis noſtri terram, quæ contrà ſpiritum perpetuam habet pugnam, & Prov. 14. juxtà 70. interpretes: Manſuetus vir cordis eſt medicus, ut non ſolùm iræ, verùm etiam libidinis omniumq; pariter extirpet fomitem vitiorum. Et S. Chryſ. h. 34. in Gen. [Nihil, inquit, animam ita in „ tranquillitate, & quiete eſſe facit; ut manſue„ tudo, & modeſtia; Hæc omni diademate poſ„ ſidenti ſe eſt utilior. Hæc omni claritudine, & glo-

Digitized by Google

„ & gloria conducibilior. Quid enim beatius, „ quàm inteſtino bello liberari ?] Et h. 29. ad populum. [Nonnè tolerantis, & mitis anima „ ſolitudini cuidam eſt ſimilis multam habenti „ quietem? illius autem, qui bile ſit percitus fo- „ ro, ac tumultui, inedijsq; civitatibus, ubi mul- „ tus euntium, & redeuntium clamor, camelo- „ rum, mulorum, & aſinorum, & rurſum ar- „ gentarijs, & erarijs utrimque cudentibus; At „ mitis mens cuidam montis vertici ſimilis eſt „ auram habenti tenuem; purum verò radium, „ pura fontium fluenta. Et quæ ſequuntur.]

CAPUT III.

Moyſis, & Davidis manſuetudo.

IN ſacris libris Moyſis præſertim, & Davidis manſuetudo, & mititas celebratur. De altero enim in libro Num. c. 12. dicitur. Erat Moyſes vir mitiſſimus ſuper omnes homines, qui morabantur in terra; de altero autem in pſalmo 131. Memento Domine David, & omnis manſuetudinis ejus. Quando verò, & quibus in rebus manſuetudinem ſuam demonſtrârint; longum eſſet nunc commemorare. Lege Commentarium Chryſoſtomi in pſ. 44. qui abundè ſatisfaciet. At fortaſſe miraberis utrumque aliquando vehementer iratum, & de injurijs acceptis repetentem vindictam. Verùm duobus modis reſpondetur. Primùm enim manſuetudo non eſt ſtoliditas, ſenſuſque vacuitas; ſed ſtabilitas animi, quâ non facilè, nec pluſquam oportet, commovearis; ubi tamen res poſtulat, & ratio ſuadet, permovearis quantum, & ut oportet: Deindè ut pro alienis potiùs, quàm tuis ulciſcaris injurijs. Ita S. Baſilius in commentario pſal. 44. [Manſueti, ait, eſt, quæ in ipſum commiſſa ſunt, remittere; injuriâ verò affectos ulciſci.] Et in conſt. monaſt. c. 14. [Si ſuſcipienda interdùm adverſus alicujus negligentiam indignatio ſit, indignatio ratione ſit temperata: Nam & gladijs utuntur medici, utuntur & homicidæ: ſed alio atque alio modo: Illi ad ſalutem, hi ad perditionem.] Moyſis profert exemplum qui omnium hominum cùm eſſet mitiſſimus; ubi tamen opus fuit, non pro ſuis, ſed pro divinis injurijs indignatus eſt uſque ad ſuorum cædem, & mortem; tùm quando vitulum adorârunt; tùm cum nefarijs ſe Beëlphegor ritibus polluerunt; ac de proprijs quidem injurijs, Chryſ. quòque ita loquitur h. 52. in Gen. [Hæc verè manſuetudo eſt; non quando quis „ offenſus manſuetè fert, ſed quando quis ab „ his etiam, qui inferiores putantur, offenditur, cedit.] Et h. 34. in Matt. [Quouſque ſumus „ oves facilè hoſtes vincimus; cùm verò in lu- „ porum naturam tranſimus, tunc ſuperamur; „ tunc enim nullum nobis à paſtore patroci- „ nium adeſt, qui non lupos, ſed oves paſcit.] Et h. 26. in priorem ep. ad Cor. [Aſperitas „ manſuetudine, non alia aſperitate, diſſolvitur.] Et h. 19. in ep. ad Epheſ. extrà fidei cauſam injurias noſtras vult eſſe tolerandas. [Pu- „ defacit, inquit, infideles, ſi viderint vos extrà „ fidei cauſam in reliquis omnibus eſſe man- „ ſuetos:] De alienis verò injurijs idem S. Pater in commentario pſ. 44. [Hoc, ait, eſt vel „ maximè manſueti, ſuas injurias remittere; eos „ autem, quibus fit injuria defendere.] Quemadmodum Chriſtus quoque fecit. Et in pſal. 131. [Mitis ille eſt, qui ferre poteſt, quæ in ſe „ ipſum peccata ſunt; qui alijs factam injuriam „ propulſat, & eis fert opem, & eſt vehemens „ ultor eorum, qui probra ingerunt. Qui autem „ non eſt hujuſmodi, ſed hebes, deſes, & ſom- „ nolentus, & mortuo nihilo meliùs affectus: „ non eſt mitis, nec manſuetus.] Ita Moyſes Dei cauſam egit perpetuò; & David, quamdiù vixit, toleravit; cùm tamen Rex facilè poſſet ulciſci; moriens autem Salomoni filio juſtitiæ, & regiæ dignitatis zelo, ultionem reliquit injuriæ non ſibi ſed Regi factæ; & quidem Regi, qui venturi Chriſti figuram gerebat.

CAPUT IV.

De ira.

PORRÒ manſuetudini adverſatur ira. Circà quam temperandam illa laborat. Graviſſimo judicio Senecæ ex omnibus affectibus maximè teter, & rabidus eſt ira. Brevem inſaniam appellârunt alij ſapientes. Quo loco magnoperè intelligendum eſt; quorſum in nobis ſit hic affectus iræ, & quod illius officium in ſentiente animæ parte duplicem Deus inſeruit appetitum; concupiſcentem unum, ad appetendum bonum, quo ſuſtentetur natura; alterum iraſcentem, ad avertendum malum naturæ inimicum, alterumque appetitum in aſſecutione boni juvandum, ſi fortè fuerit arduum, & difficiliorem habuerit aſſecutionem. Non diſputo nunc, an diverſæ ſint facultates, an verò diverſæ facultatis ejuſdem appetitiones; alio opportuniori loco ſententiam expoſui meam: Nunc ſat eſt noſſe, iram animali fuiſſe datam, velut concupiſcentiæ ſtimulum ad procurandum bonum, malumque averſandum; nè fortè in utraque muneris ſui parte ab occurrentibus difficultatibus ſuperetur, ac proſternatur. Scio quid Stoicus homo Seneca diſputet inutilem iram prorſus eſſe contendens. Sed & S. Aug. ep. 115. ad Nebridium, eam eſſe, ſcripſit, turbulentum appetitum auferendi ea, quæ facilitatem actionis impediunt. Itaque plerumque non hominibus tantùm, ſed & calamo iraſcimur in ſcribendo, eumq; colli- *Cur in nobis ira.*

Digitized by Google

dimus, & frangimus; & aleatores teſſeris, & pictores penicillo, & cuique inſtrumento quilibet, ex quo difficultatem ſe pati arbitratur. Ad rem autem noſtram facit, quod omnes dixêre Patres, datam nobis, ut in acquirendis virtutibus adjuvaret; atque diabolo,& peccato poſſemus valentiùs reſiſtere, ſic enim hortatur S. Gregorius Nazianz. or. in novam dominicam. [Ira adverſùs ſerpentem ſolùm utere, ob quem excidiſti.] Quæ verba citat, & inculcat S. Nilus in libro de octo vitioſis cogitationibus c. de avaritia. S. Io. Damaſ. lib. 2. de fide c. 16. rationis ſatellitem, & concupiſcentiæ vindicem appellat. Nam cum rei alicujus deſiderio tenemur, atque ab aliquo nobis impedimentum affertur, tum quaſi injuriâ acceptâ, adverſùs eum excandeſcimus, & libro de duabus Chriſti voluntatibus: [Cupiditas, inquit, data eſt nobis,ut Deo, ejuſque præceptis pareamus; ita autem ut Diabolo, & peccato reſiſtamus, confirmemuſque cupiditatem.] Utitur canis exemplo S. Chryſ. h.30.ad populum: [Si enim canis ovibus blandus ſit, & contrà externos ſæviat, virtus illius eſt, & licèt eſuriat, ex ovibus non guſtet; & quamvis ſit ſatur, lupis tamen non parcat;ſic ira.] Eſt utilis ira quandoque ſed cùm adverſùs alienos, & contrà dæmones latrat. Et S. Gregorius Nyſſ. lib. de virginitate c. 18. Iram, & odium voluit eſſe velut canes oſtij cuſtodes ad ſolam peccati repugnantiam, & adverſùs furem, & hoſtem. Undè & S. Dion. Areopag. in ijs, quæ ex Hierotheo ſcripſit de amoris laudibus. Iram dixit boni participem eſſe, hoc ipſo, quòd movetur, cupitque ea,quæ mala videntur, ad id, quod bonum eſt, dirigere & convertere, & S. Ber. in ep. 69. ad Guidonem Abbatem; Non iraſci, ubi iraſcendum ſit, dixit eſſe nolle emendare peccatum. Et S. Juſtinus in ep. ad Zenam, ac Serenum. [Iraſcendum, ſi fieri poteſt, nunquam,nam hæc eſt quædam ſpecies inſaniæ; quòd ſi quando ira incumbit, utendum eſt hâc ad ſanandum proximum.] Ac demum Sancti Io.Chryſoſtomi fuerunt illa verba in h. 2. in epiſt. ad Epheſ. [Arma ſuppeditat natura, non ut nos ipſos mutuis bellis conficiamus; ſed ut adverſùs communem humani generis hoſtem omni utamur genere armorum; ſentiſnè te ad iram præcipitem?talis eſto adverſùs tua ipſius peccata,tuam animam increpa dúriùs, verbera intimam conſcientiam,acerbus tibi ipſi eſto judex. In hunc uſum nobis inſeruit Deus paſſionem iræ.] Neque abs re diſputat Seneca; Iram in ſolo homine eſſe; in quo eſt ratio:in beſtijs non iram,ſed impetum, & impulſum iræ perſimilem. Ariſtoteles quoque fortitudini adjunxit iram, fortemque iracundum eſſe dixit lib. 3. ad Nicomachum cap. 8. ira enim maximè eſt ad pericula ſubeunda

Ira, & odium canes.

perectrix, ac præcipitatrix, & Homerus; vires injicit ira; &, Animos, iramque ciebat.

Nec modò in noſtrum commodum, ſed & in aliorum bonum, data eſt nobis ira. [Acrimoniam animi vehementem, inquit eodem loco Chryſ. à natura ſortiti ſumus; non ut proximis ſimus contumelioſi,ſed ut ſolerter eos, qui peccant, convertamus ab improbitate & nè ipſi marceſcamus ignavia.] Quaſi enim ſtimulus quidam à natura inſerta eſt nobis vehementia hæc animi,quâ adverſùs diabolum dentes exeramus, ita nos in commentario in pſ. 4. divinam vult iram imitari. [Deus, inquit, quando iraſci dicitur,non ſe ipſum vindicans iraſcitur,ſed nos corrigens; cum ergò nos imitemur, ita enim ſe gerere, divinum eſt. Ira enim in nobis ideò inſita eſt, non ut peccemus; ſed ut alios peccantes prohibeamus: non ut fiat animi perturbatio, & ægritudo; ſed ut ſit ægritudinum, & perturbationum remedium.]

Et mox tertium iræ adjungit uſum, quo alios vi oppreſſos, & contumeliâ affectos, defendamus ab injuria, & fortiter protegamus. Sic enim loquitur: [Ira utile inſtrumentum noſtram excitet ſomnolentiam, & animum noſtrum intendat, vireſque & robur addat, ut nos acriores efficiat, ut pro his indignemur, qui ſunt affecti injuriâ, ut ad pœnas de inſidiatoribus ſumendas nos moveat.]

Secundus iræ uſus maximè probatus Lactantio fuit in lib. de vero cultu cap. 19. (niſi quartum malis agnoſcere, ad educandos liberos,& ætate juniores, & omninò regendos ſubditos) dum ſcripſit; [Iræ affectus nobis datus eſt ad coërcenda peccata eorum,qui ſunt in noſtra poteſtate, id eſt, ut arctiore diſciplina minor ætas ad probitatem,juſtitiamque formetur,quæ niſi metu cohibeatur, licentia parit audaciam, quæ ad omne flagitium, & facinus evadet;Itaque ut irâ uti adverſùs minores & juſtum eſt, & neceſſarium; ſic & adverſus pares pernicioſum eſt, & impium.] Et in epitome c. 4. [Ira ad coërcitionem peccatorum, id eſt, ad regendam ſubjectorum diſciplinam data eſt à Deo: ut metus licentiam comprimat, & compeſcat audaciam.]

Itaque in lib. de ira Dei c.17. iram conficit non eſſe ſemper appetitum vindictæ, ut Ariſtoteles definivit in ſecundo de arte dicendi c. 2. & lib. 1. de an. tex. 16. ſed & ut ſervetur diſciplina, mores corrigantur, licentia comprimatur, & ideò in c. 18. Architæ Tarentini dictum non probat, qui cùm in agro corrupta eſſe omnia comperiſſet, villicum redarguens; Jam, inquit,verberibus necâſſem, niſi iratus eſſem: Si enim ſenſerint ſervi dominum parcere, cùm iraſcitur, peccabunt graviſſimè. Satius erat dare iræ ſpatium, ut pòſt haberet modum caſtigatio. Extat in 1. lib. Reg.

Ira non ſemper vindictæ appetitus.

cap.

Digitized by Google

c. 11. exemplum Saülis, in quem, cùm audiſſet verba virorum labes, inſilivit ſpiritus Domini, & iratus eſt nimis, quo loco S. Gregorius Papa lib. 5. in primum Reg. c. 1. [Sanctorum, inquit, infirma, & quæ videntur carnalia, non ſunt infirma, & carnalia; ſed ſpiritualia, & robuſta. Iræ nimiëtatem in religioſis viris reprehendere ſolemus; ſed ecce Saül ut iraſci nimis potuerit, priùs in eum ſpiritus Domini inſilijt.] Iram enim extremum ſpiritualis fortitudinis veſtigium appellavit Sanctus Areopagita in libro de cœleſti hiërac. cap. 15.

CAPUT V.

Ira duplex.

ERGÒ ut ſapienter, & verè adnotavit S. Gregorius Papa lib. 5. moral. c. 30. [Alia eſt ira, quam impatientia excitat; alia quam zelus juſtitiæ format; illa ex vitio, hæc ex virtute generatur.] Et S. Io. Chryſ. h. 38. in Acta. [Ira interdùm non indignationem, vel excandeſcentiam ſignificat; ſed excitationem, & zelum.] Et h. 6. de laudibus Pauli. [Non eſt malum commovêri, ſed irrationabiliter, nulloque juſto flagitante negotio commovêri; nec ſimplex culpatur iracundia, ſed injuſta.] Quocircà hom. 2. in epiſtolam ad Heb. & S. Gregorius Nyſſenus in lib. de beatitud. or. 6. Dominum aiunt Matth. 5. (quidquid dicat Io. Caſſ. lib. de ſpiritu iræ c. 20.) non ſimpliciter dixiſſe; Qui iraſcitur fratri ſuo; ſed addidiſſe, ſine cauſa, reus erit gehennæ. Qui ergò juſtè iraſcuntur, nullo reatu tenentur obnoxij; factum Phineës adfert Nyſſenus, & in pſ. 4. dicitur: Iraſcimini, & nolite peccare; Itaque quæcunque contrà iram dicuntur à Patribus (quæ plurima ſanè ſunt) de injuſta, aut immoderata ira dicuntur. Quod enim apud S. Dorotheum in ſer. 8. de ira, & injuriarum memoria, dicebat Evagrius, abſurdum eſſe, & à decoro valdè alienum iraſci monachos, aut quemquam moleſtiâ afficere, aut injuriâ, eumque ab omni monaſticæ vitæ profeſſione alienum eſſe penitùs, qui ab animi paſſione fuerit ſuperatus; ex ipſo ſermonis titulo manifeſtum eſt de quanam ira fuerit dictum. Alioqui ea, quæ paulò antè prolata ſunt, permittunt iram, & ſæpè neceſſariam eſſe demonſtrant. [Aufer, inquit Lactantius in lib. de ira Dei c. 23. iram regi; non modò nemo parebit, ſed etiam de faſtigio præcipitabitur. Imò verò cuilibet humili eripe hunc affectum; quis eum non ſpoliabit? quis non deridebit? quis non afficiet injuriâ? Nullus alteri ſervit, niſi coäctus, omne igitur imperium metu conſtat, metus autem per iram.]

CAPUT VI.

Ira undè oriatur.

SUNT qui iram ex ſuperbia ortum habêre arbitrentur; ſuperbi enim maximè contemni ſe nolunt, contemptique aut contemni ſe ſuſpicantes, iraſcuntur. Undè Sanctus Dorotheus in ſer. 19. impoſſibile eſſe dixit, quemquam in proximum iraſci, niſi priùs corde fuerit elatus adverſùs eum, & contempſerit illum, ſeque meliorem illo putaverit. At jam oſtendimus iram quamdam bonam, & laudabilem, ſive ex virtutis deſiderio, ſive ex zelo, & correctione peccantium profectam. Alij quoque interdùm ex neceſſitate, & inopia; nam & pauperes facilè iraſcuntur, quod & inopiâ premantur, & contemni ſe putent; & infirmi quique corporeque ægrotantes proni ad iram ſunt, eoſque propterea pugnaces eſſe ſcripſit S. Gregorius Nazian. in ep. 31. ad Baſilium. Aliquos etiam benè valentes novimus propter cibum interdùm iraſci, ſive neceſſitate aut verâ, aut imaginatâ impulſi, ſive cupiditate, adeò ut nec comedere quidquam eligant, quos ſacrilegij condemnat Io. Caſſ. in collat. 16. Abbatis Joſeph. c. 19. [Qui propter iram, inquit, & indignationem nolunt comedere ſacrilegij crimen incurrunt, jejunia, quæ ſoli Deo pro cordis humiliatione, & vitiorum purgatione ſunt offerenda, pro diabolico tumore tolerantes.] Et S. Baſilius in regulis brevioribus 134. hos dignos eſſe arbitratur, qui nec cùm poſcant quidem, impetrent, quouſque vitium illud ſanatum eſſe antiſtes judicaverit; ſed univerſè credendum eſt iræ objectum, & cauſam eſſe malum, ſive nos, ſive proximos, ſive Deum offendens, quod repelli, & removêri poſſit, ſic enim provocat appetitum; alioqui ſi repelli nequeat, indignationem potiùs, & triſtitiam, quàm iram parit. Quippè qui impoſſibile aut eſt, aut exiſtimatur, non appetitur. Verùm de his actum eſt pluribus in commentarijs de anima, ubi de ſentientis appetitûs perturbationibus agerem.

CAPUT VII.

Ira frænanda.

NUNC illud agendum, ut frænandam, ac temperandam eſſe iram demonſtremus. Eſt enim vehemens omninò affectus, & præceps. Libidinem & iram reliquorum omnium vitiorum educatrices eſſe judicavit S. Ambroſius in or. funebri de obitu fratris ſui Satyri, & mortale venenum S. Baſil. in or. 9. de ira, & inimicitijs; [Quod, inquit, beſtijs, quæ venenum *Ira malum.*

 mittunt,

,, mittunt, eſt venenum, hoc hominibus exa-
,, cerbatis eſt ira.] Et Io. Caſſ. collat. 16. Ab-
batis Joſeph c.7. [Nihil irâ pernicioſius; nihil
,, præponendum charitati, nihil iracundiæ poſt-
,, ponendum.] Et S. Gregorius Nazianz. ad
Vitalianum ſcribens filiorum ipſius nomine;
,, [Ira jucunda pernicies, quæ animum, non
,, ſecùs, ac ferrum rubigo abrodit.] Rabidam,
ac venenatam feram appellat S. Io. Chryſ. h. 4.
in Matth. [Nullus, inquit, leo, nulla vipera, ſic
,, quærunt viſcera humana laniare, ut hominis
,, ira ferreis quibuſdam unguibus univerſa con-
,, fodiens. Nonnulli hominum vermes quoſ-
,, dam in interioribus corporis nutrientes, nè
,, reſpirare quidem ſinuntur, vexatis profectò,
,, adeſiſque viſceribus; nos tamen venenatam
,, hanc in nobis alentes viperam, iram dico,
,, quæ omnia interiora hominis depaſcit; quid
,, unquam ſanum, aut forte poſſumus cogita-
,, re?] Appellant & vehementem ignem bona
omnia noſtra depaſcentem. [Quid enim ſunt
,, verba iraſcentis (inquit S. Auguſtinus ſer.
,, 12. de Sanctis) niſi fumus ardentis?] Et S.
Chryſ. h. 25. in Io. [Ira enim vehemens ignis
,, eſt, qui omnia conſumit, quippè quæ corpus
,, corrumpit, animam coinquinat, triſtitiam
,, adfert.] Et h. 22. in epiſt. ad Hebræos. [Ira
,, ignis eſt, flamma eſt, corrumpit, conſumit,
,, comburit: nos autem longanimitate, & ſu-
,, ſtinentiâ eam extinguimus.] Quod familiari
illuſtrat exemplo. [Sicut enim ferrum ignitum,
,, cùm in aqua tingitur, amittit ignem: Sic ira
,, in longanimitatem incidens, nihil lædit, im-
,, mò etiam juvat; nam indè redditur conti-
,, nentior hujuſmodi homo.] In principio verò
dum eſt parva ſcintilla; multò magis in manu
noſtra eſt (ut idem habet h. 3. de David, & Sa-
üle) eam extinguere vel augêre. Quod ſi pro-
grediatur ulterius, hujus ignis fumus petit ca-
put, turbatque judicium, nec hominem ſinit ſui
compotem eſſe. S. Juſtinus ſpecie inſaniæ
quamdam eſſe dicebat, & S. Io. Chryſ. lib. 6.
de Sacerdotio. [Ira, inquit, quæ in animum
,, fortè invaſerit, fumi inſtar interiora omnia à
,, ſe occupata involvit.] Et h. 5. de Davide, &
Saüle, noctis & nubium exemplo, quarum hæc
cæli, illa aliarum rerum, vel etiam amici, & noti
aſpectum prohibet; declarat, quemadmodum
ira mente turbatâ, recti atque honeſti judi-
cium impediat, & rurſùm in 3. libro de Sacer-
dotio; [Nihil, ait, ſic ingenij perſpicacita-
,, tem, nihil ſic mentis aciem hebetat, ut ira
,, nullum ordinem ſervans, ab animi impotentis
,, impetu nata; quaſi enim in nocturna pugna
,, aliqua obtenebratus animi oculus non inter-
,, noſcit amicos ab adverſarijs, nec ignobiles
,, à claris.] Et S. Nilus libro jam indicato c. de
ira. [Ira cùm pectus obſederit, atque exarſerit,
,, mentem fumo obcæcat, judiciumque cor-
,, rumpit, & confuſa omnia reddit.] Undè &
in pſ. 30. dicitur; Conturbatus eſt in ira ocu-
lus meus. Addit: Et nubes aërem denſantes, &
fumum oculos turbantem, & torrentem exun-
dantem, & obvia quæque devolventem, & ira-
cundi mentem fontem eſſe turbidum. [Quid
,, turpius irâ? (inquit S. Cirillus Alexandr. lib.
,, 6. contrà Julianum.) An non peſſimus ani-
,, mæ morbus eſt ira impotens, & affectio im-
,, placabilis, & amaritudo vehemens? non enim
,, ſic mare vento turbante ſævit, & graves flu-
,, ctuum impetus terræ, ac mari appellit, ut viri
,, anima gravi, & infræni irâ laborans.] Non
deſunt patres graviſſimi, qui iram velut dæ-
monem quendam eſſe voluerint, hominemque
ab illa poſſeſſum nihilò meliorem eſſe illo, qui
à dæmone teneatur. S. Greg. Nyſſ. in libro de
beatitudinibus, dum tractat illud; Beati pa-
cifici or. 7. [Eorum, inquit, qui à dæmone ve-
,, xantur, affectus in ijs, qui ab ira victi ſunt, ap-
,, parent: ſanguine ſuffuſi, ac diſtorti oculi, lin-
,, gua præceps, aſpera loquela, acuta & latratui
,, ſimilis vox, quaſſatio capitis, manuum ſtoli-
,, di motus, concuſſio, & quaſi æſtuatio corpo-
,, ris totius, pedes inſtabiles. Hoc tantùm u-
,, num ab altero variat, quòd unum eſt volun-
,, tarium malum; alterum abſque voluntate ac-
,, cidit.] Et S. Io Chryſoſt. in pſalmum quar-
tum. [Qui iræ ſervit; miſerior eſt, quàm qui à
,, dæmone vexatur.] Et in h. 30. ad populum;
,, [Ira perciti ſimiles ijs ſunt, qui à dæmone
,, corripiuntur.] Eademq; prorſùs oſtendit in
utroque hominum genere evenire, & ſpumam
emittere, & in terram cadere, & alia omnia.

CAPUT VIII.

Iræ Remedia.

De Iræ remedijs per multa ſanè utilia ſcri-
pſerunt in ſecundo de ira libro moralis
Seneca, & libro de ira cohibenda Plutarchus,
ſed hoc ipſum iræ optimum judicatur remedi-
um: ſi iratum ſcilicet hominem aſpicias, ejuſ-
que vultum, & habitum conſideres; Undè La-
ctantius in libro de ira Dei cap. 4. Iram de-
monſtrat hominem decêre minimè. [Siquidem
,, cùm in animum cujuſquam incidit, velut ſæ-
,, va tempeſtas tantos excitet fluctus, ut ſtatum
,, mentis immutet; ardeſcant oculi, os tremat,
,, lingua titubet, dentes concrepent, alternis
,, vultum maculet, nunc ſuffuſus rubor, nunc
,, pallor albeſcens.] Et S. Io. Chryſ. h. 25. in
Io. [Si iratus, inquit, ſe ipſum intueri poſſet,
,, nulla alterius egeret admonitione. Nihil e-
,, nim irato turpius.] Et h. 29. ad populum. [Si
,, furoris tempore poſſet iraſcens ſibimetipſi
,, notus fieri, non alia foret opus admonitione;
,, Nihil enim iraſcentis deformius aſpectu.]
Quibuſdam iratis profuiſſe ſpeculum aſpexiſſe,
ex Sextio teſtatur Seneca. Sed accurata magis
extat

Digitized by Google

extat apud S. Gregorium Nyſſenum irati hominis deſcriptio, in libro de beatitudinibus paulò antè indicato; dum in oratione ſecundam beatitudinem illam perſequitur: Beati mites; quam non injucundum, neque inutile erit audire. [Quemadmodum, ait, fabulæ per „ medicamentorum quamdam potionem in „ brutorum animalium ſpecies naturam tranſ- „ mutari;fingunt; Ita virum repente vidêre li- „ cet aprum, aut canem, aut pantheram, aut „ aliam quampiam ſimilium ferarum ab ira fa- „ ctum eſſe: oculi ſanguine ſuffuſi ſunt, ca- „ pillus erectus ſurgit, & inhorreſcit; vox aſ- „ pera, ac verbis incitata; lingua perturbatio- „ ne torpens,& non ſubſerviens motibus inte- „ ſtinis; labia conſtricta, & non articulatè „ verba exprimentia, neque cohibentia in ore „ præ perturbatione innatum humorem, ſed „ indecorè ſpumam ſimul cum voce expuen- „ tia; tales manus, tales pedes, talis corporis „ diſpoſitio tota, uno quoque membro, prout „ animi motus fuerit, ita diſpoſito, pariterque „ affecto.] Huic denique tanquam phrænetico curando medicum ſubjungit; eum, qui mitis fuerit, ac manſuetus. De ſe ipſo ſcribit Galenus in libro de cognoſcendis, & curandis animi morbis; cùm eſſet puer; quempiam ſe vidiſſe hominem magnoperè properantem ad aperiendam januam quandam, qui cùm immiſiſſet clavem,ſæpiuſque eam volviſſet,nec aperire poſſet; ita excanduit, ut clavem morderet dentibus, pulſaret calcibus januam, blaſphemaret Deos, ſpumas ex ore velut furioſus emitteret,vixque non ex capite caderent oculi. Qua ex re tantum ſe iræ odium concepiſſe teſtatur Galenus, ut deinceps à nullo viſus fuerit unquam irâ commotus. Jam ſi hoc Ethnicus homo potuit; Quid nos Chriſtiani? quid religioſi? tantùm rei deformitatem,ac turpitudinem intelligamus.

Irati hominis deſcriptio.

Aliud remedium.

Aliud remedium erit,ſi intelligas iratum aut certè iracundum hominem, & ſibi ipſi permoleſtum, & gravem eſſe, & cæteris omnibus ingratum. S. Iuſtinus in ep. ad Zenam,& Serenum; [Sibimet, inquit, infeſtus eſt quivis ira- „ cundus; & contentio ſolet in autoris caput „ recidere,& crebris exemplis compertum eſt, „ quoſdam cùm neſciant, undè acceperint in- „ juriam,ſe ipſos divexare, ac rodêre.] Pluribus non eſt opus. Res clara eſt,& iracundus quiſque experitur.

Tertium.

Tertium remedium habes apud S. Baſilium in reg. brev. 127. ubi cum quibuſdam agens fieri non poſſe dicentibus, quin homo iraſcatur: Dei præſentiam ad cohibendam iram illis proponit; nam nec coram terreno rege iraſci, aut indecorè quidpiam agere auderent. [Si re- „ gis, inquit, præſentia tantùm valet, ut tur- „ batum animi motum poſsis comprimere, „ nonnè facilius id erit, ſi tibi perſuaſum ſit „ Deum cogitationes tuas omnes inſpicere?] Et rursùm interrogatione 29. cùm hoc ipſum quæſiſſet, quomodò poterit aliquis non iraſci? eodem modo reſpondit; [Nempè ſi illud exi- „ ſtimet, Deum, quæ agat, omnia animadver- „ tere, eumque aſsiduè ob oculos habeat; quis „ enim alterius poteſtati ſubjectus, in oculis „ principis ſui aliquid audeat eorum, quæ ipſi „ non placent?]

Quartum.

Addit eodem loco quartum remedium, ut non expectet, ut alij pareant ſibi, ſed omnes potiùs ſuperiores exiſtimet. Sic enim vix iraſcetur unquam.

Quintum.

Duo alia quintum,& ſextum habet S. Greg. Papa libro 5.moral.c.29. Alterum eſt,ut antequam aliquid aggrediaris, proponas tibi omnes, quas pati potes contradictiones, & contumelias, & ad eas te præpares.

Sextum.

Alterum,ut cum alienos exceſſus aſpicis,tua, quibus in alijs exceſsiſti,debita cogites. Conſiderata enim infirmitas propria, mala nobis excuſat aliena, & patienter illatam injuriam tolerat, qui piè meminit, quod fortaſsè adhuc habeat, in quo debeat ipſe tolerari, & quaſi aqua ignis extinguitur, cum ſurgente furore animi ſua cuique ad mentem culpa revocatur.

Septimum.

Septimum fuit Io. Caſſ. in libro de ſpiritu iræ c. 21. ut cogitemus nos, irâ dominante, diſcretionis lumen, rectique conſilij infirmitatem amittere. Duo alia addit autor idem remedia: ſed hominis ſunt, qui nec juſta, nec injuſta ex cauſa licêre nobis putet iraſci; cùm tamen permittat Propheta qui dixit pſ. 4. Iraſcimini,& nolite peccare: & Paulus Epheſ. 4.

Octavum.

S. Io. Chryſ. dùm contrà iram plurimis in locis locutus eſt, plura etiam adjumenta propoſuit. Primum in com. pſ. 123. cogitare mortem, & ſepulchrum, ac cætera noviſsima noſtra. [Sicut enim,inquit,qui febre laborant, „ poſtquàm liberati fuerint, puro indigent aë- „ re; ita quos animi perturbatio ad inſaniam „ adigit, ſi ad monumenta acceſſerint; ægritu- „ dinem expellent?ſufficit vel ſolus urnæ aſpe- „ ctus ad eum deprimendum, qui eſt valdè in- „ ſolens.]

Nonum.

Perſimile eſt illud in h. 47. in Io. [Ira fera „ eſt vehemens,& furibunda; incantemus eam „ divinæ ſcripturæ carminibus: Terra & pul- „ vis es, & quid ſuperbit terra & pulvis?]

Decimum.

Secundum conſiderare, ſapientiam Dei, quæ ita nos formavit, ut iram velut carcere incluſerit. [Beſtia eſt (inquit h. 5. in ep. ad „ Hebr.) facilè inſiliens, & mille macerijs, & „ munitionibus nobis opus eſt,ut ſuperemus,& „ reprimamus: propterea nobis hanc maximè „ partem veluti ex quibuſdam lapidibus, hoc „ eſt, oſsibus ædificavit Deus; nè diſruptis illis „ facilè,vel inciſis totum animal lædatur,prop- „ ter hoc etiam pulmo ſuppoſitus eſt cordi, ut „ molliter jacens,velut in quadam ſpongia poſt

Digitized by Google

„ aſſultationem requieſcat.] Eandem ſententiam repetit h. 67. ad populum; addit, & folliculum fellis h. 15. in epiſt. ad Epheſ. quo immanis fera velut carcere continetur, nè per urbem corporis noſtri erumpens confundat omnia.

Undecimum. Tertium illud eſt in eodem loco, ut contineas vocem, ſi moveatur bilis, atque à vociferatione abſtineas. Ut enim fieri non poteſt, ut qui non vociferatur, iraſcatur; ita fieri nequit, ut vociferans non iraſcatur. Iræ pennas amputas, dùm clamorem tollis, ipſumque cordis tumorem contrahis. Ut enim pugnare non poteſt, qui manus contrà neminem non extollit; ita fieri nequit, ut per iram implicetur, qui non clamat.

Duodecimum. Quartum ſignum Crucis, & memoria paſſionis, & manſuetudinis Chriſti. [Si ſuccendi, „ ait h. 88. in Matth. cor tuum ſenſeris, pectus „ continuò ſignaculo crucis ſignato, repete „ memoriâ, quæ tunc facta fuerunt, & ira il„ licò tanquam pulvis diſſipabitur.]

Tertium decimum. Quintum Sanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti uſus. Sic enim loquitur h. 4. ejuſdem operis. [Quonam modo ab hac tam noxia pe„ ſte fugiemus? ſi illam utique potionem bibe„ mus, quæ omnes intrà nos vermes, ſerpen„ teſque mortificet, & quodnam, inquies, iſtud „ eſt poculum? Pretioſus ſcilicet Chriſti ſan„ guis, ſi cum fiducia utique ſumatur.] Omnis enim hoc remedio morbus extinguitur.

Quartum decimum. Sextum ſacrarum ſcripturarum lectio auditiovè. [Poſt hoc, inquit eodem loco, ſancta„ rum quoque ſcripturarum diligens, & devo„ tus auditus, & miſericordia auditui copulata: „ per hæc enim mortificari omnes illæ poſſunt, „ quæ animam noſtram labefaciunt, paſſiones.]

Decimum quintum. Septimum eſt maximum, ac penè incurabile iræ damnum perpendere. [Frequenter „ enim, ut eſt in h. 29. ad populum, ex ira ver„ bum aliquis emiſit, ad cujus remedium totius „ indiget vitæ, & aliquid commiſit, quod om„ nem ipſis vitam ſubvertit.] Nautas conſiderat h. 39. in Acta, qui in tempeſtate omnia projiciunt, nec conſiderant, pòſt verò cogitantes damnum lachrymantur; ita & irato evenit.

Decimum ſextum. Octavum eſt illud in h. 27. [Quomodo po„ teſt conſuetudo tolli? Sint multi cenſores, ſint „ inquiſitores multi. Si tegmen inverſum im„ poſuiſſes, nonnè puerum corrigere jubes, nec „ ab illo monêri confunderis? ſit & ſervus ho„ rum magiſter, ſit & filius, ſit & uxor, & ami„ cus, affinis, & vicinus. Sicut enim fera, quæ ex „ omni parte agitur, fugere non poteſt; ſic & „ tot habentem cuſtodes, tot increpantes, cùm „ undique pulſetur, non licet non cavêre.]

Decimum ſeptimum. Nonum eſt in h. 30. ſi cogites; Ab ira tenêri pueriliſ eſſe ſententiæ, at vincere fortitudinis eſſe, & illud Sancti Hieronymi in ep. ad Saluinam, de ſervanda viduitate c. 5. & ad Antonium de modeſtia. [Iraſci hominis „ eſt, iram non perficere, Chriſtiani.]

Atenim dices, irriſit me, contempſit me. „ [Homo miſer, & ærumnoſe, reſpondet Chryſ. „ non vis à conſervo deridêri, ſed à Domino tuo „ patiêris odio habêri; non vis à conſervo con„ temni; ſed Dominum contemnis, & ab eo „ contemni non toleras? Deum autem ægrè „ ferre non cenſes, quod eum derides, quod „ eum contemnis, ei nolens obtemperare?]

Decimum eſt, alteri quoque irato cedere, *Decimum octavum.* neque cum illo velle contendere. Hoc non ſolus Chryſoſt. ſed & alij plures conſuluerunt. Chryſ. h. 39. paulò antè citata. [Referiamus, „ inquit, percutientes manſuetudine, ſilentio, „ longanimitate.] [Sicut enim ferrum ignitum, „ argumentatur in h. 22. in ep. ad Hebr. cùm in „ aqua tingitur, amittit ignem; ſic iracundia „ in longanimitatem incidens.] Et rurſùm, vituperatori non eſſe reſpondendum monuit h. 11. in epiſt. priorem ad Theſſ. ut contentionum cauſæ tollerentur.

Ac demùm h. 31. ad populum; [Beſtiam, *Decimum nonum.* „ inquit, cùm maximè efferatur, tunc fugimus „ omnes, ſic & tu cùm videris exaſperatum, „ magis cede. Hoc nè honorem eſſe cenſes; „ quoniam & beſtiam honoramus, & furen„ tes, cùm declinamus? Nota magis hæc eſt, & „ contumelia: immò verò neque nota, neque „ contumelia, ſed miſericordia, & humanitas; „ Nautæ, cùm nimis ventus ſpiraverit, vela „ demittunt, nè ſubmergatur navigium. Ignis „ eſt ira, flamma eſt velox; igni fomitem nè „ præbeas, & ſtatim malum extinxeris. Si quem „ in convivio videris ebrium, nonnè multò „ magis poſt illum inebriatus veniâ fueris indi„ gnus? Et quæ ſequuntur.] S. Ambroſ. lib. 2. de Jacob, & vita beata c. 1. laudat eum magnopere, quod Eſau fratris iram declinavit. „ [An non, inquit, beatus Jacob, etiam cùm „ patriam relinqueret? Immò verò beatus, qui „ dura exilij ſuſcepit, ut fratris mitigaret ira„ cundiam. Nam ſi beatus eſt, qui peccatum „ declinat; utiq; negari beatus eſſe non poteſt, „ qui alterius culpam levat, crimen avertit.] Et S. Cyrillus Alexand. lib. 2. in Io. c. 129. ab iratis declinandum eſſe demonſtrat exemplo Chriſti Io. 5. qui cùm paralyticum ſanâſſet, & commotos videret adverſùm ſe Judæos, declinavit à turba conſtituta in loco, ut exemplo ejus declinandum eſſe ab iratis diſcamus. & rurſum lib. 3. c. 11. Perſequentes inimicos etiamſi nihil officere poſſint, declinandos tamen eſſe, ut hoc modo ira, & impetus eorum deferveſcat, & ſic multò magis illis, quàm nobis, conferamus. [Ut enim ſubtractione lig„ ni, ait idem lib. 6. c. 12. extinguitur ignis, & „ diminuitur; ita ejus abſentia, in quem quiſpiam „ inflammatur, ira ſedatur, & mitigatur iræ incen-

Digitized by Google

„ incendium, & ad lenitatem revocatur ebul-
„ liens animus.]

Undecimò his omnibus remedijs ad tempe-
Vigeſimum. randam iram juvabimur, & S. Aug. lib. 1. de ſerm. Domini in monte c. 14. Chriſtum adnotavit, cùm de uxoris repudio ageretur, propter-
Matth. 5. reà addidiſſe: Det illi libellum repudij, ut iracundiam temerariam projjcientis uxorem, libelli cogitatio temperaret. Et ſer. 221. de tempore, ſi quando ſubrepat nobis ira non vult eam nos tenêre, nec fieri pridianam. Præcipit enim Propheta in pſ. 4. Nè ſol occidat ſuper iracundiam noſtram; Et S. Ambr. lib. 1. off. c. 21. injurijs laceſsitos vult nos eſſe pueros. Qui ſi citò inter ſe moventur, facilè ſedantur, & majori ſuavitate inter ſe recurrunt. Et S. Greg. Papa lib. 7. regiſtri cap. 126. & 8. cap. 51. iram monet rationem animi ſequi debêre, non præire, ut quaſi ancilla juſtitiæ poſt tergum veniat, & non laſciva antè faciem prorumpat. Aliquandò verò oſtendendam eſſe, & non exhibendam, aliquando exhibendam, ſed nunquam ſequendam. Et S. Greg. Nazianz. in or. de funere patris, levem omninò vult eſſe iram noſtram, ſi quando iraſcendum ſit: [Ira homi-
„ nis, ait, non debet eſſe furor, ſicut ſerpentis,
„ animum incautè ſuccendens, atque ad ulciſ-
„ cendum paratus, & ex prima commotione ad
„ iram, vindicandæque injuriæ cupiditatem
„ prorumpens; verùm apis aculeo ſimilis, quæ
„ ita pungit, ut mortem non adferat.] Et S. Io. Chryſ. h. 4. in Gen. [Stragulanda eſt ve-
„ ſtra prava cogitatio, & manſuefacienda tru-
„ culenta illa fera, iram dico.] Nam & feras (ut habet h. 23. ad populum) nôrunt homines arte domare, & manſuetas facere: Neque, ut loquitur h. 6. tam claros facit reges hoſtes vincere, quàm animum, & iram ſuperare; illic enim armorum, & militum opus geritur, hìc verò ſui ſolius trophæum, & habent neminem, qui ſecum ſapientiæ gloriam partiatur. Poſtremò inter Pythagoræ ſymbola illud fuit, quo olla ab igne ſublata præcepit non relinquere figuram in cinere, ſed eam confundere. Tacitè enim ſignificabat, ut interpretatus eſt Clemens Alexand. lib. 5. ſtrom. non ſolùm eſſe delendam ſuperbiam, ſed nè iræ quidem relinquendum veſtigium; cumque ebullire ceſſaverit, eam eſſe componendam, & omnem delendam injuriæ memoriam.

CAPUT IX.

Ira, iracundia, & odium.

AD hanc porrò animi commotionem aliqui faciles omninò ſunt, ac prompti, quos colericos appellamus; abundant enim flavâ bile, & corporis temperamento calidiore ſunt, & facilè accenduntur, ſed facilè etiam ſedantur. Alij atram quoque bilem admiſtam habentes tardiùs concitantur, ſed diutiùs retinentes tardiùs ſedantur. Priorem κολὴν, ſeu χόλον; poſteriorem μῆνιν ἀπὸ τοῦ μένειν. Hoc eſt à manendo appellat S. Damaſ. lib. 2. de fide c. 16. Illos S. Greg. Papa lib. 5. moral. c. ultimo, accenſis calamis dixit eſſe perſimiles; hos gravioribus & durioribus lignis. Tertiam addit S. Damaſcenus κότον, ἀπὸ τοῦ κεῖσθαι. quòd recondita, & repoſita, ulciſcendi occaſionem aptet. Iram dixit Origenes in c. 2. epiſt. ad Rom. velut vulnus peſſimum; indignationem, ſeu odium velut vulneris tumorem; & S. Hieron. in comm. ad cap. 4. epiſt. ad Epheſ. duplicem facit iram. Unam, cùm injuriâ laceſſiti concitamur; alteram, cùm requieſcente impetu mens tamen ultionem deſiderat. Hæc nimirùm odium eſt. Itaque ira velut cauſa eſt, odium effectus, & S. Auguſt. pluribus in locis, odium dixit eſſe inveteratam iram; dum quaſi juſti doloris admiſta dulcedo, diutiùs eam in vaſe detinet, donec aceſcat totum, vaſque corrumpat. Sic enim habes in ep. 149. ad Profuturum ſolet iram appellare feſtucam, odium, trabem, atque ita interpretari illa Chriſti verba. Matth. 7. Eijce primùm feſtucam. Ita in com. pſ. 54. & ſer. 16. de verbis Domini, & h. 5. ex lib. 50. homiliarum, & ſer. 202. & 237. de tempore, & ſer. 9. ad fratres in eremo. Io. demùm Caſſ. collat. 5. Abbatis Serapionis cap. 11. & S. Bern. in tract. de ordine vitæ, & morum inſtitutione tres iræ partes fecerunt; Unam, quæ exardeſcit interiùs quàm Græci θυμὸν dicunt; aliam, quæ in verbum, factumvè exterius erumpit: quæ ὀργὴ appellatur; tertiam, quæ non ut ille fervor ad horam digeritur, ſed multo tempore reſervatur, & μῆνις dicitur.

Digitized by Google

DE PATIENTIA.

LIBER XX.

LOcus poſtulat, ut de patientia dicam. Nam etſi poſt Humilitatem de oppoſita illi, & inimica ſuperbia voluiſſes me loquentem audire; malui tamen illi Manſuetudinem perpetuam ſociam, & contubernalem adjungere; nuncque patientiam addere cum utraque ſemper,& ubique conjunctam: Neque ſuus ſuperbiæ deerit locus, & vitio ſemper prima ambienti loca, non fuerit injurioſum dicere; Da huic meliori locum.

CAPUT I.

Patientiæ Materia.

Patientiæ materia triplex.

SAnctus Bern.in ſer.2.de converſ. S.Pauli, triplici ariete manſuetudinem pulſari noſtram adnotavit prudenter: Verborum injurijs, damnis rerum, corporis læſione. [In his tribus ,, omnis eſt,inquit, exhibitio patientiæ, omnis ,, exercitatio manſuetudinis.] Et S.Auguſt. in com. pſ. 91. [Nemo patiens eſt in bonis; pa- ,, tientia omnis in malis eſt.] Job inſignis celebratur patientiâ, quæ in illis tribus pro inſaniſſima dæmonis libidine fuit tentata. At ſi non patientiæ modò materiam, quæque toleranda ſint mala, ſed illorum quoque autores noſſe cupis; & arietes tres, & arietantes habebis totidem à S. Gregorio Papa commemoratos in h.35. in Evang. [Patientia namque tri- ,, bus exercetur modis,cùm à Deo flagella to- ,, leramus, à diabolo tentationes, à proximo ,, perſecutiones, damna, & contumelias.]

CAPUT II.

Patientia quid.

PATIENTIÆ autem vocem à patiendo, & tolerando manifeſtum eſt eſſe deductam, eſſeque ſudorum,& tolerantiæ multæ nomen: ut habet S. Io. Chryſ. h. 14. in ep. ad Rom. Et Io. Caſſ. collat. 18. Abbatis Piämonis c. 13. non quòd velut humano omni ſenſu privatus illatas contumelias, & afflictiones non ſentias;ſed quòd virtute multa toleres. Quemadmodum, & de viro forti philoſophabatur Ariſtoteles. [Poteſt enim, inquit Origenes h. ,, 9. in Exodum,eſſe in homine,quæ judicetur ,, patientia, ſed quæ rationabilis non ſit: nam ,, & qui non ſentit injuriam, & propterea non ,, reddit, patiens videtur; ſed non eſt rationa- ,, bilis iſta patientia.]

Patientiam duo faciunt.

Itaque duo planè ad conſtituendam patientiam neceſſaria ſunt. Alterum, ut illatas injurias ſentiens, patienter toleret, neque conetur reddere. Alterum, ut non ſolùm exteriùs toleret, ſed nè interiùs quidem adverſùs inferentem commoveatur. [A paſſionibus, ,, & ſuſtentatione; ait Caſſianus, patientiam ,, dici nullus ignorat. Quare patiens dici non ,, poteſt,niſi qui univerſa quæ ſibi fuerint irro- ,, gata,abſque indignatione toleraverit; Quare ,, cùm quis irâ ſuccenditur, non jam peccati il- ,, lata contumelia extitiſſe credenda eſt; ſed ,, potiùs manifeſtatio infirmitatis occultæ; ſi- ,, cut Matth. 7. non corruit domus, quia im- ,, bribus, & tempeſtate tentata eſt; ſed quia ,, ſuper arenam extructa.] Et S.Greg.Papa libro 11. moral. c. 17. [Ille verè eſt patiens, ,, qui & adverſis atteritur, & tamen ab ſpei ,, ſuæ rectitudine non curvatur:etiamſi occide- ,, rit me, in ipſo ſperabo.] [Patientia enim ve- ,, ra eſt (ut loquitur in h.7.in Ezech.) quæ & ,, ipſum amat, quem portat. Nam tolerare,ſed ,, odiſſe non eſt virtus manſuetudinis,ſed vela- ,, mentum furoris.] Pluribus hunc locum tractat in hom. 35. antè indicata. Inter cætera duabus omninò partibus vult conſtare patientiam; quarum altera eſt aliena mala, hoc eſt ab alijs nobis illata æquanimiter perpeti. Altera,& contrà illum qui mala irrogat, nullo dolore mordêri, ideò dicitur à Paulo 1. Cor. 13 Charitas patiens eſt, benigna eſt: patiens, ut aliena mala toleret: benigna verò, ut ipſos etiam,quos portat,amet. Virtus coram hominibus eſt adverſarios tolerare; ſed virtus coram Deo,diligere. Et S.Anſ. in Comm. capitis 13. prioris ep. ad Cor. [Patientiam ſerva- ,, re,eſt aliena mala æquanimiter perpeti, con- ,, trà eum quoq; qui mala irrogat,nullo dolore ,, mordêri. Nam qui ſic mala portat, ut tamen ,, tacitus doleat, & tempus dignæ retributionis ,, quærat; patientiam non ſervat, ſed ſimulat;] Et in com. c. 5. ep. ad Gal. rurſùm inculcat.

Injuriæ dilatio.

Itaque opportunè admonet idem Gregorius adverſarium noſtrum ſimul, & eodem tempore contrà duos movêre bellum; [U- ,, num enim inflammat, ut contumelias prior ,, inferat, alterum verò provocat, ut contume- ,, lias læſus reddat,& quia ejus jam victor exti- ,, tit, quem ad proferendas contumelias commovit;

Digitized by Google

„ movit; contrà illum acriùs dolet, quem ad „ reddendas injurias commovêre non potuit. „ Undè fit, ut contrà eum tota ſe virtute erigat, quem contumelias fortiter pertuliſſe „ conſiderat, & quia commovêre in ipſa injuriarum jaculatione non potuit, ab aperto certamine recedens in ſecreta cogitatione deceptionis tempus inquirit. Hi nimirum ſimiles illis ſunt, qui fortes in campo victores „ ſunt, & pòſt intrà urbis clauſtra capiuntur; „ vel illis, quos gravis morbus à vita non ſubtrahit; ſed leniter veniens recidua febris occidit.] Hæc Gregorius.

CAPUT III.

Patientia cur.

Patiendum propter justitiam.

EST quoque ſpectanda patiendi cauſa. Propter juſtitiam enim, & virtutem patiendum eſt. Hos beatos Dominus appellavit, dicens: Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam: quoniam ipſorum eſt regnum Cœlorum: & S. Petrus in 1. ep. c. 4. Si exprobamini in nomine Chriſti, beati eritis; nemo autem veſtrûm patiatur ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Si autem ut Chriſtianus, glorificet Deum in iſto nomine. S. Aug. in lib. de patientia c. 6. „ [Patientiam, ait, probat cauſa patiendi, ſi ſcilicet pro virtute patiatur;] Nam patientiam malorum, ac ſceleſtorum hominum in c. 5. non vult dici patientiam, ſed duritiam. [Patientia enim comes eſt ſapientiæ, non famula „ concupiſcentiæ; amica bonæ conſcientiæ, „ non inimica innocentiæ.] Quare quod ille de Martyrio pluribus in locis dixit, Martyrem non facere pœnam, ſed cauſam; pronuntiavit item de patientia S. Proſper in 3. libro de vita contemplativa c. 20. Patientiam veram non facere pœnam, ſed cauſſam; ut ſit propter juſtitiam. Et S. Greg. Nazianz. in or. 2. de pace, loquens de Arianis propter Trinitatis fidem Chriſtianos perſequentibus. [Hoc, inquit, ex omnibus, quæ patimur clariſſimum, & magnificentiſsimum eſt, quòd cum Deo periclitamur.

Patientia martyrium.

Et patientiam non dubitârunt Patres martyrium quoddam appellare; ſic enim locutus eſt S. Io. Chryſ. com. in pſ. 127. [Non eſt parum, inquit, dolore affectum refrænare animum, ad hoc ut nihil peccet; Hoc eſt cum „ Martyrio conferendum, hoc eſt bonorum „ colophon.] Et S. Greg. Papa h. 35. jam bis nominata, duplex facit martyrium; unum in aperto opere; alterum in occulta cogitatione, & mente per patientiam & tolerantiam injuriarum. Et S. Cyprianus in lib. de duplici martyrio. [Si deeſt tyrannus, hæc ipſa mala, quæ „ ſecum defert vita mortalium, martyrij coronam nobis præbebunt, ſi placidè, ſi cum gratiarum actione pertulerimus.]. Ideò & Abraham, & Iſaäc, & Job affirmat fuiſſe martyres, & S. Bern. in modo benè vivendi cap. 40. „ [Sine ferro martyr eſſe poteris, ſi patientiam „ in animo veraciter conſervaveris.]

CAPUT IV.

Philoſophorum Patientia.

Patientiæ deſcriptio.

IAM patientis hominis brevem, ſed accommodatam deſcriptionem habes apud Tertullianum ſub finem libri de patientia. [Vultus „ enim illi tranquillus, & placidus, frons pura, „ nulla mœroris, aut iræ rugoſitate contracta, „ remiſſa æquè in lætum modum ſupercilia, „ oculis humilitate, non infœlicitate dejectis, „ os taciturnitatis honore ſignatum, color „ qualis ſecuris, & innoxijs.] Is corporis habitus potuit fortaſſe in antiquis quoque philoſophis conſpici, qui virtutem hanc plurimùm conati ſunt oſtentare. Quorum aliquos profert S. Baſil. in or. de patientia, & tolerantia. Periclem namque in foro probris quidam omnibus inceſſebat. Is nihil curare viſus toto die ſuſtinuit; & veſperè diſcedentem comitatus cum lumine eſt. Euclidi Megarenſi iratus quidam mortem ſe illaturum juravit; ille contrà patienter ſe laturum juravit, eique ſe conciliatum iri. Alius Socratis faciem (ſic habet S. Baſilius; Antiſthenis mavult Nazianz. in or. 1. contrà Julianum) vehementer cecidit: Is nihil commotus ſatiari illum permiſit; ubi verò deſtitit, nihil aliud fecit, quàm fronti propriæ inſcribere; Talis fecit; velut ſtatuæ autoris nomen. Et Origenes lib. 7. contrà Celſum, Anaxarchum memorat ab Ariſtocreonte Cypri Tyranno in urnam conjectum lapideam, & in ea attritum, illatos cruciatus contempſiſſe, & inter tormenta dixiſſe: Tunde, tunde Anaxarchi utrem, ipſum verò haud quaquam tutuderis: & Epictetus, cùm ei tibiam herus intorſiſſet, ſubridens; Perfringito, ait; At illo frangente, nonnè prædixeram, ait, te hanc perfracturum? Socratis in morte ſubeunda conſtantiam animi commendat plurimùm Nazianzenus idem in ep. 64. ad Philagrium. Deque eodem ſcribit Sabellicus lib. 5. c. 7. cùm ictu calcis à quopiam percuſſus patienter ferret, ab alio ad vindictam incitatus; An, inquit, ſi me aſinus percuſſerit, oportet, me in quadrupedem calcitrare? Verùm hæc, & alia his ſimilia, quæ de illis Philoſophis ſcripta leguntur, vel etiam de mulieribus apud Tertullianum in lib. ad martyres c. ultimo veram patientiæ virtutem non habuerunt. [Tam enim „ illic falſa patientia, inquit S. Cyprianus in „ ſer. de bono patientiæ, quàm & ſapientia falſa.] Et Tertul. in extremo libro de patientia. [Patientia philoſophorum falſa, probroſa, „ quam diabolus docuit, ut Deum æmularetur.] Nos alibi de univerſo philoſophicarum virtutum genere ſatis diximus.

Philoſophorum patientia.

CA-

Digitized by Google

CAPUT V.

Dei, Chriſti, Chriſtianorumque patientia.

NUNC agamus noſtra. Deque Dei primùm, deindè & Chriſti, veterumque Chriſtianorum patientia paucis dicamus. Scio Sanctum Io. Chryſoſtomum in h. 2. in epiſtolam ad Coloſſ. noluiſſe patientiam in Deo nominari, ſed longanimitatem potiùs; quòd patientia ergà eos ſit, quos ulciſci non poſſumus; longanimitas ergà eos, quos ulciſci valemus. At nunc non eſt neceſſe tam accuratè loqui; & in ſacris litteris Deum quoque ſæpiùs invenio patientem appellari; nec cæteros Patres à patientiæ voce abſtinuiſſe. Deum enim, qui à nullo pati poteſt, voluiſſe nobis patientiæ exemplum eſſe, ratiocinatus eſt Tertul. in memorato libro, dum tam multas, & graves à nobis injurias tolerat; & ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper juſtos & injuſtos. Et, ſi, injuriantem hominem morte punit, docet eum vitare mortem; [Cùm „ verò crebris immò continuis, addit S. Cy„ prianus, exacerbetur offenſis, indignationem „ ſuam temperat, & præſtitutum ſemel retri„ butionis diem patienter expectat; cumque „ habeat in poteſtate vindictam, mavult diù „ tenêre patientiam, ſuſtinens clementer, & „ differens; ut ſi fieri poteſt multum malitiâ „ protractâ aliquando mutetur, & homo in er„ rorum & ſcelerum contagione volutatus vel „ ſerò ad Dominum convertatur.] Propterea dum ait Paulus peccatori ad Rom. ſcribens c. 2. Theſaurizas tibi iram in die juſti judicij Dei; „ [Juſtum judicium dixit, ait idem Cyprianus, „ quia ſerum eſt, multumque differtur; ut ho„ mini ad vitam longâ Dei patientiâ conſula„ tur. Tunc repræſentatur pœna impio, quan„ do jam non poteſt pœnitentia prodeſſe pec„ canti.]

Patientia in Deo.

Secundo loco eſt patientia Chriſti; tum in Judæorum perſecutionibus, & calumnijs tolerandis; tum in corporis doloribus; nec ſolùm paſſionis & mortis tempore, ſed & in tota vita. Qua de re ſatis mihi fuerit illa Tertulliani ſententia, quâ cum pronuntiavit, ſaginari voluptate patientiæ in hunc mundum veniſſe; Ideò enim non ſolùm crucifigi voluit, ſed & contumelijs affici; ut vel ex hac ſola patientia debuerit à Judæis cognoſci. Patientiam enim hujuſmodi nemo hominum perpetraret. Celſus Judæus apud Orig. lib. 7. contrà illum, cùm Anaxarchi, & Epicteti propoſita fuiſſet patientia, illorumque in tormentis verba, quæ paulò antè recitavimus, tum Chriſtianis inſultans; Quid unquam, inquit, hujuſmodi veſter Deus Chriſtus, dum pœnis afficeretur, affatus eſt? ſed verè reſpondit Origenes, in plagis Jeſum, & verberibus conticendo majorem longè tùm fortitudinem, tùm patientiam præ ſe tuliſſe.

Patientia Chriſti.

De veteribus autem Chriſtianis non eſt neceſſe longum ſermonem facere; non enim deſunt plurima, quæ fucatis Philoſophorum actionibus veræ virtutis opera opponamus. S. Athanaſium percutientibus adamantem, diffidentibus magnetem fuiſſe, teſtatur S. Gregorius Nazianz. in or. in ipſius laudem. Sed quid ago? Chriſtianos intelligat quiſque capiti, atque imperatori Chriſto debuiſſe eſſe perſimiles; quod innumerabilium martyrum acerbiſſima tormenta teſtantur, in quibus invicta patientia, & uſque ad mortem tolerantia omnem perſecutorum rabiem ſuperavit; fuitque ſemper veræ fidei, ac religionis argumentum, Tertulliani quoque judicio in lib. ad Scapulam c. 5. [Quiſque, inquit, tantam tole„ rantiam ſpectans, ut aliquo ſcrupulo percuſ„ ſus, & inquirere accenditur, quid ſit cauſa; „ & ubi cognoverit veritatem, & ipſe ſtatim „ ſequitur.] Et Lactant. in libro de juſtitia c. 13. [Cùm ab ortu ſolis uſque ad occaſum „ omnis ſexus, omnis ætas, & gens, & regio „ junctis, ac paribus animis Deo ſerviant, ea„ dem ſit ubique patientia, idem contemptus „ mortis: intelligi debuerat aliquid in ea re eſſe „ rationis, quod non ſine cauſa uſque ad mor„ tem defendatur aliquid fundamenti, ac ſoli„ ditatis, quod eam religionem non tantùm „ injurijs, ac vexatione non ſolvat, ſed augeat „ ſemper, & faciat firmiorem.] Et iterum; „ [Cùm videat vulgus dilacerari homines va„ rijs tormentorum generibus, & inter fatigatos „ carnifices invictam tenêre patientiam; exi„ ſtimant id, quod res eſt, nec conſenſum tam „ multorum, nec perſeverantiam morientium „ vanam eſſe, nec ipſam patientiam ſine Deo „ cruciatus tantos poſſe ſuperare. Latrones, & „ robuſti corporis viri ejuſmodi lacerationes „ perferre nequeunt, exclamant, & gemitus „ edunt; vincuntur enim dolore, quia deeſt „ illis inſpirata patientia. Noſtri autem (ut de „ viris taceam) pueri & mulierculæ tortores „ ſuos taciti vincunt, & exprimere illis gemi„ tum nec ignis poteſt.] Idoneus enim ſatis, inquit Tertull. in libro de patientia, ſequeſter patientiæ Deus. [Si injuriam depoſueris penes „ eum, ultor eſt; ſi damnum, reſtitutor eſt; ſi „ dolorem, medicus eſt; ſi mortem, reſuſcita„ tor eſt.]

Patientia Chriſtianorum.

CAPUT VI.

Ex Impatientia vitium, ex Patientia virtus.

IMPATIENTIAM porrò à Diabolo primum habuiſſe ortum, natales que illius in ipſo diabolo Tertull. idem deprehendit; jam tum cùm Deum

Deum univerſa opera, quæ feciſſet, imagini ſuæ, hoc eſt homini ſubjeciſſe impatienter tulit. Eva quoque ex impatientia peccavit, nunquam enim omninò peccaſſet, ſi divino interdicto patientiam præſervaſſet; Et Adam ipſe perijt, Dei præceptum ſervare, & diaboli ſeductionem confutare per impatientiam non ſuſtinens. Et nè plura colligens lectorem ſimul ad impatientiam traham, Cain oblationes ſuas à Domino recuſatas impatienter ferens, per impatientiam occidit fratrem. Vitia omnia facilè obſervabis ex impatientia naſci. Quidquid enim compellit, ſine impatientia ſui non eſt. Quis adulterium, furtum, aut vindictam aggreditur; niſi qui concupiſcentiæ, ac libidinis, avaritiæ, vel paupertatis, iræ, ignominiævè ſtimulorum impatiens eſt?

Contrà patientia bonorum omnium cauſa. Undè illud, quod dicitur Luc. 21. In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras; ita intellexit S. Greg. Papa h. 35. jam ſæpiùs citata; ut idcircò animæ poſſeſſio in virtute patientiæ ponatur: quia radix omnium, cuſtoſque virtutum patientia eſt. Charitatem patientem eſſe, Paulus affirmavit; & ubi charitas, ibi omnia bona. [Nihil eſt, quod non toleret, „ (ait Origenes in prologo homiliarum in „ Cant.) Qui perfectè diligit. Quando autem „ plura non toleramus, certum eſt, quod chari„ tatem, quæ omnia tolerat, non habemus.] Et S. Io. Chryſ. h. 9. in ep. ad Epheſ. [Ubi dile„ ctio, ibi tolerabilia ſunt omnia.] Et S. Greg. Papa. h. 15. in Ezech. [Quanta lata mens per „ amorem fuerit, tantum erit & patiens per „ longanimitatem. Nam tantùm quiſque por„ tat proximum, quantùm amat; ſi amas, portas; „ ſi deſiſti amare, deſiſti tolerare, citiùs facta „ proximi adducuntur in gravedinem ponderis „ quæ nobis non levat penna charitatis.] Res ipſa loquitur; quanta in filijs, & amicis, quos valdè diligimus, tolerentur à nobis, & rurſum in 3. par. paſtor. curæ admonit. 10. [Ipſa, quæ „ mater eſt omnium, cuſtoſque virtutum, per „ impatientiæ vitium virtus amittitur charita„ tis, ſcriptum quippè eſt: Charitas patiens eſt: „ igitur cùm minimè eſt patiens, charitas non eſt.] Et lib. 21. moral. c. 16. ſervari concordia niſi per ſolam patientiam valet; & Lactantius in lib. de vero cultu c. 18. [Undè certamina „ inter homines, undè pugnæ, contentioneſque „ naſcuntur; niſi quòd improbitati oppoſita „ impatientia magnas ſæpè concitat tempe„ ſtates? Quòd ſi patientiam oppoſueris, ex„ tinguentur protinùs; tamquam ſi igni aquam „ ſuperfuderis.] Ut enim nihil malorum fiat, hæc ſola efficit; quæ ſi detur omnibus, nullum ſcelus, nulla fraus in rebus humanis erit: & ideò monet S. Anſel. in comm. cap. 6. prioris epiſtolæ ad Tim. [Multa te oportet æquani„ miter à proximis tolerare, ſi charitatem non „ vis frequenter amittere.]

Charitas patiens eſt.

Habet etiam patientia humilitatem; Immò humilitatis ipſa indicium eſt; ut dixit S. Ambroſ. in ſer. 10. in pſal. 118. Nec niſi per profundam humilitatem acquiritur, nec tenetur, ut eſt apud Sanctum Bernardum in tract. de ord. vitæ, & morum inſtitut. & Io. Caſſianum collat. 18. Abbatis Piamonis c. 13. quam ob cauſam monuit in lib. de ſpiritu gaſtrim. c. 42. Patientiam nos non debêre de aliorum ſperare virtute, ſi à nemine fuerimus irritati: ſed potiùs de humilitate noſtra, & longanimitate; quæ in noſtro pendet arbitrio, & quoniam ira plurimùm impatientiam movet, idem repetit in lib. quoque de ſpiritu iræ c. 16.

Patientia humilis.

Neque prætermiſit Philo Judæus quæſt. 39. in Gen. id quod in lib. Gen. c. 26. narratur; Iſaäc Patriarcham, cùm eſſet viribus potens, & confeſſione quoque Abimelech Regis Paleſthinis potentior; non vindicaſſe injuriam, quâ omnes illius puteos obſtruxerant Paleſthini; ſed patienter ferendo rurſùm effodiſſe; Quod humilitati tribuendum eſt, & tribuit Philo, quâ ſuperare voluit adverſarios; non mala pro malis referens, ſed magis eos beneficijs deliniens. Et S. Greg. Papa admon. 10. paulò antè citata; exponens pluribus, quemadmodum cum patientibus atque impatientibus alio, atque alio modo agendum ſit. Ezechielem Prophetam adnotavit juſſum aliquando fuiſſe à Deo foſſam facere in altari, quâ ſuperpoſita ſcilicet holocauſta ſervarentur; alioqui ſuperveniens aura diſpergeret univerſa; ſic enim in anima vult fieri patientiæ foſſam, quæ mentem ad adverſa toleranda humiliet; nè per impatientiam commota, hoc, quod benè operata eſt, amittat. Et foſſa erat unius cubiti; quia ſi patientia non deſeritur, unitatis menſura ſervatur. Ut enim ſuperbus homo, & iracundus vix cum ullo, ſic humilis, & patiens cum omnibus pacem habet. *Ezech. 43.*

Præcipua quoque obedientiæ virtus ſemper eſt cum patientia conjuncta. [Ipſum, inquit „ Tertull. in lib. de patientia, obſequium de pa„ tientia trahitur; Nunquam impatiens obſe„ quitur, nunquam patiens obluctatur.] Orig. autem tract. 14. in Matth. quod Matthæus c. 21. dixit; Cùm veniſſent Bethphage, Marcum obſervat c. 11. dixiſſe Betaniam; & Lucam c. 19. Bethphage, & Betaniam. Bethphage domus maxillarum interpretatur, & patientiam ſignificat, juxtà illud, ſi percuſſerit te in unam maxillam, præbe illi & alteram; Betania verò domus eſt obedientiæ, in domum ergò & patientiæ, & obedientiæ ſimul veniendum eſt, ut ſuper nos aſcendat Chriſtus. [His enim dua„ bus quaſi columnis (ait S. Anſelmus ep. 64. „ ad Henricum, lib. 1.) patientiâ & obedientiâ „ totius vitæ ſtatum niti oportet.]

Patientia obediens.

Denique

Digitized by Google

Patientia fortis.

Denique nè ſingulas virtutes perſequar, quas cum patientia conjunctas eſſe demonſtrarem; eam à fortitudine manifeſtum eſt ſeparatam eſſe non poſſe. Utraque enim ad adverſa, & ardua toleranda eſt comparata, utraque poteſt infirmiores portare. [Fortiorum viro„rum, inquit S. Jo. Chryſ. h. 15. in Acta, eſt „ferre infirmos, licèt miniſter contradicat, „philoſophare tu; non quod meretur audire, „dicas, vel facias; ſed quod oportet te, & fa„cere, & dicere.] Verùm aperta ſunt Pauli verba in ep. ad Rom. c. 15. Debemus nos firmiores imbecillitates infirmiorum ſuſtinêre. Et ad Gal. 6. Alter alterius onera portate. Quæ duo loca ſive de tollendis, & corrigendis fratrum peccatis accipias cum Sancto Baſilio in reg. brevior. 177. & 178. ſive de patienter tolerandis adverſis, & ijs, quæ contrà voluntatem noſtram obveniunt nobis, cum Io. Caſſiano in collat. 16. Abbatis Joſephi c. 23. 24. & 26. perindè is, qui peccat, ſive in Deum, ſive in nos infirmus eſt; & infirmorum ea conditio eſt, ut prompti, ac faciles ad contumelias ſint, & jurgia. Qui verò patienter ſe alteri ſubijcit, & illum portat, toleratque nimirum, ſuſtentat illum velut fortior infirmum. Sunt qui ſæcularibus hominibus patientiam impendant facilè, domeſticis, ac ſuæ familiæ hominibus non item; ſunt, qui impatientiam verbo, aut facto cohibentes non oſtendant exteriùs, ſed contineant iram; at interiùs vehementer commoveantur animo; & fortaſſe etiam in irriſorium, aut ſubſannatorium erumpant actum: contrà utrumque hominum genus lege quid Caſſ. ſcripſerit c. 17. & 18. collat. 16. non eſt enim opus cum illis diutiùs occupari; cùm ex illis, quæ c. 2. diximus manifeſtum ſit, eos à patientiæ virtute procùl abeſſe.

CAPUT VII.

Patientiæ bonum.

ITAQUE huic tractationi licet finem imponere, cujus ultima clauſula magnum patientiæ bonum continebit. Hæc enim demum optima eſt & ſingularis noſtræ virtutis probatio, & cotes. [Bona quippè fidei valetudo, „(ut verbis utar Tertulliani) & dominicæ diſ„ciplinæ ſanitas non facilè cuiquam niſi pa„tientia aſſideat, provenire poteſt. Ita pro„poſita Dei rebus eſt, ut nullum præceptum „obire quis, nullum opus Domino complaci„tum perpetrare, extraneus à patientia poſſit.] Immò. [Quiſquis (ut eſt apud S. Gregor. „Papam h. 38. in Evang.) malos non tolerat, „ipſe ſibi per intolerantiam ſuam teſtis eſt, „quia bonus non eſt. Abel eſſe renuit, quem „Cain malitia non exercet; ſic in tritura areæ „grana ſub paleis premuntur; ſic flores inter „ſpinas oriuntur, & roſa, quæ redolet, creſcit „cum ſpina, quæ pungit.] Et Cant. 2. Lilium inter ſpinas; & Job. 30. de ſe ipſo dicit: Frater fui draconum; & ſocius ſtruthionum, & Ezechieli dictum eſt c. 2. Increduli, & ſubverſores ſunt tecum, & cum ſcorpionibus habitas. Ferrum enim animæ noſtræ non perducitur ad ſubtilitatem acuminis, ſi hoc non eraſerit alienæ lima pravitatis. Immò verò Caſſianus in hac virtute patientiæ cordis perfectionem agnovit in lib. de ſpiritu triſtitiæ c. 7. cujus ope hoc etiam aſſequamur, ut addit c. 8. ut non dicam cum hominibus, ſed etiam cum feris, & belluis poſſimus vivere. [Novit „enim patientia (inquit S. Greg. lib. 7. regiſt. „c. 25.) levigare, quod grave eſt, & conſtan„tia ſuperare, quod ſævit.] [Nihil ita læden„tes coërcet, ait S. Io. Chryſ. h. 18. in Matth. „ut patientia, modeſtiaque læſorum; nec ſecu„turum modò coërcet impetum, ſed de præce„dente exigit pœnitentiam, cogitque cæden„tem, ut à percuſſo cum modeſtiæ illius ad„miratione diſcedat.] Tunc Sancti indubitanter vincunt, quemadmodum Euſebius Emiſſenus loquitur h. in Dom. 5. poſt Epiphaniam, quando humilitatem, & patientiam non amittunt. [Illorum enim patientia (S. Proſpe„ri ſententia in Comm. pſ. 138.) os firmiſſi„mum eſt, quod nec corrumpitur ſecundis, nec „frangitur adverſis.] Sanè cùm in injurijs, & perſecutionibus duo ſint, culpa, & pœna; meliorem, aut certè minùs malam partem habet vir patiens, cùm ſit pœna patientis, culpa lædentis. Quam pœnam ſi libenter, & cum gratiarum actione ſuſcipiat, pro ſatisfactione peccatorum computari monet S. Io. Chryſ. h. 23. in poſteriorem ep. ad Cor. At quantum meritum? quanta gloriæ corona? S. Cyprianus in ep. ad Moyſen, & Maximum: [Semel, inquit, vincit, „qui ſtatim patitur; at qui manens ſemper in „pœnis congreditur cum dolore, nec vincitur; „quotidiè coronatur.] Nec poteſt accipi dolorum, & paſſionum corona, ut eſt apud eundem in ſer. de bono patientiæ, niſi præcedat in dolore, & paſſione patientia. De illis, qui fidei, ac verbi Dei ſemen receperunt, velut terra bona, dicitur Luc. 8. eos adferre fructum in patientia. Quæ verba conſiderans S. Greg. Papa h. 15. in Evang. [Terra, inquit, bona „fructum per patientiam reddit; quia nulla „ſunt bona, quæ agimus, ſi non æquanimiter „etiam proximorum mala toleramus.] Quod ſi fidem agnoſcimus virtutum omnium fundamentum, patientiam velut ſuſtentaculum, addit S. Anſel. in comm. ad c. 1. Apocal. Io. etiam Caſſianus eam propoſuit optimum remedium caſtitatis. His enim verbis eſt apud ipſum in collat. 12. Abbatis Cheremonis, quæ eſt de caſtitate c. 16. [Quantum quis in leni-

tate,

Digitized by Google

„ tate, & patientia cordis, tantùm in corpo- „ ris puritate proficiet, quantoque longiùs ira- „ cundiæ propulerit paſſionem, tantò caſtita- „ tem tenaciùs obtinebit.] Atque huc adfert illud Matt. 5. Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram, quod de caſtitate, & terra corporis noſtri interpretatur. Denique patientiam ſapientiæ, impatientiam inſipientiæ, argumentum eſſe judicavit in modo benè vivendi ad ſororem S. Ber. c. 35. ubi ſcripſit: [Tantò quiſ- „ que conjungitur minùs ſapiens, quantò eſt „ minùs patiens.] Etenim ſapientis eſt iram temperare, ſuiſque affectibus dominari.

DE SUPERBIA.

LIBER XXI.

De ſuperbia jam dicam, de qua cuipiam fortaſſe minùs neceſſarium videatur dicere. Nam & de illa ſatis multa audita ſunt, cùm de humilitate diceretur; & ex virtutibus facilè eſt oppoſita illis vitia cognoſcere velut ex habitu privationem, atque ex recto obliquum. Video tamen à Sanctis Patribus tam multa de illa ſeorſim ſcripta, ut nullo modo prætermittendam mihi judicaverim.

CAPUT I.

Superbiæ Nomen.

Superbia quid. Vox quidem certè ipſa naturam indicat vitij: etenim ſuperbia ſuperioritatem quamdam ſignificat; ſive ut putat S. Anſel. in lib. de ſimilitudinibus c. 7. quòd quis, ſuprà quam debeat, ſuperbiendo graditur; majoremque ac meliorem de ſe opinionem ſuperbus habeat, pluraque ac majora debêri ſibi exiſtimet, quàm par ſit; ſive potiùs quòd ipſe ſuperiorem ſe cæteris putet, ac ſuprà omnes alios vidêri atque honorari velit. Quod & illa ſuperbi Phariſæi verba ſignificant, Luc. 18. Non ſum ſicut cæteri homines; ego ſuper omnes ſum. „ [Quid enim eſt cæteri homines, inquit S. „ Aug. ſer. 36. de verbis Domini, niſi omnes „ præter ipſum?] Hinc apud S. Nilum in lib. de octo vitioſis cogitationibus c. de inani gloria; inter inanem gloriam, & ſuperbiam diſcrimen. Inanis enim gloria tum exiſtit, cùm humanæ gloriæ ſtudio aliquid rectè, & ex virtute agimus; ſuperbia autem, cum magnos, & excelſos nos eſſe cenſemus, alioſque condemnamus.

CAPUT II.

Superbia quid.

Quocirca non parùm mirari poſſum definitionem ſuperbiæ, quam S. Gregorius Nyſſenus confecit in lib. de vita Moyſeos, dum de Dathami & Abironis ſuperbia loqueretur, qui ſacerdotium appetentes adversùs Moyſen rebellârunt. [Superbia eſt de- „ ſcenſus ad inferiora. Nam qui ſe ſuper alios „ præferre volunt, hiatu terræ demerſi, ad in- „ fima decidunt.] *Superbiæ definitio.* Hoc enim effectus eſt, & pœna, non natura ſuperbiæ. Duo igitur maximè videntur ad ſuperbiam pertinêre; alterum interiùs, quo ſe omnibus anteponit ſuperbus; alterum exteriùs, quo ab alijs quoque vult anteponi. Hoc poſterius ſpectavit S. Auguſt. in 2. lib. de Geneſi contrà Manichæos c. 5. ubi Superbiam definivit nihil eſſe aliud, quàm deſerto ſecreto conſcientiæ, foris vidêri velle, quod non eſt: quam ob cauſam in comm. pſ. 121. ſuperbum omnem affirmavit eſſe fictum. Quoniam videri vult, quod non eſt: & S. Anſel. in caput primum ep. ad Rom. com. 9. Superbiam dixit eſſe perverſæ celſitudinis appetitionem; perverſæ, inquam, hoc eſt non ſibi debitæ, & S. Proſper in ep. ad Demetriadem, ſuperbiam ſcripſit avaritiam appellari; Quia utraque appellatio eum ſignificat appetitum, qui ſuam menſuram concupiſcat excedere, & verè S. Ber. in ep. 42. ad Henricum, & in tract. de gradibus humilitatis, ſuperbiam appetitum, ſeu amorem eſſe voluit propriæ excellentiæ; humilitatem verò propriæ excellentiæ contemptum. At hoc ego pronuntiaverim ex interiori exiſtimatione proficiſci. Quoniam enim ſuperbus cæteris omnibus ſe ipſum anteponit in ſua exiſtimatione interiùs, appetit

exteriùs quoque excellere: contrà humilis de ſe
ipſo demiſsè ſentiens, omnibus ſe ſubjicit, ex-
teriùſque abjectè tractari deſiderat.

CAPUT III.

Superbus qualis.

Superbiam inflationem eſſe.

PRopterea vento quaſi diſtentus, & in-
flatus eſſe ſuperbus dicitur. Ita locutus eſt
S. Aug. lib. 1. de ſerm. Domini in monte c. 1.
„ [Superbi dicuntur habêre magnos ſpiritus,
„ & inflati ſpiritu tanquam vento diſtenti.] Et
S. Nilus. [Superbia eſt animæ tumor ſanie
„ plenus.] Et S. Io. Chryſoſt. h. 3. de verbis Iſa-
jæ; Vidi Dominum & hom. 17. in prior. ep. ad
Tim. & h. 39. ad populum: [Quod in corpori-
„ bus eſt inflatio, hoc in anima eſt ſuperbia.]
Et h. 7. in epiſtolam ad Phil. [Dic mihi; quæ
„ dicimus eſſe ſana? an quæ multum habent tu-
„ moris, & plena internè, & multo flatu, & hu-
„ more; an ſedata, & humilem ſuperficiem ha-
„ bentia? liquet, quod iſta. Igitur & quod ad a-
„ nimos attinet, tumidus animus pejorem in-
„ tercute morbum habet; ſedatus verò ab omni
„ paſſione liberatus eſt.] Quin etiam Apoſto-
lus Paulus hoc ipſum de ſuperbo homine ſen-
ſit; nam in priore ad Cor. ep. c. 4. verbis illis
non ſuperbiendum monuit; Nè unus adver-
ſus alterum infletur. [Rectè, inquit S. Chryſ.
„ h. 12. in eum locum, ſuperbiam inflationem
„ appellavit; cùm enim membrum aliquod in-
„ ſurgit, nihil aliud eſt, quàm inflatio, & mor-
„ bus; neque aliter aliud membrum excederet,
„ niſi inflatione. Sic igitur in corpore Eccle-
„ ſiæ, qui tumidus, & inflatus eſt, ipſe ægro-
„ tus ſit, oportet; inflatur enim ſuprà commu-
„ nem modum.] Ac demum ut in libro de hu-
militate dictum eſt cap 8. ex Sanctis Hiero-
nymo, & Auguſtino quemadmodum hyſopus
inflationem corporis, ſic humilitas ſuperbiæ
tumorem curat.

In aëre habitare.

Eandem ob cauſam dicitur ſuperbus neque
in terra habitare, neque in cœlo, ſed prorſùs in
aëre. [Dæmon (loquitur S. Bernard. in tract.
„ de gradibus humilitatis) in cordibus habitat
„ ſuperborum, qui nec in terra dignantur eſſe,
„ ſicut cæteri hominum; nec ſicut Angeli vo-
„ lant ad cœlum, & in aëre ſuſpenſus aſcenden-
„ tes, quidem, & deſcendentes Angelos intue-
„ tur. Sed quid vel audiant in cœlis, vel nùn-
„ tient terris, penitùs neſcit; Ponam, inquit, ſe-
„ dem meam ad Aquilonem. Nec Aquilonem
„ hunc corporalem, nec ſedem hanc (cum ſit
„ ſpiritus) intelligo materialem. Puto autem
„ per aquilonem reprobandos homines fuiſſe
„ deſignatos, per ſedem poteſtatem in illos, &
„ quæ ſequuntur.]

In fumo.

Alij dixerunt, habitare in fumo, quia vani-
tas, & ſuperbia fumo pleni ſunt; & verè pe-
cuntur fumo; de quibus habes in pſ. 101.
Defecerunt ſicut fumus dies mei. Quo loco
ait S. Aug. [Videte fumum ſuperbiæ ſimilem,
„ aſcendentem, tumeſcentem, vaneſcentem
„ deficientem; non utique permanentem.] Et
ſer. 109. de tempore; [Superbus fumo compa-
„ ratur. Quia ſe erigit, & in cœlum extollit;
„ ſed quantò fit ſuperior, tantò faciliùs evaneſ-
„ cit, & diſperit.] Manichæus quoque ut idem
Auguſtinus ait in lib. contrà epiſtolam Fund.
c. 32. propterea bipedes dicebat habitare in
fumo, quia elatum, & ſuperbum eſt bipedum
genus. Sed & S. Greg. Magnus lib. 4. regiſtri
c. 82. ſuperbiam fumum nominavit. [Nequa-
„ quam, inquit, per elationis fumum oculi cor-
„ dis obſcurentur, qui quantò magis excreve-
„ rit, tantò celeriùs evaneſcit.] Sicut & in
pſ. 72. de ſuperbis dicitur; Dejeciſti eos dum
allevarentur; ſubitò defecerunt. Hoc enim
in fumo evenit, ut ipſa illius elevatio ſit illius
diſſipatio, & interitus. [Non ait, inquit S.
„ Aug. libro 14. de Civit. Dei c. 13. cùm elati
„ fuiſſent, ſed cùm allevarentur, tunc dejecti
„ ſunt; ipſum quippè extolli, jam deijci eſt.]
„ [Quantum enim (exponit idem in comm.
„ pſ. 93.) eſt ſuperbum cor hominis, tantùm
„ recedit à Deo; & ſi recedit à Deo, in profun-
„ dum it.] Et S. Greg. Papa libro 24. moral.
c. 3. [Quiſquis, ait, ſuprà ſe extollitur, ipſo
„ elationis ſuæ pondere gravatur; & eo ſe in-
„ feriùs mergit, quò in ſuperbiæ vitium proru-
„ ens, ab eo, qui verè excelſus eſt, elongavit.]
Hinc Ezech. 32. dicitur; Quò pulchrior es, de-
ſcende, & dormi cum incircumciſis, id eſt cum
peccatoribus, & lib. 32. c. 7. adnotavit, & ipſe, *Pſal. 72.*
non dixiſſe Davidem; Poſtquàm allevati ſunt,
ſed; Dum allevarentur; quia hoc ipſum ſuper-
bis fit interiùs deijci, quod eis falſa contingit
gloria exteriùs elevari. Ordinante enim divi-
no judicio, non eis hìc aliud culpa eſt, atque a-
liud pœna; ſed ſua illis in pœnam vertitur cul-
pa, ut elatis faſtu ſuperbiæ hoc ipſum ſit verè
intùs cadere, quod foris oſtenditur profeciſſe.

Superbia fumus.

In eandem ſententiam S. Aug. lib. 4. de
Trinitate capite 12. [Diabolus, inquit, non
„ traijcit ad ſuperiora; ſed potiùs obſidens
„ intercludit viam per affectus, quos tan-
„ tò maligniores, quantò ſuperbiores ſuæ ſo-
„ cietatis inſpirat; qui non poſſunt ad evolan-
„ dum pennas nutrire virtutum, ſed potiùs ad
„ demergendum pondera exaggerare vitio-
„ rum. Tantò graviùs anima ruitura, quantò
„ ſibi videtur evecta ſublimiùs.] Itaque deje-
ciſti eos, dum allevarentur; quia dum in ſeipſis,
aut coram hominibus elevantur, coram Deo
per ſuperbiæ vitium deijciuntur à conſpectu
Domini ad damnationem dejecti.

Superbiæ brevitas.

Verùm his ipſis Prophetæ verbis fortaſſe
brevitas quoque temporis ſignificatur, quo ſta-
tu illo ſuperbus fruitur, ad quem elevavit ſu-
perbia.

Digitized by Google

perbia. Namque hoc alijs etiam modis in ſacris litteris explicatur. In pſ. 67. cera profertur ad ignem liqueſcens; Sicut fluit cera à facie ignis, ſic pereant peccatores à facie Dei. S.Chryſ. in ſer. contrà deſperationem, & ſuperbiam, tom. 5. Stuppam adjungit, quæ igni admota in cinerem ſtatim diſſolvitur, & deficit. Addit & bullas, quæ excitantur in aquis, & aranearum telas, & fumum. [Mihi certè, inquit, poſſe „ videtur horum hominum tumiditatem cum „ ſtuppa aliqua flammeſcente conferri, quando „ poſt incendium mox illa inflatur, & ſurgit, „ poſtmodum leviori quodam manuum tactu „ diſſolvitur omnis in cineres tenuiſſimos. „ Ejuſmodi ſunt iſtorum animi, quorum tumores, & inflatos ſpiritus quivis fortuitus, & adverſus caſus comprimere poterit, & diſturbare.] Et iterum; [Elatio illa quemadmodum „ in aquis ampullæ facilè diſſolvuntur, ita &c. „ & aranea celeriùs, vel fumo diſſolvitur.] Et h.20. in epiſtolam ad Rom. [Superbi accenſæ „ ſtuppæ ſimiles ſunt, & ut aquaticæ ampullæ „ facilè rumpuntur, ita & illi facilè pereunt.] Deniq; S.Aug. in annotationibus in Job c. 38. nivem proponit, quæ vapore in altum ſublato congelatur, & ſtatim in terram cadit. [Per ſuperbiam, inquit, elati in alto cogitatus hominum more nivis congelaſcunt, & cadunt; ex „ quorum iniquitate abundante refrigeſcit „ charitas multorum. Undè Job dicit Dominus; Nunquid veniſti in theſauros nivis?]

Summis pedibus ambulant.

At non potuit meliùs horum hominum vanitatem declarare S. Io. Chryſ. quàm eos dicendo ſummis pedibus ambulare, ut quemadmodum animo, & cogitatione ſua, ita & exteriori corporis habitu cæteros omnes ſuperent, ſuprà omnes emineant. Illius verba ſunt in h. 50. in Matth. dum vanitatem & curioſitatem nimiam veſtium reprehenderet. Digitis pedum ſublevatis ambulant in plateis. Et ſer. paulò antè citato; [Quid cervicem „ extendis? quid ſummis incedis unguiculis? „ quid attollis ſupercilia? quid pectus tumidum „ geris? uti rerum potitus aërem volitando „ oberras, cupidior fortè vel alas tibi adnaſci, „ nè terram deſuper pedibus incedas.]

Extento collo.

Iſaias Propheta c. 3. filias Hieruſalem graviter reprehendit; quod ambulaſſent extento collo, & S. Greg. libro 34. moral. cap. 2. per collum vult ſuperbiam ſignificari. Undè & cùm de Leviathan ait Job cap.41. In collo ejus morabitur fortitudo. Quid collo niſi elationis oſtenſio deſignatur? Sed & idem Propheta cap. 2. de ſuperbis loquens: Super omnes, inquit, cedros libani ſublimes, & erectas. Quo loco S.Baſilius; [Cedrus ait, ſuperbum, & arrogantem ſignificat; quoniam arbor eſt alta „ & in proceram altitudinem, & ampliſſimam „ excreſcens, & ſemper in ſublime ſe attollit; „ arbor tamen infrugi &c.] S.Nyſſ.h.8. in Eccleſiaſten, propterea voluit equos ſuperbiæ ſymbolum eſſe, quoniam collum & caput in altum attollunt. [Superbiæ, inquit, vitium „ qui in equorum tranſtulerit elationem, minimè aberraverit, ſunt enim planè equi collum, & caput in altum attollentes; inflatis „ inſolentiæ verbis velut quibuſdam ungulis, „ eos, qui ſunt moderati, pulſantes.] De quibus pſ. 35. Non veniat mihi pes ſuperbiæ: omnes namque contemnit ſuperbus; & ut equus pedibus, ita ille verbis, & operibus adversùs omnes calcitrat. S.Greg.lib.23.mor.c.3. audiens Heliu reprehendentem Job, quòd ſe juſtum diceret, amicos verò ejus, quòd reſponſionem contrà illum rationabilem non dediſſent. „ [Cuncti, inquit, vanæ gloriæ ſectatores (& „ ſuperbi) dum ſe omnibus præferunt alios de „ fatuis ſenſibus, alios de indignis meritis reprehendunt; alios cenſent nihil ſcire; alios non „ benè vivere.] Imò contrà Deum quoque inſurgit ſuperbus. S. Dorotheus ſer.2. de cordis humilitate dicit ſe hominem noviſſe, qui primò contrà homines, deindè contrà Deum ipſum ſuperbire cœperat: ſed nihil mirum; nam & diabolus ſuperbiæ pater contrà illum quoque erexit ſeſe dicens; Aſcendam, & ero ſimilis altiſsimo & jactabundus Phariſæus cæteros omnes homines ſpernens dicebat; Non ſum ſicut cæteri homines; velut etiam hic Publicanus.

Cedrus ſuperbum ſignificat. *Equus ſuperbum ſignificat.*

Superbia tyrannis.

Omninò ut verè ratiocinatur S. Greg. lib. 12. moral. c. 2. Superbus tyrannus quidam eſt, & ſuperbia tyrannis. [Tyrannus enim is „ dicitur, qui in republica non jure principatur, „ & omnis ſuperbus juxtà modum ſuum tyrannidem exercet; nam quod alius per acceptam „ dignitatis potentiam, hoc ſuperbus per latentem nequitiam exercet apud ſe in cogitatione ſua, etſi exteriùs non affligit proximos, intrinſecùs tamen habère poteſtatem „ appetit, ut affligat.] Illius cor velut mare continuis cogitationibus æſtuat, & quaſi fluctibus intumeſcit; [Atque elatione ſuperbiæ (ut ejuſdem Gregorij utar verbis libro 17. ejuſdem operis c.18.) concitatum, dum alterna intentione ſe impetunt, quaſi adverſante ſe „ unda collidunt.]

Superbus Dei æmulator.

Sanctus Aug. lib. de vera relig. c. 45. ſuperbum affirmavit hoc unum modis omnibus affectare, ut ſolus appareat; velut alter Deus in mundo, atque divinæ quodam modo æmulator majeſtatis, & cum ea contendens; „ [Quid enim aliud, ait ille, appetit homo ſuperbus, niſi ſolus eſſe, ſi fieri poſſit, cui cuncta „ ſubjecta ſint; perverſa ſcilicet imitatione „ omnipotentis Dei? Quem ſi ſubditus imitaretur ſecundùm præcepta ejus vivendo; per „ eum haberet ſubdita cætera, nec ad tantam „ deformitatem veniret, ut beſtiolam timeret, „ qui vult omnibus imperare.] Itaque in ep.

Digitized by Google

120. ad Honoratum c. 16. Davidem audiens pſ. 21. dicentem; Et à cornibus unicornium humilitatem meam: In unicornibus ſuperbos intelligit; quia ſuperbus odit conſortium, & quantum in ipſo eſt, ſolus cupit eminêre omnis ſuperbus. In quam etiam ſententiam S. Ber. ſer. 4. in vigilia nativit. Domini ad hunc modum loquitur. [Deus vult fieri voluntatem ſuam, & ſuperbus vult ſuam. Jam videtur æqualitas, ſed Deus in his tantùm, quæ ratio approbat, ſuam vult fieri voluntatem; ſuperbus verò & cum ratione, & contrà rationem.] Et in ſer. de fallacia præſentis vitæ, meritò de ſuperbis interpretatur illud pſ. 106. Erraverunt in ſolitudine in inaquoſo. [Solitudo hæc, inquit, ſuperborum eſt, quia ſolos ſe eſſe reputant, ſolos appetunt reputari. Litteratus eſt, odit ſocium &c. ſolitarius eſt, ſed erroneus, errat in ſolitudine ſua; non enim ſolus habitare poterit ſuper terram. Nec mirum quod ſolitudini huic addatur inaquoſum: ſicut enim in ſolitudine aquæ deeſſe ſolent; & loca deſerta ſterilia, & arida eſſe conſueverunt; ſic ſuperbiam impœnitentia comitatur, elatum cor durum, & ſiccum ab omni rore gratiæ ſpiritualis. Quia ſuperbis Deus reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Qui emittit fontes in convallibus; & de ſe ipſo conqueritur; Anima mea ſicut terra ſine aqua tibi.] Ideò opportunè S. Aug in lib. 50. homiliarum, h. 31 ſuperbum aſſerit impudentem eſſe; cùm & ſolus apparêre velit, & ſuprà omnes eminêre: ſuperbumque Goliath proptereà ab humili Davide percuſſum putat in fronte fuiſſe lapide, atque proſtratum, quia pudoris ſedes eſt frons, omniſque ſuperbia frontis impudentiam habet. Cæterùm non ſolùm impudenter conatur ſuperbus, & cæteris omnibus ſe anteponere, & cum Deo ipſo contendere. Quin etiam illum à ſe, & impudenter, & pernicioſè proijcit. S. Auguſt. in lib. 2. de Geneſi contrà Manichæos c. 15. tractans illud; Quacunque horâ comederitis, aperientur oculi veſtri; & eritis ſicut Dij: [Per ſuperbiam, inquit, peccatum eſt perſuaſum, ad hoc enim valet; Eritis ſicut Dij, & aperientur oculi veſtri. Perſuaſum enim eſt, ut ſub Deo eſſe nollent, ſed in ſua poteſtate ſine Domino.] Et rurſùm in lib. de muſica c. 13. acutè magis ratiocinatur, dum ait; [Non potuit meliùs demonſtrari, quid ſit ſuperbia, quàm in eo, quod dictum eſt, quid ſuperbis terra, & cinis? Quoniam in vita ſua proijcit intima ſua, cùm enim anima per ſe ipſam nihil ſit, & quidquid eſt à Deo illi ſit, quando ſuperbia intumeſcit, in extima progreditur; progredi autem in extima, quid eſt aliud, quàm intima proijcere, & longè à ſe facere Deum?]

Superbus impudens

CAPUT IV.

Superbia quale peccatum.

Quocirca primum, & maximum omnium peccatum judicatur eſſe ſuperbia. Verè namque primum fuit & Angeli peccatum, & hominis, quo utraque natura lapſa fuit, atque proſtrata. Deindè quia in omni peccato ſuperbè à Deo recedimus, & adversùs illius præcepta erigimur: S. Ambr. ſer. 7. in pſ. 118. [Maximum peccatum in homine ſuperbia eſt. Quandoquidem indè manavit noſtri origo delicti; quòd homo, ſicut Deus, eſſe voluit, & cognoſcere, bonum, & malum.] Et Theodoretus in Ezechiëlem Prophetam, ſect. 11. [Execranda omnia peccatorum genera; ſed omnium maximè deteſtabilis ſuperbia.] Et Io. Caſſianus collat. 4. Abbatis Daniëlis c. 16. [Elatio, & ſuperbia ſceleribus cunctis pernicioſior.] S. Greg. Nyſſ. in libro de beatitudinibus. [Nullum aliud naturæ malum tale eſt, qualis eſt is, qui per ſuperbiam nobis morbus ingeneratur; ideò Chriſtus primam beatitatem poſuit humilitatem; ut hoc primordiale malum ſuperbiam eijceret, quod à Diabolo nobis ab initio &c.] Et S. Chryſ. h. 7. in Io. [Superbiam ſapiens principium peccati, hoc eſt, radicem, fontemque & matrem appellavit; per hanc primus homo à tanta illa paradiſi ſede dejectus eſt: per hanc, qui eum decepit, diabolus à tantæ dignitatis faſtigio decidit &c. Nihil enim hominem tam alienum à divino amore reddit; nihil tam facilè in gehennam intrudit, quàm ſuperbiæ inſania, ſub qua omnis noſtra vita immunda eſt.] Et h. 15. de Angeli loquens ſuperbiâ. [Non eſſet, inquit, è cœlo ejectus, neque in diabolum verſus cecidiſſet Angelus, niſi hoc ſe ſcelere coinquinâſſet; hoc eum præcipitem dedit; hoc in gehennam intruſit, hoc malorum omnium ei cauſa fuit, hoc tantarum virium eſt, ut omnem animi virtutem corrumpat.] Et S. Proſper in ep. ad Demetriadem; [Inter omnes lapſus hominum, inter omnia commiſſa peccantium, nulla eſt gravior, quàm ſuperborum ruina, maximè cùm ipſa elatio in Dei tendit injuriam.] S. Ber. in ſer. de David, & Goliath, in hoc ſuperbo Philiſtæo vitium ſuperbiæ deſignatum fuiſſe putat, quod ut ille filijs Iſraël, ſic nobis hoc magis inſultet. [Goliath, inquit, vitium ſuperbiæ deſignat. Ipſum enim eſt peccatum maximum, quod Dei populo magis inſultat.]

Digitized by Google

CAPUT V.

Superbia mater peccatorum omnium.

DICITUR etiam eſſe mater, fons, origo, & cauſa cæterorum omnium peccatorum; Ita locutus eſt S. Baſilius in comm. ad caput 13. Iſaiæ. [Quiſquis ſuperbiam tollit, non „ unum modò malorum tollit, ſed intelligat ab „ hoc uno ſuperbiæ peccato ſpecies malitiæ „ cæteras derivari.] Propterea mox eam iniquitatis ſororem appellat. Et S. Nyſſenus in vita B. Gregorij Thaumaturgi, hoc vitium ſcribit, ſceleratæque improbæ vitæ plerumque cauſam & occaſionem præbêre. Et S. Chryſ. h. 3. de verbis Iſaiæ; Vidi Dominum, &c. [Ar„ rogantia malorum omnium fons.] Et h. 6. ex varijs Matthæi locis. [Superbia malorum „ arx, & radix, omniſque fons nequitiæ.] Et h. 7. in Io. [Superbiam ſapiens principium pec„ cati, hoc eſt radicem, fontemque & matrem „ appellavit.] S. Cyrillus Alexand. lib. 12. in Io. c. 28. [Superbia vitiorum omnium mater.] S. Aug. lib. 2. de peccatorum meritis, & remiſsione c. 17. [Vitiorum omnium huma„ norum cauſa ſuperbia eſt.] Et in pſ. 18. „ [Superbia magnum delictum, & caput, atque „ cauſa omnium delictorum.] Et ſer. 15. de tempore, [Superbia mater eſt, & caput omnium „ vitiorum.] Et ſer. 31. ad fratres in eremo; „ [Superbia cunctarum virtutum noverca, vi„ tiorum mater.] S. Greg. Papa lib. 14. moral. c. 8. [Peccatum mors animæ, & ſuperbia pri„ mogenita mors: quia Eccleſ. 10. Initium „ omnis peccati ſuperbia.] Et lib. 31. c. 17. „ [Vitiorum regina ſuperbia, cui reliqua mili„ tant: quare cùm illa cor ceperit, mox illud „ ſeptem principalibus vitijs, quaſi quibuſdam „ ſuis ducibus devaſtandum tradit.] Et rursùm: „ [Superbia radix cuncti mali; Primæ autem „ ejus ſoboles, ſeptem ſunt vitia principalia.] Et lib. 34. c. 18. [Sicut inferiùs radix tegitur, „ ſed ab illa rami extrinſecùs expanduntur; „ ita ſe ſuperbia intrinſecùs celat, ſed ab illa „ protinùs aperta vitia pullulant.] Poſtremò S. Ber. in lib. de interiori domo c. 41. [Super„ bia ut eſt mater omnium criminum, ita eſt „ ruina omnium virtutum; ipſa eſt in peccato „ prima; ipſa in conflictu poſtrema. In exordio „ mentem per peccatum proſternit, at in fine de „ virtutibus deijcit.] Et in tract. de ordine vitæ, & morum inſtitutione. [Principalium ſep„ tem vitiorum regina, & mater eſt ſuperbia „ quæ omnium deterior tantò in imo jacet, „ quantò in altum ſe erigit. Sicut eſt origo „ omnium criminum, ita ruina cunctarum „ virtutum; ipſa eſt in peccato prima, in con„ flictu poſtrema.]

Sanctus Aug. invidiæ potiſſimùm matrem prædicat; Nam cum in priore ep. ad Cor. c. 13. dixiſſet Apoſtolus; Charitas non æmulatur, non inflatur, ipſe in ep. 120. ad Honoratum c. 22. [Ideò, inquit, non æmulatur, quia „ non inflatur; ubi enim præcedit inflatio, con„ tinuò ſequitur æmulatio, quoniam ſuperbia „ mater eſt invidentiæ.] Et libro 11. de Gen. ad litteram c. 14. non ex invidia ſuperbiam, ſed ex ſuperbia invidiam oſtendit naſci, & in comm. pſ. 100. Superbiam ſine invidia eſſe non poſſe, omnemque ſuperbum invidum eſſe; Et ſer. 53. de verbis Domini. [Servo, inquit, „ Dei, cui ſurrepſerit ſuperbia, continuò ibi eſt, „ & invidia. Non poteſt ſuperbus eſſe non „ invidus; invidia filia eſt ſuperbiæ.]

CAPUT VI.

Superbia peſtis animæ.

ERGO verè animæ peſtem appellabimus ſuperbiam; nam & veteres appellârunt. S. Nylus in lib. jam indicato; [Ut contagioſus, ait, „ morbus in totum corpus; ſic ipſa quoque in „ totam animam ſerpit, & cùm animæ princi„ patum obtinuerit, eam prorsùs evertit, non „ ſecùs atque ingentem civitatem acerbiſſimus „ tyrannus.] Et S. Greg. Papa loco poſtremò citato; [Alia vitia eas ſolùm virtutes im„ petunt, quibus ipſa deſtruuntur; ſuperbia non „ unius virtutis extinctione contenta, contrà „ omnia animæ membra ſe erigit, & quaſi ge„ neralis ac peſtifer morbus corpus omne „ corrumpit. Quaſi enim tyrannus quidam „ obſeſſam civitatem intercipit, cùm mentem „ ſuperbia irrumpit. Et quò ditiorem quemque „ cæperit, eò in dominio durior exurgit.] Immò verò dum in pſ. 1. dixit David; Et in cathedra peſtilentiæ non ſedit; peſtilentiæ cathedram S. Aug. interpretatus eſt ſuperbiam. Quia morbus eſt, qui latè, & per omnes pervagatur, ſicut peſtis, quæ omnes inficit, & rursùm, quod eſt in pſ. 73. Tu confregiſti capita draconis: idem Aug. eandem ſuperbiam intelligit, draconis caput conterendum. Et S. Ber. in tract. de ordine vitæ, & morum inſtitutione. [Caput ſuperbiæ, ſicut caput vipe„ ræ furor ejus, ut furor draconis, & flatus „ ejus lethifer, ut inſanabilis flatus reguli. Tres „ venenatas educit linguas; prima percutit eos, „ qui divina contemnunt præcepta, ſecunda „ eos, qui extolluntur de virtutibus, tertia eos, „ qui ſubdi dedignantur majorum imperijs.] Vermem & tineam rodentem omnia, & perdentem dixit eam eſſe S. Aug. in ſer. 205. de tempore, eum verò ex divitijs maximè naſci, quippè divites ſuperbire præ cæteris ſolent: „ [Primus vermis divitiarum ſuperbia: mala „ tinea, totum rodit, & ad cinerem perducit.]

Digitized by Google

CAPUT VII.

Superbiam imperitiam, & inſaniam eſſe.

MODESTÈ de ſuperbis locutus eſt S. Greg. lib. 23. moral. c.1. cum eos imperitos appellavit. Exponens enim illa verba Job c. 31. Quis eſt iſte involvens ſententias ſermonibus imperitis? [Magna, inquit, impe- ,, ritia in eo eſt, humiliter dicere neſcire, quod ,, dicit, & veritatis ſenſibus elationis verba mi- ,, ſcêre.] Alta enim & magnifica de ſe ſemper ſuperbus loquitur & jactat. Quamquàm & hic ipſe Greg. fatuitatem adjungit imperitiæ, cùm ait ſententias ſermonibus imperitis involvi, quia cum elationis fatuitate proferuntur. Certè in lib. 34. c. 18. hoc primum ſuperbiæ dixit eſſe damnum; quod clauſo cordis oculo judicij æquitatem perdit, quiſquis illius tyrannidem ſuſceperit; nam quæ ab alijs benè geruntur, diſplicent, & ſola, quæ ipſe vel pravè egerit, placent.

Sed audiamus alios apertè magis loquentes, ſuperbiamque affirmantes inſaniam maximam eſſe, atque ex inſania ortum habêre: S. Ioan. Chryſoſt. in comm. pſ. 9. [Se ipſos, inquit, ,, ignorare, & extremæ amentiæ, & phrænesi ,, gravius eſt: hoc enim eſt morbus neceſſita- ,, tis, illud verò depravatæ, & corruptæ vo- ,, luntatis.] Quam ob cauſam h. 15. in Io. Minùs, quàm cætera peccata, veniâ dignam judicavit; quia nullam habet excuſationem; ſed depravatio eſt animi non aliundè, quàm ex inſania ortum ducens; Nihil enim eſt ſuperbo homine inſaniùs. S. quoque Aug. in ſer. de obedientia & humilitate tom. 9. alia peccata, dixit, excuſationem habêre, ſuperbiam non habêre; & Theodoretus in caput 12. ep. ad Rom. cùm Apoſtolus dixiſſet; Non ſapere pluſquàm oporteat ſapere. [Modeſtiam, inquit, ſeu mo- ,, derationem σωφροσύνην, mentis ſanitatem ,, appellavit, docens ſuperbiam eſſe morbum ,, mentis.] Et rursùm S. Chryſ. h. 20. in eandem epiſtolam, σωφροσύνην; id eſt temperantiam, & modeſtiam fuiſſe dictam adnotavit, ἀπὸ τοῦ σώας τὰς φρένας ἔχειν; hoc eſt ab eo quòd mentes habeantur ſanæ; itaque ſubjungit. [Nihil adeò ſtultum facit, quemadmo- ,, dum ſuperbia; ſtultus ſtulta loquitur, & quæ ,, à ſuperbis, & arrogantibus dicuntur, digno- ,, ſci non poteſt, an ſint verba ſuperborum, an ,, ſtultorum; ut illa: Super aſtra cœli ponam ſo- ,, lium meum; Non poterit Deus eripere de ,, manibus meis; Dominum non novi, & Iſ- ,, raëlem non dimittam &c.] Et h. 7. in epiſt. ad Philipp. [Non poteſt ſuperbus eſſe, qui fa- ,, tuus non eſt.] Et h. 1. in poſter. epiſtolam ad Theſſ. [Superbia eſt animi ratione deſti- ,, tuti ſignum;] Et ſer. contrà deſperationem & ſuperbiam. [Superbia eſt extrema quædam ,, dementia.] Et h. 39. ad populum. [Non po- ,, teſt eſſe ſuperbus, qui fatuus non ſit: ſtulti- ,, tiâ verò plenus eſt ſuperbus.] Et S. Ambroſius in cap. 5. poſter. ad Corint. [Omnis ſu- ,, perbia velut inſania habetur.]

CAPUT VIII.

Superbiæ ſigna.

QUÆNAM verò ſint ſuperbiæ ſigna non eſt opus multis dicere; facile eſt ea ex hactenùs dictis colligere; maximè cap. 3. & S. Baſilius cùm hoc ipſum quæſiſſet in reg. brev. 35. ſuperbiæ ſignum reſpondit eſſe; ſi ea quærat undè cæteris ſuperior ſit; & 56. [Si ,, non ambulat in ſancitis inſtitutis; neque il- ,, lud exequitur, quod eſt apud Apoſtolum ,, Phil. 3. ut in eadem regula ambulemus, & ,, idem ſentiamus; potiuſque propriam ſuam ,, quandam juſtitiæ ac pietatis viam comminiſ- ,, citur.] Et universè veriſſimum eſt illud S. Anſelmi in lib. de ſimilitudinibus c. 149. [Pro- ,, prium ſuperbiæ eſt ſingularitate ſemper ,, gaudêre.] Ut enim ſuperbus ſe omnibus anteponit, ſeque ſingularem ſuprà omnes exiſtimat; ita ſingularis in omnibus vult apparêre.

In oculis præſertim ſe oſtentare hoc vitium judicavit S. Greg. libro 16. moral. c. 10. [Pri- ,, ma, inquit, ſuperbiæ oſtentatio eſſe in oculis ,, ſolet, hinc enim ſcriptum eſt pſ. 17. Et oculos ,, ſuperborum humiliabis, & de ipſo ſuperbien- ,, tium capite dicitur ob 41. Omne ſublime ,, videt; & de illa, quæ ei per infidelitatem ad- ,, hæſit, ſcriptum eſt Prov. 30. Generatio cujus ,, excelſi ſunt oculi, & palpebræ ejus in altum ,, ſurrectæ; ideò Job 22. Qui inclinaverit ocu- ,, los ſuos ipſe ſalvabitur.] Et rursùm lib. 34. c. 18. [Superbia ſe per oculos quaſi per quaſ- ,, dam feneſtras oſtendit.] Sed mox alia plura congerit ſigna. [Cunctis, inquit, ſuperba apud ,, ſe cogitatione tumentibus ineſt clamor in ,, locutione, amaritudo in ſilentio, diſſolutio in ,, hilaritate, furor in triſtitia, inhoneſtas in ac- ,, tione, honeſtas in imagine, erectio in inceſ- ,, ſu, rancor in reſponſione. Horum mens ſem- ,, per eſt ad irrogandas contumelias valida, ad ,, tolerandas infirma, ad obediendum pigra, ad ,, laceſſendum verò alios importuna; ad ea, ,, quæ facere, & debet & prævalet, ignava, ad ,, ea autem, quæ facere, nec debet, nec præva- ,, let, parata. Hæc in eo, quod ſponte non ap- ,, petit, nulla exhortatione flectitur, ad hoc ,, autem, quod latenter deſiderat, quærit, ut ,, cogatur, quia dum metuit ex deſiderio ſuo ,, vileſcere, optat vim in ipſa ſua voluntate to- ,, lerare.] Apud S. Bernardum in lib. de interiori domo c. 41. Et Io. Caſsianum in lib. de ſpiritu ſuperbiæ c. 29. & 30. pleraque ex his confirmata reperies.

Superbia in oculis.

Sed

Digitized by Google

Sed inceſſum quoque ſuperbi hominis deſcripſit nobis S. Ambroſius in lib. de Noë, & arca c. 15. [Sunt, inquit, hujuſmodi erigentes „ ſupercilia, inflato corde, elato pectore, cervice „ reſupina, qui ſolùm quidem veſtigijs pedum „ perſtringant; toto autem ſe librent corpore, „ & inani ſuſpendant examine; in priora greſ„ ſu procedant, ad poſteriora verticem recli„ nantes; cœlum ſpectent, terram autem faſti„ diant, tamquam cervicis dolore ſuffixi, ut „ eam inclinare non poſſint.]

CAPUT IX.

Superbia à Diabolo.

IEREMIAS Propheta c. 1. vidiſſe ſe ollam narrat ſuccenſam à facie Aquilonis. Ollam hanc interpretatur S. Aug. ſer. 12. ad fratres in eremo eſſe ſuperbiam, in qua principes omnes tenebrarum, & ſuperbi decoquuntur, eam ſuccendit Diabolus, qui ſedem ſuam poſuit, aut certè ponere affectavit ad Aquilonem, velut ſuperborum princeps, dum non eos modò torquet damnatos, verùm etiam in hac vita ad ſuperbiam inflammat.

Superbia tentatio unde. At meritò quæri poteſt, cur tantoperè tentationem hanc nobis immittat. Poſſem illud Sancti Gregorij reſpondêre lib. 34. ſæpiùs citato; evidentiſſimum reproborum ſignum ſuperbiam eſſe, humilitatem contrà electorum. Sed S. Aug. lib. 1. qq. veteris, & novi teſtamenti q. 2. eam putavit eſſe cauſam, quia ipſe prior ſuperbiendo peccavit, vultque quàm plurimos habêre ſui mali ſocios. [Diabolus, in„ quit, inimicus extitit hominis; prævidit „ enim quia ad accuſationem ejus factus eſt „ homo; undè ſubtilitate ſua id egit, ut in e„ andem illum prævaricationem, in quam ipſe „ ruit, induceret, ut accuſatorem ſuum parti„ cipem ſuæ damnationis efficeret.] Alteram cauſam habes apud S. Proſperum in ep. ſæpiùs memorata; [Diabolus enim quibus non po„ tuit perſuadêre vitiorum amorem, immittit „ laudis cupiditatem, ut quos impulſione non „ movit, elatione deijciat, & quantò clariores „ ſunt meritis, tantò eos aptiores ſuis invenit „ inſidijs.]

CAPUT X.

Superbia ex benefactis.

HOc eſt, quod Sancti Patres admonent; in benefactis maximè, ac virtutum actionibus hanc eum tentationem immittere, atque ad ſuperbiam urgêre. Quod in Goliath Philiſtæo ſignificatum nobis arbitratur S. Bern. in
1. Reg. 17. ſer. de David, & Goliath; ſicut enim populus Iſraël cæteras jam gentes ſuperaverat, cum adverſùs eum Philiſtæus ſurrexit; ita hoc vitium ſpecialiter inſurgit adverſùs eos, qui cætera jam videantur viciſſe peccata. Atque hinc eſt, quòd provocat ad ſingulare certamen, tanquam cæteris jam ſubactis. Itaque monet nos Origenes, ut cùm vitia ſuperaverimus, & benè in virtute profecerimus, tunc maximè à vana gloria, & ſuperbia caveamus; quas ſignificatas fuiſſe putat in duabus filiabus, cum quibus concubuit Loth, poſtquam Sodomæ incendium effugit, atque ad montis cacumen aſcendit; Sic enim loquitur h. 5. in Geneſim: [Ob„ ſerva, nè fortè cum effugeris flammas ſæcu„ li, & incendia carnis evaſeris, etiam cùm „ puſillam, & non puſillam civitatem Segor, „ qui eſt medius quidam profectus, ſuperave„ ris, & ad ſcientiæ altitudinem, velut ad „ quædam cacumina montis aſcenderis, vide, „ nè tibi inſidientur duæ iſtæ filiæ, quæ à te „ non diſcedunt, ſed ſequuntur te, etiam cùm „ aſcendis in montem, id eſt vana gloria, & „ major ſoror ejus ſuperbia. Quæ idcircò di„ cuntur filiæ, quia non nobis extrinſecùs ſu„ perveniunt, ſed de nobis, & de actuum no„ ſtrorum velut quadam integritate proce„ dunt.] Et S. Chryſ. h. 3. de verbis Iſaiæ; Vidi Dominum &c. [Cætera, inquit, mala nobis „ negligenter agentibus ſolent exuperare, ar„ rogantia ipſis rectè factis noſtris adnaſcitur. „ Nihil enim perindè gignit ſuperbiam, ut bo„ nâ conſcientiâ niſi advigilemus.] Et iterum h. 4. [Magis juſtus metuere debet arrogantiam „ quàm peccator, quia peccator habet conſci„ entiam, velit, nolit, humilem, & ſubmiſſam; „ juſtus autem ob benefacta extollitur.] Et ideò hortatur nos h. 3. in priorem epiſtolam ad Tim. [Illis maximè laborare opus eſt, ut veram „ conſequi humilitatem poſſint, qui magna„ rum ſibi virtutum conſcij ſunt; magnam ſibi „ vim inferant, neceſſe eſt, ut conſcientiam „ rectè factorum ſeſe ſemper efferentem ob„ tundere queant.] [Inter vitia namque ut lo„ quitur S. Proſper, nulla, aut rara jactantia, & „ facilè ſpernitur qui de opprobrio gloriatur: „ malum ſuperbiæ maximè in virtutibus ca„ vendum; quia nullis opportuniùs inſidia„ tur, quàm quibus laus juſta debetur.] Et S. Aug. lib. de natura, & gratia c. 27. [Cæ„ tera vitia tantùm in malefactis valent; „ ſola ſuperbia etiam in benefactis cavenda „ eſt;] Et conc. 2. in pſ. 58. [Omnia vitia „ in malefactis timenda ſunt, ſuperbia in be„ nefactis plus metuenda eſt.] S. Greg. Papa lib. 2. moral. c. 26. [Difficilè eſt quempiam „ magna agere, & apud ſemetipſum de mag„ nis actibus fiduciam cogitationum non ha„ bêre. Eo ipſo enim, quo contrà vitia forti„ ter vivitur, cogitationum præſumptio in „ corde generatur, & cùm mens foris culpas „ valenter conterit, plerumque apud ſemetip„ ſam latenter intumeſcit; jamque ſe eſſe ma-

Vana gloria cavenda. *Gen. 19.*

Digitized by Google

„ gni alicujus meriti æſtimat, nec ſe peccare in „ cogitatione ſuæ æſtimationis putat.] Et iterum. [Nazaræi Num. c.16. ca) illos nutriunt, „ quia per vitam magnæ continentiæ præſumptionum cogitationes creſcunt; ſed devotione completa Nazaræus caput radere, capilloſque in igne ſacrificij ponere jubetur: quia „ tunc ad perfectionis ſummam pertingimus, „ cùm ſic exteriora vitia vincimus, ut etiam cogitationes ſuperfluas à mente reſecemus, & „ divini amoris flammâ incendamus.] Et lib.3. c. 17. [Sæpè de ipſa victoria bellum oritur, ut „ cùm immunda cogitatio vincitur victoris „ animus elatione pulſetur, ſic ergò mentem „ neceſſe eſt per munditiam erigi, ut tamen „ ſollicitè debeat in humilitate ſubſterni. Undè & cùm Job dicitur: Teſta ſaniem raſiſſe; „ protinùs additur: Sedens in ſterquilinio. Hoc „ enim eſt, de ſe vilia, & abjecta ſentire, & ad „ ea, quæ illicitè geſsimus, mentis oculos pœnitendo reducere, ut cùm antè nos peccatorum ſtercora cernimus, omne, quod in animo „ de elatione ſurgit, inclinemus.] Et lib.5.c.8. „ [Ut cujuſlibet facta digniora ſint, neceſse eſt, „ ut ei apud ſe ſemper indigna videantur, nè „ eadem bona actio agentis cor ſublevet, & „ ſublevando plùs actorem de elatione deijciat, „ quàm ipſos fortè, quibus impenditur, juvat.] Sed lib. 9. c. 2. eum, qui in virtutibus glorietur, affirmat needum virtutis viam eſſe ingreſſum; [Qui de perfectione, inquit, ſe erigit, „ habêre ſe benè vivendi nec initium oſten-

Iob. 9. „ dit.] Et adfert illa Job verba. [Non reſpondebit unum pro mille; Unitas enim numeri principium perfectionis ſignificat, mille „ perfectionem ipſam. Unum ergò pro mille „ reſpondêre non poſſumus; quia cùm de „ bonæ vitæ perfectione extollimur, hanc „ nos nec inchoâſſe monſtramus.] Hanc ob cauſam lib. 7. cap.9. virtutem dixit interdùm plùs nobis obeſſe quàm vitium. [Plerumque „ inquit, virtus habita deteriùs, quàm ſi deeſſet, interficit; quia dum ad ſui confidentiam menrem erigit, hanc elationis gladio „ transfigit, cùmque eam quaſi roborando vivificat, elevando necat.] Job c.21. de divi-

Superbia adeps. tibus loquens dixit; Viſcera ejus plena ſunt adipe. Adipem ſuperbiam interpretatur idem Greg. lib. 15. c. 33. quæ ex abundantia rerum naſcitur, non minùs quàm ex abundanti cibo adeps. At non minùs verè ſuperbiam dixerim ex abundantia virtutum pullulare. [Sicut, inquit, ille, ex abundanti cibo adeps; ita „ ex abundantia rerum ſuperbia naſcitur, quæ „ impinguat mentem, dum elevatur animus „ ſuperbientis.] Eleazar 1. Mach. 6. elephantem occidens, & ſub ipſo oppreſſus interpretatione ejuſdem Gregorij lib. 19. mor. c. 13. eos ſignificat, qui vitia ſuperant, & ſub ipſis ſuperbiendo ſuccumbunt. [Quaſi enim ſub hoſte, quem proſternit, moritur, qui de culpa „ quam ſuperat, elevatur.] Job cap. 39. Diabolum dixit & ſagitta, & haſta nos ferire; Super ipſum ſonabit pharetra, vibravit haſta, & clypeus. [Quia, ut habet Greg. lib. 31. c. „ 17. ſæpè tentationem proponit de libidine, „ & ſubitò fraudulentiùs ceſſans, elationem „ ſuggerit de ſervata caſtitate.] Quaſi enim apertè feriens haſta, eſt culpa de vitio; & quaſi ex occulto vulneratus de pharetra ſagitta, eſt culpa de virtute. Et quoniam nos virtute abutimur ad vitium, dum ex illa ſuperbimus; ſæpè ex ſuperbiæ vitio facit nobis Deus medicamentum, dum ſuperbos permittit in turpem aliquam culpam cadere, ut humiliati ſanentur. Quod ſapienter obſervavit S.Greg.lib.33.mor. c. 11. his omninò verbis; [Qui acceptis virtutibus extollitur, non gladio, ſed medicamento vulneratur, quid eſt enim virtus niſi „ medicamentum? Et quid eſt vitium niſi vulnus? Quia ergò nos de medicamento vulnus facimus, facit ille de vulnere medicamentum; ut qui virtute percutimur, vitio curemur. Nos namque virtutum dona retorquemus in uſum vitiorum; ille vitiorum illecebras aſſumit in artem virtutum, & ſalutis ſtatum percutit, ut ſervet; ut qui humilitatem „ currentes fugimus, ei ſaltem cadentes hæreamus.]

Abbas Serapion apud Caſſianum collat. 5. c. 6. prudenter obſervat, ultimam à diabolo injectam Chriſto fuiſſe tentationem ſuperbiæ, Matt. 4. Quoniam ſuperbiæ tentatione perfecti quique devictis omnibus vitijs pulſari poſſunt, & c. 10. [Cenoxodia, inquit, ſuperbiam „ parit, & ambæ ex aliorum vitiorum morte „ ſuccreſcunt, & illis ſuperatis pullulant.] Et c. 12. [Superbia eos maximè impugnat, qui „ in virtutibus profecerunt.] Et S. Proſper in lib. de promiſsionibus, & prædictionibus Dei c.8. Mundo pereunte diluvio, vitijſque extinctis omnibus ſuperbiam notat non potuiſſe perire, quia ſuperba ſtatim turris extruitur, cujus caput cœlum attingeret.

CAPUT XI.

Superbia virtuti contraria.

SCIENDUM verò eſt maximum virtutis obſtaculum eſſe ſuperbiam. [Obſtaculum „ veritatis, inquit S.Greg. lib.23. moral.c.10. „ eſt tumor mentis, quia dum inflat, obnubilat.] Et lib.24.c.10. [Aliena ſemper eſt à veritate ſuperbia.] Et c. 13. [Quia hoc vitium „ quantò magis patimur, tantò minùs videmus. Sic quippè in mente ſuperbia, ſicut in „ oculis caligo generatur, & quò ſe hæc latiùs „ dilatat, eò vehementiùs lumen anguſtat.] Et lib.25. c.11. [Lumen intelligentiæ humilitas aperit, ſuperbia abſcondit; nam ſecretum

tum

Digitized by Google

„ tum quoddam pietatis eſt,& tantò minùs ad „ illud animus pervenit,quantò magis intumeſcit,quia eo ipſo foras repellitur;quò inſaniùs inflatur.] Ita quoque S.Aug.in comm.pſ. 147. ſuperbiam mentis ſtuporem nominavit; quocircà incorrigibilis evadit ſuperbus. Nam ut habet S. Greg. lib. 16. mor. c. 24. [Qui „ non per ignorantiam, ſed per ſuperbiam delinquunt, elationis ſuæ ſcutum jaculis veritatis objiciunt, nè ſalubriter in corde feriantur.] Et S.Chryſ. h.5. in prior. ep. ad Cor. nihil putat eſſe ad Dei cognitionem inutilius. „ [Nam, & in præſentium rerum admiratione „ animum confirmat,& nullam futurorum rationem fieri ſinit, & curarum multitudine „ aures obſtruit.] Et h. 3. in poſteriorem ad Theſſ. loquens de ſuperbo divite. [Putat, inquit, ſe plurimùm gratificari, & nobis, & „ populo, forſan & Deo; quod domum Dei „ ingreſſus eſt. Qui ergò ita inflatus eſt,quomodo poterit ùnquam curari?] Ac demùm S. Proſper; [Huic ruinæ nihil ſubvenit, quia „ aut difficilè peccatum ſuum ſupèrbus agnoſcit, aut etiamſi intellexerit, non currit ad „ medicum: ſed de ſe ſibi remedium pollicetur, nec unquam ſibi proficit cura, ubi morbus eſt ipſa medicina.]

CAPUT XII.

Superbiæ remedia.

ALIQUA tamen ſolent proponi remedia, quæ prodeſſe poſſint. S. Chryſ.hom. in poſteriorem epiſt. ad Theſ. ita huic medetur morbo; [Quomodo poterit quis arrogantiam „ extinguere? Si Deum cognoverit. Si enim „ illa hinc eſt,quod Deus non cognoſcitur,igitur ſi cognoverimus eum; expelletur omnis „ arrogantia,cogita gehennam, cogita eos,qui „ te potiores ſunt, cogita quantorum delictorum pœnas Deo debeas, cogita præſentia, „ ipſam naturam humanam; quàm nihil ſit „ homo; ſi quando mortuum per forum deferri videris, cogita rerum præſentium vilitatem, & vanitatem, & quàm nihil ab umbra, & ſomnijs differant,cogita vehementer „ divites,qui in bellis temerè perierunt. Ædes „ intuêre eorum, qui in hac vita magni fuêre, „ & illuſtres, & nunc in ſepulchra, & pulverem delati ſunt; cogita quanta potuerint, & „ quo modo nunc nè memoria quidem eorum „ reliqua ſit. Ipſam naturam noſtram conſidera undè conſiſtat, & quò deſinat; cogita „ quando dormis,quid reputari debeas; an non „ & exigua tunc beſtia enecare te valeat. Multis namque dormientibus animalculum tecto „ delapſum, aut oculum ademit, aut alterius „ cujuſquam periculi cauſa factum eſt; Quid „ ergò? an non quibuſvis beſtijs inferior es? „ Sed ratione,inquis,prævales; At ſuperbia animi ratione deſtituti ſignum eſt, corpore es „ benè ſano & valido? at irrationabilia bruta „ vincunt;habent hoc & latrones,& homicidæ, „ & ſepulchrorum ſpoliatores. Sed prudentiæ „ gratiâ ſuperbis? At non eſt prudentiæ ſuperbire, ſuperbiendo enim te ipſum prudentiâ „ privas.] Hæc S. Io Chryſ. & S. Greg. Nyſſenus in lib. de beatitudinibus. or. 1. memoriam mortis, & inſpectionem ſepulchrorum, & cadaverum nobis proponit, & Caſſianus quoque in lib. de ſpiritu ſuperbiæ c. ult. cogitare nos brevi de hoc ſæculo migraturos, peremptoriam dixit eſſe non ſolùm ſuperbiæ, verùm etiam generaliter omnium vitiorum meditationem. Omnibus notum eſt id, quod de pavone dicitur, & veriſſimum eſſe cognoſcitur. Is enim ex pulcherrima alarum varietate ſuperbiens, dum pedes aſpicit, illicò alas demittit. Addit S. Aug. in lib. de natura, & gratia c. 28. cogitandum nobis eſſe id undè ſuperbimus, non eſſe noſtrum bonum,ſed Dei donum. [Deſerit, inquit, aliquantum Deus „ undè ſuperbis, ut ſcias non tuum, ſed ejus „ eſſe, & diſcas ſuperbus non eſſe.]

Et quoniam verum eſſe animadvertimus id, quod ſcribit S. Chryſ. h.30. in Io. Quantò quis ex humiliori gradu ad dignitates aſſumitur, faciliùs in ſuperbiæ inſaniam effertur, utpotè qui expers ſit repentini, & inſperati honoris. Quiſquis hujuſmodi eſt, ſeriò monendus eſt, ut priſtinæ conditionis meminerit, à qua ſi ad altiorem evectus fortunam eſt, Dei donum fuit.

Omnes verò S. Gregorij Papæ verba illa timeant,quæ habet in lib.34. moral.c.17. [Hoc „ proprium eſt ſpecimen electorum, quod „ de ſe ſemper ſentiunt, infrà, quàm ſunt; „ contrà reprobi ſuprà,quàm ſunt. Sunt enim „ membra ejus, qui ſe ſuprà omnia elevavit.] Et cap. ult. [Evidentiſſimum reproborum ſignum ſuperbia eſt, & contrà humilitas electorum.] Sed & libro 4. in primum Regum c. 4. appoſitè verba illa conſiderat, quæ Samuël uncturus Saülem in Regem dixit illi; 1. Reg. 9. fortaſſe nè de nova, & inſperata dignitate extolleretur; Dic puero, ut antecedat nos, & tranſeat. [Puer enim Saülis ſpiritualem ſenſum „ deſignat. Præcedit autem puer, quando hoc „ agitur,quod à ſpirituali ſenſu nobis ſuggeritur; non quod à carnali motu imperatur, ſed „ non tranſit arrogantes,tranſit humiles. Quaſi „ enim ſecum habet puerum,quem ſequuntur, „ qui in ſpiritualibus, quæ agunt ſpirituales, ſe „ eſſe gloriantur. Electi autem in omnibus, „ quæ agunt,eſſe quidem ſpirituales curant,ſed „ tenêre ſe ſpirituales vitant. Magni quidem „ ſunt meriti,ſed humiles æſtimatione.] Quod de ſpiritualibus dicitur, intelligatur & de omnibus, undè ſuperbire poſſimus; atque in omnibus

Digitized by Google

nibus Saülis puerum, hoc eſt ſpiritualem ſequamur ſenſum.

CAPUT XIII.

Superbiæ modi.

PORRÒ S. Anſelmus in ep. 75. ad Conium tres ſuperbiæ agnovit modos. Unum in æſtimatione, quâ quis de ſe plus æſtimat, quàm debeat. Alterum in voluntate, quâ ſe altiùs vult tractari, quàm par ſit. Tertium in opere, juxtà illud: Cùm invitatus fueris, non diſcumbas in primo loco. Quàrtum addidit S. Bern. in parvis ſermonibus ſer. 3. ubi cordis, oris, operis, & habitûs ſuperbiam memoravit, ſed in ep. 42. ad Henricum duplicem ſolùm conſtituit. [Superbia, inquit, in duas ſpecies ,, dividitur in cœcam, & vanam ſuperbiam; ,, quæ alijs nominibus appellari poſſunt con- ,, tumacia, & vanitas: prior intelligentiæ, po- ,, ſterior voluntatis vitium eſt.]

Io. etiam Caſſianus in libro de ſpiritu ſuperbiæ c. 2. & 24. duplicem fecit; ſed alio modo partitus eſt. Alteram ſpiritualem nominavit perfectorum hominum, alteram carnalem juvenum, & incipientium: Quam eandem ſententiam habet Abbas Serapion in collat. 5. c. ,, 12. [Superbiæ, inquit, duo genera ſunt. ,, Unum carnale, alterum ſpiritale, & perni- ,, ciosius, quod eos maxime impugnat, qui in ,, virtutibus profecerunt.] Sed opportunè obſervavit Philo Judæus in libro de victimas offerentibus. In veteri lege fuiſſe præceptum, ut omnis oblatio ſine fermento, & melle offerretur. Nam mel nimiam omnem voluptatem ſignificat, fermentum verò propter tumiditatem, quam efficit; cavet nè quis elatus ad altare accedat, tumidus faſtu, & arrogantiâ: omnis igitur ſuperbia in actionibus noſtris vitanda eſt; humilitas ſemper, & modeſtia tenenda.

CAPUT XIV.

Superbia bona quæ.

UNA eſt ſuperbia bona, & ſancta; quam ſi altos habes ſpiritus, cum laude tenêre poſſis, ut non ſervias peccato; omni domineris vitio. Ita S. Chryſ. in lib. 1. de orando Deum; [Hæc ſuperbia ſola decet eos, qui ,, Chriſtum venerantur; nulli ſervire turpitu- ,, dini; ſed mentem ſervare in libertate, mo- ,, rumque pietate.] Et Euſebius Emiſſenus in ſer. exhortatorio contrà diverſa vitia: [In hoc ,, ſolùm videatur eſſe elatio, ut dedignetur ,, ſubjacêre peccato; In hoc ſolo ſe erigat, ut ,, paſſionum vilia blandimenta calcet, & con- ,, terat: ut delectationes concupiſcentiæ car- ,, nalis exhorreat, ut contrà laſcivam mollitiem ,, malè ſuadentis carnis toto affectu conſcien- ,, tiæ generoſitatis aſſurgat.] Atque hic ſit finis de ſuperbia dicendi. Plura licebit ex tractatu de humilitate petere.

DE ARROGANTIA, ET IACTANTIA.

LIBER XXII.

CUM Superbia conjunctæ ſunt, Arrogantia, Jactantia, & Vana gloria: eſt enim ſuperbus arrogans, jactabundus, & humanæ gloriæ cupidus. De duabus prioribus, Arrogantia, & Jactantia, non multa locuti ſunt Patres; quoniam ſuperbiæ nomine eas comprehenderunt. Altera tamen in interiori perturbatione conſiſtit, ut etiam ſuperbia; altera in exteriori locutione. Superbus ſe omnibus alijs anteponit, arrogans plura ſibi attribuit, & quærit, quàm ſibi conveniant.

CAPUT I.

Arrogantia quid.

SANCTUS Cyrillus Alexandrinus lib. 9. in Io. c. 9. arrogantiam definivit eſſe majora, quàm ferre poſsis, deſiderare. Perturbatio nimirum omnium turpiſsima, quæ illuſtribus maximè viris dominari ſolet, ut idem c. 3. loquitur. Et S. Ioan. Chryſ. comm. in pſal. 144. arrogantem dixit eum eſſe, qui propter res parvas ſe jactat & gloriatur, & alios deſpicit. S. Ber. in tractatu de gradibus humilitatis ſextum hunc ſuperbiæ gradum facit; & quatuor

Digitized by Google

quatuor illius ſpecies diſtinguit S. Greg. Papa
lib. 23. moral. c.4. [Quatuor,inquit,ſunt ſpe-
,, cies, quibus omnis tumor arrogantium de-
,, monſtratur; cùm bonum aut à ſemetipſis
,, habêre ſe æſtimant, aut ſi ſibi datum deſuper
,, credunt, pro ſuis ſe hoc accepiſſe meritis pu-
,, tant; aut certè cùm jactant, ſe habêre quod
,, non habent; aut deſpectis cæteris ſingulari-
,, ter vidêri appetunt habêre, quod habent.]
Et infrà: [In hac arrogantiæ quarta ſpecie
,, crebrò humanus animus labitur. In qua ſi-
,, militudini diabolicæ viciniùs appropinquat,
,, quia quiſquis bonum ſe habêre ſingulariter
,, gaudet, quiſquis vidêri ſublimior cæteris
,, quærit; illum videlicet imitatur, qui deſpe-
,, cto bono ſocietatis Angelorum ſedem ſuam
,, ad Aquilonem ponens, & Altiſſimi ſimili-
,, tudinem ſuperbè appetens,per iniquum deſi-
,, derium, quaſi per quoddam culmen conatus
,, eſt ſingularitatis erumpere.]

CAPUT II.

Arrogans qualis.

1. IMPUDENTISSIMUM hominum ge-
nus; tum quod ſe omnibus audeant antepo-
nere & ſingulares ſuprà omnes apparêre velint;
2. tum verò in externa ſui oſtentatione, atque
verborum laude. [Sapientiam, inquit eodem
,, loco Greg. arrogantes non habêre appe-
,, tunt, ſed oſtendere, voces quidem Eccleſiæ
,, audiunt; ſed ſibi eas dici diſſimulant,quando
,, elationis vitium emendare contemnunt, &
,, cùm ſcientiam accipiunt, nihil ſe accepiſſe
,, æſtimant. Nuſquam quippè ſuum gaudium,
,, niſi in ore hominum ponunt.Undè fatuæ vir-
,, gines in vaſis oleum non habent, id eſt, bo-
,, num gloriæ intrà conſcientias,]Quod autem
ad locutionem attinet, ad hunc modum c. 5.
loquitur: [Non curant loquendo quid pro-
,, ſint, ſed quid appareant; nec ſtudent, ut
,, malum, quod cernunt,corrigant, ſed bonum
,, quod ſentiunt,oſtendant.] Itaque cùm dice-
ret Heliu: Loquar, & reſpirabo paululùm;
,, [Benè, ait, reſpirabo,inquit Greg. quia ſicut
,, labor juſtorum eſt prava corrigere; ita gravis
,, eſt labor arrogantium, ſi quod ſapiunt, non
,, oſtendunt.]
3. Quàm verò arroganter loquantur, & do-
ceant; his planè verbis oſtendit c.7. [Hoc
,, habet proprium doctrina arrogantium, ut
,, humiliter neſciant inferre, quod docent, &
,, recta, quæ ſapiunt, verè miniſtrare non poſ-
,, ſint. In verbis enim eorum proditur, quod
,, cùm docent, quaſi in quodam ſibi videntur
,, ſublimitatis culmine reſidêre; eoſque quos
,, docent, ut longè infrà ſe poſitos velut in imo
,, reſpiciunt, quibus non conſulendo loqui,ſed
,, vix dominando dignantur.]

Sed & priùs quàm dicant, mira ſe dicere
ſemper exiſtimant, & locutionem ſuam ad-
mirando præveniunt. Quod in verbis Heliu
obſervavit S. Greg. idem c. 10. Namque ina-
nia proferens ſubjunxit Job c. 33. Miraculum
meum non te terreat, & eloquentia mea non
ſit tibi gravis.
Tria hæc in eorum locutione obſervavit 4.
Greg. Quartum habes in lib. 26. ejuſdem o-
peris c. 1. cùm enim benè & ſapienter ſe locu-
tos fuiſſe ſciunt, tunc quaſi corrigi velint, in-
terrogant auditores, num aliquid habeant,
quod reprehendant; ut ab illis ſcilicèt laudes
ſuas audiant. Quòd ſi aliquid minùs benè di-
xiſſe ſe ſuſpicentur, nequaquam interrogant,
nè fortè reprehendi ſe audiant. [In locutioni-
,, bus, inquit, ſuis hoc arrogantes viri habêre
,, proprium ſolent; quod ab auditoribus ſuis,
,, ſi quid fortè inordinatum dixerint, tunc
,, requirunt, cùm ſe laudabiliter aliquid dixiſſe
,, cognoſcunt. Non quò de dictis ſuis ambi-
,, gant, ſed quò ab audientium judicio favores
,, quærant.] Et rurſùm; [Eſt propria arrogan-
,, tium fraus, ut tunc de errore requirere ſtu-
,, deant, quando ſe noverint non erràſſe. Qui
,, rurſùm requirere, vel argui de errore deſpi-
,, ciunt, ſi quando ſe erràſſe veraciter præco-
,, gnoſcunt; non enim eſſe, ſed vidêri humiles
,, appetunt.]
Quintum reperies in lib. 26. c. 25. [Arro- 5.
,, gantium proprium eſt, ut & malum men-
,, tientes exaggerent; & quod forſitan bonum
,, dicunt, hoc velut incognitum proferant, &
,, doctores ſe docêre audeant.]
Sextum c. 29. ejuſdem libri; [Arrogantes 6.
,, viri plùs vidêri judices, quàm conſolatores
,, volunt.]
Septimum in eodem loco; æquè certa, & 7.
incerta reprehendunt vitia. Omninò ſolos ſe
ſapere putant, & ſapere ſoli vidêri volunt;
cæteros contemnunt omnes. S. Greg. lib.
24. c. 13. [Habent, inquit, proprium omnes
,, arrogantes, ut cum fortaſſe acutum aliquid
,, ſentiunt,indè mox ad vitium elationis erum-
,, pant, ſenſuſque omnium in ſui comparatio-
,, ne deſpiciunt, ſeque in ſuo judicio aliorum
,, meritis anteponunt.] Ideò & ſunt loquaces,
& laudant ſua; quorum utrumque idem S.
Doctor adnotavit lib. 26. c. 17. [Arrogantium
,, proprium eſt multa loqui, & alios audire
,, non poſſe.] & c. 18. [Arrogantes laudant
,, ſua, quia ab alijs vident non laudari.] Sed &
ſunt immiſericordes. Undè in c. 4. ejuſdem li-
bri ita legimus; [Propria hæc arrogantium vo-
,, ta ſunt, ut vitam dolentium examinari acriùs
,, deprecentur,quia quantò ſibimetipſis juſtio-
,, res ſunt,tantò alienis doloribus duriores exi-
,, ſtunt. Neſciunt enim paſſionem in ſe alienæ
,, infirmitatis trahere; & ſicut ſuæ, ita etiam
,, proximi imbecillitati miſerêri; quia enim de
ſe

„ ſe alta ſentiunt, idcircò humilibus nullatenùs „ condeſcendunt.] Undè & Heliu dicebat Job 34. Probetur Job uſque in finem; nè deſinas ab homine iniquitatis. Hæc ex S. Gregorio de arrogantibus dicta collegi. Quoniam ab alijs Patribus vix quidquam dictum reperio de hoc vitio à ſuperbia ſeparato. Niſi illud ad-
8. dendum putes, quod à S. Hieronymo in ep. ad Oceanum c. 4. ſcriptum fuit de horum hominum impudentia, & loquacitate. [Nihil, „ inquit, impudentius arrogantia ruſticorum, „ qui garrulitatem autoritatem putant, & pa„ rati ſemper ad lites, in ſubjectum ſibi gregem „ tumidis ſermonibus tonant.] Namque hoc ipſum in univerſo horum hominum genere animadvertimus.

CAPUT III.

De Iactantia bonorum, & malorum.

Iactantia etiam in malis.

DE Jactantia quoque pauca video à veteribus dicta; nec tamen novum, ac recens natum, ſed per antiquum eſt vitium. Duo tantùm habeo, quæ hoc adnotem loco. Alterum eſt; jactantiam non ſolùm in rebus præclarè geſtis, ſed & in vitioſis, & verò pudendis eſſe poſſe, nec rarò audiri à nobis. S. Aug. in 2. lib. de ſer. Domini in monte c. 12. [In rebus, in„ quit, quoque ſordidis, & luctuoſis poteſt eſſe „ jactantia. Et quidem perículoſior, quàm in „ nitidis.] Et S. Bern. ſer. 16. in Cant. [Au„ dimus aliquos jactare mala ſua præterita, „ quæ aliquando vel fortiter gladiatorio, vel „ argutè litterario geſſere conflictu; ſeu aliud „ quid ſecundùm mundi vanitatem favorabi„ le. Sæcularis adhuc animi indicium eſt hoc; „ & humilis habitus, qui geſtatur à talibus „ (ſuos alloquebatur monachos) non ſanctæ „ novitatis eſt meritum, ſed priſcæ vetuſtatis „ operculum. Pudet reminiſci quorumdam „ tantam proterviam, ut non pudeat eos cum „ exultatione lugenda jactare, quod & poſt „ ſuſceptum ſanctum habitum callidè quem„ piam ſupplantaverint, & circumvenerint in „ negotio fratrem; aut quod talionem pro con„ vitio, vel maledicto, id eſt malum pro malo, „ aut maledictum pro maledicto audacter red„ diderint.] Utinam non audiremus quotidiè homines jactantes peſſima, & gloriantes in rebus peſſimis, vel etiam quas non fecerunt. Sed virum ſpectabilem virtute, inquit Chryſ. h. 23. in poſteriorem ad Cor. epiſtolam, non ſolùm de his, quæ non habet, ſed neque de his, quæ habet, gloriari oportet.

CAPUT IV.

Iactantiæ damnum.

Virtus occultata conſervat.

ALTERUM maximum eſſe jactantiæ damnum. Peccatum quippè manifeſtando deletur. Virtus occultata conſervatur, & creſcit. S. Ber. lib. de inter. domo c. 48. [Sicut gla„ cies calore diſſolvitur, ita virtus ore laudan„ tis. Vis virtutes tuas augère? Noli prode„ re: quod manifeſtando potes amittere, ta„ cendo cuſtodi;] Et in libro de modo benè vivendi ad ſororem c. 38. [Peccatum tacendo „ ampliatur, manifeſtando decreſcit, tacendo „ creſcit; Virtutes in occulto creſcunt, in pu„ blico decreſcunt, & jactantia annihilantur.] S. Greg. lib 8. moral. c. 30. homines iſtos jactabundos affirmat ſæpè operibus, quæ egiſſe ſe referunt mentiendo aliquid adjungere: cùm verò & vera dicunt, hæc dicendo aliena facere, quia quæſitis remunerati favoribus, ab eorum intima retributione vacuantur. In eo enim, quod bona ſua patefaciunt, oſtendunt malignis ſpiritibus, quaſi inſidiantibus hoſtibus, quæ prædentur. In 4. lib. Regum c. 20. legitur obfuiſſe plurimùm Ezechiæ regi, quòd Babylonis nuntijs oſtendit omnes theſauros ſuos. Non fuit, quòd non monſtraret eis in domo ſua, & in omni poteſtate ſua. Ita prorſùs facit homo vanus, & jactabundus; At audiat vocem Dei per Prophetam ad Ezechiam; Auferentur omnia, quæ ſunt in domo tua in Babylonem, non remanebit quidquam, ait Dominus. [Sic nimirùm, ait Greg. hypocritæ „ poſtquàm magnis virtutibus excreſcunt, „ quia celari in eiſdem virtutibus nolunt, bona „ ſua oſtendendo hoſtium faciunt, & proden„ tes ſubitò amittunt, quidquid ſtudentes diu„ tiùs operantur.] Hinc per Pſalmiſtam dicitur pſ. 77. Tradidit in captivitatem virtutes eorum, & pulchritudines eorum in manus inimici. Quod etiam Ioël c. 1. ſignificatur; dum ait; Poſuit vineam meam in deſertum, decorticavit ficum meam, albi facti ſunt rami ejus. Vinea enim in deſertum ponitur, cum plena fructibus anima humanæ laudis cupiditate diſſipatur: ficus decorticatur, quia tegmen humilitatis tollitur; & nuda expoliatur, quia proprij tegminis cortice privatur; albi facti ſunt rami ejus, quia oſtenſa hominibus ejus opera candeſcunt, de ſanctitate nomen ſumitur, ſed ſubducto cortice areſcunt. Undè Matth. 6. dicitur; Neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua; & pſ. 44. Omnis gloria ejus ab intus; & Paulus 2. Cor. 1. Gloria noſtra teſtimonium conſcientiæ noſtræ. [Vera fortitudo, ſcripſit „ S. Proſper lib. 3. de vita contemplativa c. „ 20. non gloriatur, nec laudibus delectatur „ ob præclarè geſta, vel tolerata.]

DE

Digitized by Google

DE VANA GLORIA.

LIBER XXIII.

CAPUT I.

Gloria appetitus.

Gloriæ appetitus inſitus.

NOn abs re Io. Climacus dixit gr. 2. bona hominum opera ex inani gloria tanquàm ex cloäca & cœno irrigari, & ex oſtentatione circumfodi, atque ex humanis laudibus ſtercorari. Inſitus enim naturâ eſt homini appetitus gloriæ; imò verò S. Io. Chryſoſt. h. 27. in Io. eſſe dixit cæteris omnibus affectibus violentiorem; & h. 43. ad populum, nullum eſſe in nobis appetitum tam tyrannicum atque dominantem ubique, & qui etiam facilè poſſit ſapientum oculos perſtringere, niſi temperetur, ut loquitur h. 7. in Io. Excœcat enim mentis intuitum h. 43 citatâ, præſertim gloriæ furor; [Nam pecunias contemnere volenti, ,, ſatis eſt facilè. Honorem autem à multis ,, collatum deſpicere, multi laboris indiget, ,, magnæ ſapientiæ, Angelicæ cujuſdam ani- ,, mæ ipſum cœleſtis teſtudinis verticem tan- ,, gentis.] Eſt enim nobile, ac generoſum animal homo; imò ad gloriam conditus. Sed cùm duplex ſit gloria; una apud Deum, altera apud homines; Illa vera, & permanens; hæc fucata, & apparens; hanc inſipiens ſectatur homo, priore contempta.

CAPUT II.

Vana gloria cur dicta.

Vana gloria qualis.

AT verè inanis, & vana nominatur, quoniam ut ratiocinatur S. Chryſ. h. 23. in Gen. [Evanida eſt, & nihil habet ſtabile, ne- ,, que firmum, ſed ſolùm eſt oculorum de- ,, ceptio, & priùs quàm appareat, evolat.] Et ideò h. ad populum citatâ, perſimilem eſſe ait perſonis in ſcena verſantibus, quæ pulchræ ſunt, & ſplendidæ, ſed vacuæ ſunt, & imitantur, non ſunt. Sic enim & inanis gloria imitatur quidem gloriam, non eſt tamen gloria. Et in ſer. de inanis gloriæ cupiditate to. 5. meretricem adfert fucatam, atque ad captandos juvenum animos comparatam. [Ut mulier, inquit, ,, proſtituta in domûs faſtigio adſtans, ſe cun- ,, ctis viſendam præbet: ſic homines inanis ,, gloriæ cupiditate capti ad oſtentationem ,, omnia moliuntur.] Addit & pueros per jocum creantes regem cartaceâ coronatum coronâ. [Ut pueri, inquit, per luſum ſolent car- ,, taceâ alterius capiti coronâ impoſitâ, coro- ,, natum plerumque vel neſcium poſt terga ir- ,, ridêre: ſic tuarum factitant laudum præco- ,, nes, qui ſibi paleis dorſo injectis laudando il- ,, ludunt.] Hinc etiam S. Ber. in tractatu de diligendo Deo; Vana gloria nuncupatur, veritatis nimirùm ſolido carens fundamento. [Ve- ,, ra enim gloria eſt illa; Qui gloriatur, in ,, Domino glorietur. Hoc eſt in veritate: ,, quippè veritas Dominus eſt.] Et S. Maximus Taurinenſis Epiſcopus h. in die cinerum: ,, [Inane eſt, & vanum, quidquid nullius pon- ,, deris aut virtutis firmitate conſiſtit; Inane ,, eſt, quod cum ſæculo prætereunte deficiens ,, ad vitam non tranſit æternam.]

CAPUT III.

Vana gloria quid.

INanem hanc hominum gloriam S. Aug. in lib. de beata vita, velut altiſſimum montem conſiderat, qui navigantibus omnibus ad cœleſtem patriam antè ipſum portum ſeſe oſtendat, atque ad ſe amœnitate ſua invitet. ,, [Omnibus, inquit, qui quocunque modo ad ,, beatæ vitæ regionem feruntur, unus imma- ,, niſsimus mons antè ipſum portum conſtitu- ,, tus vehementiſsimè formidandus, cautiſsimè- ,, que vitandus eſt. Nam ita fulget, ita men- ,, tiente illa luce veſtitur, ut non ſolùm perve- ,, nientibus, nondumque ingreſsis incolendum ,, ſe offerat, & eorum voluntatibus pro ipſa ,, beata terra ſatisfacturum polliceatur; ſed ,, plerunquè de ipſo portu ad ſeſe homines in- ,, vitat, eoſque nonnunquam detinet ipſa alti- ,, tudine delectatos; undè cæteros deſpicere ,, libeat. Et quem montem alium intelligimus, ,, niſi ſuperbum ſtudium inaniſsimæ gloriæ? ,, quod ita nihil intùs plenum, atque ſolidum ,, habet, ut inflatos demergat, ac ſorbeat eiſque ,, in tenebras revolutis eripiat luculentiſsimam ,, domum, quam penè jam viderant.]

CAPUT IV.

Vana gloria quorum.

ABjecti animi hoc vitium eſſe, judicavit S. Chryſ. h. 2. in Io. Neque aliundè quàm ex vili, & abjecto animo provenire: *Vana gloria ex abjecto animo.*

,, [Neque enim fieri poteſt, ut qui gloriæ dul-
,, cedine capitur, magnum aliquid, & egre-
,, gium ſapiat; ſed ignominia illicò, ipſum no-
,, tari neceſſe eſt, & animi abjecti, infamis,
,, atque exigui æſtimari.] Quam ob cauſam in fœminis maximè animadvertimus dominari, quod & obſervavit idem Chryſ. in ſermone quod regulares fœminæ viris cohabitent, ubi dixit; [Vanè glorioſum eſt omne hominum
,, genus maximè autem muliebre.] Sunt enim mulieres ad omnem vanitatem, ac levitatem propenſæ, atque hominibus placêre, & ab illis magni fieri plurimùm deſiderant; ſed prudentes Virgines non ſolùm in lampadibus; ſed etiam in vaſe oleum habuerunt, Matth. 25. ut deficiente illo haberent, undè lumen in lampadibus ſuſtentarent. Sic enim; ut eſt apud S. Bernardum in ſer. de virginibus. [Animæ, quæ
,, ſponſum præſtolantur; præter ea, quæ pro-
,, ximis lucent ad gloriam Dei, alia faciunt in
,, occulto, quæ ſolus pater videt, ut ſi fortè illa
,, flatus laudis humanæ extinxerit, oleum oc-
,, cultæ conſcientiæ ſuffragetur. Hæc eſt glo-
,, ria filiæ regis ab intus. Hoc autem oleum
,, fatuæ virgines non habent, quia niſi ad nito-
,, rem vanæ gloriæ, & favorem hominum bona
,, non operantur.] S. Aug. quoque ep. 120. ad Honoratum c. 31. & in lib. quinquaginta homiliarum h. 35. [Oleum, inquit, hoc loco adu-
,, latio eſt, & laus humana: Vendunt oleum
,, omnes adulatores; ergò ſtultæ illæ dictæ
,, ſunt, quæ forinſecùs quærebant laudem, non
,, intùs in conſcientia habebant; ideò non por-
,, tabant oleum ſecum, id eſt laudem in aliena
,, lingua, non in conſcientia ſua volebant ha-
,, bêre.] Et S. Greg. lib. 9. regiſtri c. 39. [Ole-
,, um in vaſis cum lampadibus ſumimus, quan-
,, do de bonis actibus nitorem gloriæ nos lau-
,, dantibus proximis non quærimus, ſed hunc
,, in conſcientiæ teſtimonio ſervamus.] Et S. Anſelmus com. 2. ad cap. 6. ep. ad Gal. [Glo-
,, riam intùs habêre; & non ex aliena laude
,, pendêre, hoc eſt oleum in vaſculo ſervare
,, cum virginibus illis prudentibus.] Omninò latè patet hoc vitium; ut nè is quidem, qui dixit, latenter eſſe vivendum; Plutarchi judicio in libro cui hic ipſe titulus eſt, latêre voluerit: imò nè lateret, hoc dixit; tanquàm reliquis ſubtiliùs aliquid intelligens: & cohortando ad nominis obſcuritatem, iniqua ratione gloriam captavit, nimioque gloriæ ſtudio repletus, gloriam apud alios tanquam rivales ſuos traduxit, ut eâ ipſe abſque certamine potiri poſſet.

Fœminarum maximè vitium.

CAPUT V.

Vanam gloriam Idololatriam, & Fornicationem eſſe.

Nihil eſſe tam diabolicum, quàm ad oſtentationem, & vanam hominum gloriam quidpiam facere, affirmavit S. Chryſ. h. 24. in poſterior. ep. ad Cor. Egò idololatriam quandam non dubitaverim appellare, de qua apud Iſaiam legimus c. 2. Repleta eſt terra ejus idolis: opus manuum ſuarum adoraverunt, quod fecerunt digiti eorum. Nam etſi S. Hier. de hæreſi, atque omni dogmate veritati contrario interpretatus fuerit; verè tamen dixeris vanam hanc gloriam idolum eſſe manibus, ac digitis noſtris fabricatum, ſi eam operibus, & actionibus noſtris quærendam nobis proponamus.

Solet etiam divina ſcriptura idololatriam fornicationem appellare. At vanæ gloriæ cupidus homo fornicatur in operibus ſuis; dum ut loquitur Ezechiel Propheta c. 16. fiduciam habens in pulchritudine ſua, hoc eſt in ſpecioſis operibus ſuis, fornicatur in nomine ſuo; illorum ſcilicèt gloriam ſibi aſſumens, eamque quaſi adorans. Certè S. Greg. Papa in quarta parte paſtor. curæ, hæc ipſa Prophetæ verba cùm attuliſſet, non abſimilem fecit interpretationem. [Fiduciâ, inquit, ſuæ pulchritudinis
,, attollitur animus, cùm de virtutum meritis
,, læta apud ſe ſecuritate gloriatur; fornicatur
,, autem in nomine ſuo; quia cùm reſpectum
,, mens ſuperni rectoris deſerit, laudem proti-
,, nùs privatam quærit, & ſibi arrogare incipit
,, omne bonum, quod, ut largitoris præconio
,, ſerviret, accepit; opinionis ſuæ gloriam di-
,, latare deſiderat; ſatagit, ut mirabilis cunctis
,, innoteſcat. In ſuo ergò nomine fornicatur,
,, quia regalis thori connubium deſerens cor-
,, ruptori ſpiritui in laudis appetitu ſubſterni-
,, tur.] Et rursùm in lib. 7. regiſt. c. 126. eadem Ezechielis repetens verba; [Fiduciam, ait, ani-
,, mam in pulchritudine ſua habêre, eſt in ſe-
,, metipſa de actione juſta præſumere, quæ in
,, ſuo nomine fornicatur, quando in hoc, quod
,, rectè agit, non conditoris laudem dilatari ap-
,, petit, ſed ſuæ opinionis gloriam requirit.] Quocircà S. Hier. in Com. in Ezechiëlem, dum eum exponit locum, opportunè monet.
,, [Quantò quis ſublimior fuerit, debet timê-
,, re, nè corruat, & fornicetur in nomine ſuo.] Adverſariæ ſiquidem poteſtates ſolitos contemnunt cibos, & peregrina alimenta deſiderant: Undè de Diabolo dicitur Abac. 1. Eſcæ ejus electæ. Non vult quemlibet decipere: Saül regem, qui à Domino electus eſt, & Judam Apoſtolum ſupplantare feſtinat: Non ergò confidamus in propria pulchritudine, nec Dei libera-

Digitized by Google

liberalitatem noſtram putemus eſſe virtutem.

CAPUT VI.

Et Adulterium.

Immo verò non fornicatio modò eſt,ſed adulterium. A quo interpretatione S.Gregorij alieniſſimum ſe gloriabatur Apoſtolus in ſecunda ep. ad Cor. c. 2. cùm dicebat; Non ſumus ſicut plurimi adulterantes verbum Dei. „ [Adulter (inquit S. Greg. lib. 16. mor. c. „ 25.) in carnali coitu non prolem, ſed volup- „ tatem quærit; & perverſus quiſque & vanæ „ gloriæ ſerviens,rectè adulterare verbum Dei „ dicitur, quia per ſacrum eloquium non Deo „ filios gignere, ſed ſuam ſcientiam deſiderat „ oſtentare.] Et rursùm lib.22. c.12. [Adul- „ terare verbum Dei eſt, aut aliter ſentire de „ illo quàm eſt; aut ex eo non ſpiritales fru- „ ctus, ſed adulterinos fœtus quærere laudis „ humanæ.] S. Ber. ſer. 13. in Cant. audiens Paulum 1. Cor. 7. dicentem; Mulierem eſſe gloriam viri: fidelem prorsùs prædicat famulum fuiſſe Joſeph,qui Domini ſui uxorem noluit tangere. [Fidelis, inquit, reverà famulus „ es, ſi de multa gloria Domini tui, etſi non „ exeunte ex te,tamen tranſeunte per te, nihil „ tuis manibus adhærere contingat; Ioſeph „ cùm domum, & omnia bona Ægyptij Do- „ mini ſui ſibi credita ſciret, dominam non ig- „ noravit exceptam, & ob hoc non acquievit „ contingere. Mulierem noverat gloriam eſſe „ viri, & iniquum ſibi judicavit vice contrariâ „ inglorium facere eum, qui ſe fecerat glorio- „ ſum: Advertit homo Dei ſapientiâ prudens „ virum uxorem fortiter tanquam propriam „ zelare gloriam,ſibique ipſi retinuiſſe ſervan- „ dam, non alij credidiſſe, & manum ad non „ conceſſum extendere non præſumpſit. Quid „ ergò? Homo zelat gloriam ſuam, & Deum „ audet fraudare de ſua quaſi non zelantem? „ ſed audi quid dicat; Gloriam, inquit, meam „ alteri non dabo.]

CAPUT VII.

Et inceſtum.

Addam & inceſtum, quoniam hoc mihi videtur cogitaſſe Origenes h. 5. in Gen. ubi loquens de inceſtu Lot cum duabus filiabus ſuis, poſtquàm incendium illarum civitatum evaſiſſet. [Obſerva,inquit, nè fortè cùm Gen. 19. „ effugeris flammas ſæculi,& incendia carnis „ evaſeris, non inſidientur tibi duæ filiæ iſtæ, „ Vana gloria, & Superbia, & inebrient te.] Verè enim filiæ noſtræ ſunt, quia ex nobis naſcuntur, & prodeunt. Confirmat S. Chryſ. h. 43. operis imperfecti in Matthæum. Hæc enim ſunt hominis verba: [In omni re ex ipſa „ re naſcitur, quod exterminat rem; Ut puta „ in ligno, ex ipſo ligno naſcitur vermis; qui „ exterminat lignum, & ex veſtimento naſci- „ tur tinea, quæ comedit veſtimentum,ex ole- „ ribus naſcitur vermis, qui olera univerſa „ corrumpit: ſic & in ſpiritualibus ex ipſo „ propoſito accipit inimicus, undè nobis retia „ texit.]

CAPUT VIII.

Et latrocinium.

Est furtum, ſeu latrocinium. Quam ob cauſam vana gloria latrunculus appella- tur, qui dum operamur, velut in itinere ſe nobis adjungit,moxque ſpoliat merito operum noſtrorum; & verò etiam Deum gloria ſua, & nos inſidiosè interficit. Ita locutus eſt S. Greg. Papa lib. 9. mor. c. 13. [Quaſi latrun- „ culus eſt appetitus laudis humanæ, qui recto „ itinere gradientibus ex latere jungitur, ut „ ex occultis educto gladio gradientium vita „ trucidetur.] Ita nimirùm ſibi quoque acci- diſſe,dum pæclarum illud opus expoſitionis in Job conſcriberet, teſtatur in lib. 35. c. ult. „ [Ad me,inquit, intrinſecùs rediens, poſtpo- „ ſitis verborum folijs, poſtpoſitis ſententia- „ rum ramis, dum ipſam ſubtiliter radicem „ meæ intentionis aſpicio, Deo quidem me ex „ ea placêre voluiſſe cognoſco: ſed eidem in- „ tentioni, qua Deo placêre ſtudeo, furtim ſe, „ neſcio quo modo, intentio humanæ laudis „ interſerit; quod enim jam poſtmodùm, tar- „ dèque diſcerno,invenio me aliter agere,quod „ ſcio me aliter inchoaſſe. Sic enim ſæpè in- „ tentionem noſtram, dum antè Dei oculos „ rectè incipitur,occultè ſibi ſubjuncta,& eam „ velut in itinere comprehendens, intentio „ humanæ laudis aſſequitur; ſicut pro neceſſi- „ tate quidem cibus ſumitur; ſed in ipſo eſu, „ dum furtim gula ſubrepit, edendi delectatio „ permiſcetur. Undè plerumque contingit, ut „ refectionem corporis,quam ſalutis causâ te- „ pimus, causâ voluptatis expleamus.] Fatendum eſt igitur,quod rectam intentionem, quæ ſoli Deo placêre appetit, nonnunquam intentio minùs recta, quæ de donis Dei placêre hominibus quærit, inſidiando comitatur.

Vana gloria latrunculus.

Sed quod de Vana gloria dixit hoc loco, alibi de ſpiritu, ac dæmone hujus vitij præſide affirmavit, perindè enim eſt ſive de hoc, ſive de illa dixeris. [In præſenti vita, loquitur „ in h. 11. in Evang. quaſi in via ſumus,quâ ad „ patriam tendimus; maligni autem ſpiritus „ iter noſtrum quaſi latrunculi obſident. De- „ prædari autem deſiderat,qui Theſaurum pu- „ blicè portat in via. Per id ergò,quod agimus,

 laudes

Digitized by Google

„ laudes exteriùs non quæramus : ſed ita ſit „ opus in publico, ut intentio ſit in occulto, „ quâ ſoli Deo placêre quæramus.]

Euſtochiam quoque monebat S. Hieron. ep. 22. [Onuſta incedis auro, bonis ſcilicet „ operibus: latro tibi vitandus eſt, hoc eſt vana „ & inanis apud homines gloria.] Et Theodoretus in com. pſ. 118. perpendit illa Davidis verba; In corde meo abſcondi eloquia tua; „ [Quemadmodùm enim qui aurum, vel aliud „ quidpiam pretioſum poſſidet, non illud exponit furibus, ſed occultat, & cautò cuſtodit; „ ita, qui virtutum divitias habet, has in anima „ abſcondit, nè per inanem gloriam animarum „ fures eas ſurripiant.] Quò etiam ſpectat illud pſ. 58. Fortitudinem meam ad te cuſtodiam. [Sunt enim plurimi, ait S. Ber. in ſer. „ de virtute obedientiæ, qui fortitudinem ſuam non ad Deum, ſed ad inanem gloriam „ cuſtodiunt: qui confidunt in virtute ſua; „ qui de acceptis virtutibus, quaſi non acceperint, gloriántur.]

Vana gloria pirata. Cæterùm S. Chryſ. h. 3. de verbis Iſaiæ, non latrunculum modò, ſed & piratam nominat, qui virtutum, ac meritorum mercibus onuſtam navem noſtram deprædetur. [Quemadmodùm, inquit, piratæ, non ubi conſpexerint naves è portu exeuntes, invadunt; „ quid enim hinc fructus caperent, ſi ſcapham „ inanem demergerent? ſed ubi redierint onuſtæ, plenæque ſarcinis, tum demùm omnes expediunt artes. Ita dæmon ſimul atque „ videt aliquos multa collegiſſe, videlicet jejunia, preces, eleëmoſynas, caſtitatem, reliquaſque virtutes omnes; ubi videt, navigium noſtrum eſſe plenum pretioſis pietatis „ lapidibus, tunc irrumpit, undique theſaurum perfodiens, ut in ipſis portûs oſtijs ſcapham demergat, jamque nudos nos ad eum „ portum eijciat.]

CAPUT IX.

Vana gloria tentatio.

TRIBUS autem modis, ſeu temporibus Diabolum per vanam gloriam aggredi opera noſtra, exponit S. Greg. lib. 1. mor. c. 20. in principio, medio, & ultimo. In principio, intentionem vitiando; undè Thre. 1. dicitur; Facti ſunt hoſtes ejus in capite. In medio, quaſi in itinere aggrediendo per delectationem, & vanam lætitiam, ſicut Pſalmiſta teſtatur pſ. 141. In via hac, quâ ambulabam, abſconderunt ſuperbi laqueum mihi: & apud Ieremiam c. 41. Illi, qui venerant ad offerendum Domino, interfecti ſunt, cùm ad medium civitatis veniſſent. Tandem in fine operis; quemadmodùm Propheta dicebat pſ. 55. Ipſi calcaneum meum obſervabant; quia enim in calcaneo finis eſt corporis, quid per hunc, niſi terminus ſignatur actionis? Et rurſùm lib. 22. c. 5. ſumptâ ex arboribus ſimilitudine: [Vis, „ inquit, futuræ arboris priùs in ſemine eſt, deindè in ortu, ad extremum producitur in ramis. Sic uniuſcujuſque virtus ſuccreſcit operantis; ſeminatur in intelligentia, oritur in „ operatione, convaleſcit uſque ad profectûs „ magni latitudinem: cùm intelligentia extollit, arbor putreſcit in ſemine; cùm verò poſt „ operationem bonam elationis peſte corrumpitur, quaſi jam orta ſiccatur; cùm autem „ excreſcente magnitudine favor laudantium „ à ſtatu ſuo animum operantis evertit, linguarum ventos arbor pertulit, & tempeſtas famæ „ radicitùs evulſit.] Ita ſanè operationum noſtrarum meritum tribus modis perit nobis; in intentione vana velut in ſemine; in operatione tanquam in ortu; atque in hominum ſubſequente laude ceu in fructu.

Porrò adverſùs humanas haſce laudes obtrectatorum linguas velut ſaluberrimum remedium à Deo nobis permitti, affirmat idem ſanctus Doctor. *Detractio vanæ gloriæ remedium.* [Nè enim immoderatis, inquit, „ laudibus erigamur, plerumque miro rectoris „ noſtri moderamine, etiam detractionibus „ lacerari permittimur; ut cùm nos vox laudantis elevat, lingua detrahentis humiliet. „ Quia & arbor ſæpè, quæ unius venti impulſu ita impellitur, ut penè jam erui poſſe videatur, alterius è diverſo venientis flatu erigitur; & quæ hac ex parte inflexionem pertulit, ab alia ad ſtatum redit.] Undè 2. Cor. 6. Per gloriam, & ignobilitatem, per infamiam, & bonam famam &c.

CAPUT X.

Vana gloria fraus & duplicitas.

SANCTUS Bernardus in lib. de modo benè vivendi ad ſororem c. 6. Vanam gloriam fraudem Dei nominavit. Quod enim Deo dandum erat nobis uſurpamus, gloriam ſcilicet operum noſtrorum, cùm Apoſtolus dicat 1. Tim. 1. Soli Deo honor, & gloria. [Fraus, „ inquit Ber. in opere Dei timenda eſt. Fraudem autem facimus Deo, quando non Deum, ſed noſmetipſos de bono opere noſtro „ laudamus.]

Duplicitatem S. Ambr. in ep. ad Rom. dum exponit illud c. 12. Qui tribuit in ſimplicitate. „ [Hic, inquit, tribuit ſimpliciter, qui non in „ ſimulatione hoc agit, ut laus ei ab hominibus „ detur; ſed à Deo per hoc ipſum meritum „ conſequatur.] & S. Greg. lib. 1. mor. c. 11. interpretationem faciens illorum verborum; Job vir ſimplex, & rectus: *Iob. 1.* [Sunt enim nonnulli, qui in bonis, quæ faciunt, ſimplices „ non ſunt, dum non in illis retributionem interiùs, ſed exteriùs, favorem quærunt.] Undè

Eccleſiaſtici 2. dè benè per quendam ſapientem dicitur; Veh peccatori terram ingredienti duabus vijs; Duabus quippè vijs terram peccator ingreditur, quando & Dei eſt, quod opere exhibet; & mundi quod per cogitationem quærit. Hinc Matth. 6. Dominus monet; Si oculus tuus (hoc eſt intentio tua) ſimplex fuerit, totum corpus (id eſt tota operatio ſubſequens) lucidum erit. Undè Greg. lib. 10. mor. c. 13. [Si „ operationem, ait, noſtram intentio munda „ prævenerit, quamlibet hominibus aliter vi„ deatur, interni tamen judicis oculis mundum „ ſequentis actionis corpus oſtenditur.] Et h. 7. in Ezech. [Quidquid agitur in radice in„ tentionis penſandum eſt, quo merito apud „ judicium creatoris habeatur.] Undè Matth. 6. Si oculus tuus ſimplex fuerit. Oculum enim intentionem; corpus operationem nominat. Ac rursùs lib. 28. moral. c. 6. Lucerna corporis tui eſt oculus tuus: [Quid per oculum ex„ primitur, niſi opus præveniens cordis inten„ tio? Quæ priuſquam ſe in actione exerceat, „ hoc jam quod appetit, contemplatur; & quid „ appellatione corporis deſignatur, niſi una„ quæque actio, quæ intentionem ſuam quaſi „ intuentem oculum ſequitur? lucerna itaque „ corporis eſt oculus, quia per bonæ inten„ tionis radium merita illuſtrantur actionis:] Et paucis interpoſitis; [Vigilanti igitur cura „ per cuncta opera intentio nobis noſtra pen„ ſanda eſt, ut nihil temporale in his, quæ „ agit, appetat, totam ſe in ſoliditate æterni„ tatis figat, nè ſi extrà fundamentum actionis „ noſtræ fabrica ponitur, terra dehiſcente ſol„ vatur.] Itaque Job verba ſubijciens; Super quo baſes illius ſolidatæ ſunt? [Baſes, inquit, „ uniuſcujuſque animæ ſunt intentiones ſuæ: „ nam ſicut fabrica columnis, columnæ baſi„ bus innituntur; ita vita noſtra in virtutibus, „ virtutes verò in intima intentione ſubſi„ ſtunt.] Ergò Iſa. 21. Si quæritis, quærite, hoc eſt in ſimplicitate cordis exponit S. Ber. in ſer. 2. de altitudine, & baſſitudine cordis, quærite illum; [Non aliud tanquam illum; non „ aliud præter illum; non aliud poſt illum; „ ſimplex natura ſimplicitatem cordis exqui„ rit; Veh homini ingredienti terram duabus „ vijs; nemo enim poteſt duobus dominis ſer„ vire.] Ita in ep. 42 ad Henricum Sennonenſem Archiëpiſcopum, cordis hanc puritatem in eo agnoſcit, ut in omnibus actibus, & dictis nihil tuum quæras: ſed tantùm aut Dei gloriam, aut proximorum ſalutem, aut utrumque.

Operum intentio. — *Job 38.*

CAPUT XI.

Maledictio Dei.

SED qui ſecùs agunt, Dei donis adversùs ipſum ad ſui oſtentationem abutuntur, & gloriam; ideoque Deo verè dicuntur maledicere: nam cùm Job dicitur, tranſactis in orbem diebus convivij filiorum ejus, ſanctificaſſe illos, & obtuliſſe holocauſta per ſingulos. Dicebat enim nè fortè peccaverint filij mei, & benedixerint Deo in cordibus ſuis. [Deo, in„ quit S. Greg. Papa lib. 1. mor. c. 8. bene„ dicere, id eſt, maledicere, eſt de ejus munere „ ſibi gloriam præbere. Undè rectè Apoſtolis „ quoque poſt prædicationem Dominus pedes „ lavit, ut videlicet apertè monſtraret, quia „ plerumquè & in bono opere peccati pulvis „ contrahatur, & indè inquinentur veſtigia lo„ quentium, undè audientium corda mundan„ tur. Nam ſæpè nonnulli, dùm exhortationis „ verba faciunt, per quam tenuiter ſeſe intrin„ ſecùs; quia per eos gratia purgationis deri„ vatur, extollunt; cùmque verbo aliena ope„ ra diluunt, quaſi ex bono itinere pulverem „ malæ cogitationis ſumunt. Quid ergò fuit „ poſt prædicationem pedes diſcipulorum la„ vare, niſi poſt prædicationis gloriam cogita„ tionum pulverem tergere, greſſuſque cordis „ ab interna elatione mundare?] Et c. 19. cùm rursùm dixiſſet Job: Nè fortè benedixerint Deo in cordibus ſuis. [Filij, ait, in cordibus „ maledicunt, cùm recta opera à non rectis „ cogitationibus prodeunt, cùm bona in aper„ to exeunt, ſed in occulto noxia moliuntur. „ Deo quippè maledicunt, cum ſe accepiſſe ab „ illo vires intelligunt, ſed tamen de ejus mu„ nere propriam laudem quærunt.]

Job 1. — *Joan. 13.*

CAPUT XII.

Abuſio virtutis.

VIRTUTE, & ſanctitate abutuntur, & quidem ad malum, & vitium, dum opera bona, & alioquì ſancta ad vanam, & vitioſam traducunt laudem. [Virtus, inquit S. Greg. „ lib. 27. mor. c. 27. dum in uſu tranſitoriæ „ laudis aſſumitur, quia vitio militat, virtus „ non eſt.] Quare quod dicitur in pſ. 77. Converſi ſunt in arcum pravum, de hoc hominum genere uſurpare licet. [Arcus namque „ (ut eo loco Theodoretus habet) artificiosè „ elaboratus in ſcopum jacula dirigit: ſi verò „ aliquam obliquitatem hauſerit, ſagittas ad „ deſtinatum ſcopum mittere nequit.] Hoc & in his depravata facit intentio. Sancta verò Eccleſia Can. 3. aſcendere dicitur per deſertum, ſicut virgula fumi. [Quia (inquit S. „ Greg. lib. 1. mor. c. 20.) ex vitæ ſuæ virtu„ tibus in interno incenſi rectitudinem, in „ Deum proficit, nec ſparſa per cogitationes „ defluit.] Hi nimirùm actiones ſuas turpiter maculant, neque ad miniſtrandum Deo admittentur, ſi quidem pſ. 100. Ambulans in via immaculata ad miniſtrandum Deo eligitur.

„ [Habet autem maculam in via, ut interpretatur S. Greg. h. 22. in Evang. qui in opere bono, quod agit, terrenæ gloriæ ſibi præmium proponit. Quia qui in hoc mundo recipere mercedem quærit, fœdat in conſpectu Dei ſpeciem boni operis per maculam pravæ intentionis.]

CAPUT XIII.

Iniqua negotiatio.

INIQUA prorsùs de Dei donis eſt negotiatio; dum pro humana laude, & gloria accepta à Deo dona vendunt, quæ gratis donare oportebat. Adnotavit hoc S. Bern. ſer. 60. in Cant. perpendens illa verba c. 2. Vineæ florentes dederunt odorem ſuum. [Dederunt „ enim, non vendiderunt, qui non gloriam „ ſuam, ſed aliorum de ſua bona opinione „ quæſiêre ſalutem. Nam ſi quæſtum æſtimas pietatem, oſtentationis, aut mercedis: illud non eſt dare, ſed vendere odorem.] Idem quoque Bern. ſer. 4. audiens dicentem Sponſam; Oſculetur me oſculo oris ſui; triplici propoſito oſculo pedum, manus, & oris; pedum per lachrymas pœnitentiæ, manuum per bonam operationem, oris per fruitionem, & gloriam; primò incipientium, ſecundò proficientium, tertiò perfectorum; de manûs oſculo ita ratiocinatur: [Qui de pulvere, & „ ſordibus pedum erigitur ad oſculandam manum, id eſt à peccatis ad virtutum operationem aſcendit, oſculari debet manum Domini, non ſuam; Domini manum oſculatur, qui ejus gloriam quærit, & ei ſua dona aſcribit. Alioqui ſi in te, & non in Domino gloriaris, propriam, & non Domini manum oſcularis.] Quod juxtà Beati Job ſententiam c. 31. eſt iniquitas maxima & negatio in Deum. Ita pauperes divitum manus oſculantur, cùm ab eis munus accipiunt.

Cant. 1.

Eſt & alia in hoc minùs bona, & utilis negotiatio; dum enim non Dei, ſed ſuam gloriam quærunt: novum in vetus teſtamentum commutant; & ut ſcribit S. Anſel. in comm. 9. ad caput 4. ep. ad Gal. [Hæredes ſunt veteris teſtamenti, & filij Agar: qui verò propter „ ſolam cœleſtem remunerationem operantur „ hæredes ſunt novi teſtamenti, & filij Iſaac.]

CAPUT XIV.

Ingratitudo in Deum.

DUM ita agunt ingrati Deo ſunt, & donis illius impedimentum ponunt, eaque à ſe neſcientes repellunt. Fluminum exemplo exponit hoc S. Ber. in ſer. 1. de quadrag. [Nam„ que fluminis aqua ſi ſtare cœperit, & ipſa „ putreſcet, & inundatione factâ perveniens „ reppelletur; ſic gratiarum ceſſat decurſus, „ ubi recurſus non fuerit. Nec modò nihil augetur ingrato, ſed & quod acceperat, vertitur in perniciem: fidelis autem in modico „ cenſetur dignus munere ampliore. Unge, inquit, caput tuum; ut ſi quæ in te eſt gratia, „ referatur ad ipſum, nec tuam quæras gloriam, „ ſed ipſius.] Et in ſer. contrà ingratitudinis vitium; miſericordiam reputat ingratis, & ijs, qui collatis abutuntur, beneficia nova non conferre. [Nè contingat, ut tantò graviùs de „ ingratitudine judicentur, quantò magis accumulatis beneficijs ingrati probabuntur extitiſſe.]

CAPUT XV.

Opus iniquitatis.

ET omninò S. Baſil. in reg. brevioribus 282. vanam gloriam à Chriſto voluit appellatam fuiſſe opus iniquitatis, homineſque illi deditos operarios iniquitatis. Cùm enim quæſiſſet quinam ſint illi, qui Luc. 13. dicunt; Manducavimus. & bibimus, &c. Et reſponſum ferunt; Neſcio vos; diſcedite à me omnes operarij iniquitatis, Reſpondit; [Illi, quos in „ perſona ſua deſcribit Apoſtolus 1. Cor. 13. „ cùm ait, ſi linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem aut non habeam, nihil „ mihi prodeſt; faciunt enim, ut videantur ab „ hominibus; Receperunt mercedem ſuam. „ Quidquid enim non charitatis ergà Deum, „ ſed humanæ laudis causâ fit, cujuſcunque generis illud ſit; id non laudem pietatis meretur, ſed judicium incurrit, aut ſtudij hominibus alijs placendi, aut ſibi, aut æmulationis, „ aut invidentiæ, aut alterius hujuſmodi criminis. Quare hoc Dominus iniquitatis opus „ appellat. Diſcedite à me operarij iniquitatis. Dei enim donis ad mercaturam voluptatum ſuarum abutuntur.]

CAPUT XVI.

Diaboli zizanium.

VERè autem dixeris cum Sancto Chryſoſtomo inanem hanc gloriam, quam apud homines quæritamus, zizanium eſſe diaboli; quod inimicus homo tritico Dei, hoc eſt virtutis operibus ſuperſeminavit. [Vana gloria, inquit ille h. 13. operis imperfecti in „ Matthæum, zizanium Diaboli ſuperſeminatum in tritico Dei, ut ſuffocet triticum Dei, „ aut ſi quis voluerit diaboli zizanium tollere, „ ſimul etiam eradicet triticum Dei.]

CA-

Digitized by Google

CAPUT XVII.

Gloriæ ſtudium.

Utile Rei-publicæ.

SCripſit ſanè S. Aug. lib. 5. de civitate
Dei c.13. Gloriæ ſtudium utile Reipubli-
cæ eſſe; nam ad multa fortiter agenda impellit
pro patria, atque alios quoque exemplo ſuo
ſollicitat. Immo & ſibi quoque plurimùm pro-
deſt, ut apud Caſſianum ratiocinatur Abbas
Serapion collat. 5. c. 12. [Cenodoxia, inquit,
„ utilis interdùm eſt; dùm aut retrahit à malo,
„ ut à fornicatione propter famam, aut im-
„ pellit ad bonum, ſicut Abbas Macharius cui-
„ dam, qui hora tertia in eremo famebat, qui
„ in cœnobio hebdomadis integris non ſentie-
„ bat eſuriem; cauſam dixit eſſe, quia ibi nul-
„ lus eſſet teſtis jejunij, qui ſuis laudibus nu-
„ triret, & ſuſtentaret.] De quo enim refert
Humbertus in ep. de tribus votis c. 38. cùm
enim quidam quæreret, cur magis in congrega-
tione, quàm in ſolitudine jejunare poſſet, reſ-
ponſum eſt ei; Quia digitus eum in mona-
ſterio paſceret, in ſolitudine nullus jejunij te-
ſtis eſſet. Irritamentum omnium, in quæ inſa-
nimus, admiratorem eſſe, & conſcium, ſcrip-
ſit Seneca ep.94. Nè concupiſcamus efficies, ſi
ut non oſtendamus effeceris. S.Leo Papa ſer.7.
de jejunio ſeptimi menſis; [Propter laudis hu-
„ manæ, inquit, cupiditatem juſtitiæ ſpecies
„ plerunque prætenditur, & ubi nulla eſt cura
„ conſcientiæ, amatur falſitas famæ; ut iniqui-
„ tas, quæ occultatione arguitur, mendacij
„ opinione lætetur.] Et S. Chryſ. h.19. operis
imperfecti; [Multam dat virtutem ad laboran-
„ dum concupiſcentia vanæ gloriæ, &, ſi cum
„ indulgentia poſſum dicere, majorem dat
„ virtutem homini hypocritæ concupiſcentia
„ vanæ gloriæ, quàm fidelibus ſpes regni cæ-
„ leſtis.] Atque de eleëmoſyna dixit S. Greg.
Naz. in oratione de funere patris; [Ubi largi-
„ tio arbitris caret, ubi quoque largiendi lan-
„ gueſcit alacritas.] Et omninò præclarè Ter-
tull. in lib. de Pallio c. 4. Gloriæ hunc ina-
nem appetitum ſcripſit eſſe velut flabellum,
quo affectus omnes noſtri ad operandum
magnoperè inflammantur. [Calor, inquit,
„ eſt omnis affectus; verùm cùm in affecta-
„ tionem flabellatur, jam de incendio gloriæ
„ ardor eſt.]

Vana gloria flabellum.

CAPUT XVIII.

Vana gloria virtutum pernicies.

OMnem tamen ſuâ naturâ veram virtu-
tem deſtruit. Virus virtutum appellavit
eam S. Ber. in vita Malachiæ, & S. Baſil. in
conſtit. monaſt. c. 11. [Fugiamus inanem
„ gloriam dulcem ſpiritualium opum expolia-
„ tricem, jucundum animarum noſtrarum ho-
„ ſtem, tineam virtutum, blandiſſimam bono-
„ rum noſtrorum deprædatricem, eandemque
„ mellis illitu fraudis ſuæ veneni coloratricem,
„ & mortiferi hominum mentibus poculi por-
„ rectricem.] Martyrium ipſum inquit S.Hie-
ron. in caput 5. ep. ad Gal. ſi ideò fiat, ut ad-
mirationi, & laudi habeamur à fratribus, fru-
ſtrà ſanguis effuſus eſt. Nam & Paulus 1.Cor.
13. dixit; Si tradidero corpus meum, ita ut
ardeam, charitatem autem non habeam; ni-
hil mihi prodeſt. Et S. Aug. ep. 109. ad Mo-
nachas; [Alia quæcunque iniquitas in malis
„ operibus exercetur, ut fiant; ſuperbia verò
„ bonis operibus inſidiatur, ut pereant.] S.
Nylus libro ſæpiùs citato; [Terra racemum
„ curvum corrumpit, virtutem autem inanis
„ gloria. Ut pertuſa crumena aurum cuſtodi-
„ re non poteſt, ita nec inanis gloria virtutis
„ theſaurum. Ut ventus veſtigium pedis delet,
„ ſic inanis gloria ſpiritus virtutem. Scopulus
„ ſub aquis latens eſt inanis gloria; huic alliſus
„ virtutis merces amiſiſti.] S. Chryſ. h. 5. in
Gen. [Vana gloria, ſi quas habemus ſpirituales
„ divitias, eas evacuat, & utilitate, quæ ex eis
„ capi poteſt, nos deſtituit; & ea etiam avola-
„ re à nobis facit, quæ nos habere putamus; ſic
„ Phariſæus ille Publicano minor eſt factus.]
Et h. 42. in Gen. [Ut tinea, & vermes ve-
„ ſtes corrumpunt, ita & inanis gloria.] Et h.
19. in Matth. [Clam ingreditur hæc beſtia,
„ cunctaque benè orientia intùs maxima cum
„ quiete, & abſque ullo ſenſu exportat.] Et h.
29. in Io. [Ut vermis lignum, & rubigo fer-
„ rum conſumit, ita inanis gloria altricem ſui
„ animam perdit.] Et h. 35. in prior. ep. ad
Cor. perſimilem ait eſſe viperæ, quæ matris
uterum naſcendo rumpit; [Vana, inquit, glo-
„ ria crudelis bellua, dæmon horrendus, com-
„ munis totius orbis terrarum peſtis, vipera
„ venenata: Ut enim illa parturientis uterum
„ rumpit; ſic malum hoc dilaniat obnoxios ſi-
„ bi.] Et lib. 1. de providentia; [Inanis gloria
„ peſtis, quæ venti inſtar ingreſſa theſauros
„ omnes virtutis exſufflat.] Caſſ. quoque in lib.
de Spir. gaſtrim. c.21. [Vana gloria, inquit, de-
„ lectabili eſcâ permulcet ad tempus; poſt verò
„ vacuat animam, omnique virtute ſpoliatam
„ reddit, ac nudam: cunctis eam ſpiritualibus
„ fructibus ſterilem, inanemque dimittens: ita
„ ut non ſolùm immanium laborum faciat me-
„ rita deperire; verùm etiam ſupplicia majora
„ conquirat.] S. Cyrillus Alex. lib. 6. in Io.
c. 16. Chriſtum Dominum obſervat ſolitum
ſemper fuiſſe recedere poſt patrata miracula;
ut nos doceret, ex benefactis noſtris glo-
riam humanam quærere non debêre, ſed ſo-
lùm divini nominis honorem meditari. Et
S. Cyprianus in ſer. de jejunio, & tentatio-

nibus Chriſti, eum admonet ad noſtri inſtru-ctionem ſecretum omninò, ac ſolitarium locum ad jejunandum elegiſſe. Et quoniam de hac re & eleganter, & ſapienter diſſerit, non verebor ſententiam illius paulò pluribus explicatam adſcribere. [Locus, inquit; ſecretus ,, eligitur, quia ſolius Dei judicio jejunia ſunt ,, agenda, & ſingulariter inſpectorem, adjuto- ,, remque Deum volunt hæc habêre certami- ,, na; neque in agonibus aliquibus periculoſiùs ,, militatur. Nulli Religionis exercitio frau- ,, dulentiùs inanis gloria adulatur; nulli virtuti ,, favor ita blanditur. Jejuniorum ſudoribus ,, laus importuna ſe ingerit, & ſubtiliſſimis ,, aculeis penetrans animam dum extollit, ,, emollit, & pungit, cùm ungit. Virtutem ,, in hypocriſim vertit, & ſimpliciter inchoata ,, pervertit. Quaſi tinea, quod integrum erat, ,, rodit, & occupat, & ſanctitatis fundamenta ,, evellit, & diſſipat. Subtiliſſimum malum ,, proprio laqueo hypocritam jugulat, & pro- ,, prijs armis ſanctitatem impugnat; Caſtigatio ,, carnis ſpiritum inflat, & macies corporis ex- ,, tenuatum arrogantem impinguat; contemp- ,, tus venerationem venatur, fames, & calami- ,, tas laudibus ſaturatur. Mens hoc veneno ,, imbuta in miſerijs deliciatur, & occupata ,, hâc ſcabie in ulceribus glòriatur. Religio fit ,, ſuperſtitio, & ſuccedit ei ambitio ſubornata. ,, Extincto ſpiritu quatriduano, cadaveri ſolæ ,, ſuperſunt exuviæ, virtutis ſpecies exanimis, ,, & ſimulachrum ſanctitatis. Tanta eſt hy- ,, pocritarum dementia, ut fœtoribus pro odo- ,, ribus utantur, & pretioſa vilia, & aſpera ,, ſuavia arbitrentur, & favorum ſapor om- ,, nium dulcedinum ſuperet condimenta, om- ,, niſque delira ſenſualitas contrarijs delecte- ,, tur.] Hæc Cyprianus in primo lib. Reg. 14. adjuravit populum Saül, dicens; Maledictus vir, qui comederit panem uſque ad veſperam, quod ita interpretatur S. Greg. lib. 5. in primum Regum c.4. ut intelligatur, qui de ſuis operibus gloriatus fuerit, vel humanas laudes quæſiêrit durante die vitæ ſuæ, & antè veſperam mortis ſuæ. [Fortia, inquit, be- ,, nè vivendo agat; ſed quamdiù vixerit, ap- ,, petere de fortitudine laudes caveat, ut lau- ,, dari poſt mortem æternaliter non amittat. ,, Qui enim antè veſperum populum mandu- ,, care prohibuit, ad veſperum utique eſſe co- ,, medendum conceſſit; & quia in veſpere fi- ,, nis diei eſt; In veſperum comedunt, qui ab- ,, ſtinêre antè veſperum poſſunt: quia qui ,, laudari modò de magna actione deſpicit, ,, cùm ad vitæ finem ducitur, æternis dignus ,, laudibus invenitur.] Illud verò eſt etiam conſiderandum, quod in eodem loco ſacra narrat Hiſtoria; Ionatham extendiſſe ſummitatem virgæ, quàm habebat in manu, & intinxiſſe in favum mellis, & convertiſſe manum ſuam ad os ſuum, & illuminatos fuiſſe oculos ejus. Ionathas enim interpretatione Sancti Gregorij virga mel ad os trahens, ſignificat eos, qui tàm de prædicationis verbo, quàm de ſtudio boni operis, vani favoris guſtum recipiunt. Sed ille more electorum peccat, dum ſola extremitate virgæ mel levat. Totam autem virgam, & manum melle plenam ad os convertunt, qui omnia opera ſua faciunt, ut videantur ab hominibus &c. Oculi autem Ionathæ ex mellis guſtu illuminati dicuntur; quia qui vani favoris auram recipiunt, ex eodem ad agenda fortia roborantur. Nam & populus comediſſe cum ſanguine narratur, quòd nihil aliud ſignificare putavit idem S. Doctor, quàm intentionem vani favoris à mente non removêre, ſed eum toto appetitu ſectari.

CAPUT XIX.

Difficilis Conflictus.

DIFFICILIS planè conflictus, quoniam importunus nimis eſt hoſtis, cujus non unam, ſed multiplicem expoſuit rationem. Caſſianus, dùm de hoc vitio ageret in lib. 11. de inſtitutis Cœnobiorum. Reliqua enim vitia manifeſtè, & apertè aggrediuntur. Vana gloria ſub virtutum ſpecie victorem jugulare pertentat: Deindè reliqua ſunt ſimplicia, hoc multiplex, & varium. Nam & in habitu, & in forma, in inceſſu, voce, opere, vigilia, jejunio, oratione, & alijs plurimis, vulnerare conatur; & quaſi ſcopulus ſecundo navigantibus vento naufragium, dum non cavetur, importat. Et quem diabolus in nitida veſte ſuperare non potuit, conatur in ſordida: quem non potuit in honore, conatur in humilitate. Itaque cæpæ facit perſimilem vanam gloriam, quæ uno detracto tegmine, alio rurſum invenitur induta. Accedit, quod omnia vitia cætera ſuperata marceſcunt, & devicta per ſingulos dies infirmiora redduntur; hoc verò devictum acriùs reſurgit ad luctam, & cùm putatur extinctum, ſua morte vivaciùs convaleſcit. Cætera eos tantùm impugnare ſolent, quos in certamine ſuperârint; hoc verò ſuos victores acriùs inſectatur. Cætera locorum beneficio, & tempore conquiêſcunt; hoc nec loco excluditur, & tempore majora congerit fomenta vanitatis; Hæc fermè Caſſianus. Sancto Leoni in ſer. 4. de Quadrageſima, illa maximè probata eſt ratio: [Quoniam vicinum ,, eſt rectis actionibus ſuperbiæ malum, & ,, de proximo ſemper virtutibus inſidiatur ela- ,, tio; quia difficile eſt, ut laudabiliter viventem ,, laus non capiat humana.] Et ut ſcripſit S. Anſel. in commentario ad ſecundum caput

Vana gloria cæpæ ſimilis.

prioris

prioris ep. ad Theſſ. [Quas vires nocendi habeat humanæ gloriæ amor, non ſentit, niſi qui bellum ei indixerit, quia etſi cuique facile eſt laudem non cupere, dum negatur, difficile tamen eſt in ea non delectari, cùm offertur.] Sed S. Chryſ. h. 15. operis imperfecti ita rem hanc explicavit. [Omnia, inquit, mala contraria habent bona, per quæ ſuperentur; fornicatio caſtitatem, ſuperbia humilitatem, iracundia manſuetudinem, ſola vana gloria non habet, immo quantò majora bona feceris, magis excitatur, & cauſa eſt, quia omne malum ex malo naſcitur, ſola hæc ex bono procedit, ideò non extinguitur per bonum, ſed magis nutritur.]

Propterea ijs, qui virtutem quærunt, diligentiſſimè vitanda eſt, vel etiam quælibet illius umbra. S. Baſil. in regul. fuſiùs diſputat. 20. [Ijs, qui ad omne ſe humilitatis genus abjecerunt, mirabiliter fugienda eſt quælibet inanis gloriæ ſignificatio.] [Nihil enim tam periculoſum eſt (ut ſcribit ad Fabiolam S. Hier. de 42. manſionibus 41.) quàm gloriæ cupiditas, & animus conſcientia virtutum tumens.] Et S. Aug. com. in pſ. 7. [Qui benè didicit, vel expertus eſt vitiorum ſuperandorum gradus, intelligit hoc vitium inanis gloriæ vel ſolùm, vel maximè cavendum eſſe perfectis.] Et lib. 1. qq. veteris, & novi teſtamenti q. 25. Ioſephum affirmat noluiſſe in Ægypto ſepeliri, nè adoraretur ut Deus; quippè qui anteà ſalvator Ægypti fuiſſet; & nos hortabatur Paulus 1. Cor. 14. Parvuli eſtote malitia. Nam parvulus, ut ait S. Doroth. in ſer. 1. de obed. etiamſi contemnatur, non iraſcitur, non ulciſcitur injuriam, non gloriam affectat inanem. Nobiſque omninò vitandam eſſe, appoſito ſuadet exemplo in ſer. 2. de cordis humilitate. [Qui enim holoſericâ, inquit, & pretioſâ veſte indutus eſt, ſi pannoſa, & immunda illi injiciatur, refugit, nè pretioſum indumentum maculetur, ita Sancti præclaris virtutibus ornati humanam gloriam fugiunt, nè ab ea maculentur. Qui verò hanc ſectantur, ſimiles ſunt nudo cuipiam, qui quidquid invenerit, accipit, ut nuditatem ſuam contegat.] S. Chryſ. h. 13. operis imperf. in Matth. viros virtutis ſtudioſos eò magis cavère hoc vitium oſtendit, quò magis ab illo vexantur. [Omnia, inquit, penè mala ſervos diaboli vexant, concupiſcentia autem inanis gloriæ non ſolùm ſervos diaboli, ſed etiam ſervos Dei, & viros fideles impugnat; magis autem ſervos Dei, quàm ſervos Diaboli.] Quodque magis mirari poſſis, vel etiam contempta importuniùs, & graviùs inſultat; [Et ſæpè, inquit S. Aug. lib. 10. confeſſ. c. 38. homo de ipſo vanæ gloriæ contemptu vaniùs gloriatur, ſed ideò non jam de ipſæ gloriæ contemptu gloriatur. Non enim eam contemnit, cùm gloriatur intùs.]

Ioſephus noluit in Ægypto ſepeliri.

CAPUT XX.

In quibus tentatio major.

CÆTERÙM, ut omnibus operibus bonis inſidietur vana hæc hominum gloria; Sanctum tamen Cyprianum audivimus affirmantem, jejunio potiſſimùm inſidiari, & apud Sophronium c. 153. qui in ſæculo antè ſolis occaſum non ſumebat cibum; quod aures illum nutrirent, vanaque hominum gloria, & laus non mediocriter reficerent; monachus pòſt factus hora nona reficiebàtur. Sed S. Chryſ. h. 19. in Matth. In eleëmoſyna maximè, oratione, & jejunio ait eam eſſe ſolère. Neque nos ignoramus in hiſce tribus præſertim actionibus, Matt. 6. à Chriſto Domino fuiſſe reprehenſam, nam de eleëmoſyna dixit; Cùm facis eleëmoſynam, noli tubâ canere antè te; & de oratione ſtatim ſubjunxit; Cum oratis, non eritis ſicut hypocritæ; Ac demùm de jejunio. Cùm jejunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes. Ex his tamen præcipuis tribus capitibus de cæteris omnibus operibus noſtris judicandum eſt. S. Chryſ. libro 1. de cordis compunctione; [Vanæ gloriæ, inquit, & ſuperbiæ à nobis vexilla, & in orationibus, & in jejunijs, atque eleëmoſynis præferuntur; & in cæteris omnibus rebus, geſtiſque noſtris aptantur, eiſque velut empta mancipia ſubjacemus, & cervices noſtras omnibus eorum ludibrijs ſubjugamus. Tantus enim hominibus divinorum præceptorum contemptus ineſt: ut etiam ſi quid facere videantur ex mandatis, nec hoc ipſum quidem Deo, qui mandavit, impendant; ſed deceptioni, vanæ jactantiæ, & inani gloriæ, quæ geſſerunt, conſecrent; ita ut in utroque modo pari damno feriantur; & cùm facere videntur, quæ mandata ſunt, & cùm omninò non faciunt; ſic ex omni parte hominum genus intrà ſuos laqueos malignus innexuit.] Verùm in h. 43. imperfecti operis, exemplo vermis, qui ex ligno naſcitur, & corrumpit lignum, & ſimilium, ex cunctis operibus noſtris pullulare inanem hanc gloriam demonſtrat, quæ illa, & illorum merita perdat.

Non eſt tamen propterea deſerendum opus bonum, ſive inchoatum, ſive inchoandum, quod invadat nos vana hæc gloria: ſed intentio noſtra in Deum eſt dirigenda. S. Chryſ. h. 13. operis imperfecti in Matth. [Propoſuiſti, inquit, facere eleëmoſynam, ſed aſcendit ſuper cor tuum velle hominibus apparère, nunquid debes ſubtrahere manum tuam, nè des locum vanæ cogitationi? Abſit, ſed perfice opus tuum: nè, dum vis cogitationi vanæ reſiſtere, perdas opus bonum.] De Sancto Bernardo legimus, concionanti aliquando vanæ gloriæ cogitationem irrepſiſſe, cui ille ſtatim reſpondit; [Nec propter te incepi,

Non ideò bonum opus deſerendum.

Digitized by Google

„ incepi, nec propter te deſinam.] Vade, & tu reſponde ſimiliter.

CAPUT XXI.

Vanæ gloriæ remedium.

QUòd ſi vitij hujus remedium quæras, multiplex omninò reperies, nam etſi S. Chryſ. in h. 15. operis imperfecti in Matt. ſo-
1. lam orationem poſſe ſcripſerit huic morbo mederi; [Inter homines, inquit, peccatores tentatio vanæ gloriæ non habet locum, illi tentationem vanæ gloriæ patiuntur, qui tale aliquid faciunt, undè glorientur; ergò nullum remedium poteſt eſſe contrà vanam gloriam, niſi oratio ſola; & hæc ipſa vanitatem generat, niſi cautè proſpexeris, ſi fortè benè oraveris.] Alijs tamen in locis alia admittit; imò ſuppeditat nobis adjumenta. Nam in ſer. de inanis gloriæ cupiditate, to. 5. conſideranda duo proponit.

2. Alterum; quòd ſi conſpicuus fueris, & omnibus notus, erratorum tuorum criminatores plurimos es habiturus: ſi incognitus ſecurus peccando futurus es.

3. Tertium; quod qui gloriæ libidine trahitur, fluctuanti cuipiam, & tempeſtate disjecto ſimilis eſt; Siquidem tremebundus ſemper & pavidus infinitis dominis ducturus ſit morem; at qui hac fuerit tyrannide liber, & portum tenentibus, & puriori fruentibus libertate non alienus.

4. Quartum remedium addit in h. 28. in Io. „ [Inanem gloriam vincemus, ſi gloriam gloriæ comparabimus. Sicut enim terrenas divitias contemnimus, cùm alias ſperamus divitias, ita & hujus vitæ gloriam, cum longè majorem, & veram gloriam conjectabimur, contemnemus.]

5. Quintum eſt in h. 72. in Matt. Turpe namque eſt in cæteris omnibus rebus præclariſſimos quoſque & maximè præſtantes imitari viros, atque illorum ſectari judicium; in hac verò univerſa re ex imperitæ multitudinis, ac vulgi ſententia pendêre. Luctatores namque non ab olera, & piſces vendentibus propriæ dexteritatis mercantur encomia; ſed hujus luctationis principi, & magiſtro, cujus judicium quærunt, placêre ſtudent: ita quoque qui cæſtibus certare diſcit (cæteris contemptis) hujus certaminis tantummodò profeſſores ſpectat; & qui eloquentiæ ſtudio excellere deſiderat, præcipuos, quos noverit, Oratores totis viribus imitari conatur; in hac verò re aliter faciendum eſſe temerè ducitur? In eandem ſententiam loquitur S. Auguſtinus in lib. 83. quæſtionum q. 36. Ad vitandum ſtudium placendi hominibus, doceatur, quàm ſit pudendum placêre velle eis, quos nolis imitari. Aut enim boni non ſunt, & nihil magnum eſt à malis laudari. Aut boni ſunt; at hi virtute boni ſunt; nec virtus appetit, quod eſt in aliorum hominum poteſtate. Et S. Greg. h. 9. in Ezech. „ [Stultum valdè eſt, ſi illis placêre quærimus, quos non placêre Deo ſcimus. Debent enim habêri in metu, & reverentia judicia juſtorum: quia membra Omnipotentis Dei ſunt; & hoc ipſi in terra reprehendunt, quod Dominus redarguit è cœlo. Nam perverſorum derogatio vitæ noſtræ approbatio eſt: quia jam oſtenditur, nos aliquid juſtitiæ habêre; ſi illis diſplicêre incipimus, qui non placent Deo.] His quatuor optimis adjumentis, ſi addatur oratio primo loco propoſita jam habebis quinque.

Sextum erit, ſi cogites Dei eſſe, atque à Deo 6.
non tuum, ſi quid habes boni, quod laude, & gloriâ ſit dignum. S. Aug. in lib. de correptione & gratia c. 12. cùm incidiſſet in illa Pauli verba 1. Cor. 1. Ut non glorietur omnis caro coràm ipſo; [Non enim, ait, gloriantur injuſti, quia non habent undè, nec juſti, quia ex ipſo habent undè, nec habent gloriam ſuam niſi ipſum.] Idcircò S. Bernardus in tractatu de diligendo Deo; duplicem affirmat in nobis requiri ſcientiam; quâ & dignitatem noſtram cognoſcamus, vel aliud quodcunque bonum, quod ſit in nobis, & non à nobis tamen habêre intelligamus; cui duplex opponitur ignorantia. Ignorare ſcilicet bona, quæ habeas; & quòd à te non habeas, ſed à Deo. Super hanc utramque ignorantiam execranda illa præſumptio eſt, quâ de bonis non tuis audeas tuam quærere gloriam, & alterius rapere honorem; Prior ignorantia gloriam non habet; poſterior habet quidem, ſed non apud Deum. Sed tertium hoc malum uſurpat, & contrà Deum. Per illam Deus neſcitur, per iſtam, & contemnitur. Per illam pecoribus, per iſtam & dæmonibus ſociamur; eſt enim ſuperbia & delictum maximum uti datis tanquam innatis, & in acceptis beneficijs gloriam uſurpare benefici.

Septimum dabit cognitio ſui, & propriæ in- 7.
firmitatis attenta conſideratio. S. Greg. Papa *Ezechiel filius hominis.*
in 4. parte paſtor. curæ, Ezechiêlem Prophetam obſervavit, quoties ad contemplanda cæleſtia ducebatur, priùs filium hominis fuiſſe vocatum; Nè de his, quæ videret elevaretur. „ [Quare cùm virtutum, inquit, copia nobis blanditur, ad infirmitatem ſuam mentis oculus redeat, ſeque deorſum ſalubriter premat, quia & plerumque Deus rectorum mentes quamvis ex magna parte præficit, imperfectas tamen ex parva aliqua parte relinquit: nè ſe de magnis erigant, dum adhuc contrà minima innitentes, laborant; ſed quia extrema non valent vincere, de præcipuis actibus non audent ſuperbire.] Et S. Ber. ſer.

6. in

Digitized by Google

6. in pſ. 90. dum illa interpretatur verba;
A ſagitta volante per diem, vanamque glo-
riam intelligit: [Timeat, inquit, ſagittam:
,, leviter volat, leviter penetrat: ſed dico tibi
,, non leve infligit vulnus; citò interficit. Sa-
Vana gloria. ,, gitta hæc vana gloria eſt. Non eſt undè hæc
,, impugnet remiſſos;qui ferventiores eſſe vi-
,, dentur, ipſi paveant, ipſi ſibi caveant in hac
,, parte. Sumant ſcutum inexpugnabile veri-
,, tatis. Quid enim aliud tam contrarium va-
,, nitati? Semetipſam noverit anima, de ſe te-
,, neat veritatem. Difficile poterit homo ver-
,, bis laudantium abduci altum ſapere, ſi ſe in-
,, tùs ad lucem veritatis diſcutiat.]

8. Octavum fuerit memoria peccatorum no-
ſtrorum. De qua ita loquitur S. Bern. in mo-
do benè vivendi ad ſororem c. 55. [Semper
,, neceſſe eſt, ut cùm bona agimus, mala
,, quæ fecimus, in memoriam reducamus, ut
,, dum culpam cognoſcimus, nunquam de bo-
,, no opere incauti lætemur.] Et S. Greg. Papa
in lib 22. moral. magnopere conſiderat illa
Job verba: Si aſpexi ſolem, cùm fulgeret, &
Iob. 31. lunam incedentem clarè. [Sol enim in fulgo-
,, re, inquit ille c. 4. eſt bonum opus in ma-
,, nifeſtatione.] Et c. 5. [Luna incedens clarè
,, eſt laudabilis fama, quæ opus bonum ſequi-
,, tur. Ut enim luna lumen accipit à Sole, ita
,, famà à bono opere. Sed aliqui cùm bona ali-
,, qua faciunt, iniquitatum ſuarum protinùs
,, obliviſcuntur. At non abſolutus eſt debitor,
,, qui multa reddit, ſed qui omnia; nec accipit
,, bravium, qui magnam partem currit, ſi juxtà
,, metas deficit: nec itinerantibus ſat eſt mag-
,, nam viæ partem feciſſe. Debemus inſpicere,
,, quæ bona non fecimus, non quæ feciſſe gau-
,, demus. Sed hoc habet humana infirmitas
,, proprium, ut plus ei intueri libeat, quod ſibi
,, in ſe placet, quàm quod ſibi in ſe diſplicet:
,, Sicut ægrotus ſtratum quærit, in quo molli-
,, ter jaceat. Paulus & ſe comprehendiſſe non
,, arbitrabatur; & præterita mala ad memoriam,
,, qui dicebat; qui revocabat; Prius fui blaſphe-
,, mus; & perſecutus ſum Eccleſiam Dei &c.]

9. Nonum eſſe poterit crebrò conſiderare,
quàm inanis ſit, & citò tranſeat hæc apud ho-
mines gloria. Qua de re ſatis in ſuperioribus
dictum eſt. Et meritò S. Greg. lib. 8. mor. c. 26.
ad vanæ gloriæ ſectatores refert illa Job verba
c. 8. Sicut tela aranearum fiducia ejus. [Quia
,, omne, quod ad obtinendam gloriam exu-
,, dant, ventus vitæ mortalis diſſipat. Fila ara-
,, neæ per ordinem ducunt, & illi ſub diſcretio-
,, ne opera diſponunt. Tela ſtudioſè texitur, ſed
,, ſubito venti flatu diſſipatur, quia quidquid
,, cum labore fit, aura humani favoris tollit.]

10. Decimum ſpectare damnum, quod adfert.
Nam & tollit omne meritum noſtrorum ope-
rum, & Dei viſione privat. Ita S. Greg. lib. 16.
Iob. 23. mor. c. 15. interpretatur illa Job verba; Si me
vertam ad dexteram, non videbo illum. [In
,, dexteram enim vertitur, qui de virtutibus ele-
,, vatur: Sed Deum vidère non valet, qui priva-
,, tâ lætitiâ de bonis actibus gaudet: quia in eo
,, cordis oculum tumor elationis premit.] Et
lib. 22. c. 5. exemplo utitur arboris, cujus per
ſæpè fructus tribus modis ſiccantur, & pereunt,
ut c. 9. ſuperiùs poſitum eſt. In 4. lib. Reg. c.
6. Cum filij Prophetarum cæderent ligna ad
extruendam ſibi habitationem, ferrum ex ma-
nubrio in aquam cecidit; quod idem Greg. c. 3.
ejuſdem libri pulchrè ad rem noſtram interpre-
tatus eſt; [Dum enim vana gloria in opera no-
,, ſtra irrepit, ferrum ex manubrio cadit, quia
,, meritum operationum noſtrarum perdimus.
,, Sed ſtatim clamavit is, qui ferrum amiſerat.
,, Heu, heu Domine mi, & hoc ipſum mutuo
,, acceperam. Habent enim hoc electi pro-
,, prium, ut ſi quando eis furtiva vanæ gloriæ
,, culpa ſubrepit, ad cor velociter redeant; &
,, quidquid in ſe antè diſtricti judicis oculos
,, damnabile inveniunt, lachrymis inſequan-
,, tur.] S. Ber. ſer. 14. in pſ. 90. Qui habitat; cùm *Vana gloria baſiliſcus.*
vanam gloriam dixiſſet eſſe, velut baſiliſcum,
qui ſolo viſu hominem inficere, & interficere
perhibetur, verbis Chriſti confirmat Matt. 6.
Videte nè juſtitiam veſtram faciatis coram ho-
minibus, ut videamini ab eis. [Acſi dicat, ca-
,, vete oculos baſiliſci: Sed cui nocère dicitur
,, baſiliſcus? Ei, qui non viderit baſiliſcum:
,, Alioquin ſi prior eum videas, jam non tibi
,, nocet, magis moritur ipſe. Non videntes ne-
,, cat inanis gloria cæcos, & negligentes, qui ſe
,, ei oſtentant, qui ſe exponunt, & non potiùs
,, ipſi inſpiciunt; non vident, quàm ſit frivola,
,, quàm ſit caduca, quàm vana, quàm inutilis.]

Poſtremò S. Aug. in lib. 50. homiliarum h. 2. 11.
ad extremum Chriſti judicium nos provocat
proponens illa verba pſ. 49. Arguam te, & ſta-
tuam te contrà faciem tuam; [Modo, inquit,
,, omnes peccata ſua pòſt dorſum projiciunt; ſi
,, verò aliquid boni fecerint, antè ſe ponunt, &
,, indè aſſiduè gloriantur. Et dum bona, quæ
,, per illos Deus fecit, ſibi aſsignant, per vanita-
,, tem perdunt, quod acquirere videntur. Ac
,, ſic antè tribunal Chriſti perditis bonis, quæ
,, antè ſe habebant, peccata, quæ pòſt dorſum
,, projecerant, antè faciem eorum revocantur:
,, & ſine ullo termino ſuſtinebunt ſupplicium,
,, qui ſibi dum viverent, noluerunt providère
,, remedium.] Et S. Ber. in ſer. de verbis Apo-
ſtoli; Qui gloriatur, in Domino glorietur. [Si
,, aut meo ipſius eſſem judicandus examine,
,, aut antè veſtrum tribunal me oporteret ſta-
,, re; jure meo teſtimonio aut veſtris laudibus
,, gloriarer: at cum nec meo nec veſtro, ſed
,, Dei judicio ſim præſentandus; quantæ inſa-
,, niæ eſt, aut in meo, aut in veſtro teſtimonio
,, gloriari?] Verùm de his ſatis. Nam ſequens
liber totam hanc conſiderationem abſolvet.

DE

Digitized by Google

DE OPERUM INTENTIONE

LIBER XXIV.

CAPUT I.

Quatuor in operibus ſpectanda.

Ergò de operibus noſtris dicturus, Paulum monentem ſequar, qui in ep. ad Rom. c. 12. ita operandum tradidit, ut bona ſemper & coram Deo, & coram hominibus provideamus. Providentes, inquit, bona non tantùm coram Deo, ſed etiam coràm omnibus hominibus. Quod exemplo quoque ſuo confirmat in 2. Cor. c. 8. Providemus bona, non tantùm coram Deo, ſed etiam coram omnibus hominibus: ut ſcilicet non ſolùm Deo, ſed omnibus quoquè hominibus probentur opera noſtra, & converſatio noſtra. Quare & in priore ad eoſdem fideles ep. c. 10. hortabatur illos, ut ſine offenſione eſſent Judæis, Gentibus, & Eccleſiæ Dei, ſicut & ego, inquit, per omnia omnibus placeo, non quærens, quod mihi utile eſt, ſed quod multis, ut ſalvi fiant. Sunt enim nonnulli, qui mala occultè, & bona publicè agunt, providentes bona coràm hominibus, non coràm Deo, qui occulta quoque intuetur. Hos S. Greg. Papa in 3. parte paſtor. curæ admon. 36. Sepulchra vocat dealbata, quæ foris videntur ſpecioſa, intùs autem plena ſunt oſſibus mortuorum. Quibus meritò dici poteſt illud Matt. 23. Phariſæe cœce, munda priùs, quod intus eſt calicis, & paropſidis. Alij bona, quæ faciunt, abſcondunt, & occultè faciunt; coram hominibus verò liberiùs vivunt, temerè uſurpantes illud Pauli 1. Cor. 4. Mihi pro minimo eſt, ut à vobis judicer, aut ab humano die; & 2. Cor. 1. Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ: & ad Galatas primo; Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem. Immò & illud Chriſti Domini Matt. 6. Attendite, nè juſtitiam veſtram faciatis coram hominibus. Hi ſanè provident bona coràm Deo, ſed non coram hominibus. Verùm quod ſpectat ad hanc Domini ſententiam, addenda ſunt ea, quæ ſequuntur verba; Ut videamini ab eis. Et omninò hunc locum tractant S. Greg. loco citato, & S. Aug. in pſ. 65. & ſer. 2. de verbis Domini, & tr. 8. in ep. Io. Bona enim, & coram hominibus facienda ſunt, ut videantur ab eis, ſed ad gloriam Dei; ſicut Matt. 5. dicitur; Luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt. Nam & Paulus ad Phil. 4. modeſtiam volens monêre, eam omnibus hominibus notam eſſe voluit; Modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus; quod S. Aug. quoque obſervavit in ep. 159. ad Marcellinum contrà Donatiſtas: & rurſum, non ſunt facienda coram hominibus, ut videantur ad gloriam noſtram. Alioquin mercedem non habebimus apud Patrem noſtrum, qui in cœlis eſt.
„ [Ea, inquit Greg. quæ agimus, & occultanda ſunt, nè ipſi laudemur, & tamen oſtendenda ſunt, ut laudem cœleſtis Patris augeamus.]

Coram Deo igitur duo prorſus providenda erunt. Primùm intentio recta, & pura, quæ illum ſolùm reſpiciat, in ijs omnibus, quæ agimus. Deindè innocens vita, & conſcientia munda. Coram hominibus item duo; bona apud illos fama, & bona exterior ædificatio, bonumque in omnibus rebus exemplum.

CAPUT II.

Actiones ex fine judicantur.

Atque à primo ordientes, illud principiò accipiamus, quod omnes, tum Sancti Patres, ac Theologi, tum etiam Philoſophi docuerunt, qui morum præcepta tradiderunt; Actionum noſtrarum bonitatem moralem ex fine præſertim derivari. Cùm enim ſint actiones liberæ (de his quippè eſt ſermo) ex fine, ad quem referuntur, maximè judicantur. Finis namque optimum quidpiam eſt, quod ijs omnibus, quæ ad ipſum ordinantur, bonitatem poſſit tribuere. Verùm ut duplex finis eſſe poteſt; ita & duplex eſt bonitas. Altera moralis, quæ bonum honeſtum, & rectæ ſolùm rationis ſpectat, quam Philoſophorum quoque actiones habuerunt. Altera ſupernaturalis, & Chriſtianorum propria, qui in Deum ex charitate actiones referunt ſuas, atque hæ ſolæ meritò capaces ſunt, atque fœlicitatis æternæ, ut in libro de fide c. 22. pluribus dictum eſt.

Bonitas operum undè.

Bonitas duplex.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT III.

Actiones ad Deum referendas eſſe.

CÆTERUM eorum opera, qui Chriſti fide ſubnixi, ad æternam beatitudinem aſpirare poſſunt, & debent; ad meliorem omninò finem, hoc eſt ad Deum ipſum referri oportet, ut ad eam aliquando, ipſo benè juvante pervenire poſſint. Non, inquam, gloriam noſtram, aliudvè commodum temporale ſectari, ſed Dei gloriam, & honorem: ut ipſe pòſt laborum noſtrorum merces magna ſit, hoc ſanè multis modis perſuadêre nobis conati ſunt veteres Patres.

1. ex navigantibus. Primùm exemplo navigantium: quippè & nos per hoc mare magnum, & ſpatioſum hujus mundi ad cœleſtem portum, velut patriam navigamus. Ita S. Baſilius in principium proverbiorum ratiocinatur: [Mos eſt naucleris in „ cœlum aſpicere interdiu ſolem, noctu aſtrum „ aliquod ſemper apparens; ita rectam in pe„ lago viam tenent. Tu quoque oculos ad cœ„ lum attollens, juxtà illud, Ad te levavi ocu„ los meos, qui habitas in cœlis; juſtitiæ ſolem „ reſpice, ac velut aſtra ſplendentia, Dei man„ data obſerva.] Et S. Aug. in pſ. 31. [Fac ho„ minem optimè gubernare navim, & perdi„ diſſe, quò tendit. Quid valet, quia antennam „ optimè tenet, optimè movet, dat proram flu„ ctibus, cavet, nè latera infligantur, tantis eſt „ viribus, ut detorqueat navim, quò velit, & „ dicatur ei, uſque quò is? & dicat; Neſcio. „ Nonnè iſte quantò eſt in navi gubernanda „ agilior, & efficacior, tantò periculoſiùs eam „ ſic gubernat, ut ad naufragium properando „ perducat? Talis eſt, qui optimè currit præ„ ter viam. Meliùs erat, ut pigriùs, & imbe„ cilliùs tantam viam ambularet, quàm præter „ viam fortiter curreret.]

2. ex artium Ideis. Secundò artium, & artificum, qui ad imaginem, & ideam animo conceptam omnem ſuam; dum operantur, actionem moderantur, S. Baſilius in regulis fuſiùs diſput. 5. [Nullam „ artem perdiſcere poteris, ſi ea identidem re„ licta, modò ad hanc, modò ad illam tranſeas; „ ſed ſectari oportet, quæ ad illius finem ac„ commodata officia ſunt. Et faber ferrarius, ſi „ aliquod opus faciendum acceperit, aſſiduè „ formam, & magnitudinem illius animo ver„ ſat, & ad ejus voluntatem, qui condixit, „ opus dirigit; alioquin aut aliud quidpiam „ omninò, aut longè diſſimile efficiet, ab eo, „ quod facere inſtituerat. Sic Chriſtianus quo„ que ſi actiones ſuas omnes ad Dei volunta„ tem direxerit &c.] Ita Propheta David pſ. 15. Providebam Dominum in conſpectu meo ſemper. Et Paulus 1. Cor. 10. Sive manducatis, ſive bibitis, ſive aliud quid facitis, omnia ad Dei gloriam facite. Sanctus Job c. 7. aliquando dixit; Elegit ſuſpendium anima mea, & mortem oſſa mea. Quæ verba S. Hier. in commentarium ad cap. 3. lamentationum Ieremiæ Prophetæ ſapienter ad rem præſentem accommodatè interpretatur. [Quid per ani„ mam, inquit, niſi mentis intentio; quid per „ oſſa, niſi carnis fortitudo deſignatur? Omne „ autem. Quod ſuſpenditur, procùl dubio ab „ imis elevatur. Anima ergò ſuſpendium ele„ git, ut oſſa moriantur: quia dum mentis in„ tentio ad alta ſe ſublevat, omnem in ſe for„ titudinem vitæ exterioris necat. Sancti enim „ viri certiſſimè ſciunt, quia habêre in hac vi„ ta requiēm nequaquàm poſſunt, & idcircò „ ſuſpendium eligunt, quia deſideria terrena „ deſerentes ad alta animum tollunt. Suſpen„ ſi autem mortem ſuis oſſibus inferunt, qui „ amore ſupernę patrię in virtutum ſtudijs ac„ cincti, hoc, quo fortes priùs in mundo fue„ rant, vinculo humilitatis inſequuntur.] Hæc ille. Nos paucis dicemus; elegit intentio mea ſuſpendi à rebus omnibus creatis, & quovis humano reſpectu, & Deum ſolum ſpectare, & oſſa mea, hoc eſt quidquid humanum, & terrenum ſperare poteram in me mortuum eſt.

Tertio argumento ex athletis ſumpto, aliiſvè quibuſvis, qui publicè quidpiam multiſque ſpectantibus faciunt. *3. ex athletis.* [Neque enim, ait S. Ba„ ſilius eodem loco, quiſquam eſt, qui ubi ve„ rè præſtantiorem aliquem adeſſe ſibi perſua„ ſerit, eo ſpreto ſe ad minùs præſtantem con„ vertat. Quin contrà potiùs, ſi aliquando in„ ciderit, ut quæ facit ea clarioris illius opi„ nione, ac judicio approbentur, ab altero au„ tem illo reprehendenda videantur; haud du„ biè ille ſpreta inferiori vituperatione, clario„ ris illius approbationem antiquiorem habe„ bit. Si ergò Deum adeſſe nobis perſuaſeri„ mus, hominum exiſtimationem contemne„ mus. Sicut & ille loquebatur pſ. 118. Narra„ verunt mihi iniqui fabulationes, ſed non ut „ lex tua.] S. Io. quoque Chryſ. h. 72. in Matth. eodem utitur argumento. [Si luctas, inquit, „ exercitatorias diſceres, ad quoſnam ſpecta„ res, aut quibus te in paleſtra oſtenderes? Ole„ rane, ac piſces vendentibus, an hujus lucta„ tionis principi, ac magiſtro? Si cæſtibus cer„ tare diſceres, nonnè ſimiliter profeſſorem ejus „ certaminis, ac magiſtrum ſpectares? Si elo„ quentiæ artibus præſtare velles, nonnè ſi à „ præcipuis oratoribus laudareris, multitudinis „ verba contemneres? Quomodo igitur, turpe „ non eſt, in cæteris quidem artificijs, ac cer„ taminibus ad magiſtrum te dumtaxat reſpi„ cere; hâc verò in re contrarium penitùs fa„ cere?] Quare hortatur item h. 31. in Gen. ut ſtudeamus facere, non ad gratiam hominum; ſed ut laudet nos oculus ille, qui numquam dormitat. Et h. 12. in priorem ep. ad Cor. magnoperè dolet; [Hoc omnia pervertit, „ hoc univerſum orbem terræ perturbavit,

Digitized by Google

„ quoniam hominum reſpectu omnia facimus, „ & in bonis operibus nulla nobis cura eſt, ut „ laudatorem Deum habeamus, ſed laudem „ nobis à conſervis noſtris requirimus. In ſce- „ leribus rursùm Deo contempto homines „ formidamus.]

4. ex ſervis Quartò argumentantur ex ſervis, ex quibus duplex planè ducitur argumentum; Alterum quòd ſervi laboribus ſuis omnibus, ac ſudoribus ſolam Domini ſui gratiam quærunt; hanc ſi conſequantur, contenti prorsùs ſunt. S. Chr. h. 2. in Io. [Nonnè hoc ridiculum, inquit, „ & abſurdum, cùm quidquid ſervus operatur, „ ad gloriam & amorem ſui Domini conci- „ liandam faciat; Eoque vidente, & approban- „ te ſervitium ſuum, contentus ſit, neque alio- „ rum laudibus moveatur. Nos cùm tantum, „ tamque ſummum Dominum habeamus, „ alios, qui nos, & opera noſtra videant, & „ probent, diſquirere, maximè cùm nihil no- „ bis utilitatis adferre, ſed tantùm inſpicere „ poſſint, quæ facimus?] Quid verò ſi addatur illud, quod habet S. Greg. h. 9. in Ezech: hanc enim eandem rem tractans; [Stultum, inquit, „ valdè eſt, ſi illis placêre quærimus, quos „ non placêre Deo ſcimus.]

Alterum argumentum eſt, quòd illi dominis ſuis debent, quidquid agunt; noſque contrà juſtitiam peccamus, ſi ad alium finem, quàm ad Deum opera noſtra referamus: Dei namque ſervi ſumus, & quia ab eo creati, & quia redempti. Ita S. Chryſ. h. 2. in ep. ad Philemonem; [Omnia, quæ agimus nos, ve- „ lut debitum Deo tenemur exolvere. Nam ſi „ cùm ſervos pecuniâ emimus, ſemper illos vi- „ vere nobis volumus, & juris noſtri eſſe, quæ „ habuerint, omnia: quantò magis is, qui nos ex „ nihilo condidit, & poſtmodùm proprio rede- „ mit ſanguine?] Hoc nimirùm eodem argumento uſum fuiſſe dixerim Paulum in priore ad Cor. ep. c. 6. cùm dixit; An neſcitis, quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritûs Sancti, qui in vobis eſt, & non eſtis veſtri? Empti enim eſtis pretio magno. Glorificate, & portate Deum in corpore veſtro. Sic, inquam, videtur ratiocinari: Dei eſtis ſervi magno empti pretio. In cunctis igitur operibus, quæ per membra veſtra facitis, illius ſolius gloriam quæratis. Hoc nimirùm erat conſilium Davidis, cùm dixit in pſ. 142. Expandi manus meas ad te. Nam, ut interpretatur S. Greg. in pſ. 7. pœnitentialem, manus opera noſtra ſignificant, & manus ad Deum expandit, qui dum operatur, non hominum laudem, ſed Dei gloriam ſpectat.

5. ex Aſpide ſurda Quintò ex Aſpide ſurda, quam omninò is imitatur, qui terrenum finem operando meditatur. Ad hunc modum monet nos S. Ber. in ſer. 13. in pſalmum: Qui habitat. „ [Aſpis enim unam aurem terræ infigit, alteram caudæ immiſſione obturat, nè audiat. „ Sic iſti non ſolùm terræ inſigunt caput, ſed „ etiam caudâ obturant auditum. Cauda eſt „ finis intentionis humanæ, quâ finem ali- „ quem meditatur, & infigit animo, quod de- „ ſiderat adipiſci.]

Sextò ex funambularijs Caſſianus collat. 23. Abbatis Theonæ c. 9. qui fixos ſemper oculos habent in fune, ſuper quem ambulant. [Sancti, „ inquit, fixam in Deo ſemper habent men- „ tem, funambularijs ſimiles, qui ſalutem ſuam „ in anguſtiſſimo funiculi tramite collocantes; „ atrociſſimam mortem ſe incurſuros non am- „ bigunt, ſi ab eo declinaverint.] 6. ex funambulis.

Septimò ex circuli centro, in quod lineæ omnes ab ambitu terminantur: Sic enim omnes cogitationes, & intentiones noſtræ terminari in ſolum Deum debent. [Sicut fixo „ centro (ratiocinatur idem Caſſian. collat. 24. „ Abbatis Abbrahæ c. 6.) ducitur circulus, & „ centri immobilitas eſt totius ambitus regula: „ ſic ſola Dei Charitas actionum omnium no- „ ſtrarum regula ſit. In centro quieſcit omnis „ omnium linearum ductus; & nos in Deo ſolo „ quieſcere oportet, nihil aliud quærere, nihil „ deſiderare.] S. Aug. lib. 4. de Gen. ad litt. c. 17. vult nos imitari Dei requiem, quâ poſt mundi molitionem, dicitur die ſeptima quieviſſe. [Nos quoque, inquit, hanc Dei requiem „ imitari, & ei ſimiles eſſe debemus; ut ſicut „ ipſe requievit ab omnibus operibus ſuis, quia „ non ei opera ſua, ſed ipſe ſibi bonum eſt, quò „ beatus eſt; ita & nos ab omnibus operibus „ non tantùm noſtris, ſed etiam ipſius, non ni- „ ſi in illo requieturos nos eſſe ſperemus, idque „ deſideremus poſt bona opera noſtra.] 7. ex circulo. Gen. 2.

Octavò ex eo plurimùm argumentantur, & urgent nos, quòd ſi alium præter Deum ſpectemus finem, nullum eſt noſtrorum operum, ac laborum meritum; perit omnis ſudor nobis, nihilque indè pro æterna beatitudine ſperare licet. Hoc non ſemel docuit nos Chriſtus Matt. 5. Nè juſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis, alioquin mercedem non habebitis apud Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt. Et iterùm de jejunantibus hypocritis; Receperunt mercedem ſuam. S. Ambr. lib. 1. off. c. 30. [Affectus tuus nomen im- „ ponit operi tuo quomodo enim à te proficiſ- „ citur, ſic æſtimatur.] Et lib. de Elia & jejunio. „ [Quæ ad oſtentationem fiunt, in futurum „ non extendunt fructum ſuum; ſed præſen- „ tium mercede conſumuntur.] Et S. Aug. ep. 99. ad Evodium. [Bona quævis opera, quando „ non referuntur ad finem rectæ, veræque „ pietatis, ſed ad faſtum inanem humanæ lau- „ dis, & gloriæ; etiam ipſa inaneſcunt quodam- „ modo, ſteriliaque redduntur.] Intentio enim eſt velùt operum noſtrorum facies, in qua niſi Deus ſplendeat, à Deo prorsùs non agnoſcuntur: 8. ex operum merito. Intentio facies principis.

Digitized by Google

cuntur: quodque in monetis eſt facies princi-
pis,hoc in operibus eſt intentio.[Ideò ex men-
,, tis intentione,ait S.Ber.ſer.40.inCant.recti-
,, tudo operis,ſicut ex facie pulchritudo corpo-
,, ris æſtimatur.] Et quod Paulus ſcribit in po-
ſteriore ad Cor. ep.c.1. Ut ex multarum per-
ſonis facierum per multos gratiæ agantur; ita
expoſuit S. Anſel. ut perſonæ ſint ſanctæ apud
Deum honorabiles, & acceptabiles: [Qui
,, ſunt multarum facierum, quia in interiori
,, homine habet unuſquiſque ſuam faciem, per
,, quam à Deo cognoſcitur, id eſt intentio-
,, nem benè agendi.] Et confirmat illud Sancti
Gregorij Papæ libro 10. moral. c. 11. [Inter-
,, na facies mens eſt; in qua nimirùm reco-
,, gnoſcimur, ut ab autore noſtro diligamur.]
,, [Nulla autem eſt, inquit idem lib. 4. in. 1.
,, Reg.c.4.lux operis, quam non præcedit re-
,, ctitudo intentionis.] Et in pſal. ſeptimum
pœnitentialem. [In eo opus bonum Deo ac-
,, ceptum efficitur,ſi ex virtute operis non ſer-
,, vi, ſed Domini nomen glorificatur.] Hinc
eſt,quòd Gen.4.Reſpexiſſe priùs dicitur Deus
ad Abel, quàm ad munera ejus, quia ut loqui-
tur idem S.Greg. libro 22.mor.c.8. [Ex dan-
,, tis corde id, quod datur, accipitur. Idcircò
,, non Abel ex munere, ſed ex Abel munera
,, placuerunt.] Et S. Chryſ. h. 18. in Gen.
de his ſacrificijs Cain, & Abel loquens,
,, [Dominus, inquit, noſter varietatem perſo-
,, narum ignorat; ſed à voluntate examinans,
,, mentem, & intentionem coronat.] Et h.
27. [Bonus Dominus non conſuevit attende-
,, re ad ea, quæ à nobis fiunt; ſed ad internam
,, mentem, à qua, ut hæc faciamus, impelli-
,, mur; & ad hanc ſpectans, vel approbat ea,
,, quæ à nobis fiunt, vel averſatur.] Et h. 72.
ad populum; [Nulla erit nobis utilitas, ſive je-
,, junemus, ſive oremus, ſive miſericordiam
,, præſtemus, ſive quidlibet aliud faciamus,ni-
,, ſi propter illum ſolum fiat,qui novit abſcon-
,, dita,& in mentis noſtræ profundo repoſita.]
,, [Mens enim,hoc eſt intentio,inquit idem h.
,, 5. in epiſt. ad Rom. reproba cùm ſemel fa-
,, cta fuerit, neceſſariò fit, ut omnia diſtrahan-
,, tur, & ſubvertantur; nimirùm aurigâ jam
,, corrupto.] Propterea S.Aug. tract.9 in Io.
intentionem voluit eſſe veſtem nuptialem, ſi-
ne qua nullus ad cœleſtes admittitur nuptias.
,, [Qui non quærit, inquit,gloriam Chriſti,ſed
,, ſuam, non habet veſtem nuptialem, & pro-
,, ijcitur ex nuptijs.] [Neque enim,ut habet S.
,, Chryſ. h.16. in epiſtolam ad Rom. operum
,, ſolùm probationem quærit Deus, ſed & vo-
,, luntatis nobilitatem, & probam, gratamque
,, mentem.] Quæ ſi deſit nobis, non ſolùm
nulla nobis repoſita eſt merces, ſed & ſuppli-
cium, ut idem ſcribit in h. 2. in Epiſtolam ad
Philip. Præſtatque ut ad Vitalianum filiorum
nomine ſcribit S.Greg.Nazian.Deo cum exi-

Intentio veſtis nuptialis.

guo munere victimam cordis offerre, quàm
cum impuro, ac ſordido animo Sacrificijs om-
nibus eum honorare. Chriſtus Matt. 6.de lar-
gitione eleëmoſynæ præcipiens dixit; Neſciat
ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua: quod S.
Aug. ſer. 59. de tempore, & Euſeb. Emiſſ. h.
in feria 6. poſt cineres, ita accipi voluerunt;
ut dextera ſit amor Dei, ſiniſtra vanitas mun-
di, & laudis, & quod facit amor Dei, hoc eſt
opera noſtra bona, non corrumpat vanitas
mundi, & humanæ laudis. Et universè opera
bona, vel mala ex intentione noſtra judicari,
copiosè tractat Theodoretus in illa Oſeë
Prophetæ verba; Dixit Dominus, voca no-
men ejus Jezraël.

Immò veritatem hanc Ethnici quoque Phi-
loſophi cognoverunt: Inter quos Plato in Al-
cibiade ſecundo ſcriptum reliquit; Grave eſ-
ſet, ſi Deus ad donaria, & ſacrificia noſtra re-
ſpiceret potiùs, quàm ad animum, utrùm ju-
ſtus, ſanctuſque ſit. Origenes autem h. 7. in
Exodum accommodatè ſatis obſervat illud,
quod de manna legimus. [Pro Sabbato enim
,, tantùm permittebantur filij Iſraël recondere
,, manna; alijs autem diebus ſervatum corrup-
,, tum eſt, & ebullierunt vermes. Et tu ſi
,, propter præſentem vitam operaris, & the-
,, ſaurizas,continuò vermes ebulliunt; ſi prop-
,, ter vitam æternam, quam ſignificat Sabba-
,, tum conſervatur.] Obſervat etiam Philo Ju-
dæus q. 77. in Gen. Eſcas, quas morituro pa-
tri duo parârunt filij Gen.27. [Etenim Jacob
,, feciſſe dicitur eſcas, ſicut amabat pater;
,, Eſau autem feciſſe tantùm eſcas, & obtuliſſe
,, patri,& ſiletur, quod placerent: quia ſimilia
,, ſtudioſis agere pravi machinantur; ſed odio
,, digna ſunt, dum non puro conſilio obſecun-
,, dant.] Et in libro de Cherubin & flammeo
gladio,adferens illud Deut. c.16. Juſtè perſe-
queris, quod juſtum eſt; quaſi etiam,addit,in-
juſtè proferatur ſententia, ſi bonus animus non
adſit judici. [Ideò de muliere adulterij ſuſpe-
,, cta ſtatuet, inquit, ſacerdos mulierem con-
,, trà Dominum, & reteget caput ejus, id eſt
,, animam, opuſve noſtrum ſtatuet coràm Do-
,, mino revelato capite, hoc eſt intentione, ut
,, in conſpectu acerrimi judicis incorrupti exa-
,, minetur.] Et S.Chryſ. h. 9. operis imperfe-
,, cti; [Eſt interdùm, inquit, facere bonum, &
,, non cogitare,qui non propter Deum faciunt
,, bonum,& tale bonum non remunerat Deus,
,, quia non remuneratur à Deo bonum, quod
,, fit, ſed quod benè fit. Qui autem propter
,, Deum facit bonum, ſine dubio cogitat bo-
,, num.] Et Theodor. q. 16. in Deut. illa ipſa
tractans verba. [Juſtè, inquit, perſequeris,
,, quod juſtum eſt, hoc eſt juxtà viri juſti in-
,, tentionem, non ob vanam gloriam, neque
,, propter humanum aliquod emolumentum,
,, ſed ipſius boni gratiâ.] Ac demùm S. Greg.

Digitized by Google

lib. 9. mor. c. 13. [Injuſtè quod juſtum eſt „ exequitur, qui ad defenſionem juſtitiæ non „ virtutis æmulatione, ſed amore præmij tem„ poralis excitatur, qui ipſam, quam præten„ dit, juſtitiam venundare non veretur; juſtè „ ergò juſtum exequi, eſt in aſſertione juſti„ tiæ eandem ipſam juſtitiam quærere.]

CAPUT IV.

Idem rurſum oſtenditur.

Ex. 17. HOc Origeni h. 11. in Exodum elevatio ſignificavit manuum Moyſi, dum pugnaret Iſraël contrà Amalec. [Hoc enim, inquit, „ eſt opera, & actus elevare ad Deum, & non „ habêre actus deorſum dejectos, & humi ja„ centes, ſed ad Deum erectos. Dum ſcilicet in „ præſenti vita contrà Diabolum, & hoſtes no„ ſtros pugnamus.] Hoc S. Greg. Nyſſeno h. 14. in Cant. habêre manus tornatiles, quemad-
Cant 5. modùm de ſponſa dicitur. [Laus enim manus „ eſt, ut ſit capiti ſimilis puritate. Fit autem „ pura, cùm tornando totum illud abraditur, „ quod elegantiæ impedimento eſt, ſtudium „ placendi hominibus, ambitio, avaritia, & ſi„ milia cætera. Hoc eſt etiam habêre ventrem „ eburneum, propter cordis puritatem; diſtin„ ctum ſaphiris, quorum color eſt cæruleus: „ quia cor noſtrum ſursùm cœleſtia, & Deum „ debet reſpicere] S. item Greg. Papa lib. 1. regiſtri c. 24. Deum ſcribit propterea voluiſſe
Ex. 28. in veteris ſacerdotis ſuperhumerali hyacinthum poni. [Sacerdotis, ait, ſuperhumerale ex „ auro, hyacintho, purpura, coccoque bis tin„ cto fieri præcipitur, ut quanta ſacerdos vir„ tute clareſcere debeat, demonſtraretur. Au„ rum enim intellectum ſapientiæ ſignificat, „ cui hyacinthus aërei coloris adjungitur, ut „ per omne, quod intelligit, non ad favores in„ fimos, ſed ad amorem cœleſtium ſurgat: nè „ dum in ſuis incautus laudibus capitur, ipſo „ etiam veritatis intellectu vacuetur. Purpura „ quoque permiſcetur, ut ſacerdotale cor ſug„ geſtiones vitiorum reprimat, eiſque veluti „ regia poteſtate contradicat. Coccus denique „ bis tinctus adjungitur, ut antè interni judi„ cis oculos omnia virtutum opera ex charitate „ decorentur, & cuncta, quæ coram homini„ bus rutilant, hæc in conſpectu occulti arbitri „ flamma intimi amoris accendat.] Addit Euſebius Emiſſenus h. in feria tertia poſt ſecundam dominicam quadrag. Ideò in veſtibus quoque juſſiſſe Deum filijs Iſraël, ut in angulis palliorum facerent fimbrias, & in eis ponerent vittas hyacinthinas: [Fimbriæ namque „ ſunt legis mandata, & vittæ hyacinthinæ co„ gitationes ſanctæ, quæ ab omni vanitate ocu„ los avertant, & totam mentem ad cœleſtia „ dirigant.] Et h. in feria ſexta poſt cineres. „ [Qui ideò facit, ut videatur ab hominibus, „ non juſtitiæ mercedem quærit, ſed homi„ num laudem, & vanam gloriam, populique „ favorem. Ideò non habet mercedem apud „ Deum, quoniam vanam mercedem laudis „ ſuſcipit apud homines.]

Hinc eſt, quod idem illi Patres conſtanter affirmant: Nos cùm propter alium finem quàm propter Deum, operamur, rem valdè pretioſam vili pretio dare. Aut, inquam, æternum præmium, & cœleſtem gloriam, quam ijſdem illis actionibus comparare nobis poteramus, pro temporali, ac momentaneo laudis humanæ, aut alterius leviſſimæ rei: aut magnos corporis labores, & cruciatus pro leviſſima, & inani apud homines gloriola.

Priorem ſententiam apud S. Gregorium Papam reperies in 3. parte paſtor. curæ admon. 36. ubi ſic loquitur: [Cùm pro recto opere „ laus tranſitoria quæritur, æterna retribu„ tione res digna vili pretio venundatur.] Et lib. 8. mor. c. 25. [Qui pro virtute, quam agit, „ humanos favores deſiderat, rem magni me„ riti vili pretio venalem portat. Undè enim „ cœli regnum mereri potuit, indè nummum „ tranſitorij ſermonis quærit.] Quocircà hos addit perſimiles eſſe fœcundis, ſed neglectis vitibus, quæ per ubertatem fructum proferunt, ſed nequaquam, per ſtudium à terra ſublevantur, quodque pingues palmites generant, errantes beſtiæ conculcant. Hypocritarum enim opera dum clara monſtrantur, quaſi pinguia prodeunt; ſed dum humanas laudes appetunt, quaſi in terra deſeruntur. Quæ hujus mundi beſtiæ, maligni ſpiritus comedunt, quia ad uſum perditionis inflectunt. Undè Oſ. 8. Culmus ſtans non eſt in eo, germen non faciet farinam: quòd etſi fecerit, alieni comedent eam.

Poſteriorem autem, apud eundem h. 21. in Ezech. cùm ait; [De prædicationis labore lau„ dem tranſitoriam quærere, quid eſt aliud, „ quàm rem magnam vili pretio venundare?] Et Emiſſenus h. in Dominica 11. poſt Pent. loquens de Phariſæo jactante ſeſe in templo; Jejuno bis in Sabbato &c. [Stultus, inquit, „ qui pro tanto, talique ſervitio nihil niſi va„ nam gloriam pro mercede recipit.] Et S. Joannes Damaſcenus in hiſtoria Barlaäm c. 12. [Qui religioſa exercitia humanæ laudis „ causâ faciunt, duplici detrimento afficiuntur, „ dum corpus conficiunt, nec tamen merce„ dem ullam ferunt.] S. Gregorius Papa lib. 8. mor. c. 26. hoſce homines Simoni comparat Cyrenæo: [Qui propter externam, in„ quit, hominum laudem laborant, ſimiles ſunt „ Simoni Cyrenæo, quem angariaverunt Judæi, Matt. 27.
„ ut tolleret Crucem poſt Ieſum. Quod enim „ per angariam agimus, non hoc ex ſtudio a„ moris operamur. Crucem ergò Jeſu in anga„ ria portare, eſt afflictionem pro alia, quàm neceſſe

Digitized by Google

„ neceſſe eſt intentione tolerare. Undè & Si„ mon Crucem portat, ſed non moritur, quia „ omnis hypocrita corpus quidem per abſti„ nentiam afficit,ſed tamen per amorem gloriç „ mundo vivit.] Idem habet S. Anſel.in Com. 10.in cap.5.epiſtolæ ad Gal. [Qui,inquit,cor„ pus macerat, & honoribus anhelat, carnem „ cruci intulit, ſed mundo per concupiſcen„ tiam vivit.]

Illud verò magnoperè intelligendum eſt; Nos ſi ad alium finem, quàm ad Deum,actiones noſtras referamus, minùs omninò fideles illi ſervos eſſe, qui non illi tribuamus, quod debemus. S. Greg. in tertia parte paſtor. curæ admon. 25. propoſitis Salomonis verbis Prov. 16. Abominatio Domini eſt omnis arrogans, rationem illorum ita exponit. [Quia „ dum in verbo Dei (loquitur de prædicatori„ bus) laudem, & gloriam propriam quærit, „ jus dantis invadit, eumque laudi ſuæ poſtpo„ nere nequaquam metuit, à quo hoc ipſum, „ quod laudatur, accepit.] Jtaque ſubjungit illud Prov. 5. iiſdem prædicatoribus dictum. Deriventur fontes tui foras, & in plateis aquas divide; exteriùs ſcilicet alijs vim prædicationis infunde. Et quia plerumque inanis gloriæ appetitus ſubrepit; rectè ſubjungitur; Habeto eas ſolus, nec ſint alieni participes tui: hoc eſt ſic prædicationi exteriùs ſervias, quatenus per elationem te immundis ſpiritibus non conjungas, nec in divini verbi miniſterio hoſtes tuos ad te participes admittas. Aquas ergò & in plateis dividimus, & tamen ſoli poſſidemus, quando & exteriùs latè prædicationem fundimus, & tamen per eam humanas laudes aſſequi minimè ambimus.

Hùc ſpectat illud Matt. 24. Fidelis ſervus, & prudens; quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam. Fidelis enim Deo eſſe debet, prudens hominibus, ut interpretatus eſt S. Chryſ. h. 51. operis imperfecti; Fidelis Deo, illius gloriam modis omnibus procurando, illamque ſolam ſpectando: Prudens hominibus, debitam ſingulis, & convenientem navando operam. Fideles prorsùs fuerunt Gedëonis milites Jud. 7. Cùm ſtrenuè, ac fortiter pugnantes clamaverunt; Domino, & Gedëoni; Gladius Domini, & Gedëonis: non ſibi, ſed Deo, & Gedëoni victoriæ gloriam attribuendo. Fidelis Davidi Joab,2.Reg.c.12. qui cùm pugnaret contrà Rabbath filiorum Ammon, & expugnaret eam, miſit nuntios ad David dicens: Dimicavi adversùs Rabbath, & capienda eſt urbs aquarum. Nunc igitur congrega reliquam partem populi, & obſide civitatem, & cape eam, nè cum, à me vaſtata fuerit, nomini meo adſcribatur victoria. Fidelis Moyſes, qui in deſerto rogabat Deum, nè rebellem populum puniret, Ex. 32. non de ſe, ſed de divino honore ſollicitus, aiebat enim; Domine, conſule nomini tuo: Nè quæſo dicant Ægyptij, callidè eduxit eos, ut interficeret in montibus, & deleret è terra. Fidelis David, qui, cum perſequeretur illum Saül, orabat Deum pſ. 68. Non erubeſcant in me, qui expectant te Domine virtutum, perindè acſi diceret; Non curo me ipſum, ſed de tua gloria ſum ſollicitus; Nè fortè dicant; En quomodò tractat eos, qui ſerviunt illi; atque in eum ſperant.

Meritò de illo dicitur Eccleſ. 47. Quaſi adeps ſeparatus à carne, ſic David à filijs Iſraël. Etenim hoſtia pacifica ita dividebatur, ut pars ejus Sacerdoti cederet, pars offerenti daretur, adeps totus Domino adoleretur. Sanè operum noſtrorum adeps eſt intentio; quare illa ita tripartitò dividenda ſunt, ut labor omnis noſter in proximorum utilitatem, ac bonum cedat, meritum ſit noſtrum, & intentio tota ſolius Dei ſpectet gloriam; quaſi adeps ſeparatus à carne, reque omni terrena, & humana. Fidelis Job, qui de ſe ipſo dicebat c. 31. Si vidi ſolem cùm fulgeret, & lunam incedentem clarè: bonum videlicet opus meum, cùm ab hominibus miris laudibus probaretur. Et rurſum: Si oſculatus ſum manum meam ore meo, hoc eſt, ſi laudem, & gloriam operum manuum mearum mihi ipſi uſurpavi, & non magis ad autorem Deum retuli. Sic enim S. Greg. expoſuit libro 22. cap. 4. & 5. tametſi non ignorem litteralem ſenſum eſſe de idololatria, in qua idoli manum oſculabantur. Fidelis denique Joſeph Gen. 39. Qui Domini ſui uxorem ſollicitatus tangere recuſavit, quod multis perſequitur S. Ber. in ſer. 13.in Can. cujus verba recitata ſunt in ſuperiori libro, de vana gloria c. 6. Fidelitatem hanc optimorum ſervorum jure optimo miramur, & extollimus. Nam & multò antè admirabatur Job c. 38. cùm dicebat Deo; Nunquid mittes fulgura, & ibunt, & revertentia dicent tibi, Adſumus? Quod præclarè de prædicatoribus interpretatur S. Greg. lib. 30.c.2. „ [Vadunt enim fulgura, cùm prædicatores „ miraculis corruſcant. Revertentia verò di„ cunt, Adſumus; cùm non ſibi, ſed Dei viri„ bus tribuunt, quidquid ſe fortiter egiſſe co„ gnoſcunt.] Et adfert fidelem Petrum Act. 3. qui cùm paralyticum ſanâſſet, & turbam cerneret admirantem; Deo, non ſibi gloriam tribuens, dixit; Viri Iſraëlitæ, quid admiramini in hoc, aut nos quid intuemini, quaſi noſtra virtute, aut poteſtate fecerimus hunc ambulare? Deus Abraham, Deus Iſaäc, & Deus Jacob, Deus patrum noſtrorum glorificavit filium ſuum Jeſum. Et quis unquam parieti credat, ſi dicat, ſe parturire radium, quem per feneſtram ſuſcepit? Non eſt laus calami, aut pennicilli ſcriptura laudabilis, aut pictura, neque linguæ, labiorumve gloria ſermo bo-

nus, aut elegans. Iſ. c. 10. Numquid gloriabitur ſecuris contrà eum, à quo trahitur? Si elevetur virga contrà elevantem ſe, & exaltetur baculus, qui utique lignum eſt. 2. Cor. 1. Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ. Alioquin gloria in confuſione ipſorum, qui terrena ſapiunt. Quia pſ. 52. Qui hominibus placent, confuſi ſunt; quoniam Deus ſprevit eos. [Talentum creditum repe- „ tendum eſt cum uſura, ait S. Ber. Undè er- „ gò gloriaris?]

Sampſonis exemplum proponit nobis S. Ambr. in Ep. 70. ad Vigilium: Deus enim gratiarum actionem à nobis requirit, & gloriam. Ideò cùm Sampſon victoriam de Philiſtæis reportatam ſibi tribueret, dicens; In maxilla aſini delevi mille viros; Deus immiſit illi tantam ſitim, ut Deum cogeretur invocare. *Iudic. 15.*

CAPUT V.

Actio bona, & intentio bona.

DUo igitur omninò adeſſe oportet; actionem bonam, & intentionem rectam, & puram. Magni intereſt loquitur S. Auguſt. conc. 12. in pſ. 118. dum interpretatur illud: Averte oculos meos, nè videant vanitatem: „ [Magni, inquam, intereſt, cùm aliquid boni „ facimus, cujus rei contemplatione faciamus: „ Officium quippè noſtrum non initio, ſed fi- „ ne penſandum eſt, ut ſcilicet non tantùm ſi „ bonum eſt, quod facimus, ſed præcipuè, ſi bo- „ num eſt, propter quod facimus, cogitemus. „ Hos oculos, quibus contemplamur, quare fa- „ ciamus, quod facimus, averti poſcit Prophe- „ ta, nè videant vanitatem. In qua vanitate „ præcipuum locum obtinet amor laudis hu- „ manæ, & quæ ſeq.] Et S. Bern. in tract. de præcepto, & diſpenſat. bonum opus docet, eſſe veluti corpus, veluti os, veluti monetam, quâ emendum eſt cœlum, & intentionem bonam, veluti animam, veluti medullam, velut monetæ valorem. [Ut interior, inquit, ocu- „ lus verè ſimplex ſit, duo illi arbitror eſſe ne- „ ceſſaria, charitatem in intentione, & in ele- „ ctione veritatem: nam ſi bonum eligat, ſed „ verum non eligat, habet quidem zelum Dei, „ ſed non ſecundùm ſcientiam.] Abſtinentis exemplum proponit Orig. lib. 8. in epiſt. ad Rom. in c. 10. [Abſtinens enim dici poteſt, ſed „ non ſecundùm ſcientiam, qui propterea je- „ junat, ut hominibus placeat. Sic neque ocu- „ lum duo è regione mala conſtituunt, cœci- „ tas, quâ fit, ut veritatem non agnoſcat, & „ perverſitas, quâ fit, ut diligat iniquitatem.] Ita ex utraque parte pulchra eſt animæ facies. Nam cùm ſponſus Cant. 1. dixiſſet ſponſæ, Pulchræ ſunt genæ tuæ; S. Ber. ſer. 40. opus, & intentionem genas interpretatus eſt. [Inten- „ tio, inquit, eſt animæ facies: ſed ſponſus lau- „ dans pulchritudinem Sponſæ non dixit; Pul- „ chra eſt facies tua, ſed Pulchræ ſunt genæ „ tuæ. Quia in intentione, quæ eſt facies ani- „ mæ, duo ſunt neceſſaria; Res, & Cauſa; id „ quod intendis, & propter quid: & ex his „ duobus animæ vel decor, vel deformitas ju- „ dicatur. Si alterum deſit, habet unam genam „ formoſam, alteram deformem. Si utrumque „ adſit, illi meritò dicitur: Pulchræ ſunt genæ „ tuæ ſicut turturis.] In tractatu tamen de gratia, & libero arbitrio, tria omninò commemorat; Rectitudinem intentionis, puritatem affectionis, recordationem bonæ operationis. Sed puritatem affectionis opinor anteà cum intentionis rectitudine fuiſſe comprehenſam. Hoc demùm eſt verum Sacrificium Deo offerendum, ut placuit S. Aug. lib. 10. de civit. Dei c. 6. opus ſcilicet bonum relatum ad Deum. Quocircà quod in veteri templo legimus duo fuiſſe altaria, unum foris ad animalium ſacrificia, alterum intùs, in quo offerebatur thymiama: ita idem Aug. interpretatus eſt in ſer. 255. de tempore, ut in nobis quoque eſſe debeant, bonum opus exteriùs, & interior cogitatio ſancta, & intentio pura divinę glorię.

Et omninò quantam vim habeat intentio noſtra declaravit Tertull. in lib. de corona militis c. 10. ut ſibi quoque licère dixerit animalia mactare, aut aliquid ſimile agere, aliâ tamen, quàm idololatrandi intentione. [Sub- „ ſtantiæ enim mundæ ſunt, ut Dei res, & hâc „ ſuâ conditione communes uſui: ſed ipſius „ uſus adminiſtratio intereſt. Nam & ego mihi „ gallinaceum macto, non minùs quàm Æſcu- „ lapio Socrates; etſi me odor alicujus loci of- „ fenderit, Arabiæ aliquid incendo: ſed non eo- „ dem ritu, nec eodem habitu, nec eodem ap- „ paratu, quo agitur apud idola.] Et rurſum in lib. de Idololat. c. 16. [Si propter ſacrificium „ vocatus aſſiſtam, ero particeps idololatriæ: ſi „ me alia cauſa conjungit ſacrificanti, ero tan- „ tùm ſpectator ſacrificij.] Et S. quoque Aug. in ep. 48. ad Vincentium, bonos, & malos verè oſtendit eadem facere, & pati poſſe, ſed propter diverſas cauſas, eorumque opera fine ſeparari. Nam & ceciderunt Judæi Paulum Apoſtolum, & Græci pro Paulo Apoſtolo Soſthenem Judæum. Similitudo facti quaſi utroſque conjungit, & tamen eos cauſæ diſſimilitudo disjungit.

S. Ambr. lib. 1. de Abel & Cain c. 1. Evam obſervat duos peperiſſe filios; Cain, qui acquiſitionem ſignificat, quòd omnia ſibi acquireret; & Abel, qui omnia Deo tribuebat. Sicque animam noſtram duas producere ſectas, ſeu duo hominum genera ſignificari, quorum unum ſibi totum tribuit, ſuamque in actionibus omnibus gloriam quærit; alterum omnia *Gen. 4.*

in

Digitized by Google

in Deum refert, ſolamque illius gloriam ſpectat. Et Rebecca duos filios, quaſi duas gentes in utero pugnantes ſenſit, pro gloria ſcilicet aut ſui, aut Dei.

Sed ſi omnia quæcumque habemus; à Deo habemus, omnia in illum per puram intentionem referre debemus. Cant. 2. dicebat ſponſa; Revertere; ſimilis eſto dilecte mi capreæ, hinnuloque cervorum ſuper montes Bethel. Bethel eſt domus Dei, & montes domûs Dei ſunt Angelorum chori, ſuper quos omnes quærendus eſt Deus. Undè etiam Anna in 1. lib. Reg. c. 2. Exaltatum eſt, inquiebat, cornu meum in Deo meo. [In cornu enim (interpretatur S. Greg. lib. 2. in primum Reg. c. 1.) electæ mentis intentio deſignatur, quæ mirabiliter extollitur, cùm ad Deum pervenit, qui ſuprà univerſa conſiſtit. Qui enim tranſeuntia bona diligit, hujus profectò intentio depreſſa non exaltata eſt; quia in imo figitur, ubi per deſiderium locatur.] Sed Eccleſiaſtis 2. oculi ſapientis in capite ejus eſſe dicuntur, hoc eſt in Deo, vel in Chriſto; ut vult S. Hier. in extrema expoſitione epiſtolæ ad Galatas: quia omnis viri caput Chriſtus, 1. Cor. 11. [Omnis ergò, inquit, ſenſus, mens, cogitatio, ſermo, conſilium, ſi ſapientes fuerimus, in Chriſto ſint.] Et David pſ. 24. Oculi mei ſemper ad Dominum, hoc eſt, intentio mea, quippè ut naturalis vita in unione conſiſtit animæ cum corpore, & operationibus, quæ ab illa prodeunt; ita & divina, & ſupernaturalis in unione animæ cum Deo, & actionibus indè procedentibus. Hoc veteribus ſignificatum in circumciſione fuiſſe putavit S. Hier. vel quiſquis fuit author epiſtolæ de vera circumciſione ad Theraſiam, quæ inter Hieronymi opera legitur: [Circumciſionem enim Deus in occulto, ac ſecreto membro inſtituit, nè juſtitiam noſtram faciamus coram hominibus, ſed coram eo ſolo, cui nihil eſt occultum.] Neque ſine cauſa ſtatuiſſe Deum armum dextrum hirci offerri, ſenſit Theodoretus q. 61. in Exodum; ſed innuiſſe virtutem activam tanquam dextram, & optimam Deo eſſe offerendam. Et S. Greg. Papa libro 4. regiſtri c. 81. Siniſtrum quoque à nobis poſtulat. Terrena enim opera quoque ad Deum referre, docet eſſe ſiniſtrâ manu, perindè ac dexterâ uti. [In libris, inquit, Regum (lapſus memoriæ videtur Greg. nam hoc in libro Judicum legitur c. 3.) quidam deſcribitur, qui utraque manu pro dextrâ utebatur. Et Anaſtaſius dum terrena opera ad cœleſtem utilitatem pertrahit; in uſum dextræ ſiniſtram vertit, ut cœleſtis intentio opus ſuum dextra peragat, & cura temporalium, dum ad juſtitiæ utilitatem ducitur, ad fortitudinem dextræ ſiniſtra permutetur.]

Sed heu! quàm pauci ſunt, qui hoc faciant? Quàm pauci, qui omnia intentione pura propter Deum operentur? Quàm pauci, qui cum boni operis tritico vanæ intentionis paleam non admittant? Luc. 22. Expetivit Satanas, ut cribraret vos ſicut triticum. Ut ſcilicet cadat triticum meriti ex bona intentione veſtrorum operum, & vobis palea tantùm vanitatis temporalis, atque humanæ laudis remaneat. Undè Job c. 21. Erunt ſicut paleæ à vento, quæ ſtatim vel minimo vento elevantur, & abripiuntur: & ſic perit meritum actionum noſtrarum.

Propterea idem ipſe Job c. 9. verebatur omnia opera ſua, nè ſcilicet à diſtricto judice examinata invenirentur palea, non triticum. Deus enim, ut loquitur Paulus ad Hebræos 4. diſcretor eſt cogitationum, & intentionum cordis, compagum quoque, ac medullarum. Compages namque interpretatione Sancti Gregorij h. 21. in Ezech. ſunt cogitationes, quæ opera operibus, velut oſſibus oſſa, conjungunt. Oſſium autem medulla eſt operum intentio, quam diabolus, velut aquila grandis magnarum alarum, quam Ezechiel c. 17. vidit, devorare ſatagit, ut abſque medulla meriti oſſa inveniantur noſtra. Quare & David dolens dicebat pſ. 101. Oſſa mea ſicut cremium aruerunt.

S. Greg. Nyſſenus in ep. ad Harmonium, de perfectione Chriſtiana, ut opera noſtra ſint perfecta, vult nos imitari Deum. Imitamur autem, ſi ab omni vitioſitate, & malitia, quoad fieri poſſit, alienæ ſint actiones noſtræ, noſque ab omnibus inquinationibus, tum opere, & ſermone, tum mente, & intentione, vacui ſimus. Et rursùm de perfecti hominis forma ad Olympium monachum ſcribens; [Tria, inquit, ſunt, quæ Chriſtiani vitam declarant, Actio, Sermo, Cogitatio. Opus enim eſt, ut omnia noſtra ad divinam regulam dirigantur. Nam ut quidquid ex fide non eſt, Paulus peccatum dicit, ita nos affirmare poſſumus, quæcumque non reſpiciunt Chriſtum, illa omnia ad id omninò ſpectare, quod Chriſto contrarium eſt.] Vir igitur Chriſtianus illud ſemper uſurpare debet; Deus meus & omnia; quidquid extrà Deum eſt, nihil ad me. Tu es Domine ſpes mea. [Hæc una, inquit S. Ber. in ſer. 9. in pſ. Qui habitat, mihi omnium promiſſionum cauſa, hæc tota ratio meæ expectationis. Prætendat alius meritum, ſuſtinere ſe jactat pondus diei, & æſtus, jejunare bis in Sabbato dicat, poſtremò non eſſe ſicut cæteros glorietur; mihi adhærere Deo, bonum eſt, ponere in Deo ſpem meam.]

Perfectionis ratio.

Quod in prima Petri Epiſtola c. 3. nos legimus; In fide omnes unanimes; alij legunt, In fine omnes unanimes: quoniam in bonis operibus eundem omnes finem ſolius divinæ gloriæ habere debemus. Ita interpretatione

Digitized by Google

ne Sancti Gregorij lib. 1. in primum Regum c. 1. de primis Christianis legimus Act. 4. Credentium erat cor unum, quia per intentionem rationis ſolum conditorem aſpexerant. Et anima una, quia per affectionem amoris ſolam ejus faciem vidêre deſiderabant. In Hæbraico alphabeto littera Thau eſt ultima, & ideò finem ſignificat; ſicut & apud Græcos ω, quemadmodum in Apoc. c. 1. dicitur. Ego ſum α & ω, principium, & finis. Undè Ezec. 9. viro, qui attramentum ſcriptoris habebat in lumbis ſuis, dixit Dominus; Tranſi per mediam civitatem, & ſigna Thau ſuper frontes virorum gementium, & dolentium ſuper cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio ejus. Et quotquot ſignati fuerunt, non ſunt percuſſi. Eandemque viſionem vidit Joannes Apoc. 7. audivit enim Angelum clamantem; Nolite nocêre terræ, & mari, neque arboribus, quoad uſque ſignemus ſervos Dei noſtri in frontibus eorum. Habêre autem juſtos ſignum Thau in frontibus ſuis, quid eſt niſi eos in cunctis actionibus ſuis habêre intentionem, & finem Deum, hocque ſigno univerſa eorum opera eſſe ſignata? Et S. Auguſtinus in pſ. 54. cùm pſalmum inſcriptum legeret; In finem; [Intentio, inquit, dirigatur in finem, „ dirigatur in Chriſtum.] Et ſtatim exponit, quomodo Chriſtus dicatur finis noſter. Quoniam, inquam, quidquid agimus, ad illum referimus. Dicitur namque finis, qui conſumit, & finis, qui perficit. Aliter enim dicitur finitus cibus, qui manducabatur, & aliter finita veſtis, quæ texebatur. Cibus ut jam non ſit veſtis, ut perfecta ſit. Finis ergò noſter perfectio noſtra eſſe debet, & perfectio noſtra Chriſtus eſt. Et iterùm in pſalmum 65. exponens illa verba; Pſallite nomini ejus, date gloriam laudi ejus. [Finem, inquit, attende, „ in finem canta, quo fine facias, vide. Pſallite, „ non nomini veſtro, ſed nomini Domini Dei „ veſtri. Date gloriam laudi ejus totam intentionem noſtram in laudem Dei mittit; nihil „ nobis relinquit, undè laudemur.] Et Conc. 12. in pſ. 118. Averte oculos meos, nè videant vanitatem, id eſt, nè hanc attendam, nè propter hanc faciam, cùm boni aliquid facio. [Non „ ſit finis noſtri boni operis in laudibus hominum, ſed ipſas laudes hominum corrigamus, „ & ad Dei laudes omnia referamus, à quo „ nobis datur, quidquid ſine laudantis errore „ laudatur.] Statua, quam vidit Nabuchodonoſor Dan 12. caput habebat aureum; ſed quia pedes erant ex terra fictiles, in pedibus percuſſa comminuta eſt. Sic opera noſtra ſæpè videntur eſſe præclara, & velut aurea: at ſi

Thau littera

terrea ſit intentio, reſque caducas ſpectet, perit omnis laborum noſtrorum fructus. Navim gubernator gubernat ex puppi: & nos ſi ſapienter actiones noſtras gubernare, atque ad ſalutis æternæ portum perducere volumus, gubernemus eas ex fine, velut puppi, ad Deum illas omnes ordinando. S. Greg. Papa in primo lib. in primum Regum c. 1. Samuëlem conſiderans ab Anna in domum Domini in Silo fuiſſe adductum in vitulis tribus, & tribus modijs farinæ, & amphora vini; Vitulum prædicationis, aut alterius operis laborem, farinam doctrinam huic muneri, ſeu prudentiam, & peritiam néceſſariam, & amphoram vini rectam intentionem interpretatur: [Virtus enim „ bonæ intentionis eſt Charitas Dei, quæ in „ electorum cordibus diffunditur per donum „ Spiritus Sancti. In Amphora ergò vini Samuël oblatus oſtenditur, quia electus quiſque cùm ad prædicationis miniſterium præparatur, ipſius prædicationis bonum proponit: non pro vana hujus ſæculi ambitione, „ ſed pro ſola Charitate impendere.] Hoc nimirùm pretioſo vino non caleſcunt illi, de quibus Job c. 38. dicebat; De cujus utero egreſſa eſt glacies. [Quaſi enim de Dei utero glacies „ egreditur, inquit Greg. libro 29. c. 15. quando hi, qui jam intùs incaluerunt, & virtutum dono frigeſcunt, & indè exteriorem „ gloriam torpentes appetunt, undè ad interna „ diligenda ardentiùs flagrare debuerunt.] De quibus Oſeë Propheta c. 7. interpretatione Gregorij ejuſdem lib. 32. c. 7. dixit: Factus eſt Ephrain panis ſubcinericius, qui non reverſatur. [Ex natura quippè benè condita eſt „ nobis intentio, quæ ſurgat in Deum: Sed „ ex converſatione nequiter aſſueta ineſt voluptas, quæ præſens premat in ſæculum. Panis autem ſubcinericius ex ea parte eſt mundior, quam inferiùs occultat; atque ex ea „ parte ſordidior, quâ deſuper cinerem portat. „ Reverſari autem renuit, cùm mens amore „ curarum ſæcularium preſſa, molem ſuperpoſiti cineris abijcere negligit; dumque aſſurgere in intentionem bonam non appetit, „ quaſi mundiorem faciem ſubter premit.] Ac demùm c. 10. proferens verba Eccleſiaſtici c. 29. Tranſi hoſpes, & orna menſam; hujuſmodi homines oſtendit apud Deum hoſpites eſſe, non cives: [Quia ſi ad altare Dei quis poſitus, per bona opera gloriam propriam quærit, & de oſtentatione ſanctitatis ejus laus altaris extenditur, & ipſe tamen apud Deum „ in numero civium non habetur. Alijs ejus „ opinio proficit, & tamen à Deo extraneus „ ipſe pertranſit.

Digitized by Google

DE BONO SCIENTIARUM USU.

LIBER XXV.

CAPUT I.

Scientia inflat.

PLurimam eſſe ſcientiarum, aut magis ſcientium hominum vanitatem, ſuperbiam atque jactantiam, manifeſtum eſt. Scientia namque inflat, ut ſcribit Paulus in priore ad Corinth. Epiſt. c. 8. & ut habet S. Aug. in 2. libro de doctrina Chriſtiana c. 13. ſæpè cervicem erigit, niſi Dominico reprimatur jugo. Et in ſer. 53. de verbis Domini, & tract. 27. in Joannem ita interpretatur; ut ſi ſola ſit, inflet: quòd ſi adſit quoque charitas, hæc ita ædificet, ut eam non permittat inflare. Et Sancti Ambroſius, & Anſelmus in comment. illius loci; Cùm Charitas ædificando non erigit, ſcientia inflando pervertit. Per ſe enim inutilis eſt ſcientia, quando ſola ſine Charitate eſt: ſed per Charitatem utilis, quando ei Charitas adjuncta eſt. Temperatur enim à Charitate, ut non inebriet ſcientem, & non ſe extollat. Sicut enim vinum non temperatum ex miſtione aquæ mentem alienat: ſic & ſuperbum facit ſcientia, niſi charitate fuerit temperata. Et rurſùm S. Ambroſius in caput 14. [Scientia „ charitate ſubnixa non inflatur, ſed eſt man„ ſueta, proficiens omnibus ad utilitatem.] Angelum ob ſuperbiam periiſſe, hominem ob ſcientiæ appetitionem ratiocinatur S. Ber. in ſer. 4. de Aſcenſione Domini: Sic enim habet; [Angelus præcipitatus aſcendens mon„ tem ſuperbiæ; Homo montem ſcientiæ; E„ ritis, inquit, ſicut Dij ſcientes bonum, & „ malum. Nihil inveniunt tam vile, undè non „ velint montem elevare ſcientiæ, nec laborem „ reputat, tantùm ut poſſit aliquibus doctior „ reputari. Sic ædificant Babel, ſic putant ad „ Dei ſe perventuros ſimilitudinem, ſic concu„ piſcunt, quod non expedit, quod expedit „ omittentes. Poteſtatis ambitio Angelum fœ„ licitate privavit Angelicâ; ſcientiæ appetitus „ hominem immortalitatis gloriâ ſpoliavit.] Sed verè S. Aug. in prologo ad quartum librum de Trinitate, optimam omnium ſcientiam eſſe dixit cognitionem ſui ipſius. [Scien„ tiam, inquit, terreſtrium, cœleſtiumque re„ rum magni æſtimare ſolet genus humanum: „ ſed meliores profectò ſunt, qui huic ſcientiæ „ præponunt noſſe ſemetipſos.] Ita enim hunc tumorem facilè ſedare poſſemus. Addit aliud S. Greg. Papa lib. 30. moralium c. 18. Ut ſcientiam noſtram non eſſe noſtram, ſed Dei cogitemus; [Omnes, ait, qui fide pleni de „ Deo aliquid ſonare nitimur, organa verita„ tis ſumus, & in ejuſdem veritatis poteſtate „ eſt, utrùm per me ſonet alteri, an per alte„ rum mihi.] Et rurſùm paulò pòſt; [In hac „ vita tantò veraciùs docti ſumus, quantò do„ ctrinam nobis à nobiſmetipſis ſuppetere non „ poſſe cognoſcimus.] Et lib. 31. c. 17. [Uniuſ„ cujuſque electi anima, cùm adipiſcendis „ doctrinæ ſtudijs elaborat, mentem ſollicitè „ contrà certamen arrogantiæ præparat.]

CAPUT II.

Scientiæ neceſſitas.

PRopterea cùm de ſuperbia, arrogantia, jactantia, & vana gloria dixerim, deque intentione operibus noſtris omnibus proponenda, dicendum quoque duxi de modo in ſcientiarum ſtudijs ſervando. Gedeön, ut in libro Judicum narratur c. 7. expugnaturus Madian magnum collegerat militum numerum. Sed Deus formidoloſos primùm juſſit dimitti, nè cæteris exemplo ſuo obeſſent: Qui formidoloſus eſt, & timidus revertatur. Deindè eos, qui remanſiſſent, probari ad aquas voluit: Duc eos ad aquas, & ibi probabo illos. Fuit autem probatio; ut qui curvatis genibus biberent, ad militiam inepti judicarentur; qui verò ſtantes, ſicut ſolent canes, lingua lamberent aquas manu ad os projectas, retinerentur ut apti. Sanè Chriſti militia formidoloſos, ac delicatos homines non admittit: ad ardua namque, tolerantiamque multam vocantur. Qui verò ſunt animoſiores, probantur ad aquas. Aqua in Sacris Litteris multa ſignificat, ut in libro 19. mor. c. 4. oſtendit S. Greg. Papa: ſed non rarò ſcientiam; quemadmodùm Eccleſiaſtici c. 15. Aqua ſapientiæ ſalutaris potabit illum. *Aqua ſcientia.* Ad ſcientias igitur ducti milites Chriſti probantur, an genibus in terram projectis, an ſtantes, an, inquam, ad terrenum, & abjectum finem, an ſtantes, & Deum, ac divina ſpectantes ex illis potent. Ita Gedeönis illud factum interpretatur Greg. lib. 30. ejuſdem operis c. 17. dum ait: [Aquæ do„ ctrinam ſapientiæ ſignificant: ſtare autem rectam

„ rectam operationem. Ideò, qui ad aquas „ ducti genu flexerunt, à bellorum certamine „ prohibiti receſſerunt; quia cùm illis Chri„ ſtus contrà hoſtes fidei pergit ad prælium, „ qui cùm fluenta doctrinæ hauriunt, rectitu„ dinem operum non inflectunt. Undè ad „ Hebr. c. 12. remiſſas manus, inquit Apoſto„ lus, & genua debilia roborate.] Ad ſcientiarum aquas ducuntur, quoniam Eccleſiæ Dei plurimùm conferunt, & neceſſariæ ſunt ſcientiæ. Quippè, ut ad Paulinum ſcripſit S. Hier. c. 4. [Sancta ruſticitas ſibi ſolùm prodeſt: & „ quantùm ædificat ex vitæ merito Eccleſiam „ Chriſti, tantùm nocet, ſi deſtruentibus non „ reſiſtat.] Itaque S. Paulum vult vas electionis appellatum Act. 9. quia vas legis, & ſanctarum ſcripturarum armarium. Et in 1. libro adversùs Jovinianum c. 20. cùm citâſſet illud Pauli 1. Tim. 3. Oportet Epiſcopum eſſe doctorem, eam adducit rationem, quia nihil prodeſt conſcientiâ virtutum frui, niſi & creditum ſibi populum poſſit inſtruere, & valeat exhortari in doctrina, & eos qui contradicunt, arguere. Et in caput 1. epiſtolæ ad Titum; „ [Si Epiſcopi tantùm ſit ſancta vita, ſibi po„ teſt prodeſſe ſic vivens: Si & doctrina, & „ ſermone fuerit eruditus, poteſt ſe, cæteroſ„ que inſtruere, & adverſarios repercutere.] Et in prœmio libri 3. in epiſtolam ad Epheſ. „ [Qui juſtus eſt, inquit, niſi fuerit eruditus, „ tàm procùl eſt à ſapiente juſto, quàm eſt „ ſtellarum fulgor à lumine firmamenti.] In 1. Regum c. 13. narrat hiſtoria ſacra, fabrum ferrarium non fuiſſe inventum in omni terra Iſraël; caverant enim Philiſthijm, nè fortè facerent Hebræi gladium, aut lanceam. Quod ita accepit S. Greg. Papa lib. 5. in eum librum c. 3. ut ſæcularem quidem ſcientiam dixerit per ſemetipſam ad ſpiritalem conflictum contrà malignos ſpiritus non prodeſſe, plurimùm tamen poſſe, ſi cum divina ſcriptura, & pietate jungatur. Et quoniam Dæmon ſcit nos dum in ſæcularibus erudimur, in ſpiritualibus adjuvari, ea nos diſcere diſſuadet, nè lanceam, aut gladium contrà ipſum faciamus. Sed & Moyſen addit, ut divina capere poſſet, & ſcribere in omni Ægyptiorum ſcientia fuiſſe inſtructum. Et Iſaiam præ cæteris Prophetis eloquentiorem fuiſſe, quoniam his fuit ſcientijs ornatus. Paulum quoque ad pedes Gamaliëlis edoctum, antequam in Paradiſum raptum; & ideò fortaſſe Apoſtolis cæteris per doctrinam excelluiſſe. Et S. Hier. adfert ex Deut. c. 21. mulièrem alienigenam abraſa cæſarie, & unguibus circumciſis, permiſſam fuiſſe duci in uxorem: quam vult ſignificare ſcientiam ſæcularem, & prophanam, cujus ſuperfluitates reſcindendæ ſunt, ſed tamen diſcendæ. Eſt & illud Prov. c. 9. Sapientia ædificavit ſibi domum, & miſit ancillas, ut vocarent ad arcem, & ad mœnia civitatis; Ancillæ enim ſcientiæ ſunt ſæculares, & prophanæ. A Juliano autem apoſtata interdictum fuit Chriſtianis, nè docerent, diſcerentve artes has liberales, & philoſophiam, ut in libro 3. dictum eſt, nè harum ſcientiarum haberent arma, quibus aut adverſariorum errores confutarent, aut ſeſe ab illis defenderent. Et Ariani nonnè Catholicos Epiſcopos eandem ob cauſam in exilium mitti procurabant, ut deficientibus fabris populum armis deſtitutum faciliùs expugnarent, errorique ſuo ſubjugarent?

Paulus vas electionis.

Extat Athenienſis civitatis exemplum, quam Rex quidem obſidens pactum propoſuit civibus, ut ſeptem ſibi Philoſophos, qui erant in civitate, obſides darent. Cui parabolicè unus ex Philoſophis reſpondit: Lupi greges ovium obſidebant, pacemque paſtoribus offerrebant, ſed gregis canes primùm omnium ſibi tradi petebant: at paſtores lupos cogitantes liberè oves canibus deſtitutas devoraturos, conditionem nequaquam admittere voluerunt. Ita nec Athenienſis populus dare Philoſophos voluit, nè ſublatis rectoribus ipſe periret. Et Nabuchodonoſor Rex Dan. 2. in furorem, & iram versùs præcepit, ut ſapientes omnes Babylonis perirent. Nam Prov. 5. ubi non eſt gubernator, populus corruet: Salus autem, ubi multa conſilia. Poſtremò S. Cyrillus Alexandr. in expoſitione Niceni Symboli. [Qui honeſtam, „ inquit, vitam habent ſine recta fide (hoc „ eſt, bonam vitam abſque ſcientia) comparan„ tur viris ingenua quidem facie, ſed oculis „ diſtortis, & hinc indè errantibus.]

CAPUT III.

Scientia non eſt ſatis.

CÆTERÙM ſcientia ſola, & doctrina ſine virtute, ac pietate, ſatis non eſt. Quoniam ut loquitur Dominus Matth. 5. Qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur. Quo loco notat S. Cyrillus Alexandrinus libro nono contrà Julianum, in lege damnari eum, qui ſcit, & poſſet prodeſſe, at non eſt probatæ vitæ, ita ut proſit, quoniam, ut habet S. Petrus Chryſologus in ſer. 167. [Magiſteri„ um quidem ſtat de ſcientia; ſed magiſterij „ autoritas conſtat ex vita: docenda enim fa„ ciens, obedientem perficit auditorem. Do„ cêre factis, ſola eſt norma doctrinæ; doctrina „ in dictis ſcientia eſt, in factis virtus. Scientia „ ergò illa vera eſt, quæ fuerit miſta virtuti: „ illa divina eſt, non humana.] Jureque optimo S. Greg. Nazianz. in or. funebri in laudem Baſilij, actionis expertem doctrinam affirmat eſſe imperfectam; & eum, qui illam habeat, neglectâ alterâ, nihil putat à monoculis differre, quibus magnum eſt nocumentum, major

jor verò turpitudo, cùm quempiam inſpiciunt, vel inſpiciuntur. Fidem ſcimus (& in libro 2. multis demonſtratum eſt) abſque operibus ad ſalutem ſatis non eſſe; perindè nec ſcientia ſine virtute, & charitate, ſive noſtram, ſive aliorum ſalutem quæramus.

Immò ſcientiam quoque datam interdùm ſubtrahi, ſi bona deſit vita, affirmat S. Anſel. in libro de Incar. Verbi c. 2. [Non ſolùm, in-„ quit, ad intelligendum altiora prohibetur „ mens aſcendere ſine vitæ, & mandatorum „ Dei obedientia: ſed etiam aliquando datus „ intellectus ſubtrahitur, & fides ipſa ſubverti-„ tur neglectâ bonâ conſcientiâ.] Quod ex epiſtola ad Rom. c. 1. & priore ad Tim c. 1. confirmat S. Aug. ſcientiam voluit eſſe velut machinam dumtaxat adhibendam ad ædificium charitatis extruendum. Sic enim loquitur in epiſt. 119. ad Januarium c. ultimo. [Sic ad-„ hibeatur ſcientia tanquam machina quæ-„ dam, per quam ſtructura charitatis aſſurgat, „ quæ maneat in æternum, etiam cùm ſcientia „ deſtruetur, quæ ad finem charitatis adhibita, „ multùm eſt utilis; per ſeipſam autem ſine „ tali fine, non modò ſuperflua, ſed etiam per-„ niciosa probata eſt.] Et lib. 4. de doctrina Chriſtiana c. 27. [Qui ſapienter, & eloquen-„ ter dicit, vivit autem nequiter, erudit qui-„ dem multos diſcendi ſtudioſos, quamvis ani-„ mæ ſuæ ſit inutilis.] Et S. Ambr. lib. 1. off. c. 26. [Studia ſcientiæ ſine factis involvunt „ magis.] Et dum Paulus ad Epheſ. c. 3. dixit; Ut poſſitis comprehendere cum omnibus Sanctis &c. S. Bern. lib. 4. de conſider. dictum fuiſſe monet comprehendere, non cognoſcere. Ut non curioſitate contenti ſcientiæ, totâ curâ fructui inhiëmus: non enim in cognitione eſt fructus, ſed in comprehenſione. Alioqui ſcienti bonum, & non facienti, peccatum eſt illi. Hoc eſt interpretatione ſancti Gregorij Papæ in pſalmum 5. pœnitentialem, quod dolens Propheta dicebat; Oſſa mea ſicut cremium aruerunt. Per oſſa enim rationem, & intelligentiam intelligit, quæ velut ſicca remanent, dum virtutum pinguedinem non habent, quam in pſ. 62. deſiderabat, dicens; Sicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea. Et S. Hier. in caput Matthæi 7. verbis illis Domini utitur; Non omnis, qui dicit mihi, Domine Domine &c. [Non enim, inquit, eſt ſatis integri-„ tas fidei, ſi turpiter vivant, & integritatem „ doctrinæ malis operibus deſtruant. Utrum-„ que Dei ſervis neceſſarium eſt. Ut opus ſer-„ mone, & ſermo operibus comprobetur.] „ [Nam qui impudicus eſt (ait in com. ad ca-„ put 2. ep. ad Titum) quamvis diſertus, ſi „ ad caſtitatem audientes cohortetur, ſermo „ ejus infirmus eſt, & authoritatem non habet „ cohortandi. Et è contrario, quamvis ſit ru-„ ſticanus, & tardus ad loquendum, ſi caſtus „ fuerit, exemplo ſuo homines poteſt ad vitæ „ ſimilitudinem impellere.]

Pſ. 101.

Narrat Philo Iudæus in libro, cui titulus eſt, Quòd deteriùs potiori inſidictur, in quadam benè inſtituta civitate homini vitæ impuræ non fuiſſe permiſſum ſententiam in ſenatu, aut ad populum dicere; ſed eum fuiſſe coactum apud aliquem honeſtum virum illam deponere, qui aſſurgens diceret, ſilente interim altero. „ [Adeo, inquit, nè beneficium quidem ab inju-„ ſtis dignantur accipere, quòd exiſtiment hanc „ utilitatem corrumpi admiſto dedecore.] Et in lib. de congreſſu quærendæ eruditionis gratiâ, corpore addit ægrotos non curari multo ſermone, ac verbis, ſed remedijs, & diætis: ita nec ad curandos animi morbos eſſe ſatis verba tantùm adferre. Et Theodor. in pſ. 110. Pſalmiſtam addit dicentem: Intellectus bonus omnibus facientibus eum. [Non eſt enim cogni-„ tio ſatis, ſed actione indiget contemplatio, & „ convenit eum, qui divino intellectu dignus „ effectus eſt, cognitionem operibus ornare, & „ per hanc intellectus largitorem colere.]

Impuritas vitæ.

S. Io. Chryſ. h. 6. in poſteriorem ep. ad Tim. exemplo utitur aviculæ, quæ ſi non toto corpore, ſi tamen altero pede capta teneatur, perindè eſt in poteſtate illius, qui tetendit laqueum. Ita enim & nobis perindè eſt, ſive fidei, & ſcientiæ, ſive vitæ perverſitate capiamur. Et Origenes h. 27. in Num. Et S. Hier. in ep. ad Fabiolam, de 42. manſionibus, filios Iſraël adnotârunt in manu Moyſi, & Aäron egreſſos ex Ægypto fuiſſe. Non enim ſufficit una manus Moyſi, qui ſcientiam legis ſignificat; quæritur & manus Aäron, qui cultum adferat Dei, peritiamque ſacrificandi adjungat. Perſimilis locus eſt in libro Judicum c. 3. Cùm enim à Rege Moäb vexarentur filij Iſraël, ſuſcitavit eis Deus ſalvatorem Aöd virum ambidextrum. Quo loco idem Orig. h. 4. Sanctos omnes vult eſſe ambidextros, nihil habentes ſiniſtri, utraque parte dextros, fide & operibus, cognitione, & actione; diabolum, & ſectatores illius ambiſiniſtros.

Omninò bonum, & ſapiens fuit conſilium illud Philiſtinorum ſacerdotum 1. Reg. c. 6. Nè ſcilicet arcam dimitterent vacuam. Quid eſt autem arca vacua S. Gregorij ſententia in 3. lib. in 1. Regum c. 4. niſi ſcientia ſine bona operatione? Undè appoſitè ſatis Theophilus Alexandrinus pronuntiavit in epiſtolâ 1. Paſchali, ſcientiam bonâ vitâ non ornatam eſſe velut nomen abſque verbo, quod perfectam orationis ſententiam non habet. Quam ob cauſam S. Io Chryſ. h. 3. operis imperfecti, de Jo. Baptiſta loquens; [Teſtimonium, „ inquit, verborum ejus nequaquam fuiſſet „ idoneum, niſi eum mirabilis vitæ inſtitutio „ commendâſſet.] [Nihil enim (ut idem ip-„ ſe habet homilia 1. in Acta) doctore frigidius,

Digitized by Google

„ dius, qui verbis dumtaxat philoſophatur. „ Neque enim hoc doctoris eſt, ſed hiſtrionis, „ & hypocritæ. Ideòque Apoſtoli vitæ priùs „ docebant exemplis, deindè verbis. Quippè „ & Chriſtus Dominus cœpit priùs facere, „ deindè docère.]

CAPUT IV.

Scientiam ſine virtute obeſſe.

IAM verò gravius multò eſt illud malum; quod ſcientia ſola, ſi virtute ſit ſpoliata, non ſolùm non ſufficit, immò & obeſt plurimùm. Hinc namque hæreſes in Eccleſia prodierunt: ex doctis, inquam, & ſcientibus, ſed malis hominibus. Propterea S. Ambroſius in primo libro de fide ad Gratianum c. 5. & in præfatione ad priorem ad Cor. epiſtolam, & alijs in locis ex Philoſophia ſcribit ortum hæreſes habuiſſe. Et libro 3. de Virginibus, philoſophiæ amictu neminem Chriſtum inveniſſe. [Nequitia namque (ait S. Io. Chryſ. in 3. libro contrà vitu- „ per. vitæ monaſt.) ſi cum dicendi facultate „ fuerit copulata, multò deteriora, quàm im- „ peritia, multòque funeſtiora ſolet operari.]

Primum damnum. Primum autem malum (ut paucis complectar) ſunt errores in intellectu, dum hic liber, atque ſolutus dimittitur, neque virtutis, ac pietatis fræno regitur, & continetur. Hinc hæreſes omnes, hinc novæ, ac minùs probatæ in ſcientijs opiniones, quæ & pietati, & Chriſtianæ fidei puritati plurimùm obſunt, dum non ad virtutis cultum, Dei honorem, & Eccleſiæ bonum, ac proximi utilitatem, ſed ad noſtram oſtentationem noſtra refertur ſcientia. Hos S. Irenæus in 5. libro c. 7. & S. Cyrillus Alexandrinus libro 9. contrà Julianum, immunda vocarent animalia, non ruminantia, nec ungulam findentia. Quoniam nec firmiter figunt pedem, nec eloquia Dei die meditantur, ac nocte, ſcientiæ finem non conſiderantes.

Secundum. Secundum eſt illud, de quo Paulus loquitur 1. Cor. 8. Scientia inflat; & nos c. 1. hujus libri diximus. Nam ut vinum, ſi merum potatur, inebriat, mentemque alienat, ſi temperetur aquâ, eſt ſalutare: Ita ſcientia ſola inebriat, ſenſum mentis evertit, hominem ſuperbum facit: temperetur charitate, & virtute, nè obſit nobis, & alijs ſalutaris evadat. Inter Ægypti plagas commemorantur Exodi c. 9. turgentes veſicæ, quæ cinere in cœlum ſparſo excitatæ fuerunt. Et hæ in eorum mentibus, qui abſque charitate ſcientiam ſectantur, facilè excitantur. Ut jam non videatur paradoxum id, quod Iſ. 51. legimus; Stultus factus eſt homo à ſcientia: & illud, quod Paulo dixit Feſtus Act. 26. Inſanis Paule; multæ te litteræ ad inſaniam converterunt. Facit enim ſcientia hominem ſuperbum, & peccantem contrà Deum; quod eſt ſumma ſtultitia, & inſania maxima. Quod ſanè apertis verbis de Philoſophis prodidit idem ipſe Apoſtolus in epiſtola ad Romanos c. 1. Evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum; dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt: & quæ ſequuntur. Idcircò Iſaias cap. 11. dum enumerat dona Spiritûs Sancti in Chriſto futura, non ſolùm cætera omnia bina, & bina commemorantur; Requieſcet ſuper eum ſpiritus ſapientiæ, & intellectûs, ſpiritus conſilij, & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ, & pietatis, timoris autem donum ſolitarium, ac ſeorſim adjungitur; Et implebit eum ſpiritus timoris Domini: ut cum intelligas cum omnibus eſſe jungendum; ita ut ſi donum habeas ſapientiæ, illud ſit cum timore; ſi donum intellectûs, timère debeas, non inflari, & ita de cæteris. Verùm etiam ſcientia non ſine cauſa cum pietate copulatur; Implebit eum ſpiritu ſcientiæ, & pietatis; Ut omninò cognoſceres, à pietate ſcientiam nunquam eſſe ſeparandam. [Omnia ſola (inquit S. Ambroſius conſiderans „ illa Pauli verba, Scientia inflat) inſuavia „ ſunt, & nociva, nec panis ſolus benè editur, „ nec reliqui cibi ſine admiſtione grati ſunt, „ & nocivi: ideò charitas ædificat.] Audi Sanctum Bernardum, qui in ſer. 3. de verbis Iſaiæ, exponens illa verba; Lucifer, qui manè oriebaris, & vide, nùm eâdem homini ſcientiâ inflato dicere poſſis. [Habuiſti, in- „ quit, miſer lucem, ſed ardorem non habui- „ ſti. Bonum erat tibi, ſi ignifer magis eſſes, „ quàm lucifer; nec tam immoderato appetitu „ lucendi, ut eras frigidus ipſe; frigidam quo- „ que eligeres regionem; dixiſti enim: Se- „ debo in lateribus Aquilonis. Ignem venit „ Chriſtus mittere in terras, & quid vult, niſi „ ut accendatur? Quantò melius Io. Baptiſta? „ Nam & ipſe Lucifer fuit. Ille erat lucerna „ ardens, & lucens: tantò utique clariùs, „ quantò ampliùs fervet; tantò veriùs, quan- „ tò minùs appetit lucère. In igne, inquies, „ fervor eſt, & ſplendor: ſed fervor ei quodam „ modo ſubſtantialior videtur. Primum quæ- „ re fervorem, nec dubium, quin & ſplen- „ dor adijciatur tibi, alioquin in vanum labo- „ ras, quia vacuus ſplendor ſine fervore.]

Tertium malum eſt, quòd ſcientia ſine charitate, & virtute non ſolùm non prodeſt ad id, quod quæritur, hoc eſt, ad Eccleſiæ bonum, proximoſque juvandos: ſed obeſt plurimum. *Tertium.* Ita S. Io. Chryſ. h. 38. ad populum. [Si non „ habueris opera, non tantùm loquens profui- „ ſti, ſed & potiùs læſiſti: quoniam opus red- „ dis mihi impoſſibile.] Propterea in pſ. 49. Peccatori dixit Deus; Quarè tu enarras juſtitias meas, &c. [Nec enim, inquit Chryſ. h. „ 72. ità dictis noſtris intendunt homines, ſi- „ cut his, quæ à nobis geruntur.]

Quartum

Quartum. Quartum eſt, quod ità nos ipſi damnationis contrà nos ſententiam damus. Ita S. Io. Chryſ. h.43. oper. imperf. [Benè vivendo, ait, „ & benè docendo populum inſtruis, quomo„ dò debeat vivere: Benè autem docendo, & „ malè vivendo, Deum inſtruis quomodo te „ debeat condemnare.] Et S. Proſper in pſal. 102. [Benè loqui, & malè vivere, nihil eſt „ aliud, quàm ſua ſe voce damnare.] Ideò in pſ. 104. hortatur Propheta; Cantate ei, & pſallite, hoc eſt verbo, & opere prædicate: nam ore canimus, manibus pſallimus; & pſ. 149. Laudent nomen ejus in choro, id eſt in concordia: In tympano, & pſalterio, hoc eſt fide, & motibus: ut manus concinat voci, & opere impleatur, quod ore cantatur. Ita hæc loca interpretatus eſt Proſper.

CAPUT V.

Cum ſcientia ſit charitas.

EX his omnibus conſequens eſt, cum ſcientia charitatem, atque virtutem eſſe jungendam, quod loquebatur Paulus in priore ad Cor. ep. c. 13. Si habuero omnem ſcientiam; omnem, inquam, & præteritorum, & præſentium, & futurorum; omnem, tum humanâ comparatam induſtriâ, tum divinitùs infuſam, & revelatam; omnem, rerum naturalium, & ſupernaturalium, rerum humanarum, & divinarum; omnem denique, hominum omnium, & Angelorum: Charitatem autem non habuero, nihil ſum. Quantumvis inflet me ſcientia mea, altèque de me ipſo mentiam; Nihil ſum; [Scientias terreſtrium, „ cœleſtiumque rerum (inquit S. Aug. in pro„ logo libri 4. de Trinitate) magni æſtimare „ ſolet genus humanum; ſed meliores profectò „ ſunt, qui huic ſcientiæ præponunt noſſe ſe„ metipſos.] Simile eſt illud Chriſti Matt. 16. Quid prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? Et illud Sap. 9. Si quis erit conſumatus inter filios hominum, ſi ab illo abfuerit ſapientia tuâ, in nihilum reputabitur. Quo loco ſapientia ponitur pro gratia. Exemplum ſumas ex pomo colore, & aſpectu pulchro, ſed ſapore ingrato: atque ex flore colore pulchro, & odore peſſimo. S. Ambr. exponens 1. Cor. 13. illa Pauli verba; Nihil mihi prodeſt. [Quid „ profuit, inquit, Phariſæis? quibus Chri„ ſtus dixit: Vos habetis clavem ſcientiæ, & „ non intratis.] Et S. Io. Chryſ. in admonitorio quadrageſimæ; [Scientes nulla utilitas „ ſequitur, niſi operum impletio ſequatur.] Et h. 11. in Marc. [Nihil prodeſt habêre te „ verba, habêre te ſcientiam, ſi non habeas opera.] Imò verò h.77. ad popul. graviora minatur ſupplicia. Potentes enim potenter tormenta patientur. Et qui ſcit voluntatem Domini, & non facit, plagis vapulabit multis. Itaque major ſcientia majoris fit pœnæ materia. Omninò, ut anteà dictum eſt ex Nazianzeno, qui ſcientiam habet ſine charitate, ſimilis eſt monoculo: & quidem oculo caret dextro: & Naäs quoque Amonitarum princeps, ut eſt in primo libro Regum c. 11. voluit cum populo Iabes Galaäd inire fœdus, hac conditione, ut oculum ſibi omnes eruerent dextrum. In libro Job cap. 1. legimus conſueviſſe filios Job vocare quotidie tres ſorores ſuas, ut comederent cum eis, & biberent. Quod ita interpretatur S. Greg. Papa lib. 1. mor. c. 16. ut nos velit in cunctis operibus noſtris, fidem, ſpem, & charitatem, velut tres ſorores noſtras ad convivium vocare. Ita & ad noſtra ſcientiarum ſtudia vocentur.

Nam & vitæ puritas, morumque ſanctitas ad intelligentiam ſcripturarum, atque ad ſcientias omnes confert plurimùm, quoniam purgata à vitijs mens clariùs perſpicit, & videt omnia. Pluviæ exemplo id docet Theodoretus in primo libro de Græcorum affectionibus curandis, ſcientiæque donum affirmat pijs præſertim mentibus velut cultis agris pluviam infundi à Deo cæteris velut deſertis campis ex liberalitate quadam. Et Cornelium propter vitam optimam ad fidem fuiſſe vocatum, Eunuchumque Candacis reginæ, quod ſcripturas legeret, à Philippo baptizatum ratiocinatur S. Io. Chryſ. in pſ. 43. Ut enim immunda vita eſt impedimento; undè prima Cor. c. 3. dicebat Apoſtolus: Non potui loqui vobis tanquam ſpiritualibus; quoniam lites ſunt in vobis, & contentiones. Et Iſaias c. 58. Scire vias meas nolunt, quaſi gens, quæ fecerit juſtitiam, & judicium Dei ſui non dereliquerit. Ita & vita pura plurimùm prodeſt. In veteri lege Sacerdos ex hoſtia maxillam accipiebat, & pectuſculum, & humerum. [Quia enim (ut ait S. Chryſ. h. „ 11. in Marcum) Sacerdotis eſt docêre popu„ lum, maxillam accipit, in qua eſt ſermo; & „ pectuſculum, hoc eſt ſcientiam ſcriptura„ rum; & præterea humerum, ſeu brachium, id „ eſt opera, operandique virtutem.] Conſentit & S. Hier. in ep. ad Fabiolam, de veſtitu Sacerdotum, & Theodor. q.63. in Exodum, pectuſculum, ait, ſignificare facultatem rationalem, & contemplatricem: tegitur enim cor pectuſculo: Armum verò dextrum agendi facultatem. Non ſufficit ſola fides ad ſalutem, ſed operibus opus eſt ad perfectionem. Confirmat S. Hier. in caput 61. Iſ. & Philo Iudæus in libro de judice propterea ſcribit in ſacerdotis pectore fuiſſe inſcriptum, Scientia, & Veritas, hoc eſt, doctrina legis, & virtus, ſanctaque vita. Nec ſine cauſa quæ-

Virtus & ſcientia.

rit Job c. 35. Quis poſuit in viſceribus hominis ſapientiam? [Electis namque, ait S. Gregor. „ lib. 30. moral. c. 3. ſapientia non in ſolis „ vocibus, ſed & in ſenſibus datur; ut juxtà „ quod loquitur lingua, vivat conſcientia, & „ lux ejus tantò clariùs reſplendeat in ſuperfi- „ cie, quantò veriùs inardeſcit in corde.] Legalis quoque Sacerdos Rationale geſtabat in pectore; ſed & Humerale in humero. Et Theod. q. 54. in Ex. Rationale vult ſignificâſſe contemplationem, & Humerale actionem atque operationem virtutis; copulationemque Rationalis, & Humeralis concordiam fidei, & bonæ operationis. Atque in pſ. 131. Sacerdotis veſtimenta dicuntur eſſe virtutes, vitaque innoxia; dum Propheta canit; Sacerdotes tui induantur juſtitiam. Sed ut notat S. Greg. Papa in primo regiſtri libro c. 24. [Veſtimentis ad- „ juncta erant tintinnabula; ut vitæ viam cum „ linguæ ſonitu ipſa quoque opera clament.] Et S. Nyſſenus in vita Moyseos; [Talaris „ veſtis hyacinthina virtutis indicium eſt, quâ „ totus tegi debet, & tintinnabula aurea malis „ punicis intercepta, tum rectæ fidei, tum „ probatæ vitæ.] Et Paulus 1. Tim. 1. & fidem, & bonam conſcientiam poſtulat; Sed in Eccleſiæ veſtimento viros doctos, ſi charitatem ſimul habeant, lapides eſſe pretioſos, placuit Sancto Ambroſio ad caput 31. Proverb. c. 1. Quia charitate valent: quòd ſi hanc non habent, viles ſunt; undè & in prima Cor. 13. dicitur: Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens: „ [Non lapis ſed æs, ſed cymbalum, inquit „ Ambroſius, non fulget, ſed tinnit.]

Propterea ſapienter monuit Job cap. 37. Sta, & conſidera opera Dei. Conſideratio cognitionis eſt, & ſcientiæ; ſtare autem eſt recta agere. Nam prima in Cor. 10. dicitur: Qui ſtat, videat nè cadat. Ideò & milites Gedeönis ſtantes juſſi ſunt de aquis bibere. Sunt enim nonnulli, ait S. Greg. lib. 27. moral. c. 20. qui Dei opera jacentis conſiderant, qui ea quidem mirantur; ſed amando, & vivendo ad hæc reſurgere negligunt. Sicut Balaäm Num. 24. cadens apertos habebat oculos, & ſanè admirabilis videatur adjuratio illa Sponſi Cant. 1. & 2. Adjuro vos filiæ Hieruſalem per capreas, cervoſque camporum. Sed ad rem noſtram optimè interpretatur eam S. Gregorius Nyſſenus h. 13. in Cantica: [Duo etenim ſunt, quæ hominem cum „ Deo conjungunt; opinio non errans, & „ vita pura, atque ab omni vitio aliena. Al- „ terum per capreas ſignificatur, quæ ſine er- „ rore cernunt; alterum per cervos, qui fu- „ gandi, & abſumendi ſerpentes vim habent.] S. Hilarius verò in pſalmum 140. Evangelium illud adfert; Unge caput tuum, & faciem tuam lava. Ut caput ungatur oleo doctrinæ, ac ſcientiæ: oleum enim pabulum luminis eſt, & doctrina lumen præbet menti. Facies lavetur nitore puræ conſcientiæ, nè quid in nobis ſordidum ſit. [Non enim boni, atque utilis „ Sacerdotis eſt, ait in 8. libro de Trinitate, aut „ tantummodò innocenter agere, aut tantum- „ modò ſcienter prædicare: cùm & innocens „ ſibi tantùm proficiat, niſi doctus ſit, & doctus „ ſine doctrinæ ſit autoritate, niſi innocens ſit.] Et Lactantius in lib. de falſa ſapientia c. 11. Naturam hominis hanc eſſe memorat, ut duarum rerum cupidus, & appetens ſit religionis, & ſapientiæ: ſed homines ideò falli, quod aut religionem ſuſcipiunt omiſsâ ſapientiâ, aut ſapientiæ ſoli ſtudent omiſsâ religione, cùm alterum ſine altero eſſe non poſſit verum. Et c. 12. [Hæc duo ſunt, quæ „ ſimul efficiant illud, quod quæritur. Scien- „ tia id præſtat, ut quomodò, & quò perve- „ niendum ſit noverimus; virtus, ut perve- „ niamus. Alterum ſine altero nihil valet. „ Ex ſcientia enim virtus, ex virtute ſum- „ mum bonum naſcitur.] Apoſtolos verò, & prædicatores verè adnotavit S. Greg. Papa in libro 27. moral. c. 19. tum nubes in ſacris litteris vocari, tum operarios. Nubes dicuntur Job 37. Et nubes ſpargunt lumen ſuum: Operarij autem Matt. 9. Rogate Dominum meſſis, ut mittat operarios in meſſem ſuam. Nubes ſunt per doctrinam, quam velut pluviam ſpargunt in populos: & operarij per vitam, dum agunt id, quod loquuntur, atque alios ad imitationem provocant. Eiſdem quoque Apoſtolis dixit Dominus Matt. 5. Vos eſtis Sal terræ; Vos eſtis lux mundi. [Sal, inquit „ S. Io. Chryſ. h. 10. imperf. per bonam „ converſationem, lux per verbum doctri- „ næ.] Et h. 17. [Doctores vult Deus pri- „ mùm facere, deindè docêre, ut doctrinam „ ſuam bonam meliori cum vita commendent: „ Ut benè docendo ſcientiam inferant, meliùs „ autem vivendo, timorem, quia ſales ſunt „ terræ, condientes omnes ſuæ vitæ exem- „ plo, & luceſcunt doctrinis illuminantes.] „ [Neque enim, ut S. Ber. loquitur in ſer. „ 8. in Cant. doctrina ſpiritûs curioſitatem „ acuit, ſed charitatem accendit. Ideò Sponſa „ quærens, quem diligit anima ſua, non cu- „ rioſitatis humanæ inanibus ratiocinijs ac- „ quieſcit: ſed petit oſculum, quia ſcientia, „ quæ in oſculo datur, cum amore recipitur, „ quia amoris indicium oſculum eſt. Scientia „ verò quæ inflat non procedit ex oſculo. „ Utrumque ſimul adfert oſculum, & agnitio- „ nis lucem, & devotionis pinguedinem. Eſt „ enim ſpiritus ſapientiæ, & intellectûs, qui „ inſtar apis ceram portantis, & mel habet „ omninò, & undè accendat lumen ſcientiæ, „ & undè infundat ſaporem gratiæ.] [Et quid

Matt. 6.

Cant. 1.

tandem

Digitized by Google

„ tandem faceret eruditio (addit idem ſer. 69.) „ abſque dilectione? inflaret. Quid abſque „ eruditione dilectio? erraret: ſicut errabant „ illi, de quibus dicit Apoſtolus, quòd zelum „ Dei habent, ſed non ſecundùm ſcientiam.] Et ſer. 74. [Quid prodeſt ſcire, quid te oporteat facere, ſi non detur, & velle facere? „ quantos expertus ſum agnitâ veritate triſtiores, quòd jam confugere ad ignorantiæ „ excuſationem non liceret?] Et in tractatu de diligendo Deo: cum ſcientiâ opus eſt, & virtute, per quam ille inquiritur, & tenetur, qui omnium autor, & dator meritò glorificetur de omnibus, alioqui ſciens & non faciens digna multis vapulabit; quia noluit intelligere, ut benè ageret. Magis autem iniquitatem meditatus eſt in cubili ſuo, de bonis, quæ à ſe non eſſe ex ſcientiæ dono comperit, boni domini gloriam ſervus impius captare ſibi, immò & raptare molitur.

Denique nè longiore oratione fatigem lectorem, Euſebius Emiſſenus in ſer. 3. in Natali Domini ad tertiam miſſam; in Moyſaïco candelabro commemorat fuiſſe lucernas, & ſcyphos, ut lucernis oculi mentis illuminarentur, & ſcyphis ſcientium corda reficerentur, & ſanarentur. Habebat Sponſa ubera duo meliora vino, Cant. 1. quibus Eccleſia Dei & docetur, & paſcitur. De quibus ita S. Bern. in ſer. 9. in Cant. [Quoniam ſponſa accepit oſculum ſe concepiſſe ſenſit: undè & „ ubera intumuerunt ubertate lactis, meliora „ vino ſcientiæ ſæcularis, quæ inebriat quidem, ſed curioſitate, non charitate; implens, „ non nutriens; inflans, non ædificans; ingurgitans, non confortans.] Sunt duo brachia, quibus appenditur Deus (ut loquitur idem Bern. in Epiſt. 18. ad Petrum Diaconum Cardinalem, duæve manus Sponſæ, de quibus Cant. 2. Læva ejus ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me: læva eſt ſcientia, dextera charitas. Quod ſi habuero ſcientiam, & non charitatem, nihil ſum, quia amplexus non erit. Hæc duo ſunt crura Sponſæ Cant. 5. Crura illius columnæ marmoreæ; quibus & firmiter ſuſtentatur, & tutò incedit. [Crura columnæ marmoreæ, ait Theodoretus libro 3. in Cant. tum charitas Dei, „ & proximi, tum ſcientia & virtus, ſeu vita „ ſplendida, quæ ſuſtinent ipſum verbum, „ quod creditur, nè propter nos decidat, & inter gentes blaſphemetur.] [Paulus quoque

1 Tim. 1. „ (addit S. Nyſſenus hom. 14. in eum locum, „ dum quaſi domum, quæ Deum excipiat) „ Thimotheum extruit, duas haſce columnas „ in eo ſtatuit, fidem, & conſcientiam.] Hic eſt duplex ſpiritus Eliæ in cœlum rapti, factus in Eliſæo (ut S. Cyprianus ratiocinatur in ſer. de Spiritu Sancto) & datus Eccleſiæ poſt Chriſti aſcenſionem in cœlum: poteſtas, inquam, in opere, & ſermone; fides, & cognitio in intellectu, & charitas, atque operatio in voluntate, & converſatione. Vel ut loquitur S. Ber. in ſer. 3. de Aſcenſione, intellectûs illuminatio, & purgatio affectûs. Hæ Iſ. 6.
ſunt duæ alæ, quibus volabant Seraphin, quæ Iſaias vidit. [Duæ alæ, ait S. Bernardus ſer. 4. „ de verbis Iſaiæ, ſunt cognitio, & devotio, „ quibus in eum, qui ſuprà ipſos eſt, Seraphin „ rapiuntur. Levat quippè cognitionis ala, ſed „ ſola non ſufficit. Ruit citiùs, qui unâ tantum alâ volare contendit: & quò magis attollitur, pejùs colliditur. Experti ſunt hoc „ philoſophi, qui cùm Deum cognoviſſent, „ non ſicut Deum glorificaverunt, & ideò traditi ſunt in reprobum ſenſum, & in paſſiones ignominiæ corruerunt. Ubi verò intelligentiam charitas, & agnitionem devotio comitatur, volat ſecurè quiſquis ejuſmodi eſt.] S. Io. Chryſ. hom. 25. in Matth. Judæos ſcribit omnem prorſùs religionem in dogmatum ratione poſuiſſe, de ſancta verò converſatione nihil omninò curâſſe. [Nos, ut ejuſdem utar „ verbis, in ſer. contrà Anomæos, conjungamus item rectitudini dogmatum diligentiam „ vitæ & operum, nè dimidiatim quæ ad noſtram ſalutem ſpectant, curentur.] Neque dicere poteſt oculus manui; Non es neceſſaria quemadmodùm in priore ad Cor. c. 12. loquitur Paulus: [Oculus in corpore, inquit S. Nyſſenus h. 13. in Cant. eſt ſcientia in mente, „ manus autem eſt operatio virtutis.] & Theodoretus ad caput 12. epiſtolæ ad Rom. [Habet „ tamen illa quoque opus activâ, quemadmodùm oculus manibus, pedibus, & alijs partibus corporis.] Et rurſùm in lib. 12. de Græcorum affectionibus; [Arbores radicibus innituntur, ſed rami fructibus exornantur: ſi abſcindantur rami, inutile eſt radicum fundamentum. In animalium corporibus, opus eſt „ oculis, quibus tanquam ducibus utantur, & „ manibus, quibus opera faciant. In telis texendis neceſſaria ſunt ſtamina, ſed & opus „ ſubtegmine, quod ſtaminibus intexatur.]

Poſtremò pudebit quoque ſcientiam, ſi vitæ integritate fuerit deſtituta, fucatam faciem oſtentare ſuam. Verebitur enim, nè ab oculatis auditoribus cum pudore, atque ignominia repellatur, audiatque illud, qui prædicas non furandum, furaris: bonis actionibus comitata, fidentior prodibit. Quam ob cauſam S. Hier. in Ep. ad Principiam, quæ epitaphium Marcellæ continet, c. 2. Chriſtum putavit Act. 1.
cœpiſſe primùm facere, deindè docere. [Erubeſcit enim, quamvis præclara doctrina, „ quam propria reprehendit conſcientia. Fruſtraque ejus lingua prædicat paupertatem, & „ docet eleëmoſynas, qui Crœſi divitijs tumet.]

Digitized by Google

CAPUT VI.

Charitatem ſcientiâ potiorem eſſe.

SCientia igitur, & charitas,atque ex virtute inſtituta vita copulentur : ſed potior charitas,& virtus habenda eſt ; deindè huic addenda ſcientia. Ità fabricabis muræ nulas, quas ſponſæ promiſit ſponſus: quarum ſubſtantia aurea propter charitatem, ſcientiarum argento vermiculata. Atque hic erit amplexus, ſi ſcientiarum læva ſub capite fuerit,& charitatis dextra ſuperior amplexetur, & contineat omnia. Ita erimus ſal terræ, mundique lux. [Priùs ſal, „ ait S. Io. Chryſ. h. 10. oper. imperf. deindè „ lux : quia priùs debet eſſe benè vivere, deindè autem benè docêre.] Et ideò Dominus dixit Matt. 24. Fidelis ſervus,& prudens: Fidelis quæritur propter Deum (interpretatur idem Chryſ. h. 51. ejuſdem operis imperfecti) & prudens propter homines. [Deo non tantùm „ prudentia hominis, quantùm conſcientia „ placet : Hominibus autem non tantùm con„ ſcientia, quantùm ſapientia prodeſt. At „ priùs fidelis, deindè prudens.] Quò item ſpectant verba pſalmi 118. Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini ; Beati, qui ſcrutantur teſtimonia ejus. [Pulcher (in„ quit S.Ambr. ſer. 1. in eum pſalmum) ordo : „ non priùs Qui ſcrutantur teſtimonia ejus ; „ ſed priùs Beati immaculati. Antè enim vita, „ quàm doctrina quærenda eſt. Vita enim bo„ na etiam ſine doctrina habet gratiam, doctri„ na ſine vita integritatem non habet.] Et in eodem pſ. petit à Deo David ; Bonitatem, & diſciplinam,& ſcientiam doce me : Bonitatem primo loco, quia fundamentum eſſe debet; deindè ſcientiam, quæ bonitati ſuper ædificetur, alioqui ruinoſum eſt ædificium, & habitatori perniciosum. Sic etiam Oſeë c. 10. Seminate vobis ad juſtitiam, vindemiate ad fructum vitæ, illuminate vobis lumen cognitionis. Non priùs illuminate, ſed ſeminate. Et in pſ. 1. in via priùs ambulandum docet David, & tunc meditandum in lege. Alioqui meritò tibi dictum audies Matt. 23. Phariſæe cœce munda priùs quod intùs eſt calicis, & paropſidis, &c. Nam niſi intùs mundaveris, etſi foris ſpecioſus videaris, ſimilis eris ſepulchris dealbatis, quæ à foris parent hominibus ſpecioſa, intùs verò plena ſunt oſſibus mortuorum, & omni ſpurcitiâ. Hoc eſt, quod Paulus dicebat; Si habuero omnem ſcientiam, & charitatem non habuero, nihil ſum ; tum quia (ut eſt apud Sanctum Auguſtinum in libro de agone Chriſtiano c. 13.) errat quiſquis putat veritatem ſe poſſe cognoſcere, cùm adhuc nequiter vivat ; tum quia charitas per ſe pretioſa eſt, ſcientia non niſi à charitate pretium, ac valorem habet : illa propter ſe ipſam quærenda eſt ; hæc propter charitatem, & velut illius ancilla, & auxiliaria. Sic enim Philo in libro de congreſſu quærendæ eruditionis gratiâ ratiocinatur de Sara, & Agar ; altera domina, altera ancilla. Agar famula ſcientiam ſignificat : Sara virtutem, & charitatem ; ſeu illa profanas diſciplinas, hæc divinam ſapientiam. Et ut ſe habet hera ad ancillam, matrona ad concubinam, & pellicem ; ita virtus Sara ad ſcientiam Agar. Itaque S. Nazianz. in or. funebri in laudem Baſilij, de ſe, ac Baſilio, cùm adoleſcentes Athenis operam ſtudijs darent : „ [Duæ, inquit, erant viæ nobis cognitæ; una „ prior, & venerabilior ; alia autem ſecun„ daria, & nequaquam dignitate cum priori „ conferenda. Prima nos ad domos ſacras, „ & Doctores, qui illic agebant, ducebat. Se„ cunda autem ad magiſtros externos. Reli„ quas volentibus reliquimus feſtivitates, „ theatra, panegyres, convivia.] Et rurſùm in oratione de funere patris ſui ; Gregorium patrem ſuum ſcribit ita ſecundas doctrinæ tuliſſe, ut pietatis primas obtineret. Extat, & apud eundem Nicobuli epiſtola ad filium : quâ mittens illum ad ſtudia, quinque monet. [Primùm, inquit, hoc cura, ut Chriſtum „ vitæ, ſtudiorumque ducem habeas. Secundò „ nè malum ullum, flagitioſùmque hominem „ ſodalem tibi aſciſcas. Tertiò pudicitiam ſo„ ciam, ac familiarem habeas. Quartò morum „ ſapientiam, ac probitatem doctrinæ antèfe„ ras. Quintò parentibus pro mercede repen„ das nomen optimum.]

Sanè S. Io. Chryſ. h. 53. operis imperfecti, illum, qui accipiens ſcientiam, & notitiam Dei, & Chriſti, contemnit vitam ſpiritualem ; abſcondere putat talentum in terra, & obruere illud in carne ſua, mundique ſollicitudinibus quaſi ſpinis ſuffocare bonum ſemen, nè fructum faciat. [Et cur ſuperbis, inquit h. „ 30. in Acta, quia doces ſermonibus? facilè eſt „ philoſophari verbis. Doce me vitâ tuâ ; hæc „ doctrina optima eſt.] Propterea in h. 7. in Symbolum Chriſtum, ait, frequenter diſcipulis ſuis fuiſſe ſolitum ſalutarem, ac cœleſtem annuntiare doctrinam, ut quæ audiendo perciperent, agendo cuſtodirent. Diſciplinæ quippè non tam verbis, quàm factis, animæ ſolent intromitti, ut habet h. 38. ad populum : „ [Nec enim ita dictis noſtris intendunt, ſicut „ his, quæ à nobis fiunt.] Addit h. 72. [Scien„ tia, & charitas duo bona ſunt (ait S. Aug. „ in lib. de bono conjug. c. 8.) quorum charitas „ eſt melius.] Et S. Hier. in ep. ad Nepotianum, de vita Cleric. c. 11. [Multò meliùs eſt „ è duobus imperfectis ruſticitatem ſanctam „ habêre, quàm eloquentiam peccatricem.] Et in ep. ad Oceanum c. 4. [Dum orator defini„ tur, vir bonus dicendi peritus, antè vitâ, deindè

Cant. 1.

1. Cor. 13.

Virtus, & Scientia.

„ dè linguâ, ut doctus meritò ſuſcipiatur. Per-
„ dit enim authoritatem docendi, cujus ſermo
„ opere deſtruitur. Ideò Epiſcopum vult Apo-
„ ſtolus irreprehenſibilem eſſe.] Et rursùm in epiſtola ad Fabiolam, de veſtitu Sacerdotum, veteri Sacerdoti obſervat non priùs impoſitum fuiſſe Rationale, & ſic Superhumerale; ſed antè Superhumerale, & deinceps Rationale. Et Prophetam dixiſſe; A mandatis tuis intellexi, ut priùs faciamus, & ſic doceamus. Laminam quoque auream in fronte Sacerdotis rutilâſſe, in qua Dei nomen erat ſcriptum. Nihil enim nobis prodeſt omnium rerum eruditio, niſi Dei ſcientiâ coronemur. Et Sanctus Greg. Papa lib. 1. regiſtri cap. 24. de Superioribus, & Prælatis tractans, Superiorem admonet, & Prælatum, viam ſubditis debêre vivendo denuntiare; gregemque qui paſtoris vocem, moreſque ſequitur, per exempla meliùs, quàm per verba incedere: [Qui enim cogitur
„ ſumma dicere, compellitur quoque ſumma
„ monſtrare. Illaque vox libentiùs auditorum
„ cor penetrat, quàm dicentis vita commen-
„ dat; quia quod loquendo præcipit, oſten-
„ dendo adjuvat, ut fiat.]

Hoc eſt, quod jure optimo dolebat S. Bernardus in lib. de inter. domo c. 21. dum videret multos ſcientiam ſtudioſiſſimè quærentes, vitamque negligentes. [Multi, inquiebat, ſcien-
„ tiam quærunt, pauci verò conſcientiam. Si
„ tanto ſtudio, & ſollicitudine quæreretur con-
„ ſcientia, quantò quæritur ſæcularis, & vana
„ ſcientia, & citiùs apprehenderetur & utiliùs
„ retineretur.] Et iterum: [Salvâ reverentiâ
„ ſapientiæ, utilius eſt currere ad conſcientiam,
„ quàm ad ſapientiam; niſi ſapientiam illa ſit,
„ quæ ædificet conſcientiam.] Non ignoro
Pſ. 50. Davidem aliquando dixiſſe; Docebo iniquos vias tuas: ſed præterquàm quod non ſolùm verbis, ſed & vita, factiſque docêre potuit: ſcio etiam illum ter anteà à Deo ſpiritum poſtulâſſe; Spiritum rectum innova in viſceribus meis; Spiritum ſanctum tuum nè auferas à me; Spiritu principali confirma me. Etſi enim charitas, ſeu virtus, atque ſcientia, ut dictum eſt, ſint duo velut crura, duoque brachia; quibus incedat, & operetur Dei ſervus; undè tamen principium motûs? A parte dextra, inquit Philoſophus, à charitate, à virtute. In 4. lib. Regum c. 11. Cùm Sacerdos Joiada regem crearet Joas filium Ochoziæ, poſuit ſuper eum diadema, & teſtimonium: poſuit, inquam, ſuper caput illius regiam coronam, & ſuper illam librum legis; primùm coronam, deindè librum. Corona virtutem ſignificat, quâ unuſquiſque fit dominus, & rex ſui ipſius, vel charitatem, quæ virtutum regina eſt: liber autem legis Symbolum eſt ſcientiæ, quæ ſecundo loco quærenda eſt.

Per Ezechiëlem Prophetam locutus eſt Deus c. 13. Dic ad eos, qui liniunt parietem abſque temperatura, quòd caſurus ſit: erit enim imber inundans, & dabo lapides prægrandes, & deſuper irruentes, & ventum procellæ diſſipantem. Liniunt parietem animæ ſuæ abſque temperatura, qui ſcientiarum ornamenta quærunt abſque ſoliditate, ac firmitate charitatis, ac virtutis. Dic ad eos, quòd caſurus ſit: erit enim imber inundans humanarum laudum, & popularis applauſus, & lapides prægrandes tentationum, atque difficultatum, & vanitatis ventus, ſuperbiæ, arrogantiæ, propriæque æſtimationis, velut procellæ diſſipantis.

CAPUT VII.

Concluſio.

ERGÒ hæc ſit concluſio, tenendum nobis ſemper eſſe S. Bernardi conſilium in 2. lib. de conſid. ut quod ille Eugenio in ſummi pontificatus adminiſtratione agendum dixit, nobis quoque in ſcientiarum ſtudijs ſervandum intelligamus. [A te, inquit ille, incipiat conſi-
„ deratio tua; ſed & in te finiatur. Quocunque
„ evagetur, ad te revocetur. Tu primus tibi,
„ tu ultimus. Sume exemplum de ſummo om-
„ nium Patre, Verbum ſuum & emittente, &
„ retinente. Verbum tuum conſideratio tua.
„ Quod ſi procedat, non recedat, ſic progre-
„ diatur, ut non egrediatur; ſic exeat, ut non
„ deſerat. Ita non inflabit ſcientia, neque de-
„ ſtruet, ſed ædificabit.] Veriſsimè autem Sanctus Irenæus pronuntiavit in 2. libro cap. 45. meliùs eſſe, & utiliùs idiotas, & parùm ſcientes exiſtere, & per charitatem proximum fieri Deo: quàm putare ſe multum ſcire, & in ſuum Deum blaſphemum inveniri. Poteſt ſcientia cum peccato eſſe; non charitas, non pietas. Undè illud S. Aug. audivit in 8. libro confeſſ. c. 8. Surgunt indocti, & rapiunt cœlum, & nos cum doctrinis noſtris ſine corde, ecce ubi volutamur in carne, & ſanguine. Dæmon anteà vocabatur Seraph, id eſt, charitas; poſtquàm cecidit, vocatus eſt Cherub, id eſt, ſcientia; Ezech. 28. Tu Cherub extentus, & protegens, plenus ſapientiâ, & perfectus decore in delicijs Paradiſi Dei fuiſti. Super ſenes intellexi, gloriabatur David in pſ. 118. & quare? Quia mandata tua quæſivi. Hæc eſt ſcientia Sanctorum, quam Deus Sap. 10. dedit viro juſto, quem deduxit per vias rectas, & oſtendit illi regnum Dei. Hæc ſcientia eſt noſſe, & amare Deum: vel ut habet S. Ber. h. in ea verba; [Temporaliter
„ cruciari, & in æternum delectari.]

Digitized by Google

DE VOLUNTATIS AFFECTU
LIBER XXVI.

QUæ in nobis eſt intellectûs,
& voluntatis, ea in operibus
noſtris eſt intentionis, & af-
fectûs conjunctio. Intentio
actûs eſt intellectus ordinan-
tis in finem; affectus ad vo-
luntatem pertinet amplectentem finem: po-
teſtque eadem manente intentione finis & pa-
rùm, & multùm, & remiſsè, ac vehementer
voluntas affici. Itaque imperfecta eſſet hæc
operationum noſtrarum conſideratio, ſi de ſo-
la intentione, non item de affectu diceretur.
De quo tria præſertim à Patribus admonitos
nos fuiſſe video.

CAPUT I.

Operandum, ſi poſſis.

PRIMùM non eſſe nobis ſatis voluntatis
affectum,& deſiderium, ſi opus ipſum ad-
eſſe poſſit. S. Gregorius Nazianz. in or. 4.
de Theol. loquens de patiente Chriſto; [Non
„ ſufficiebat,inquit,ei animi affectio; quemad-
„ modùm nec nobis, niſi manum quoque ope-
„ ribus admoveamus: Opus enim affectionis
„ animi argumentum eſt.] Et de muliere forti
dixit Salomon Prov.31. Digiti ejus apprehen-
derunt fuſum. [In lanificio, inquit S. Aug.
„ ſer.217. de tempore, bonum opus ſignifica-
„ tur. In quo duo ſunt inſtrumenta, colus, &
„ fuſus. In colo lana eſt involuta,quæ filo du-
„ cta tranſit in fuſum; colus in ſiniſtra eſt, fu-
„ ſus in dextra. Opus ergò tuum ſit in fuſo,
„ non in colo. In colo eſt, quod facturus es,
„ in fuſo, quod feciſti. Non ſis contentus bo-
„ na voluntate; quod poteſt manus tua inſtan-
„ ter operare. Quod pendet in colo, ad fuſum
„ traijciendum eſt, ut opus bonum à volunta-
„ tis affectu tranſeat ad manus.] Et S. Greg.
Pſ. 141. Papa in 7. pſ. pœnit. [Non ſufficit benè vel-
„ le, niſi ſequatur & facere.] Cauſam expo-
nit in h. 30. in Evang. [Amor enim operatur
„ magna, ſi eſt: ſi verò operari renuit, amor
„ non eſt.] Et S.Hier. in ep. ad Heliodorum:
„ [Quod ardenter volebam, diſſimulare non
„ poteram.]Alicubi dixit S.Ber.Infernum eſſe
plenum bona voluntate; hoc eſt hominibus,
qui bonam voluntatem habuerunt, ſed nihil
operati ſunt.

CAPUT II.

Voluntatem præmio non carêre.

SECUNDUM Bonum voluntatis affectum,
ubi operari non licet,ſuo apud Deum præ-
mio non carêre. Ita S. Hier ep. ad Theo-
philum adverſùs Jo. Hierosolymitanum c. 1.
„ [Voluntas quoque apud Deum propoſiti ſui
„ mercedem habet;] Et in com. ad caput 11.
Matth. cum dixiſſet Dominus; Jugum meum
ſuave eſt; [Quomodo, inquit, levius lege
„ Evangelium? Cùm in lege homicidium, in
„ Evangelio ira damnetur; in lege adulterium,
„ in Evangelio concupiſcentia puniatur?]Reſ-
pondet: [In lege multa præcepta ſunt, quæ
„ Apoſtolus non poſſe complêri docet. In le-
„ ge opera requiruntur, quæ qui fecerit, vivet
„ in illis. In Evangelio voluntas quæritur,quæ
„ etſi effectum non habeat, tamen præmium
„ non amittit. Evangelium ea præcipit, quæ
„ poſſumus; nè ſcilicet concupiſcamus, quod
„ in arbitrio noſtro eſt. Lex non voluntatem
„ punit, ſed effectum; virgo per vim corrupta
„ apud Evangelium, quia voluntate non pec-
„ cat, virgo ſuſcipitur: in lege quaſi corrupta
„ repudiatur.] Hanc ob cauſam S. Cyprianus *Martyres ſi-*
martyres nos abſque ſanguinis effuſione poſſe *ne ſanguine.*
eſſe confirmat, ſi animo parati ſimus ad dan-
dum Chriſto fidele teſtimonium. In ſer. de mor-
talitate. [Qui perſpicit,inquit,apud te paratam
„ fuiſſe virtutem, reddet pro virtute merce-
„ dem. Ita Dei ſervis, apud quos confeſſio co-
„ gitatur,& martyrium mente concipitur,ani-
„ mus bonus deditus Deo judice coronatur.]
Et in libro de duplici martyrio, ſi quis roget,
quo pacto quis poſſit eſſe martyr ſine ſangui-
nis effuſione: Quiſquis hoc animo ſequitur
juſtitiam, ut mortem citiùs admiſſurus ſit,
quàm velit à juſtitia deflectere, huic prompta
voluntas pro martyrio deputabitur: Deus
enim non æſtimat quemquam ex eventu re-
rum, ſed ex affectu. Ut contrà, mercedem
apoſtatæ feret, quiſquis hoc animo vivit, ut
Chriſtum negaturus ſit, ſi jactura bonorum,
aut corporis cruciatus, aut mors ſit accipien-
da. Et S. Ambr. in 2. lib. de pœnitentia c. 8.
faciliùs eſſe aſſerit Deo ſatisfacere, quod
debeas, quàm hominibus; quia ille volun-
tatis affectu contentus eſt, ſi pecunia deſit,
hi verò non item. [Plura, inquit, ſolven-
„ di habet ſubſidia, qui Deo, quàm qui ho-
„ mini debet. Homo pecuniam pro pecunia re-
poſcit,

Digitized by Google

,, poſcit, quæ non ſemper debitori præſtò eſt: ,, Deus affectum exigit, qui in tua poteſtate ,, eſt. Nemo pauper eſt, qui Deo debet, niſi ,, qui ſeipſum pauperem fecerit; Et ſi non ha- ,, bet, quæ vendat, habet, quæ ſolvat.] Et S. Aug. concione prima in pſ. 103. [Coronat ,, Deus intùs bonitatem, ubi non invenit fa- ,, cultatem.] Et ſer. 220. de tempore. [Deus ,, non annotat facultatem, ſed coronat volun- ,, tatem. Scit, quia voluiſti, & non potuiſti; ,, ſic te annotat, quaſi feceris, quod voluiſti.] Et S. Ber. in lib. de paſſione Domini, ſuper; Ego ſum vitis vera c. 32. [Viſcera ſua non ,, claudit à proximo, qui ſi poſſet, vellet ſub- ,, venire: ſufficitque Domino cor intuenti, ſi ,, ſola voluntas adſit: nam & ipſam pro facto ,, reputat voluntatem.] Et S. Leo Papa in ſer. 2. de quadrag. [Nulli parvus eſt cenſus, cui ,, magnus eſt animus, nec de rei familiaris mo- ,, do menſura miſerationis pendet, aut pietatis. ,, Nunquam merito caret, etiam in tenui fa- ,, cultate, bonæ voluntatis opulentia. Majora ,, quidem impendia ſunt divitum, & minora ,, mediocrium, ſed non diſcrepat fructus, ubi ,, idem eſt affectus operantium.]

CAPUT III.

Voluntatis affectu opera æſtimari.

SED jam tertium ingredior, in quo Sancti Patres ex noſtræ voluntatis affectu docuerunt æſtimari à Deo opera noſtra, meritumque ac pretium illis conſtitui potiùs, quàm ex opere, quod fit. Idem S. Leo ſer. 3. de collectis, de eleëmoſynis loquens; [Fidelium, inquit, ,, largitas non de muneris penſatur pondere, ,, ſed de benevolentiæ quantitate. Sit dives ,, munere copioſior, dum pauper animo non ,, ſit inferior.] Et ſer. 4. [Undè exigua iſta ,, impendia tanta æſtimari taxatione meruc- ,, runt? niſi quia pondera operum charitatis ,, lance penſantur; & cùm amatur ab homine, ,, quod Deus diligit, meritò in ejus aſcenditur ,, regnum, in cujus tranſit affectum.] Et ſer. de collectarum die. [In die retributionis non ,, modus judicabitur cenſuum, ſed qualitas vo- ,, luntatum.] Et rursùm ſer. de decimi menſis jejunio. [In divinæ lance juſtitiæ non quan- ,, titate munerum, ſed pondere penſatur ani- ,, morum.] S. Aug. in lib. 13. confeſſ. c.26. verba profert Apoſtoli Phil. 4. Non requiro datum, ſed requiro fructum. Datum enim eſt res, quæ datur; fructus autem bona, & recta voluntas datoris. Et in libro 50. homiliarum h. 8. cùm incidiſſet in illa verba Luc. 2. In terra pax hominibus bonæ voluntatis. [Quàm ,, parvo, inquit, pretio conſtat regnum cœlo- ,, rum! quàm vili pretio tanta poſſeſſio pro- ,, ponitur! totum habet, qui bonam volunta- ,, tem habet. Ipſa poteſt ſufficere, ſi cætera ,, deſint: ſi autem ſola deſit, nihil prodeſt quid- ,, quid habitum fuerit.] S. Ambroſius lib. 7. in Lucam c. 3. [Deus non obſequiorum ſpe- ,, ciem, ſed puritatem quærit affectûs.] Et lib. 1. off. c. 32. [Alius fructum accepti beneficij ,, aurum auro, argentum argento rependit; ,, alius laborem, alius (haud ſcio an locuple- ,, tiùs) ſolum reſtituit affectum. Quid enim ſi ,, reddendi nulla facultas ſuppetit? In benefi- ,, cio reddendo plus animus, quàm cenſus ope- ,, ratur.] Et lib. 2. de Abel, & Cain c. 6. [Deus ,, non muneribus oblatis placatur, ſed offerentis ,, affectu.] Et S. Bern. ſer. 11. in Cœna Domini. [Largè dat, qui affectum largiendi ha- ,, bet, etiamſi nihil habet, quod largiri poſſit.] Et in ſer. de virtute obedientiæ. [Sola volun- ,, tas eſt, quæ totius operis ornat affectum, ,, ſine qua etiam nec benè aliquid agitur, et- ,, iamſi bonum eſſe videatur.] S. Gregorius Papa lib. 20. mor. c. 26. [Apud Omnipo- ,, tentem Deum aliquando majus eſt datum ,, mentis, quàm muneris.] Et lib. 22. c. 8. ,, [Ex dantis corde id, quod datur, accipitur. ,, Idcircò non Abel ex muneribus, ſed ex Abel ,, munera oblata placuerunt. Exteriora mune- ,, ra ex interna cordis munditia condiuntur.] Et h. 5. in Evang. [Affectum potiùs debemus ,, æſtimare, quàm cenſum. Cor Deus, non ,, ſubſtantiam penſat, nec perpendit, quantum ,, in ejus ſacrificio, ſed ex quanto profera- ,, tur. Æſtimationem pretij regnum cœlo- ,, rum non habet; ſed tamen tantum valet, ,, quantum habes. Valuit Zachæo dimidium ,, ſubſtantiæ: valuit Petro, & Andreæ dimiſſis ,, retibus, & navi: valuit viduæ duobus minu- ,, tis: valuit alteri calice aquæ frigidæ. Sed & ,, ſine hoc quidem habeas, canunt Angeli; Glo- ,, ria in excelſis Deo, & in terra pax homini- ,, bus bonæ voluntatis. Antè Dei enim ocu- ,, los nunquam eſt vacua manus à munere, ſi ,, fuerit arca cordis repleta bonâ voluntate.] Quod ad Auguſtini interrogationes reſpondens c. 10. ex veteris, ac novi teſtamenti differentia confirmat. [Sicut enim in veteri te- ,, ſtamento exteriora opera ſervabantur, ita ,, in teſtamento novo, non tam quod exteriùs ,, agitur, quàm id, quod interiùs cogitatur, ,, attenditur.] S. Gregorius Nazian. in or. in Julianum, de ſuis ſermonibus, ita loquitur. ,, [Nihil earum rerum, quæ Deo offeruntur, ,, tam parvum eſt, quamvis etiam minimi mo- ,, menti ſit, quamvis longè illius dignitate in- ,, feriùs ſit, quod non omninò accipiat, atque ,, comprobet. Accipit ille Pauli plantationem, ,, Apollinis irrigationem, & viduæ duo minu- ,, ta, & Publicani humilitatem, & Manaſſis ,, confeſſionem.] Adfert etiam oblationes aliquando à populo factas pro Moyſis tabernaculo, inter quas pili quoque caprarum fuerunt, ut vidêre eſt Ex. 25. & 35. & Hebr. 8.

Digitized by Google

Ita ratiocinationem concludit. [Illud pulcher-
,, rimum, humaniſſimumque cenſendum eſt,
,, quod Deus munificentiam non oblatæ rei
,, pretio, & dignitate, ſed offerentis affectu,&
,, facultate metitur.] Et or. in Sanctum Bap-
tiſma; [Nihil apud Deum magni æſtimatur,
,, quod non pauper quoque donare poſſit: &
,, qui promptitudinem animi majorem adfert,
,, locupletior cenſetur.] Et ideò in epiſtola ad
Vitalianum filiorum ipſius nomine; [Præſtat
,, Deo cum exiguo munere victimam cordis
,, offerre, quàm cum impuro, ac ſordido ani-
,, mo ſacrificijs omnibus eum honorare.] S.
Io.Chryſ. h. 21. in Acta de eleëmoſyna diſſe-
rens; [Multitudo,inquit,eleëmoſynæ, non ex
,, his,quæ dantur, judicatur ſolùm: ſed etiam
,, ex voluntate, modo ne des minùs, quàm fa-
,, cultas tua poteſt.] Et h. 19. in ep. ad Roma-
nos. [Si nihil habeas, habeas autem animum
,, condolentem, apponetur tibi merces. Et
,, quando Chriſtus beatos dixit miſericordes,
,, non eos ſolos intellexit, qui datis pecunijs
,, miſericordiam exhibent; ſed & eos, qui ani-
,, mi propoſito id faciunt.] Et h. 3. in priorem
ep. ad Cor. [Deus non ſecundùm bonorum
,, operum eventum, ſed juxtà factorum pro-
,, poſitum coronas largitur.] Et h. 10. in epi-
ſtolam ad Philip. [Non menſuræ datorum in-
,, tendit Deus, ſed voluntati exhibentium: &
,, poteſt in penuria exiſtens, & modica lar-
,, giens,totum accipere. Ea namque Deus exi-
,, git, quæ quiſque dare poteſt.] Et h. 10. in
priorem ad Theſ.idem aſſerit de rapina,& fur-
to. [Non enim in menſura raptorum, & furto
,, ablatorum, ſed in voluntate furantis, ſitum
,, eſt maleficium.] Et h. 3. in poſteriorem ad
Tim. tum de eleëmoſyna,tum de furto; [Vo-
Furti mate-ria. ,, luntas propoſitumque diſcernitur, non da-
,, tum ipſum.] Et adfert viduam Luc. 21. duo
minuta dantem, quæ tamen plus omnibus de-
diſſe dicitur.Nec ſolùm in bono, ſed & in ma-
lo. Nam ſi duo minuta rapias,& cuperes plura
&c. Immò magis eum peccare ait,qui nec mi-
nima quidem rapere omittit; ſicut magis adul-
ter eſt,qui quamlibet è vulgò, quàm qui regi-
nam violaverit: illic enim plurima irritamenta
ſunt. Et magis ebrius eſt, qui quolibet vino,
quàm qui optimo inebriatur. Et h. 1. in ep. ad
Hebr. [Non quantitate datorum, ſed facul-
,, tate, & voluntate dantium, eleëmoſynæ ma-
,, gnitudo ponderatur. Voluntatem ſemper
,, Deus, non ea, quæ dantur, attendit: etſi
,, illam videt magnam, juxtà eam judicat, &
,, pronuntiat, futurorumque bonorum partici-
,, pes facit.] Et hom. 32. [Non menſurâ, vel
,, quantitate datorum judicatur miſericordiæ
,, magnitudo, ſed ex voluntate largientis.] Et
h. 34. ad populum. [Eleëmoſynæ magnitudo,
,, non in pecuniarum multitudine judicatur,
,, ſed in dantium promptitudine.Sanè Alexan-
,, der quoque rex Perſarum, ut ad Trajanum
,, ſcripſit Plutarchus apophtegmatum libellum
,, dedicans, à paupere homine oblatam aquam
,, ambabus manibus è proximo hauſtam flu-
,, mine, jucundè & ſuſcepit, & arriſit; non
,, rei utilitate, ſed prompta voluntate gratiam
,, metitus.]

Porrò hoc non ex uno, ſed ex pluribus pla-
nè ſcripturæ locis cognoſcimus. Hoc enim
ſibi vult illud Gen. 4. Reſpexit Deus ad Abel
primùm, tùm ad munera ejus, de quo in ſupe-
riori tractatu dictum eſt. Deindè ex ſacrifi-
cio Abrahæ Gen.22. quod, ut h. 47. obſervat
S. Chryſ. etſi non fuiſſet reipſa perfectum
Iſaac mactatione; Deus tamen Abrahæ dixit:
Non peperciſti filio tuo, nempè quo ad vo-
luntatem, & affectum animi, quo cruenta-
verat dexteram. Ideò quaſi ſacrificio conſu-
mato eum remuneravit. S. Hier. in ep. 34. ad
Julianum, Abraham ſcribit voluntate uni-
cum filium jugulâſſe. Tum verò ex parabola
vineæ Matth. 20. in qua eadem denarij mer-
ces data eſt; tum ijs, qui hora undecima ve-
nientes vix unâ laboraverant horâ, tum illis,
qui portaverant pondus totius diei, & æſtus:
ſive quòd promptum habuiſſent animum la-
borandi tota die, ſi horâ primâ vocati fuiſ-
ſent, ſive quòd brevi illo tempore tanto la-
borârunt affectu, ut temporis brevitatem com-
penſâſſent. De his ita loquitur S. Greg. Na-
zianz. or. in Sanctum Baptiſma; [Etſi quan-
,, tum ad laboris modum, qui primi ad vineam
,, vocati ſunt, plus contulerint; non tamen
,, quantum ad animi, libereque voluntatis mo-
,, dum.] Et Orig. tr. 10. in Matthæum, hanc
ipſam parabolam tractans. [Quoniam,inquit,
,, affectus, non tempus reſpicitur, ideò non aſ-
,, picitur, ex quo quis vocatus ſit,ſed quantum
,, operatus eſt,& propterea omnibus æqualiter
,, tribuitur merces ſalutis.] Propterea ex calice
aquę frigidę dato Matt. 10. qui non caret mer-
cede ſua; & ex duobus minutis Luc. 21. quæ
paupercula vidua dedit, & ſententia Domini
plus omnibus dediſſe prædicatur,vel quia nihil
ſibi reſervavit, vel quia majore affectu, & vo-
luntate dedit. Priorem cauſam viſus eſt ſequi
S. Ambr. in lib. de viduis; [Vidua hæc,inquit,
,, plus omnibus miſit: Uberior enim eſt num-
,, mus è parvo,quàm theſaurus è maximo,quia
,, non quantum detur, ſed quantum reſideat,
,, expenditur: Nemo plus tribuit,quàm qui ſibi
,, nihil relinquit. Et flumina ſuperfluunt,cùm
,, redundant, gratior autem hauſtus è rivulo.]
Et lib. 1. off. c. 30. [Duo æra viduæ illius di-
,, vitum muneribus prætulit, quia totum illa,
,, quod habuit, contulit? illi autem ex abun-
,, dante partem exiguam dederunt.] Et in ca-
put 7. poſterioris epiſtolæ ad Cor. [Non quæ-
,, ritur quantum, ſed de quanto, & quo ani-
,, mo detur. Nam & vidua illa laudatur. Illius
enim

Digitized by Google

„ enim parum multum eſt, quia plus miſit, „ quàm poterat; divites autem minus miſe- „ runt, cùm plus poſſent, & de eo, quod ab- „ undabant, miſerunt.] Poſteriorem Origenes tractatu 9. in Matth. [In dátis, inquit, non „ ipſum datum, ſed affectum dantis aſpiciens „ Deus juſtificat; & meliùs ſuſcipit parva dan- „ tem cum magno affectu, quàm magna ex „ affectu modico.] Et adfert hoc de duobus viduæ minutis. Et S. Aug. in pſ. 125. [Vidua „ illa, quæ duo minuta miſit, parum ſemina- „ vit? Imò tantum, quantum Zachæus, qui „ dimidium bonorum ſuorum dedit. Minores „ facultates ferebat, ſed parem voluntatem ha- „ bebat. Miſit duo minuta de tanta voluntate, „ de quanta Zachæus dimidium patrimonij „ ſui.] Et S. Chryſ. tum in h. 3. in poſterio- rem ad Tim. ut paulò antè dictum eſt, tum in h. 42 in Gen. [Dominus non quanta dentur „ conſuevit attendere, ſed voluntatis largita- „ tem.] Adfertque viduam duo minuta mit- tentem. Et rursùm h. 55. [Magnitudo eleë- „ moſynæ non in multitudine pecuniarum, vel „ opum ſita eſt, ſed ex alacritate dantium ju- „ dicatur.] Et adfert potum aquæ frigidæ, & duo hæc minuta viduæ. Et h. 15. in ep. ad Philip. [Non pecunijs emitur regnum cœlo- „ rum, ſed animi voluntate. Illam ſi habueris, „ poteris & per æra minuta duo emere. Non „ potui aquæ frigidæ promiſit Deus regnum, „ ſed animi voluntati, & alacritati.] Et h. 7. de pœnitentia; [Non dantis menſurâ eleëmo- „ ſynæ magnitudo metitur, ſed dantis propo- „ ſito; velut vidua, quæ totas opes exhauſit ex „ tota anima.] Et h. de miſericordia, & dua- bus mulieribus viduis: [Certabat animo cum „ divitibus vidua, cum locupletibus pauper, „ mediocris cum opulentiſſimis fide, & devo- „ tione certabat. Sed vincit animo, devotione „ ſuperat, invenitur potior, melior conſpici- „ tur, major omnibus à Judice pronuntiatur: „ Amen, inquit, dico vobis: Vidua hæc plus „ omnibus dedit.] Et h. 49. ad Populum: [In „ eleëmoſyna hi quidem aurum conijciebant, „ illa verò duo minuta, & nihil minùs illis „ contulit. Quare? Voluntas judicatur & non „ datum.] Et S. Hier. ep. 34. ad Julianum: „ [Paupercula vidua duo æra minuta miſit in „ Gazophylatium: Et quia totum obtulit, quod „ habebat, omnes dicitur in oblatione mune- „ rum Dei ſuperâſſe locupletes, quæ non pon- „ dere ſui, ſed offerentium voluntate penſan- „ tur.]

Denique ſcitum eſt illud Sancti Martini factum. Hic pauperi eleëmoſynam petenti chlamidis partem dedit, cùm integram dare non liceret: Et tamen Chriſtus ſequenti nocte illi apparens integram appellavit veſtem; Martinus Cathecumenus hac me veſte contexit. Tanta eſt voluntatis noſtræ vis. Si enim integram dare potuiſſet, integram dediſſet.

Sed neque veteres diſſenſêre philoſophi. Inter quos (ut cæteros mittam) Seneca in primo de beneficijs libro beneficium diſputat, non eſſe rem eam, quæ tribuitur; ſed ipſam tribuendi voluntatem, multòque gratius eſſe id, quod facili, quàm quod plena manu datur. Ita ſenſit & Socrates, cui cùm Alcibiades, diviteſque alij juvenes egregia dediſſent dona; viciſſe omnes judicavit ſapientiſsimus Socrates pauperem Æſchynem, qui cum aliud, quod daret, non haberet, prompto ſeipſum animo dedit. Propterea & in 2. lib. promptè dari vult idem Seneca beneficium; cum enim jucundiſſima ſit tribuentis voluntas, cunctatio, & mora invitam quaſi, & coactam voluntatem teſtatur. Neque res ulla cariùs conſtat, quàm quæ precibus empta eſt. Serò dedit, qui roganti dedit. Et Comicus ille tantum te dixit gratiæ demere, quantum adijcis moræ, & in libro 7. eum reddidiſſe beneficium contendit, qui promptam habuit voluntatem, omnemque reddendi occaſionem quæſivit, etiamſi reddiderit nihil.

DE LEVIORIBUS CULPIS.

LIBER XXVII.

CÆTERÙM aliud eſt, quod non minùs attentè conſiderandum, ac diligenter explicandum eſt. Non ſolùm enim rectam operantes quidpiam intentionem, & ardentem affectum habêre; ſed & ab omni vel leviſſima culpa, quantùm fieri poterit, conſcientiam mundam conſervare nos oportet.

CAPUT I.

Prima Ratio.

SANÈ non paucos à gravioribus mundos vivere credendum eſt; ſed multos in levioribus vitandis negligentiores eſſe, manifeſtum eſt. Pulchrè autem Origenes h. 14. in Joſuë, illud exponens, quod c. 11. dicitur Joſuë adverſùs illos reges pugnâſſe, Amorrhæum, Hethæum, ac cæteros, & percuſſiſſe illos

los perſecutumque fuiſſe uſque ad Sidonem magnam. [Nunquam, inquit, reperi Sidonias „ duas magnam,& parvam; ſed ſi ſpectem no„ minis ſignificationem, quod ſignificat vena„ tricem, vel venatores; video quòd adver„ ſariarum virtutum quidam ſunt venatores in „ parvis, & quidam in magnis, alij per parva „ peccata, alij per magna decipiunt animas.] Itaque laxioris vitæ homines per magna dicere licet à dæmonibus tentari, & decipi; alios, qui arctioris vitæ rationem tenent, per parva. [Animæ autem (ut idem Origenes ratio„ cinatur h. 7. in Ezech.) mirabilis eſt pul„ chritudo, quia facta eſt ad imaginem, & ſi„ militudinem Dei; nec maximis modo pec„ catis, ſed minorum quoque ſocietate turpa„ tur.] Atque ex corpore duci argumentum poteſt. In pulchra etenim facie non ſolùm vulnus, aut grandis deformitas diſplicet, pulchritudinemque tollit, ſed parvus quoque nævus magnoperè minuit: quodque eſt nævus in facie, hoc eſt in anima levis culpa, quam venialem appellamus. Ita ratiocinatur S. Ber. in ep. 249. ad Bernardum priorem portarum. [Prorſùs,inquit, diſplicet in pulcherrimo corpore, „ non ſolùm morbus, ſed & nævus. Non „ planè bonus color; ſi ſanctorum quiſpiam „ anxiè ferre abjectionem ſuam videatur, de„ qua etiam non gaudère, & non gloriari, mi„ nus eſt à perfecto.] Porrò in propoſito perfectionis apparère imperfectum, nævus eſt.

Simile argumentum peti ex veſtibus poteſt, quæ non magnis ſolùm, ſed & parvis ſordeſcunt maculis, eoque magis, quò fuerint pretioſiores. Sic enim fermè S. Greg. Nazian. h. in illud Matth. 19. Cùm conſumaſſet Jeſus ſermones iſtos &c. Nam de virginibus ita ſcribit. [Quò puriorem cernit, eò enixiùs com„ maculare,atque inquinare contendit. Splen„ didæ etenim veſtes luculentiores ſunt ſor„ des.] Idem de religioſis, atque Eccleſiaſticis viris dici poteſt, quorum ſtatus, ac vitæ ratio melior eſt, atque perfectior, quàm hominum cæterorum. Atque hæc ſit prima ratio, cur omni cura, & ſollicitudine culpas haſce vitare debeamus quoniam minùs nos decent, magiſq; profeſſionem noſtram commaculant.

In veteri lege qui inviti hominem occidiſſent, confugere jubebantur ad urbem ſacerdotalem, ibique eſſe uſque ad obitum Pontificis ſummi. Quia ut philoſophatur Philo Judæus in libro de ſpecialibus legibus, à peccatis voluntarijs debent eſſe puri plebeij homines: princeps verò Sacerdotum ab utriſque à voluntarijs,& involuntarijs. Nefas enim eſt hunc quidquam pollutum attingere, vel ſpontè, vel caſu fortuito: ut cùm ſacris præſit, ornatus ſit parte utraque tum mente irreprehenſibili, tum vitâ nullis probris obnoxiâ. Itaque tales meritò ſuſpecti ſunt, qui nolentes cædem fecerunt, non ut ſcelerati, ſed ut minùs puri à peccato.

CAPUT II.

Secunda ratio.

SECUNDA ratio eſt: quia quæ parva, & levia nobis videntur,verè parva,& levia non ſunt, etſi parva, & levia dicantur per comparationem majorum, & graviorum. Hoc multis modis oſtendi poteſt. Primùm quia culpæ ſunt, peccata ſunt, diſplicent Deo, & Deum offendunt. Undè meritò S. Anſel. in lib. de miſeria hominis. [Quod peccatum pecca„ tor audebit dicere parvum? Deum enim ex„ honorare, quando eſt parvum?] Et in ep. 125. libri 3. ad Eulaliam; [Nolite putare ali„ quod peccatum eſſe parvum; quamvis aliud „ alio ſit majus. Nihil enim, quod fit per ino„ bedientiam, quæ ſola ejecit hominem de pa„ radiſo,parvum dici debet.] Et S.Hier. in ep. ad Celantiam; [Neſcio, an poſſimus leve ali„ quod peccatum dicere,quod in Dei contem„ ptum admittitur.] Et in regula monachorum. [Leve nunquam eſt Deum etiam in exi„ guo contemnere, qui non tantùm ad quali„ tatem peccati reſpicit, ſed etiam ad perſonæ „ contemptum: propter quod non ſolùm ho„ mini intendendum quale ſit, quod jubetur, „ ſed quantus ſit ille,qui jubet.] Idem habet in ep. de ſcientia divinæ legis, ſi modò Hieronymi eſt. Et S. Aug. in ep.9. ad Romulum inter ep.in fine poſitas. [Parva,& quaſi nulla tibi vi„ dentur,quæ tam mala ſunt; ut quando te do„ mita cupiditas ea conſiderare permiſerit, ri„ ges lachrymis terram, ut Deus miſereatur „ tui.] Et in Enchirid. c. 79. [Sunt quædam, „ quæ leviſſima putarentur, niſi in ſcripturis „ demonſtrarentur opinione graviora. Quis „ enim dicentem fratri ſuo; Fatue, reum ge„ hennæ putaret, niſi veritas diceret?] Quam ob cauſam in libro contrà mendacium cap. 8. „ [Quis dicat, inquit, eſſe peccandum; etſi „ aliud ſit damnabile, aliud veniale pecca„ tum?] Neque diſſentit S. Chryſ. h. 14. in ep. ad Epheſ. [Propter hoc ipſum, inquit, „ magnum eſt malum, quod nihil eſſe viden„ tur. Etenim, quæ nihil eſſe videntur,facilè „ contemnuntur, quæ verò contemnuntur,au„ gentur,& multiplicantur, quæ augentur au„ tem,redduntur etiam incurabilia.] Et h.9.in 1. ad Teſſal.[Nè dicamus,nihil hinc damni,ni„ hil indè: undè nihil expectabamus, ſæpènu„ mero ſpoliati ſumus.] Et ſer.de levium peccatorum periculis. Leve forſitan æſtimas, ſi „ ſermone deliqueris. At leve non eſt,quo ho„ mo aut juſtificatur in bono, aut in malo ſer„ mone condemnatur. De ſermonibus tuis con„ demnaberis. Quare beatus eſt ſermo,ſi juſti„ ficationi proficiat; infelix eſt, ſi damnatio„ nem incurrat.] Et lib. 3. adversùs vitupera-

tores

Digitized by Google

tores vitæ Monaſticæ, aliquos affirmat damnandos, & infernum eſſe propter intempeſtivum riſum. [Eorum enim quoque delicto-
„ rum, quæ videntur eſſe levia, & nulla, terri-
„ biles tunc pœnas expendemus.]

S. Baſilius in regulis brevior. 4. cum quæſiſſet: Num inclemens habendus ſit, qui pro leviſſimis culpis acriter nimis urgeat; Reſpondet non eſſe. Quia ſi Chriſtus dixit; Iöta unum, aut unus apex non præteribit à lege,
Matt. 5. & de omni verbo otioſo reddent homines ra-
Matt. 12. tionem, nihil omninò minutum contemni debet. Addit, nullum peccatum leve dicendum eſſe cùm Paulus dicat; Per tranſgreſſionem legis Deum inhonoras? & ſtimulus mortis non eſt hoc, aut illud; ſed indefinitè quodcumque peccatum. Inclemens ille habendus eſt, qui obticet; non qui arguit. Et iterùm 293. quærens, quid ſi quis majora peccata caveat, minora contemnat? Reſpondet differentiam hanc majorum, & minorum in novo teſtamento non reperiri; ſed universè dici Io. 8. Qui facit peccatum, ſervus eſt peccati, & Io. 3. Qui contumax eſt in filium, non videbit vitam æternam, cùm contumacia non in diſcrimine peccatorum, ſed in violatione præcepti conſiſtat. Secundò reſpondet, ſi diſcrimen illud admittatur; ſanè magnum unicuique illud eſſe, à quo ſuperatur; & parvum, quod ipſe ſuperat: ut in athletis, qui vicit, fortis eſt, qui victus, imbecillior eo, à quo victus eſt; quiſquis ille ſit. Quare ergà eum, qui cujuſcunque generis peccatum admittat,
Matt. 18. ſervandum eſt præceptum Domini; Vade corripe eum &c. Quod autem levia nobis videantur, refert in amorem proprium, quo nobis blandimur; S. Gregorius hom. 4. in Ezech.
„ [Multa, inquit, peccata committimus; ſed
„ nobis gravia non videntur; quia privato nos
„ amore diligentes, clauſis nobis oculis in
„ noſtra deceptatione blandimur. Undè fit ple-
„ rumque, ut & noſtra gravia leviter, & pro-
„ ximorum mala levia graviter judicemus. Et
„ ſcimus, quia vehementer claudit oculum cor-
„ dis amor privatus. Sed hoc corrigere Moy-
„ ſes ſtuduit Lev. 19. cùm dixit juſtum debêre
„ re eſſe modium, equumque ſextarium. Et
„ Salomon Prov. 20. Pondus & pondus men-
„ ſura, & menſura, utrumque abominabile eſt
„ apud Deum.]

Hinc eſt, quòd de illis quoque quæ parva, & levia vocamus, reddituri Deo ſumus rationem; Matth. 12. De omni verbo otioſo reddent rationem in die illo. Et c. 10. Veſtri capilli capitis omnes numerati ſunt; hoc eſt inanes omnes, & vanæ cogitationes: Et ideò inquiebat Job c. 14. Tu quidem greſſus meos dinumeraſti, ſed parce peccatis meis. S. Hier. in ep. ad Heliodorum c. 8. [Ut, inquit, Deum
„ in cœlo, ac magnis operibus miramur; item
„ & in formica, & minutis quibuſque ita mens
„ Chriſto dedita æquè & in majoribus, & in
„ minoribus intenta eſt, ſciens etiam pro otioſo
„ verbo reddendam eſſe rationem.] Et veriſſimum eſt illud pſ. 48. Iniquitas calcanei mei circumdabit me: quaſi diceret: ea quæ nunc tam parvi imò nihili facio, ſicut ea, quæ ſunt ſub calcaneo, quæque pedibus conculcamus, ea ipſa vexabunt me. Hoc nimirùm prædixit Deus per Sophoniam c. 1. Scrutabor Jeruſalem in lucernis. Si exiguam rem quampiam amiſimus, lucernam accendimus, ut eam quæramus: & Deus non unam, ſed plures accendet lucernas (Scrutabor in lucernis) quoniam Dei oculus acutiùs multò vel minimas noſtras perſpiciet culpas, quàm ſi omnes mundi lucernæ eſſent accenſæ. Hoc verebatur David, àtque illum ad crebrum urgebat conſcientiæ ſuæ examen, quemadmodùm ipſemet fatetur in pſalmo 76. Cogitavi, inquit, dies antiquos, & annos æternos in mente habui. Itaque oportet nos in conſcientijs noſtris duo inſtituere
judicia. Alterum diſcuſſionis, accuſationis al- Conſcientiæ
terum. Diſcuſſio erit accuratum examen, quo examen.
coram Deo ponderemus vel minima quæque antequàm Deus ipſe in lucernis ſcrutans diſcutiat. De hoc judicio, ſeu examine loquens S. Io. Chryſ. h. 60. in Gen. [Peccata, in-
„ quit, quæ nobis videntur parva, non con-
„ temptim prætereamus; ſed quotidiè à nobis
„ rationes repetamus & verborum, & ſpecta-
„ tionum, & pœnas de nobis ipſis ſumamus,
„ ut nos à futuro ſupplicio liberemus. Nullo
„ ſciente, in tribunali conſcientiæ ſedeamus,
„ & ſic examinemus noſtras ipſorum cogitati-
„ ones, ut rectam ſententiam proferamus.]
Accuſatio porrò fuerit agnoſcendo noſtras culpas, nec eas veluti leves excuſando; ſed
peccatores nos confitendo memores; Quia Pſalm 141.
non juſtificabitur in conſpectu Dei omnis vivens.

Sed ubi de animæ ſalute, ac perfectione Peccata ve-
agitur, nihil parvum cenſeri debet, quod eam, nialia.
vel minimum lædat, aut impediat. Venialia autem peccata plurimùm lædere, & impedire, quis neſciat? Nam ſi charitatem non tollunt, illius tamen fervorem non parùm minuunt. Etſi non totum animæ lumen extinguunt, obtenebrant tamen, atque ita offuſcant, ut nihil propemodùm cernat; Sicut nubes in aëre lumen ſolis offuſcant, & ſpeculum pulvere multo conſperſum res objectas minùs benè repræſentat. Alas quoque animæ ita ligant, atque conglutinant, ut ad ea, quæ ſpiritûs ſunt, evolare non queat. Ædificij noſtri fundamenta tantoperè debilitant, atque concutiunt, ut vel levi impetu facto facilè poſſit totum ædificium corruere, & quidquid perfectionis multo tempore, plurimoque labore fuerit comparatum, amitti. Cuniculi demùm

Digitized by Google

mùm adverſus ànimæ noſtræ turrim fodiunt, hoſtiſque noſter, vel levi occaſione data ignem poteſt accendere, totamque molem ſubvertere. Hinc eſt, quod S. Baſilius loquitur h. de Baptiſmo; [In vitæ negotio paululum non „ eſt, quod paululum abeſt, ac ferè dicitur, ut „ quidam noſtrorum ſapientum admonuit.] Probat autem ex veteri lege, in qua ànimalia, quæ offerebantur Deo omninò integra eſſe oportebat: & vel minima macula, vel mutilatio, velut auriculæ, ineptum hominem ad Sacerdotium reddebat. Adfert & illud; Iota unum, aut ùnus apex non præteribit à lege; &, Qui fecerit totam legem, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus; & illud Pauli: Ut exhiberet ſibi glorioſam Eccleſiam non habentem maculam, aut rugam; & alia multa. Sed & in prœmio in lib. de Spiritu Sancto ad Amphilochium; In Scriptura Sacra monet propterea dictiones quoque ac ſyllabas ponderandas eſſe. [Quia ut artes cæteræ, ita & pie„ tatis acquiſitio, paulatim minutis acceſſio„ nibus augeſcit; nihilque eſt prætermitten„ dum ijs, qui ad cognitionem inſtituuntur, „ veluti ſi quis prima elementa, ut res minutas, „ contemnat; quando ad perfectam perveniet „ ſapientiam?] Idem de levium culparum contemptu nos dixerimus.

Veriſſimum prorsùs eſt illud Chriſti Domini pronuntiatum Luc. 16. Filij hujus ſæculi prudentiores filijs lucis in generatione ſua ſunt. Ex illis igitur verbis argumentum ſumatur, quo; ni fallor, uſi aliquando ſunt Euſebius Emiſſenus h. 8. ad monachos, & S. Anſelmus in libro de ſimilitud. c. 155. Ut enim ex parvis ſæpè repetitis lucris pauperrimos homines ſæpè vidimus ditiſſimos factos: contrà verò ex parvis crebrò repetitis diſpendijs vel ingentes fuiſſe theſauros conſumptos, hominesque prædivites ad magnam redactos inopiam: Sic nimirùm in ſtudio virtutis, ac perfectionis evenit, dum aut à levibus culpis abſtinemus, aut in eas præcipites quavis occaſione data prolabimur. [Scelus eſt, Euſebius loqui„ tur, quòd interdùm nobis levia facit peccata „ noſtra ipſa conſuetudo peccandi, cùm cer„ tum ſit, nos ſicut de minimis bonis augêri, „ ita de minimis negligentijs debêre compun„ gi: Non enim minimum eſt, vitia in vita „ hominum negligere minima.] Et Anſelmus; „ [Pauper niſi minima lucra cuſtodiat; ſed ex„ pendat, nunquam diteſcet; illis autem cu„ ſtoditis diteſcit: ita & in ſpiritualibus.] Quam ob cauſam in ep. 49. libri 3. hanc Ceſtrenſibus monachis certam ad perfectionem commonſtrat viam. [Ordo paulatim diſſipatur, & de„ ſtruitur. Si ergò de virtute in virtutem vul„ tis aſcendere, ſemper timete in ſingulis mini„ mis Deum offendere.] Eandemque in ep. 125. & 151. Eulaliæ, & Ioanni priori, totique congregationi Betenſi oſtendit. Nam in priori loco ita ſcribit: [Si vultis proficere, & horre„ tis deficere, nolite modica deſpicere. Utique „ ſicut verum eſt, qui modica deſpicit, paula„ tim deficit; ita verum eſt, quia qui modica „ non deſpicit, paulatim proficit.] In poſteriori autem ita: [Si coram Deo vultis profice„ re, nunquam minima mandata velitis deſpi„ cere. Sicut autem qui modica deſpicit, pau„ latim decidit; ſic qui modica non deſpicit, „ non dico paulatim, ſed efficaciter proficit.]

CAPUT III.

Tertia ratio.

TERTIA ratio eſt, quia quò leviora, & minora exiſtimantur, eò faciliùs admittuntur. A gravioribus abhorret natura, & ratio, propterea vitantur faciliùs: leviora ſpontè admittimus, quòd levia nec magnoperè noxia judicantur. Ita philoſophatur S. Ioannes Chryſ. h. 87. in Matth. [Peccata, quæ parva „ videntur majore ſtudio vitanda ſunt, quàm „ magna. Hæc enim natura ipſa ſpontè aver„ tit: illa verò hac ipſa re, quia parva ſunt, „ deſides facit.] Et S. Anſelmus in ep. 30. lib. 3. ad Mathildam Abbatiſſam; [Tantò vigi„ lantiùs à minimis exceſſibus debemus cavê„ re, quantò eos frequentiùs cognoſcimus ſe „ nobis ingerere, & quantò callidiùs deceptor „ noſter nullam in eis eſſe culpam, aut con„ temnendam, ſi qua eſt, nititur nobis perſua„ dêre.]

CAPUT IV.

Quarta ratio.

SED & S. Greg. Papa in tertia parte paſtor. curæ admon. 34. quartam addit rationem: eò magis hæc cavenda eſſe, quò difficiliùs emendantur; [Nonnunquam, inquit, in par„ va deteriùs, quàm in majori, culpa pecca„ tur. Major enim quò citiùs, quia ſit culpa, „ cognoſcitur; eò & celeriùs emendatur. Mi„ nor verò dum quaſi nulla creditur, eo pejus, „ quò & ſecuriùs, in uſu retinetur. Undè fit, „ ut mens aſſueta malis levibus, nec graviora „ perhorreſcat, atque ad quamdam autorita„ tem nequitiæ per culpas nutrita perveniat; „ & tantò in majoribus contemnat pertimeſ„ cere, quantò in minimis didicit non timen„ do peccare.] Confirmat illud Sancti Auguſtini lib. 1. qq. veteris, & novi teſtamenti q. 1. [Quantò minora ſunt, tantò ſubtiliora, „ & dum contemnuntur, non vitantur.]

CAPUT V.

Quinta ratio.

Peccata levia diſponunt ad gravia?

QUINTA ratio & quidem longè graviſſi-
ma; & quæ pluribus tractanda eſt. Nam
parva hæc peccata diſponunt ſenſim ad magna,
atque ex venialibus culpis facilè ad mortales
tranſimus. Quam ob cauſam Eccleſiaſtici cap.
19. dicitur; Qui ſpernit modica, paulatim
decidet. [Diabolus (inquit S. Hier. in pſal-
„ mum 140.) non pugnat citò contrà aliquem
„ per grandia vitia, ſed per parva, ut poſſit,
„ quomodocunque intrare, & dominari homi-
„ ni, & poſteà in majora vitia eum impellat.]
Quod accommodato valdè exemplo illuſtrat
S. Aug. lib. 2. de Trinit. c. 11. [Quomodo
„ enim coluber non apertis paſſibus, ſed
„ ſquammarum minutiſſimis niſibus repit; ſic
„ lubricus deficiendi motus negligentes minu-
„ tatim occupat, & incipiens à perverſo appe-
„ titu ſimilitudinis Dei, pervenit ad ſimilitudi-
„ nem pecorum.] Propterea vel parvæ tenta-
tiones magni faciendæ ſunt, ſerioque earum
principijs reſiſtendum. Nam & in libro Cant.
c. 2. dicitur; Capite nobis vulpes parvulas,
quæ demoliuntur vineam. Ex parvis enim
tentationibus neglectis magnæ conſequuntur
ruinæ. Et Pſ. 136. Beatus, qui tenebit, &
allidet parvulos ſuos ad petram, hoc eſt leves,
& inſurgentes tentationes ad Chriſtum, qui
eſt petra. Et David pſ. 100. In matutino in-
terficiebat omnes peccatores terræ, ut diſper-
deret de civitate Domini omnes operantes
iniquitatem. Qui enim ſummo mane, hoc
eſt, exorientem ſtatim tentationem iugulat,
omnem de anima diſperdit iniquitatem: pro-
hibet enim, nè ad perfectum perveniat diem,
magis incaleſcens, majoreſque capiens vires.
Hinc S. Greg. Nazianz: ſapienter monuit
virgines in carmine, cui titulum fecit, Præ-
cepta ad Virgines.

Nec modò in vitijs quidquam parvique leviſque
Ponderis eſſe putes. Qui parvis obvius ibit,
Is nunquam præceps ſcelera in graviora feretur.

Et S. Baſilius in ſer. de Abdicatione rerum:
„ [Nullum omninò ſit erratum, quod parvi
„ pendas, quamvis tenuiſſima beſtiola minu-
„ tius ſit.] Et Chryſ. h. 13. in Gen. [A pecca-
„ tis, cùm adhuc parva ſunt, ſtatim deſiſtere
„ ſtudeamus, neque enim unquam in majora
„ incidemus peccata, ſi à parvis nobis cavea-
„ mus.] Et h. 13. in epiſtolam ad Epheſ. [Dia-
„ boli opus eſt illud, facere ut indifferentia
„ contemnatur, & quamvis indifferens res eſ-
„ ſet; neque ſic contemnere illam oportebat
„ ſcientem, quòd ex ea generantur magna ma-
„ la.] Et Euſebius Emiſſenus h. de initio qua-
drag. [Difficile eſt, ut non cadere in gravia
„ permittatur, qui minùs gravia non veretur.]

S. autem Greg. Papa lib. 10. moral. c. 9.
exponens verba illa Iob. c. 11. Ipſe novit homi-
num vanitatem, & videns iniquitatem nonnè
conſiderat? [Rectus, inquit, ordo ſervatur,
„ cùm prius noſci vanitas, & poſt conſiderari
„ iniquitas perhibetur. Omnis quippè iniquitas
„ vanitas, non tamen omnis vanitas eſſe iniqui-
„ tas ſolet. Aptè autem poſt vanitatem proti- *Vanitas, & iniquitas.*
„ nùs iniquitas ſubinfertur: quia vanitas ad
„ iniquitatem labitur, & dum mens ex alijs ad
„ alia ſemper impellitur, ſuborientibus culpis
„ inquinatur. Ex vanitate ergò ad iniquita-
„ tem ducimur, cùm priùs per levia delicta de-
„ fluimus, ut uſu cuncta levigante nequaquàm
„ pòſt committere etiam gravia timeamus.]
Perſimilem ſententiam habet etiam lib. 21. c.
5. cùm enim dixiſſet Iob. c. 31. Si ambulavi *Vanitas, & Dolus.*
in vanitate, & feſtinavit in dolo pes meus;
„ [Rectus, inquit, ordo ſervatur, ſi priùs in
„ vanitate, & poſtmodùm pes in dolo feſtinâſ-
„ ſe dicatur. Vanitas quippè ad levitatem, do-
„ lus verò ad malitiam pertinet. Et nonnulli
„ plerumque ad quædam pòſt malitioſa per-
„ veniunt, quia priùs levia non declinant.]
Itaque universè concludit lib. 31. c. 9. [In uno
„ quoque lapſu à minimis ſemper incipitur, &
„ ſuccreſcentibus defectibus ad graviora perve-
„ nitur. Sic hypocritæ priùs bonum, quod
„ non habent, oſtendunt. Tum verò bonos a-
„ pertè deſpiciunt, ad extremum ad injuriam
„ conditoris exiliunt. Nunquàm enim illic
„ anima, quò ceciderit, jacet: quia voluntariè
„ ſemel lapſa, ad pejora pondere ſuæ iniqui-
„ tatis impellitur, ut in profundum corruens
„ ſemper adhuc profundiùs obruatur.]

Nihil aliud ſatagit Dæmon, quàm ut in no- *Peccati progreſſus.*
bis inveniat aditum: perindeque nobiſcum
agit, ac fur quiſpiam, qui domum aliquam
vult deprædari: ſed clauſam inveniens, per fo-
ramen aliquod immittit puerulum, qui majo-
ri mox latroni portam aperit. Quando ag-
greſſus eſt Evam Gen. 3. ubi eam audivit au-
ſam fuiſſe divino præcepto verbum illud ad-
dere (fortè) Ne fortè moriamur; cùm Deus
abſolutè dixiſſet; Morte moriemini, hoc eſt
juxtà Hebraicam phraſim; Abſque dubio mo-
riemini; ulteriùs ipſe progreſſus dixit: Ne-
quaquàm moriemini. Undè S. Ber. in ſer. de
quadruplici debito; [Deus affirmat, mulier
„ dubitat, Satan negat.] Idem in Petri nega-
tione accidiſſe obſervat S. Anſelmus ad ca-
put 26. Matthæi, Petrus enim primò dixit:
Neſcio quid dicis; Deindè cum juramento
negavit; poſtremò etiam deteſtari cœpit, &
anathematizare. Perſeverare quippè in pec-
cato dat incrementum ſcelerum, & qui mini-
ma ſpernit, cadit in majora. Ita Anſelmus.
Adfert quoque S. Chryſ. h. 87. in Matth.
Et h. 12. in epiſtolam ad Rom. exempla in
Eſau, Cain, Saüle, Iuda, & Iudæis, quæ lon-

Digitized by Google

gum eſſet hic adſcribere. Omninò hunc locum copioſè veteres tractârunt Patres, pluribuſque illuſtrârunt exemplis.

CAPUT VI.

Exemplis oſtenditur.

Primum. PRIMUM ſcintillæ, ſeminiſque Viperei, S. Nazianz. in ſententijs tetraſticis 13. [Ingentem, inquit, flammam perexigua quoque „ ſcintilla excitat: Et viperæ ſemen homini „ ſæpè exitium invexit. Proindè leviſſimam „ noxam effugias. Etſi enim ea primò exigua, „ & minuta ſit; poſteà tamen in ingentem „ magnitudinem excreſcit.]

Secundum. Deindè ægritudinum, ac morborum, qui ex parvis plerumque initijs neglectis corporibus adveniunt noſtris. Perindè enim in anima evenit. Ita ratiocinantem reperio S. Chryſ. h. 12. in ep. ad Rom. & ſer. de nequitia depulſa, & virtute inducta. [Caveamus, inquit, vel „ puſilla fugientes mala: nam magna ab his „ naſcuntur. Qui enim in unoquoque peccato „ dicere edoctus eſt; Non in hoc poſitum eſt „ ſalutis momentum; is pedetentim omnia „ peſſumdabit. Hoc vitioſitatem ipſam attraxit; hoc januas reſeravit prædoni; hoc urbis „ mœnia dejecit: nimirum quoties ad unum „ quodque peccatum dicis; Non hoc ad rem „ magnoperè pertinet. Sic & in ipſis corporibus uſu venire videmus, ut magnæ ægritudines augeantur, quoties parvas negligimus.] Et S. Dorotheus, ſer. 11. [Contemnit quis, „ & nihili facit minimos errores circà corpus, „ nec animadvertit interim corpus malè affici, „ atque in pejus ruere, præſertim ſi fuerit debile, nec ſine multo ſtudio, & tempore vires „ priſtinæ reparantur: Idem in anima evenit.]

Tertium. Tertiò perſimile exemplum eſt de vulneribus. Etenim vel exiguum vulnus, ſi fuerit neglectum, incurabile perſæpè fit, & adfert mortem. Hoc ſibi vult illud Chryſoſtomi in pſalmum 6. [Neglecta peccatorum vulnera evadunt majora. Ideò Chriſtus non ſolùm fornicationem prohibuit, vel adulterium, ſed „ impudicum obtutum.] Verùm apertiora ſunt verba, in expoſitione primi capitis epiſtolæ ad Galatas, ubi de hæreſibus loquens, quæ ex paſtorum negligentia invaleſcunt; [Hoc, inquit, „ eſt malorum cauſa, quod ob puſilla non indignantur. Ob id enim majora ſcelera ſubierunt, quòd minoribus debita correctio „ non adhibetur. Et ut in corporibus, qui vulnera neglexerunt, febres gignunt, & putrefactiones, & mortem denique. Ita & in animis, „ qui puſilla diſſimulant, majora invitant.] Et S. Io. Damaſcenus in hiſtoria Barlaãm c. 19. [Ob id majora peccata ad nos aditum habent, atque in animas noſtras imperium „ obtinent: quoniam ijs, quæ minora eſſe videntur, conſentanea correctio non adhibetur. Ut enim in corporibus qui parva vulnera negligunt, ſaniem plerumque & mortem „ ſibi ipſis accerſunt: Sic etiam in animis uſu „ venit, ut qui minima vitia, ac peccata nihili pendunt, graviora ſibi invehant.]

Quartò ex palmitibus, atque arboribus, quæ ſi vel parum incidantur; atque à radice ſeparentur brevi ſiccantur, & areſcunt tempore. Et aquarum, quæ etſi guttatim decidant, in ingentia tamen excreſcunt flumina; & vel unico aperto foramine, univerſam inundant terram. Et veſtium, in quibus vel minima ſciſſura, ſi contemnatur, tota ſenſim laceratur veſtis. Ac demùm ædificiorum, in quibus vel minima rimula neglecta, aut tegula ex tecto cadens, locovè mota, & non repoſita, ædificij univerſi ruinam adfert. Hæc omnia complexus eſt S. Chryſ. h. 8. in priorem ep. ad Cor. [Corpus, inquit, ſi vel parùm enſe dividatur, „ corrumpitur. Et ædificium, ſi parùm fatiſcat, diſſolvitur, &, ſi vel minimum palmes „ à radice abſcindatur, inutilis redditur. Itaque id parum non eſt, ſed ferè totum exiſtimandum. Cùm igitur parùm peccaverimus, „ vel deſidia torpuerimus, nolimus, ut exiguum deſpicere: Siquidem id neglectum, „ quamprimùm in immenſum evadet, & veſtis, quæ ſcindi cœperit, neglecta tota diſcinditur. Et tectum, paucarum tegularum caſu „ contempto, totam domum diruit. Hæc nos „ reputantes, nunquam parvum contemnamus, nè procidamus in majora.] Et rursùm „ h. 19. ad populum: [Exiguum neglectum, „ & omne reliquum deſtruit. Sæpiùs enim domos ædificantes homines, & tectum imponentes, unius tegulæ excuſſæ curam non gerentes totam domum perdiderunt. Et in veſtimentis parva ſciſſura facta, nec reſarcita, „ magnam facit diſruptionem; Et torrentes, ſi „ vel minimum cœperint ingreſſum, totum „ introducunt fluentum. Itaque & tu, licèt te „ undique munieris, ſi tamen aliqua pars immunita dimiſſa eſt, etiam hanc diabolo obſtrue, ut ſis ab omni parte firmatus.] *Quartum.*

S. Aug. pluribus in locis illo præcipuè utitur argumento, quod ex parvis guttis implentur flumina. In commentario pſalmi 93. Noli attendere minuta peccata tua quotidiana. De minutiſſimis guttis flumina implentur; & alibi ſæpius ut non multò pòſt dicetur.

Sed illud, quod de ædificijs proponitur, divina autoritate firmatur. Legimus enim in libro Eccleſ. c. 10. In pigritijs humiliabitur contignatio, & in infirmitate manuum perſtillabit domus: hoc eſt, quia piger fuit, & negligens in reparando uno ligno, vel reponenda una tegula, domus tandem tota corruet. Quem

locum

Digitized by Google

locum exponens Io. Caſſianus collat.6. Abbatis Theodori c. ultimo duas noſtrorum lapſuum aſſignat cauſas, aut pravam inſtitutionem, aut conſequentem negligentiam noſtram. [Lapſus, inquit, quiſpiam nequaquàm ,, ſubitaneâ ruinâ corruiſſe credendus eſt: Sed ,, aut pravæ inſtitutionis deceptus exordio, ,, aut per longam mentis incuriam paulatim ,, virtute animi decidente, & per hoc ſenſim ,, vitijs increſcentibus caſu miſerabili conci- ,, diſſe. Quemadmodùm domus nunquam ,, ſubitaneo ad ruinam procumbit impulſu, niſi ,, aut antiquo vitio fundamenti, aut longâ in- ,, habitantium deſidiâ, ſtillicidijs primùm par- ,, viſſimis penetrantibus corrupta fuerint ſen- ,, ſim munimenta tectorum, quibus per vetu- ,, ſtam negligentiam in majorem modum pa- ,, tefactis, atque collapſis, rivatim poſt hæc ,, influit pluviarum, imbriumque tempeſtas. ,, Quod animæ ſpiritualiter evenire Salomon ,, ita deſignat. Stillicidia, inquiens, eijciunt ,, hominem in die hyemali de domo ſua. Ele- ,, ganter ergò mentis incuriam domati compa- ,, ravit, tectoque neglecto, per quam primò ,, quidem velut minutiſſima quædam penetrant ,, in animam ſtillicidia paſſionum, quæ ſi velut ,, parva, ac levia negligantur, corrumpunt tig- ,, na virtutum; & poſt hæc influunt imbres ,, largiſſimi vitiorum, per quos in die hyemali, ,, id eſt, in tempore tentationis, ingruente im- ,, pugnatione Diaboli expellatur mens de ha- ,, bitatione virtutum.]

De lapſus cauſa.

CAPUT VII.

Nemo repente peſſimus.

OMNINÒ ſicut nemo repentè fit ſummus, ita nemo repentè fit peſſimus, aut ad extremam improbitatem venit, ut loquitur S. Io. Chryſ. h.87. in Matth. [Habet enim ani- ,, ma inſitum pudorem quendam, quem ſubitò ,, calcare non poteſt: ſed ſenſim ex negligen- ,, tia perit. Hoc pacto idolorum cultus aditum ,, invenit, cum ultra quàm oportet, vivi, ac ,, defuncti nonnulli honorarentur: hoc pacto ,, ſimulachra, & ſtatuæ adoratæ ſunt. Ita for- ,, nicatio, ac cætera vitia dominantur. Ita ex ,, immoderato riſu ſcurrilitas, ex ſcurrilitate ,, turpiloquium, ex turpiloquio turpis actio ,, profecta eſt.] [Negligentia enim (ut S.Ber. ,, tradit in ſer. de ſeptem donis Spiritus Sancti) ,, ſoporat animam, curioſitas excitat, attrahit ,, experientia, tenet concupiſcentia, ligat con- ,, ſuetudo, contemptus in crucem tradit, mali- ,, tia jugulat.] Hos ipſe gradus ponit, quibus ſenſim, & ſine ſenſu à levibus culpis ad graviſſimas miſera progreditur anima. Alios item S. Cyprianus in ſer. de zelo, & livore. [Dum ,, enim exiſtimatur leve eſſe, & modicum, non ,, timetur; dum non timetur, contemnitur; ,, dum contemnitur; non facilè vitatur; & ,, fit cœca, & occulta pernicies.] Itaque ad rem planè S. Gregorius Nazianz. h. antè not. in illud Matthæi 19. Cùm conſumaſſet Ieſus &c. [Nè oculus, inquit, oculum trahat, nec ri- ,, ſus riſum, nè familiaritas noctem, nè nox in- ,, teritum, & exitium. Nam quod paulatim, ,, & particulatim attrahitur, furtim ſurripitur: ,, tametſi pernicies nequaquam in præſens ſen- ,, tiatur, tamen in vitij fine occurrit.] Sanctus quoque Dorotheus in ſerm.3. malam cauſatur conſuetudinem, qua minora contemnentes, ad majora quoque contemnenda prolabimur. ,, [Cùm cœperit, inquit, quis dicere, quid re- ,, fert, ſi verbum hoc dixero, ſi modicum hoc ,, comedero? Ex hoc, quid eſt hoc, & quid eſt ,, illud? quid refert hoc, quid refert illud? ma- ,, la conſuetudo admittitur, & datur initium, ,, ut magna, & graviora contemnamus. Et ,, ſic demùm per partes offendentes, periculum ,, eſt, nè in perfectam inſenſibilitatem venia- ,, mus.] Idem penè in ſerm. 6. repetit, & inculcat.

Ergò ſapienter monuit S. Bern. in ſer. contrà ingratitudinis vitium. [Quando videri- ,, tis gravem aliquam alicujus ruinam, nè cre- ,, datis eum tunc incepiſſe, ſed quia comede- ,, runt alieni robur eius, & ipſe ignoravit.] Aut enim levia hæc multiplicata adeò debilitant animam, charitatiſque fervorem minuunt, ut imbecillior ad reſiſtendum tentationibus efficiatur: aut quemadmodùm loquitur Job c. 41. Faciem ejus præceſſit egeſtas, defectus orationis, aliarumque ſpiritualium exercitationum. Inter Ægyptias plagas Ex. 8. præceſſerunt ciniphes, pòſt grandiores ſubſecutæ ſunt muſcæ. Et ex minorum rerum contemptu ad grandiores progredimur: & qui non magni faciunt ciniphes, qui citò, & leviter pungunt, nec grandiores verebuntur muſcas, quæ cruentant. [A minimis incipiunt, ,, qui in maxima proruunt.] Ait S. Bern. in lib. de ordine vitæ, & morum inſtitutione. ,, [Et quid intereſt ad naufragium (ratiocina- ,, tur S. Aug. in ep. 108. ad Seleucianam) ,, utrum uno grandi fluctu navis operiatur, an ,, paulatim ſubrepens aqua in ſentinam, & per ,, negligentiam derelicta, atque contempta im- ,, pleat navim, atque ſubmergat?] Perindè eſt, ſive ſtatim, & primo aſſultu in peccatum cadas mortale, an poſt multa venialia, modò mergaris, & pereas, nihil intereſt.

Appoſitè S. Auguſtinus, dum exponit illa verba pſal. 39. Comprehenderunt me iniquitates meæ: Multiplicatæ ſunt ſuper capillos capitis mei: [Quis, inquit, numeret capillos ,, capitis ſui? multò minùs peccata, quæ ex- ,, cedunt numerum capillorum. Minuta viden- ,, tur, ſed multa ſunt. Præcaviſti magna; jam

Digitized by Google

„ non facis adulterium, non facis homicidium, „ non rapis res alienas : moles iſtæ ſunt peccatorum. De minutis quid agis ? an non times „ minuta ? Projeciſti molem, vide nè arena „ obruaris.] Ad navigantes opinor, & tempeſtate jactatos alludit; qui mercium moles, quibus gravabatur navis, primùm proijciunt; ſed mox in arenam detruſi, ab ea navem non poſſunt abducere : quæ etſi minutiſſima ſit, quia tamen plurima, obruere navem poteſt. Sic enim perquàm accommodatè venialia hæc, & levia peccata, minuta quidem, ſed plurima comparantur arenæ.

CAPUT VIII.

Sexta ratio.

SED hanc eandem ſententiam, levia hæc peccata poſſe nos, ſi non ſuaptè mole, ac pondere, multitudine certè obruere (quæ ſexta numerari poteſt ratio) & ipſemet Auguſtinus alibi repetit ſæpiùs, & cæteri confirmant Patres. Namque in ep. 108. paulò antè indicata ille ſic loquitur : [Eſt etiam pœnitentia bonorum, & humilium fidelium quotidiana, in qua pectora tundimus dicentes; „ Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Illa enim dimitti petimus, quæ humanæ fragilitati, „ quamvis parva, tamen crebra, ſubrepunt, „ quæ ſi collecta contrà nos fuerint, ita nos „ gravabunt, & opprimient, ſicut unum aliquod grande peccatum.] Et conc. 3. in pſ. 118. [Etſi non ſingula ſuis motibus contemunt, omnia tamen acervo nos obruunt.] Et in pſ. 129. [Minuta ſunt, ſine quibus „ non poteſt eſſe iſta vita; congere minuta, „ & faciunt ingentem acervum. Nam & grana minuta ſunt, & tamen maſſam faciunt; „ & guttæ minutæ ſunt, & flumina implent, „ & moles trahunt.] Et tract. 12. in Io. [Minuta plura peccata, ſi negligantur, occidunt. „ Minutæ ſunt guttæ, quæ flumina implent; „ minuta ſunt grana arenæ; ſed ſi multa arena „ imponatur, premit, atque opprimit. Hoc „ facit ſentina neglecta, quod facit fluctus irruens; paulatim per ſentinam intrat; ſed diù „ intrando, & non exhauriendo, mergit navim.] Et tract. 1. in epiſtolam Ioannis. „ [Levia multa faciunt unum grande. Multæ „ guttæ implent flumen; multa grana faciunt „ maſſam.] Et in libro de decem choris c. 11. „ [Noli illa contemnere, quia minora ſunt; „ ſed time, quia plura ſunt. Non eſt beſtia „ quaſi leo, ut uno morſu guttur frangat : ſed „ beſtiæ plerumque minutæ multæ necant. „ Minutiſſima ſunt grana arenæ; ſi arenæ amplius in navi mittatur, mergit illam, minutæ ſunt guttæ pluviæ, nonnè flumina implent, & domos deijciunt ?] Et lib. 50. homiliarum h. 50. c. 8. [Peccata venialia quamvis ſingula non lethali vulnere ferire ſentiantur, ſicut homicidium, & adulterium, vel „ hujuſmodi cætera; tamen omnia ſimul congregata, velut ſcabies, quò plura ſunt, necant. Et noſtrum decus ita exterminant, ut „ ab illius ſponſi ſpecioſi forma præ filijs hominum caſtiſſimis amplexibus ſeparent, niſi „ medicamento quotidianæ pœnitentiæ diſſecentur.] Et ſer. 244. de tempore; [Noli deſpicere peccata tua, quia parva ſunt; nam & „ pluviarum guttæ flumina implent, & moles „ trahunt, & arbores cum ſuis radicibus tollunt. Quoties tale peccatum admittis, ſi tot „ parvulas plagas in corpore, vel maculas, aut „ ſciſſuras in veſte fierent &c.] Et ſer. 41. de Sanctis. [Non ſolùm majora, ſed etiam minuta, ſi nimiùm plura ſunt, mergunt.] Ac demum in libro de cantico novo c. 2. & lib. 50. homiliarum h. 42. in eandem ſententiam loquitur. Sed & S. Greg. Papa in 3. parte paſt. curæ admon. 34. [Qui in minimis, inquit, „ frequenter excedunt, non conſiderent qualia, ſed quanta committunt. Facta enim ſua „ ſi deſpiciunt timère, dum penſant, debent „ formidare, cùm numerant. Altos quippè „ gurgites fluminum parvæ, ſed innumeræ replent pluviarum guttæ : & hoc agit ſentina „ latenter exreſcens, quod patenter procella „ ſæviens : & minuta ſunt, quæ procedunt ex „ membris per ſcabiem vulnera; ſed cùm multitudo eorum innumerabiliter occupat, ſic „ vitam corporis, ſicut unum grave inflictum „ pectori vulnus, necat.] Et S. Bern. in lib. de inter. domo c. 45. [Non ſolùm gravia, ſed & „ levia cavenda ſunt peccata. Multa enim levia unum grande efficiunt; ſicut ſolent de „ parvis & minimis guttis immenſa flumina „ creſcere.] Ac demum S. Anſel. in commentario 3. in caput Apocal. 18. verba illa Ioannis; Et poma deſiderij animæ tuæ diſceſſerunt à te : ita interpretatur, ut illis ſignificari putet, vel etiam pro minimis damnari homines, ſi in illis delectentur.

CAPUT IX.

Multa levia non facere unum grave.

QUÆ tamen omnia non ita ſunt accipienda, quaſi multa, & verò plurima venialia peccata faciant unum mortale; aut ipſa venialia per ſe vim habeant æternam damnationem adducendi : ſed aut propterea pronuntiata fuère, quod hæc venialia ad mortale diſponant, atque in illud tandem deſinant, cui damnatio debetur æterna. Quod profectò ſignificaſſe videbitur S. Aug. ſer. 88. de tempore, cùm dixit; [Dum homines deſpiciunt

„ ciunt peccata ſua, quia parva ſunt, creſcen-
„ tibus minutis peccatis adduntur etiam crimi-
„ na, & cumulum faciunt, & demergunt.] Aut quod, ut idem ipſe interpretatur ſer. 41. de Sanctis: [Peccatis venialibus, etſi animam „ occidi non credamus, ita tamen eam velut „ quibuſdam puſtulis, & quaſi horrendâ ſca- „ bie replent, & deformem faciunt, ut ad am- „ plexus cœleſtis ſponſi aut vix, aut cum gran- „ di confuſione venire permittant.] Aut demum quòd mortalem perſæpè divinæ, aut humanæ legis adjunctum contemptum habent. Audi quid S. Bernard. loquatur in tract. de præcepto, & diſpenſatione: [Riſus inter- „ dictus, vel indictum ſilentium. Hæc ſi contrà „ mandatum non veniunt, nec peccata ſunt: „ accedente mandato, ſi minùs obſerventur, „ in peccatum reputantur: non tamen in cri- „ men; ſi per ſubreptionem, aut oblivionem, „ non autem per contemptum horum tranſ- „ greſſio contigerit. Licèt namque ipſa per ſe „ injuncti operis qualitas innoxia ſit, adjunctæ „ tamen authoritatis pondus, obnoxium man- „ dato, mandatumque peccato obnoxium fa- „ cit: non magno tamen, ſi contemptus defue- „ rit.] Hæc ergò univerſa, quæ per ſe nec bona, nec mala ſunt; non juſſa quidem licitè vel admittuntur, vel omittuntur: juſſa verò ſine culpa non negliguntur, ſine crimine non contemnuntur. Quid autem ſit neglectus, quid contemptus, planiùs exponit, cùm ſubjungit: „ [Neglectus languor eſt inertiæ; contemptus „ ſuperbiæ tumor. Contemptus in omni ſpe- „ cie mandatorum pari pondere gravis, & „ communiter damnabilis eſt: neglectus autem „ in fixis gravior, tolerabilior in mollibus „ mandatis.]

Quid igitur de plurimis dicam hominibus, qui totam penè vitam in otioſis verbis, riſu, cachinnis, cogitationibus vanis, & inutilibus conſumunt? Vix hæc dicam carêre contemptu. [Quid eos agere dixerim (verbis „ utar S. Bern. in ſer. contrà ingratitudinis vi- „ tium) qui ſcurrilitates, detractiones, jactan- „ tiæ, & impatientiæ verba, non reputant? „ facilè contriſtant proximos, immò ſpiritum „ Dei, qui in eis eſt; puſillorum ſcandala par- „ vi pendunt, ad increpationem aliorum, aut „ negligentiâ quâdam dormitare videntur, „ aut iracundiæ facibus inflammantur.] Hoc jure optimo idem ipſe Sanctus vir in ſer. de ſeptem miſericordijs reprehendit, inquiens: „ [Hinc mihi fratres triſtitia magna, dolor „ continuus eſt cordi meo, quòd tam pronos „ nonnullos ad levitatem, ad riſum, ad ſcurrilia „ verba, tam faciles video, ut pertimeſcam val- „ dè, nè fortè pluſquam expediat, divinæ mi- „ ſericordiæ ſint immemores, & ingrati tam „ multis beneficijs deſerantur aliquando à divi- „ na gratia, quam non ut gratiam venerantur.]

CAPUT X.

Cur contemnantur.

Quòd autem iſta contemnantur, cauſam eſſe tradit in modo benè vivendi ad Sorem c. 6. quoniam ob ſpiritûs teporem non reputantur noxia. [Tepidus, inquit, in „ converſatione otioſa verba, & vanas cogi- „ tationes noxias eſſe non conſpicit: ſed cùm „ animus à torpore mentis evigilaverit, ea, „ quæ levia æſtimabat, confeſtim quaſi con- „ traria, & horrenda pertimeſcit.] Tantum verò abeſt, ut levia eſſe Bern. judicet, ut ſcienter in illis delinquere graviſſimum putet, & verò peccatum in Spiritum Sanctum. Sic enim loquitur in ſer. 1. de converſione S. Pauli: [Nè quis parva reputet quamlibèt parva, „ ſi ſcienter delinquat. Nemo dicat, levia „ ſunt iſta, non curo corrigere; non eſt ma- „ gnum ſi in his maneam venialibus, minimiſ- „ que peccatis. Hæc eſt enim impœnitentia, „ hæc blaſphemia in Spiritum Sanctum, blaſ- „ phemia irremiſſibilis.]

Contrà verò; [Qui voluntatem Dei (inquit „ S. Chryſ. commentario in pſ. 68.) ſemper „ implêre, & promiſſa ejus ſuſtinêre nôrunt, „ ita ſolliciti vivunt, ut etiam à levibus pecca- „ tis abſtineant; nec exaltare vocem ſuam in „ riſu poſſint: intendentes, quia ſtultus in riſu „ exaltat vocem, ſapiens autem vix tacitè vi- „ debit.] S. Aug. lib. 10. confeſſ. c. 33. dolet veritus, nè pſalmorum audiens in Eccleſia cantum, cantoris magis attenderet voci, eaque magis, quàm verborum ſententia permoveretur. Et S. Ber. in lib. meditat. c. 11. & lib. de interiori domo c. 51. monachorum ſuorum levitatem reprehendit, quod populum vocibus magis muliere, quàm Deo placère ſtuderent. Et ut reliqua taceam, de Senenſi legimus Catharina, quod ſemel interroganti minus prudenter reſpondiſſet, tantum eam poſt ſenſiſſe ſcrupulum, ut totam Mariæ Magdalenæ pœnitentiam delendo inconſiderato verbo imparem crederet eſſe futuram. Quid iſti, qui (ut ita dicam) bibunt velut aquam iniquitatem? Sanè mitis videtur S. Hilarij illa de illis ſententia in Can. 4. in Matt. quâ ita exponit illa Domini verba; Qui ſolverit unum de mandatis iſtis minimis, minimus vocabitur in regno cœlorum. [Nè „ minima quidem, inquit, mandatorum Dei „ conſtituit eſſe ſolvenda; futuros minimos, „ id eſt noviſſimos, ac penè nullos denuntians „ minuta ſolventes.]

Eccleſ. 21.

CAPUT XI.

Septima ratio.

SEptima, & poſtrema ratio continet aliũ modum, quo veniales hæ culpæ ad mortalem inducunt, & ideò omni ſtudio cavendæ ſunt. Non ſolùm enim ad illam diſponunt, & præparant, ut dictum eſt: ſed plurimis quoque Dei ſpecialibus auxilijs privant, ſine quibus ingruentes tentationes permultas ſuperare non poſſumus, victique ſuccumbimus, & in peccatum labimur. Sanè ſufficiens, ac neceſſarium auxilium nunquàm nobis negat Deus; quippè, ut ait Paulus in 1. Cor. 10. Fidelis Deus, qui non permittit nos tentari ſuprà id, quod poſſumus; ſed facit etiam cum tentatione proventum, ut poſſimus ſuſtinêre. Quare ſi ſtrenuè agamus auxilio huic coöperantes, tentationes omnes ſuperabimus, & quidem cum fructu. Nam ſi graviores permittantur tentationes, quæ majores poſtulent ad reſiſtendum vires, majus quoque nobis ſubminiſtratur auxilium. At quoniam negligentiâ, & ſocordiâ noſtrâ, ut ſæpè, ut non coöperemur, quemadmodùm poſſemus, nec parem divino auxilio adhibeamus operam, culpa eſt noſtra, non divinæ opis defectus, ſi victi ſuccumbamus. Accidit verò perſæpè, ut ſpeciale aliud copioſius, & ſuperabundans largiatur Deus auxilium, quo voluntatis noſtræ ſublevetur infirmitas, confirmatiſque viribus pugnet, atque adverſarij fortiter ſuſtineat, & verò frangat impetum facto cum tentatione proventu. Verùm hoc ſpeciale auxilium non omnibus, nec ſemper datur. Eſt enim particularis gratia, ſpecialiſque liberalitas ergà illos dumtaxat, qui ergà Deum item ſunt liberales; neque ſolùm illud dant, quod tenentur ex debito (hoc enim juſtitiæ foret, non liberalitatis) ſed aliquid etiam ampliùs: nec in rebus modò obligatorijs; ſed in ijs quoque, quæ ſuper erogationis dicuntur: nec ſolùm in magnis, & gravibus, verùm & in parvis, ac levibus, imò & minimis, ac leviſsimis, promptos ſe, diligentes, ac ſtudioſos exhibent Deo. Ergà hos Deus quoque ſe exhibet liberalem, ſpecialia hæc adjungens auxilia. Undè meritò conſulebat Jacobus in ſua ep. c. 4. Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis. At quænam tandem eſt iſta liberalitas tua, quæ divina debeat liberalitate, ſpecialique gratia, atque auxilio compenſari? Si non jam divina impulſus charitate, ſed proprio tuo æternæ damnationis damno deterritus à graviſsimis quibuſdam, & mortalibus temperes culpis; in leviores quaſque ſpontè vel non rogatus incurras? Ita fit, ut propter hæc venialia delicta jure optimo negentur tibi ſpecialia hæc adjumenta, quibus deſtitutus, facilè tentationibus ſuperatus, in graviora cadas peccata.

Hinc eſt, quod veteres Patres ſæpè dixerunt, peccatum non ſolùm eſſe peccatum, ſed & cauſam, & pœnam peccati. Inter cæteros ita locutus eſt S. Gregorius lib. 25. mor. c. 9. [Omne peccatum, quod tamen citiùs „ pœnitendo non tergitur, aut peccatum eſt, „ & cauſa peccati, aut peccatum, & pœna „ peccati. Peccatum namque quod pœnitentia non diluit, ipſo ſuo pondere mox ad „ aliud trahit. Undè fit, ut non ſolùm peccatum ſit, ſed peccatum, & cauſa peccati. Ex „ illo quippè vitio culpa ſubſequens oritur, ex „ quo cœcata mens ducitur, ut pejus ex alio „ ligetur. Sed peccatum, quod ex peccato oritur non jam peccatum tantummodò, ſed „ peccatum eſt, & pœna peccati; quia juſto „ Dei judicio omnipotens Deus cor peccantis „ obnubilat; ut præcedentis peccati merito „ etiam in alijs cadat.] Et rursùm h. 11. Ezech. exponens illa Prophetæ verba c. 3. Si converſus juſtus à juſtitia ſua fuerit, & fecerit iniquitatem; ponam offendiculum coram eo; [Diſtricta, inquit, ſunt omnipotentis Dei judicia „ & qui peccatorem diù expectat, ut redeat „ non redeunti, atque contemnenti ponit adhuc, ubi graviùs impingat. Peccatum quippè, quod per pœnitentiam citiùs non deletur, „ aut peccatum eſt, aut cauſa peccati, ſimul & „ pœna peccati. Omne enim, quod priùs committitur, peccatum eſt. Sed ſi citiùs pœnitendo non tergitur, juſto judicio omnipotens „ Deus obligatam peccatis mentem, etiam in „ culpam alteram permittit cadere, ut qui flendo, & corrigendo noluit mundare, quod fecit, peccatum incipiat peccato cumulare. „ Peccatum ergò, quod pœnitentiæ lamento „ non diluitur, peccatum ſimul eſt, & cauſa „ peccati, quia ex illo oritur, undè adhuc peccatoris animus altiùs obligetur. Peccatum „ verò, quod ex peccato ſequitur, peccatum „ ſimul eſt, & pœna peccati, quia excreſcente „ cœcitate, ex retributione prioris culpæ generatur: ut quaſi jam quædam ſint in peccatore ſupplicia ipſa incrementa vitiorum.] Omitto nunc Auguſtinum, & cæteros. S. Chryſ. in h. de Adam; & Eva to. 1. [Homo dicitur „ tradi deſiderijs ſuis, quia deſertus à Deo cedit „ cupiditatibus, & fit ei peccatum conſequens „ præcedentis pœna peccati.] Quod multis ex ſcriptura prolatis oſtendit exemplis. *Peccatum cauſa & pœna peccati.*

Neque verò hoc in peccatis ſolùm mortalibus, ſed & in venialibus verum eſt. Hæc enim ipſa, quæ antecedunt, & ipſa ſunt peccata, & dum ſpecialibus auxilijs nos ſpoliant, cauſa peccati ſunt, in quod tentatione cadimus ſuperante; rurſumque hoc pœna peccati exiſtit antecedentium ſcilicet peccatorum, propter quæ in hoc poſtremum incidimus.

Digitized by Google

In chronicis ordinis S. Franciſci par. 2. lib. 4. c. 44. de quodam Sancto Fratre Rogerio narratur, qui cùm à Deo magnum caſtitatis donum haberet, cautiſſimè tamen agebat, vel in minimis occaſionibus, in aſpectu, locutione, cogitationibus, atque in exteriori tota converſatione. Quare à diſcipulis interrogatus, cur tantoperè timeret, cùm illum Deus adeò roboraſſet. Ille reſpondit; Hoc ago, quia ſi ego ex parte mea facio, quod debeo, vel etiam in minimis, Deus me adjuvabit, nè in graviora cadam: at ſi negligens fuero, neſcio, an ille me juvabit: certè ego indignus omni ope fuero; imò dignus, qui ab illo prorsùs deſerar. Deque Euſebio Monacho his verbis ſcribit in hiſtor. Sanctorum Patrum Theodoretus c. 4. [Euſebius terram ſemper aſpiciebat. Collo ferrum impoſuerat, quod in terram inclinaret; & per ſemitam unius palmi incedebat ſemper. Quod propterea adversùs dæmonem, ſe dicebat facere; nè de magnis bellum gerat, conor hoſtem ad hæc parva traducere: In quibus etiam ſi vicerit, non magnum adfert detrimentum: etſi victus fuerit, evadit magis ridiculus, ut qui nè in parvis quidem poſſit evadere ſuperior.] Neque prætermittam id, quod habet Origenes h. 2. in pſ. 38. ubi cùm dixiſſet Propheta; In increpationibus corripuiſti hominem, & tabeſcere feciſti ſicut araneam animam ejus; [Conſumpto, inquit, quidquid craſſioris erat materiæ. Anima enim peccato craſſeſcit, & velut caro efficitur.] Undè Act. 28. dicitur; Incraſſatum eſt cor populi hujus; & Gen. 6. non permanebit ſpiritus meus in homine, quia caro ſunt. Quam ob cauſam Ezechiel c. 11. carnes vidit mitti in lebetem; & Ieremias lebetem vidit, vel cacabum ardentem; ad coquendas ſcilicet has peccatorum carnes: Et iterùm vidit virgam nuceam: ut ſi diſciplinam accipias per virgam, & emenderis, cacabo non egeas ſuccenſo. Ideò quærebat Paulus 1. Cor. 4. In virga veniam ad vos, an in charitate, & ſpiritu manſuetudinis? Et ad rem prorsùs S. Chryſ. h. 10. in epiſtolam ad Hebr. ex verbis Apoſtoli ad Rom. 1. [Timeamus, inquit, dilectiſſimi. Revelatur enim ira Dei de cœlo. Revelatur enim non ſolùm ſuper impietatem, ſed etiam ſuper omnem iniquitatem. Quid eſt ſuper omnem iniquitatem? Et minorem, & magnam; hoc eſt, & venialem, & mortalem.] Et Theodor. q. 37. in Gen. adnotatum reliquit, Deum propterea ſeverè ob pauculam eſcam puniviſſe Adamum, & ejus poſteritatem; Quia omnis lex parvam habet vim, cùm maxima præcipit, & prohibet, niſi etiam minima puniat.

CAPUT XII.

Penitùs non vitari.

VETERES quidem certè Patres veniales hasce culpas, neque à ſanctis viris penitùs vitari poſſe tradiderunt. S. Hier. in com. pſ. 14. [Sine minutis peccatis eſſe non poſſumus.] Undè dicitur 1. Io. 1. Si dicimus, quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas non eſt in nobis; & S. Aug. ep. 89. ad Hilarium q. 1. [Illa Peccata, ſine quibus hìc non vivitur, &c.] Et lib. 19. de Civit. Dei c. 27. neceſſarium nobis in hac vita eſſe probat dicere; Dimitte nobis debita noſtra; quia etſi vitijs imperetur, non tamen ſine conflictu imperatur, in quo aliquid ſemper ſubrepit, quod indigeat veniâ. S. Gregor. Com. 2. in Pſalmum pœnitentialem, nec à viris perfectis omninò vitari hæc peccata pronuntiavit. Et lib. 4. mor. c. 22. verba illa Job c. 3. Obtenebrentur ſtellæ caligine ejus: de viris hiſce Sanctis peccatorum horum caligine obtenebratis intellexit. [Stellæ quippè noctis hujus caligine obtenebrantur; quando & hi, qui magnis jam virtutibus ſplendent, adhuc de obſcuritate culpæ aliquid renitentes ſuſtinent, ut & magna vitæ claritate luceant, & tamen adhuc noctis reliquias nolentes trahant. Quod ad hoc agitur, ut mens proficiens ad virtutem juſtitiæ, ſua meliùs infirmitate roboretur. Et indè veriùs in bonis luceat, undè eam etiam nolentem parva reprehenſibilia humiliter obſcurant.] Atque ad hoc perquàm appoſitè Chananæum populum adfert non occiſum, penituſque extinctum, ſed tribui Ephraim tributarium reſervatum Joſ. 16. quoniam peccata hæc juſtis viris reſervata, & velut majoris virtutis, ac meriti tributaria facta ſunt. [Quid enim, inquit, Chananæus gentilis populus, niſi vitium ſignificat? Et ſæpè magnis virtutibus terram promiſſionis ingredimur; quia ſpe intimâ de æternitate roboramur. Sed dum inter acta ſublimia, vitia quædam parva retinemus, quaſi Chananæum vivere in terra noſtra concedimus. Qui tamen nobis tributarius efficitur; quia hoc ipſum vitium, quod ſubigere non poſſumus ad uſum noſtræ utilitatis humiliter retorquemus: ut eò de ſe mens, & in ſummis vilia ſentiat, quò ſuis viribus etiam parva, quæ appetit, non expugnat.] Undè & benè rursùm ſcriptum eſt Iud. 3. Hæ ſunt gentes, quas Dominus dereliquit, ut erudiret in eis Iſraelem. Ad hoc namque quædam minima vitia noſtra retinentur, ut ſeſe noſtra intentio ſolicita in certamine ſemper exerceat; & eò de victoria non ſuperbiat, quò vivere in ſe hoſtes conſpicit, à quibus adhuc vinci formidat.

dat. Iſraël ergò reſervatis gentibus eruditur, quando à quibuſdam minimis vitijs elatio virtutis noſtræ comprimitur, & in parvis ſibi reſiſtentibus diſcit, quod ex ſe majora non ſubigit. Sic etiam S. Proſper in pſ. 118. intelligit illa verba; Beati immaculati in via; qui ambulant in lege Domini: [Immaculati „ enim in via Domini ambulant, etiamſi quo„ tidie pro remiſſione peccatorum orent, Di„ mitte nobis debita noſtra, Quia nullis con„ ſentiunt criminibus, & tamen quibuſdam „ cogitationum carnalium obreptionibus titil„ lantur; & ob hoc neceſſariam remiſſionem „ petunt, ut fiant immaculati.]

Denique Joannes Caſſianus in collat. 11. Abbatis Cheremonis c. 10. [Impoſſibile eſt, „ inquit, quemlibet Sanctorum non in iſtis mi„ nutis, quæ per ſermonem, per cogitationem, „ per ignorantiam, per oblivionem, per neceſ„ ſitatem, per voluntatem, per obreptionem, „ admittuntur, incurrere.] Et collat. 20. Abbatis Pinufij c. 11. [A peccatis venialibus, & „ minutis non poſſumus omninò cavêre.] Et collat. 22. Abbatis Theonæ c. 7. [Nullus ita „ circumſpectè vivit, ut in peccata ſaltem veni„ alia non cadat, aut ignorantiâ, aut negligen„ tiâ, aut vanitate, aut obreptione, aut cogitati„ one, aut neceſſitate, aut oblivione.] Itaque c. 13. propterea vult fuiſſe dictum à Salomone Prov. 24. Septies in die cadit juſtus; quia ſeptem ſint genera peccatorum venialium, in quæ cadit, aut cogitatione præventus, aut ignorantiæ, aut oblivionis errore, aut facilitate otioſi ſermonis, aut ad punctum in fidei, Theoria hæſitatione, aut ſubtili cenodoxiæ titillatione, aut neceſſitate naturæ aliquantiſper à ſumma perfectione recedendo. Et S. Aug. in libro de natura, & gratia c. 38. multa commemorat peccata venialia, in quæ Abel quoque etſi vir juſtus fortaſſe cadere potuit. Sed omninò ineptum fuit illud, quod Pelagium, refert in c. 12. ejuſdem libri, propterea negaſſe peccata hæc arguenda eſſe, quòd tam multa irruant, ut vitari non poſſint. Nam etſi non omnia, ſingula tamen vitari poſſunt; liberæque actiones ſunt, quæ vitioſæ cùm ſint, vitari debuiſſent, & potuiſſent.

CAPUT XIII.

Remedium.

SED nihil mirum eſt, ſi à pleriſque penitùs contemnantur, aut certè non ſatis caveantur. Quemadmodùm enim ratiocinatur Caſſianus in collat. 23. Abbatis Theonæ c. 3. „ [Si quis viſu hebes in magnam ingrediatur „ domum, non videt niſi lectos, armaria, & „ hujuſmodi craſſiora corpora: at alius acu„ tiori viſu minutiſſima multa cernit. Ita, qui „ ſunt craſſioribus vitijs involuti, peccata tan„ tùm mortalia vident: & alijs, qui ſunt per„ fectionis ſtudioſi, etiam minutorum mul„ titudo graviſsima eſt.] Hinc S. Greg. ad caput 5. Cant. Cùm diceret Sponſa; Dilectus meus miſit manum per foramen, & venter meus intremuit ad contactum ejus: [Ad Spon„ ſi, inquit, tactum venter ſponſæ intremiſ„ cit, quia quò ampliùs anima interiorem vi„ ſitationem ſentit, eò diſtrictiùs judicat, quid„ quid in ſe carnale deprehendit. Quò enim „ majori charitate in eam ardet, eò timidiùs „ ſe ei ſubjicit, & ampliùs veretur, nè Spon„ ſus in ea aliquid inveniat, propter quod eam „ à ſe dimittere velit.]

Proderit porrò plurimum ad cognoſcenda, & corrigenda hæc peccata, diligens illud, & accuratum examen, ad quod hortabatur nos S. Io. Chryſ. h. 60. in Gen. cujus graviſſima ſanè verba non multò anteà recitavimus. Si Deus ſcrutaturus Hieruſalem eſt in lucernis, ſcrutemur & nos antè illius adventum conſcientias noſtras.

Proderit bonis, & ſtudioſis actionibus inſudare. Hæ namque non ſolum divinum nobis promerentur lumen, quo minima quæque deſpiciamus in anima noſtra; ſed & copioſius impetrabunt auxilium, quo adjuti ſingula corrigamus, atque vitemus in poſterum. Pſal. 31. Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata: bonis ſcilicet, & Deo gratis actionibus. Quæ verba, etſi de originalibus, & actualibus culpis interpretetur S. Greg. in expoſitione hujus pſalmi, qui inter pœnitentiales eſt ſecundus. [Iſtud, inquit, „ eſt ratum, iſtud eſt catholicum, quòd illi ſoli „ ſint beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates „ originales per Baptiſmum, & quorum tecta „ ſunt peccata actualia poſt Baptiſmum com„ miſſa.] Licet etiam & de mortalibus, ac venialibus uſurpare: ut mortalia per confeſſionem, & pœnitentiam accipiant remiſsionem, & venialia per charitatem, bonaque tegantur opera. Etenim idem S. Greg. ſtatim ſubjungit: [Sunt tamen quædam peccata, quæ „ quamdiù in hac vita vivitur, etiam à perfe„ ctis viris aut vix, aut nullatenùs declinentur. „ Habent enim viri Sancti aliquid, quod in hac „ vita operire debeant: quia omninò eſt im„ poſsibile, ut in locutione, aut etiam in cogi„ tatione, numquàm delinquant; Studeant „ igitur viri Dei oculorum, linguæque culpas „ tegere meritis vitæ; ſtudeant pondere bono„ rum operum premere immoderata verbo„ rum.] In eandemque ſententiam accipit S. Anſelmus in caput Matthæi 10. illa Chriſti Domini verba; Excutite pulverem de pedibus veſtris. [Pulvis enim in pedibus, inquit ille, „ venialia illa ſignificat peccata, quæ adhærent „ prædicatoribus tranſeuntibus per mundum;

quæ

Digitized by Google

„ quæ tamen per charitatem proximi condo-
„ nantur. Quod ſignificat ablutio pedum in
„ cœna, & ablutio ſanctarum mulierum, quæ
„ pedes Sanctorum ſolent abluere.] Et S. Aug.
ep. 89. ad Hilarium; [Qui peccata illa mun-
„ dare operibus miſericordiæ, & pijs orationi-
„ bus non neglexerit, merebitur hinc exire ſi-
„ ne peccato: quia ſicut iſta non defuerunt,
„ ita etiam remedia, quibus purgarentur, af-
„ fuerunt.] Oratione dominica remitti nobis hæc peccata plurimis in locis habet S. Aug. in enchiridio c. 71. & lib. 19. de Civit. Dei c. 27. & libro de perfectione juſtitiæ c. 9. & lib. 1. de Symbolo ad Cathecumenos c. 6. & ſer. 31. de verbis Apoſtoli, & lib. 50. homiliarum h. 19. 41. 42. Item pectoris tunſione, h. 19. ejuſdem libri; Et eleëmoſynâ, jejunio, & omnibus omninò bonis operibus in enchiridio c. 71. & libro 1. contrà epiſtolam Parmeniani c. 10. & libro de perfectione juſtitiæ c. 9. & libro 50. homiliarum h. 29. & 50. & h. 41. de Sanctis. Et S. Greg. in pſ. 2. pœnitentialem.

Oratio dominica.

Atque hactenùs dictum ſit ſatis quemadmodum recta intentione, mundâque conſcientiâ providêre nos oporteat bona corâm Deo.

BONÆ FAMÆ CONSULENDUM ESSE.

LIBER XXVIII.

IAM duo item coram hominibus providenda ſunt in operibus noſtris, ut non ſolum Deo, ſed hominibus quoque ſatisfaciamus, bona fama, bonumque exemplum.

CAPUT I.

Bonæ famæ cura.

DE bona fama legimus Eccleſiaſt. 41. Curam habe de bono nomine: Et Prov. 22. Meliùs eſt nomen bonum, quàm divitiæ multæ: ſuper argentum, & aurum gratia bona. Et Eccleſiaſtis 7. Meliùs eſt nomen bonum, quàm unguenta pretioſa, hoc eſt melior eſt odor bonæ famæ, quàm odor quorumlibet pretioſorum unguentorum. Ideò Paulus in 2. ad Corinthios epiſtola cap. 2. gloriabatur, ſe in omni loco triumphare, atque homines ubique ad Chriſti notitiam adducere; quoniam Chriſti bonus odor erat apud omnes. S. Hier. ad c. 5. Eccleſiaſtis. [Fac tibi, inquit, famam longio-
„ rem, ut quo modo unguentum nares odore
„ delectat, ſic ad tuum vocabulum cuncta po-
„ ſteritas delectetur.] Et S. Aug. libro 3. de doctrina Chriſtiana c. 12. bonam famam vult eſſe pretioſum illud unguentum, quo Chriſti pedes unguntur, ſicut unxit Maria, quando domus tota ex illius odore impleta eſt. Sed & in lib. 22. contrà Fauſtum c. 56. mandragoras Gen. 30. à Rachele tantoperè concupitas fuiſſe exiſtimat; non quod fœminis fœcunditatem adferrent, quod aliqui exiſtimârunt: ſed propter pomi raritatem, atque odoris ſuavitatem; bonamque famam, & apud populum pervulgatam ſigni ficare. Ideò enim Liæ filius mandragoras invenit in agrum exiens, hoc eſt, honeſtè ambulans ad eos, qui foris ſunt; quia ut in priore ad Tim. ep. c. 3. ſcribit Apoſtolus; Oportet teſtimonium habêre bonum, ab ijs, qui foris ſunt. Sponſus quoque Cant. 6. paſci dicitur inter lilia, liliorumque odore trahi.
„ [Lilia enim, inquit S. Bern. ſer. 71. in Cant.
„ ſunt boni mores. Habent namque & mores
„ colorem ſuum, habent & odorem. Nam Ex.
„ 5. dicunt fœtêre feciſti odorem noſtrum co-
„ ram Pharaône, & ſervis ejus; dicentes de
„ opinione. Ergò de colore conſcientia con-
„ ſulitur, de odore fama. Quod de corde pu-
„ ro & conſcientia bona egreditur, candidum
„ eſt, & virtus. Si autem & bona fama ſecuta
„ fuerit, & lilium eſt; quippè cui nec candor
„ lilij deſit, nec odor.] Et ſer. in nativit. B. Mariæ, iiſdem illis repetitis verbis: Qui paſcitur inter lilia. [Locum, inquit, non cibum in-
„ dicat; nec quibus paſcitur exprimit, ſed inter
„ quæ. Fortè enim non cibo, ſed conſortio
„ paſcitur liliorum. Nimirùm odore potiùs,
„ quàm ſapore, lilia placent, & viſui magis
„ ſunt apta, quàm eſui.]

CAPUT II.

Fama ex converſatione.

PROPTEREA in 1. ad Cor. ep. c. 4. Paulus hortabatur, ſic nos exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti. Talem, inquam de nobis opinionem habeant omnes, qualis miniſtros Chriſti decet. At opinionem hanc ex converſatione noſtra derivari oportet. Et veriſſimè dixit S. Ber. in ſer. de triplici judicio. [Mini-
„ ſter Chriſti ſic debet converſari, ut ex mori-
„ bus exterioris hominis, qui videtur, exiſti-
metur

„ metur compoſitiò interioris animi, qui non „ videtur.] Et Origenes tractatu 1. in Matthi tractans illam Chriſti interrogationem. Quem

Matt. 16. dicunt homines eſſe filium hominis? [Exem„ plo, inquit, Chriſti debemus ſemper quærere, „ quam opinionem habeant de nobis homines,

Matt. 23. „ ut vel emendemus, vel augeamus.] Et tract. 25. exponens illud; Mundatis, quod foris eſt calicis, intùs autem pleni eſtis rapinâ & immunditiâ: [Omnis, inquit, qui de ſalute ſua „ ſollicitus eſt, quod eſt ab intùs, & de opi„ nione ſollicitus eſt; quod eſt à foris: non „ autem omnis, qui de opinione ſollicitus eſt „ à foris, etiam de ſalute ſua ſollicitus eſt ab „ intus.] Affert exempla de mulieris concupiſcentia, deque eleëmoſyna propter vanam gloriam factâ.

CAPUT III.

Eccleſiaſticorum fama.

PLurimi omninò refert opinio bona, bonaque Eccleſiaſticorum, ac religioſorum præſertim hominum fama apud ſæculares homines: quoniam ex hac illorum bonum magna ex parte pendet. Illi enim ſunt veluti ſemen, quod Deus mundo propter illius

Religioſi homines, & ſæculares. ſpirituale commodum reliquit, Iſaiæ 1. Niſi Dominus exercituum reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus, & quaſi Gomorrha ſimiles eſſemus. Et Rom. 9. in Iſaäc vocabitur tibi ſemen. Quo loco Gloſſa ſemen Eccleſiaſticos Prælatos interpretatur. Vita, & malum exemplum malorum, & diſcolorum Eccleſiaſticorum, & Religioſorum ſunt laqueus ſæcularium. Undè Iſ. 42. dicitur; Ipſe autem populus direptus, & vaſtatus. At quam quæſo ob cauſam? Laqueus juvenum vos eſtis. Juvenes appellantur ſæculares homines per comparationem Eccleſiaſticorum, & religioſorum. Quoniam ut juvenes ſeniorum conſilium ſequuntur, illoque plerumque reguntur, ita ſæculares homines aſpicere ſolent, quemadmodùm Eccleſiaſtici, & religioſi vivant, eoſque plurimùm imitantur. Propterea monet S. Hier. ep. ad Celantiam: [Apoſtolici, „ inquiens, & præcepti eſt, & exempli, ut ha„ beamus rationem non conſcientiæ tantùm, „ ſed etiam famæ.] Et ep. de vitando ſuſpecto contubernio. [Si dixeris; Mihi ſufficit „ conſcientia mea: habeo Deum judicem, qui „ meæ vitæ eſt teſtis, non curo quid loquan„ tur homines: audi Apoſtolum ſcribentem: „ Providentes bona, non ſolùm coram Deo, „ ſed etiam coram omnibus hominibus.] Et S. Aug. in libro de bono diſciplinæ c. 8. „ [Magnum quidem, & glorioſum eſt, num„ quam malis actibus locum dediſſe; ſed mul„ tò fortius eſt, numquam falſis ſuſpicionibus „ laboràſſe.] Et c. 9. [Si vis placère Chriſto „ elabora, ut profeſſionem tuam fides adjuvet, „ fama commendet.] Multis hoc tractat in libro de ovibus, to. 9. c. 9. & inter cætera alludens ad illud, quod de malis paſtoribus legitur Ezech. 34. hujuſmodi homines affirmat aquam puram bibere; ſed reliquam pedibus, hoc eſt, converſatione ſuâ, turbatam cæteris bibendam tradere. [Non enim poteſt frater „ tuus in conſcientiam tuam intrare, quæ co„ ram ſolo Deo eſt.] Et ſer. 217. de tempore, tractans de muliere forti Prov. 31. quæ lanam, & linum operabatur, ut veſtem exteriorem, & interiorem ſibi, & omnibus domeſticis ſuis provideret, duplicem hanc veſtem famam, & conſcientiam interpretatur; conſcientiam lineam interiorem; converſationem, & famam laneam exteriorem. Itaque qui conſcientiâ contentus negligit famam, non eſt veſtitus duplicibus; ſed ſolam retinet lineam interiorem, exteriori abjectâ laneâ. Sed in ſer. 49. de diverſis; dum loquitur de vita clericorum, ad fratres in eremo. [Duæ, inquit, res tibi „ neceſſariæ ſunt; conſcientia tibi, fama „ proximo.] Et S. Gregorius Nyſſenus in ep. ad Harmonium. [Omninò, inquit, ſtuden„ dum eſt, ut nomini ita reſpondeat.] Alioqui Tertulliani ſententia in lib. de cultu fœminarum, integrum, & plenum bonum non amplectitur, ſed dimidiatum. [Bonum enim, „ inquit, verum, & plenum non amat tene„ bras; ſed gaudet videri, & ipsâ denotatione „ exultat. Pudicitiæ Chriſtianæ ſatis non eſt „ eſſe, verùm & videri.] Et apud Sanctum Cyprianum in epiſtola 7. libri 2. duplici laude digni cenſentur, qui procurant utrumque. „ [Quamquam enim benè ſibi conſcius ani„ mus ſoleat ſolo Deo judice eſſe contentus; „ tamen geminata ſunt laude condigni, qui „ cùm conſcientiam ſciant, ſoli ſe Deo debère „ judici; actus tamen ſuos deſiderant & ab ip„ ſis ſuis fratribus comprobari.]

CAPUT IV.

Eorum, qui alios juvant.

HOc verò multò magis neceſſarium eſt iis, qui inter proximos verſantur, cumque illis de ipſorum ſpirituali ſalute tractant. Quia ut non ſemel dixit in libro de paſtorali cura S. Greg. Magnus; [Neceſſe eſt, ut cujus „ vita deſpicitur, ejus prædicatio contemna„ tur.] Jureque optimo admonuit nos S. Io. Chryſ. h. 44. in Matt. [Volo majori gloria vir„ tutis corruſcare vos, qui in medio urbis con„ verſamini, quàm illos, qui montes & eremum „ petierunt: quia magnam hinc utilitatem cæ„ teri conſequentur.] In lib. Num. c. 10. Moyſi præcepit Deus, ut duas ſibi faceret tubas argen-

argenteas, ad convocandum populum, quando movenda eſſent caſtra. Hæ duæ tubæ ſunt vita, & fama Eccleſiaſtici hominis, aut religioſi: Altera ſonat Deo, Altera proximis hominibus: utraque neceſſaria, ut moveantur caſtra, & emendetur vita. Argenteas illas eſſe oportet, quod candidum, & ſonorum metallum eſt: candor vitam, & conſcientiam ſignificat candidam, & immaculatam; ſonus verò famam. Sed & tuba duo habet orificia; alterum illi, qui per eam ſonat; alterum cæteris, qui ſonum audituri ſunt. Atque hoc eſt illud Auguſtini: Duo tibi neceſſaria ſunt, conſcientia tibi, & fama proximo. Sed ut orificium illud, per quod ſonatur, multò minùs eſt altero, quo auditur ſonus. Ita bona vita, & conſcientia comparatione famæ debet eſſe parva, hoc eſt, famam bonam majorem eſſe oportet vitâ, hoc conſcientia, ut converſatio noſtra utilior illis ſit, cum quibus agimus.

Juſſit quoque Deus Ex. 25. ut in templo eſſent emunctoria; Emunctoria quoque fient ex auro puriſſimo. Quid verò aliud eſt Eccleſiaſticus, aut religioſus, quàm emunctorium in Eccleſia Dei poſitum, ut vitâ ſuâ, & famâ ſuperfluitates emungat candelarum hominum ſæcularium, quæ in vitijs, ac miſerijs ſuis ardent? Sed ut emunctorium duabus conſtat partibus claviculo copulatis, quarum una ſine altera nihil poteſt efficere; ſic bonâ vitâ, bonâque famâ opus eſt ad juvandas animas; eaſque conjungens claviculus eſt diſcretio, ſeu charitas.

Nobis tamen magnoperè cavendum eſt, nè emungendo ſimus nimij; quoniam qui nimium emungit, elicit ſanguinem, candelam extinguit. Nos ergò oportet emunctoria eſſe ex auro puriſſimo, quod magnam, & ſinceram ſignificat charitatem. Accedit ad nos quiſpiam, ſperans ſe inventurum remedium ſuis neceſſitatibus, & auxilium paternum, & non patrem invenit, ſed penè dixerim leonem, aut urſum, qui minùs prudentibus exaggerationibus hominem à ſe pejorem dimittit, quàm acceſſerat. De Chriſto prædictum fuerat Iſ. 42. Lignum fumigans non extinguet; quod etiam citatur Matt. 12. Accedit iſte ad te velut titio ad infernum condemnatus, quia eſt in peccato mortali: noli eum extinguere, quoniam quamdiù vivit, fumigat; habet adhuc non nihil luminis, & caloris; inſufla in eum, & accendetur; Emungas illum; ſed non extinguas, & divina accedente ope ardebit adhuc charitate. Emunctorium quoque, ut benè emungat, nec ipſum conſpurcetur, ſolemus aqua madefacere: Ita Dei ſervus ad hoc munus exequendum accedere debet Spiritûs Sancti gratiâ madefactus, ut illud ſine ſui læſione faciat.

Porrò ad hoc conficiendum, confert plurimùm fama, & opinio, quàm homines de noſtra virtute conceptam habent. Quam ob cauſam dixit S. Chryſ. h. 6. operis imperfecti in Matt. [Quid prodeſt, ſi bonam vitam agendo te unum ſalves, & malam famam habendo plurimos ſcandalizes.] [Neque enim ſibi ipſi tantùm quis vivit, inquit, S. Nazianz. in ep. 43. ad Gregorium Nyſſenum, ſed & proximo: nec ſibi ipſi fidem facere ſatis eſt, niſi alijs quoque fides fiat.] Quam ob cauſam S. Chryſ. exponens illa verba pſalmi 49. Peccatori autem dixit Deus; Quare tu enarras juſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? Verbis nos hiſce hortatur. [Habeat vita tua claram vocem, eadem, quæ dicis, docentem: & licèt os tuum obſtruxeris, vel tubâ clariùs perſonabis, non ſolùm apud præſentes, ſed etiam apud eos, qui procul ſiti ſunt.] Et ideò S. Aug. in libro de opere monachorum c. 22. magnoperè omnes vult habêre curam famæ ſervorum Dei; eum, inquiens, multò miſericordiùs operari ergà animas infirmorum, qui bonæ famæ ſervorum Dei conſulit, quàm ergà corpora egentium, qui panem eſurientibus frangit. Contrà verò in libro de bono viduitatis c. 22. crudeles omninò veluti animarum interfectores, atque ſalutis hoſtes, eos appellat, qui ſuæ famæ minorem habent curam. [Neque audiendi, inquit, ſunt, qui dicunt ſibi ſufficere coram Deo conſcientiam, exiſtimationem hominum, non impudenter ſolùm, verùm etiam crudeliter contemnentes: cùm occidunt animas aliorum ſive blaſphemantium viam Dei, ſive etiam cum excuſatione imitantium, non quod vident, ſed quod putant. Proindè quiſquis à criminibus flagitiorum, atque facinorum vitam ſuam cuſtodit, ſibi benè facit; quiſquis autem etiam famam, & in alios miſericors eſt. Nobis enim neceſſaria eſt vita noſtra, alijs fama noſtra.] Adfertque plura ex Paulo teſtimonia. Quod ſi fama non poſſit defendi, adſit conſcientiæ ſolatium. Quod etiam confirmat S. Anſelmus in com. ad caput 8. epiſtolæ poſterioris ad Cor. [Coram Deo, inquit, ſufficit bona conſcientia, ſed coram hominibus neceſſaria eſt bona fama. Qui autem fidens conſcientiæ negligit famam ſuam, crudelis eſt, quoniam ſalutem proximorum ſpernit.] Et rurſum in com. ad Caput 4. epiſtolæ ad Phil. [Sanctorum converſatio cauta eſſe debet; nè fortè cùm mala vita non ſit per laſciviam, mala ſit fama per negligentiam. Qui autem dicunt ſufficere ſibi conſcientiam ſuam, exiſtimationem hominum crudeliter contemnunt, cùm occidunt animas aliorum, ſive blaſphemantium vitam Sanctorum, ſive etiam cum excuſatione imitantium.]

BO-

Digitized by Google

BONUM OMNIBUS EXEMPLUM DANDUM.

LIBER XXIX.

BONA quidem fama, bonaque de noſtra virtute opinio ex actionibus virtutis, optimoque vitæ exemplo derivanda eſt; quod alterum erat, quod coram hominibus providendum diximus.

CAPUT I.

Prima Ratio.

IN omni, inquam, converſatione noſtra maximè cavendum eſt, nè quid admittamus, quod quemquam poſſit offendere, quin potiùs in omni actione noſtra modeſtiæ ſemper, ac virtutis omnis adſint argumenta Eccleſ. c. 19. Amictus corporis, & riſus dentium, & ingreſſus hominis enuntiant de illo. Et S. Ambr. in 2. lib. de Virginibus, cùm de B. Mariæ ſemper Virginis modeſtia ſingulari loqueretur. Poſt multa tandem concluſit: [Ipſa corporis ſpecies „ ſimulacrum fuit mentis, figura probitatis. „ Bona quippè domus ipſo veſtibulo debet agnoſci, ac primo prætendit ingreſſu nihil intùs latêre tenebrarum: ut mens noſtra nullis „ retinaculis corporalibus impedita, tanquam „ lucernæ lux intùs poſita foris luceat.] Et in 1. offic. libro c. 18. [Eſt etiam in ipſo motu, „ geſtu, inceſſu tenenda verecundia. Habitus „ enim mentis in corporis ſtatu cernitur; Et „ vox quædam eſt animi, corporis motus.] Narrat à ſe quemdam non fuiſſe receptum in clerum, quod geſtus ejus plurimùm dedeceret: & alterum jam clericum, ab ipſo prohibitum, nè unquam ille præiret, propter inſolentem inceſſum. Uterque pòſt ab eccleſia receſſit. Immò & in vita S. Gregorij Nazianzeni legimus, cum futuram Juliani apoſtatæ perverſitatem prævidiſſe, cùm adhuc eſſet puer: ex petulante riſu, & toto corpore vago, temerèque ſubſultante. Omninò corporis geſtus, & exterioris hominis actiones interioris animi indices ſunt. Quare S. Bern. in ſer. de virtute obedientiæ. [Nubiloſa, inquit, corporis compoſitio, & facies tenebris obfuſcata „ triſtitiæ, devotionem ab animo receſſiſſe ſignificant.] Et ſer. 85. in Cant. [Animæ decor in eo eſt, quod honeſtum dicitur. Honeſti autem conſcientia habitatio eſt, & origo. „ Sed de eo interrogetur exterior converſatio: „ non quòd ex ea prodeat, ſed per eam. Cùm „ enim decoris hujus charitas abundantiùs intima cordis repleverit; prodeat foras neceſſe „ eſt, tanquam lucerna latens ſub modio, immò lux in tenebris lucens latêre neſcia. Porrò effulgentem, & velut quibuſdam ſuis radijs erumpentem, mentis ſimulacrum corpus excipit, & diffundit per membra, & ſenſus, &c.] Atque hæc ſit prima ratio, cur omnis noſtra converſatio circumſpecta ſemper, & ſancta eſſe debeat.

CAPUT II.

Secunda Ratio.

SECUNDA Ratio eſt, quia hæc honeſta morum compoſitio religioſum hominem, atque omninò virum probum decet; incompoſitio dedecet plurimùm. S. Baſilius in or. 22. quæ eſt de anima. [Propria, inquit, arboris „ virtus, & commendatio eſt fructus: accedunt „ tamen folia, & ramuſculi ipſam condecorantes. Sic animæ præcipuus quidem fructus eſt „ virtus, non injucundum tamen eſt, immò „ gratiſsimum, ſi externa ſapientia veluti quibuſdam folijs circumdata fuerit.] Sanè de religioſis quoque immò multò magis, dici poteſt illud, quod de Clericis loquitur S. Chryſ. h. 40. operis imperfecti in Matth. eos in ædificio Eccleſiæ foraneos eſſe lapides; cæteros autem homines eſſe velut in parietum, vel ædificij medio poſitos; hos nemo videt; illos, qui foris ſunt, aſpiciunt omnes, & conſiderant; ſic enim ſæcularium hominum vitam attendit nemo, quamvis indiſciplinata ſit; religioſorum hominum, & eccleſiaſticorum examinant plurimùm. [Propterea foranei lapides „ habêre non debent nodum, nec eſſe unus intùs, alter foris, quia ipſi ſunt pulchritudo „ Eccleſiæ.] Et h. 41. universè de Chriſtianis omnibus pronuntiat, quod de Eccleſiaſticis, & Religioſis potiori dicetur jure. [Qui opera „ habet tenebroſa, & inter Chriſtianos quaſi „ unus ex eis converſatur, Chriſtianitati facit „ injuriam. Aut igitur ſecundùm locum eligat „ veſtem, aut ſecundùm veſtem eligat locum; „ id eſt, aut opera faciat ſecundùm profeſſionem, aut ſecundùm opera eligat profeſſionem: Alioqui audiet in die judicij: Amice, „ quomodò hûc intraſti non habens veſtem „ nuptialem?] Eadem penè verba fuêre Sancti Hieronymi in ep. 10. ad Furiam, de viduitate ſervanda, c. 3. [Aut loquendum nobis eſt, ut „ veſtiti ſumus, aut veſtiendum, ut loquimur.

Quid

„ Quid aliud pollicemur,& aliud oſtendimus? „ lingua perſonat caſtitatem, & totum corpus „ præfert impudicitiam.] Et S. Baſil. in regulis fuſiùs diſput.22. Religioſum veſtitum vult eſſe nobis veluti pædagogum, qui nos officij noſtri admoneat. [Profeſſioni, inquit, quam „ veſtitus teſtatur, convenientes quoque re„ quiruntur actiones. Si quid ab alijs indeco„ rum agitur,nullus obſervat:at ſi à Religioſo, „ qui abſolutum vitæ genus profitetur, &c.] Quare imbecillioribus veluti pædagogi diſciplina, qua inviti etiam à rebus flagitioſis prohibentur, eſt hæc, quæ in veſtitu apparet, profeſſio. S. Ambr. verò in lib. offic. c.50. ſic habet; [Decet actuum noſtrorum,& operum te„ ſtem eſſe publicam exiſtimationem, & atte„ ſtationem,nè derogetur muneri: ut qui videt „ miniſtrum altaris congruis ornatum virtuti„ bus,autorem prædicet,& Dominum venere„ tur,qui tales ſervulos habeat.] Multa de hoc capite extant apud Humbertum in regulam S. Auguſtini c. 77. ubi multas ad hoc oſtendendum rationes collegit: & paucis concluſit S. Ber.in ſer.de tripl.judicio.[Debet,inquit,quiſ„ que quantum poteſt ſe irreprehenſibilem ex„ hibêre:primùm quidem coram Deo; ſed de„ indè etiam coram hominibus.] Hoc enim eſt,quod loquitur Paulus; Providentes bona non tantùm coram Deo, ſed etiam coram omnibus hominibus. Tribus autem modis providemus bona coram hominibus; habitu, actione, ſermone. Habitu, nè ſit notabilis; actione, ne ſit reprehenſibilis; ſermone,nè ſit contemptibilis. Tribus etiam coram Deo; cogitatione, affectione, & intentione. Nam & cogitatio debet eſſe ſancta, & affectio pura, & intentio recta. Veriſſimè de Religioſis, & Eccleſiaſticis hominibus dici poteſt illud, quod Cant. 5. de Sponſo pronuntiavit Sponſa; Genæ tuæ ſicut areolæ aromatum conſitæ à pigmentarijs. Nam Religioſi,& Eccleſiaſtici ſunt fermè pulchritudo Eccleſiæ: atque hominis pulchritudo ferè in facie, ac genis apparet. Quare ut maximè dedecet, vel minima in facie, geniſque macula, ita vel minima in homine religioſo, aut eccleſiaſtico imperfectio: quia verè hi ſunt areolæ aromatum odore virtutum odoriferarum, ac medicinalium ad curandos ſæcularium hominum morbos.

Rom. 12.

CAPUT III.

Tertia Ratio.

TERTIA autem ratio hæc ſit: Namque honeſta hæc in tota exteriori converſatione compoſitio plurimùm ædificat proximos, atque ad virtutem, ac pietatem impellit. „ [Pleriſque ait S. Ambr.ſer.10. in pſ.118.ju„ ſti aſpectus admonitio correctionis eſt, per„ fectioribus verò lætitia. Quàm pulchrum „ eſt, ut videaris, & proſis! Nam ſi eſt tanta „ vis in naturalibus, ut animal viſum proſit „ ictericis, ita ut mortui quoque corpus ejus „ animantis prodeſſe dicatur; dubitare poſſu„ mus, quod juſti ſanet aſpectus?] Et Origenes h. 9. in lib. Judicum proferens Gedeönis milites, qui lampades manu tenentes pugnabant; [Miles, inquit, Chriſti cum lampadibus „ pugnat.Sic enim eum Chriſtus armavit,cùm „ dixit;Sint lumbi veſtri præcincti,& lucernæ „ ardentes in manibus veſtris: & alibi; Sic lu„ ceat lux veſtra coram hominibus, & videant „ opera veſtra bona.Pugnare ergò debet miles „ Chriſti, luce operum refulgens,& ſplendore „ geſtorum.] Veriſſimum enim eſt id, quod ſcribit S. Ber. in ſer. de S. Benedicto. [Sermo „ vivus, & efficax exemplum boni operis plu„ rimùm faciens ſuadibile, quod dicitur, dum „ demonſtrat factibile, quod ſuadetur.] Et S. Io.Damaſc.in hiſt.Barlaâm.[Exemplis potiùs, „ quàm præceptis, & cohortationibus, ad vir„ tutis ſtudium trahimur.] [Tantòque efficaciùs,ait S. Anſ.ep.71.lib. primi, bonum ex„ emplo, quàm verbo,perſuadetur;quantò bo„ ni mores in tacente diliguntur,& facundia in „ torpente contemnitur.] S. Greg. Magnus ſæpè monuit illius prædicationem deſpici, cujus vita contemnitur. Et lib.6.mor. c. 16. illum uberes prædicationis fructus colligere,qui ſemina bonæ operationis præmittit. Contrà ſi mores à verbis diſcrepent in lib. 21.c.8. de illo interpretatur verba Job. c. 31. Seram, & alius comedet, & progenies mea eradicetur: quod enim per verbum naſcitur, per exemplum necatur;ſicut 3.Reg.3. mulier filium, quem vigilans lactare conſueverat,dormiens interemit: & libro 5. in primum Regum c. 4. Jonatham profert ad ſtationem Philiſtinorum reptantem manibus. [Reptat enim manibus, qui peccato„ ribus viam, quàm tenêre converſi debeant, „ non ſapientiâ verbi, ſed exemplo converſa„ tionis profert.] Et dum in Cant. libro dicitur, Mel,& lac ſub lingua ejus, in com.ait,non tantùm in lingua, ſed & ſub lingua boni prædicatores portant.Sed & manus diſtillant myrrham non minùs, quàm manus Sponſæ; quia ſi multis prodeſſe volunt, neceſſe eſt, ut in omni opere ſuo carnalem vitam mortificare contendant. Plurima prætereo, nè longum faciam; illud ſolum adnotabo, quod Iſ. 60. legimus; Qui ſunt iſti, qui ut nubes volant, & quaſi columbæ ad feneſtras ſuas?quod de Prædicatoribus intellexit idem Greg. lib. 5. in 1. Regum loco citato. [Quia ad exemplum per „ bona opera ſe nobis quaſi per foramina por„ rigunt; & de oſtenſa vitæ munditia laudis „ appetitu nequaquàm capiuntur.]

Plin. l. 3. c. 11.

1. Reg 14.

Cant. 4.

Sed quoniam columbarum facta eſt mentio; fiat quoque artis cujuſdam eas aucupandi, quam in epiſtola 175. Sanctus Baſilius tradidit. [Unam, inquit, ad humanum con-

Exempli vis.

Digitized by Google

,, victum aſſuefaciunt; deindè unguento alas
,, illius perungunt, ſinuntque conjungi agre-
,, ſtibus; illa verò per unguenti fragrantiam a-
,, greſtes domum adducit.] Unguenti fragran-
tia eſt honeſta & laudabilis converſatio, quæ
bono exemplo adducit ad Chriſtum eos, cum
quibus conjungimur. Nam & Paulus dicebat:
Chriſti bonus odor ſumus in omni loco. Magna
omninò vis eſt exempli, multoque major, quàm
verborum. [Nulla res, inquit Seneca ep. 94.
,, magis animos honeſta induit, & in pravum
,, inclinabiles revocat ad rectum, quàm bono-
,, rum virorum converſatio.] Occurſus ipſe ſa-
pientum juvat, & eſt aliquid, quod ex magno
viro vel tacente proficias. Alium animum dixit
Pithagoras fieri intrantibus templum, Deo-
rumque ſimulacra ex vicino cernentibus. [Fa-
,, ciliùs devotæ mentes, inquit Orig. in caput
,, 15. epiſtolæ ad Rom. ad benefaciendum ex-
,, emplis, quàm ſermonibus invitantur.] Et S.
Greg. Papa h. 19. in Ezech. [Plus plerumque
,, exemplum, quàm ratiocinationis verba com-
,, pungunt.] Et in prologo ad libros dialogo-
rum. [Ad amorem cœleſtis patriæ plùs exem-
,, pla, quàm prædicamenta ſuccendunt.] &
Matth. 5. Euſebius Emiſſenus h. in ea verba; Vos eſtis ſal
terræ: [Magis operando, quàm loquendo, pro-
,, ficitis; quia major eſt ſplendor operis, quàm
,, ſermonis.] Propterea propoſitionis menſam,
& candelabrum aureum vult non intrà, ſed
extrà velum fuiſſe, ut ab omnibus viderentur;
& tintinnabula aurea in veſte pontificis, ut
ſonus audiretur ſemper, ſive ingrederetur ſan-
ctuarium, ſive egrederetur. De S. Matthia A-
poſtolo quidpiam valdè timendum narrat Cle-
mens Alexandrinus lib. 7. ſtrom. Eum, in-
quam, aliquando dixiſſe, ſi electi vicinus pec-
caverit, peccâſſe electum: Nam ſi ſe ita geſ-
ſiſſet electus, ut jubet Verbum, ejus vitam ita
eſſet reveritus vicinus, ut non peccâſſet. Sed
& illud timendum, quod in libro de vera vir-
ginitate ſcribit S. Baſilius, qui cùm incidiſſet
in illa Pauli verba 1. Tim. 5. Quorumdam ho-
minum peccata manifeſta ſunt præcedentia ad
judicium; quoſdam autem ſubſequuntur; [Si-
,, cut, inquit, Paulum adhuc viventem alia præ-
,, ceſſerunt opera; quod plurimi ex ejus do-
,, ctrina, & converſatione perfecti evasêre, &
,, ad æternam vitam præceſſerunt: alia poſt
,, mortem ſecuta ſunt; eorum, qui ex ejus epi-
,, ſtolis adjuti ſunt, &c. ita contrà alia præce-
,, dunt peccata eorum, qui peſſimis ſermoni-
,, bus, & operibus læſi, in infernum præceſſe-
,, runt; alia ſequuntur eorum, qui poſt illorum
,, mortem malis illorum exemplis læduntur.]
Ita Marcioni, & cæteris hæreſiarchis ſuppli-
cium in dies augêri ait; bonis verò gloriam.
Propterea monebat Lætam S. Hier. ep. de in-
ſtitut. filiæ c. 5. [Nihil in te, & Patre ſuo vi-
,, deat, quod ſi fecerit, peccet.] Et ep. ad Fa-
biolam, de veſtitu Sacerdotum; [Sacerdotis
,, greſſus, & motus, & univerſa vocalia ſint:
,, Veritatem toto habitu reſonet, & ornatu; ut
,, quidquid agit, quidquid loquitur, ſit doctri-
,, na populorum.] S. Ambr. lib. 2. in Lucam,
ita accepit illud; Sic decet nos implêre omnem
juſtitiam; ut hæc ſit juſtitia, ut quod alterum
facere velis prior ipſe incipias, & tuo alios hor-
teris exemplo. Et in caput 5. epiſtolæ ad
Rom. tres poſuit naturalis legis partes: pri-
mam, ut Deus honoretur, non creatura; ſecun-
dam ut benè, & modeſtè vivatur; tertiam ut
Dei notitia, & morum exemplum cæteris tra-
datur. Et ſer. 76. Qui fecerit, & docuerit,
magnus vocabitur, &c. [Præcedit factum, ſub-
,, ſequitur doctrina. Siquidem benè facere pri-
,, ma doctrina eſt.] Et S. Greg. Papa lib. 11.
mor. c. 16. cum dixiſſet Job c. 13. Animam
meam porto in manibus meis. [Animam, in-
,, quit, in manibus portare eſt intentionem
,, cordis in operatione oſtendere. Habent enim
,, hoc juſti proprium, ut in omne, quod di-
,, cunt, aut agunt non ſolùm profectum ſuum,
,, ſed & proximorum ædificationem quæ-
,, rant.] Sic etiam David pſ. 118. dicebat; A-
nima mea in manibus meis ſemper, hoc eſt,
operatio, & converſatio mea exterior confor-
mis ſemper eſt puritati, integritati, ſanctitati-
que conſcientiæ. Hinc Ezechiel c. 1. animalia
vidit, quorum aſpectus quaſi carbonum ignis
ardentium. [Sed aſpectus animalium, inquit
,, Greg. h. 5. carbonibus ignis ardentibus, at-
,, que lampadibus comparatur: quia qui car-
,, bonem tangit, incenditur: & qui Sancto
,, viro adhæret, ex ejus aſſiduitate viſionis, uſu
,, locutionis, exemplo operis, accipit, ut ac-
,, cendatur in amorem veritatis.] Et ideo S.
Leo Papa ſer. 3. de Epiphania, ſingulos vult
bono vitæ exemplo eſſe ſtellam Magorum,
quæ alios ad Chriſtum ducat. Quia piorum
vitam, ait, ſer. 5. non ſolùm ſibi, ſed etiam aliis
eſſe utilem decet; ut quod apud eos agi non
poteſt verbis, obtineatur exemplis. Et S. Proſ-
per lib. 1. de vita contemplativa c. 17. [Plus
,, fideles catholici bonis exemplis, quàm lu-
,, culentis verbis, ſolent proficere. Eaque eſt
,, ſumma, perfectaque doctrina, quam con-
,, verſatio ſpiritualis oſtenderit, non quam in-
,, anis ſermo jactârit: nec à nobis in die judi-
,, cij verba quærenda, ſed opera: nec facilè
,, perſuadetur, quod docet lingua, ſi à lingua
,, vita diſſentiat.] Hoc verò tanti fecit S. Io.
Chryſ. ut h. 33. in Matthæum non dubitave-
rit affirmare, abſque nobilitate morum ſigna
nihil valêre. Et h. 47. bona exempla magis
juvare, quàm miracula: atque hoc præcipuè
magnos feciſſe Apoſtolos. [Quid enim, in-
,, quit, fuit, quod præcipuè illos magnos
,, fecit? Certè verus, ac non ſimulatus glo-
,, riæ, atque pecuniæ contemptus; & quoniam
nullam

Digitized by Google

„ nullam ſæcularium harum rerum curam ha-
„ bebant. Nam niſi hoc habuiſſent, ſi paſſio-
„ nibus veluti nos ſerviſſent, etiamſi de morte
„ innumeros homines ſuſcitâſſent, non ſolùm
„ nihil utilitatis feciſſent; verùm etiam ſedu-
„ ctorum, atque deceptorum nomen non effu-
„ giſſent. Vivendi ergò diſciplina eſt, quæ ubi-
„ que fulget, quæ ſpiritus, & gratiam attrahit.] Quare in h. 3. operis imperfecti, de Joanne Baptiſtae diſſerens; [Teſtimonium, inquit, verbo-
„ rum ejus nequaquam fuiſſet idoneum, niſi
„ eum mirabilis vitæ inſtitutio commendaſ-
„ ſet;] Propterea de illo dictum eſt Io. 5. Ille erat lucerna ardens, & lucens; ardens ſcilicet charitate, & lucens exemplo vitæ. [Eſt enim, ut
„ de illo S. Ber. loquitur, lucêre vanum, ardê-
„ re parum, lucêre & ardêre perfectum; lucê-
„ re vanum, quia ſine charitate bona conſcien-
„ tia nihil prodeſt, ardêre parum, quia charitas,
„ & bona conſcientia, ſine bono exemplo ſibi
„ ſoli prodeſt, ardêre ſibi & lucêre proximo,
„ hoc demum perfectum eſt, quia & ſibi, &
„ alijs prodeſt.]

CAPUT IV.

Interior, & exterior pulchritudo.

Certè in lib. Cant. c. 1. Sponſa bis vocatur pulchra; Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es. Quoniam & interiorem animæ, ſeu conſcientiæ, & exteriorem morum pulchritudinem habebat. Et Sponſus murenulas illi promittit aureas vermiculatas argento. Aurum interiorem virtutem ſignificat, & exterius ornamentum argenteum exteriores mores, ſanctamque converſationem, quæ interiori adjuncta pulchritudini opus planè facit pulcherrimum, atque aſpectu jucundiſſimum. Sed & arcam voluit Deus obductam intùs, & foris eſſe auro. Non eſt ſatis unum ſine altero; Deaurabis eam auro puriſſimo intùs, & foris, dictum eſt Moyſi Ex. 25. Hinc Euſebius Emiſſ. h. in Sab. poſt 1. Dom. quadr. Arca, & Eccleſia idem ſunt. Quæ benè auro circumtecta dicitur; quia & interiùs per ſanctitatem, & exteriùs operationem refulget. In templo quoque duplex fuit altare: unum interiùs, quod thymiamatis vocabatur; pro odoribus, qui Deo adolebantur: alterum exteriùs, pro victimarum immolatione populique ſacrificijs; quòd propterea holocauſtorum dicebatur. Ac demum duabus Deus Sacerdotem ornavit ſtolis. Quæ omnia ita ad rem præſentem interpretatus eſt Philo Judæus in lib. de temulentia: [Non
„ temerè nobis Moyſes arcam intùs, & extrà
„ laminis aureis induit: non temerè ſummo Sa-
„ cerdoti duas Stolas attribuit; & duas aras po-
„ nit; exteriorem ad victimas, ad ſuffitus inte-
„ riorem. Sed volens nos per hæc ſigna docêre
„ virtutes utriuſque ſpeciei. Debet enim vir
„ ſapiens & intùs in anima inviſibili, & in ex-
„ ternis actionibus ornatus eſſe.] Addamus & ex Prover. 31. id quod de muliere forti pronuntiatum fuit à Salomone, & verò in maxima laude poſitum. Quæſivit enim lanam, & linum; tamque ipſa, quàm omnes domeſtici ejus veſtiti ſunt duplicibus. At quæ tanta eſt iſta laus? Quæ admirabilis fortitudo? Ex lana exteriores conſtant veſtes, interiores ex lino, quæ carnem tangunt. Quæſivit ergò lanam & linum; omneſque domeſtici veſtiti ſunt duplicibus, lanâ, & lino, & interiores habuerunt virtutes animæ, & exteriorem morum pulchritudinem, quæ ad aliorum omnium ædificationem facit. Ita hunc locum intellexerunt Sancti Ambroſius, & Bernardus; ſic enim ibi ſcribit Ambr. [Quæſivit lanam, & linum: lana
„ exterior veſtis, linum interior, ſignificant
„ opera exteriora, & interiora.] Et Ber. lib. 3. de conſideratione his verbis Eugenium Papam hortatur: [Induere veſtimentis gloriæ tuæ,
„ veſtire duplicibus, quibus domeſticos ſuos
„ fortis illa mulier inducere conſuevit: Non ſit
„ in conſcientia nutans infirmitas modicæ fi-
„ dei, non ſit in fama nevus malæ ſpeciei, &
„ gaudebit Sponſus ſuper Sponſam animam
„ tuam, & gaudebit ſuper te Deus tuus.] Neque verò ita ſolùm veſtiti erimus nos duplicibus: ſed & domus noſtra ornata fuerit: quemadmodum gloriabatur ſponſa Cant. 1. cùm dicebat; Tigna domorum noſtrarum cedrina, laquearia noſtra Cypreſſina. Sic enim interpretatur S. Greg. Nyſſenus h. 4. in Cant. [Tigna
„ domorum noſtrarum cedrina, id eſt virtutes
„ animi incorruptæ: quippè Cedrus lignum ha-
„ bet imputribile: laquearia noſtra Cypreſſina;
„ hoc eſt concinna, & levigata morum compo-
„ ſitio; benè namque olet Cypreſſus; Ergò non
„ ſolùm, quæ ſunt, in anima virtutes quærun-
„ tur; ſed etiam ea venuſtas, quæ eſt in eo,
„ quod apparet. Sunt enim providenda bona
„ coram Deo, & hominibus.] Hæc Nyſſenus.

CAPUT V.

Quarta Ratio.

Quarta & ultima ratio eſt, quòd malum exemplum præſertim Eccleſiaſticorum, & Religioſorum plurimùm obeſt cæteris. S. Baſilius h. in ea verba; In fame, & ſquallore, & or. 3. quæ eſt de peccato; [Perpau-
„ cos, inquit, mala, ærumnæque ad univerſum
„ populum ſæpè perveniunt, & unius ob no-
„ xam tota quandoque gens evertitur.] Et h. quòd Deus non ſit author malorum, exemplo utitur peſtis; [Nam ut in peſtilentibus locis
„ ſenſim attractus aer latentem corporibus
„ morbum inijcit: ſic in prava conſuetudine
„ maxima nobis mala hauriuntur, etiamſi ſta-
„ tim non ſentiantur.] Et Origenes tractatu 25. in Matthæum omnes, qui mala converſatione ſuadent exemplum peccandi in populo,

Digitized by Google

claudere videntur antè homines regnum cœ-
lorum, & nec ipſi intrant, nec alios intrare
permittunt. Proptereà tantopere laborat dæ-
mon, & ponit laqueos Eccleſiaſticis viris, &
Religioſis; quia ut loquitur Paulus 1. Cor. 4.
Spectaculum facti ſumus omnibus, &, ſi unus
illorum cadat, videtur ab omnibus, & in Ec-
cleſia majus eſt ſcandalum. Et h. 7. in Ezech.
,, [Mihi ipſi, inquit, qui in Eccleſia prædico, la-
,, queos ſæpè tendit, ut totam Eccleſiam ex
,, mea converſatione confundat.] Et rurſum;
,, [Plus hi, qui ſunt in medio, oppugnantur ab
,, inimico, ut per ruinam unius hominis, qui ce-
,, lari non poteſt, omnibus ſcandalum fiat, &
,, impediatur fides per converſationem peſſi-
,, mam clericorum.] Quando quis eſt in angu-
lo, etiamſi cadat, non videtur, non eſt ſcan-
dalum: at ſi ſit in medio, omnes illum vi-
dent, & magnum eſt ſcandalum. Laicus eſt
velut in angulo Domûs Dei, à nullo conſide-
ratur: at Eccleſiaſticus, aut Religioſus, eſt
in medio, atque ab omnibus obſervatur:
quam ob cauſam S. Chryſ. lib. 3. de Sacerdo-
tio. [Sacerdotis, ait, animi pulchritudinem
,, undique ſplendeſcere oportet, ut oblectare
,, pariter, & illuſtrare poſſit eorum animos,
,, qui ſuos in illum oculos conijciunt. Nam
,, vulgarium hominum delicta, velut in te-
,, nebris commiſſa autores ſuos ſolos perdunt;
,, at hominis illuſtris, & vulgò cogniti deli-
,, ctum, commune omnibus damnum adfert.
,, Præterea ignobilium delicta ſi in medium
,, proferantur, neminem inſigniter vulnerant,
,, at qui in dignitatis faſtigio poſiti ſunt, pri-
,, mùm nemini non noti, manifeſtique ſunt;
,, tum verò ſi vel tantillum peccaverint, parva
,, eorum peccata alijs magna videntur. Neque
,, enim peccati magnitudine, ſed peccantis po-
,, tiùs dignitate, peccatum plerique omnes me-
,, tiuntur.] Eſt etiam majus ſcandalum, quo-
niam indè cæteri faciliùs ad peccatum indu-
cuntur, exemplo hominis, aut nobilitate illu-
ſtris, aut Eccleſiaſtici, & Religioſi. De illuſtri
homine S. Auguſtinus in qq. ex utroque teſta-
mento mixtim q. 114. inquit: [Per conſuetu-
,, dinem cæpit non turpe videri, quod turpe
,, erat. Nam cum dehoneſtant aliqui, primò
,, erubeſcunt, poſteà blandiente conſuetudine
,, recedit pudor, mutata fronte, præcipuè ſi
,, multos videant tales. Nam quęſtus turpitudi-
,, nis tunc eſt, quando ij, qui nobiles dicuntur,
,, dehoneſtati videntur; facilè enim imitatores
,, invenit dehoneſtata nobilitas.] De religioſo
autem, & Eccleſiaſtico quovis dici poteſt id,
quod de Epiſcopo pronuntiavit S. Amb. in lib.
de dignitate Sacerdotali cap. 6. [Nulli jam il-
,, licitum videtur eſſe, quod ab Epiſcopo quaſi
,, licitum perpetratur. Sed ipſum magis cre-
,, dunt homines eſſe laudabile, quidquid Epiſ-
,, copus habuerit delectabile.] De hoc homi-
num genere interpretatur S. Greg. lib. 32. mor.
c. 13. verba illa Job. Nervi teſticulorum ejus
perplexi ſunt. [Qui enim malum dant exem- *Iob 40.*
,, plum, ſunt teſticuli Behemoth, hoc eſt Dia-
,, boli, ſeu Antichriſti. Quia corda innocentium
,, actionis ſuæ exemplo corrumpunt, & erroris
,, fœtus miniſtrant. Quos tamen ſi quis redar-
,, guat, mox ſe ſub quodam velamine defenſio-
,, nis occultant: quia videlicet eorum nervi
,, perplexi ſunt, & malè implicati, correptione
,, ſolvi nequaquam poſſunt.] Sed quilibet vir
Chriſtianus, ut optimè monet S. Chryſ. h. 12.
operis imperfecti, non ſolùm coinquinare ſe
non debet, ſed nec alijs coinquinandi ſe occa-
ſionem præbêre: alioqui illius crimen ad iſtius
peccatum etiam redundat, qui alijs commit-
tendi criminis factus eſt cauſa. Et confirmat
S. Greg. lib. 16. mor. c. 25. [Plerumque, in-
,, quiens, unus mala inchoat, & imitando multi
,, ſubſequuntur. Sed ejus principaliter culpa
,, eſt, qui perverſis ſubſequentibus exempla
,, præbuit iniquitatis.] Quocircà magnopere
verendum eſt illud Job c. 35. Propter multi-
tudinem calumniatorum clamabunt. [Quo-
,, niam, ut loquitur S. Greg. lib. 26. moral. c.
,, 10. & qui bona externa rapiunt, & qui ma-
,, læ vitæ exemplo interna noſtra diſſipare o-
,, ſtendunt, calumniatores ſunt. Sed quantò
,, morum vita à rerum diſtat ſubſtantia; tantò
,, gravior calumniator eſt, qui malè vivendo
,, vim noſtris infert moribus, quàm qui vio-
,, lenter opprimendo damna ingerit rebus.]

Communis multorum delinquentium excu-
ſatio eſt. Alij faciunt, & ego cur non faciam? *Peccantium excuſatio.*
Sed ſapienter reſpondet S. Aug. in libro de de-
cem cordis c. 12. [Noli attendere quid quis fa-
,, ciat, ſed quid te jubeat Deus facere.] Et rur-
,, ſum ſer. 62. de verbis Domini; [Nolite imi-
,, tari malos Chriſtianos; nolite dicere faciam
,, hoc, quia multi fideles hoc faciunt. Hoc non
,, eſt defenſionem parare animæ, ſed comites
,, ad gehennam acquirere.] Meritò dolebat
Job c. 16. ad nihilum redacti ſunt omnes artus
mei. Oſſa enim fortes, artus infirmos ſignifi-
cant; ait S. Greg. lib. 13. c. 4. [Artus ergò ad
,, nihilum rediguntur, quando ex imitatione
,, pravorum infirmi quique deteriùs infirman-
,, tur.] Denique S. Ber. in ſer. 35. in parvorum
numero, hoc pravorum hominum genus vult
in cathedra peſtilentiæ ſedêre, ut dicitur in pſ.
1. [Abijt enim in conſilio impiorum, qui levis
,, eſt, & inconſtans; in via peccatorum ſtetit,
,, qui obſtinatus in malo eſt, & in cathedra pe-
,, ſtilentiæ ſedit, qui alios docet, atque exemplo
,, ſuo peccare facit cujus cathedræ quatuor pe-
,, des ſunt, malitia, contemptus Dei, irreveren-
,, tia, & aſtutia.] Verùm de his ſatis. Præ-
ſtat enim bonos, & eorum virtutes æmulari,
quàm malos, & vitia imitari, ut ſequens liber
oſtendet.

ALIO-

Digitized by Google

ALIORUM VIRTUTES IMITANDAS ESSE
LIBER XXX.

CAPUT I.

Bonum eſſe imitari.

NON faceſſat nobis negotium, aut ab imitatione removeat. S.Aug. qui in concione 2. in pſalmum 30. ita exponit illa verba (Ego autem in te ſperavi Domine) ut ab hominum imitatione removêre nos videatur, & ad Dei ſoliùs imitationem vocare: [Nihil ſalubrius, inquit, „ nihil ſecurius. Volebas imitari neſcio quem; „ inveniſti illum non bonum, tolle imitationem „ hanc. Alium quæſiſti; neſcio quid diſplicuit „ tibi: Tertium quæſiſti, & ipſe non placuit. „ Nunquid quia & ille, & ille diſplicuit, & tu „ peribis? tolle ab homine ſpem, quia maledi- „ ctus omnis, qui ſpem ſuam ponit in homine. „ Si attendis adhuc hominem, & eum quæris „ imitari, & ex illo pendêre; adhuc lacte vis „ nutriri, & fies mammothreptus, quales di- „ cuntur pueri, qui diù ſugunt: quod non de- „ cet.] Etenim eſt manifeſtum his verbis non prohibêri hominum imitationem; ſed monêri, nè ſpem in homine ponamus, aut illi penitùs adhæreamus; ſed ſoli Deo. Alioqui aperta extat Pauli ſententia in ep. ad Phil. c.3. Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti, & quod amplius eſt, & obſervate eos, qui ita ambulant, ſicut habetis formam noſtram, quod ab omnibus Sanctis Patribus factitatum, atque inculcatum fuiſſe ſcimus. S. Antonium ſcribit S. Athanaſius fuiſſe ſolitum inſigniores quaſque virtutes in fratribus obſervare, ac ſedulò imitari. Et S. Bern. in ſer. de cordis altitudine, & baſſitudine monachum laicum refert poſt vigilias ſecutum illum fuiſſe, atque ad pedes proſtratum cum multis lachrymis dixiſſe. Veh mihi Pater, quia monachum unum in vigilijs conſideravi, in quo triginta numeravi virtutes, quarum nec unam quidem in me invenio. [Et fortaſſe, in- „ quit Ber. nullam ille tantam habebat, quanta „ hæc ipſa erat, religioſæ æmulationis humilitas.] S.Baſilius in ſer. de abdicatione rerum, cùm multa moneret eum, qui Chriſtum ſequi, & diſcipulus ejus fieri velit, hoc inter cætera adjungit; [Enitere ut eos imiteris, qui ut animi „ affectiones ſedatas componerent, elaborave- „ runt.] Et rurſum: [Eorum, quos rectè, atque „ ex virtute videris vivere, æmulator eſto, at- „ que inſtitutorum vitæ, actionumq; exempla „ deſcripta in animum tuum transfe to.] Cujus optimi ſtudij meminit quoque Io. Caſſianus collat. 5. Abbatis Serapionis c.4. Nam duplici diſtincto vitiorum genere; altero carnali, quò ita delectatur caro, ut quietas etiam incitet mentes, initaſque nonnunquam pertrahat: altero ſpiritali, quod animæ ſolius inſtinctu oritur: Duplicem item affirmat eſſe curationem adhibendam. Nam priori generi ſubtrahenda eſt illiciens materia, & ſolitudo quærenda, nè concupiſcentia in affectum tentet prorumpere: poſteriori autem humana conſortia nihil obſunt, quin plurimùm etiam conferunt his, qui eis carêre in veritate deſiderant. Quia hominum frequentia magis arguuntur, & dum laceſſiti manifeſtantur crebriùs, celeri medicina perveniunt ad ſalutem. Hinc Theodoretus in hiſtoria SanctorumPatrum c.5. Publium commemorat ſeriò hortatum monachos fuiſſe ad ſocialem vitam: quoniam ut in foro magnæ cujuſpiam civitatis alius vendit panem, alius olera, alius veſtes, aut alia; ſic in ſociali vita unus manſuetudinem, alius temperantiam, alius alias virtutes exemplo ſuo docet. Quam ob cauſam S. Io. Chryſoſt. in argumento ad epiſtolam Pauli ad Philemonem, monachos cupiebat ad inhabitandas urbes deſcendere, ut ad illorum imitationem cæteri omnes ad virtutem componerentur. [Utinam, inquit, „ & eos, qui ſolitudines habitant, intrà urbes „ poſſem includere, ut ex eis exempla ſalutis „ liceret haurire.]

CAPUT II.

Imitationis utilitas prima.

CLEMENS Alexandrinus in 2. ſtromatum libro paucis omninò verbis tres maximas complectitur utilitates, quas ex inſpectis, & obſervatis aliorum virtutibus reportamus. „ [Ita enim, inquit, promptiori animo juvabi- „ mur, alia quidem provocantes, alia verò imi- „ tantes, & alia reverentes.] Prima utilitas eſt provocari exemplo illorum ad virtutem, & citari ad imitationem. Quod nobis magnopere ſignificant animalia illa volantia, quæ Ezechiel c. 3. narrat. Refert enim ſe audiviſſe vocem alarum animalium horum percutientium alas, alteram ad alteram. Sanè animalia hæc volantia ſunt omnes religioſi & ſpirituales viri, qui terrena deſpicientes, ad cœleſtia volando ſublevantur, de quibus Iſ. 40. Qui confidunt in Domino, mutabunt fortitu-

 dinem,

dinem, aſſument pennas ſicut aquilæ. Volantia verò animalia ut interpretatur S. Greg. Papa lib. 24. mor. c. 6. alis ſuis ſe viciſſim feriunt; quia Sanctorum mentes, in eo, quod ſuperna appetunt conſideratis invicem alternis virtutibus excitantur. [Ala enim ſua me per-„ cutit, qui exemplo ſanctitatis propriæ me „ ad melius accendit. Et ala mea vicinum „ animal ferio; ſi aliquando alteri opus bo-„num quod imitetur, oſtendo.] Et rurſum h. 10. in Ezech. [Animalia percutiebant alas, „ & in ſeipſis, & ad alterum animal, quia & „ una virtus aliam ad perfectionem pulſat, & „ ad profectum ſe excitant ex conſideratione „ virtutis alienæ. Ut enim reprobi conſiderant „ in ſe bona, quæ habent, ut in ſuperbia creſ-„ cant, & in alijs mala, ut pejores fiant: ita ele-„ cti bona in alijs conſiderant, quæ unuſquiſ-„ que accepit; & in ſe mala, quæ habet.]

Hûc multa ſpectant, quæ in ſacris leguntur libris, atque hoc pluribus modis declarant. Ierem. 31. Poſtquam oſtendiſti mihi, percuſſi femur meum, hoc eſt, dum vidi virtutem hujus ſervi Dei, agnovi imperfectionem meam, meque non eſſe talem vehementer dolui. Et Job 33. Reſpiciet homines, & dicet Peccavi. Homines interpretatur Greg. lib. 24. viros juſtos, qui ſecundùm rectam rationem vivunt, non ut beſtiæ ſequuntur ſenſum. [Reſpiciet „ ergò homines, id eſt, Sanctorum virorum „ exempla conſpiciet, & eorum comparatione „ iniquum ſe eſſe deprehendet. Qui enim in-„ telligere appetit, qualis ſit; tales debet aſpi-„ cere, qualis non eſt, ut ex bonorum forma „ metiatur, quanto ipſe deſerto bono deformis „ ſit.] Lucem enim debet aſpicere, qui de tenebris vult judicare. Si aſpiciat lucem, & eam videt, & de tenebris quoque judicat. Si peccator ſe ipſum intuetur, vidêre ſe non poteſt, quia tenebras aſpicit; ſi virum juſtum, & illius juſtitiam videt, & ex illa, qualis ipſe ſit, agnoſcit. Apocal. 20. Libri aperti ſunt, & mortui judicati ſunt ex his, quæ ſcripta erant in libris. Libri namque ſunt juſtorum vitæ, in quibus, quaſi in expanſione librorum legitur bonum, quod ipſi agere noluerunt. Cui ſimile etiam illud eſt, quod Ezechieli præcipitur c. 14. Oſtende domui Iſraël templum, & confundantur ab iniquitatibus ſuis. Templum enim Dei eſtis vos, inquit Apoſtolus: Templumque Dei ad confuſionem oſtenditur, quando uniuſcujuſque juſti anima, quanta ſanctitate fulgeat, demonſtratur. Job 39. dixit Deus; Nunquid noſtri tempus partûs Ibicum in petris? [Ibices, ait S. Greg. lib. 30. c. 9. ani-„ malia minima puſillos ſignificant. In petris „ ergò ibices pariunt, quando ad exercenda „ ſancta opera per aliorum exempla fœcun-„ dantur; ut, cùm fortaſſe præcepta ſublimia „ audiunt, & infirmitatis propriæ conſcij, ea „ ſe implêre poſſe diffidunt, majorum vitam „ conſpiciant, atque in eorum conſiderata for-„ titudine bonorum operum fœtus pariant.] Et 1. Reg. 14. Cùm Jonathas, & armiger ejus pugnarent contrà Philiſthijm, ait Sacra Hiſtoria; Venerunt Saul, & omnis populus, qui erat cum eo uſque ad locum certaminis, & ecce verſus fuerat gladius uniuſcujuſque ad proximum ſuum, & cædes magna nimis. Quem locum tractans Greg. lib. 5. in primum Regum c. 4. Philiſthijm vult peccatoris converſationem ſignificare. Gladium autem cujuſque verti ad proximum ſuum, quando Religioſi ad Deum converſi viciſſim ſe verbo Dei, & bono exemplo ad virtutem accendunt, & carnalitatem in ſe penitùs necant. Atque hoc nimirùm eſt ſententia Sancti Bernardi in libro de modo benè vivendi ad ſororem c. 12. quod petebat Sponſa Cant. 2. quando dicebat: Fulcite me floribus, ſtipate me malis; [Fulcite, „ inquam, me bonorum veſtrorum exemplis; „ & qualiter ad Chriſtum pervenire valeam, „ oſtendite; quia præ amore illius infirmor.] & c. 16. illud c. 7. Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis filia principis. Chriſtus enim Princeps eſt creaturarum omnium; Eccleſia, ſeu anima filia principis. Calceamenta illius ſunt Eccleſia Sanctorum Patrum, quibus in via hujus ſæculi munimur in omnibus tribulationibus, & tentationibus. Hoc ipſum eſt, quod loquitur Sponſus c. 6. Deſcendi in hortum meum, ut viderem, ſi floruiſſent vineæ, ſi germinaſſent mala punica. [Vineæ „ enim florent, ait S. Ber. quando in Eccleſijs „ filij recenter in fide generantur: Mala puni-„ ca germinant, quando perfecti homines, per „ exempla bonorum operum proximos ædifi-„ cant, & per oſtenſionem bonæ vitæ in Sanctis operibus renovant.]

Audiverat ſæpè Petrus loquentem Chriſtum de regno cœlorum; ſed nunquam magnoperè commotus fuerat. At quando in monte Thabor vidit gloriam transfigurati, tunc demùm intellexit, & dixit; Bonum eſt nos hîc eſſe. Quando apparuit Chriſtus diſcipulis in mari, putaverunt phantaſma eſſe; at ubi vidit illum Petrus ſuper aquas ambulantem, tunc & ipſe excitatus voluit ambulare. Domine ſi tu es, jube me ad te venire. Magna omninò eſt vis exempli. Judic. 7. juſſit Deus Gedeōni, ut in domos ſuas remitteret milites omnes formidoloſos, nè cæteri eorum exemplo formidoloſi item fierent: ſi quis eſt formidoloſus, revertatur; nè pavêre faciat corda fratrum ſuorum. Ita exemplo fortitudinis, ac virtutis aliorum, fortes, & ipſi efficimur, & ad virtutem provocamur. Nam & Urias 2. Reg. 11. induci non potuit, ut in domum ſuam deſcenderet, & cum uxore dormiret ſua, quòd arca Dei, & Joab in papilionibus

bus eſſent. Arca Dei, & Iſraël, & Juda habitat in papilionibus,& Dominus meus Joab, & ſervi domini mei ſuper faciem terræ manent, & ego ingrediar domum meam, ut comedam, & bibam, & dormiam cum uxore mea? per ſalutem tuam, & per ſalutem animæ tuæ non faciam rem hanc. Sic ille ad patientiam, atque incommodorum tolerantiam, ſeu ad fugiendas delitias provocabatur. Denique quantum ex Pauli primi Eremitæ aſpectu profecerit Antonius, demonſtrat in vita Pauli S. Hier. his verbis. [Antonius à Paulo reverſùs dicebat; ,, Veh mihi peccatori, qui falſo monachi nomen fero: Vidi Eliam, vidi Joannem in ,, deſerto, & verè vidi Paulum in Paradiſo.]

Provocamur etiam ad humilitatem. [Quippè, inquit S.Greg lib.31. moral. c.22. Magno humilitatis radio ſua opera illuſtrat, qui ,, aliorum bona ſubtiliter penſat.]

Provocamur denique ad majorem in virtute progreſſum, atque ad proficiendum ad perfectionem. Et omninò bonum fuit, ac prudens conſilium illud Sacerdotum, ac Divinorum Philiſtinorum in remittenda Domini Arca 1. Regum 6. & aſpicietis, inquiunt, & ſiquidem per viam finium ſuorum aſcenderit contrà Beth-ſames &c. Etenim hoc de Prælatis interpretatur S. Gregorius lib. 3. in 1. Regum c. 4. qui explorare debent viam ſubditorum ſuorum, quomodo in cœleſti itinere progrediantur. [Tunc enim rectè aſcendit arca, ,, cùm confinium viam non deſerit. Confines ,, autem noſtri fratres noſtri ſunt, cum quibus ,, vivimus, quorumque virtutes imitari debemus.]

CAPUT III.

Secunda utilitas.

SECUNDA eſt utilitas; Imitatio alienæ virtutis. De Aquila pronuntiavit Job c. 39. In arduis ponet nidum ſuum. In petris manet &c. Sed nos cum S. Gregorio lib. 31. c. 19. de viris ad perfectionem tendentibus intelligamus. In arduis enim ponit nidum, qui in ſupernis, & cœleſtibus figit conſilium: & in petris manet, hoc eſt in dictis, & factis Patrum, quos imitari ſtudet. Nam ut Petra unius numero Chriſtus dicitur, ſic petræ membra illius nominantur. In petris igitur manet; quia eorum vitam, quos in via Dei præiſſe conſpicit, ad memoriam reducit, atque in celſitudine illorum fortitudinis ſtudendo nidum ſibi conſtruit Sanctæ meditationis. S. Baſilius in or. 7. de virtute, & vitio, exemplo uſus eſt pictorum, qui imaginem de imagine pingunt. Hi enim frequenter ad exemplar reſpiciendo, lineamentùm indè ad ſuum opus transferre ſtudent: ſic autem oportet eum, qui cupit omni virtute perfectus eſſe,ad Sanctorum vitas,quaſi ad ſtatuas quaſdam mobiles,& vivas reſpicere; illorumque bona imitando ſua facere. Et S. Greg.Nyſſen. in lib. de vita Moyſeos,à navigantibus ſumpſit exemplum, qui navim in obſcura nocte ad ignem quempiam, aut montis cacumen dirigunt. [Ut, inquit, qui tempe- ,, ſtate, ac vi ventorum longè à recta naviga- ,, tionis ſuæ via in pelagus exacti ſunt, ſi vel ,, ignem, vel cacumen montis proſpexerint, ,, facilè ſe in tutum reducunt,ſic qui hujus vi- ,, tæ fluctibus oppreſſi à virtute aberrant, ex- ,, emplo Abrahæ, & Saræ, quaſi quodam gu- ,, bernaculo, ad divinæ voluntatis portum re- ,, vertantur.] Et rurſùm in or. catech. c. 35. exemplo labyrinthi, in quo eſt opus ductore, quem ſequaris. [Hæc, inquit, vita eſt quidam ,, labyrinthus, quem tranſire non poſſumus, ,, niſi eam viam teneamus,per quam, qui in eo ,, fuit, egreſſus eſt ambitum.] Et S.Io. Chryſ. h. 4. in Matt. & 23. ad populum, adfert ejus exemplum, qui tondetur inſpiciens ſpeculum. In priore quidem loco ita reliquit ſcriptum: ,, [Qui tondetur,diligenter intuetur ſpeculum ,, & ab adſtantibus quærit, an benè tonſus ſit: ,, ita nos geſta Sanctorum, velut ſpeculum in- ,, tueamur,deforme mentis noſtræ intueamur, ,, &c.] In poſteriore autem;[In tonſtrina qui- ,, dem ſedens, & tondens cæſariem, accepto ,, ſpeculo, crinium compoſitionem diligenter ,, examinas, & adſtantes conſulis, & ipſum ,, tonſorem, an benè, quæ circà frontem ſunt, ,, compoſuerit: animæ verò noſtræ deformita- ,, tem non aſpicimus: Eſt & hic ſpeciale ſpecu- ,, lum illo longè melius, & utilius; nec enim ,, deformitatem tantùm oſtendit, verùm & in ,, formam incomparabilem, ſi velimus tranſ- ,, mutat. Hoc autem eſt bonorum imitatio vi- ,, rorum, lectioq; ſcripturarum.] Hùc ſpectat adhortatio illa Sancti Hieronymi in ep. ad Julianum; [Noli reſpicere Judam negantem,ſed ,, Paulum reſpicere confitentem.]Et cùm propoſuiſſet etiam Angelos in ſcala Jacob aſcendentes, & deſcendentes; [Non te, inquit, ter- ,, reant deſcendentes, ſed provocent aſcenden- ,, tes. Numquam à malis exemplum ſumitur, ,, etiam in ſæcularibus; ſemper à meliori parte ,, incitamenta virtutum ſunt.] Et rurſùm illa S. Chryſ.in ſer. de fide,ſpe & charitate; [Ve- ,, loces ſequere, tardiores attrahe, pigros deſe- ,, re, fortiores fortior imitare. Tu alios pro- ,, voca, te provocent alij. Citò enim quò de- ,, ſiderat, pervenit, qui velociores ſequitur,& ,, veretur, nè à tardioribus tranſeatur.]

CAPUT IV.

Vtilitates aliæ.

TERTIA utilitas, quam commemorabat Clemens, erat illa; Alia reverentes. Hoc

Digitized by Google

enim virtutis proprium eſt, ut eam non boni modò, ſed & mali revereantur: honorque virtutem perpetuò, velut umbra corpus, comitatur. Quare ſi imitari pigeat, revereri non pudeat.

Quarta utilitas eſt,quam ſignificat S.Chryſ. h. 3. in poſteriorem ep. ad Tim. quod hac imitatione virtutum maximum nobis comparamus meritorum theſaurum. Sic enim parvo labore participes efficimur meritorum illorum virorum omnium, quos imitamur. Ità interpretatur illa Pauli verba in poſteriore ad Cor. c.8. Sanctorum memorijs communicantes. [Sanctorum, inquit, ſi velimus, virtu- „ tum ac meritorum licet accedere ſocios. Au- „ di, quid dicat Paulus; Memorijs Sanctorum „ communicantes, quando ſcilicet cujuſquam „ admiraris virtutem; quando illum imitatis, „ & ex ijs aliquid ſtudes æmulari, quæ illum „ clarum, illuſtremque faciunt, præmiorum „ profectò, & coronarum accedis conſors.]

Quinta utilitas erit humilitas, ſeu humiliatio ſui. Nam ut habet S. Gregorius Papa lib. 30. mor. c.9. [Magna,quæ agimus, quaſi mi- „ nima ducimus, cùm hæc per fortia exempla „ penſamus.] Et lib. 31. c. 23. [Cordis ſui „ oculum per elationis tenebras extinguit, qui „ cùm recta agit, conſiderare meliorum meri- „ ta negligit. At contrà magno humilitatis „ radio ſua opera illuſtrat, qui aliorum bona „ ſubtiliter penſat: quia dum ea, quæ ipſe fe- „ cerit, facta foris, & ab alijs conſpicit, eum, „ qui de ſingularitate intùs erumpere nititur, „ ſuperbiæ tumorem premit.]

Cæterùm omittenda non ſunt duo, quæ monet Io. Caſſianus. Alterum eſt in lib.4. de inſtitutis renuntiantium c.40. virtutum,atque imitationis exempla à paucis, non à pluribus accipienda eſſe, nam & perfectio paucorum eſt, & facilior imitatio. [Exempla, inquit, „ tibi ſunt imitationis,ac vitæ perfectæ in con- „ gregatione commoranti à paucis, immò ab „ uno vel duobus, non à pluribus expetenda. „ Nam præter id, quod examinata vita, atque „ ad purum excocta reperitur in paucis, etiam „ illud ex hoc utilitatis accedit, quod ad perfe- „ ctionem propoſiti hujus diligentiùs quis u- „ nius imbuitur, ac formatur exemplo.] Alterum in libro 5. de ſpiritu gaſtrimargiæ c.4. ex beati Antonij ſententia monet non omnes virtutes poſſe nos, aut debêre in uno quamvis ſummo expetere: ſed unam in uno, aliam in alio quærendam eſſe. Et ideò monachum ſpiritalia mella condere cupientem velut apem prudentiſſimam debêre unamquamque virtutem ab his, qui eam familiariùs poſſident, deflorare, & in ſui pectoris vaſe recondere. Quamquàm S. Greg. Nazianz. in or. funebri in laudem Baſilij de hoc imitante Joanne Baptiſta loquens, probis viris, atque honeſtis ſtudioſis dixerit non exiguam adferre laudem ſummorum virorum imitationem, quamvis parva ſit.

CAPUT V.

Imitandi qui.

NEQUE verò Patrum noſtrorum, ac fratrum modò, cum quibus vivimus intuêri, & imitari virtutes licet, atque ex illis proficere plurimùm: ſed etiam ſæcularium hominum, dum eos tam diligentes, ſollicitoſque in negotijs videmus ſuis. Arſenius fœminam ornatam, & ſtudioſè comptam cernens, amare flevit, reputans ſe non tantumdem facere, ut Deo probaretur, quantum illa, ut hominibus ad illorum perditionem placeret. Poſſumus & ex beſtijs non parùm proficere. Nam ſi una columba volet, reliquæ ſimul volant, ſi ovis una ſaltet, ſaltant & cæteræ. In ſuo ſymbolo refert Granata, nobilem quamdam fœminam plurimùm profeciſſe, dum catellum ſuum cerneret tam ſollicitè quæritantem illam per totam domum,ſi quando exiſſet,totoque affectu excipientem illam revertentem. Poſſumus & ex auditu proficere: quemadmodùm S. Aug. lib.8. confeſſ. c.6. refert, ſe magnoperè fuiſſe commotum, audiendo amicum ſuum legendo Sancti Antonij vitam fuiſſe converſum.

Sed præcipuè, & antè omnes imitari nos oportet primos Patres, & majores noſtros; Iſ. 51. Attendite ad Abraham patrem veſtrum,& ad Saram, quæ peperit vos. Attendite ad petram, undè exciſi eſtis; & ad cavernam laci, de qua præciſi eſtis. [Ab his enim, inquit eo „ loco S. Baſilius, qui ſe profitentur filios A- „ brahæ, repetuntur & Abrahæ opera.] Varro, ut lib.3. de civ. Dei c.4. S.Aug. refert, utile dixit eſſe civitatibus, etiamſi falſum ſit, ut ſe viri fortes ex dijs genitos eſſe credant: ut ita animus veluti divinæ ſtirpis fiduciam gerens, res magnas aggrediendas præſumat audaciùs, agat vehementiùs,& impleat ipſa ſecuritate fœliciùs. Sed verè magis S.Ambr. libro 3. exam. c.7. tractans illa verba Gen.1. Germinet terra herbam virentem, & facientem fructum juxtà genus ſuum, ad imitationem nos Dei hortatur, ut & nos faciamus fructum juxtà genus noſtrum: Ipſius enim, & genus ſumus,ut ex Poëta dixit Paulus Act.17. Propterea religionum ordines complures ad pejorem redacti ſunt ſtatum, quia Fundatorum ſuorum virtutes non ſunt imitati. Iſ. 5. Expectavi, ut faceret uvas, fecit autem ſpinas. Ideò in Rationali Sacerdotis inſcribi Deus voluit Patriarcharum nomina; ut illorum virtutes imitari Sacerdos ſtuderet,quod in vita Moyſeos adnotavit S. Greg. Nyſſenus, & alter Greg. in lib. 1. regiſtri c. 24. [Nam tunc Sacerdos, inquit,

Digitized by Google

„ quit, hìc irreprehenſibiliter graditur, cùm „ exempla Patrum præcedentium indeſinen- „ ter intuetur, & Sanctorum veſtigia ſine ceſ- „ ſatione conſiderat, nè extrà ordinis ſui li- „ mitem pedem operis tendat.] In lib. Num. c. 20. præcepit Deus, ut Aäronis veſtibus indueretur filius ejus Eleazar. Quid ſi illi non conveniant, ſi nimis longæ ſint, aut breves? Parùm hoc curabat Deus; ſed ſignificare voluit velle ſe, ut filius retineret vitam, & mores paternos. Et Angelus de Joanne Baptiſta dixit; Et convertet corda patrum in filios; hoc eſt, efficiet ſua prædicatione, ut filij habeant idem cor, & eundem ſpiritum patrum ſuorum. Veteres quoque Romani, ubi populo exhibebant ludos, habebant imagines, & ſtatuas maximè inſignium luctatorum, & pugilum, ut luctantes juvenes illas intuentes, imitari ſtuderent illorum fortitudinem. S. Ber. in ſer. de Sancto Benedicto meritò dolet: [Veh „ mihi miſero, ſi tantùm à te abfuero in glo- „ ria, quantùm abſum in perfectione virtu- „ tum.] Et feriò hortatur nos Euſebius Emiſſenus in h. de Sancto Maximo Epiſcopo his omninò verbis. [Rapiat unuſquiſque quod „ poſſumus de bonis inteſtati parentis. Hic de „ hæreditate ejus aſſumat holoſericam geſto- „ rum varietatem pretioſiſsimam. Hic man- „ ſuetudinis, & ſimplicitatis occupet talen- „ tum. Ille decus pectoris benevolentiæ, ac „ ſapientiæ monile ſibi vendicet. Hic marga- „ ritam compunctionis, & theſaurum caſtita- „ tis invadat.]

Luc. 1.

DE MODESTIA.

LIBER XXXI.

CAPUT I.

Modeſtia quid.

MODESTIAM veteres pro humilitate nominârunt. Undè illud apud S. Joannem Chryſ. in com. ad c. 1. ep. ad Gal. „ [Qui ſibi nullius bonæ rei „ conſcius ſubmiſsè de ſeipſo „ loquitur, prudens eſt, non modeſtus, hoc eſt „ humilis: at qui poſt emeritas coronas talia „ loquitur, ille novit, quid ſit modeſtia, id eſt „ humilitas.] Et h. 1. de incomprehenſibili natura Dei.[Nihil manſuetudine validius, nihil „ modeſtia efficacius.]

Ergò duplex eſt modeſtia; Interior una, quæ humilitas eſt, & manſuetudo, de quibus anteà dictum eſt. Altera exterior; de qua Paulus in epiſtola ad Philippenſes capite quarto: Modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus. Exterior modeſtia eſt, quæ hominibus nota eſſe debet. De hac nunc dicendum ſupereſt. Eam quoque plurimi fecerunt veteres morum magiſtri. Quippè ex exteriori homini de interiori fieri conjectura ſolet, & ut docet S. Anſelmus in extremo comment. ad cap. 1. ep. ad Rom. [Compoſitio, aut incompoſitio corpo- „ ris indicat qualitatem mentis.] Atque ad virtutis, ac probitatis famam refert permagni, ita foris ſeſe componere, ut in omni motu, ac geſtu corporis nihil ſit, quod aſpectum cujuſquam offendat. Quod tunc aſſequimur, cùm in omnibus tenemus modum; à quo & modeſtiam nominari manifeſtum eſt; quemadmodùm exponunt non ſolùm S. Anſel. in caput 5. epiſtolæ ad Galat. & ad Philip. 2. & ad Coloſſ. 3. [Modeſtia quaſi modi ſtatio dicitur, & mo- „ deſtia eſt, quando modus ſtat, atque in om- „ nibus ſervatur.] Verùm etiam Tertull. in libro de exhortatione caſtitatis c. 9. [Modeſtia „ à modo dicitur;] Et Aug. in libro de beata vita. [Modeſtia à modo, & à temperie tempe- „ rantia.] Quocircà S. Baſilius in ſer. de inſtitutionibus monachorum, nec iracundiæ, nec injuriarum memoriæ, aut invidiæ, aut contentionis, ullum prorsùs vult eſſe geſtum, atque motum; non verbum, non oculorum acrem obtutum, non vultûs conformationem ullam; non aliud quidquam, ex quo eorum, quibuſcum vivimus, irritari animus poſſit. Et in proœmio ad regulas fuſiùs diſput. tam tenaces modi omnibus in rebus nos eſſe oportêre exiſtimavit, ut ad coronam quoque promerendam, non victoriam modò, ſed legitimum etiam in certando conflictum requiri admonuerit; ut ſingula ita fiant, ut à præſcripto nihil diſcedatur. Nam & Luc. 12. dicitur; Beatus ſervus ille, quem cùm venerit Dominus, inveniet ſic facientem; hoc eſt, juxtà præſcriptum modum, Et Gen. 4. Si rectè quidem obtuleris, non rectè autem diviſeris, peccâſti. Modus autem idem eſt, ac menſura; & ubi in dictis, & factis omnibus modus eſt, & menſura, & ibi dicitur eſſe modeſtia, quam definire poſſis: Virtutem eſſe, quæ in exterioribus omnibus modum tenet, ut nullius offendatur aſpectus. Ex quo intelligas, eam ad temperantiam revocari, velut partem ejus, cujus eſt modum ponere, & temperare: ut quod hæc facit in delectationibus guſtatûs, & tactûs; hoc modeſtia præſtet in levioribus quibuſdam, & in motibus

Modeſtia duplex.

Modeſtia cur dicta.

Modeſtia quid.

tibus

Digitized by Google

tibus corporis, & locutionibus, nè cujuſquam offendat aſpectum. Quod in reg. tertia præcepit quoque S. Aug. cùm dixit; [In inceſſu, „ ſtatu, & in omnibus motibus veſtris nihil „ fiat, quod cujuſquam offendat aſpectum, ſed „ quod veſtram deceat ſanctitatem.] Hic nimirùm modeſtiæ finis eſt, de quo Paulus 1. Cor. 10. Nemo, quod ſuum eſt, quærat; ſed quod alterius. Et poſteà; Sine offenſione eſtote Judæis, & Gentibus, & Eccleſiæ Dei; ſicut & ego per omnia omnibus placeo, non quærens, quod mihi utile eſt, ſed quod multis, ut ſalvi fiant. Et 2. Cor. 6. Nemini dantes ullam offenſionem, ut non vituperetur miniſterium noſtrum. Quod ſi Prov. 22. Modeſtiæ finis dicitur eſſe timor Domini proximus, & immediatus finis fuerit ille prior, quem diximus, non offendere quemquam, ſed omnibus ſatisfacere, & prodeſſe; remotior autem, & ultimus, Dei gloria, cultus, & timor. Hic enim facit, ut proximorum offenſionem vitemus. Eademq; modeſtia, quæ proximorum, Dei quoque offenſionem declinat; & quæ hominibus, Deo item ſatisfacit, & placet.

CAPUT II.

Modeſtia exterior.

EXTERIOR ſanè hæc corporis compoſitio ex interiori animi compoſitione æquum eſt proficiſci, velut illius partus, ac teſtimonium. At ſi fortè intima illa pietas abſit, quæ exteriorem informet hominem, danda tamen eſt opera, ut hæc quantum fieri poterit, accuratè retineatur, ut Chriſti bonus odor ſimus in omni loco. In lib. Eccleſiaſt. c. 19. apertè dicitur; Ex viſu cognoſcitur vir, & ab occurſu faciei cognoſcitur ſenſatus. Amictus corporis, & riſus dentium, & ingreſſus hominis enuntiant de illo: tacita enim & verborum ſtrepitu carens concio eſt exterior homo benè compoſitus; & S. Franciſcus concionatum ſe dicebat, ſi totus ad modeſtiam compoſitus ſummo ſilentio, nec ullo pronuntiato verbo cum ſocio perambulâſſet urbem. De S. Malachia ita ſcripſit S. Bernar. [Ut taceam „ interiorem hominem; ipſum exteriorem ita „ uno ſemper modo, ipſoque modeſtiſſimo, ac „ decentiſſimo geſſit, ut nihil prorsùs appareret „ in eò, quod poſſet offendere intuentes.] Et rursùm. [Quis unquam, etiamſi curioſiùs ob- „ ſervârit, deprehendit otioſum, non dico ver- „ bum, ſed nutum? Quis manum, pedemve „ moventem fruſtrà? immò quid non ædifi- „ cans in ejus inceſſu, aſpectu, habitu, vul- tu?] Bernardi verò in ejus vita tanta fuiſſe interioris hominis legitur pulchritudo, ut evidentibus indicijs foras erumperet, & de cumulo internæ puritatis, & gratiæ copioſè profuſus homo quoque exterior videretur.

Hoc porrò in omnibus ſanè laudandum eſt plurimùm, ſed in illis maximè neceſſarium, qui aliorum volunt procurare ſalutem, nè fortè illis contingat, ut quod una manu ædificant, altera deſtruant; & quod verbo ſuadent, exemplo diſſuadeant vitæ. Dictum eſt alibi de hoc pluribus. Mentior, ni tolerabilior interdum ſit ſimulata non nihil ad tempus compoſitio exterior, quâ interior animi occultetur affectio, quam nulla lege cogor cum aliorum præſertim offenſione, exteriùs prodere. Neque hanc hypocriſim dicas, quæ non vanæ gloriæ, & oſtentationi ſuæ, ſed aliorum utilitati, & commodo famulatur.

Dicam igitur de modeſtia, quæ omnes quidem homines decet, ſed in religioſis præſertim viris deſideratur. Maximè autem ſequar Eccleſiaſtici verba antè propoſita, qui occurſum faciei, amictum veſtium, riſum dentium, & ingreſſum hominis conſideravit. Atque ubi hæc quatuor capita compoſuero, ſatis me hominem ad modeſtiam compoſuiſſe exiſtimavero.

CAPUT III.

Facies Serena.

FACIES hominis ſpeculum animi apertum, atq; omnibus conſpicuum eſt, cui componendæ tantò major eſt adhibenda cura, quantò minùs celari poteſt. In ea plurimùm triſtitia diſplicet, omniſque perturbatio offendit; ſerenitas probatur, atque hilaritas. [Quies enim, „ pax, & tranquillitas (ut habet Clemens Ale- „ xand. in extremo c. 7. libri 2. pædag.) eſt „ Chriſtiani propria. Triſtitia verò oris per- „ turbationes, & commotiones declarat ani- „ mi, & totum obſcurat aſpectum, hominiſque „ parùm gratam converſationem facit.] Undè S. Ber. in formula honeſtæ vitæ: [Triſtitiam „ in conventu diſſimulare te decet, quamdam „ in facie hilaritatem prætendens.] Et in ſer. de virtute obedientiæ. [Nubiloſa corporis „ compoſitio, & facies tenebris obfuſcata tri- „ ſtitiæ, devotionem ab animo receſſiſſe ſigni- „ ficant.] Ergò ſerena facies, & tranquillus vultus in homine præſertim religioſo aut quietem indicat, & appetitionum omnium compoſitionem, aut divini ſpiritus abundantiam, & omninò optimum interiorem animæ ſtatum. De Socrate uxor Xantippa eodem ſe illum ſemper vidiſſe dicebat vultu, & exeuntem domo, & domum redeuntem. Quod de pluribus noſtris Sanctis viris multò magis legitur; deque Salomone ſcribit S. Hier. in com. ad octavum caput Eccleſiaſtis, in ipſius faciem, ſapientiam hominis eluxiſſe. Et contrà de vitioſis idem ad hunc modum teſtatur ad caput

put

Digitized by Google

put 8. Ezechiëlis; [Minoribus majora monſtrantur, vultuque & oculis diſſimulari non poteſt conſcientia, dum luxurioſa,& laſciva mens lucet in facie, & ſecreta cordis motu corporis, & geſtibus indicantur.] S. Antonium ſcribit Athanaſius florido ſemper, lætoque vultu fuiſſe; quod ſi quis ignarus illius in monachorum multitudinem incidiſſet; nullo indicante, ad Antonium accurrebat,ex corporis ſpeculo animæ cernens pulchritudinem. Sanctumque Martinum à nullo mœrentem umquam viſum, narrat Severus, cœleſtem ſemper lætitiam vultu præ ſe ferentem: & in Bernardi vultu cœleſtis, non terrena charitas præfulgebat; & Judæi viderunt vultum Stephani Act. 6. tanquam faciem Angeli ſtantis inter illos. [Abundantia enim cordis, ait Emiſſ. in h. de Sancto Stephano, tranſit in decus corporis.] Et Paulus in ep. ad Gal. c. 5. inter fructus Spiritûs commemorat gaudium, quo ſuavi quadam hilaritate ora quoque aſperguntur.

Mirum eſt, quantum ad humanum congreſſum hilaris hæc, & ſerena conferat facies, quantum conciliet benevolentiæ, atque homines ad nos alliciat, quantùm contractio, & moroſitas deterreat, atque avertat animos. Verè dixeris, quod in cœli hoc & in hominis evenire facie, cœli ſerenitas mortalium exhilarat animos; tempeſtas turbida, nubibuſque obductus aër quaſi quâdam triſtitiâ complet: & vultûs ſerenitas mirè recreat, & capit homines; frontis contractio velut atra tempeſtas triſtitiâ replet, ac terret. [Sicut firmamentum ſtellarum pulchritudinem habet,inquit Climac. gr. 29. ſic tranquillitas reliquarum ornamenta virtutum; hilari omnes capiuntur vultu triſtem, ac truculentum refugiunt.] Fronte magis, quàm beneficio capiuntur, dixit quidam: Frons enim voluntatem indicat. Quod illos maximè obſervare æquum eſt, qui cæteris præſunt, aut alio modo graviores, ac maturiores ſunt. Nam ſi ad ætatis, aut muneris autoritatem atque imperium, vultus quoque accedat ſeveritas, vix omninò poterunt tolerari. Vix autem credi poteſt, quantum imperantis benignitas, ac placidus vultus ijs, qui parent, tum ad parendum, tum ad æquanimiter omnia toleranda, animos addat.

Summa Prælatorum ſuavitas.

Aderit autem hæc hilaritas, ſi adfuerit interior pax, & lætitia animi, ex hac enim illa naſcitur, neque facilè eſt celare gaudium corde conceptum. Et quidam Sapiens dixit: Cor hominis immutat faciem illius, ſive in bona, ſive in mala. Interiorem autem pacem, & lætitiam bona parit conſcientia, & perturbationum ſedatio, & quies. Hæc enim ſunt, quæ nos perturbant, torquent, & vexant; Et gaudium non niſi ex virtutum conſcientia naſci, ſcripſit & Seneca ep. 59. ſed de hoc non eſt nunc agendum pluribus.

Eccleſiaſtici 13.

CAPUT IV.

De fronte, & labijs.

DUo autem ſunt præſertim, quæ faciem ſolent minùs gratam, atque honeſtam facere, frons rugata, labiaque aut nimium preſſa,aut plus æquo diducta. Frontis rugæ cogitabundum, & curarum plenum ſignificant animum: nam & cogitabundi animus contrahitur. Undè contracta tetrica & minùs aſpicientibus grata frons, quæ nec benè compoſitum, ac virtute ſubnixum animum decet, quem nullis curis, aut eventibus oportet de ſuo ſtatu dimovêri. Sed tamen vel in beato ac ſanctiſſimo Job hoc quoque conſideremus: ait enim c. 16. Oppreſſit me dolor meus, & in nihilum redacti ſunt omnes artus mei: rugæ meæ teſtimonium dicunt contrà me, & ſuſcitatur falſiloquus adverſùm faciem meam contradicens mihi. Calumniatoribus namque urgentibus, non potuit non humanum aliquid pati; collectoque animo ad cogitandum, quid reſponderet, rugæ quoque in fronte contractæ teſtimonium doloris dabant. Accommodatè verò ad mores S. Greg. lib. 13. ſuorum mor. c. 4. rugarum nomine duplicitatem interpretatur, ut rugæ Eccleſiæ ſint, qui in ea dupliciter vivunt,dum fidem vocibus clamant, operibus denegant. At ſi ruga non decet in fronte, multò minùs toleratur duplicitas in Eccleſia, quam Chriſtus exhibuit ſibi glorioſam, non habentem maculam, aut rugam, atque in ipſa fronte ſimplicitatem teſtari, noſque ab omni aſtutia & duplicitate, aut fictione alienos eſſe voluit. Mœſtitiæ quoque & triſtitiæ indicia ſunt rugæ, quoniam in mœrore ut animus, & cor, ita & cum illis frons contrahitur. At faciem noſtram hilarem, jucundam, & ſerenam, omnibuſque gratam, non mœſtam & obſcuram, jam dictum eſt, eſſe oportêre. Sanè contracta facies alienationem indicat voluntatis: contrahimus enim, cùm alieno ſumus animo; amicum & propenſum animum placida & exporrecta teſtatur frons.

Rugæ Eccleſiæ qui.

In naribus autem contractæ rugæ, magnam habent deformitatem,& majorem multò, quàm in fronte? ſed & contemptum oſtendunt, & ſubſannationem, & verò etiam quaſi ſtomachum. Quippè nares ferè contrahimus, ſi tetrum aliquid, & malè olens ſenſerimus.

In naribus rugæ.

Labia verò aut compreſſa nimiùm, aut plùs æquo deducta, & oris deformitatem habent, & non magnam hominis ſapientiam, nè dicam ſtultitiam nonnullam indicant: utrumque

Labia.

Digitized by Google

que enim inſipientis eſt hominis. Admirabundi quidem certè eſt in ſilentio labia comprimere, quaſi fari neſciat, aut nequeat, rem obſtupeſcens: at in perpetua admiratione verſari, hominis eſt ſtolidi, & inſenſati. Aperta autem, & patula habêre ora, oſcitantis eſt animi, hoc eſt, ſupini, ac dormitantis janitoris, qui patentem abſque neceſſitate domus ſuæ januam eſſe permittat, nec claudat: ſed & apertam ſemper habêre, aut nimium obſerare premendo, ſtolidum eſt, & inſanum.

Oſcitatio oris. Cùm oſcitandi nos invadit appetitus, nè nimiùm dilatemus, optimi monuerint morum magiſtri. Turpe enim æſtimatur fœdum illum oſtentare hiatum, ſi modeſtiùs celare poſſis, aut minùs dilatando, aut manu occultando. Et omninò oſcitationes, pandiculationeſque vitandas eſſe voluit Clemens Alexand. in 2. lib. pædag. c. 9. quia ſunt inſtabilis animæ faſtidia.

Sternutatio. Adde & ſternutationes, in quibus inconcinna oris apertio vitanda eſt, & immoderatus ſtrepitus, quo quaſi adſtantes moneantur, quod arrogantis hominis eſt, ac cæteros contemnentis.

Oris dilatatio. Denique inter loquendum, & edendum indecorum eſt nimium os dilatare; poſtulat modeſtia, ut & loquentes halitum, aut ſputum in audientes non eijciamus: & mandentes cibum non oſtendamus cæteris. Præterquam quod nimiùm aperire ora verocitatis indicium eſt.

CAPUT V.

Oculorum modeſtia.

AD faciem ſpectant quoque oculi, quorum ut naturæ cura præcipua, ita & nobis. *Oculorum ſitus.* Natura tum duabus in frontis oſſe, quaſi cavernis, altiſſimo quidem, ſed munitiſſimo loco poſuit ad ſpectandum omnia; tum verò ciliorum, ac palpebrarum tegminibus occuluit: undè oculos dictos eſſe Varoni placuit, ut habet Lactantius in lib. de opificio Dei c. 10. in hac arce regalem habitare ſapientiam, ſignificavit Deus, quia oculi ſapientis in capite ejus, inquit ex Eccleſ. c. 2. Sanctus Ambr. in libro 6. exam. c. 9. [Carcer eſt totum corpus, te„ nebroſo inhorrens ſitu, niſi oculorum illu„ minetur aſpectu. *Oculi ſol & luna.* Quod ergò ſol, & luna „ in cœlo, hoc ſunt oculi in capite. Sol, & „ luna duo mundi lumina; oculi autem, quæ„ dam in carne ſydera fulgent deſuper, & in„ feriora claro illuſtrant lumine, nec patiun„ tur noctis quibuſdam nos tenebris implicari: „ ſpeculatores quidam noſtri die, ac nocte „ excubant.] Et in libro de Noë, & arca c. 7. „ [Quam deformes ſunt vultus cœcorum! & „ quid mirum, ſi vultus hominis abſque ocu„ lis deformis eſt, quando ipſum cœlum ſine „ ſole non habet ſuum decorem? Triſtes ſine „ ſole dies ducimus, noctes ſine luna non pla„ cent: ipſi enim ſunt quidam mundi oculi.] Nos quoque oculos præ cæteris ſenſibus, ac partibus corporis amamus plurimùm, undè S. Aug. in libro 1. de ſer. Domini in monte c. 13. Dominum voluit, ubi dixit: Si oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, & proijce abs te, *Matt. 4.* oculum ſignificâſſe quidquid vehementer diligitur: Qui enim volunt vehementer exprimere dilectionem ſuam, dicunt: Diligo te, ut, aut etiam plùs, quàm oculos meos.

Singulos ſenſus certis corporis membris ordinavit Deus: [Auditum (inquit Tertull. in „ libro de corona militis c. 5.) in auribus fo„ dit, viſum in oculis accendit, guſtum in ore „ concluſit, odoratum in naribus ventilavit, „ contactum in manibus æſtimavit.] *Senſus vitiorum portæ.* Has quinque vitiorum portas agnoverunt Patres, per quas ad animæ arcem ingrediantur, juxtà illud Jeremiæ c. 9. Aſcendit mors per feneſtras noſtras, ingreſſa eſt domos noſtras. [Per quin„ que ſenſus, inquit S. Hier. lib. 2. adverſùs „ Jovin. c. 7. quaſi per quaſdam feneſtras vi„ tiorum ad animam introitus eſt. Non poteſt „ antè metropolis, & arx mentis capi, niſi per „ portas ejus irruerit hoſtilis exercitus.] Et in caput Joëlis 2. [Per omnes enim ſenſus no„ ſtros ingredi hoſtes deſiderant, & capere ur„ bem bonæ conſcientiæ, & per noſtra muni„ menta diſcurrere: domoſque, quas nobis „ operibus ædificavimus, deſtruere; intrant „ autem per feneſtras quaſi fur. Liberè enim „ non ingrediuntur; Ut ſagittent in occultis „ rectos corde.] Et in 3. caput Nahum eadem profert illius Prophetæ verba: Inimicis tuis aperientur portæ terræ tuæ; hoc eſt, ſenſus tui. Et vide, ſi non oculi præſertim, & aures inſtar ſint feneſtrarum in edito, atque aperto loco ad proſpiciendum aptiſſimo. *Oculi & aures feneſtræ.*

Per has feneſtras ingreſſa eſt mors ad primos parentes noſtros, cùm & viderunt pomum, & ſerpentis audierunt vocem. Ut de oculo præſertim verè S. Petrus Chryſologus dixerit in ſer. 139. [Oculus prævaricationis autor, „ mortis janua, invidiæ fax, livoris caminus, „ toto cupiditatis incendio velociùs per aliena „ percurrit, quàm currit ignis arida & terrena „ per gramina. Dei eſt, quod oculus in orbem „ ſic apertus arctatur anguſtiſſimus in pupil„ lam, quatenus moderatè viſum videat, non „ invideat; prævideat, non proripiat; proſpi„ ciat, non deſpiciat, oculus ſit animæ fene„ ſtra, ſpeculum ſit mentis, ſit lumen corporis, „ membrorum dux ſit, non introitus vitio„ rum.] Oculus meus deprædatus eſt animam meam, lamentabatur Propheta, Thren. 3. Si Eva non aſpexiſſet, non concupiſſet; *Gen. 3.* etſi Dina non exiſſet curioſa, *Gen. 34.* ut videret mulieres

regionis

Digitized by Google

regionis, pudicitiam non perdidiſſet. Neque
2. Reg. 11. David adulteràſſet, niſi mulierem lavantem
conſideràſſet. S. Ambr. in apologia David
poſteriore c. 3. [Nihil de continentia tua, &
„ virtute præſumas. Nemo diù fortis eſt: vi-
„ lis videtur mulier ad pretium, ſed fortis
„ ad vitium: quia virorum pretioſas animas
„ capit.] Sæpè ſanè tentatio in corde concepta, compellit ſibi extrinſecùs oculos deſervire: undè & dicebat Job c. 31. Si ſecutus eſt oculus meus cor meum: plerumque tamen per oculos trahitur, quemadmodùm in 21. lib. moral. c. 6. adnotavit S. Greg. qui propterea de juſtis in c. 2. interpretatur illa Iſaiæ verba c. 60. Qui ſunt iſti, qui ut nubes volant, & quaſi columbæ ad feneſtras ſuas? hoc eſt, ad oculos, & ſenſuum ſuorum organa. Cùm columbæ namque ſimplicitate aſpiciunt omnia, & à terrenis contagijs ſublevantur, & exteriora quæque intentione non reſpiciunt rapacitatis.

Senſuum cuſtodia. S. Hier. in ep. ad Lætam, de inſtitutione filiæ cap. 4. minimè probavit quorumdam hominum ſententiam, qui majoris eſſe virtutis exiſtimabant præſentem contemnere voluptatem, hoc eſt, aſpicere, nec concupiſcere: ſed ſecurioris arbitratus eſt continentiæ eſſe neſcire, quod quæras. Et S. Bern. in tract. de ord. vitæ & morum inſtitut. propterea juvenes prohibuit alloqui fœminas. [Eſt, inquit,
„ in oculis verecundia; quâ prohibetur boni
„ adoleſcentis pudica anima intuêri, & alloqui
„ fœminas, non ut execretur ſexum, ſed ut fu-
„ giat vitium: plurimum autem proficit ad tui-
„ tionem caſtitatis cuſtodia oculorum.] In 1. lib. Reg. c. 17. Cùm vidiſſent viri Iſraël ſe in arcto poſitos, abſconderunt ſe in ſpeluncis, & in abditis, in petris quoque & in antris, & in ciſternis: quod appoſitè S. Greg. lib. 5. in eum librum c. 3. de hac ſenſuum cuſtodia accipit, quâ pravorum exempla, vel quæ ad malum nos incitare poſſunt, vitare citiùs poſſumus, ſi ea reſpicienda eſſe non judicemus. Hinc Joannes Caſſianus in libro de ſpiritu fornicationis c. 2. Ut ægrotantium oculis nè offerri quidem ſolent noxij cibi, nè fortè deſiderium in eis illorum gignantur: ita ad vitandum hunc morbum vitari vult converſationem, & frequentiam hominum, ſolitudinemque procurari. Sed & in die ſabbathi prohibitum Judæis erat portare onera per portas Jeruſalem, aut ſuas; Nè inferatis, inquit Jerem. c. 17. onera per portas veſtras: onera ſcilicet peccati; per portas ſenſuum ad animam non trahatis, inquit S. Greg. lib. 11. regiſtri c. 3. Ergò cum oculis noſtris pangamus fœdus, quod pepigit Job c. 31. ut non cogitemus de virgine, atque oremus ſemper cum Davide pſ. 118. Averte oculos meos, nè videant vanitatem.

Duo autem etiam atque etiam obſervemus: Alterum, ut oculos non vagos, neque elatos, aut curioſè huc atque illuc ſpectantes habeamus: ſed ferè dimiſſos: alterum; nè in alterius ora defigamus. Hæc duo qui accuratè fecerit, nè hunc oculis ego modeſtum dixerim. *Oculorum modeſtia.* Impudicam mulierem narrat Sozomen lib. 3. hiſt. c. 15. in horum altero peccàſſe; in altero Beatum Ephrem monuiſſe: Hæc illi in angiportu obviam prodiens, hominem impudenter intentis ſpectans oculis, acriter reprehenſa, terramque juſſa ſpectare; ego, inquit, non ex terra, ſed ex te formata ſum; tu verò ex terra, æquiuſque eſt, ut tu aſpicias terram, ex qua ortum habes; ego verò te intuear, ex quo deſumpta ſum. Hoc porrò maximè ad modeſtiam pertinet, ſenſatique hominis eſt: immoderatè namque tollere oculos, omniaque curioſè circumſpectare, ſuperbi eſt, & arrogantis, curioſi, ac levis, addo & ſtulti. Nam in libro Prov. c. 17. Sapiens dixit; Oculi ſtultorum in finibus terræ. Et c. 30. Generatio cujus excelſi ſunt oculi, & palpebræ ejus in alta ſurrectæ. Eſt & impœnitentiæ argumentum; quippè Achab pœnitentiam agens, in 3. Reg. c. 21. ambulavit demiſſo capite; & Manaſſes captivus in Babylonia 2. Paral. cap. ult. Et Evangelicus Publicanus Luc. 18. nec oculos ad cœlum levabat. Peccati comes pudor eſt, & quos pudet, illi demittunt oculos. Et cur quæſo Job cap. 31. pepigit fœdus continendi oculos ſuos? an non propter timorem Dei? ſemper enim, inquit, quaſi tumentes fluctus timui Deum, & nonnè ipſe conſiderat vias meas, & cunctos greſſus meos dinumerat? Sanctus Baſilius in libro de vera virginitate:
„ [Oculorum, ait, acies ad omnia paſſim in-
„ ſpicienda pandenda non eſt, nè omnem fi-
„ gurarum ſpeciem ſine diſcretionis examine
„ hauriens, ad earum poſteà turbetur imagi-
„ nes.] Et S. Benedictus in ſua regula præcipit, ut oculi cum cervice demiſſè gerantur. Et S. Bern. in tract. de gradibus humilitatis duas ſolùm ob cauſas levare permittit oculos; ut vel petas auxilium à Deo, vel impendas proximo. Et S. Anſel. in lib. de ſimilitudinibus c. 139. in juvenibus tria deſiderat taciturnitatem, verecundiam, & continentiam. Ut non leviter oculos hùc, illucque reducant, manus pedeſque non moveant, ſed omnia corporis membra decenter contineant.

Alterum autem, quod dicebatur, oculos in alterius ora defigere, impudentiam haud levem oſtendit. Nam qui reveretur, & colit ſub illius potiùs oculos, & faciem ſpectat. Quod ſi cum fœminis agendum ſit talis obtutus periculo non caret, parumque pudicum indicat animum, [Invicem enim ſe eadem ocu-
„ lorum genera deſiderant (ſcripſit Tertull. in
„ libro de virginibus velandis c. 2.) ejuſdem li-
„ bidinis eſt videri, & videre.] Et S. Ephrem

Digitized by Google

in conſil. de vita ſpir. ad Novitium; [Si con-
„ tingat colloqui cum adoleſcentibus ætate &
„ aſpectus venuſtate florentibus, cuſtodi ocu-
„ los tuos, nè concupiſcentia mentem tuam
„ conturbet.] Sancti autem Auguſtini illa fuit regula tertia. [Oculi veſtri etſi jaciuntur in
„ aliquam fœminarum, figantur tamen in nul-
„ la.] Et rurſùm ep. 109. ad monachas; [Ocu-
„ li veſtri, etſi jaciuntur in aliquem, figantur in
„ neminem. Nec dicatis, vos habere animos
„ pudicos, ſi habetis oculos impudicos; quia
„ oculus impudicus impudici cordis eſt nunti-
„ us.] Et in 2. lib. adverſ. Jovin. c. 7. quoſdam veteres Philoſophos memorat S. Hier. effodiſſe ſibi oculos, nè per eorum viſum à contemplatione philoſophiæ avocarentur: quid Chriſtianus verè virtutis ſtudioſus, ac ſuæ puritatis amator? In oculis prorſus apparet maximè modeſtia. Ut quiſque continere oculos novit, ita modeſtiſſimus judicatur. Et licet in cæteris modum teneat, niſi oculos moderetur, caret modeſtiæ laude; namque oculus inter omnes corporis noſtri partes, & ſenſus, & pulchritudinis habet principatum. Quare ut ſi quid in eo ſit vitij, ita ſi adſit virtus, plurimùm in illo apparet. Undè illud Matth. 6. Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit: ſi autem fuerit nequam, totum corpus tuum tenebroſum erit. Atque hactenus dictum ſit ſatis de priore illa parte verborum Sapientis: *Ex viſu cognoſcitur vir, & ab occurſu faciei cognoſcitur ſenſatus.* Hoc enim totum in facie ferè conſideratur.

CAPUT VI.

Veſtium modeſtia.

IAM ad poſteriorem accedam partem, quæ tria prorſus continet; Amictum, Riſum, & Inceſſum. Quod ad veſtium Amictum attinet, ſcripſit aliquando Tertull. in lib. de Idololatria cap. 19. nullum habitum licitum eſſe apud nos illicito actui aſcriptum. At hoc tempore vereor, nè omni ex parte dici poſſit. Quidam enim interdum cernuntur habitus, qui Chriſtianam planè modeſtiam non deceant. Quod ſi illud addas, quod verè habet S. Chryſoſt. h. 18. in Gen. non parùm erit & dolendum, & pudendum. *Veſtes.* Is veſtium amictum debere monuit eſſe nobis recordationem peccati continuam, illius ſcilicet funeſti totius generis noſtri caſus, quo ab æternis, & divinis cadentes bonis, in omnia malorum genera per inobedientiam noſtram incidimus. Cùm enim Parentes noſtri corpore quidem eſſent nudi, & originali juſtitia induti, ſatiſque ornati, nec alio egentes amictu, contrà conditoris voluntatem agentes, pretioſâ ſpoliati veſte, viderunt ſe eſſe nudos, atque ut tegerent nuditatem, ac turpitudinem ſuam fecit illis Deus pelliceas tunicas: *Gen. 3.* magnum delicti ſupplicium nonnulla temperatum clementia. Itaque ſapienter in ſerm. Quod regulares fœminæ viris cohabitent, idem ipſe Chryſ. ratiocinatur; pelliceas haſce tunicas, & omninò veſtes, homini peccatori fuiſſe datas velut habitum pœnitentiæ. [Veſtes, inquit,
„ non ſunt datæ, ut illis ornemur, ſed ut nudi-
„ tatis fœditatem occultemus: non ut talibus
„ induamur, quæ nos majori turpitudini, quàm
„ ipſa nuditas, exponant. Idcircò & Adam in-
„ duit Deus veſtes pelliceas, & ejus mulierem,
„ quamvis ſi voluiſſet, delicatis eum potuiſſet
„ induere veſtibus, ſed nobis per illas oſtendit,
„ quod non ſit præſens tempus deliciarum, ſed
„ gemendi, & plangendi. Quòd ſi ignominiæ
„ eſt, & condemnationis, & ex peccato venit
„ hoc amictu indigêre; quid reprehenſionis
„ materiam auges?] Ita tum in his duobus locis, tum in h. 37. in Gen. & h. 50. in Matth. & h. 10. in ep. ad Philip. & h. 29. ad Hebr. & pluribus alijs in locis, contrà curioſum, & mollem veſtitum declamat multa. Et cùm ad certandum cum dæmone in hunc mundum poſt peccatum pulſi fuerimus, vehementer miratur in h. 7. in Acta, cur tanto ſtudio conquiramus veſtes, illiſque nos & oneremus, & implicemus, cùm athletarum mos ſit deponere veſtes, ut liberiùs pugnent, neque detineri ab adverſario poſſint.

Ergò ut verbis utar S. Baſilij in ep. 1. ad Gregorium de vita ſolitaria. *Veſtium uſus.* [Unum ſit veſti-
„ tus propoſitum, operimentum ut exiſtat,
„ ab æſtûs; frigoriſque injuria corpus aſſerere
„ aptum, & idoneum.] Cùm enim veſtimentum omne ad tres omninò cauſas pertinere poſſit, ut collegit S. Chryſ. h. 3. operis imperfecti; aut ad ſpeciem viſionis, ſeu ad vanam gloriam aut delectationem corporis, aut ad tegumentum nuditatis. Duo priora ſervis Dei & modeſtis hominibus manifeſtum eſt non convenire. Et in Conc. Carthag. 4. c. 45. Clerici præſertim monentur, ut profeſſionem ſuam & in habitu, & in inceſſu probent: nec veſtibus, nec calceamentis decorem quærant.

Supereſt tertium, quod duas habet partes, altera eſt nuditatem operire, quod ad honeſtatem, & verecundiam pertinet: altera frigus arcêre, atque à cæteris hujuſmodi injurijs protegere, quod eſt neceſſitatis. At neutrum molles, delicatas, curioſas, & pretioſas poſtulat veſtes. [Non ſplendeat toga, ſcripſit
„ quoque ad Lucillum Seneca, nec ſordeſcat
„ quidem.] Modò ſit modeſtus, & virtutem ſapiat, quali habitu induaris, non curat Chriſtiana Religio; undè ut habet S. Aug. lib. 19. de Civ. Dei c. 19. ipſos quoque Philoſophos, quando Chriſtiani fiunt, non habitum, qui nihil impedit,

Digitized by Google

pedit Religionem, ſed falſa dogmata mutare
compellit. Et magnoperè placet conſilium Phi-
lonis in libro de fortitudine, veſtitum talem
eſſe debêre, ut hominem ſemper decori, ho-
neſtatiſque admoneat, & S. Baſil. in reg. fuſ.
diſput. 22. religioſis hominibus veſtitum eſſe
velut pædagogi diſciplinam, quâ vel inviti à
rebus flagitioſis prohibentur, quia convenien-
tes veſtibus actiones requiruntur. Et Tertul-
liani fuit illud in libro de pallio c. 6. [Grande
,, pallij beneficium, ſub cujus recogitatu im-
,, probi mores vel erubeſcunt.] Ita ſanè te ſa-
tis ſuperq; ornatum judicavit S. Baſilius in re-
gulis brev. 210. cùm quæſiſſet, quis ſit ille ha-
bitus de quo Paulus 1.Tim.2.dixit: Mulieres
in habitu ornato. Reſpondit eum eſſe, qui ad
propoſitum, cujuſque finem accommodatus,
cum decoro, ac dignitate habita ratione tem-
poris, loci, perſonæ, utilitatiſque; nam de mu-
lieribus, ait S. Athan. in lib. de virginitate:
,, [Quæ amictu pretioſo, & auro venuſtant
,, ſua corpora, ut hominibus placeant, Deo pla-
,, cêre non poſſunt;] Et omninò noſtrarum
veſtium materiam non vult eſſe pretioſam;
& in exhortatione ad monachos, & victum
facilem & veſtitum vilem, cùm hic, inquit,
tegendi corporis gratiâ repertus ſit, non or-
nandi, & ille ſuſtinendæ animæ potiùs, quàm
obruendæ. Et Sanctus Cyrillus Hieroſolymi-
tanus Cathec.4.amictu ſimplici utendum præ-
cipit, non ad ornatum, ſed ad neceſſitatem. Ec-
Math. 11. ce, qui mollibus veſtiuntur, in domibus Regum
ſunt; dixit aliquando Chriſtus, quaſi homi-
nes hoſce molles, & delicatos à comitatu ſuo,
ac familia ablegans. Quæ verba dum interpre-
tatur S. Hilar. can. 11. in Matth. Eos affir-
mat, quibus per luxum fluida, & diſſoluta ſunt
corpora, dæmonum eſſe habitationem. Et
S. Auguſt. ſerm. 247. de tempore; Habitum
corporis impudicum adulterini cordis nunti-
um eſſe, ſuperfluam, & inordinatam capil-
laturam, muliebrium veſtimentorum affecta-
tam ſimilitudinem, & ſimilia eſſe indigna
nuptijs Chriſti, & Eccleſiæ, debereque ab
amicis ſponſi publicè reprehendi. Et S. Greg.
hom. 40. in Evang. appoſitè dixit: [Si preti-
,, oſarum veſtium cultus peccatum non eſſet,
,, non tam vigilanter exprimeretur, quod di-
,, ves, qui torquebatur, byſſo, & purpurâ in-
,, duceretur. Et, ſi abjectus veſtitus virtus non
Math. 3. ,, eſſet, non diceretur de Joanne, erat indutus
,, pilis Camelorum.] [Nec Paulus (addit h.6.)
1.Tim. 2. ,, fœminas à pretioſarum veſtium appetitu
,, compeſceret.] Et lib. 31. moral. c. 4. facilè
demonſtrat Chriſtianorum veſtitum fuiſſe
ſemper abjectum; [Quia terreni principes,
,, ait, magna ſe Deo humilitate ſubſternunt,
,, pravi homines cultum religionis aſſumunt,
,, & bonorum vitam ſub deſpectis veſtibus ini-
,, quis moribus premunt, hocq; in ſe, quod ho-
,, mines venerentur, oſtendunt, atq; eis, qui ve-
,, rè ſemetipſos deſpiciunt, non mente, ſed ve-
,, ſte copulantur.] S. Dorothei præceptum
fuit in ſer. 20. [Veſtibus utere, quæ ad cor-
,, poris neceſſitatem faciant, non ad luxum, &
,, pompam.] Mollia quippè indumenta ille-
cebram eſſe, ludumque laſciviæ S. Ambr. af-
firmavit in 5. libro in Lucam, cùm de Joannis
Baptiſtæ veſtimentis loqueretur, & vilis fœ-
ni onus appellavit veſtimentum ſumptuoſum
S. Io. Chryſ. h. 30. in ep. ad Rom. Et Ter-
tull. c. 5. libri jam nominati: [Ita hominem
,, ſarcina veſtiat, & quid priùs in toga ſentias,
,, indutumne te, an onuſtum?]

In fœminis præſertim modeſtiam hanc de-
ſiderari manifeſtum eſt, de quibus pluribus, alio
loco ſeorſim dixi. Sed & in viris vel etiam Ec-
cleſiaſticis, atq; adeò Religioſis non rarò, qui
& paupertatem profitentur, & mortificatio-
nem, & pœnitentiam, quibus & Io. Caſſia-
nus præcepit in libro de habitu monachorum
c. 3. [Veſtis monachi corpus contegat tan-
,, tùm, & repellat nuditatis verecundiam, &
,, frigoris retundat injuriam, non ſeminaria
,, vanitatis, aut elationis enutriat.] Quam ob
cauſam Apoſtolum putat 1. Cor. 6. dixiſſe;
Habentes alimenta, & quibus tegamur, con-
tentos eſſe nos debêre: neque dixiſſe veſti-
menta, ſed operimenta, ut omnem tolleret
gloriam, omnem novitatem, atque accurati-
onem. Hoc pluribus in locis magnoperè do-
let S. Bern. ſic enim habet hom. 4. ſuper Miſ-
ſus eſt. [Quid de ipſo habitu dicam, in quo
,, jam non calor, ſed color requiritur, magiſq;
,, cultui veſtium, quàm virtutum inſiſtitur?
,, Pudet dicere, vincuntur in ſuo ſtudio muli-
,, erculæ, quando à monachis pretium affecta-
,, tur in veſtibus, non neceſſitas. Ornari, non
,, armari appetunt milites Chriſti, qui dum ſe
,, præparare ad prælium, & contrà aëreas pote-
,, ſtates prætendere paupertatis inſigne debue-
,, rant, quod utique adverſarij valdè formidant;
,, in mollitie veſtimentorum, pacis potiùs præ-
,, ferentes indicium, ultrò ſe hoſtibus ſine ſan-
,, guine tradunt inermes.] Et rursùm in apolo-
gia ad Gullielmum Abbatem; [Quæritur ad
,, induendum, non quod utilius, ſed quod ſubti-
,, lius invenitur: non quod repellat frigus, ſed
,, quod ſuperbire compellat: non juxtà regu-
,, lam, quod viliùs comparari poteſt, ſed quod
,, venuſtiùs, immò vaniùs oſtentari. Heu me
,, miſerum; jam religionis antiquæ, non ſolùm
,, virtutem amiſimus, ſed nec ſpeciem retine-
,, mus. Vix jam invenimus, quo veſtiri dig-
,, nemur. Miles, & monachus ex eodem pan-
,, no partiuntur ſibi cucullam, & chlamydem.
,, Mollia indumenta animi mollitiem indicant.
,, Non tantò curaretur corporis cultus, niſi pri-
,, ùs neglecta fuiſſet mens inculta virtutibus.]
,, Sed ex eodem loco cognoſcimus damnatas in

Digitized by Google

monachis fuiſſe pelliceas veſtes: nam & propter mollitudinem, & propter multum calorem caſtitati poſſunt adferre periculum. Undè & in ſermone ſecundo de verbis Iſaiæ. [Qui de „ operibus vermium, inquit, & murium pellibus in gloriam planè gloriam mendicare „ non erubeſcunt, cultu indigno viris, interdicto & mulieribus, ſemetipſos dehoneſtantes potiùs, quàm ornantes.] Et in lib. medit. cap. 30. [Cum tegendis membris veſtimenta, „ quæro, non ſolùm, quæ tegant, ſed quæ extollant, expeto: & contrà frigoris torporem, non ſolùm quæro, quæ muniant per „ pinguedinem, ſed quæ mulceant per mollitiem: non ſolùm quæ per mollitiem tactum „ mulceant, ſed quæ per colorem oculos ſeducant.] Quod vel alienam induens perſonam, vel ſenſualitatis naturam indicans, dixit vir ſanctiſſimus. Alioqui in ipſius vita lib. 3. cap. 2. legimus: In veſtibus ei paupertatem placuiſſe ſemper, ſordes nunquam.

Vndè vitioſus veſtitus. Verùm nè modum in dicendo excedam, duo ſolùm adjungam. Alterum eſt; hoc ſtudium colendi, atque ornandi corporis ex animæ, ac virtutis neglectu proficiſci. Ideò enim hominibus placêre quærimus, quia Deo non multum probari ſtudemus. Ita iudicavit S. Io. Chryſoſt. hom. 37. in Gen. [Hoc ſtudium, inquit, in ornando corpore internam indicat „ deformitatem, & hujus deliciæ, illius manifeſtam faciunt famem, & hujus veſtium „ ſumptus, illius indicat nuditatem. Impoſſibile „ enim eſt aliquem agere curam animæ, & tanti facere corporis ornatum.]

Veſtium qualitas Alterum autem, veſtium qualitatem poſſe plurimùm ad emolliendam animam, aut in virtute roborandam, & confirmandam. Quod pulchrè idem Chryſoſt. hom. 29. in epiſt. ad Hebræos, exemplo oſtendit arborum. [Molle, inquit, veſtimentum etiam ſeveram animam diſſolvit, diffundit, & frangit: etiamſi „ aſperum habeat corpus, & forte, citiùs per „ delicatam converſationem molle perficitur. „ Nam undè mulieres putatis ſic eſſe debiles, „ & infirmas? Ex horto aliquo in eremo conſtituto, qui ventis, & tempeſtatibus verberatur, ſume arbuſtum aliquod, & pone in opaco, „ & aquoſo loco, & videbis, quod multùm à „ fortitudine ſua mutabitur. Mulieres, quæ in „ agris agunt vitam, fortiores viris ſunt, qui „ ſunt in civitatibus conſtituti. Corpore namque molli reddito, & delicato, neceſſe eſt, „ & animam participare ex corporis morbo.]

Veſtium modus. Modus igitur teneatur in veſtibus modeſti hominis. Neque idem omnibus modus convenit, ſed pro qualitate, & conditione perſonæ alius atque alius, iſque fuerit modus, qui perſonæ gradum deceat, nec modum excedat. In omnibus munditiès luceat, vitentur ſordes. „ [Etſi enim (ut Sanctus Hieron. ſcribit ad „ Ruſticum, de vivendi forma præſcribens cap. „ 2.) ſordidæ veſtes, candidæ mentis indicia „ ſint, & vilis tunica contemptum ſæculi probet, ita dumtaxat, nè animus tumeat, nè habitus, ſermoque diſſentiant.] Sordidas tamen non maculatas, & inquinatas, ſed viles, & abjectas appellat. Alioqui de maculoſis, & inquinatis in epiſtola ad Nepotianum, de vita clericorum cap. 11. & ornatum, & ſordes pari modo fugiendas eſſe ſcripſit; quia alterum delicias, alterum gloriam redolet. Et ad Euſtochium, de cuſtodia virginitatis cap. 12. [Veſtis nec ſatis munda, nec ſordida, & nulla „ diverſitate notabilis, nè ad te obviam prætereuntium turba conſiſtat, & digito monſtreris. Nec affectatæ ſordes, nec exquiſitæ „ munditiæ conveniunt Chriſtiano.] Laudat Fabiolæ humilitatem, & ſordes in Epitaphio ad Oceanum. [Humilitatem, inquit, laudem? „ Sed major eſt fidei ardor. Dicam appetitas „ ſordes, & in condemnationem veſtium ſericarum, plebejum cultum, & ſervilia indumenta quæſita? Plus eſt animum depoſuiſſe, „ quàm cultum; difficiliùs arrogantia, quàm „ auro caremus, & gemmis. His enim abjectis „ interdum glorioſis tumemus ſordibus & „ vendibilem paupertatem populari auræ offerimus.] De Sancto Auguſtino ſcribit Poſſidonius cap. 22. Veſtitum illius, & lectum, nec nitida, nec abjecta fuiſſe, hoc eſt, nec ſplendida, nec ſordida; ſed modeſta, quæ Chriſtianum, & Sanctum decerent Epiſcopum.

Cur autem ita fieri oporteat, plures poſſent eſſe rationes. *Veſtitus cur honeſtus.* Nam ita congreſſus, atque convictus hominum honeſtus poſtulat. Quis enim ſordidum, & ſqualentem hominem ferat? Quis cum illo abſque horrore verſetur, & vivat? Quæ pulchra ſunt, ſpecioſa, & benè compoſita appetit natura; turpia, fœda, ſordida, deformia averſatur ſemper. Vel in noſtris corporibus obſervavit Sanctus Ambroſius in 1. lib. offic. cap. 18. Naturam perfectè quidem omnes explicâſſe partes: ſed tamen eas, quæ decoræ aſpectu forent, quaſi in arce locâſſe, obviaſque, & apertas reliquiſſe: eas verò, in quibus naturalis eſſet obſequium neceſſitatis, nè deforme ſui præberent ſpectaculum, partim in ipſo amandavit, atque abſcondit corpore, partim docuit, & ſuaſit tegendas.

Accedit, quod munda, aut ſordida veſtis, puritatis, immunditiæve interioris animæ ſolet eſſe indicium, ac teſtimonium. Undè Eccleſiaſtes cap. 9. monet; Omni tempore ſint veſtimenta tua candida. [Ut enim fumus ignem, „ ait Clemens libro 3. pædag. cap. 11. bonus „ autem color, bonuſque pulſus ſanitatem: ita „ etiam, qui apud nos eſt amictus, indicat qualis ſit noſtrorum morum conſtitutio.] Et S. Hieronymus in regul. monacharum, voluit earum pannum album, & candidum eſſe, ut interio-

Digitized by Google

terioris caſtitatis argumentum ſit, craſſum tamen, & vilem, ut contemptum terrenorum teſtetur. Poteſt etiam in illis ſordibus eſſe vanitas, atque jactantia, quam vitat ille, qui munditiam tuetur. Quam ob cauſam Matth. 6. monuit Chriſtus; Nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes; ſed unge caput tuum, & faciem tuam lava. [Nam (ut in 2. lib. de ſer. Domini „ in monte c. 19. ait S. Auguſtinus illius loci „ interpretationem faciens) non in ſolo corpo„ rearum rerum nitore, atque pompa, ſed in „ ipſis ſordibus luctuoſis poteſt eſſe jactantia, „ & quidem periculoſior, quàm in nitidis.]

Veſtes ſacræ, & earum ſordes. Pelagium nitorem veſtium, vel etiam in rebus ſacris damnâſſe plurimùm, ſordeſque hominem decêre Chriſtianum affirmâſſe; cognoſcimus ex S. Hieronymo in lib. 1. adverſus ipſum. [Adjungis, inquit, gloriam veſti„ um, & ornamentorum Deo eſſe contrariam. „ Quæ ſunt, rogo, inimicitiæ contrà Deum, „ ſi tunicam habuero mundiorem: ſi Epiſco„ pus Presbyter, & Diaconus, & reliquus ordo „ Eccleſiaſticus in adminiſtratione Sacrificio„ rum cum candida veſte proceſſerint? Cave„ te Clerici, cavete Monachi, Viduæ, & Vir„ gines: periclitamini, niſi ſordidas vos, atque „ pannoſas vulgus aſpexerit.]

Denique ad corporis quoq; tuendam valetudinem confert non parùm mundities, obſunt ſordes. Quam ob cauſam S. Auguſtinus in regula præcipit lavari veſtes: quod plurimi faciunt viri religioſi. S. Hilarion, ut in illius vita ſcribit S. Hieronymus, ſaccum, quo ſemel fuerat indutus, nunquam lavit, ſuperfluum eſſe dicens, munditias in cilicio quærere: at ſolitariam is degebat vitam, neque cum ullo vivebat, & ſaccus, atque cilicium pœnitentiæ, atque affligandi, mortificandiq; corporis inſtrumenta ſunt.

Veſtes non longæ. Veſtes longas ad ſummos uſque pedes demiſſas magnoperè damnat Clemens Alexandrinus in 2. libro pædag. cap. 10. Ambulationem enim veſtis valdè longa & impedit, & ſordes ſecum trahit, arrogantiæque & ſuperbiæ indicium præbet pulveres, etiam excitat moleſtos cæteris: neque virtuti convenit parſimoniæ, ac paupertatis, & omninò modum excedit, quem in omnibus tenêre debet modeſtia. Apud Senecam in 3. controverſiarum libro controv. 15. veluti probroſum vel etiam homini ſeni, & gravi objectum legimus tunicam in pedes habêre demiſſam.

In calceis, & cæſarie curioſitatem nimiam, & elegantiam acriter reprehendit S. Joannes Chryſoſtomus h. 50. in Matth. & or. in obſervantes novilunia, tom. 5. Et calceis non uſos omninò aliquando Monachos teſtatur Caſſianus in libro de habitu Monachorum c. 10. nè animæ pedes, qui ad ſpiritualem curſum expediti eſſe debent, morticinis involverentur curis. In ſpeculo exempl. d. 6. c. 33. Monachum habes in Gallia adiſſe Regem contrà militem, qui Monaſterium ſpoliârat, cùmq; elegantes nimis haberet calceos; [Ve„ rè, inquit Rex, apparet in veſtris calceis, nè „ corium quidem ab eo relictum: neq; enim „ tam arctè calceos geſtaretis, ſi quid vobis „ reliquum feciſſet.]

CAPUT VII.

De Zona, ſeu Cingulo.

NEQUE verò ſatis eſt modeſtas eſſe veſtes. Verùm modeſtè quoque compoſitas eſſe oportet. Negligentis enim hominis eſt incurioſi, & verò effœminati, parùm accommodatè veſtimenta portare, neque ſatis decenter aſtringere, ita ut fluxa huc, atque illuc cadant. Et Ariſt. lib. 7. de moribus ad Nicom. cap. 7. velut mollem, & delicatum eum accuſat, qui pallium per terram trahat, nè, ſi ipſum tollat, dolorem ſibi laborando creet. Cingulum S. Petrus Chryſol. ſerm. 24. indicium ſervitutis eſſe affirmavit, & ideò Cingulo, ſeu Zona conſtringendas, & colligandas eſſe veſtes voluerunt Patres, nè operaturos impediant, ſed ut loquitur Sanctus Doroth. in ſermone 1. ad quodvis opus bonum accincti ſimus, & parati; qui enim operaturus eſt, Zona primum præcingitur, quod & Chriſtus nos monuit, ubi dixit: Sint lumbi veſtri præcincti. [Zonæ *Luc. 12.* „ enim præcinctio, ait S. Hilar. can. 2. in Matt. „ efficax in omne opus bonum eſt apparatus, „ ut ad omne miniſterium Chriſti voluntatis „ cingula ſimus accincti.] Et Joannes Caſſianus in libro de habitu Monachorum cap. 2. Velut milites, ait, cingulo eos in procinctu ſemper belli debêre incedere, & cap. 12. ad cunctos uſus, & opera Monaſterij eos monêri ſemper debêre eſſe promptos, & expeditos. Et filij Iſraël egreſſuri de Ægypto juſſi ſunt lumbos præcingere. [Cum enim neceſſe „ ſit, addit S. Baſilius in reg. fuſ. diſput. 23. ut „ qui eſt aliquod opus tractaturus, ſuccinctus „ ſit, & ad omnes corporis motiones expeditus, „ ei neceſſaria eſt Zona, quâ tunica reſtringa„ tur, & corpori preſſiùs adhæreſcat. Quin „ etiam ea in ſinus collecta, complicataq; natu„ ralem calorem fovet, tollitque quidquid cor„ poris motus impedire poſſet.] Eliam olim, & *4. Reg. 1.* deindè Joannem Baptiſtam ſcimus pellicea Zo- *Matth. 3.* na fuiſſe præcinctos; & Job juſſus à Deo fuit ſeſe præcingere c. 38. & Dominus Io. 13. linteo præcinxit ſe, ut lavaret pedes Diſcipulorum; Petrum quoque & Paulum Zonâ uſos fuiſſe conſtat; Alteri namque dictum eſt ab Angelo Act. 12. præcingere, & calcea te caligas tuas: Et de altero dictum eſt cap. 21. Virum, cujus eſt Zona hæc, ſic alligabunt in Jeruſalem

lem Judæi. Univerſè Diſcipulos omnes uſos fuiſſe Zona,manifeſtum eſt;quoniam illis præcepit Chriſtus Matth. 10. Nolite poſſidère aurum, neque argentum, neque pecuniam in Zonis veſtris, quod propterea factum fuiſſe credit S. Hilar. can. 10. ut in miniſterio ſuo, cujus apparatus eſt Zonæ præcinctio, admoneret nihil debère eſſe venale. Accedit & honeſtatis cauſâ; nam ſi veſtes præcinctæ non fuerint, & decenter compoſitæ, facilè poterunt membra nudari. Cavet autem omnis honeſtus, & pudicus, nè præter faciem, & manus caro ejus unquam appareat nuda. Et præcepit Sanctus Dorotheus ſerm. 20. [Cave, nè aliquo „ præſente membra tua detegas. Vehementer „ licèt æſtues, & caleas, noli tamen aliquod „ membrorum tuorum denudare,& detegere.] Et ideò Petrus, Joan. 21. cùm audiſſet, quia Dominus eſt, præcinxit ſe, erat enim nudus,& erubuit nuditatem ſuam præſente Domino.

De modo autem præcingendi, ita præcipiunt, ut non ſuperior ſit lumbis. Nam Dominus lumbos præcepit præcingere; ſuperior muliebris potiùs, quàm virilis judicatur. [Cinctura, inquit Sanctus Baſilius in oratione de „ humilitate, & vana gloria, neque lumbis ſit „ ſuperior (muliebre enim hoc) neque adeò „ remiſſa, ut veſtis diffluat.] Et in ep. 1. ad Gregorium. [Tunica cinctu appreſſa ſit cor„ pori, & adſtricta: cinctus neque muliebrem „ in modum ilia exuperet, neque prælaxus „ fluxam tunicam efficiat.]

Poſtremò S. Io.Chryſ. hom. 10. in Matth. Zonam velut virtutis inſigne ſcribit fuiſſe geſtatam. Et hom. 3. operis imperfecti; Judæorum quidem conſuetudinem fuiſſe, ut Zonis laneis circà lumbos uterentur: Joannem tamen Baptiſtam,velut aliquid duriùs facturum, pelliceâ ſe Zonâ cinxiſſe: & h.2. in Marcum: „ [Judæi, ait, quia hoc ſolùm peccatum eſſe „ putabant, quod opere peccabant, ideò circà „ lumbos portabant Zonam.] At in Evangelio non ſolùm in opere, ſed etiam in mente libido condemnatur, & ideò Apoc. 1. Angelus apparet Joanni præcinctus Zonâ aureâ circà pectus ſuum. Sanctus verò Gregorius Nyſſen. In libro de vita Moyſeos, Cingulum, ſeu Zonam ſcripſit eſſe modeſtiam, diligentemq; vivendi rationem, quæ nos monet ad neceſſitatem, non ad voluptatem, rebus uti.

CAPUT VIII.

De Annulis.

DE Annulis etiam non omninò ſilendum, quibus, ut ad finem naturalium quæſt. loquitur Seneca, exornamus digitos,& in omni articulo gemma diſponitur. Joannes Caſſianus in libro de habitu Monachorum cap. 15. Monachos quoque deplorat profeſſionis ſuæ verecundiâ, & confuſione calcatâ,palàm in digitis geſtâſſe annulos. Et meritò. Illi enim contemptum, & abjectionem profitentur; annulus verò, & nobilitatis erat inſigne, & obſignatarum rerum teſtimonium. Nobilitatis ſæcularis, & verò Equeſtris ordinis Romæ fuiſſe inſigne, teſtatur illud, quod Sanctus Auguſtinus ſcribit in 3.libro de Civitate Dei cap. 19. Annibalem poſt bellum cum Romanis geſtum, tres modios annulorum aureorum miſiſſe Carthaginem: quò intelligerent illi, tantam in prælio dignitatem cecidiſſe Romanam, ut faciliùs eam caperet menſura, quàm numerus. Et apud Plutarchum in apopht. Pompeius in Sicilia, militum, quos præmittebat, gladijs annulorum legitur impreſſiſſe ſigna veluti nobilitatis indicia. Ipſum Auguſtinum nunquam in manu annulum habuiſſe, Poſſidonius narrat in vita cap. 24. Et annulo tamen utuntur Epiſcopi, quo Eccleſiæ Sponſos ſeſe teſtantur. Syncerum fidei ſignaculum, veritatiſque expreſſionem appellavit S. Ambroſ. libro 7.in Lucam. Et plùs annulis noſtris credi, quàm animis, doluit Seneca in 3. de beneficijs libro. Olim non ad ornatum, ſed ad obſignandum velut ſigillis utebantur annulis, quod & nunc faciunt non pauci: mulieribuſque dabantur, quæ domus curam habebant. „ [Dat ei (ſcribit Clemens Alexandrinus libro „ 3. pædag. cap. 11.) annulum aureum, nec „ cum quidem ad ornatum, ſed ut ea obſignet, „ quæ domi digna ſunt, quæ cuſtodiantur; „ propterea, quod ſervandæ domus ad eam „ cura pertinet.] Quod ſi uxor non ſit nobis, & ideò ſignaculum nos habêre oporteat; non eſt tamen, ait, à viris annulus in articulo ferendus. Hoc enim eſt muliebre, ſed in parvo digito,& in extrema ejus parte. Ita enim erit manus maximè ad operandum expedita. Alexander Macedo arcanam aliquando matris legebat epiſtolam;& Epheſtion fortè aſſidens cùm adlegeret, is non inhibuit, ſed admoto ori ejus annulo, quaſi obſtricta amici fide, ſilenda obſignavit, teſtis eſt Plut. lib. 1. & 2. de fort.& virtute Alexandri. S. Jo. Chryſ. in hom. 21. in Geneſ. graviter viros reprehendit,quòd non minùs, quàm mulieres, annulos geſtarent in digitis. Dictum eſt de his in lib.16. ſatis, dùm de nimio mulierum ornatu ageretur,neque eſt opus pluribus. A mulierculis nunc non permittunt ſe ſuperari viri; tantus eſt in utroque ſexu luxus. Modeſtia modum poſtulat. Et maritatis quidem mulieribus permittit, ſive Matrimonij ſignum, & fidem; ſive honeſtum ornatum. Viris non item; niſi fortaſſe Epiſcopis, Abbatibus, & Doctoribus, velut dignitatis teſtimonium. Alioqui ſcortationis argumentum non dubitavit appellare S. Clemens Rom. lib. 1. Conſtit. Apoſt. cap. 4.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT IX.

De Riſus Modeſtia.

Cur homo natus ploret.

VENIO ad riſum dentium. Scitum eſt
hominem ſtatim natum non ridêre, ſed
flere: ſive quòd ex præcalido prodiens loco,
aëris frigus graviter ferat: ſive quòd futuras
vitæ calamitates, quaſi præſagus deplorare in-
cipiat. Solus Zoroaſter, quando natus eſt, ri-
ſiſſe fertur. Nec ei boni aliquid, inquit San-
ctus Auguſtinus lib. 21. de Civit. Dei c. 14.
monſtruoſus ille riſus portendit; nam magica-
rum artium fuit inventor. Et M. Craſſum ſe-
mel in vita riſiſſe, ſcribit ex Lucilio S. Hie-
ronymus in ep. ad Demetriadem, de ſervanda
virginitate cap. 7. [Chriſtum frequenter flen-
„ tem invenias, ait S. Chryſoſt. hom. 16. in
„ Matth. nunquam ridentem; ſed nec leviter
„ ſaltem ſubridendo gaudentem.] De Paulo,
& Sanctis omnibus idem aſſerit. Sola Sara,
inquit, aliquando riſit, Gen. 18. Sed illicò
Dei voce correpta eſt. Et tamen, ut habet S.
Ambroſ. de hortatione ad Virginitatem, ille
riſus plenus gravitatis fuerat, & pudoris, quem
nemo alius teſtis, niſi Deus ſolus, cognoſce-
ret, quem occulta non fallunt. Riſit & Abra-
ham Geneſ. 17. cadens in terram, ob reve-
rentiam, ut putat Sanctus Ambroſius in ex-
tremo libro 2. de Abraham; timens, Deum
velut libero riſu lædere; & lætitiam declarans
viri juſti, qui tantis gratulabatur promiſſis.
Non enim dubitantis hic riſus, ſed credentis
fuit. Filius quoque Noë riſit, ait Chryſoſto-
mus ſed propter illum riſum ſervus factus eſt
ex libero, Gen. 9. Itaquè S. Baſilius riſum
prorsùs interdixit; ſic enim loquitur in ep. ad
Canonicam. [Chriſtianum oportet non ridê-
„ re, neque aliquo modo ridiculorum ſecta-
„ toribus operam dare: in ſermone ſales, &
„ facetias fugere.] Et in regulis brevior. 31.
Cùm quæſiſſet, an ridêre liceat; Reſpondit,
nullum omninò locum dari fideli, in quo ridê-
re debeat. Nam Luc. 6. dixit Dominus; Veh
vobis quia ridetis. Maximè in tam magno nu-
mero eorum, qui per transgreſſionem legis
Deum inhonorant, & in peccatis morti ſe dant,
quorum vicem mœrêre, ac gemere, conve-
nit. Et S. Hier. in com. pſ. 83. Cùm Prophe-
ta præſens ſæculum lachrymarum vallem ap-
pellâſſet, dixit non debêre nos ridêre, quam-
diù hic ſumus, quia hoc eſt tempus lachryma-
rum, in Cœlo erit tempus gaudij.

Zoroaſter natus riſit. — *Craſſus ſemel riſit.* — *Saræ riſus.* — *Riſus interdictus.*

Immoderatus riſus damnatur.

Video tamen his, & ſimilibus verbis non
omnem, ſed nimium, & immoderatum dam-
nari riſum. Sic enim apertè habet Sanctus Ba-
ſilius idem in reg. fuſ. diſputat. 17. [Qui co-
„ lendæ pietati ſtudent, cavere debent, nè in
„ riſum præter modum effuſi ſint: quandoqui-
„ dem non abeſſe à ſe intemperantiam ſignifi-
„ cat is, qui profuſo nimis, petulantique riſu
„ teneatur: ſeſeq; animi ſui motus nequaquam
„ ſedatos; ejuſque mollitiem, ac veluti laxita-
„ tem nequaquam ratione ſevera habêre com-
„ preſſam declarat.] Moderatum tamen, ac
modeſtum riſum permittit, dum ſtatim ſubjun-
git. [Verumtamen modicè rictum diducere,
„ eoque modo animi ſui diffuſionem leniter
„ ſignificare, non eſt contrà decorum; quate-
„ nus illud tantùm indicetur, quod ſcriptum eſt
„ Prov. 15. Cor gaudens exhilârat faciem. At
„ in immanes cachinnos prorumpere, & corpo-
„ re ſubſultare, nequaquam eſt ejus, qui animo
„ compoſito ſit, aut planè probo, & compote
„ ſui ipſius.] Chriſtum addit cæteras ferè na-
turæ noſtræ miſerias ſuſcepiſſe, at riſiſſe nun-
quàm, miſeroſque prædicâſſe ridentes. Cer-
tè Eccleſiaſtes c. 2. Riſum reputavit errorem,
quia c. 7. Sicut ſonitus ſpinarum ardentium ſub
olla, ſic riſus ſtulti. Nempè ſpinæ cùm ardent,
ait S. Ambroſius loco paulò antè citato, ſo-
nant, & citò exuruntur, ut nullus caloris ſit
effectus. Undè & de Judæis dictum eſt in pſal.
117. Exarſerunt ſicut ignis in ſpinis. Exuſti
ſunt enim ſuo riſu, & conflagrârunt in Domi-
ni paſſione, quando in animæ ſuæ jocabantur
incendium, dicentes; Speret in Domino, eri-
piat eum, & deridentes percutiebant calamo
caput eius, & ſpinis eum coronabant, atque
acetum ei offerebant. Ille riſus Synagogam in-
cendit in æternum. Sic eſt riſus ſtultorum,
qui ſine gratia ſonat, & ollam ſui corporis urit.

Riſus importunus.

S. verò Io. Chryſ. duo magnoperè damnat
in riſu; ſi & ſit immoderatus, & importunus,
hoc eſt importuno tempore, & loco. Sic enim
loquitur in hom. 15. in epiſt. ad Hebr. [Non
„ eſt malum riſus, ſed malum quando fit im-
„ portuno tempore, & immoderatè. Riſus enim
„ inditus eſt nobis, ut quando amicos poſt mul-
„ tum temporis viderimus, hoc faciamus:
„ quando aliquos delinquentes, & timentes, ut
„ refoveamus eos riſu: non ut cachinnemur,
„ & ſemper rideamus. Riſus ineſt animæ no-
„ ſtræ, ut remiſſionem aliquando habeat anima;
„ non ut diffundatur.] Eſt autem in Eccleſia
maximè & dum res ſacræ tractantur, importu-
nus riſus, quem eo loco gravibus omninò ver-
bis reprehendit idem S. Pater. [Omnia, inquit,
„ noſtra riſus ſunt, civilitas; & urbanitas: ni-
„ hil eſt ſtabile, nihil grave. Riſu plena eſt Ec-
„ cleſia. Si ille, & ille facetum quid loquatur,
„ riſus confeſtim ſedentes occupat: & quod
„ adhuc mirabilius eſt, in ipſo tempore oratio-
„ nis non quieſcunt multi à riſu. Exhonoratus
„ eſt Chriſtus, contemptus eſt; nullius momen-
„ ti habetur Eccleſia, & quæ ſequ.] & rurſum:
„ [Stat Sacerdos Dei orationem offerens cun-
„ ctorum; tu autem rides, nihil timens; & ille
„ quidem tremens orationem pro te offert; tu

Riſus in Eccleſia.

„ autem contemnis. Angeli præſentes ſunt,& „ in domo Dei adſtant Regi, & omnia plena „ ſunt incorporeis illis virtutibus; Et rides mu- „ lier in Eccleſia ſedens? Ingreſſa es confiteri „ peccata tua, procidere Deo, poſtulare, & „ deprecari pro delictis tuis; & cum riſu hoc „ facis?]

Riſus immoderatus.

De immoderato autem riſu in Com. pſalmi 68. hæc habet. [Qui orationibus inſiſte- „ re,ſemper voluntatem Dei implere, promiſ- „ ſa eius ſuſtinere nôrunt; ita ipſi ſolliciti vi- „ vunt, ut etiam à levibus peccatis abſtineant, „ nec exaltare vocem ſuam in riſu poſſint, in- „ tendentes illi teſtimonio, ubi dictum eſt Ec- „ cleſ. cap. 21. Stultus in riſu exaltat vocem „ ſuam, ſapiens autem vix tacitè ridebit.] Et S. Greg. Nyſſenus h. 2. in Eccleſiaſten; [Oris, „ inquit, indecora dilatatio, tremorque ſpiri- „ tus & totius corporis concuſsio, & genarum „ diductio, dentiumque & linguæ, & palati „ apertio, collique contortio, & vocis præter „ rationem fractio;quid hoc aliud fuerit,quàm „ amentia?] Quæ omnia in viro gravi, & in aliqua dignitate conſtituto graviora multò fuerint. Iureque optimo S. Gregorius Nazianz. in or. 2. contrà Iulianum; Quàm præclarum, dixit, Imperatoris Romani maxillas indecorè inflatas cernere, riſumque multum non externis tantùm,ſed ijs etiam, quibus eam rem gratam fore putabat, excitantes? Propterea S. Baſilius in admonitione ad filium ſpiritualem, monet, nè labijs diſſolutis rideat: amentia namque eſt cum ſtrepitu ridêre, ſed ſubridendo mentis lætitiam indicet. Et S. Chryſ. h. 1. imperf. [Riſus Sanctorum non eſt ſtulta „ cachinnatio labiorum, ſed rationabile gau- „ dium cordis.] Et S. Bernar. in formula honeſtæ vitæ præcipit: [Si quando ridere fueris „ compulſus, non ſit riſus tuus excuſſus.] Et ideò S. Auguſt. in libro de ſpiritu, & anima c. 62. [Sit riſus miſtus gravitate, & plenus „ honeſti motus.] Nam ut eſt in ſer. 97. de tempore.[Riſus frequens corrumpit mores, & „ relaxat nervos rigoris aſtrictos: ſeverus au- „ tem vultus cuſtos eſt diſciplinæ.] Et S. Io. Chryſ. h. 41. in Matth. [In delicijs mollior, „ flexibiliorque eſt animus:in luctu verò con- „ tractus atque in ſe reverſus moderationem „ colit, & à congerie paſſionum liberatus ro- „ buſtior, atque ſublimior efficitur.] Et S. Bernardum in riſu ſtumulo potiùs indiguiſſe, quàm fræno, in vita ipſius narratur, lib. 3. c. 2. Uno verbo dicam: Modeſtia omnis in ridendo eſt retinenda atque hoc eſt, quod Eccleſiaſticus cap. 19. dicebat: Riſum dentium enuntiare de homine. Si enim ita effusè rideat, ut dilatet os, & oſtentet dentes, non eſt modeſti, prudentiſque hominis riſus, ſed immodeſti, & ſtulti: modeſtus enim & ſenſatus ſubridet potiùs, quàm effusè & diſſolutè rideat. S. Dorot. ſer. 20. [Cùm ridendum eſt, cave nè in „ tuo riſu exeras dentes.]S. Io. Chryſ. lib. 3. adverſus vituper. vitæ monaſt. non eſt veritus dicere aliquos propter intempeſtivum riſum ad infernum eſſe damnandos. Quod ego propterea dictum exiſtimo, quòd multa in eo loquacitas, multa aliorum irriſio, multa fortaſſe detractio, aliquaque graviora crimina.

CAPUT X.

De Ridiculis, & multiloquio.

NAM ut S. Io. Chryſ. habet in hom. 87. in Matth. ex immoderato riſu ſenſim ſcurrilitas naſcitur, ex ſcurrilitate turpiloquium, ex turpiloquio turpis actio. Quam ob rem in conc. 4. Chartagin. c. 60. clericus ſcurrilis, & verbis turpibus joculator, ab officio deponitur, & S. Baſil. in conſt. Monaſt. c. 13. vitandas omninò eſſe facetias voluit. [Vitan- „ dæ, inquit, omninò in ſermone facetiæ, & „ ſcurrilis dicacitas ſunt. Fit enim, ut animus „ ad ridicula diffundatur, gravitatiſque nervos „ elidat omnes. Sæpè etiam ad verborum tur- „ pitudinem,& obſcœnitatem delabitur. Quòd „ ſi remittendæ aliquantulum triſtitiæ causâ, „ ſermone ad hilaritatem excitari debeamus; „ ſpirituali lepore referta ſit oratio noſtra, & „ Evangelico ſale condita: ut rectè, quæ inte- „ rius ſit ſapientiæ gratum foras odorem aſpi- „ ret, dupliciterque auditorem, & animi rela- „ xatione, & intelligentiæ feſtivitate delc- „ ctet.] Et in ep. ad Canonicam; [Chriſtianum „ oportet in ſermone ſales, & facetias fugere.] Et in animadverſionibus adverſus Canonicos delinquentes, animadverſio 5. eſt. [Qui futi- „ liter garriat, aut facetias ſectetur, hebdoma- „ dam unam ſegregetur.] Eadem eſt animadverſio ſexta, & ſeptima adverſus Canonicas. Et in admonitione ad filium ſpiritualem; [Nè „ in modum parvuli jocari velis aſſiduè: quia „ non convenit ei, qui ad perfectionem niti- „ tur, jocari, ut parvulus. Iocus enim remiſ- „ ſam facit animam, & negligentem ergà Dei „ præcepta, nec delicta ſua poteſt ad memo- „ riam revocare.] Immò verò Orig. h. 3. in Exodum, hujuſmodi hominum os diabolum aperire affirmavit, atque eos ex republica & honeſtorum hominum conventu omni expellendos eſſe cenſuit. Clemens Alexand. in 2. lib. pædag. cap. 5. [Rerum, inquit, ridicula- „ rum,vel ridendarum potiùs actionum imita- „ tores exigendi ſunt à veſtra republica. Cùm „ enim verba omnia à cogitatione, & moribus „ emanent, fieri non poteſt, ut verba aliqua „ emittantur ridicula, quæ non procedant à „ moribus ridiculis. Quomodò autem id,quod „ eſt in homine omnium pretioſiſſimum, nem-

Facetiæ vitandæ.

pè

,, pè ſermonem, ac rationem ludibrio haberi ,, patiemur?]

Riſus cohibendus.

Ergò urbanè, ac lepidè loquendum eſt, non riſus autem movendus; quin etiam ipſe riſus eſt comprimendus. [Sales tui, ait Seneca, ,, ſint ſine dente, joci ſine vilitate.]

Multò magis à turpiloquio abſtinendum, ait Clemens in c. 6. immò illis, qui eo utuntur, obſtruendum os, aſpectu ſeveriore, vultus averſione, & verò etiam ſubſannatione, aſperiorique oratione. Quippè vocis modeſtia magnum eſt adjumentum ad libidinis aſſultus fortiter ſuſtinendos. Multa de his loquitur S. Io. Chryſ. h. 17. in ep. ad Epheſ. inter cætera. [Turpiloquium, ait, & facetiarum urba- ,, nitas, fornicationis vehiculum. Nè dicas ur- ,, banas facetias, & turpia, & flammam ex- ,, tingues. Sermones enim rerum ſunt viæ. Sed ,, & præſens tempus, non gaudij, ſed luctus eſt, ,, tribulationum, & lamentationum: tu verò ,, urbanis facetijs jocaris? Quis athletarum ſta- ,, dium ingreſſus relicta ſollicitudine, cum ad- ,, verſario certandi facetijs utitur? Inſtat Dia- ,, bolus, circuit rugiens, ut rapiat, omnia mo- ,, vet, ac tentat, omnia adverſus caput tuum in- ,, vertit, dentibus ſtridet, ac fremit, ignem ſpi- ,, rat adverſus ſalutem tuam, & tu ſedes face- ,, tias effundens, & quæ ſtulta ſunt, & ad rem ,, non conveniunt, effutiens? Belli tempus eſt, ,, & tu, quæ tripudiantium ſunt, uſurpas? Non ,, vides bella gerentium facies, quomodo ſunt ,, triſtes, contractæ, ſupercilijs terribiles, & ,, horrore plenæ?] Et rurſum: [Sanctus non ,, eſt, qui facetias loquitur, quin ridiculus eſt. ,, Illis dumtaxat licet, qui in ſcena ludunt; ubi ,, turpitudo, & ibi urbanæ facetiæ; ubi riſus in- ,, tempeſtivus, ibi & urbanæ facetiæ.] Abutentibus verò Sacræ Scripturæ verbis ad facetias minatur fulmina, eſſeque ait verba fulmine digna. Et h. 15. ad populum. Ridere quidem, & jocoſa dicere verba, non manifeſtum affirmat videri peccatum eſſe, in manifeſtum tamen crimen inducere. Nam ſæpiùs ex riſu turpia naſcuntur verba, & à turpibus verbis actiones turpiores; & h. 51. [Cùm mordentem videris, conſidera, quòd eſt Diabo- ,, lus, qui eum inſtigat. Non enim Chri- ,, ſtianorum ſunt ſcommata. Nam cui præci- ,, pitur lugere, & cui dicitur: Veh qui ridetis; ,, ſi exprobret, & mordeat, nonnè qui deplo- ,, retur eſt dignus?] S. Athanaſ. in libro de Virginitate. [In menſa non ſedendum, ut oſ- ,, ſam comedas cum hominibus ridiculis.] Et S. Aug. lib. 1. de libero arbitrio c. 8. [Jocari, ,, & ridère, humanum quidem eſt; ſed infi- ,, mum hominis indicat.] S. Ambr. lib. 1. offic. c. 23. [Joci ab Eccleſiaſtica abhorrent regu- ,, la.] Sed ex crapula, & gaſtrimargiæ vitio, & jocos, & ſcurrilitatem derivari affirmat, in precatione ſecunda antè Miſſam; [Noxijs, inquit, ,, gaſtrimargiæ ſuccis arefactis, inepta lætitia, ,, vel ſcurrilitas non pullulabit, quæ illos ma- ,, ximè ad inſaniam perducit, in quibus crapula, ,, & ebrietas dominium ſumit. Nam Exod. ,, 32. dicitur: Sedit populus manducare, & ,, bibere, & ſurrexerunt ludere.] Et veriſſimum eſt illud Chryſ. h. 19. in ep. ad Epheſ. ,, [Qui multa loquitur, nihil operatur: & qui ,, multa operatur, nihil intempeſtivum loqui- ,, tur. Ex multiloquio etiam naſcuntur, nec ,, niſi in multiloquio verſantur.] Quoniam ut ait Sapiens Prov. cap. 19. In multiloquio non deerit peccatum: qui autem moderatur labia ſua prudentiſſimus eſt; idem & modeſtiſſimus. Nullus verò modeſtus multiloquus. [Exivit ,, multiloquium (ſcribit S. Ambr. in primo ,, libro de Abel, & Cain cap. 9.) peccatum ,, intravit; quia in multiloquio, qui exit ſer- ,, mo, nequaquam trutinatur, imprudenter la- ,, bitur; licèt ipſum ultrà menſuram aliquid ,, loqui grande peccatum ſit.] Undè & David rogabat pſ. 140. Pone Domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labijs meis. Paulus autem ad Coloſſ. 4. orat, ut aperiatur ſibi oſtium verbi, quia de ore illius exibat ſalus populorum. Nos autem claudamus oſtium, nè culpa intret, nè lapſus aliquis ſermonis exeat. Abrahæ olim præcipit Deus, Gen. 12. Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui. Quod ad rem interpretatur idem Ambr. in 2. libro de Abraham cap. 1. ,, [Mens enim in homine, velut pater familias ,, in domo: bonus pater familias à veſtibulo ,, domus æſtimatur, & de ſermonibus noſtris ,, mens noſtra perpenditur.] Ergò dejungat ſe ab his tribus, à corpore, à ſenſibus, à voce: atque in locutione modum ponens, prudens, & bonus pater familias erit; Dixi, cuſtodiam vias meas, dixit David in pſal. 38. ut non delinquam in lingua mea; quia neminem ſciebat caſtum os ſervare poſſe ab immunditia ſermonis, ſilentio ſibi legem impoſuit innocentiæ, ut tacendo culpam declinaret, quàm vix effugere poſſet loquendo. Suſanna nullum majus innocentiæ ſuæ invenit indicium, quam ſilentium. Ad menſuram proferat ſermones, librâ examinatos juſtitiæ, ut ſit gravitas in ſenſu, in ſermone pondus, atque in verbis modus. Laqueus adverſarij eſt ſermo noſter. Sed & ipſe non minùs adverſarius eſt nobis; quarè in pſ. 90. dicitur: Ipſe liberabit me de laqueo venantium, & à verbo aſpero. Loquimur enim plerumque, quod excipiat inimicus, & quaſi noſtro gladio nos vulneret. Sapiens, ut loquatur, priùs conſiderat, quid dicat, & cui dicat, quo in loco, quo tempore. Speculum mentis refulget in verbis. Ipſum vocis ſonum libret modeſtia, nè cujuſquam offendat aurem vox fortior. Non ſit remiſſa, non fracta, nihil fœmineum

Contrà turpiloquium.

Scriptura abuſus ad facetias.

Ioci, & Ridicula.

Vocis modus.

Digitized by Google

mineum ſonans, ſit pura, & ſimplex, diſtincta pronuntiationis modo, & plena ſucci virilis, ut agreſtem, & ſubruſticum fugiat ſonum, non ut rythmum affectet, ſed myſticum ſervet. Hæc fermè Ambroſius in primo offic. lib. Sed in com. ad pſal. 38. maximè commendat ſilentium. [Validum ſcutum, & fidiſ-
„ ſimum ſtabilitatis fundamentum, in quo ſi
„ quis potuerit ſtare, lubricum verbi timêre
„ non poſſit. Viciſſemus, ſi Eva tacuiſſet. Pri-
„ mum illud proceſſit ex voce peccatum, &
„ ſerpens verſutus per vocem nos antè tenta-
„ vit. Utinam aut Adam ſurdus fuiſſet, aut
„ Eva obmutuiſſet. Propheta dixit pſal. 115.
„ Credidi, propter quod locutus ſum. Suprà
„ fundamentum ergò virtutis vox tuta eſt, ſine
„ fundamento lubrica. Silentium & tutum eſt,
„ & decorum, quod ſervat cum gravitate cau-
„ telam.] S. Bern. in ſer. 12. ex parvis, cùm octo verboſitatis ſpecies numeráſſet; Verbum ſtultum, vanum, mendax, otioſum, doloſum, maledicum, impudicum, excuſatorium. Hæc omnia dixit ſilentio curari. Et in libro 4. de conſideratione; Utilem ſemper eſſe oris cuſtodiam, quæ tamen affabilitatis gratiam non excludat. Ubique frænanda lingua præceps, maximè autem in convivio. Ille convenientior habitus; ſi actu ſeverus ſis, vultu ſerenus, verbo ſerius. [Vanus ſermo, inquit in libro
„ de interiori domo c. 43. citò polluit men-
„ tem; & facilè agitur, quod libenter auditur.
„ Vanus ſermo, vanæ conſcientiæ eſt index.
„ Mores hominis lingua pandit, & qualis ſer-
„ mo oſtenditur, talis animus comprobatur,
„ quoniam ex abundantia cordis os loquitur.] Et cap. 50. [Multum loqui ſtultitia eſt.] Et in ſpeculo Monachorum; [Si vocatur ad col-
„ loquium, leniter, & ſine riſu pauca verba, &
„ rationabilia loquatur, & antequam ea pro-
„ ferat, bis ad lineam veniant, quàm ſemel
„ ad linguam.] Solonem refert Laërtius in conſeſſu quodam, cùm alij omnes multa loquerentur, tacuiſſe & cùm ex eo quæreretur, num ſtultus eſſet, quòd nihil diceret, reſpondiſſe; Nemo ſtultus tacêre poteſt.

Optimum ſilentium.

In libro Cant. cap. 5. labia ſponſæ dicuntur eſſe lilia ſtillantia myrrham primam. In ſtillatorio namque eſt ignis, nec humor fluit ut in fonte, ſed guttatim ſtillat, habetque odorem, & eſt medicinalis. Ejuſmodi debet eſſe locutio noſtra, ex charitatis igne nimirum profecta, neque copioſè, & ubertim fluens, ſed veluti guttatim ſtillans, optimi odoris, magnæque virtutis verba. Porrò de nimia loquendi libertate ita ſenſiſſe Agatonem Abbatem teſtatur Sanctus Dorotheus ſerm. 4. ut eam incendio magno compararet; quod omnia corrumpit, & vitiat; nihil hoc morbo moleſtius, & gravius eſſe ajebat; cùm vitiorum omnium ſit ſeminarium. Atque in ſer. 20. ad ne-

Loquendi libertas.

ceſſaria ſolùm nos verba compellit. [Verba,
„ inquit, otioſa, vana, ridicula, ſeu ſcurrilia
„ omninò nè loquare, ſed dumtaxat neceſſa-
„ ria.] Propterea duos parietes fuiſſe linguæ datos, ait Theodoretus in pſalmum 140. dentium ſcilicet, & labiorum; ut temerarios ejus impetus cohiberent. Et in libro 2. in Cant. dum illa exponit verba; Dentes tui ſicut greges tonſarum, &c. [Dentes, inquit, tui adeò
„ puri, & ab omni ſuperflua diſputatione, jo-
„ cis, ſcurrilitate, mendacio, verborumque ob-
„ ſcœnitate mundi, atque integri ſunt, ut ſimi-
„ les videantur gregibus tonſarum, quæ eo,
„ quod ſupervacaneum erat, rejecto, aſcende-
„ runt de lavacro.] Sed & Nyſſen. h. 7. in Cant. priùs laudari dentes obſervat, quàm labia: quia diſciplinæ ſunt cibus animæ, doctoreſque ſunt dentes, quia eas nobis mandunt: ordoque optimus eſt priùs docêri, ac deinde loqui. Et mox dicente ſponſo; Sicut funiculus coccineus labia tua. [Funiculus coccineus, *Cant. 4.*
„ inquit Theodoretus, in feneſtra ſignum
„ ſalutis fuit meretrici Raab. Atque hoc ſi-
„ gnum ſponſus in ore ſponſæ tanquam in fe-
„ neſtra collocatum intuetur. Duxit enim co-
„ lorem ex ſanguine ejus, & verba profert ve-
„ ritatis, quibus tanquam funiculis capiuntur
„ auditores, & vinciuntur.] Et Nyſſen. h. 15.
„ [Funiculus, ait, in labro collocatus menſu-
„ ra circumſcriptum ſermonem notat, quod
„ vates cuſtodiam, & oſtium compreſſionis
„ appellavit, cùm in tempore os ad loquendum
„ aperitur, & clauditur.] Funiculum autem menſuræ nomen eſſe ex Zacharia diſcimus. Habebat enim Angelus funiculum, quo terram homines metiri ſolent. Celeuſius præfectus ſilentij, ac veluti ruſticitatis Gregorium accuſaverat Nazianzenum. Is verò epiſtola ad illum prima, jocosè reſpondens, fabellam narrat loquaciſſimarum hirundinum, & cygnorum, quàm proverbio concludit; Tum videlicet cantaturos cygnos, cum gracculi tacuerint. Ita nimiam loquacitatem damnat. Et Sanctus Baſilius in regulis brev. 266. quærens, quid ſit illud Matthæi 9. Habete in vobis ſal; & ad Coloſſenſes 4. Sermo veſter ſit ſemper ſale conditus. Reſpondet; hæc nihil aliud velle, quàm ut omnes noſtri ſermones ad fidei ædificationem, & ad audientium mores componendos diſponantur. Hanc enim in conſtitutione monaſtica cap. 12. vult eſſe verborum noſtrorum utilitatem, ſi aut ſint de virtute, aut de re, quæ facienda inſtet, aut ad audientium ædificationem referatur. Qui autem in alio quovis genere ſermones verſentur, reijciendos eos eſſe tanquam inutiles. Quam ob cauſam in libro de vera virginitate naturam monet duas nobis dediſſe aures, linguam unam; quia duplum audire oportet diſciplinæ cauſâ, quàm loqui. Et in

Loquendi cauſæ.

ep.

Digitized by Google

ep. 1. ad Gregorium de vita ſolitaria; In congreſſibus ait, Comes, & ſuaves præbêre ſe oportêre, non etiam voluptatem facetoſis ſermonibus aucupari. Et in ſer. de abdicatione rerum; [Aures tuas nè quibuſvis paſſim gar„ rientibus aperias: neque temerè negantibus „ omnibus reſpondeas in his ſermonibus, qui „ à propoſito tibi religioſæ vitæ inſtituto „ diſſideant.] Et S. Iuſtini fuerunt illa verba in ep. ad Zenam, & Serenum; [Loquen„ dum mundanum nihil, ſed quidquid nos ad „ virtutem inſtruit.] Non abſurdum tamen fuerit comitate diluere opinionem moroſitatis, & nimiæ ſapientiæ.

Quin etiam nè de Deo quidem multum loquendum cenſuit S. Greg. Nazian. in or. ad eos, qui ipſum acciverant, nec poſteà occurrerant. [Pietatem, inquit, non in mul„ tùm, & ſæpè de Deo loquendo, ſed pluri„ mùm tacendo poſitum eſſe judicetis. Lin„ gua enim, niſi rationis magiſterio guberne„ tur, in lapſum facilè homines impellit. Sem„ perque exiſtimetis minùs periculoſum eſſe „ audire, quàm loqui, ac proindè de Deo lu„ bentiùs quidpiam diſcatis, quàm doceatis. „ Sermone minimùm, operibus majori ex par„ te Deum colatis; legiſque potiùs obſervatio„ ne, quàm legiſlatoris laude, ac mirifica præ„ dicatione veſtrum ergà eum amorem decla„ retis.] Et or. 1. de Theologia; Ut in veſtitu, victu, riſu, atque inceſſu; ſic in ſermone modum, ac decorum monet eſſe tenendum, præſertim cùm inter tot Dei virtutes, ac nomina, λόγον quoque, hoc eſt Verbum, colamus. Hancque in oratione 1. in Iulianum dixit fuiſſe cauſam, cur ſilentium Pythagoricis eſſet indictum; Et illud, Ipſe dixit; ut ſermonis moderationem tuendo diſcerent. Denique in Metaphraſi in Eccleſiaſten, ſi modò Nazianzeni, & non potiùs Neocæſarienſis Gregorij eſt? ut S. Hieronymo c. 4. & alijs placuit; lingua parcè uti præclarum eſſe ait, atque ad loquendi ſtudium gravitatem, conſtantiamque cordis adhibere. Sanctum quoque Hieronymum optimum morum magiſtrum audiamus. Is in ep. ad Fabiolam, de veſtitu Sacerdotum, in memoriam nobis revocat Chriſti monitum: Pro omni verbo otioſo reddendam eſſe rationem, & omne, addit, quod non ædificat, in periculum verti loquentium. Et in caput 6. Iſaiæ, Prophetam immunda habuiſſe labia, non ſuo vitio, ſed ſocietate populi polluta labia habentis, cum quo loqui ſæpiſſimè cogebatur. Et in Commentario ad caput 12. Matthæi, otioſum verbum eſſe, quod ſine utilitate & loquentis dicitur, & audientis, ſi omiſſis ſerijs, de rebus frivolis loquamur, & fabulas narremus antiquas. Cæterùm qui ſcurrilia replicat, & cachinnis ora diſſolvit, & aliquid profert turpitudinis, hic non otioſi verbi, ſed criminoſi tenebitur reus. Et in Commentario in Epiſtolam ad Epheſ. ſermonem malum, quem c. 4. non vult Paulus ex ore noſtro procedere; Eum eſſe interpretatur quoties loquimur aut non in tempore, aut importuno loco, aut non ut convenit audientibus. Toties enim ad deſtructionem procedit eorum, qui audiunt.

Pythagoricis ſilentij cauſa.

Verbum otioſum quid.

Remedium autem linguæ in expoſitione 2. in pſal. 119. illud eſſe vult; Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus deſolatorijs. Sicut enim vulnus, ſeu ulcus ſanioſum non curatur, niſi perforetur, & exeat pus, & ſanies, ita lingua tumens perforetur ſagitta Dei, ut venenum exeat. Et adhibeantur etiam carbones deſolatorij, qui malum excoquant, & ſanent. Ita purgata ſunt Iſaiæ labia: Et Spiritus Sanctus deſcendit in Apoſtolos ignearum ſpecie linguarum; Timor Dei dixit quoque Sanctus Nyſſenus in orat. 1. de pauperibus amandis, erudiat linguam fari neceſſaria, aptè reſpondere, modeſtè dicere: nè verborum veluti grandine colloquentes obruat. Idcircò & tenuis illa membranula, quæ linguam inferiori devincit mento, frænum dicitur, nè ineptè loquatur, & inconcinnè. Sed interior præſertim adhibenda eſt cuſtodia, quippè, ut ſcripſit in libro de continentia c. 1. S. Aug. Nullum procedit ex ore corporis verbum, cujus eſt in corde ſilentium. Indè quod non emanat, foris non ſonat.

Linguæ remedium.

CAPUT XI.

De loquendi Modeſtia.

ERGò modeſtus, & loquacitatem vitabit, & taciturnitatem nimiam, velut extrema vitioſa, mediumque tenebit virtutis locum. Silentium, inquit S. Greg. Papa lib. 7. moral. c. 17. virtutem cuſtodit ſicut alveus fluvium, & Civitatem murus; quo diruto inimicis patet Civitas; & rupto alveo inundat flumen, & vaſtat omnia. Iſaias tamen cap. 6. dixit: Veh mihi, quia tacui; & Eccleſiaſt. c. 20. Sapiens tacebit uſque ad tempus; & Eccleſiaſtes c. 3. Tempus tacendi, & tempus loquendi. Et David in pſ. 140. utrumque petijt, cum dixit; Pone Domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labijs meis. [Oſtium „ namque ait Greg. aperitur, & clauditur. Qui „ ergò ori ſuo non obſtaculum, ſed oſtium pe„ tijt; apertè docuit, quod & per diſciplinam „ retineri lingua debeat, & ex neceſſitate la„ xari: quatenus os diſcretum, & congruo „ tempore vox aperiat, & rurſùm congruo ta„ citurnitas claudat.] Nimia enim taciturnitas obeſt. Quia & Charitatem diſſolvit, quam opportuna ſermonis affabilitas fovet, & ſingularitatem magnoperè ſapit, & internæ cogitationes

Silentium.

Digitized by Google

gitationes plus vexant, alioſque loquentes accuſant, & ſæpè loquendi neceſſitas adeſt, moderataque collocutio exhilarat animum, & corporis ſanitati non parùm confert. Noſtram verò locutionem veram eſſe oportet ita, ut nihil mendacij contineat; nè tum quidem, cùm remittimus animos. Non enim decet unquam virum bonum mentiri, neque ingenuum ſimulare. Oportet eſſe gravem, & ſenſatam, non jocoſam, aut ridiculam: Levis enim hominis eſt, & ſcurrilis, non modeſti, ac demùm oportet eſſe bonam, & utilem, aut loquenti, aut audienti, aut utrique; non autem aut otioſam, aut pernicioſam, qualis eſſet murmuratio, detractio, turpiloquium, & his ſimilia.

Locutio qualis.

Non mordax.

Secundò. Inter loquendum cavebit modeſtus mordere quemquam, aut carpere, ſive præſentem, ſive abſentem. Hoc enim contemptum, & deſpicientiam ſignificat, quâ & ipſe ſuperbiam oſtendis, & arrogantiam, & alios offendis graviter; quos Apoſtolus Rom. c. 12. honore nos vult prævenire. Et S. Io. Chryſ. h. 17. in ep. ad Eph. Mordere ſcommatis procul eſſe dixit à Chriſtiano debere; & hom. 51. ad populum; [Cùm mordentem videris, conſidera quòd eſt Diabolus, qui eum inſtigat. Non enim Chriſtianorum ſunt ſcommata.] Et hom. 10. in priorem ep. ad Tim. quod Apoſtolus Epiſcopum vult non eſſe percuſſorem; non manibus interpretatur violenter utentem ſignificari, ſed lingua. [Sunt enim, ait, qui improbè nimiùm fratrum conſcientiam feriunt, quos mihi ſignificaſſe videtur.]

1. Tim. 3

Non remordax.

Tertiò. Cavebit & mordentem remordere. Hoc enim puſilli hominis, & miſeri eſſe dixit Seneca in 2. libro de ira. Quemadmodùm mures, & formicæ, ad quas ſi manum admoveris, ora convertunt. S. Ambroſius lib. 3. offic. c. 4. Chriſtianum virum, & juſtum, & ſapientem, ſi in latronem armatum inciderit ferientem ait, referire non poſſe, nè dum ſalutem defendit, pietatem contaminet. Et Chriſtus Matt. 26. præcepit Petro, Reconde gladium tuum: omnis enim, qui gladio percuſſerit, gladio peribit. Et alibi percutientem maxillam non repercutiendum dixit, ſed alteram illi præbendam: At levius eſt ſcommaticum tolerare verbum. Nihil fraternæ concordiæ, & paci tam inimicum, quàm inter loquendum alios mordere aut ſugillare. Lege quàm graviter hoc malum deploret S. Ber. h. 29. in Cant. dum illa tractat ſponſæ verba; Filij matris meæ pugnaverunt contrà me. Quò etiam ſpectant irriſio, reprehenſio, & exprobratio. Nam hæc omnia magnopere lædunt, & homo non ſit, qui læſum ſe non ſentiat; etiam ſi ex virtute toleret.

Irriſio reprehenſio.

Non contentioſa.

Quartò. Cavebit quoque contentiones, ut etiam Paulus in poſteriore Epiſtola ad Timoth. cap. 2. nos admonuit illis verbis; Noli contendere verbis. Contentionum autem matrem eſſe ſuperbiam & humanæ laudis aviditatem, ſcripſit in reg. brev. 289. Sanctus Baſil. & ad Aurelium S. Aug. ep. 64. contentioſoſque homines velut muſcas inordinatè, & importunè volantes, moleſtiſſimam Ægypti plagam voluit eſſe in lib. de conven. decem præceptorum, & decem plagarum. Sapiens Salomon Prov. cap. 20. plurimùm commendat eum, qui contentiones novit prudenter fugere. Honor, inquit, eſt homini, qui ſeparat ſe à contentionibus, omnes autem ſtulti miſcentur contumelijs. Puerorum, ac muliercularum, aut certè abjectorum homuncionum eſt hoc vitium. Viri prudentes, & graves cedere malunt, quàm contendere. [Præſtat enim, inquit S. Nazian. in apolog. honeſtè, ac laudabiliter vinci, quàm periculosè, & nefariè vincere.] Et in or. ad Iulianum, de ſuis ſermonibus, eos præſertim, qui litteris dant operam, ſeriò monet, nè plus æquo ſapientes ſint, nec omnibus in rebus velint vincere, ſed interdum honeſtè vinci ſe patiantur. Quid grave ſit, ut de ſuo patre in oratione funebri loquitur, ſi cum rebus ſuperior ſis, lingua te vinci patiaris? & in or. de moderatione in diſputationibus ſervanda; [Præſtat, inquit, cum doctrina inſtructus ſis, propter animi æquitatem, facilitatemque conſultò cedere, quàm per inſolentiam altiùs efferri.] Et paulò poſt; quemadmodùm apud Hebræos à quibuſdam Scripturæ Sacræ libris juvenes arcebantur; Sic apud nos ijs non vult permitti de fide diſputare, qui nimiùm ſunt inexplebiles, & ambitioſi, ſed ijs ſolùm, qui modeſti ſint, & verè compoſiti, ac moderati. Et S. Baſilius in ſer. 1. de inſtitutionibus Monachorum; Nullum prorſus invidiæ, aut contentionis geſtum, aut motum, verbumve permittit. Et Clemens Alexand. lib. 2. pædag. c. 7. [Abſit, ait, vehemens contentio pro inani verborum victoria.] Et Orig. in Com. capitis 2. ep. ad Rom. Ex contentione monet hæreſes naſci, omniaque ſcandala in Eccleſia. Et S. Iuſtinus in ep. ad Zenam, & Serenum, contentiones ferè in autoris caput ſolere recidere, omnibuſque permittit ſentire de ſe quidquid velit, modò ipſe ſilendo ſit ſibi conſcius, ſe poſſe rationem reddere. Neque juſtam Sancti Bernardi lamentationem tacebo, qui in modo benè vivendi ad Sororem cap. 17. ad hunc loquitur modum. [Si illi, qui in pace debent vivere, incipiunt contendere, ubi eſt vita tranquilla, ubi vita pacifica, ubi vita honeſta, ubi vita modeſta, ubi angelica? ibi non poteſt eſſe pax integra, & ubi regnant

rixæ,

Digitized by Google

„ rixæ,& contentiones, non poteſt eſſe perfe„ cta religio.] Sanè optimum eſt remedium, quod hiſce verbis propoſuit S. Io: Chryſ. hom. 11. in priorem ad Theſſ: epiſtolam. [In ædi„ bus, inquit, quando è regione duæ januæ „ oppoſitæ ſunt, & flatus vehemens irruerit; „ ſi alteram clauſeris, nihil valet efficere flatus. „ Ita duæ ſunt januæ, os tuum,& os illius,cum „ quo contendis: ſi tuum clauſeris, & ſpira„ tionem non dederis, omnem flatum iſtum „ extingues; ſi aperueris, effrænis reddetur.] Sed aptè obſervat Sanctus Gregorius Papa libro nono moral. capite primo hoc inter malos intereſſe, & bonos: quòd ſi mali contradicere ſemel cœperint,ſive pravum,ſive rectum dicatur, ſemper impugnant; quia cùm perſona diſplicet, nec recta, quæ protulerit, placent. At boni, quibus in odium non venit perſona, ſed culpa, ſic perverſa dijudicant, ut quæ recta dicuntur, aſſumant. Plutarchus autem in opuſculo de liberis educandis, hoc in pueris diligenter cavendum monet, nè in colloquijs inviſi alijs fiant, ſi in diſputationibus victoriam ſemper obtinêre laborent. Non enim tantùm egregium eſt ſcire vincere, ſed etiam poſſe vinci, pulchrum eſt. Citatque Euripidis verba:

Contentionum remedium

Dicentibus duobus, irato altero,
Qui non repugnat dicto, eſt ſapientior.

Et Ariſtoteles in 2. libro de arte dicendi, inter eos, qui amantur, numerat illos, qui contentionum ſtudioſi, aut pervicaces duri non ſunt. Contrà nemo libenter cum ijs agit, qui ad contradicendum parati ſemper ſunt, atque in contradicendo obſtinati. Intolerabilis enim hoc eſt ſuperbiæ, & hominis nimiùm vanæ gloriæ cupidi, & qui omnibus præeſſe velit.

Oratio Comis

Quintò. Cavebit omnem ruſticitatem; ſeſe comem,& affabilem præbebit omnibus,nulli difficilem, aut durum. Atque hoc eſt, quod anteà diximus ex Sancto Baſilio ſpirituali lepore, & Evangelico ſale conditam eſſe debêre omnem orationem noſtram, & in epiſtola ad Gregorium 1. [In congreſſibus comiter „ appellare oportet,atque in conſuetudine ſua„ vem ſe præbêre.]Et Sanctus Ambroſius dum in primo libro offic. cap. 23. jocos prohibuit, plenum tamen ſuavitatis, & gratiæ ſermonem eſſe voluit. Sanè Beatiſſimæ Virginis Mariæ ſermonem ſcribit S. Ioannes Damaſcenus in oratione 1. de illius Nativitate, fuiſſe jucundum, ex leni anima progredientem; atque ex Epiphanio confirmat Nicephorus libro 1. cap. 23. Et univerſè ſapiens in verbis ſe ipſum amabilem facit, inquit Eccleſiaſticus cap. 20. Et affabiles, & colloquio comes educari pueros Plutarchus voluit.

Loquentem non interrumpas.

Sextò, loquentis alterius non interrumpet ſermonem. Turpe namque interpellare loquentem, nec ſpatium abſolvendi ſermonis concedere. Job cap. 29. gloriatur; Qui me audiebant, expectabant ſententiam, & intenti tacebant ad conſilium meum. Et Eccleſiaſticus præcipit cap. 11. Priuſquam audias, nè reſpondeas verbum. Quod etiam Clemens Alexandrinus repetit in 2. pædag. Et Sancti Baſilij loco notato verba ſunt illa: [Nec diffe„ renti obloquamur,nec interpellare geſtiamus „ abſurda oſtentatione, faſtumque præferen„ te.] Et illa S. Dorothei ſerm. 20. [Altero „ loquente, cave ſermonem abrumpas.] Itaque Plutarchus in libello de auditione ſcripſit, ſilentium adoleſcenti ornamentum eſſe, ſed maximè tum prodeſſe, cùm audiens dicentem non perturbat, neque ad ſingula elatrat: ſed etiamſi omninò non probetur, ſuſtinet tamen, expectatque dum dicendi ille finem faciat: ſed nec tunc illicò contradicere orditur; ſed relinquit ſpatium, ſive addendi aliquid, ſive mutandi, aut detrahendi; qui ſecùs faciunt, ij contrà decorum agunt. Vitium hoc garrulitatis eſt: quæ Plutarchi ejuſdem judicio in proprio de illa libello, quaſi ultrò accita ſurditas eſt; dum enim illi tacêre neſciunt, nihil audiunt: ita velut Hecho quædam, ſi vel minima tangantur voce,ſtatim ſonitus varios reddunt; perindè acſi auditûs foramina non in animum illis,ſed in linguam deſinerent. Sanctus Bernardus ſuperborum vitium eſſe putavit; ſic enim habet in libro de gradibus humilitatis, dum quartum ſuperbiæ gradum tractat. [Præ„ venit interrogantem, non quærenti reſpon„ det; ipſe quærit, ipſe ſolvit, & verba collo„ cutoris imperfecta præſcindit.]

Garrulitas.

Septimò, hùc ſpectat garrulitas, de qua integrum habes Plutarchi librum, omnium partes ſibi ſumit garrulus, & interrogantis, & reſpondentis; ſolus ipſe vult loqui, alios nec audit, nec loqui permittit. Quod ſanè peſſimi moris eſt: & quod gravius eſt, nullius famæ parcit, de omnibus æquè & bonis, & malis loquitur; modò loquatur, quid, & quomodo loquatur, non conſiderat. Nihil hoc vitio moleſtius ijs omnibus, cum quibus converſaris; immò vitiorum omnium ſeminarium appellavit Sanctus Dorotheus ſermone 4. Prolixo autem non uti ſermone (adoleſcentes præſertim) ſed in pauca contrahere, jubet Clemens libro 2. pædag. cap. 7. Neque enim prolixo, inquit, eſt unquam ſermone utendum, neque multum loquendum, nec nugandum. Ea enim de cauſa Therſitem plagis caſtigavit moderatus Ulyſſes, immodicis verbis turbabat, nam omnia ſolus. Et nugatorum quidem, non ſecùs, ac veterum calceorum, alia quidem vitio detrita ſunt, ſola autem lingua reliqua eſt ad damnum.

Vocis modus.

Octavò, in voce quoque modum modeſtus habet; nè ſit nimis elata, nimiſvè tenuis; ſed quali opus eſt ad audientes. Alterùm enim

Digitized by Google

ſuperbiæ, & arrogantiæ; alterum timoris, & puſilli animi ſignum eſt. [Elatus clamor, ait „ Clemens, pronuntiationis eſt res inſaniſſima; „ loqui autem ita, ut non audiaris, ejus eſt, qui „ nullo eſt ſenſu prædìtus. Neque enim au- „ dient. Et eſt hoc quidem puſilli, & abjecti „ animi indicium, illud verò arrogantiæ.] Et apud Sanctum Bernardum in libro de interiori domo cap. 41. primum ſuperbiæ ſignum eſt clamor in locutione. Et apud Caſſianum in libro de inſtitutis renunt. cap. 39. nonum humilitatis indicium, ſi linguam cohibeat, & non ſit clamoſus in voce. Et S. Baſilius in ſermone de Aſceſi, Monachum vult habêre vocem moderatam, & ſermonem compoſitum. Et in epiſt. ad Gregorium, vocis intentio, inquit, mediocritate temperanda eſt, ut nec exilior fallat aures, nec contentior odioſa radat offenſione. Sed etſi demiſſior ſit, ac tenuior, interrogandus es ſæpiùs, & identidem cogeris verba repetere: quod & tibi, & audienti moleſtiſſimum eſt. Carneadem, cùm eſſet vocaliſſimus, Gymnaſij præfectus juſſit remittere: vociſque modum quærenti, reſpondit; Do tibi modi loco eum, cum quo diſputas. Auctor Plutarchus eſt.

Nè nimis feſtina, lentave. Nonò; Videndum quoque, nè nimis feſtina ſit, aut lenta; Alterum iracundiæ, ac levitatis eſt; Alterum affectatæ gravitatis: utrumque permoleſtum audienti. Pronuntiatio quoque ſcribit Seneca epiſtolâ 40. ſicut vita debet eſſe compoſita. Nihil autem ordinatum eſt, quod præcipitatur, & properat. Apud Homerum non concitata, & ſine intermiſſione in morem nivis ſuperveniens, ſed lenis, & melle dulcior ſeni profluebat oratio. At nimis lenta, tædio interruptæ tarditatis eſt permoleſta, nimiſque intentum poſtulat auditorem. Perennis ergò ſit unda, non torrens, & ut paucis multa colligam; non ſit aſpera; & fuſca, non confuſa, & oppreſſa, non modulata, & velut ad cantum inflexa, non mollis, & effœminata: ſed lenis, ac ſuavis, clara, & expreſſa, familiaris, & ſimplex, ac demùm virilis, & gravis. Vox fracta, & enervata eſt fœminæ, ait Clemens. Et Sanctus Ambroſius libro 1. offic. cap. 22. ſermo, ſive colloquij familiaris, ſive tractatus, & diſceptationis ſine perturbatione ſit, ſed mitis, & placidus, benevolentiæ plenus, & gratiæ, & cap. 23. alia ſubjungit, quæ retuli ſuperiùs capite decimo hujus libri. Et Sanctus Bernardus in tractatu de ordine vitæ, & morum inſtitutione. [Vox ipſa non „ remiſſa, non fracta, nihil fœmineum ſonans, „ qualem multi gravitatis ſpecie ſimulare con- „ ſueverunt: ſed formam quamdam; & regu- „ lam, ac ſuccum virilem reſervans.]

Nè geſticulatoria. Decimò, cavet modeſtia geſticulationem nimiam, & immoderatam in loquendo: ut nec inordinatè, nec turbulenter membra moveantur, nec oculorum nitibus, nec labiorum, frontiſvè contractione, nec ſuperciliorum erectione, aut oculorum rotatione, profundavè defixione, aut digiti extenſione, aut ſono oſtendere nimiùm velis id, quod loqueris. Sunt & qui dum aut nimio loquuntur affectu, aut propiùs ad colloquentem os admovent ſuum, & aperiunt, in faciem inſpuunt, aut inſufflant halitus, aut poſt vinum potatum vini odorem propinant, & narium ſenſum offendunt. Frequenter etiam ſpuere, & violenter exceare, tuſſire, & nares emungere, vitandum eſt; ſternutatio autem, ait Clemens, ſi evenerit, ſicut etiam ructus, non oportebit ſono ciere proximos, qui de mala educatione ferant teſtimonium: ſed ructus quidem cum expirato aëre eſt tranſmittendus, ore decore compoſito. Sternutationis autem ſtrepitus reſpiratione leniter repreſſa, ac retenta auferendus eſt. Alioqui arrogantiæ, contemptus, & inſolentiæ ſignum dabis.

De ſe, & ſuis tacet. Undecimò, cavet modeſtus, nè in ſermone gloriæ ſerviat ſuæ. Propterea nunquam de ſe ipſo, neque de majoribus ſuis, rebuſque aut à ſe, aut ab illis geſtis loquitur unquam aliquid, undè ad ipſum laus, & gloria redundet. Quæ verba ventoſa Job cap. 16. appellantur meritò, quia vaniſſimum habent finem. Nunquid, inquit, habebunt finem verba ventoſa? Quem locum exponens Sanctus Gregorius libro 13. cap. 2. [Ventoſa, inquit, verba ſunt, „ quæ inflationi temporali potiùs, quàm re- „ ctitudini ſerviunt. Sæpè autem mali etiam „ bona dicunt; ſed quia bene non dicunt, ven- „ toſa verba proferunt. Nam dicta reorum, „ etſi quando ſana ſunt per ſententiam, inflata „ tamen ſunt per elationem.] Undè Jo. 7. dicebat Chriſtus, Qui à ſemetipſo loquitur, gloriam propriam quærit: & loquacitatem Jo. Climacus grad. 11. inanis gloriæ ſedem eſſe affirmavit, per quam ſeipſam indicare, atque in publicum prodere ſolita eſt. Cùm enim optima noſtri pars ſit ratio, quâ gloriamur maximè, rationis comes, & nuntia eſt oratio, velut primus illius partus. Hujus autem gloriæ cupiditatis argumenta ſunt, ſi curioſa, nova, & inaudita, inter loquendum proferas. Undè S. Bernardus in tractatu de gradibus humilitatis, dum de quarto ſuperbiæ gradu loquitur. [In- „ venta, inquit, occaſione loquendi, ſi ſermo „ de litteris exoritur, vetera proferuntur, & „ nova, volant ſententiæ, reſonant ampullo- „ ſa verba.] Si multus ſis in loquendo, vixque finem ipſe loquendi facias, ut alijs loquendi, aut reſpondendi relinquas ſpatium; hoc quippè oſtentationis eſt, & jactantiæ. Si orto de cæterorum virtute, ac laude ſermone obſcurare coneris; hoc enim propterea fieri ſolet, nè inferior illo videaris. Si cenſorem te aliorum omnium, rerumq; & artium, ac diſciplinarum ſcientem profitearis: nimirum ut cæteris ſuperior habea-

habearis; & dum aliorum oſtendis errata, ſapientiorem te oſtendas. Sed turpiſsimum eſt, ex aliorum vituperatione, ac dedecore laudem quærere; ſi denique de te, tuiſque aut majoribus, aut rebus crebrò, ac ſtudioſè loquaris: hoc enim ſine gloriæ cupiditate non eſt. At vix erit aliquid in te laudabile, quod non alij quoque intelligant. Quod ſi tu taceas, & abſcondas, magis probaberis omnibus; ſi tu ipſe commendes, irrideberis, & levis habeberis. In libro Proverb. cap. 27. monuit Sapiens: Laudet te alienus, & non os tuum, extraneus, & non labia tua. Et Eccleſiaſt. cap. 10. Noli extollere te in faciendo opere tuo. De hoc cenodoxiæ ſpiritu egerunt Joannes Caſsianus in libro 11. & Jo. Climacus gr. 21. Qui nè utilitatis quidem alienæ causâ laudare ſe permittit. [Cave, inquit, nè proditori unquam obtemperes; cùm te quaſi pro audientium utilitate virtutes propalare ſuggerit. Quid enim proderit homini, ſi mundo univerſo proſit, ſibi verò ipſi detrimentum faciat?] quod de imperfectioribus hominibus, & qui detrimentum pati poſſint, accipiendum eſt. Nam à ſanctis, & perfectis viris factum id aliquando fuiſſe ſcimus, ut vidére eſt Job cap. 29. & 1. Cor. 15. Abundantiùs illis omnibus laboravi, & 2. Cor. 10. Si ampliùs aliquid gloriatus fuero de poteſtate noſtra, & cap. 11. Exiſtimo nihil me minùs feciſſe à magnis Apoſtolis &c. Hæc gloriatio non infringetur in me; & quæ pluribus mox ſubjungit. Tractat hoc pluribus S. Gregorius Papa libro 19. moral. cap. 14. Duas enim ob cauſas poteſt quis abſque culpa commendare ſeipſum. Si aut provocetur opprobrijs, & conculcetur, idque vel nè ipſe deſperet conculcatus, vel adverſarios confutans: Aut ſecundò, ſi veritatem prædicans, adverſarios habeat contradicentes, quos confutare oporteat. Priorem cauſam habuit Job, poſteriorem Paulus. Atque hinc ceſſabit admiratio Theophilacti, dum apud Lucam, Phariſæum per pauca verba jactantem condemnari legit; Job verò multò plura magnificè de ſe loquentem coronari. Ille namque nullo cogente, & abſque cauſa ſeipſum vanè laudavit, inſuper & alteri inſultavit: Job verò calumniantibus amicis, quod propter peccata calamitates illas eſſet perpeſſus, coactus fuit propter divinam gloriam opera ſua commemorare. Alioqui Sanctorum virorum eſt, ut Gregorius idem loquitur, bona, quæ fecerint, occultare, nè contingat eos lapſum elationis incurrere. Undè & Paulus, cùm aliqua propter diſcipulorum utilitatem ſua commemoráſſet, quæ illis confirmandis poterant eſſe ſatis; ab alijs, quæ dicere potuiſſet, quaſi ab humana laude temperans, dixit in poſter. ad Cor. 12. Parco autem, nè quis me exiſtimet ſuprà id, quod videt in me, aut audit aliquid ex me; ut adnotavit idem Sanctus Gregorius libro 18. ejuſdem operis cap. 7. Nos verò, qui imperfecti admodùm ſumus, omninò monet S. Bernardus nullo unquam tempore laudes noſtras in ſermone quærere, ſic enim ſcribit in formula honeſtæ vitæ. [Nihil unquam de te loquaris, quod laudem importet, quantumcunque ſit familiaris ille cum quo loqueris.] Quin etiam S. Greg. lib. 5. in primum Regum cap. 4. dum conſiderat Jonatham cum armigero tranſeuntem ad ſtationem Philiſtinorum noluiſſe hoc ipſum patri ſuo indicare; nos docet bona, quæ agimus, Prælatos quoque celare poſſe; ſi elationis malum timeamus: ſi, inquam, ij ſimus, qui bonum, quod agimus, probè cognoſcamus. Si enim nimis ſint ſimplices; ſæpè non eſt bonum, quod eſſe bonum arbitrantur; & dum vitium, quaſi virtutem non indicant, in ſe abſconditum hoſtem portant.

Non laudes teipſum.

Quatenus id liceat.

Bona ſuperiorem celare.

CAPUT XII.

De circumſtantijs loci, & temporis.

Duodecimò, ac poſtremò in locutione modeſtus magnam ſemper habet circumſtantiarum, loci præſertim, temporis, & perſonarum rationem. Non enim ubique, ſemper, & perſonam quamlibet decet eodem modo loqui. Interdum enim omninò loquendum non eſt, ut in loco ſacro, & dum ſacris vacamus; quemadmodùm Sanctus Auguſtinus in epiſt. 109. ad Monachas. [In oratorio, inquit, nemo aliquid agat, niſi ad quod eſt factum; undè & nomen accepit.] Quod non ſolùm de opere, ſed & de ſermone intelligendum eſt. Qua de re S. Jo. Chryſ. hom. 15. in ep. ad Hebræos. Verè enim immodeſtia magna eſt loci ſanctitatem, divinique numinis præſentiam non reverêri. In loco etiam publico temperandus eſt ſermo; ut paucis, & moderata loquaris voce, memor Apoſtolici præcepti in epiſtola ad Philippenſes 4. Modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus.

Loci circumſtantia.

Decimotertiò. De tempore longa enumeratione Eccleſiaſtes cap. 2. oſtendit; Omnia tempus habêre; atque inter cætera tempus eſſe loquendi; & tempus tacendi: quippè & natura univerſa operum ſuorum omnium certa, ac ſtatuta ſervat tempora. Moderandæ autem linguæ hæc præcipuè videntur tempora. Primùm cùm de Deo, rebuſque divinis agitur, ſive ipſe privatim ores, ſive orationi publicæ interſis in templo, aut ſermoni, qui ad populum habeatur. Manifeſtum enim eſt, non eſſe hæc privatis confabulationibus interrumpenda, atque turbanda: quòd & magna eſſet divini numinis irreverentia, & impudentia ſumma, orantes alios, verbumve Dei audientes turbare.

Temporis circumſtantia.

Digitized by Google

Secundùm cùm animi relaxationi, ac jucunditati operam damus; quod tribus potiſſimùm fit temporibus: Primùm cùm cibum ſumimus prandendo, cœnando, aut alio modo conviuando. Deindè dum ſimul confabulamur, ſive poſt ſumptum cibum, ſive alio tempore. Poſtremò dum interdum colludimus. Semper autem cavendum nobis, & frænum injiciendum linguæ, quia dum animus hilaritati ſtudet, minùs examinat verba, faciliùſque modeſtiæ tranſgreditur terminos: maximè verò ubi hilariùs potatur: ſcitum namque eſt illud;

Facundi calices quem non fecêre diſertum?

Et propter hanc majorem libertatem, & audiendi, & loquendi, declinanda eſſe convivia, conſuluerunt ſæpè veteres Patres. Extat de hoc in 2. libro pædag. apud Clementem cap. 4. & de Eccleſiaſticis viris ita ſcripſit Sanctus Ambroſius in 1. offic. lib. cap. 20. [Eccleſiaſticis, & maximè miniſtrorum officijs convenit declinare extraneorum convivia. Hæc enim & occupationes habent, & epulandi produnt cupiditatem. Surrepunt etiam fabulæ frequenter de ſæculo, & voluptatibus, ſurrepunt & præter voluntatem pocula.] Et S. Hieronymus in ep. ad Nepotianum, de vita Clericorum cap. 13. [Convivia tibi vitanda ſunt ſæcularium.] In convivijs dixit S. Jo. Chryſ. hom. 49. in Matth. ſi Joannes non interficitur, Chriſti tamen membra dilaniantur. Et S. Greg. Papa lib. 1. moral. cap. 4. convivia dixit ſine culpa vix poſſe eſſe. Ideoque Job peractis diebus convivij, ſuorum filiorum purgationem holocauſti adhibuiſſe. Duo tamen præcipuè vitia comitari; voluptatem, & loquacitatem. [Nam dum corpus, inquit, in refectionis delectatione reſolvitur, cor ad inane gaudium relaxatur. Et dum venter reficitur, lingua defrænatur. Undè dives apud inferos aquam appetebat, quâ refrigeraretur lingua: quia epulabatur quotidiè ſplendidè.] Et rurſum h. 40. in Evang. [Non dicitur dives loquacitate peccâſſe, & tamen in lingua refrigerari petit. Sed abundare in convivijs loquacitas ſolet, & is convivatus memoratur.] Itaque ut duplex eſt in nobis linguæ uſus, tum ciborum, ac potionum guſtatus, tum locutio, ſic in convivijs eſt; & in divite illo duplex fuit illius abuſus.

Vitanda convivia.

Conviviorum vitia.

Luc. 16.

Propterea veteres Patres religioſis familijs arctiſſimum ſemper ſilentium in menſa impoſuerunt, ſacramque, aut certè piam, & moratam lectionem eo tempore præceperunt, tum ut minùs moleſtum foret ſilentium, tum nè animus totus eſſet in patinis; ſed dum venter materialibus impletur cibis, ipſe quoque ſpiritualibus epulis reficeretur. Ita S. Auguſt. in reg. 2. ſic habet: [Sedentes ad menſam taceant audientes lectionem. Si autem aliquid opus fuerit, præpoſitus eorum ſollicitus ſit.] Et ep. 109. ad Monachas. [In menſa quod vobis ſecundùm conſuetudinem legitur, ſine tumultu, & contentionibus audite; nec ſolæ fauces cibum ſumant, ſed & aures percipiant Dei verbum. Et in ſer. 40. & 55. ad Fratres in eremo; lectionem, & diſputationem memorat in illorum menſa. Immò univerſè omnes in diebus jejuniorum, & quadrageſimæ ad hoc hortatur in ſermone 56. de tempore: [Non pigeat, inquiens, in convivio ſuo aliquid de divinis ſcripturis relegere; & quomodo caro paſcitur cibo, ſic reficiatur anima Dei verbo, ut totus homo, & interior, & exterior, de ſancto, & ſalubri convivio ſatiatus exurgat. Et S. Bern. in ſpeculo Monachorum: [Ad menſam nonſolùm fauces cibum capiant, ſed etiam aures exhauriant verbum Dei.] Philo quoque in libro de vita contemplativa de veteribus illis circà Alexandriam Therapeutis ſcribens, ita de illorum loquitur menſa. [Silentium majus, quàm anteà, ita ut nè mutire quidem cuiquam liceat, aut reſpirare vehementiùs. Proponit quiſpiam quæſtionem è ſacris litteris, aut ſolvit ab alio propoſitam &c.] Immò verò in libro de legatione ad Cajum, Tiberium quoque Auguſtum menſæ tempus eruditis colloquijs tribuiſſe teſtatur, ut non ſolùm corpus, verùm etiam anima ſuis reficeretur delicijs. Et Origenes lib. 3. in Job, Perſas affirmat, Medos, & Chaldæos, tacentes comediſſe, & bibiſſe, maximam exiſtimantes notam, ſi manducans quis loqueretur, aut bibens concionaretur. Ideoque neque comedentes, neque miniſtrantes aperuiſſe unquam os ſuum; ſed nutibus omnia peregiſſe; ut non ſit mirum, ſi Epiſcopis ſacrarum ſcripturarum lectio eo tempore fuerit in tertio Toletano Concilio c. 7. præcepta. De Sancto Jo. Chryſ. legimus ex tripartita, & Palladio, eum ſemper ſolum ſumpſiſſe cibum, nec invitaſſe alios, nec invitatum fuiſſe. Illi verò ſoli accumbenti adſtaſſe diaconum ex ſacris aliquid voluminibus recitantem. Et dum ipſe ad populum loqueretur in h. 2. in Gen. in menſa voluit inter comedendum repeti concionem auditam. [Poſt ſenſibilem, inquit, menſam cùm hinc abieritis, apponite & ſpiritualem menſam, & dicat quidem vir aliqua eorum, quæ hic nunc ſunt dicta, audiat autem mulier, diſcant pueri, diſcant & familiares.] Hanc porrò conſuetudinem ſacræ, piæve lectionis inter veſcendum Jo. Caſſ. in libro de inſtitutis renunt. ca. 17. ex Cappadocum Typo proceſſiſſe ſcribit, ut ſuperflua, otioſaque confabulatio tolleretur, & maximè contentio, quæ plerumque in convivijs generari ſolent. Sed & aliam adjungit cauſam Clemens Alexandrinus in 2. libro pædag. cap. 1. cur inter comedendum non oporteat loqui. Fit enim vox indecora, & non ſatis expreſſa, ac ſignificans,

In menſa ſilentium.

Digitized by Google

ficans, ut quæ plenis maxillis in anguſtum coercetur, & lingua, quæ nutrimento premitur, à naturali operatione præpedita, oppreſſam edit prolationem; quæ civilis, & morati hominis ratio eſt.

Recreationis tempus.

Decimoquartò, eſt etiam plurimùm cuſtodienda lingua in communi colloquio, & confabulatione, ſive poſt ſumptum cibum, ſive alio quovis tempore. Sanè non patitur corpuſculi noſtri conditio, ut arcus ſemper intendatur, quod & de Sancto Joanne Apoſtolo narratur, & confirmat S. Jo. Chryſ. hom. 11. in Gen. ſed remittere interdum oportet,& honeſtæ indulgêre recreationi. Nam & ideò non vigilamus ſemper, & laboramus; ſed & tempus eſt dormiendi, ac quieſcendi, ſomnoque fatigatum recreandi corpuſculum: & ideò Deum, ſcripſit Chryſoſt. ſegregâſſe diem, & noctem, lucem,& tenebras. Diem in opus,& noctem in requiem, & remiſſionem laborum. Nam & in Pſ. 103. canimus; Exibit homo ad opus ſuum, & operationem ſuam uſquè ad veſperam. Dum tamen in hom. 13. in epiſtolam ad Philip. Nihil eſſe, ait, adeò alienum à Chriſtiano, atque requiem, & recreationem quærere. [Dominus enim, inquit, tuus cru-
„ cifixus eſt, & tu requiem quæris? Dominus
„ tuus affixus eſt,& tu dilataris?] Manifeſtum eſt eam non eſſe propter ſe quærendam, aut appetendam; ſed ſolùm ut corporis neceſſitati ſubveniamus, & ideò moderatè prorſus aſſumendam. Quod cum omni hominum conveniat generi, Eccleſiaſticis, ac religioſis viris neceſſarium eſt. Prolixa enim collocutio inflammat, & accendit cor propter confabulationis ſuavitatem, & dum verbum verbo nectitur, difficile eſt temperare, etiamſi velis. [Non
„ animi relaxationem interdictam volo, dixit
„ Sanctus Nazianzenus in or. ad Gregorium
„ Nyſſenum, ſed petulantiam coërceo.] Sed ut verè idem ſcripſit ad Procopium epiſt. 55.
„ [Fieri non poteſt, ut qui tragicè ſe habet,
„ comicè diem feſtum agat, neque poteſt mo-
„ deſtè ſe,& compoſitè recreare,qui incompo-
„ ſitum,& immodeſtum animum habet.] Philo Judæus in libro de plantatione Noë,de vini potatione loquens: [Relaxatur, inquit, inſi-
„ pientium animus ad potandum licentiùs; re-
„ ctè ſapientium verò ad fruendum tranquil-
„ litate hilaritates. Idem nos de omni animi
„ relaxatione dicamus, ſapientia enim non eſt
„ res dura, & tetrica, ſed perpetua tranquilli-
„ tate hilaris, plena gaudio, lætitiaque. Undè
„ ſæpè prorumpit in non inſulſos luſus, ac di-
„ cteria,conjunctos tamen cum gravitate ſeria.
„ Immò juxtà Sacri Moyſis opinionem, ſapi-
„ entiæ finis luſus eſt, & riſus. Nam & Abra-
„ ham,qui ſapientiam ſignificat,in ſenio filium
„ accepit Iſaäc.qui riſum ſignificat,& Sara ve-
„ tula dixit; Riſum fecit mihi Dominus; non
„ iſtum, quo pueri, & infantes delectantur;
„ ſed quo homines cani,qui non tam conſenu-
„ erunt tempore, quàm bonis conſilijs. Nam
„ & Iſaäc, qui riſus interpretatur,convenit lu-
„ dere cum tolerantia, Rebecca Hebræis no-
„ minata.] Hæc Philo Judæus, ex quibus recreationes noſtras intelligimus ab omni juvenili levitate, ac garrulitate alienas, virili modeſtia, & gravitate ornatas eſſe oportêre; neque ad contentiones, & mordacitates promptas, ſed tolerantia, & patientia comitatas, ſi quid fortè à quopiam adſtantium minùs fuerit ſapienter pronuntiatum.

Recreationes cur institutæ.

S. Dorotheus in ſerm. 16. triplicem nobis proponit ſcopum debêre eſſe propoſitum, cùm convenimus: Primum, ut charitatem, & mutuum amorem colloquendo foveamus: Secundum, ut verbum Dei, & aliquid, quod ad virtutem inflammet, audiamus: Tertium, ut propriam conditionem,& ſtatum noſtrum perdiſcamus. Sed malos quoſdam, ac minùs religioſos ſocios monet Sanctus Ambroſius in 1. offic. libro cap. 20. ſub ſpecie jucunditatis venenum bonis infundere. Qui ſi aſſidui ſint, & maximè in convivio, ludo, & joco, enervant gravitate virilem. Et ideò cavendum, nè dum relaxare animum volumus, ſolvamus omnem armoniam, quaſi concentum quemdam bonorum operum. Ita cachinnis, facetijs, ac ridiculis, clamoribus, irriſionibus, detractionibus, audias interdum omnia perſonare. Sanctus Bernardus in præfatione ad expoſitionem pſalmi 90.recreationes haſce plurimùm obeſſe confirmat. Loquens enim ad ſuos Monachos:

Monita pro recreatione.

„ [Conſidero, ait, labores veſtros fratres non
„ ſine magno miſerationis affectu. Quæro
„ conſolationem, quam exhibêre poſſim, &
„ corporalis occurrit. Sed ea non prodeſt
„ quidquam; magis & obeſſe plurimùm po-
„ teſt. Siquidem modica ſementis detractio
„ non modicum meſſis eſt detrimentum: etſi
„ pœnitentia veſtra minuatur miſeratione cru-
„ deli, paulatim gemmis corona veſtra priva-
„ tur.] Et vide quemadmodùm de ijs, qui plus æquo recreationibus hiſce dediti ſunt, loquatur in ſer.4.de altitudine,& baſſitudine cordis.
„ [Nos religioſi ſumus inter duas menſas jeju-
„ ni. Hinc video delicioſè viventes in omni-
„ bus bonis hujus mundi ſenſibilis; indè illos
„ contemplor quibus diſpoſuit Chriſtus re-
„ gnum ut edant, & bibant ſuper menſam ejus
„ in regno Patris ſui, ab utraque menſa prohi-
„ beor. Undè ergò ſic poſitis riſus, undè joci,
„ undè levitas? Quid inter hæc reſtat,niſi co-
„ medere panem doloris: ut ſint mihi lachry-
„ mæ meæ panes die, ac nocte.] Et in tract.de ordine vitæ,& morum inſtitutione, vult habere delectum perſonarum fugiendamq; familiaritatem,& confabulationem eorum,qui liberiores ſunt in loquendo, & indiſciplinatè viven-

 do,

do,ſub ſpecie jucunditatis venenum infundunt bonis. Et omninò vitanda omnia,quæ inflectere poſſunt gravitatem propoſiti noſtri,noſtræq; profeſſionis. Propterea; [Adjungantur,inquit, „ juvenes probatiſſimis quibuſdam ſenioribus; „ Nam ut æqualium uſus dulcior, ita ſenum „ tutior eſt, qui magiſterio quodam, & ductu „ vitæ colorant mores adoleſcentium, & velut „ murice probitatis inficiunt. Nempè ſi hi,qui „ ſunt ignari locorum, cùm ſolertibus viarum „ iter adoriri geſtiunt: quantò magis adoleſ„ centes cum ſenibus debent novum iter ag„ gredi, quo minùs errare poſſint, & à vero „ tramite virtutis deflectere? Nihil enim pul„ chrius, quàm eos, & magiſtros vitæ habêre, „ & teſtes.] Idem monet quoque Theodoretus dum illa Pſal. 118. verba interpretatur: In quo corrigit adoleſcentior viam ſuam. [Volu„ bilis,ait,eſt juventus,& ad malum prona; va„ rijs enim perturbationum undis circumfun„ ditur; indiget igitur duce, qui ad portum di„ rigat.] Et S. Athanaſ. in libro de virginitate. [Non eſt bonum juvenculam, cum juven„ cula verſari, alioqui nihil boni faciunt: ſed „ bonum eſt juvenculam ſubeſſe anui.] Et S. Baſil. in ſermone de abdicatione rerum: [Ju„ venis æqualium tuorum conſuetudinem fu„ gito, ab illiſq; te abducito: difficilioribus, ac „ moroſis ſenibus aures libenter præbeto.] Et S. Jo. Chryſ. h. 87. in Jo. veriſſimè dixit, juvenem in rebus temporalibus utilem eſſe, ſenem inutilem: At in divinis, & ſpiritualibus rem contrà habêre. Nam & Petro Dominus dixit Jo. 21. Cùm eſſes junior cingebas te, & ambulabas, ubi volebas, cùm autem ſenueris, alius cinget te.

Ludendi tempus, & opere. Decimoquintò, hùc etiam tempus illud ſpectat, quo aut relaxandi animi causâ colludimus interdum, honeſto ſcilicet aliquo ludo, aut manibus ſimul cum alijs operamur. Ludus enim liberiorem nobis facit ſermonem, & liberiùs ſolvit linguam, & dum in opere quopiam laboramus, requiem aliquam quæritamus, quâ ſublevetur labor, aptiſſimaque confabulatio videtur. Undè antiquis Monachis injunctum fuiſſe ſcimus, ut manibus operantes, aut pſalmum canerent, aut ex ſacris aliquid meditarentur litteris, aut memoriter recitarent: nimirum ut ſilentium ſervarent, ut vidêre eſt apud S. Auguſtinum in libro de opere Monachorum, & S. Bernardum in modo benè vivendi ad ſororem cap. 51. & Joannem Caſſianum in libro de noctur. orat. cap. 15.

Tempus perturbationis. Maximè autem cavendum eſt illud tempus, quo perturbatione aliqua commovemur, ſive iræ, ſive invidiæ, ſive amoris, aut odij, ſive cujuſvis alterius. Agitatus quippè perturbatione animus modum neſcit; &, ſi eam dominari permittat, multa loquetur, & perperam.

Omnia opportune. Decimoſextò, denique ad temporis circumſtantiam pertinet, ut opportunè quidque & ſuo dicatur tempore, quod non ſolùm modeſtiæ, ſed multò magis prudentiæ fuerit. Mala namque aurea in lectis argenteis dixit Sapiens Proverb. 25. qui loquitur verbum in tempore ſuo. Utrumque, & lecto, & loquenti, eſt ornamentum; & Eccleſiaſticus cap. 20. Homo ſapiens tacebit uſque ad tempus; opportuni ſcilicet ſermonis expectans tempus: imprudens autem non ſervabit tempus. Et ideò ex ore fatui reprobabitur parabola: non enim dicit illam in tempore ſuo.

CAPUT XIII.

De Circumſtantia perſonarum.

DECIMOSEPTIMÒ, Quod autem ad perſonas attinet, magnam in primis earum rationem habet Modeſtus, nec loquitur quidquam, quod offendat quemquam; omnes reveretur, offendit neminem, adulatur nulli, nec immodicè laudat, aut vituperat. Plurimum verò defert ſenioribus, ſive illi ætate præcellant, ſive dignitate, & gradu. [Coràm „ ſeniore, monet S. Baſil. in ſer. de abdictio„ ne rerum,interrogatus gravi,& ſubmiſſa vo„ ce reſponde. Alius ſi interrogetur, os tuum „ ipſe comprimito.] Temerarium eſt,ut habet S. Auguſt. in ſer. 46. de tempore, juvenem, & imperitum coram ſenibus, & doctis loqui, velleque oſtentare ſeſe. Decet enim maximè juvenem verecundia, ut admonet S. Bern. in tract. de ordine vitæ, & morum inſtit. treſque omninò virtutes adoleſcentibus plurimùm convenire; verecundiam, taciturnitatem, & obedientiam. *Adoleſcentum virtutes.* Et poſt multa. [Laudanda, in„ quit, virtus verecundiæ: quia quorum ocu„ los, aures, linguamq; poſſidet,non ſinit tur„ piter ludere, ac ridêre, efficiens eos graves, „ ac mites; è contra grande vitium eſt junio„ rum impudentia, quæ improbo auſu, & diſ„ ſolutione ſua patres, & fratres conturbat, „ quia nec Deum,nec homines reveretur. Ubi „ lingua audax, & frons inverecunda, quid lo„ quatur, quidvè agat, non curat. Juvenes ta„ cêre debent,& diſcere.] Silentiumque adfert Pythagoricum, & alia non pauca. Audi quid de juvenibus pronuntiet S. Ambr. in ſermone 16. in Pſal. 118. [Juventus, inquit,ad amorem „ liberior, ad lapſum incautior, ad infirmita„ tem fragilior, ad correctionem durior.] Ergò tutiùs illi eſt audire, quàm loqui; ſi loqui libeat, pauca, & examinata loquatur. Seniores etiam, & doctiores ad audientium captum, atq; utilitatem ſeſe accommodent, nè cæteri, & ſine fructu audiant, & ſilêre ſemper cogantur: quorum utrumque moleſtiſſimum. [Non „ una autem, eademque (ut in Prologo tertiæ partis

Digitized by Google

„ partis Paſt. ex S. Gregorio Nazianzeno ſcri-„ bit S. Greg. Papa) cunctis exhortatio con-„ gruit; quia non cunctos par morum qualitas „ aſtringit. Sed pro qualitate audientium for-„ mari debet ſermo Doctorum: ut & ſua ſin-„ gulis congruant, & tamen à communis ædi-„ ficationis arte numquam recedant.] Nam & Chriſtus aliquando Diſcipulis ſuis dixit Io. 16. adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non po-teſtis portare modò. Cum dormiente enim loquitur, qui enarrat ſtulto ſapientiam, Eccle-ſiaſtici cap. 22. Quia non recipit ſtultus ver-ba prudentiæ, Prov. 18. & c. 23. In auribus inſipientium nè loquaris quia deſpicient do-ctrinam eloquij tui. Contrà verò cap. 18. Auris ſapientium quærit doctrinam. Et de his quidem hactenus.

CAPUT XIV.

De inceſſu, & motu corporis.

VENIO ad ultimum illud, quod conſi-derandum propoſuit Eccleſiaſticus, cùm dixit: Ingreſſus hominis enuntiat de illo. In-greſſus autem voce, non pedum modò, ſed & totius corporis, ac membrorum omnium mo-tum intelligamus. Omnibus enim moderatur modeſtia, & universè quidem pronuntiavit S. Auguſt. lib. de ſpiritu, & anima c. 62. [Actus „ & uſus totius corporis ſit purus, modeſtus, „ totius expers inſolentiæ, & laſciviæ, levitatis, „ & ignaviæ. Sit ſermo rarior, vultus hila-„ rior, aſpectus verecundior, inceſſus mode-ſtior.] Hanc verò inceſſus modeſtiam tria præ-ſertim video poſtulare. Primum nè ſit nimis celer, aut tardus. Secundum nè affectatus, & ſtudioſè plùs æquo compoſitus. Tertium nè cæteræ corporis partes indecenter agitentur, manus præſertim, & brachia, caput, & oculi. De mulieribus loquens S. Gregorius Naz. in Parænesi ad Olimpiadem dixit; [Pedes ſuper-„ bè incedentes pudicitiam mentiuntur: greſ-„ ſibuſque etiam ipſis libido ineſſe poteſt.] Hujuſmodi fortaſſe erat inceſſus filiarum Sion, quem Dominus Iſ. 3. graviter reprehendit his verbis; Elevatæ ſunt filiæ Sion, & ambulave-runt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant; ambulabant, & pedibus ſuis compoſito gradu incedebant. Eſt enim hic im-modeſtus omninò, vanus, & laſcivus inceſſus; non gravem dicam virum, ſed nec pudicam, & honeſtam decens fœminam. Audiamus ergò morum magiſtros optimos præcipientes. San-ctus Baſilius in or. de humilitate, & vana glo-ria, & ep. 7. ad Gregorium. [Inceſſus neque „ lentus, ut qui animi diſſoluti ſit ſignum, „ neque celer, & concitatus, ut qui impetus „ ipſius perturbatos, ac temerarios eſſe de-„ monſtret.] Et S. Ambroſ. in 1. offic. lib. cap.

Inceſſus mo-deſtia.

18. Eſt etiam in ipſo motu, geſtu, inceſſu, tenenda verecundia. Habitus enim mentis in corporis ſtatu cernitur. Hinc homo cordis no-ſtri abſconditus, aut levior, aut jactantior, aut turbidior, aut contrà gravior, & conſtantior, & maturior æſtimatur. Itaque vox quædam eſt animi corporis motus. Sunt etiam, qui ſenſim ambulando imitantur hiſtrionicos ge-ſtus, & quaſi quædam fercula pomparum, & ſtatuarum motus nutantium, ut quoties gra-dum transferunt, modulos quoſdam ſervare videantur. Nec curſim ambulare honeſtum arbitror, niſi cùm cauſa exigit alicujus peri-culi, vel juſta neceſſitas. Nam plerumque fe-ſtinantes anhelos videmus torquêre ora, qui-bus ſi cauſa deſit feſtinationis neceſſariæ, næ-vus eſt juſtæ offenſionis. Eſt enim greſſus etiam probabilis, in quo ſit ſpecies auctorita-tis, gravitatiſque pondus, tranquillitatis veſti-gium; ita tamen ſi ſtudium deſit, atque affe-ctatio; ſed motus ſit purus, ac ſimplex. Ni-hil enim fucatum placet. Hæc Ambroſ. quæ omnia in ſuum quoque tract. de ordine vitæ, & morum inſtit. Bern. tranſtulit. Qui rur-ſum in formula honeſtæ vitæ, hæc inceſſus notat præcipua vitia. [Sit inceſſus, inquit, „ tuus maturitate plenus, gravis & honeſtus, „ videlicet non fractis greſſibus ambules, aut „ ſcapulas dextrorſum, aut ſiniſtrorſum ver-„ gendo, non erecta cervice, non prominente „ pectore, ſeu etiam inclinato capite ſuper hu-„ merum. Quæ omnia aut levitatem redo-„ lent, aut elationem oſtentant, aut hypocri-„ ſim ſapiunt.] Et in modo benè vivendi ad ſororem cap. 9. [Sit, inquit, in greſſu tuo ſim-„ plicitas, ſit in inceſſu honeſtas: nihil dede-„ coris, nihil laſciviæ, nihil petulantiæ, nihil „ inſolentiæ, nihil levitatis appareat.] Et San-ctus Dorotheus in ſer. 20. [Noli unquam ſu-„ perbo, ac procaci faſtu incedere, vel ſtudioſè, „ ac molliter.] Ezech. cap. 1. de animalibus, quæ Propheta vidit, dicitur; Planta pedis eo-rum, quaſi planta pedis vituli. Bos nimis tar-dè incedit, vitulus nec nimis tardè, nec nimis velociter. Viri graves, ut in conſilio maturi-tatem, ſic in transferendo gradu gravitatem habent; non tamen affectatam, ſtudioſèque procuratam. Magis tamen damnatur veloci-tas; quia magnam levitatem, & indomitas per-turbationes teſtatur, oraque non parùm defor-mat; ut Ambroſ. dixit. De Beatiſſima Virgi-ne Dei Genitrice Maria ſcribit Sanctus Ioan-nes Damaſcenus in or. 1. de illius nativitate: Greſſus gravis, ac ſedatus, atque ab omni mol-litie remotus. Habenda tamen fuerit ratio per-ſonæ, ætatis ſcilicet, ſexus, & conditionis; adoleſcentis, inquam, aut ſenis, fœminæ, aut viri, publicæ, aut privatæ perſonæ, inſignis, aut plebejæ.

Digitized by Google

CAPUT XV.

De Seſſione, & manibus.

SI ſit ſedendum, duo monet S. Baſil. in ſer. de abdicatione. Alterum, coram ſeniore nè aſſidêre feſtines, quòd ſi jubeare, noli in pari cum illo ſella ſedêre: hoc modeſtia poſtulat, & perſonæ conditio. Alterum, in quo plurimos paſſim peccare videas; Inter ſedendum nè crus cruri alteri ſuperponas. Animi enim parùm attenti, atque aliud agentis indicium eſt. Adde & hominis non magnopere reverentis, nec magni facientis alios, coram quibùs ſedet: atque in juvenibus præſertim damnatur. Sic enim habet Clemens Alexandrinus in 2. lib. pædag. cap. 7. [Si ſederint, nè pe-„des ſæpè permutent, nec alterum fœmur, „alteri ſuperponant, nec manum mento ſu-„ſtentent.] (Atque hoc eſt tertium monitum) Illiberale enim eſt, & indecorum ſeipſum non ferre, idque datur vitio adoleſcenti. Sæpè autem movêri (quod eſt quartum) habitumque & figuram mutare, ſignum eſt levitatis.

Manus. De manibus hæc pauca accipe. Modeſtiæ fuerit multam, & non neceſſariam cavêre geſticulationem. Hiſtrionis enim eſt hæc, & mimi. Non pandulas inter ambulandum agitare manus; in ſecretas corporis ſui partes coram alijs non inijcere: ſed nec in naribus, dentibus, auribus purgandis, aut ſcalpendo capite, vellendave barba, & fricandis oculis diutiùs occupare, quàm neceſſitas cogat: non in os eas identidem rodendis unguibus ingerere, non nutibus loqui, quod officium eſt linguæ: non manus in peras inijcere, ac detinêre diutiùs, non in ſinu tenêre. Multò verò minùs in alium quemvis inijcere, aliumve attrectare ſine cauſa. Eſt enim magnæ levitatis indicium, aut effectus; atque ex eo proficiſci, ait Sanctus Dorotheus ſer. 4. quòd anima timorem Dei non poſſidet. [Eſt, inquit, parrìſia, „cùm quis præter neceſſitatem alium attre-„ctat, manuſque ſuas jocandi, ridendique ſtu-„dio in ſocium injectat, cùm impellit, ac pro-„trudit. Quæ omnia indè proveniunt, quod „timorem Dei anima noſtra non poſſidet.] Et Jo. Caſſianus in libro de inſtit. renunt. cap. 16. pœnitentiam haud levem injungit illi, qui alteriùs tenuerit manum: & Pachomij regula fuit 53. Manum alterius nemo teneat.

Caput autem, ut eſt præcipuum, ſic præcipuam modeſtiam poſtulat, eſt enim in edito loco, & omnibus maximè conſpicuum. Illud modeſtus leniter huc, atque illuc non movebit. Levitas enim eſt ad omnem ſtrepitum, aut auram ſeſe convertere. neque vir gravis facilè caput movet, ut videat quid à tergo, aut alibi fiat. [Sit, inquit Clemens in 2. pædag. cap. 7. „gravis aſpectus, colliqúe converſio, ac motus „honeſtus, & decorus.] Caput.

Sit porrò caput erectum, non in partem inclinatum. Hoc hominis erecta figura poſtulat, hoc naturam monet, quæ ad ſupera contemplanda.

Os homini ſublime dedit, cœlumque tuêri Ovid 1. Met.
Iuſſit, & erectos ad ſydera tollere vultus.

Non ut in cæteris animantibus, abjecit ad paſtum: Inclinatio enim capitis, aut dejectionem animi arguit, aut hypocriſim, minuſque ſpecioſa eſt, & aliorum offendit aſpectum. At dum erectum audis caput, non ſublime, & extentum intelligas. Hoc enim ſuperbiam, & faſtum oſtendit. Lege quæ in libro de ſuperbia c. 3. diximus: Sed nec ad terram inclinatum, nec in humeros declinatum. Illud dejectum animum, hoc hypocritam oſtendit. Verùm moderatè, & decenter in anteriorem partem non nihil proclive. Atque hactenùs ſit mihi modeſtus homo ſatis compoſitus.

Digitized by Google

DE MURMURATIONE, ET DETRACTIONE

LIBER XXXII.

CAPUT I.

Bonis quoque detrahi.

NIMIS verum eſſe probamus illud, quod S. Jo. Chryſ. dixit in ſermone de virtutibus, & vitijs, tom. 5. fieri non poſſe, ut qui virtutibus dediti ſunt ab omnibus benè audiant ſemper, & multi ubique obtrectatores non inſurgant. Bona enim apud omnes fama, ſignum certè vel maximum eſt, haud multum ſanè virtutis habêri rationem. Qui enim virtutis exquiſitus imitator eſſe voluerit, nec ullius niſi Dei laudem quærere, is ab omnibus laudari, & benè ſemper audire nullo modo poterit: quippè in virtutem multa uſque vitij congelaſcit inſania. Nam ut à peccatis carnalibus abſtinemus, atque immunes nos conſervamus, ità verendum eſt, nè in ſpiritualia faciliùs cadamus in ſuperbiam, ambitionem, æſtimationem propriam, invidiam, murmurationem &c. Et omninò verè ſcripſit Sanctus Baſilius epiſt. 15. Nullum vitæ genus malis hominibus inoffenſum eſſe. Ut nos quoque uſurpare poſſimus illud, quod or. 3. de pace dolebat Sanctus Gregorius Nazianzenus, quod cùm priùs ea noſtræ religionis eſſet diſciplina, ut nè ſuperfluum quidem verbum impunè proferre liceret, nunc contrà præſtantiſſimos quoſque pietate viros convitijs, maledictiſque proſcindimus. [Omninò nihil mortalibus tam ſuave, „ ac jucundum eſt (inquit idem Sanctus vir in „ apolog. Cur in Pontum fugerit) quàm de „ rebus alienis garrire: idque præſertim, ſi vel „ benevolentia quadam, vel odio trahantur: „ quibus affectibus veritas ut plurimùm labefactari ſolet.] [Nulli omninò parcit mur„ muratoris lingua, ait idem in oratione in „ laudem Baſilij, nec viles tantùm, ac ple„ bejos, ſed etiam præſtantiſſimos quoſque vi„ ros Momus attingit: ut ſolius Dei ſit, om„ ni peccato, atque animi perturbatione va„ care.] Pauci admodùm ſunt, Sancti Hieronymi ſententia epiſtola ad Celantiam, qui huic vitio renuntient, raròque invenies, qui ita vitam ſuam irreprehenſibilem exhibêre velint, ut non libenter reprehendant alienam, tantaque hujus mali libido mentes hominum invaſit, ut etiam qui procul ab alijs vitijs receſſerunt, in iſtud tamen, quaſi in extremum diaboli laqueum incidant.

CAPUT II.

Quorum vitium ſit.

HOC vitium ex otioſitate maximè naſci, otioſorumque hominum eſſe affirmat S. Anſelmus in libro de ſimilitudinibus cap. 146. quod ex pſal. 49. collegit S. Ambr. ep. 82. ad Vercellenſem Eccleſiam: Sedens adverſus fratrem tuum loquebaris, inquit Propheta: ſedentes detrahunt, id eſt, otioſi, interpretatur Ambroſius, ſtantes autem, & operantes benedicunt Dominum, ut dicitur Pſal. 133. Ecce nunc benedicite Dominum, qui ſtatis in domo Domini. Et S. Auguſt. in lib. 50. homiliarum h. 2. [Quod dixit, Sedens, oſtendere „ voluit, quòd non tranſitoriè detraxerit, nec „ ei ſubreptum ſit, ut malum de proximo lo„ queretur: ſed ſedens, id eſt, ex otio, quaſi ad „ hoc vacans, ut derogaret proximo ſuo.] De Helvidio pronuntiavit S. Hieron. in libro adverſùs eum, quod & de hoc hominum genere affirmari poteſt: [Loquacitatem facundiam „ exiſtimat, & maledicere omnibus, bonæ con„ ſcientiæ ſignum arbitratur.] Et universè in prœmio commentariorum in Oſeë Prophetam: [In hoc ſe doctos arbitrantur, ſi in taber„ nis medicorum de cunctorum operibus de„ trahant.] [Alij aliorum peccata obſervamus, „ ait Nazianz. non ut lugeamus, ſed ut expro„ bremus, neque ut medicinam afferamus, ſed „ ut novum vulnus infligamus, atque à proxi„ morum vulneribus excuſationem vitijs no„ ſtris petamus.] *Otioſorum hominum eſſe.*

Hypocritarum vitium dicit S. Aug. h. 26. ad Fratres in eremo. De omnibus enim maledicunt, ut ipſi ſoli laudentur, ſed & in cœtibus Religioſorum tales aliquos reperiri oſtendit S. Bernard. in ſer. 24. in Cant. [Ubique, „ inquit, penè in choro adoleſcentularum ta„ les invenio, quæ acta ſponſæ curioſè obſer„ vent, derogandi, non imitandi cauſâ: Tor„ quentur in bonis ſeniorum ſuorum, malis paſcun- *Hypocritarum.* *Quales murmurantes.*

Digitized by Google

,, paſcuntur. Videas ambulare ſeorsùm, con-
,, venire ſibi, & ſedêre pariter, moxque laxare
,, procaces linguas in deteſtandum ſuſurrium.
,, Una uni conjungitur, nec ſpiraculum inter-
,, cedit in eis; tanta eſt libido detrahendi, audi-
,, endive detrahentem. Ineunt familiaritatem
,, ad maledicendum, concordes ad diſcordiam.
,, Conciliant inter ſe inimiciſſimas amicitias,
,, & pari conſentaneæ malignitatis affectu
,, celebratur odioſa collatio. Haud ſecùs egêre
,, quondam Herodes, & Pilatus, qui facti ſunt
,, amici in illa die; hoc eſt in die Dominicæ paſ-
,, ſionis. Convenientibus ſic in unum, non eſt
,, Dominicam cœnam manducare; ſed magis
,, propinare, & bibere calicem dæmoniorum,
,, dum importantibus linguis aliorum perditio-
,, nis virus, aliorum aures intrantem mortem
,, libenter excipiunt. Sic intrat mors per fene-
,, ſtras noſtras, cùm prurientes auribus, & ori-
,, bus, lethale poculum detractionibus invicem
,, nobis miniſtrare contendimus.] Et infrà:
,, [Videas præmitti alta ſuſpiria, ſicque qua-
,, dam cum gravitate, & tarditate, vultu mœ-
,, ſto, demiſſis ſupercilijs, & voce plangenti e-
,, gredi maledictionem, & quidem tantò per-
,, ſuaſibiliorem, quantò creditur ab his, qui au-
,, diunt, corde invito, & magis condolentis af-
,, fectu, quàm malitioſè proferri. Doleo, in-
,, quit, vehementer, pro eo, quod diligo eum
,, ſatis, & nunquam potui de hac re corrigere
,, eum. Et alius, mihi quidem, ait, benè com-
,, pertum fuerat de illo iſtud, ſed per me num-
,, quam innotuiſſet: At quoniam per alterum
,, patefacta eſt res, veritatem negare non poſ-
,, ſum. Dolens dico, reverà ita eſt.] Et addit.
,, [Grande damnum. Nam aliàs quidem in plu-
,, ribus valet; cæterùm in hac parte excuſari
,, non poteſt.] Ita præclarè hoc vitium deſcri-
bit, & antè oculos ponit S. Bernardus.

CAPUT III.

Quid, & quorum ſit Murmuratio.

Murmuratio quid.

EGO verò de murmuratione, aut detractione nunc dicturus, accipiam primùm murmurationem, aut detractionem, ut in libro de ſimilitudinibus cap. 149. definit S. Anſelmus, eſſe, quando aliquid ea intentione de aliquo dicitur, ut vel minùs amari, vel minùs appretiari poſſit. Deindè quale hoc peccatum ſit, conſiderabo, tum quàm gravis illius pœna, poſtremò quomodò cum murmuratoribus agendum. Sanctus Io. Chryſ. h. 29. in Gen. eos qui murmurant, & fratrum peccata detegunt, perſimiles eſſe dixit filio Noë Cham, qui propterea fuit maledictus, quòd patris nuditatem publicavit. Nos verò ſimiles ſimus duobus filijs, qui texerunt, neque vidêre voluerunt. Et Sanctus Baſilius in or. de invidia, & odio, perſimiles eſſe vulturibus, quæ ad malè olentia cadavera feruntur impetu, prata permulta, & odoratos locos præter volantes: nec non & muſcis, quæ ſanis corporis partibus neglectis, contendunt ad ulcera, illiſque inſident; ſic enim illi virtutibus pluribus, ac rectè factis prætermiſſis, atque contemptis, in unum, vel alterum defectum linguam intentant ſuam. Et rurſum S. Chryſ. dum illa interpretatur verba Pſalmi 49. Os tuum abundavit malitiâ. Comparat ſcarabæo ſtercus ore ferenti. [Nè, inquit, ſtercus ore tuleris, quem-

Murmurator qualis.

,, admodum ſcarabæi. Id enim faciunt, qui
,, maledicunt, ut qui ipſi fœtorem primi ſen-
,, tiant. Sed flores, ſicut apes, favoſque ut illæ,
,, compoſueris, ſiſque omnibus comis, & affa-
,, bilis. Omnes enim averſantur maledicum,
,, ut eum qui lutum redoleat. Ut hirundinem,
,, quæ ſanguine, ſcarabæum, qui ſtercore,
,, alienis malis aluntur. Os autem, quod lu-
,, benter laudat, & de alijs benedicit, tanquam
,, membrum commune ſuſcipiunt, tanquam
,, fratrem germanum, tanquam filium, tan-
,, quam Patrem.] At verò Pſ. 139. Vir linguo-
ſus non dirigetur in terra. [Hic eſt fructus ma-
,, ledici, ait in eum locum Chryſ. eſt omnibus
,, hoſtis, omnibus moleſtus, gravis, & acerbus.]
Et h. 43. in Matth. affirmat eſſe velut homi-
nes vomitum patientes. [Quemadmodùm, in-
,, quit, vomitu laborantes, in principio quidem
,, detinère intùs egredientes humores nitun-
,, tur: cùm verò faſtidio victi ſuccubuerint,
,, magnis ſingultibus omnia è profundo eru-
,, ctant. Sic qui prava conſilia in proximos ver-
,, ſant, cùm malignitatem mentis ferre neque-
,, ant, obtrectationis ſaniem evomunt.] S. Ber.
in ſer. 3. de dedicatione Eccleſiæ, ait eſſe pro-
ditores, qui in domum, & caſtrum Domini ini-
micos ejus introducere conantur, & templum
Domini facere ſpeluncam dæmoniorum. [Non
,, multos, inquit, hic invenimus hujuſmodi, ſed
,, tamen deprehendimus fortè nonnullos, qui
,, colloquantur hoſtibus, & paciſcantur fœdus
,, cum morte, & molliantur imminuere ordinis
,, diſciplinam, intepeſcere fervorem, turbare
,, pacem, lædere charitatem.] Et ſer. 63. in Cant. *Cant. 2.*
tractans illa verba; Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineam; vulpeculas haſce, ait, eſſe detractorem, & adulatorem, qui Domini vineam demoliuntur. [Peſſima,
,, inquit, vulpis occultus detractor, ſed non
,, minùs nequam adulator blandus. Dabit ope-
,, ram ſapiens capere illos beneficijs, atque ob-
,, ſequijs, monitiſque ſalutaribus, & oratio-
,, nibus pro his ad Deum: quouſque ille invi-
,, diam, & iſte ſimulationem de corde tollat,
,, & obedit ſponſo, non modò in capiendo vul-
,, pes, ſed & in capiendo ipſi.] Et rurſum in
libro de modò benè vivendi ad ſororem, cap. 33. velut canes vult eſſe latrantes, ac mordentes

Digitized by Google

dentes tranſeuntium pedes. [Detrahentes, in-
,, quit, latrant quaſi canes, & ſicut canes ro-
,, dunt pedes tranſeuntium, ita detrahentes ro-
,, dunt vitam proximorum.] S. Hieron. in ca. Eccleſiaſt. 10. [Serpens, inquit, & detractor
,, æquales ſunt; ille occultè mordens, venenum
,, inſerit, hic clam detrahens, virus pectoris
,, ſui infundit in fratrem.]

Murmuratio quorum. Murmurationem de bonis S. Cyrillus Alexandr. lib. 4. in Jo. cap. 3. ſcripſit eſſe paternam Judæorum hæreditatem: alij verò ſervorum hoc eſſe improborum, ac vilium hominum, ut S. Chryſ. hom. 8. in epiſt. ad Philip.
,, [Nam quis filius in bonis paternis, ſibique
,, ipſi laborans murmurat? (Auctor epiſtolæ
,, ad Demetriadem, quæ tribuitur Hierony-
,, mo) Vilium ſatis hominum eſt, & ſuam lau-
,, dem quærentium, alios viles facere, quia al-
,, terius vituperatione ſe laudari putant. Et qui
,, ſuo merito placêre non poſſunt, placêre vo-
,, lunt in comparatione pejorum.] Sed & S. Chryſ. in libro primo de compunctione cordis; Inſani hoc hominis atque à dæmone poſſeſſi eſſe judicavit. [Inſidias, inquit, invicem
,, ſtruimus ſive verbis, ſive rebus ſupplantare
,, proximos cupientes, mordentes invicem, &
,, comedentes; quod utique apertæ inſaniæ eſt.
,, Quid enim aliud faciunt inſani, & dæmone
,, pleni, niſi membra ſua morſibus laniare?] Nec dubitavit Euſebius Emiſſenus in exhortatione ad plebem, in qua multæ obtrectationes dicuntur, murmurationem, ac detractionem affirmare eſſe venenoſum ſuccum, ac lepram, quæ animas noſtras inficiat: [Sicut, inquit,
,, ſunt virulenti herbarum ſucci, ita ſunt & ve-
,, nena verborum. Et ſicut eſt languor, & le-
,, pra corporum, ita prurigo obtrectationum
,, lepra probatur eſſe animarum.] Et quod Propheta pronuntiavit in Pſal. 51. Sicut novacula acuta feciſti dolum; S. Hilarius obtrectatoris linguam hanc novaculam eſſe intellexit: [Novacula enim ad nitorem vultus acui-
,, tur, ut abradens hirſutam, atque horrentem
,, barbam, faciem læviget. Hæc ſi potiùs vul-
,, neret, dolum fecit, quippè cùm præparata
,, ad ornatum miniſterium ſuum præbuerit ad
,, vulnus.] Ita ſi lingua ad bonum uſum inſtituta, murmurando, ac detrahendo ſerviat, dolum nimirùm facit. Denique Origenes h. 3. in Exodum, eorum os à diabolo ſcripſit aperiri; diabolumque per eos loqui. [Eorum in-
,, quit, qui ſcurrilitates & turpitudines loquun-
,, tur, ſuſurronum, detractorumque os diabolus
,, aperit.] Veriſſimum namque eſt illud Pauli 1. Cor. 12. Nemo in ſpiritu Dei loquens, dicit, Anathema Jeſu, id eſt, ſeparationem à Salvatore. Sed detractores, & qui diſcordias inter fratres ſeminant, ut interpretatur eo loco S. Anſelmus ſub ſpecie rectæ locutionis, quaſi in ſpiritu Dei loquentes videntur, dum dicunt Anathema Jeſu. Sed idem ipſe Origenes h. 3. in Pſ. 36. interpretationem faciens illorum verborum; Intenderunt arcum ſuum, ut ſagittent in obſcuris rectos corde; appoſitè addidit, diabolum detractoris ore uti velut arcu, & linguâ velut ſagittâ. Os enim arcûs, & lingua ſagittæ formam referunt. *Pſ. 10.* [Cùm, inquit,
,, adverſus aliquem aliquid dicimus, diabolus
,, ore noſtro utitur, velut arcu, per quem ſa-
,, gittas ſuas dirigat, hoc eſt, verba noſtra:
,, Et ſagittet rectos corde: eos, qui nos audiunt
,, eà loquentes, in quibus ſcandalum patiun-
,, tur. Et ut Deus poſuit arcum in nubibus, nè
,, fiat diluvium, ſed tempeſtas deſinat: ita dia-
,, bolus ponit arcum, ut ſuſcitet tempeſtates,
,, & ſerenitatem conturbet in anima, ut pacem
,, depellat, ut bella commoveat.] Quod graviter ſanè dolet S. Chryſ. in ſer. de laude Dei to. 5. [Nunc, inquit, communi hoſte omiſſo,
,, in fratres ſagittas intendimus. Illas dico ſa-
,, gittas, quæ ex ore emittuntur, & lingua: ſi-
,, quidem non ſolùm telis, & ſpiculis, verùm &
,, verbis acriora vulnera infliguntur, quàm ſo-
,, lent ſagittis infligi.]

CAPUT IV.

Quale peccatum Murmuratio.

GRAVIS eſt omninò detractoris, & murmuratoris culpa, quia & fratris bonam exiſtimationem, & famam lædit, & charitatem, & pacem offendit. *Murmuratio contrà charitatem.* [Hoc præcipuè vi-
,, tium, ait S. Bern. in ſer. 24. in Cant. charita-
,, tem, quæ Deus eſt, & quidem cæteris acriùs,
,, impugnare cognoſcitur. Omnis enim, qui de-
,, trahit, primùm quidem ſe ipſum prodit va-
,, cuum charitate. Deindè quid aliud detra-
,, hendo intendit, niſi ut is, cui detrahit, veniat
,, in odium, vel contemptum ipſis, apud quos
,, detrahit? Ferit ergò charitatem in omnibus,
,, qui ſe audiunt, lingua maledica, & quantum
,, in ſe eſt, necat funditùs, & extinguit. Non
,, ſolùm autem, ſed & in abſentibus univerſis,
,, ad quos volans verbum fortè per eos, qui
,, præſentes ſunt, pervenire contigerit.] Hinc increpatio illa gravis in apologia ad Gulielmum Abbatem. [Ita nè ſub veſtimentis ovium,
,, non quidem lupi rapaces, ſed pulices morda-
,, ces, immò tineæ demolientes bonorum vi-
,, tam, quia palam non audemus, in occulto
,, corridimus?] Sanctus Anſelmus in libro de ſimilitudinibus c. 150. Plus peccare hos affirmat, quàm qui victum ab ore pauperis rapit: anima enim pretioſior eſt, quàm corpus: Quare gravius eſt animæ victum auferre, quàm corporis. Victus autem animæ eſt amor Dei, & proximi. Hæc eſt illa tertia lingua, de qua Salomon Eccleſiaſtici 28. Suſurro, & bilinguis maledictus. Multos enim turbavit *Murmurans tertia lingua.*

pacem

Digitized by Google

pacem habentes. Lingua tertia multos movit,
civitates muratas deſtruxit, & domos magnatorum
effodit. Linguam tertiam dixerim,
non ſolùm, quæ inter duos loquitur, & apud
unum de altero detrahit: ſed etiam illam,
quam Latini triſulcam vocant. Undè Poëta
dixit.

Virgil. in Georg. 3.

Linguis micàt ore triſulcis.

Talis eſt detractoris lingua 2. Reg. 18. Joab
tulit tres lanceas, & infixit eas in corde Abſalon.
Detractor unicâ linguæ ſuæ lanceâ tri-

Murmurator tribus nocet.

ſulcâ tres omninò interficit. Ita Patres tradiderunt.
Nam S. Baſilius epiſt. 75. [Tribus,
,, inquit, perſonis mali hujus noxam áſpergit.
,, Lædit enim eum, quem falsò defert; & eos,
,, quibus loquitur, & ſeipſum. Nam ego ami-
,, citiâ veſtrâ deſtituor; vos veritate ultrò ſpo-
,, liamini, & qui hujus rei cauſam dedit, ſe-
,, ipſum à Domino alienum reddit.] Et or. de
invidia, & odio. [Ad calumnias conticeſcere
,, non oportet; non ut noſmetipſos defenda-
,, mus, ſed quia calumniator tribus ſimul per-
,, ſonis nocet. Nam & eum lædit, quem ca-
,, lumnijs onerat, & quibuſcum ſermonem
,, habet, denique & ſeipſum.] Et S. Chryſ. h. 3.
ad populum, cùm protuliſſet illud Pauli ad
Gal. 5. Si invicem mordetis, videte nè ab invicem
conſumamini: [Detrahens, inquit, fra-
,, ternas carnes comedit. Non infixiſti dentes
,, carni, ſed animæ maledictum, improbam
,, ſuſpicionem infixiſti, vulneraſti, innumeris
,, malis affeciſti & teipſum, & illum, & alios
,, plures.] Ac demùm S. Bern. in ſer. de triplici
cuſtodia, manus, linguæ, & cordis; [Nun-
,, quid non vipera eſt lingua iſta? Ferociſſima
,, planè, quæ tam lethaliter tres interficiat flatu
,, uno. Nunquid non lancea eſt? profectò; &
,, acutiſſima, quæ tres penetrat ictu uno. Lin-
,, gua eorum gladius acutus, gladius anceps,
,, immò triceps. Nec ipſo etiam mucrone,
,, quo dominicum latus confoſſum eſt, crude-
,, liorem dicere verearis: fodit enim hæc quo-
,, que Chriſti corpus, nec exanime fodit, ſed fa-
,, cit exanime fodiendo. Ipſis quoque nocen-
,, tior ſpinis, quas capiti furor militaris impo-
,, ſuit: ſeu etiam clavis, quos manibus, & pe-
,, dibus conſummatio Judaicæ impietatis infi-
,, xit. Niſi enim hujus, quod nunc pungitur,
,, & transfoditur, corporis ſui vitam illius vitæ
,, prætuliſſet, nunquàm illud pro iſto mortis
,, injuriæ, crucis ignominiæ tradidiſſet. Et di-
,, cimus, levis eſt ſermo, tenera, mollis, & exi-
,, gua caro lingua hominis! Levis quidem res
,, ſermo, quia leviter volat, ſed graviter vulne-
,, rat: leviter tranſit, ſed graviter urit; leviter
,, penetrat animam, ſed non leviter exit: pro-
,, fertur leviter, ſed non leviter revocatur: fa-
,, cilè volat, & ideò facilè violat charitatem.
,, Modicum membrum lingua; ſed niſi ca-
,, veas, magnum malum. Tenuis eſt, & lata;
,, aptiſſimum vacuandis cordibus inſtrumen-
,, tum. Facilè enim labitur lingua, nec minùs
,, facilè illabitur cordi.]

Murmurationis mala.

Primùm igitur lædit eum, de quo loquitur;
quia, ut habet S. Chryſoſt. malam de illo ſuſpicionem
apud audientes ingenerat. Deindè
quia publicando illum, impudentem facit, &
difficiliorem ad emendationem. Sicut enim, inquit
ille in h. 29. in Gen. non habêre multos
teſtes ſuorum delictorum, reſipiſcenti faciliorem
reditum præbet; ita ſi frontem perfricuerit,
& viderit, quòd nemo ignorat, non facilè
deſiſtere ſolet; ſed quaſi in profundum lutum
incidiſſet, & ſubtus ab innumeris raperetur fluctibus,
difficilè emergere poterit.

Secundò audientem pejorem facit. Sive enim
audiens peccator ſit, ſegnior fit, peccati
communicatorem nactus, inquit idem Chryſ.
hom. 3. ad populum, ſive juſtus ſit, in arrogantiam
tollitur, & inflatur ex aliorum peccato.
Sed & maximum damnum eſt, quòd ſpoliat
illum charitate, & opinione bona, quam
de fratre ſuo habebat.

Tertiò, ſeipſum quoque lædit, grave admittens
peccatum (ſi gravis ſit murmuratio)
pœnæque & caſtigationis faciens ſe reum.
Undè Euſebius Emiſſenus hom. 9. ad Monachos;
Murmurationem, ait, eſſe velut viperæ
partum, quæ parentem primùm exulcerat.
,, [Murmurationes, inquit, ſuis primùm au-
,, ctoribus nocent; ſicut exulceratis parenti-
,, bus naſcuntur viperæ. Undè benè in Pſalmo
,, dicitur; Ecce parturijt injuſtitiam, concepit
,, dolorem, & peperit iniquitatem.] Et rursùm;
Convertetur dolor ejus in caput ejus, & in
verticem ipſius iniquitas ejus deſcendet.

Quartò addit idem S. Chryſ. communem
Eccleſiæ ſtatum læſiſti. Audientes enim non
ſolùm peccatorem accuſant, ſed omnes Chriſtianos,
quos ſimiles eſſe judicant. Sed & alia
eſt ratio; quia poſtquam eum famâ, & bonâ
opinione apud alios privaſti, ineptum reddidiſti
ad ſerviendum communitati, quæ illo
ampliùs ad publica munera uti non poteſt.

CAPUT V.

Quæ murmurationis pœna.

CÆTERÙM & ex pœna cognoſci culpæ
gravitas poteſt. Ambroſio detrahentes de
cœlo repente punitos à Deo fuiſſe, ſcribit in
illius vita Paulinus. Sed ſacras hiſtorias conſule.
Murmurantes reperies graviſſimè ſemper
punitos. Nam ideò Num. 11. Accenſus
ignis devoravit extremam caſtrorum partem
propter populi murmur contrà Dominum,
& cap. 12. Maria percuſſa fuit lepra, quòd
contrà Moyſen murmurâſſet. Quod pulchrè
expendit S. Baſilius in regulis brev. 27. Deum
obſer-

Digitized by Google

obſervans nè ipſo quidem Moyſe deprecante inultum hoc peccatum dimiſiſſe; & Origenes hom. 7. in Num. [Maria, inquit, propter detra-„ ctionem contrà Moyſen leproſa facta eſt: „ tantaque cura fuit correptionis hujus, ut dum „ Maria ſeptimanæ tempus expleret in lepra, „ populus Dei non ageret iter ad terram pro-„ miſſionis, nec tabernaculum teſtimonij mo-„ veretur.] Obſervat & nubem receſſiſſe à tabernaculo, & mox Maria repleta eſt lepra; ut oſtendatur gratiam Dei, & Spiritum Sanctum priùs recedere ab obtrectatore, & ſic lepra replêri animam ejus: [Moveor, inquit Orige-„ nes, & utiliter, ac neceſſariò moveor ex hoc „ facto, nè detraham fratri, nè malè loquar „ de proximo meo, nè aperiam os meum ad „ derogandum, non ſolùm Sanctis, ſed & qui-„ buslibet proximis meis.] Adfert & illud ex Pſalmis; Sedens adversùs fratrem tuum loquebaris, & illud; Detrahentem ſecretò proximo ſuo hunc perſequebar. Et Num. 16. Dathan, & Abiron, & omnis illorum congregatio abſorpti repente à dehiſcente terra fuerunt, quòd contrà Moyſen locuti fuiſſent. Et cap. 21. Immiſit Deus ignitos ſerpentes in populum, qui contrà Moyſen murmuraverat, & à ſerpentibus perierunt; ſicut loquitur Paulus 1. Cor. 10. quia ut ratiocinatur Sanctus Bernardus in libro de modo benè vivendi ad ſororem cap. 47. Serpens venenoſus eſt, & omnis, qui murmurat, diaboli venenum habet in lingua. Ac demùm Num. 14. Omnes, qui murmuraſtis contrà me, non intrabitis terram, ſuper quam levavi manum meam, ut habitare vos facerem. Atque hoc eſt, quod tam ſeverè monuit Paulus 1. Cor. 6. Nolite errare; neque fornicarij, neque idolis ſervientes, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebrioſi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei poſſidebunt. [Vide, inquit Orig. „ h. 14. in Levit. inter quæ crimina, inter ad-„ ulteros, inter maſculorum concubitores, in-„ ter avaros, quos alibi dicit idolis ſervientes, „ etiam maledicos poſuit, & à regno Dei pa-„ riter cum illis excluſit. Videant ergò ſi qui „ os ſuum quotidiana penè conſuetudine hoc „ vitio inſueſcunt, quid illis periculi immine-„ at. Putantes enim leve, & facile hoc eſſe „ peccatum non facilè cavent. Sed conſiderent „ Apoſtolum quomodo maledicum à regno „ Dei excludit, & Deus per Moyſen quomo-„ do maledicum puniri jubet.] Addit propterea, non addidiſſe Moyſen: Qui maledixerit Deum; ſed ſolum: Qui maledixerit; nè de hominibus videretur dediſſe maledicendi licentiam.

Verùm & apud homines quoque ſcimus gravem ſemper fuiſſe detractorum pœnam. Poëtarum licentiam nimiam à veteribus fuiſſe cohibitam, ſeverè cavendo, nè quis in ſcena traduceretur, teſtatur ex Tulij libris de republica Sanctus Auguſtinus libro 2. de civitate Dei cap. 9. 12. & 14. & in duodecim tabulis erat; ſi quis actitaviſſet, ſive carmen condidiſſet, quod infamiam faceret, flagitiumvè alteri precaretur. *Contrà Poëtas lex.*

Venio ad noſtros. Sanctus Baſilius in regulis brev. 26. [Qui detrahit, aut detrahentem „ audit, & tolerat, exterminandi à reliquorum „ ſocietate ambo.] Et in animadverſionibus adversùs canonicas delinquentes 5. & 11. „ [Quæ adversùs abſentem aliquid ſuſurrave-„ rit; quævè in difficultate rerum neceſſaria-„ rum, aut in operibus faciendis fatigatione „ murmuraverit, hebdomadam unam ſegrege-„ tur.] Et in libro 4. de inſtitutis renuntiantium cap. 6. de veteribus Monachis ſcribit Joan. Caſſianus ſi quis eorum, qui ad aliorum convictum Monachi veſtibus induti admiſſi fuerant in murmurationis, aut inobedientiæ culpam incurriſſet, Monaſterij veſtibus exutus, priſtiniſq; reveſtitus dimittebatur. De ſene autem Machete narrat in libro de ſpiritu gaſtrimargiæ cap. 29. eum hanc à Deo gratiam precibus impetraſſe, ut quoties ſpiritalis agitaretur collatio, nunquam obdormiſceret: ſi quis verò detractionis verbum tentâſſet inferre, is in ſomnum protinùs concidebat, nè detractionis verbo illius aures polluerentur. [Unum „ namque detractionis verbum, inquit Sanctus „ Bernardus in tract. de præcepto, & diſpenſ. „ innumeris otioſis præponderat ad delictum, „ meritumque damnationis. Fortè aliqui leve „ peccatum exiſtimant murmurare.] Loquitur idem in libro ſententiarum; ſed non ille, qui cavendam monet murmurationem, nec ille, qui ajebat; Non eſt contrà nos murmur veſtrum, ſed contrà Dominum. Quin etiam non dubitavit S. Chryſ. hom. 8. in ep. ad Philip. apertè blaſphemiam contrà Deum eſſe affirmare: „ [Gravis, gravis, inquam, eſt murmurator, & „ vicinus blaſphemiæ. Ingratitudo eſt res iſta: „ qui murmurat, ingratus eſt Deo; qui autem „ Deo ingratus eſt, blaſphemus quoque eſt.] Quod de illis præſertim affirmatur, qui contrà ſuperiores murmurant. Quos jure ſanè optimo peſtem communitatis appellavit in homil. 74. in Matthæum. [Hi ſunt, inquit, quos pe-„ ſtes transferendo appellamus, qui ad corrum-„ pendos alios ſtudioſè vigilantes, adversùs do-„ ctoris officium inſurgunt.] Et ideò à cæteris ſeparandos dicebat Baſilius. Nam & qui peſte infecti ſunt, longè à ſanis ſeparantur. Et Mariam ob murmurationem contrà Moyſen leprâ percuſſam voluit Deus à reliquo populo ſeparari extrà caſtra ſeptem diebus. [Grande enim „ periculum eſt, inquit S. Auguſtinus hom. „ 26. ad Fratres in eremo, inter murmurato-„ res habitare: ideò expellendi ſunt tales, nè *Contrà Murmurantes.*

Gg cæteri

Digitized by Google

„ cæteri corrumpantur per eos :] Et omninò. „ [Nihil eſt (ut ratiocinatur idem ipſe Chryſ. „ h. in illud Pauli Rom. 16. Salutate Priſcam, „ & Aquilam) quod Eccleſiam ita deſtruere, „ & diſſolvere poteſt, ut quando diſcipuli ma- „ giſtris, patribus filij, & principibus ſubditi „ non magno ſtudio cohærent. Patrem accu- „ ſas, & dignum te putas, qui divina veſtibula „ accedas?] Affert illud Ex. 21. Qui maledi- cet patri &c. Et Mariam Num. 21. & illos, qui lapſuram arcam ſuſtentaverant 1. Reg. cap. 6. à Deo percuſſos fuiſſe, & mortuos; quantò magis ſi non ſuſtententur lapſuri, ſed ſtantes oppugnentur? Quod ſi mali ſint, nec tamen maledicendum. Nam de corporalibus parenti- bus dicitur Eccleſiaſt. 3. Si ſenſu deficiant, ve- niam da: Et hom. 10. in epiſtolam ad Epheſ. exponens illud; Unum corpus omnes ſumus in Chriſto; [Neque caput, inquit, adversùs pe- „ des ſuperbiat, neque hi quidquam invideant „ illi: alioqui propria cujuſque pulchritudo „ deſtruetur, & perfectus impedietur. Sive „ enim pedes ad neceſſariam egreſſionem ca- „ put portare noluerint, ſive ipſis per immo- „ bilitatem illam, & pigritiem nocumentum „ ferent, ſive viciſſim caput nullam voluerit „ pedum habêre curam, damno primùm ſeip- „ ſum afficiet.] Pluribus de hac contrà ſupe- riores murmuratione agit in homilia ſecunda in poſteriorem ad Tim. Ego unum addo eam eſſe gradum ad contemptum Dei. Quod oſten- det illud, quod ſcribit Sanctus Dorotheus in ſermone 2. Ait enim ſe noviſſe quemdam, qui primò quidem cùm aliquid boni de fratre au- diret, reſpondebat, dicens; quis eſt ille? non eſt qui momenti ſit alicujus, niſi Zozimas. Pòſt & hunc cœpit contemnere; Non eſt niſi Macharius; pòſt verò quid eſt Macharius? Nullus eſt præter Baſilium, & Gregorium; pòſt; quid eſt Baſilius? quid Gregorius? Ne- mo quidquam valet, niſi Petrus, & Paulus; pòſt, quid eſt Petrus? Quid Paulus? Nemo niſi Sancta Trinitas. Denique contrà Deum etiam ipſum ſuperbire cœpit.

CAPUT VI.

Murmuratorum excuſationes.

Prima excuſatio. SED enim quid pro ſe murmuratores dicant, audiamus. Prima illorum excuſatio eſt. Ego nihil fingo, non mentior, falſi nihil appo- no; verum eſt id, quod dico. At & hoc cri- men eſt, ait Sanctus Chryſ. nam & Phariſæus Publicano verè detraxit, quia verè Publicanus erat, & peccator; & illi qui accuſabant Chri- ſtum Matth. 26. quod dixiſſet: Poſſum de- ſtruere templum Dei, & poſt triduum reædi- ficare illud; verum dicebant, quia Jo. 2. id Chri- ſtus dixerat; & tamen falſi teſtes appellantur, quia non eo ſenſu, quo ille dixerat, accuſârunt, ut interpretatur Sanctus Hieronymus. Non igitur ſatis eſt verum dicere.

Prætereà Sanctus Baſilius in regulis brevior. 25. in duobus tantùm caſibus permittit de ali- orum defectibus, aut peccatis loqui: Aut ſi ne- ceſſe ſit conſultare cum alijs, quomodo corri- gendus ſit, qui peccavit; aut ſi neceſſitas poſ- cat, ut periculo conſulatur aliquorum, qui ex ignorantia commiſcêri poſſent cum malo, tan- quam cùm bono. Extrà hanc neceſſitatem, qui aliquid ſecùs de aliquo loquitur, illius in- ſimulandi, vel vituperandi causâ, detractor eſt; eſto, verum ſit, quod loquitur. Ita Baſi- lius ſenſit. *Quando liceat.*

Secunda excuſatio. Secunda excuſatio eſt. Ego non publicè om- nibus dico, ſed uni tantùm amico meo fideli, & ſecreto, nec ille ulli alteri manifeſtabit. „ [Hoc ridiculum magis, inquit S. Chryſ. „ homilia tertia ad populum, quod cùm ali- „ quid arcanum dixerint, rogant audientem, „ & adjurant, nè cuiquam alteri amplius dicat: „ hinc declarantes, quod rem reprehenſione „ dignam commiſerint. Si enim illum, ut ne- „ mini dicat, rogas; multò magis te priorem „ huic dicere non oportebat. Audiſti ſermo- „ nem, moriatur in te; confide, non te diſ- „ rumpet.] Proptereà nullus eſt, qui non ali- quem amicum habeat confidentem: itaque ſicut tu huic dicis, ita ille alteri; ita publica- tur, & omnes ſciunt in ſecreto. Denique Plu- tarchus in libro de garrulitate. Hæc eſt com- munis, inquit, clauſula loquacitatis, cui nullo modo credi poteſt.

Tertia excuſatio. Tertia excuſatio eſt; Ego bona intentione dico, non ut infametur ille, ſed ut corrigatur. Verùm ſi ita ſit, ſervabitur illud, quod S. Ba- ſilius monet in regulis brev. 229. [Illis, inquit, „ ſolùm manifeſtanda ſunt peccata aliorum, „ qui ea curare poſſunt: ſicut etiam vitia cor- „ poris, quæ non quibuſvis temerè aperimus; „ ſed ijs ſolùm, qui curare poſſint.] At Ger- ſon quoque in quibuſdam dubijs de hac re, tria proponit ſigna, & argumenta, ex quibus in- tentio bona cognoſcitur. Primum, ſi cum paſ- ſione, & dolore loquaris: ſicut quando vulnus aſpicimus cujuſpiam hominis, naturaliter viſce- ra commoventur. Secundum, ſi non augeatur res, & exaggeretur, neque in narrando longa texatur hiſtoria. Tertium, ſi non ægrè ferres, ſi idem de te ipſo diceretur.

CAPUT VII.

Cum Murmuratoribus ut agendum.

VENIO ad ultimum caput, quomodo cum murmuratoribus agendum ſit. In quo duo mihi dicenda ſunt. Alterum erit de ijs, quos de alijs murmurantes audimus. Alterum de il- lis,

Digitized by Google

lis, quos de nobis ipſis cum alijs novimus mur-
murare.

Murmurari, & audire.

Atque à primo exordiens, accipiam, æqua-
le peccatum eſſe, ſive ipſe murmures, ſive ali-
um murmurantem audias. [Detrahere (inquit
,, S. Bern. in 2. lib. de conſideratione ad Eu-
,, genium) & detrahentem audire, quid horum
,, damnabilius ſit, non facilè dixerim.] Et in li-
bro de interiori domo cap. 42. [Detrahentes, &
,, audientes pari pœna detinentur.] Et in libro
de modo benè vivendi ad ſororem cap. 33. [Pari
,, reatu detrahentes, & audientes tenentur.]

Murmuranti nè credas.

Deindè moneo, nè detrahenti facilè credas,
ſed hominem in hoc ſemper ſuſpectum habeas,
quicumque ille ſit. Ita conſuluit idem ipſe
Bernardus in ſermone de triplici cuſtodia. [U-
,, tilis, inquit, eſt frater, qui tibi loquitur, ſa-
,, piens eſt, religioſus, ac timens Deum; plus
,, dico, Angelus eſt, & Angelus lucis; etiam
,, ſic cave tibi, nè audias undè lædaris. Nec
,, perſonam tibi velim eſſe ſuſpectam, ſed
,, linguam, præſertim in ſermocinatione com-
,, muni. Bona columbæ ſimplicitas, ſed ſer-
,, pentis aſtutiam non omittas. Maria nè an-
,, gelicum quidem verbum ſine diſcuſſione
,, præteriens, cogitabat, qualis eſſet iſta ſaluta-
,, tio. Tu quoque ſi neceſſe eſt intereſſe col-
,, locutioni, non modò ori circumſpectionem,
,, ſed & auri nihilominus cautelam adhibe.
,, Fœlix, quem in omni confabulatione duplex
,, timor ſollicitat. Primùm divinæ majeſtatis,
,, in cujus manus incidere prorſus horrendum,
,, & dehinc fraternæ infirmitatis, cui perfacile
,, eſt offendiculum dare.] Sepi aures tuas ſpi-
nis, dixit Sapiens Eccleſiaſtici cap. 28. [Sepi,
,, & ſpinis ſepi, ait S. Auguſt. in lib. de diſci-
,, plina Chriſtiana to. 9. ut ille, qui importunè
,, intrare auſus fuerit, non ſolùm repellatur, ſed
,, etiam compungatur.]

Repellas quomodo.

Atque hoc ſit tertium, quod moneo. Re-
pellimus autem aſpectu ſeveriore, ac vultûs
averſione, & ea, quæ vocatur, ſubſannatione.
Sæpè etiam aſperiore oratione, ut loquitur
Clemens Alexandrinus in 2. libro pædag. cap.
6. quod ex libro Proverbiorum cap. 22. ſine
dubio ſumptum eſt. Ventus Aquilo, ait Sa-
piens, diſſipat pluvias, & facies triſtis linguam
detrahentem. Si enim te non libenter audire
animadverterit, obmuteſcet illicò. Et Origè-
nes homilia 3. in Exodum: [Si quando hæc
,, proferuntur à quopiam, qui novit Domini
,, eruditionem, claudit aures, & avertit audi-
,, tum, & dicit; Ego autem tanquam ſurdus
,, non audiebam. Si verò ad utilitatem animæ
,, pertinent, quæ dicuntur, ſi de Deo ſermo eſt,
,, non ſolùm aures patêre debent, ſed & cor, &
,, mens, & tota animæ janua pandenda eſt.]
Auctor epiſt. ad Demetriadem, quæ Sancto
Hieronymo adſcripta eſt: [Auditor eſt, qui
,, facit detractorem, qui ſi avertat oculos, &
,, vultum contrahat, & oculos abnuendo con-
,, tineat; malè loquentem etiam tacens arguit,
,, ut diſcat non libenter dicere, quod didicerit,
,, non libenter audiri.] Et ipſe Hieronymus
in ep. ad Nepotianum cap. 17. [Cave nè lin-
,, guam, aut aures habeas prurientes; id eſt,
,, nè aut ipſe alijs detrahas, aut alios audias de-
,, trahentes. Nemo invito auditori refert li-
,, benter. Sagitta in lapidem numquam figi-
,, tur, interdum reſiliens percutit dirigentem.]
Et rursùm in epiſt. ad Ruſticum cap. 9. [Sicut
,, ſagitta, ſi mittatur contrà duram materiam,
,, nonnumquam in mittentem revertitur, &
,, vulnerat vulnerantem: ita detractor cùm
,, triſtem faciem viderit audientis, illicò conti-
,, ceſſit, pallet vultus, hærent labia, ſaliva ſic-
,, catur.] Ac demùm in regula Monachorum
cap. de laude, & detractione vitanda, eandem
ſententiam inculcat, ejuſdem uſus ſagittæ ex-
emplo, nec non & lapidis in altum miſſi, qui
in mittentis caput interdùm recidit, ut dicitur
Eccleſiaſtici 27. Alibi verò argumento utitur
eorum, qui in pulverem inſufflant. [Si quis,
,, inquit, in capſulam pulvere plenam inſuffla-
,, bit, ceſſabit ſtatim, atque pulverem in faci-
,, em, & oculos erumpentem ſenſerit: ita ſile-
,, bit detractor, ſi talem audientium intuitum,
,, & reſponſum tulerit, qualem non ſperabat.]
Et S. Chryſ. hom. 3. ad populum. [Si delato-
,, res didicerint, quod ipſos magis, quàm accu-
,, ſatos averſemur, & ipſi tandem ab hac mala
,, conſuetudine deſiſtent, & peccatum corri-
,, gent, & nos ipſos ſuos ſalvatores, & benefa-
,, ctores prædicabunt.]

Quod tamen ad illos attinet, qui in pulve-
rem inſufflant; video S. Gregorium Papam in
8. libro regiſtri cap. 4. pauló aliter illis fuiſſe
uſum. [Quid aliud, inquit, detrahentes fa-
,, ciunt, niſi quòd in pulverem ſufflant, atque
,, in oculos ſuos terram excitant? Ut undè plus
,, detractionis perflant, indè magis nihil ve-
,, ritatis videant.]

Quartò ſuſpecta ſit nobis eorum locutio,
nec facilè credatur, quod dicitur. [Hanc ve-
,, lim, inquit Sanctus Bernardus in 4. libro de
,, conſideratione ad Eugenium, generalem tibi
,, conſtituas regulam, ut omnem, qui palam
,, veretur dicere, quod in aure locutus eſt, ſuſ-
,, pectum habeas.] Judicem enim oportet (ut
ſapienter monuit S. Baſilius in or. de invidia,
& odio) alteram aurem ei, qui abeſt, reſerva-
re. Sicut Alexander Macedo, cùm quidam ob-
trectaret familiari ſuo, alteram aurem præ-
buit calumniatori, alteram manu diligenter
obturavit. Et rursùm, acceptâ epiſtolâ quæ
contrà ipſius medicum ſcripta erat, cùm eo
tempore medicamentum eſſet accepturus, uſ-
que adeò fidem calumniatori non adhibuit, ut
ſimul & epiſtolam legeret, & medicamentum
biberet.

Murmurator ut audiendus.

Digitized by Google

Vitandi Murmuratores. Quintò, & ultimò vitandum omninò eſt, ac fugiendum hoc genus hominum. Ita ſororem monuit S. Bernardus in libro de modo benè Vivendi cap. 17. [Fuge detrahentes quaſi ſer-„ pentes: infundunt enim venenum mortife-„ rum in auribus ſe audientium.] Quod Pythagoras præcipiebat, domi non habendam hirundinem, hoc eſt, loquacem hominem, & ſuſurronem, ut in 5. libro ſtrom. Clemens interpretatur. Sanctum Auguſtinum ſcimus hos ad menſam ſuam non admiſiſſe. Sic enim ibi ſcriptum habebat:

Quiſquis amat dictis abſentum rodere famam;
Hanc menſam indignam noverit eſſe ſibi:

Teſtatur hoc ipſemet in homilia 26. ad Fratres in eremo. Prudens omninò fuit admonitio illa Anacleti in epiſtola decretali 3. Cave, nè aut linguam, aut aures habeas prurientes, id eſt, nè aut alijs detrahas, aut alios audias detrahentes.

Murmuratio de nobis. Jam verò ſi alios audimus de nobis ipſis murmurare, quid nobis agendum eſt? Planè contemnendum. Sic enim intelligere placet illud Iſ. 7. Nè formides à duobus lignis titionum iſtorum fumigantium. Sanctus Baſilius interpretatur, hoc eſt à perſuaſibilibus gentilium verbis, & hæreticorum blaſphemijs. Quòd ambo nihil aliud, quàm duo titiones ſint, qui, quod in planta vivificum eſt, perdiderunt, & lumen, ac ſplendorem ex igne promanantem, & facti titiones fumigantes nigredine aſpergunt eos, quos tetigerint. Ego tamen libentiùs hoc loco de murmurantibus, & detrahentibus intelligo, qui & charitatis vitam, & ſplendorem amiſerunt, & eorum, de quibus loquuntur, vitam, & famam denigrant: Proverb. 10. Sicut uva acerba dentibus, & fumus oculis, ſic parabola utentibus ea. [Linguas „ detrahentium, inquit S. Greg. homilia 9. in „ Ezech. ſicut noſtro ſtudio non debemus ex-„ citare, nè ipſi pereant, ita per ſuam maliti-„ am excitatas debemus æquanimiter tolerare, „ ut nobis meritum creſcat. Aliquando autem „ compeſcere, nè, dum de nobis mala diſſemi-„ nant, eorùm, qui nos audire ad bona poterant, „ corda innocentium corrumpant.] Ita Jo. ep. 3. compeſcit Diotrephem, & Paulus Corinthios ep. 2. cap. 10. Hoc enim debent facere hi, qui in exemplum imitationis ſunt poſiti. Petilianus Auguſtini non ſolùm carpebat vitam, quam antè converſionem egerat; ſed etiam addebat, eum adhuc eſſe Manichæum. Auguſti-*S. Auguſt. reſponſio.* nus non magnoperè turbatus, placidè de utroque reſpondit in lib. 3. contrà litteras Petiliani cap. 10. & 12. de altero dixit; [Quantum-„ cumque ille accuſet vitium meum, tantùm „ ego laudo medicum meum, Deum ſcilicet, „ qui me ad meliora convertit. De altero au-„ tem: Petilianus Manichæum me eſſe dicit, „ loquens de aliena conſcientia: hoc ego me „ non eſſe dico, loquens de mea conſcientia. „ Eligite, cui credatis.] Et rursùm: [Homo de „ area Chriſti, palea, ſi malus; granum, ſi bo-„ nus. Non eſt hujus areæ ventilabrum lingua „ Petiliani.] Hæc Auguſtinus, ita & tu de oblocutoribus tuis reſpondeas.

Tres amici Job convenientes ad eum contrà illum multa locuti ſunt, & ridens, inquit *Iob reſponſio.* Sacra hiſtoria, tacebat Job. [Quid pulchrius, „ ait S. Ambroſius libro 2. de interpellatione „ Job cap. 3. quàm ridere, cùm maledicitur „ nobis? Gaudère enim debemus, ſi aliena di-„ cantur. Primùm quia volens nobis crimen „ affingere, non invenit, quod verum eſſet, ſed „ falſa compoſuit. Deindè quia Dominus ipſe „ dixit; Gaudete, & exultate, quoniam mer-„ ces veſtra copioſa eſt in cœlis.] Audi quid de *S. Greg. Nazian.* ſe ipſo loquatur S. Greg. Nazianzenus in or. 3. de pace. [Nec verò me laudatores, vel con-„ vitiatores immutabunt: alioqui multas utiq; „ pecunias laudatoribus numerarem, ſi me lau-„ dando meliorem efficerent. Si verò me falſo „ crimine accuſator inceſſit, non me magis, „ quàm eum, qui loquitur, hæc oratio perſtrin-„ git. Sin autem verum mihi crimen impingit, „ quid eſt, cur eum potiùs, quàm me ipſum, „ accuſem? Quippè qui ita de me loquendi „ anſam præbeam, non ille mihi ita vivendi. „ Hoc tantùm emolumenti ex eorum impro-„ bitate percipiens, ut cautiùs in poſterum vi-„ tam inſtituam.] Sed & eximium quiddam, & magnificum habet hæc maledicentia; quoniam una cum Deo maledictis figimur. Ijdem enim Ariani & divinitatem reijciunt, & abnegant, & Theologum maledictis afficiunt. Idem in tetraſticis ſententijs repetit; [Ego ex hoſte „ quoque non nihil utilitatis capio. Ob id enim „ nè ille in me anſam habeat, cautiùs vitam in-„ ſtituo.] Sed quod dixit Greg. hoc præclari habère hanc maledicentiam, quod unà cum Deo maledictis figimur; confirmat quoque *S. Auguſtini.* Aug. qui in ep. 136. ad Felicem, & Hilarinum, his loquitur verbis: [Quid mirum, ſi „ homines ſervis Dei detrahunt, & qui eorum „ vitam pervertere non poſſunt, famam deco-„ lorare conantur; cùm ipſum Deum quotidie „ blaſphemare non ceſſent; cùm eis diſplicet „ quidquid contrà eorum voluntatem juſto, & „ occulto judicio facit?] Non poſſumus placère omnibus. Vel etiam de Chriſto dicebant aliqui, Quia bonus eſt; alij non, ſed ſeducit turbas. Et Paulus alijs erat odor vitæ in vitam, alijs odor mortis in mortem. Propterea id quod dicitur in Pſalmo 92. Dominus regnavit, decorem induit, induit Dominus fortitudinem, & præcinxit ſe virtute. Duas res induit, interpretatur S. Aug. in com. decorem, & fortitudinem, ut fundaret terram. Sequitur enim: Etenim firmavit orbem terræ, qui non commovebitur. [Non firmaret, ſi ſolum deco-

rem

Digitized by Google

„ rem indueret, & non fortitudinem. Induit
„ utrumque, quia cùm veniſſet in carne, alijs
„ placebat, alijs diſplicebat, alij benè de illo
„ loquebantur; alij detrahebant, ad eos, qui-
„ bus placebat, decorem induit; ad eos, quibus
„ diſplicebat, fortitudinem induit. Imitare &
„ tu Dominum tuum, ut poſſis eſſe veſtis ipſi-
„ us. Adeſto cum decore, ad eos, quibus pla-
„ cent opera tua, eſto fortis adversùs detracto-
„ res. Et Paulus quibus erat odor vitæ in vi-
„ tam, decorem induerat, quibus erat odor
„ mortis in mortem, fortitudinem induerat. Et
„ alio loco de decore, & fortitudine dicit. Per
„ arma juſtitiæ à dextris, & à ſiniſtris, per glo-
„ riam, & ignobilitatem, & quæ ſequuntur.]
Sed & hoc nomine, quòd hominum oblocutio-
S. Hieronymi. nes contemneret, laudat S. Hieron. Theophi-
lum in ep. 62. ad ipſum, adverſùs Joannem Hie-
roſolymitanum. [Probavi, inquit, quod Eccle-
„ ſiæ pari conſulens, quaſi ſyreneos cantus ob-
„ turata aure pertranſis.] At in com. ad caput
7. Eccleſiaſtis, duplici hoc argumento nobis
perſuadet; Altero, quòd Domini ſervorum
murmurationes non curant: altero, quòd nos
ipſi de alijs ſæpè murmuravimus. [Quomo-
„ do prudentis viri eſt, inquit, murmurantem
„ famulum non audire; nec aurem curioſè
„ apponere, quid de ſe loquatur abſente (ſi e-
„ nim hoc fecerit, ſemper in tribulatione erit,
„ & ad muſitationem ſervi iracundiâ commo-
„ vebitur) ſic & ſapientis hominis eſt ſapien-
„ tiam præviam ſequi, & vanos non conſidera-
„ re rumores. Item quomodo ſcit conſcientia
„ tua, quod tu de multis locutus es, & ſæpè
„ alijs detraxiſti: ſic & alijs debes ignoſcere de-
„ trahentibus.] Omninò nihil bonis obeſt ali-
S. Io. Chryſostomi. orum murmuratio. S. Chryſ. h. 24. ad popu-
lum: [Omni tubâ clarior eſt per bona opera
„ demonſtratio, & ipſa luce mundior eſt, & il-
„ luſtrior vitæ puritas, licèt innumeri ſint ca-
„ lumniatores, fulgeat vita, [illegible] calumniantium
„ ullam geras curam. Non eſt enim virtutem
„ curantis non multos habere inimicos. Sed
„ nihil hoc ad virtutis ſtudioſum. Per hæc
„ enim erit longè clarior.] Theages Thaſius
athleta nobiliſſimus promeruerat ſtatuam:
hanc poſt ejus mortem quidam obtrectatorum
noctu flagris cædebat, acſi viventem percute-
ret, tamdiù cæcidit, donec ſtatua corruens
illum oppreſſit: auctor eſt Pauſanias in Acha-
icis. Ita obtrectatores, dum alijs obeſſe ſtudent,
ſibi potiùs ipſis nocent, ſuæque obtrectationis
Murmuratores proſunt. pœnas luunt. Immò verò illis etiam proſunt,
de quibus obloquuntur. Quod in Maria, &
Aäron de Moyſe murmurantibus adnotavit
Origenes h. 7. in Num. [Detractores, inquit,
„ benefaciunt ijs, quibus detrahunt. Nunquam
„ invenimus tantas laudes Deum dixiſſe de
„ Moyſe, quantas cùm ab hominibus ei dero-
„ gatum eſt. Videtis quid ſibi pœnæ contule-
„ rint obtrectatores; quid verò illi, cui obtre-
„ ctaverant, quæſiverint laudis: ſive turpitu-
„ dinem, illi ſplendorem, ſibi lepram illi glo-
„ riam, ſibi opprobrium, illi magnificentiam
„ quæſierunt.] Neque verò bonis deſunt de-
fenſores, qui cauſam illorum ſponte ſuſcipiant,
ac tueantur, proque illis reſpondeant. Cant. 1.
Recti diligunt te. [Bona conſolatio, ait S.
„ Bern. ſer. 24. in eum locum, cùm blaſphe-
„ mamur à malis benè facientes, ſi recti dili-
„ gant nos.] [Ad omnia utile ſilentium, ait S.
„ Ambroſ. in Pſal. 38. ſi peccatum agnoſcis, ta-
„ ce, nè negando exaggeres. Si non agnoſcis,
„ tace, ſecurus de innocentia. Non poſſunt ali-
„ ena verba crimen affigere, quod propria non
„ recipit conſcientia.] Si de nobis murmurent
Valentinianum Imperatorem imitemur, de- *Valentinianus Imperator.*
quo in or. funebri ita ſcribit idem Ambroſius.
„ [Ferebatur ludis Circenſibus delectari: ſic
„ illud abſterſit, ut nè in ſolemnibus quidem
„ principium natalibus, vel imperialis honoris
„ gratiâ Circenſes putaret eſſe celebrandos.
„ Ajebant ferarum eum venationibus occupari,
„ & ab actibus publicis abduci, omnes feras uno
„ momento juſſit interfici. Jactabant, quòd
„ præmaturè prandium peteret; cœpit ita fre-
„ quentare jejunium, ut plerumque impranſus
„ ipſe convivium ſolemne ſuis comitibus ex-
„ hiberet.] Hoc multò ſapientius, & utilius
conſilium fuerit, quàm Alcibiadis illud, quod
narrat Fulgoſius libro 7. cap. 2. Hic ut linguas
obloquentium alio diverteret, pulcherrimo ca-
ni caudam abſcidit: reprehenſuſque reſpondit,
Parvo illo errore materiam ſui criminandi vo-
luiſſe dare, ut de majoribus ſilerent. Eniten-
dum enim eſt, ut populo tacere neſcio, de le-
vioribus loquendi materia detur. Parùm om-
ninò ſapienter. Non enim ſunt facienda mala,
ut eveniant bona, nec unus error errore alio
corrigendus; ſed ſingulis inſiſtendum, & quan-
tum fieri poteſt, omnis detractoribus materia
præcidenda.

Sanctus Gregorius Papa lib. 22. moral. cap. *Murmuratorum utilitas.*
5. magnam in eo ergà nos Dei providentiam,
ac miſericordiam agnoſcit, qui detractiones
nobis permittit, nè rebus proſperis, aut hu-
manis laudibus nimiùm extollamur; quemad-
modum arbori, quæ uno vento nimiùm impel-
litur, magnum eſt beneficium, ſi contrario im-
pellatur vento, nè penitùs proſternatur. [Nè
„ immoderatis, inquit, laudibus erigamur,
„ plerùmque miro rectoris noſtri moderami-
„ ne, etiam detractionibus lacerari permitti-
„ mur, ut cùm nos vox laudantis elevat, lingua
„ detrahentis humiliet: quia & arbor ſæpè,
„ quæ unius venti impulſu ita impellitur, ut
„ penè jam erui poſſe videatur, alterius è diver-
„ ſo venientis flatu erigitur, & quæ hac ex par-
„ te inflexionem pertulit, ab alia ad ſtatum re-
„ dit. Undè 2. Cor. 6. Per gloriam, & ignobili-
tatem

Digitized by Google

„ tatem per infamiam, & bonam famam &c.]

Zoilus canis rethoricus.

Quod autem ad obtrectatores attinet, neminem jam puto futurum Zoilum, qui quòd de omnibus malè loqueretur, & omnes calumniaretur, canis rethoricus dictus eſt. Hic ut refert Ælianus libro 11. quærenti cuidam, cur id faceret; reſpondit: Quia malè facere non poſſum. Ob loquacitatem potiùs quandam,& linguæ incontinentiam plures peccant. Hos monet S.Chryſ. h.21. in ep. ad Heb. [Si „ loquax es, & hoc vitio detineris, loquere, „ quæ tua ſunt, ad Deum, ſic enim non erit „ vitium, ſed virtus; loquere,quæ tua ſunt, ad „ amicos, ut orent pro peccatis tuis.] Et h. 5. in ep. ad Titum; [Si vera ſunt maledicta, ea „ non tua intereſt dicere; ſed judici examinan„ da permitte: ſi vera non ſunt,cernis profectò „ ingens imminêre periculum, & quoties ex„ probrare volueris, te ipſum priùs, tuamque „ inſpice vitam, incertumque futuri conſide„ rans,impetum contine.] Et h.23.in epiſt.ad Hebr. [Tu quid judicas fratrem tuum, malis „ decem millibus cumulatus? Cùm dixeris,ille „ malignus eſt,& prodigus, & peſſimus,intel„ lige te ipſum, & examina cum diligentia, „ quæ tua ſunt,& pœniteat te dictis tuis.] Audi & Sanctum Nazianzenum or. 3. de pace; „ [Quod hodie probro obijcimus, idem nobis „ poſtero die objicietur,jactatiſque ſermonibus „ hoſtis arridet.] Et illud Emiſſeni h.9.ad Monachos; [Peccatum, quod alter incurrit ope„ rando, tuum facis obloquendo.] Et illud S. Bernardi libro de interiori domo c.43. [Tam„ diù quiſque ſua peccata ignorat,quamdiù cu„ rioſè aliena conſiderat, qui ſe ipſum aſpicit, „ non quærit, quid in alijs reprehendat, ſed in „ ſe ipſo quid lugeat.] Audi S.Chryſoſtomum or. 5. contrà Judæos: [Eſt prava conſuetudo, „ tantùm accuſare fratres, nec illorum curam „ habêre,traducere mala infirmorum, nec me„ dêri. 2. Reg. 1. Quomodo ceciderunt po„ tentes? Nè annuntietis in Geth,neque præ„ dicaveritis in vijs Aſcalonis,nè lætentur filiæ „ incircumciſorum,quod ſi ille noluit rem ma„ nifeſtam traduci, nè adverſarijs gigneret vo„ luptatem, quantò magis non oportet &c.] Audi Salomonem Prov. 23. Noli eſſe in conviviis peccatorum, neque comedas cum ijs,qui carnes ad veſcendum conferunt; Carnes enim ad veſcendum conferre, ait S. Greg. libro 14. mor. cap.24. eſt in collocutione proximorum vitia dicere. Nam & hoc dolebat Job, cùm dicebat; Et carnibus meis ſaturamini. Qui enim alienæ vitæ detractione paſcuntur, alienis carnibus ſaturantur: & vacantes potibus, & dantes ſymbolum conſumentur. Vacant potibus,qui de opprobrio aliorum deebriantur: & ſymbolum dant, qui detractionis verba conferunt. Optimum autem eſt Sancti Bernardi conſilium lib. notato c. 42. [Si vis delinquen„ tem corripere, apertè increpa, nec occultè „ mordeas. Veh illi,qui ſuam renuit corrigere „ vitam,& alienæ non deſinit detrahere. Num„ quàm alijs detrahes, ſi te benè inſpexeris.] Et S. Chryſ. h. 3. ad populum; [Vis fratrem „ corrigere? lachryma, ora Deum ex corde, „ apprehenſum admone, conſule, exhortare, „ comprehende pedes, oſculare.]

DE ADULATIONE, ET SIMULATIONE.

LIBER XXXIII.

MAGNOPERE optabat Sponſa, Cant. 2. Capi ſibi vulpes parvulas,quæ demoliebantur vineam. Has jure optimo detractionem, atque adulationem interpretatus eſt Sanctus Bernardus in ſermone 63. [Peſſima enim vul„ pis occultus detractor, inquit ille, ſed non „ minùs nequam adulator blandus.] Alter apertè demolitur famam; alter blandis, & ſimulatis ſermonibus, dum laudare, atque augêre videtur,virtutem deſtruit noſtram. Uterque malus, uterque peſſimus: at eò pejor poſterior, quò magis ſimulatus, & fictus. De altero pluribus dictum eſt, dicam & de altero paucis.

CAPUT I.

Adulationis malum.

COGNATUM, atque propinquum virtutibus malum adulatio,ſcripſit S.Cyprianus in ſermone de jejunio,& tentationibus Chriſti, dum eas ſemper, & ubique collaudat: & dum amicus vidêri vult adulator,nihil amico inimicum magis. Dæmonum miniſtrum, ſuperbiæ ducem, bonorum demolitorem, erroneum ductorem

ductorem appellavit Climacus gr. 21. Blandum inimicum Sanctus Hieronymus in epiſt. ad Euſtochium, de cuſtodia virginitatis, & lib. 1. adverſùs Pelagium cap. 9. Et adulationem amicitiæ inimicam S. Aug. in ep. 135. ad Severum Abbatem. Quoniam enim ad amicitiam maximè pertinet fides, & amicum amico fidelem eſſe oportet; adulator infidelis eſt, neque vera, ſed falſa loquitur, dum ea laudando dicit, quæ ipſe adeſſe illi non credit, quem laudat: itaque mentitur laudando. Si enim adeſſe crederet, mendax non eſſet, etſi falſa fortaſſe diceret, neque adulator eſſet, ſed laudator, & præco veritatis; licèt falſus, ſi illa vera non eſſent, quæ ipſe tamen vera putaret. Ita & vera conficit Auguſtinus infideliter dici poſſe, & non vera fideliter. Qui enim ſic credit, ut loquitur, etſi non vera loquitur, fideliter loquitur. Qui autem non credit, quæ loquitur; etſi vera loquitur, infideliter loquitur. Ergò adulator omnis eſt ſimulator, de quo in Pſal. 11. Labia doloſa in corde, & corde locuti ſunt. Quæ verba in commentario exponens Sanctus Joannes Chryſ. [Docet, ,, inquit, magnam eſſe in corde duplicitatem. ,, Hoc eſt omnibus hoſtibus acerbius. Illi e- ,, nim ſunt aperti, undè facilè poſſunt cavêri. ,, Hi verò cùm aliam perſonam præſeferant ,, (amici enim videri volunt) & ſint aliud, ab ,, his, quibus tendunt inſidias, non facilè de- ,, prehenduntur, multò graviores ijs, qui gla- ,, dios abſcondunt.] Et rursùm in Pſalmum 119. [Nulla eſt gravior tentatio, quàm in ,, doloſum hominem incidere. Is enim eſt vel ,, quavis ferâ truculentior: Ea enim id, quod ,, eſt, eſſe cernitur: hic autem obtento velo ,, manſuetudinis, & probitatis, ſæpè virus oc- ,, cultat, ut nec facilè poſſint deprehendi inſi- ,, diæ, & in barathrum nulla adhibita cautio- ,, ne incidatur.]

Adulator ſimulator.

Eſt etiam proditor, velut Joab 2. Reg. 20. Qui amicè ſalutans Amaſam; Salve mi frater, & dextera manu tenens mentum, quaſi oſculaturus eum, ſiniſtram latenter ad gladium mittens percuſſit eum in latere, & ejus effudit viſcera. [Dexterâ enim mentum tenêre, ait ,, Greg. lib. 15. mor. cap. 5. eſt quaſi ex be- ,, nignitate blandiri; ſed ſiniſtram ad gladium ,, mittit, qui latenter ex malitia percutit.] Scorpiones quoque adfert idem Greg. h. 9. in Ezech. Qui palpando incedunt, ſed caudâ feriunt. Et apes, quæ in ore mel habent, & aculeo vulnus infigunt: Undè in Pſ. 117. dicitur, circumdederunt me ſicut apes. Et hom. 40. in Evangelia, canes linguâ ſuâ lingentes vulnera noſtra; nam & ipſa mala, quæ nos ipſi in nobis agnoſcimus, & reprehendimus, ſolent adulatores improbo favore laudare. Et S. Chryſ. in h. Quod nemo læditur niſi à ſeipſo, adulationem nobis proponit, velut meretricis fucum, qui formoſam oſtendit eam, quæ per ſe turpis eſt, & deformis. [Sicut, inquit, plerumque ,, meretricis vultus, cùm turpis, & fœdus eſt ,, per naturam, fucis, & coloribus pigmenta- ,, tus proſtituitur ad decipiendos eos, qui ig- ,, norant, quæ fœditas contegatur, ita & divi- ,, tiæ faciunt, cùm adulationem volunt hono- ,, rem vidêri.]

Adulator proditor.

Omninò gravis eſt, & periculoſa adulatorum perſecutio, à qua liberari ſe petebat David in Pſ. 69. cùm dicebat: Avertantur retrorſum, & erubeſcant, qui dicunt mihi, euge, euge, hoc eſt, adulatores. Duo namque ſunt genera perſecutorum, inquit eo loco S. Auguſt. vituperantium, & adulantium, duas vulpeculas nos anteà cum Bern. diximus; ſed plus perſequitur lingua adulatoris; quàm manus interfectoris. Et ut de martyribus interfectis Scriptura loquitur Sap. 3. Tanquam aurum in fornace probavit illos, & ſicut holocauſti hoſtiam accepit illos: ita & de adulantium lingua dicitur Prov. 27. probatio argenti, & auri ignis, vir autem probatur per os laudantis illum.

Inter Ægypti plagas damnoſiſſima locuſta fuit: devoravit enim herbam terræ, & quidquid pomorum in arboribus fuit. [Quid autem ,, per ſignificationem locuſtæ portendunt, in- ,, quit S. Greg. lib. 31. mor. c. 12. quæ pluſ- ,, quàm cætera minima quæque animantia hu- ,, manis frugibus nocent, niſi linguas adulan- ,, tium, quæ terrenorum hominum mentes, ſi ,, quando bona aliqua proferre conſpiciunt, ,, hæc immoderatiùs laudando corrumpunt? ,, Fructus enim Ægyptiorum eſt operatio ce- ,, nodoxorum, quam locuſtæ exterminant, ,, dum adulantes linguæ ad appetendas laudes ,, tranſitorias cor operantis inclinant. Herbam ,, enim locuſtæ comedunt, quando adulatores ,, quique verba loquentium favoribus extol- ,, lunt: poma quoque arborum devorant, quan- ,, do vanis laudibus quorundam jam quaſi for- ,, tium & opera enervant.]

Hinc apud Jeremiam cap. 20. maledicitur vir, qui annuntiavit patri dicens; Natus eſt maſculus. [Cùm enim cuilibet peccanti, ait ,, S. Gregorius lib. 4. mor. cap. 4. dicitur, feci- ,, ſti ſicut vir; quid aliud, quàm natus maſcu- ,, lus in mundo perhibetur? Jure autem vir, ,, qui maſculum nuntiat, maledicitur; quia ip- ,, ſo ejus nuntio reprobum gaudium noſtri cor- ,, ruptoris indicatur.] His etiam graviter minatur Deus per Ezechiëlem Prophetam cap. 13. Veh qui conſuunt pulvillos ſub omni cubito manûs, & faciunt cervicalia ſub capite univerſæ ætatis. [Sunt namque nonnulli, loqui- ,, tur S. Greg. lib. 18. mor. cap. 4. qui dum ma- ,, lè facta hominum laudibus efferunt, augent, ,, quæ increpare debuerunt. Ad hoc verò pul- ,, villus ponitur, ut molliùs quieſcatur, quiſquis ,, ergò malè agentibus adulatur, pulvillum ſub

 capite,

,, capite, vel cubito jacentis ponit, ut qui corripi ex culpa debuerat, in ea fultus laudibus molliter quieſcat. Hinc rurſum ſcriptum ,, eſt: Ipſe ædificabat parietem, illi autem liniebant eum. Parietis quippè nomine peccati duritia deſignatur. Ædificare ergò parietem, eſt contrà ſe quempiam obſtacula peccati conſtruere. Sed parietem liniunt, qui peccata perpetrantibus adulantur: ut quod illi perverſè agentes ædificant, ipſi adulantes quaſi nitidum reddant.] Ita Gregorius, cujus præclaram interpretationem confirmat S. Hieronymus in commentario decimitertij illius capitis Ezechiëlis; [Voluptatum, inquit, ,, & libidinis Doctores dicuntur conſuere ,, pulvillos, & ponere ſub omni cubito manus.] Hos in Politicis ad Trajanum Plutarchus velut aucupes eſſe ſcribit, qui aviculárum voces imitantur ſedulò, ut eas capiant. Et rurſum in libro de adulatoris, & amici diſcrimine, veluti camaleontem, qui ſeſe in colores omnes transformat, dempto albo; turpium namque ac vitiorum imitator eſt; non virtutum. Divites præſertim, & Principes aggrediuntur viros. Ut verè aliquando Carneades divitum, ac Regum filios dixerit, nihil aliud benè diſcere; quàm equitare. Reliqui enim penè omnes aſſentantur illis, & pulvillos ſub omni cubito manus conſuunt. Equus nulla ratione habita privatus nè, an Princeps inſideat, eum, qui regere non didicit, præcipitem excutit. David autem increpationem magis optabat, quàm adulationem, ſi quid minùs benè ageret. Nam in Pſal. 140. ait: Corripiet me juſtus in miſericordia, & increpabit me; oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Adulatores namque interpretatur S. Auguſtinus in ep. 120. ad Honoratum cap. 31. vendere oleum inſipientibus hominibus, dum blandis verbis opera illorum laudant. Irridentiumque reſponſionem prudentum virginum fuiſſe putat, cùm fatuis oleum ſecum non portantibus dixerunt: Ite potiùs ad vendentes, & emite vobis; hoc eſt adulatores. [Satiùs enim ,, eſt à juſto miſericorditer reprehendi, & quodam modo collaphizari, quàm ut nobis caput ,, in ſuperbiam creſcat peccatoris adulatione ,, laudatis.] Et rurſùm in lib. 50. homiliarum ho. 35. [Oleum virginum ſtultarum laus hominum. Vendunt oleum adulatores omnes; ,, & ſtultæ virgines illæ, quia non portabant ,, oleum ſecum, ſed forinſecùs quærebant laudem, non intùs in conſcientia habebant.] ,, Et S. Gregorius h. 12. in Evang. [Oleum ,, nitorem gloriæ ſignificat, & adulatores venditoris olei dicuntur, ad quos fatuæ virgines ,, mittuntur, quæ oleum in lampadibus, id eſt, ,, in propria conſcientia non habent.] Ut enim blandè, ac ſenſim ſeſe inſinuat oleum; & penetrat; ſic adulator omnis. [Hoc enim (inquit S. Anſelmus in com. cap. 16. ep. ad Roman.) eſt proprium eorum, qui decipiunt ,, audientes, ut dulciter eis loquantur.] Semper inſidioſa, callida, blanda eſt adulatio; pulchrèque adulator apud Philoſophos definitur blandus inimicus. Lac quoque ſpecie, & ſapore blandiſſimum eſt. Quam ob cauſam S. Hilarius in com. Pſal. 118. tractans illa verba: Coágulatum eſt ſicut lac cor eorum. Iniquos, ait, quamdiù homines in ſecundis ſunt rebus, eſſe illis velut lac, ſimplicitatis ſpecie blandientes: at, ſi mutetur fortuna, ex lacte coägulari, & ex blándis, ac ſuaviſſimis adulationibus, in vitioſi, & aceſcentis ſaporis amaritudinem redigi.

Adulator oleum vendit. *Matt. 25.* *Adulator blandus inimicus.*

CAPUT II.

Fugiendos Adulatores eſſe.

SED quod maximè dolendum eſt, ſolent nos plurimùm delectare adulantium verba, & ut ad Euſtochium ſcribit S. Hieron. cap. 10. [Naturali ducimur malo, adulatoribus noſtris libenter favemus; & quamquàm nos reſpondeamus indignos, & calidus rubor ora ,, perfundat; attamen ad laudem ſuam intrinſecùs anima lætatur.] S. Ambr. lib. 1. offic. cap. 42. Emolliri adulatione dixit eſſe ignaviæ. Et S. Gregor. h. 11. in Ezech. illicò reprehendendam, nec ullo modo differendam correctionem. Correctio, inquit, ſæpè differenda eſt, ut meliùs ſuſcipiatur: Sicut ſapiens mulier in 1. Reg. 25. Nabal ebrium increpare de tenacitate noluit, quem digeſto vino utiliter increpavit. In adulatione autem differenda non eſt: Pſ. 40. Confundantur ſtatim erubeſcentes, qui dicunt mihi, euge, euge. Adulatio etenim, ſi vel ad tempus patienter ſuſcipiatur, augetur, & pauliſper demulcet animum, ut à rigore ſuæ rectitudinis molleſcat in delectatione ſermonis. Sed nè creſcere debeat, ſtatim eſt, & ſine mora ferienda. Libenter enim ſermo talis auditur, hæretque animo. Symphoniæ utitur exemplo Seneca ep. 123. quemadmodùm enim qui audierunt ſymphoniam, ferunt ſecum in auribus modulationem, quæ ad dulcedinem cantumque cogit: ſic adulatorum, & prava laudantium ſermo diutiùs hæret, quàm auditur, nec facile eſt animo dulcem ſonum excutere; proſequitur, & durat, & ex intervallo recurrit, ideò claudendæ illis ſunt aures. Sanctus quoque Hieronymus in epiſt. ad Paulinum, de inſtitutione Monachi; [Dumuſculos, & gloriolas, & palpantes adulatores quaſi hoſtes fuge.] Et in epiſt. ad Celantiam cap. 4. [Adulatorum ,, aſſentationes, & noxia blandimenta fallaciæ ,, velut quaſdam peſtes fuge. Nihil eſt quod ,, tam facilè corrumpat mentes hominum, nihil

Corrigendi adulator.

Digitized by Google

„ nihil quod tam dulci, & molli vulnere ani-
„ mum feriat.] Et Auctor epiſt. ad Demetriadem quæ habetur to. 9. operum S. Hieron. „ [Adulatores ut inimicos cave; quorum ſer-
„ mones ſuper oleum molles; & ipſi ſunt jacu-
„ la: corrumpunt fictis laudibus leves animas,
„ & malè credulis mentibus blandum vulnus
„ infigunt.] Pelagius, ut refert S. Hieron. in priore libro adversùs eum cap. 9. ſervum Dei affirmabat nihil amarum de ore ſuo, ſed ſemper, quod dulce eſt, & ſuave, debêre proferre: & tamen alterum prorsùs huic contrarium addebat; Sacerdotem, ſive doctorem omnium actus ſpeculari debêre, & fiducialiter corripere peccantes, neminique adulari. Pugnantiam horum verborum miratur Hieron. Aut enim Sacerdos, & doctor ſervi Dei non erunt, qui nulli debent adulari, ſed audacter omnes increpare; aut ſi ſervi Dei ſunt, immò inter ſervos ejus principalem tenent locum, malè illis blanditiæ, & dulcedines reſervantur, quæ propriæ ſunt hæreticorum, & eorum, qui decipere cupiunt audientes: dicente Apoſtolo; Hujuſmodi enim Chriſto Domino non ſerviunt, ſed ſuo ventri. Tantum autem abeſt, ut hi ſervi Dei ſint, ut à Sapiente appellentur ſtulti. Eccleſiaſtis 7. Sicut ſonitus ſpinarum ſub olla, ſic riſus ſtulti. De adulatore namque interpretatur S. Hieron. [Sicut enim ſonitus ſpinarum
„ ardentium ſub olla ſtrepitum inſuavem red-
„ dit, ita ſuavia palpantis verba non prode-
„ runt;] Quin potius oberunt plurimùm. Alligant enim animas in peccatis, dum malefacta quoque commendant. Quod adnotavit Sanctus Auguſtinus in com. Pſal. 9. [Adulantium,
„ inquit, linguæ alligant animas in peccatis.
„ Delectatur enim ea facere, in quibus non
„ ſolùm non metuitur reprehenſor, ſed etiam
„ laudator auditur.] Laudatur, inquit, peccator in deſiderijs animæ ſuæ: quam ob cauſam ab his magnoperè liberari ſe petebat David, à lingua doloſa liberari volens; in Pſ. 119. & dicens: Domine libera animam meam à labijs iniquis, & à lingua doloſa; quam adulantis linguam ita interpretatur S. Aug. ſer. 29. ad Fratres in eremo: [Non ſolùm eſt lingua doloſa
„ illa, quæ ſeminat inter fratres diſcordias, quæ
„ ſuſcitat lites, quæ incitat furores, quæ etiam
„ conventus conturbat: ſed etiam illam dolo-
„ ſam linguam dicimus, quæ te laudare adu-
„ lando procurat, dicens in facie te eſſe, quod
„ non es. A talibus Deum deprecari debemus,
„ ut nos liberet, & ut mortem fugere debemus,
„ quia adulatores ſunt, quia mendacia diligunt,
„ & faciunt, quia falſitatis ſunt inventores, quia
„ diaboli fratres, quia veritatis deſtructores,
„ quia puritatis deviatores, quia odiorum in-
„ ventores, quia diaboli jaculatores, quia ſa-
„ tanæ mediatores, quia Dei perſecutores, quia
„ animarum invectores, & omnium malorum
„ inventores, mel in ore portantes, & vene-
„ num aſpidum inſanabile in corda hominum
„ conſpuentes.]

CAPUT III.

De Simulatione.

CÆTERÙM quoniam adulatorem dictum eſt fictum eſſe, ac ſimulatum hominem, cum adulatione de ſimulatione quoque oportet dicere. Peſſimum, ac damnoſiſſimum vitium ſimulationem eſſe, declaravi ſatis cap. 1. Virtus autem eſt ſimplex, ſincera, & aperta; & ut ſcripſit S. Ambr. in 2. libro de offic. cap. 22. Nihil ſimulatum, aut fictum veræ virtutis eſſe certum eſt. Et lib. 3. cap. 4. [Qui in ſta-
„ dio currunt, celeritate, non fraude, conten-
„ dunt, curſu ad victoriam properant, ſupplan-
„ tare autem alterum, aut manu deijcere non
„ auſint: quantò magis in hoc curſu vitæ iſtius
„ ſine fraude alterius; aut circumſcriptione
„ quærenda nobis victoria eſt?] Et S. Chryſ. h. 11. in priorem ep. ad Tim. [Nihil fermè
„ nos à ſpirituali nobilitate ita degenerare fa-
„ cit, ut fraus, atque dolus, nihilque in Eccleſia
„ nocet magis, quàm verſuta ſimulatio. Veri-
„ tas Eccleſiæ & columna, & firmamentum
„ eſt:] Et in libro primo de compunctione cordis. [Puritas, & veritas eſt, quæ placet
„ Deo: reſpuit autem, & odit omne quod ſi-
„ mulatur, & fingitur.] Et hom. 9. operis imperfecti: [Si Chriſtianus es, aut quod loqueris,
„ hoc cogita, aut quod cogitas, hoc loquere.] Parum abfuit aliquando, quin S. Baſilius, ut ipſemet ſcribit in ep. 82. ad Patrophilum, odium ergà humanum genus exorbitâſſet, ſuſpectoſque haberet omnes homines, arbitratus in natura humana non eſſe charitatis bonum; ſed verba quædam plauſibilia ad ornatum, & cultum eorum, quibus uti velis, conficta; affectum verò illorum ſecundùm veritatem non ineſſe cordi humano. Tantam ſuo tempore calliditatem, & ſimulationem videbat. Sanè callida ſimulatio eſt, & ſimulatores callidi. Undè cùm Job cap. 36. diceret: Simulatores, & callidi provocant iram Dei; [Cùm
„ ſimulatores diceret, inquit Sanctus Grego-
„ rius lib. 26. mor. cap. 23. aptè ſubjunxit, &
„ callidi, quia niſi ingenio calleant, quod vi-
„ dêri appetunt, congruè ſimulare non poſ-
„ ſunt.] Vulpem norunt omnes callidum, aſtutum, & ſimulatum animal eſſe, hocque dupli- *Vulpes ſimulatas*
cem hominem, callidum, ac ſimulatum ſignificari, verè dixit S. Greg. Nazian. or. 2. de Theologia. [Vulpes, inquit, hoc eſt verſuta
„ anima, fideque dubia prædita, ac pro tempo-
„ rum varietate alia, atque alia, novamque ſub-
„ indè, ut id rebus ſuis conducere arbitratur,
„ formam aſſumens.]

Cancrùm

Cancer, & Polypus. Cancrum & polypum callidi, & ſimulati hominis ſymbola dixit eſſe S. Baſilius h. 7. in Exameron, & orat. de invidia, & odio. Ut enim cancer, ſi oſtream valvulas ſuas ad ſolis radios aperuiſſe deprehenderit, clam injecto calculo concluſionem illi prohibet, ita ſunt illi, qui cum dolo fratrem adire ſolent, quique ex inſidijs aliorum inſultant calamitatibus: & ut polypus ſaxi colorem, ſi ſaxo adhæreat, ſubit, & nantes ad ſe decipit piſces, ſic tales ſunt, qui ſeſe omnibus accommodant, alijque & diverſi facilè fiunt.

Anguis. Sed & anguem adjungit, qui varios obtinet mores, ideoque addictus, ut reptet humi. Juſtus fictione caret, ut Jacob: quare Dominus habitare facit unius moris in domo. Et in com. ad cap. 4. Iſaiæ, purpuram quoque vult notam *Purpura.* præſeferre impoſturæ, & doli, ut quæ supernè tegit nativum colorem, intimum verò, ac proprium florem ijs ſpectandum præfert, qui in ſpeciem ſunt exporrecta fronte alacres, in intimo verò cordis receſſu conceptam obumbrant nequitiam; quare ſcriptura non admittit, ſed à ſe abdicat veſtes, quæ ſint purpura circumtectæ. S. Gregorius Nyſſenus in libro de beatitudinibus, orat. 7. tractans illud: Beati pacifici, cum ſimulatione invidiam conjungens, ſimulatoremque ſimul invidum etiam faciens, invidiam, & ſimulationem cum ira comparat, multòque vult gravius eſſe vitium, quantò occultum malum aperto atrocius eſt. *Canis.* Nam & ex canibus eos magis cavemus, quorum neque latratus iram præſignificat, neque ex adverſo incurſus eſt; ſed miti, & manſueto habitu nos obſervant. Ita enim invidus, & ſimulator intrinſecùs in profundo cordis odium velut ignis quidam latenter fumigat. Externus verò vultus ad amicitiæ ſimulationem effingitur. Ut autem ignis ſub paleis occultatus proxima quidem corrumpit; ſed flamma palam non editur, ſed gravis fumus, & acris odor: Si verò flatus accedat, aperta fit flamma. Sic invidia cor abſumit, & morbus præ pudore occultatur, non ita tamen, ut acerbitatis fumus non ſentiatur, quòd ſi quæ calamitas eum, cui invidetur, invaſerit, voluptas & lætitia morbum prodit.

Atenim ſi hominem homo ſimulator decipit, Deum non decipit. Ita loquitur S. Hilarius cano. 22. in Matthæum. [In fallendis, inquit, hominibus plurimum artis ſolet habêre ſimulatio: quæ ſi nos vel ſecreto mentis alienæ, vel ſimplicitate judicij noſtri fefellerit; tamen Deum latêre non poteſt.] Et S. Cyrillus Hieroſolymitanus catecheſi 1. illuminatorum; [Cave ſimulatam mentem habêre, ô homo, propter illum, qui ſcrutatur corda, & renes, ſicut qui milites ſunt conſcripturi, & ætatem, & corpora diligenter excutiunt; ſic Dominus delectum faciens animarum voluntates illatum ſcrutatur, &, ſi quam ſimulationem viderit occultatam, reijcit hominem, tanquàm ad veram illius militiam non idoneum.] De his nunc ſatis; nam alio jam facto principio rurſum dicendum erit.

DE HYPOCRISI.

LIBER XXXIV.

CAPUT I.

Hypocriſis quid.

HYPOCRISIS ſimulatio quædam eſt, & Hypocrita ſimulator. Simulatio, inquam, & ſimulator virtutis, & ſanctitatis, quæ illi non adeſt. *Hypocriſis ſimulatio.* [Quid enim eſt hypocriſis, inquit S. Petrus Chryſol. in ſer. 172. niſi ſpecies arte compoſita, quæ aliud in re agit, aliud promit in vultu?] S. Aug. ſer. 59. de tempore, hypocritam græco ſermone, latino ſimulatorem interpretatur, quia cùm intùs malus ſit, bonum ſe palàm oſtendit. ὑπὸ enim falſum, *Vnde dicta.* κρίσις verò judicium ſonat. Quod nomen tranſlatum eſt à ſpecie eorum, qui in ſpectaculis tecta facie, ſeu mutata veſte incedunt, ut populum fallant, modò in ſpecie viri, modò in forma fœminæ. Indè tranſlatum nomen eſt ad eos, qui falsò incedunt vultu, & ſimulant, quod non ſunt; & rursùm in 2. libro de ſer. Domini in monte cap. 2. [Hypocritæ ſunt ſimulatores, velut pronuntiatores perſonarum alienarum in theatricis fabulis.] Et cap. 19. [Hypocritæ tegunt ſub perſona, quod ſunt, & oſtentant in perſona, quod non ſunt.] S. Baſilius apertis verbis hiſtrionem appellavit. Sic enim dixit in or. de laudibus jejunij. [Hypocrita eſt velut hiſtrio, qui in theatro perſonam ſuſtinet alienam; verbi causâ Domini, cùm ſit ſervus; Regis, cùm ſit privatus: ita hypocrita vitam ſuam, velut è proſcenio ad oſtentationem componit.] *Hypocrita hiſtrio.*

S. Gregorius Papa libro 15. mor. cap. 4. hypocritam ſcripſit eſſe velut phantaſma, & ſomnium; nam cùm dixiſſet Sophar Naamathites

Digitized by Google

thites de hypocrita. Velut ſomnium avolans
Iob 20. non invenietur; tranſiet, ſicut viſio nocturna.
„ [Quid eſt, inquit Gregorius, vita hypocritæ,
„ niſi quædam viſio phantaſmatis, quæ hoc
„ oſtendit in imagine, quod non habet ex ve-
„ ritate? Undè rectè quoque ſomnio compa-
„ ratur. Sæpè namque in nocturna viſione non-
„ nulli pauperes factos ſe divites admirantur,
„ deferri ſibi honores aſpiciunt, divitiarum
„ moles obſequentium multitudinem, pulchri-
„ tudinem veſtium, abundantiam ciborum ſi-
„ bi adeſſe conſiderant: ſed repente cùm evigi-
„ lant, inveniunt, quàm falſum ſit, quod gau-
„ debant. Sic hypocritarum mentes dum aliud
„ eſt, quod agunt, aliud, quod hominibus oſten-
„ dunt, laudes de ipſa ſanctitatis oſtentatione
„ recipiunt.] Sed inter hæc occulta vocationis hora ſubrepit, & vident, quia virtutum æſtimatione divites in ſomnis fuerunt. Verè quidquid eſt in hypocrita; fictum eſt, ſimulatum eſt, apparens eſt, non verum, ac ſolidum. [Men-
„ daciter orant, cùm non orent, ait S. Chryſ.
„ h. 13. operis imperfecti, & mendaciter lau-
„ dantur, cùm non ſint laudabiles; ſpeciem
„ vacuam religionis vendunt; & verbum va-
„ cuum laudis emunt.]

Sepulchrum dealbatum hypocrita. Jure optimo, & ſapientiſſimè Chriſtus Dominus noſter Phariſæorum hypocriſim, fictamque religionem dealbatis ſepulchris comparavit, quæ à foris parent hominibus ſpecioſa, intùs verò plena ſunt oſſibus mortuorum, & omni ſpurcitia, Matt. 23. Quâ de re S. Juſtinus q. 28. ad Gentes. Quod de hypocritis veriſſimè dici poteſt, qui bona exteriùs coram hominibus faciunt, & mala, quæ agunt abſcondunt. Quos ſapienter, & multis admonet S. Greg. in 3. parte Paſtor. curæ admonitione 36. S. Auguſt. in com. Pſalmi 95. parietem dealbatum dicit: [Quanta minatur
„ Deus parieti dealbato, ſunt teſtimonia Pro-
Paries dealbatus hypocrita. „ phetarum innumera: quid eſt paries dealba-
„ tus, niſi hypocriſis, id eſt ſimulatio; foris lu-
„ cet intùs lutum eſt.] De his dici poteſt, & illud Gen. 27. Vox quidem vox Jacob eſt, manus autem, manus ſunt Eſau; verba bona, & ad decipiendum compoſita, ſed opera mala. Philo Judæus q. 66. in Geneſim. [Non vo-
„ cem, inquit, quamlibet; ſed eam laudat, quæ
„ profeſſa eſt auctoris eſſe emolumenta bono-
„ rum. Manus autem poſſunt eſſe indocti ad
„ effecturam. Multa enim tentant officioſè
„ agere, non ex integritate cordis, ſed ut cap-
„ tata opportunitate quoſdam ampliùs deci-
„ piant. Undè & ſubditur; & non cognovit
„ eum, quia piloſæ manus ſimilitudinem ma-
„ joris expreſſerant.] Poſſunt enim aliquoties ſimiliter benefacere, & boni & pravi; illi perfectè bonum, iſti deſponſando ſibi fraudis momenta, q. 67.

Sed appoſitè S. Gregorius h. 10. in Evangelia, in Herode fictè, & ſimulatè Chriſtum natum quærente, hypocritas hoſce ſignificatos fuiſſe putavit, qui dum fictè quærunt, invenire Dominum numquam merentur. *Herodes hypocrita.* Furti eos accuſat idem Greg. lib. 15. moral. cap. 8. quoniam laudem bonorum furantur, cùm ipſi ſint mali. [Hypocrita, inquit, fur, quia per
„ hoc, quod juſta loquitur, laudem ſibi vitæ
„ juſtorum rapit.] Et lib. 18. cap. 7. [Hypo- *Hypocritæ fures.*
„ crita juſtus eſſe non appetit, ſed videri; &
„ ideò avarus raptor, quia dùm iniquè agens
„ deſiderat de ſanctitate venerari, laudem vitæ
„ rapit alienæ.] Itaque hoc omninò inter Sanctos, & hypocritas aſſerit intereſſe; quod hypocritarum ſtudium eſſe ſolet, ut quod ſunt, ſupprimant, & hoc, quod non ſunt, eſſe hominibus innoteſcant; refugiunt videri, quod ſunt, & antè oculos hominum ſuperducta quadam innocentiæ honeſtate ſe veſtiunt. *Sancti, & hypocritæ differentia.* Quo contrà omnes Sancti non ſolùm gloriam ſuprà modum ſuum omninò non appetunt, ſed etiam hoc ipſum videri refugiunt, quod eſſe meruerunt. Inter hos dum vivunt Sancti, & boni ſervi Dei, verè cum Job cap. 30. dolentes dicere poſſunt; Frater fui draconum, & ſocius ſtruthionum. *Hypocrita ſtruthio.* [Quid enim draconum nomine, inquit
„ Greg. lib. 20. cap. 29. niſi malitioſorum ho-
„ minum vita ſignificatur? Qui autem ſtru-
„ thionum appellatione intelligi, niſi ſimulato-
„ res ſolent? Struthio enim pennas habet, &
„ volatum non habet: quia ſimulatores quique
„ ſpeciem ſanctitatis habent, ſed virtutem ſan-
„ ctitatis non habent. Viſio quippè eos bonæ
„ actionis decorat, ſed à terra minimè penna
„ virtutis levat.] Et rursùm libro 31. cap. 5.
„ [Struthio alas quaſi ad volatum ſpecie tenus
„ erigit, ſed numquam ſe à terra volando ſuſ-
„ pendit. Ità ſunt omnes hypocritæ; qui dum
„ bonorum vitam ſimulant, imitationem ſan-
„ ctæ converſationis habent, ſed veritatem ſan-
„ ctæ actionis non habent. Habent volandi
„ pennas per ſpeciem, ſed in terra repunt per
„ actionem, quia alas per figuram ſanctitatis
„ extendunt, ſed curarum ſæcularium pondere
„ prægravati, nullatenùs à terra ſublevantur.]

Pardis quoque ſimiles eſſe eos voluit in Com. Cant. cap. 4. Et Tigribus lib. 5. mor. cap. 16. *Pardus & Tigris.* ut enim pardi, ſeu tigres maculas in cute portant, ſic hypocritæ vitijs ſuis aliquas virtutes admiſcère conantur. De his quoque S. Ber. ſer. 59. in Cant. interpretatur illud: Fi- *Cant. 2.* cus protulit groſſos ſuos; Bonarum enim ficuum ſpeciem, ac ſimilitudinem habent groſſi, non ſaporem, neque eſui apti ſunt. Et hypocrita ſpeciem virtutis habet, maturitatem, ac ſaporem non habet.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT II.

Hypocritam laudis appetentem eſſe.

SED arrogantiæ plurimum in hypocriſi agnoſcit Philo Judæus in libro de profugis. Nam de Monachis, & contrà Monachos, velut hypocritas, immeritò ſanè loquens, ita ſcribit. [Arrogantia eſt iſta, non contemptus, ſordidatos, & triſtes durè, tetricèque vitam ſuſtentare, atque ita ineſcare homines vendicando ſe pro honeſtatis, frugalitatis, patientiæque amatoribus.] Et non multò pòſt, fucatos hiſtriones appellat. Humanam laudem maximè affectant hypocritæ, & illorum primam potentiam ſimulatam laudationem eſſe, dixit S. Chryſ. h. 42. operis imperf. Itaque adulator quoque aliorum eſt hypocrita: ſed & ipſe laudari vult. Undè verba illa S. Leonis Papæ in ſer. 7. de jejunio 7. menſis. [Propter laudis humanæ cupiditatem juſtitiæ ſpecies plerumque prætenditur, & ubi nulla eſt cura conſcientiæ, amatur falſitas famæ: ut iniquitas, quæ occultatione arguitur, mendacij opinione lætetur.] Hanc hypocritæ quaſi tigridis prædam eſſe, quâ deficiente pereat tigris, affirmat S. Greg. lib. 5. mor. cap. 16. Nam cùm Job. 4. diceretur: Tigris perijt, quòd non haberet prædam: [Omnis hypocrita, inquit ille, tigris eſt, quia dum mundus color de ſimulatione ducitur, vitiorum nigredine interrumpente variatur.] Quæ videlicet tigris rapit prædam, quia humani ſibi favoris uſurpat gloriam. Sed varietas ſimulationis extinguitur, ſi & adulatio laudis auferatur. Nunquid enim, ut cap. 8. dicitur, virêre poteſt ſcirpus abſque humore, aut creſcere carectum ſine aqua? ita nec hypocrita ſine humano favore, ac laude. Quamquàm Greg. lib. 8. c. 24. ſcirpi, & carecti nomine hypocritam intelligens, aliter eum locum interpretatur; hypocritarum quidem vitam ad bona opera infuſionem ſuperni muneris percipere; ſed dum in cunctis, quæ agunt, exteriores laudes appetunt, à fructu perceptæ infuſionis inaneſcere, quoniam à largitore munerum cogitationis internè diviſi ſunt, neq; per ejus dona gloriam illius, ſed proprios favores quærunt, atque operis ſterilitate aridi permanentes, ſolo ſanctitatis colore videſcunt. Undè in Pſal. 128. David pronuntiat; Fiant ſicut fœnum tectorum. Fœnum namque ædificij in alto naſcitur, ſed nequaquam pingui radice ſolidatur, & hypocrita ſumma quidem agere cernitur, ſed non in eis ex cordis puritate roboratur. Et ideò, ut loquitur Job: Antè omnes herbas areſcit, quia juſtorum quidem etiam opera cum carnis vita deficiunt, ſed herbarum ariditatem ſcirpus prævenit, quia priùſquam de carne hypocrita tranſeat, ea, quæ in ſe oſtenderat, virtutum facta derelinquit.

CAPUT III.

Hypocriſis antiquum, & commune malum.

SIMUL cum naſcente mundo nata eſt hypocriſis, ſimul cum illo adolevit, & ſimul cum illo peribit. Ut non ſit mirum, ſi illius maculam non habêre, aut paucorum, aut nullorum eſſe, dixerit S. Aug. ſer. 59. de tempore. Nam quicunque vult ſe videri, quod non eſt, hypocrita eſt. Vel ut loquitur S. Hieron. ad cap. 6. Matthæi, qui quidlibet facit, ut ab hominibus glorificetur. At quis eſt ab hac macula mundus? Primus hypocrita fuit diabolus, ſecundus primus homo Adam cæterorum omnium parens, & omnes illius hæredes ſunt. [Hypocriſis, ait S. Bernard. ſer. 82. in Cant. initium traxit à diabolo, qui ſerpentis formam induit, & à primis parentibus cùm nuditatem tegere conarentur, & umbra frondoſi ligni, & frondium ſuccintorijs. Quàm latè ex tunc, & deinceps omnem poſteritatem hæreditariam hypocriſis virus infecit! Quem dabis de filijs Adam, qui quod eſt, non dico velit, ſed vel patiatur vidêri?] Diabolum S. Gregorius lib. 33. mor. c. 22. tractans illa verba: Quis revelabit faciem indumenti ejus? cum pijs eum, & religioſis mentibus hypocriſi ſemper uti affirmat, cum iniquis apertè agere. [Leviathan, inquit, aliter religioſas hominum mentes, aliter verò huic mundo deditas tentat: nam pravis mala, quæ deſiderant, apertè objicit; bonis autem latenter inſidians, ſub ſpecie ſanctitatis illudit. Illis velut familiaribus ſuis iniquum ſe manifeſtiùs inſinuat: iſtis verò velut extraneis cujuſdam, quaſi honeſtatis prætextu ſe palliat, ut mala, quæ eis publicè non valet, tecta bonæ actionis velamine ſubintromittat.] Hunc membra ejus imitari ſubjungit. Nam cùm aperta nequitia nocêre non poſſunt, bonæ actionis habitum ſumunt, & prava quidem opere exhibent, ſed ſancta ſpecie mentiuntur. Iniqui enim ſi apertè mali eſſent, à bonis recipi omninò non poſſent; ſed ſumunt aliquid de viſione bonorum, ut dum boni viri in eis recipiunt ſpeciem, quam amant, permiſtum ſumant etiam virus, quod vitant. Undè Paulus Satanam dixit ſe transfigurare in Angelum lucis. [Etſi diabolus, addit S. Dorotheus in ſer. 9. de mendacio, transfigurat ſe in Angelum lucis, non eſt mirum, ſi miniſtri ejus transforment ſe in miniſtros juſtitiæ.]

Diabolus primus hypocrita.

Eum homines imitantur.

Digitized by Google

CAPUT IV.

Hypocritæ impij & pernicioſi.

Pernicioſi. IMPIUM prorsùs, ac pernicioſum hominum genus. Pernicioſum, quia ſub ſpecie virtutis vitio famulantur, & nequitiam introducunt. [Nulla res, ait S. Chryſ. h. 19. operis ,, imperfecti, ſic exterminat bonum, quemadmodùm ſimulatum bonum. Nam manifeſtum malum, quaſi malum fugitur, & cavetur; malum autem ſub ſpecie boni celatum, ,, dum non cognoſcitur, non cavetur, ſed quaſi ,, bonum ſuſcipitur, & ideò conjunctum bono ,, exterminat bonum.] Impium verò; quoniàm in comparatione duorum malorum, ut ratiocinatur S. Hieron. ad caput 16. Iſaiæ. Levius malum eſt apertè peccare, quàm ſimulare, & fingere ſanctitatem. Et S. Bernardus in apologia ad Gullielmum Abbatem, meritò quærit: quis magis impius, profitensne impietatem, an mentiens ſanctitatem? Et reſpondet, nonnè is, qui etiam mendacium addens geminat impietatem? Eò magis periculoſum, impium, & pernicioſum, quòd nullius emendationis ſpes eſt. Quippè tumidi, & ſuperbi correctionem nullam admittunt. S. Gregorius loco antè ſignificato, de ſcirpo agens, & carecto; cùm diceret Job cap. 8. Cùm adhuc ſit in flore, nec carpatur manu. [Scirpus, inquit, in ,, flore, eſt hypocrita in laude: acutis verò angulis ſurgens carectum manu non carpitur, ,, quia exaſperatis per arrogantiam ſenſibus, de ,, pravitate ſua hypocrita corripi dedignatur. ,, Sanctus namque eſſe non appetit, ſed vocari: & cùm fortaſsè corripitur, quaſi in opinionis gloria detruncatur. Deprehenſum ſe ,, in pravitate iraſcitur, loqui ſibi redarguentem ,, prohibet, quia velut in occulto vulnere tactus dolet. Qualis imperitis innotuit, talis ,, vult ab omnibus æſtimari, & paratior eſt mori, quàm corripi. Redargutione deterior ,, redditur, quia quaſi diræ percuſſionis æſtimat jaculum, puritatis verbum. Undè exaſperatus protinùs in contumelias ſurgit, &, ,, quæ mala exaggeret contrà vitam correptoris, inquirit. Demonſtrare longè incomparabiliter reum reprehenſorem ſuum deſiderat, ,, ut innocentem ſe, non ſuis actibus, ſed alienis criminibus oſtendat: ita ut ſæpè homo ,, redargutionis aliquid ſe dixiſſe pœniteat, & ,, quaſi à carpentis manu, ſic à corripientis animo quidam, ut ità dixerim, ſanguis mœroris currat.]

Impij.

CAPUT V.

Caſtigandos eſſe Hypocritas.

PUNIENDUM maximè, & graviter caſtigandum eſſe hoc vitium, admonuit Sanctus Chryſ. in h. 74. in Matth. his verbis: [Omnes, qui perperam agunt, ſupplicio digni ,, ſunt: qui verò ſimulatione bonitatis ad improbitatem tendit, multò graviori pœna omninò afficiendus.] Et S. Baſilius ep. 76. [Duplo puniendus eſt, qui prætextu boni, quod ,, malum eſt, facit, tum quòd operatur, quod ,, bonum non eſt, tum quòd ad perficiendum ,, peccatum bono utitur coöperario.] Quamquàm S. Nazian. in Monachos hypocritas ſcribens, ipſummet hypocritam, dum bona ſimulato animo facit, dignas prorsùs ſimulationis ſuæ pœnas vult luere, nam de jejunio loquens: ,, [Si quis ait, eſt, qui ſimulatè tantùm, & non ,, ex animo hoc faciat, & carnem ſuam jejunijs ,, maceret, mihi quoque non diſplicet, cum ad ,, hunc modum ſeſe excruciare, ut impoſturæ ,, ſuæ pœnas luat.] Sapienter verò eos ita convenit S. Chryſ. h. 45. operis imperfecti. [Dicito mihi hypocrita; ſi bonum eſt eſſe bonum, ut quid non vis eſſe, quod vis apparêre? Si verò malum eſt eſſe malum, ut quid ,, vis eſſe, quod non vis apparêre? Nam quod ,, turpe eſt apparêre, turpius eſt eſſe, quod autem formoſum eſt apparêre, formoſius eſt ,, eſſe; ergò aut eſto, quod appares, aut appare, ,, quod es.] Et S. Petrus Chryſologus ſer. 7. in illud Matthæi; Cùm jejunatis, nolite fieri &c. ,, [Hypocrita, ſit licèt tibi facies inculta, neglecta cutis, triſtis vultus, exterminatus aſpectus; nec ab hominibus inveniſti laudem, ,, & apud Deum fructum jejunij perdidiſti. ,, Hypocrita, elaborâſti jejunijs, ut labor tibi ,, jejunij non prodeſſet, in ipſo jejunij portu ,, naufragâſti.] Et antè de hypocriſi dixerat; ,, [Hypocriſis ſubtile malum, ſecretum virus, ,, venenum latens, virtutum fucus, tinea ſanctitatis.] Et paulò pòſt: [Hypocriſis ſecura ,, ſimulat, fallit proſpera, curioſa mentitur, & ,, crudeli arte virtutes truncat mucrone virtutum. Jejunium jejunio perimit, oratione orationem evacuat, miſericordiam miſeratione ,, proſternit. Hypocriſis cognata febris frigido ,, poculo propinat ardorem. Quod corporibus ,, eſt hydrops, hypocriſis animabus: hoc eſt, ,, hydrops bibendo ſitit, hypocriſis inebriata ,, ſitit.] Et iterùm de hypocriſi ait: [Fugiendum eſt virus, peſtilentia cavenda: quæ de ,, remedijs creat morbos, conficit de medicina ,, languorem, ſanctitatem vertit in crimen, placationem facit reatum, generat de propitiatione diſcrimen.]

Hypocriſis malum.

DE AMBITIONE.

LIBER XXXV.

CAPUT I.

Ambitionis malum.

Adulator Hypocrita.

ADULATIONEM, ſimulationem, & hypocriſim plurimam, habet humanæ gloriæ, honoris, ac dignitatis mundanæ ambitio, eſtque ambitioſus omnis adulator, ſimulator, & hypocrita, quod ignorat nemo. Sed verè ut ratiocinatur S. Jo. Chryſ. in h. 10. in ep. ad Epheſ. ,, [Si communia ſunt omnia, & alius præ alio ,, nihil habet ampliùs, undè eſt arrogantiæ cauſa ? Ejuſdem naturæ, ejuſdem animæ pariter, ,, & corporis participes, eundem ſpiramus aerem, iiſdem utimur alimentis, undè igitur irrepit elatio ?] Et infrà; [Hoc eſt, quod ſurſùm, ac deorſum verſavit, & turbavit omnia, ,, & non ſolùm terrarum orbem, ſed etiam Eccleſiam innumeris malis opplevit. Et quemadmodùm in portum tranquillum irruentes ,, è contrario feroces venti, quovis illum turbine, ac freto periculoſiùs reddunt, ita ſubingreſſa gloriæ cupido ſubvertit omnia, & confundit.] Addit & incendium domûs, aut civitatis cujuſpiam, quo longa oratione demonſtrat Eccleſiæ univerſæ incendium ex ambitione excitatum. [Animus honoris cupiditate flagrans (inquit S. Greg. Naz. de vitę differentijs ,, loquens) venenum omnium graviſſimum, venenum ſanè peſtiferum, ac præſentiſſimum.]

Ambitio mali.

Porrò hominem rationalem factum ad imaginem ſuam, ut loquitur S. Aug. libro 19. de civitate Dei cap. 15. noluit Deus niſi irrationalibus dominari, non hominem homini, ſed hominem pecori. [Dominetur, inquit, Gen. ,, 1. piſcibus maris, & volatilibus cœli, & omnibus, quæ raptant ſuper terram. Indè primi juſti paſtores pecorum magis, quàm reges ,, hominum conſtituti ſunt : ut etiam ſic inſinuaret Deus, quid poſtularet ordo creaturarum, & quid exigat meritum peccatorum. ,, Conditio quippè ſervitutis jure intelligitur ,, impoſita peccatori. Nomen iſtud culpa meruit, non natura.] S. Hilarius can. 3. in Matthæum, omnem ſæculi honorem diaboli negotium eſſe pronuntiavit. Hac etenim arte primum aggreſſus eſt hominem, divinum illi honorem offerens; Eritis ſicut Dij. Hac etiam Chriſtum Dominum in deſerto, & quidem tertio, ac poſtremo loco convenit: ut quem nec gulâ, nec inani gloriâ potuit ſuperare, honoris ambitione, velut omnium validiſſimo telo proſterneret; Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me.

CAPUT II.

De inſito homini gloria, honoriſque appetitu.

AVARITIA quidem certè, ac divitiarum cupido importuna eſt, & permoleſta nobis; ſed multò magis ambitio, atque honoris, dominandique appetitus. Quod & confirmat S. Chryſ. h. 43. ad populum his verbis : [Excœcat mentis intuitum præſertim gloriæ furor. Nam pecunias contemnere volenti ſatis ,, eſt facile ; honorem autem à multis collatum deſpicere, multi laboris indiget, magnæ ,, ſapientiæ, angelicæ cujuſdam animæ ipſum ,, cœleſtis teſtidinis verticem tangentis.] Atq; ex eo manifeſtum eſt, quod & pecunias, & divitias ſæpè profundimus, ut concupitos conſequamur honores, ac dignitates. Nam tempore quoque Chryſoſtomi id factitatum fuiſſe, ex pluribus ejus locis licet cognoſcere. In hom. 15. in poſteriorem ep. ad Cor. ita loquebatur : ,, [Non eſt principatus iſte (nempè Epiſcopatus) ejus, qui plures pecunias dederit, ſed ,, qui maximas virtutes declaraverit; neq; quaſi ad humanam gloriam, & ad ſuam quietem; ,, ſed quaſi ad labores, & ſudores, & multorum ,, utilitatem.] Et hom. 16. ad populum ; [Illi ,, principatus non penitùs ſunt animi virtutis ,, demonſtrationes : pecunijs enim ſunt venales, & amicorum vendicantur aſſentationibus.] Immò de Epiſcopatu quoq; idem affirmat in h. 6. in ep. ad Epheſ. [Venales, inquit, ,, facti ſunt principatus (hoc eſt Epiſcopatus) ,, mille hinc mala naſcuntur ; & tamen nemo ,, eſt, qui corrigat, nemo, qui reprehendat, ſed ,, viam quandam, atque ſequelam nacta eſt ,, hæc merces.]

Sed ambitioſorum hominum miſeriam ſummam in ſe ipſo deplorat S. Aug. in 6. ſuarum confeſs. lib. cap. 6. exemplo adducto mendici hominis, quem Mediolani vidit pauculis emendicatis nummulis jocantem in vico, & exultantem, dum ille cupiditatum ſuarum ſtimulis agitatus infœlicitatis ſuæ trahebat ſarcinam, ad ſecuram quærens pervenire lætitiam, ad quam mendicus ille jam præceſſiſſet. Sanè de illo ſuſpicatum aliquando fuiſſe Secundinum ; ipſum à Manichæis receſſiſſe cupiditate honoris, ac dignitatis Epiſcopalis, quam inter catholicos poſteà

Digitized by Google

poſteà eſt adeptus, legimus in libro contrà ipſum cap. 1. Inexplebilem autem hanc, atque inſatiabilem humani pectoris ſitim magnoperè miratur, atque exaggerat S. Cyprianus in libro de operibus cardinalibus: [Undè, inquit, hæc ,, ſitis divitiarum miſeris pectoribus aſſidet, & ,, ambitionis ſalſugo bibulam animam occu- ,, pat, ut per fas, & nefas ad loca ſuperiora, etiam ,, de latebris eremi nonnulli ſe ingerant: & de ,, omni gradu, ubi aliquis aditus patet, anheli ,, prodeant, diſcurrant ad judices, blandiantur ,, mediatoribus, conducant auxiliarios, & mo- ,, dis omnibus elaborent, ut ſedeant cum Prin- ,, cipibus, eo quæſtu, ut maledicat Deus, quod ,, ipſi benedixerint, & benedicat, quod male- ,, dixerint.]

CAPUT III.

Diabolica ſuperbia ambitio.

DIABOLICA prorsùs hæc eſt ſuperbia. Nam & ille exaltare voluit ſolium ſuum, & ſimilis eſſe Altiſſimo. Atque hoc ipſum homini conatus eſt perſuadêre, cùm dixit: Eritis ſicut Dij, & nunc etiam ſemper conatur. Sanctus Baſilius in conſtit. Monaſt. cap. 10. dum Monachum docet alienum ab omni ambitione, ac dominandi cupiditate eſſe oportêre, quantaque ſecum mala adducat ambitio: [Diabolica, ,, inquit, peſtis eſt iſta, & inſigne primæ illius ,, diaboli pravitatis indicium: quique in hujuſ- ,, modi vitij poteſtate eſt, is eodem planè cum ,, diabolo malo laborat.] Et S. Auguſtinus lib. 1. de doctrina chriſtiana cap. 23. [Cum ijs, qui ,, naturaliter ſibi pares ſunt, hoc eſt, hominibus, ,, dominari affectat, intollerabilis omninò ſu- ,, perbia eſt.] Et lib. 13. de Trinitate cap. 13. ,, [Diabolus vitio perverſitatis ſuæ factus eſt ,, amator potentiæ, & deſertor, impugnator- ,, que juſtitiæ. Sic & homines eum tantò ma- ,, gis imitantur, quantò magis neglectâ, vel ,, etiam perosâ juſtitiâ, potentiæ ſtudent, ejuſ- ,, que vel adeptione lætantur, vel inflamman- ,, tur cupiditate. Teneant mortales juſtitiam, ,, potentia immortalibus debetur.]

Gen. 3.

Verùm eò etiam magis diabolica ſuperbia eſt, quòd humilitatis pallio ſe occultare ſtudet, nè apertam faciem oſtentans, exhibiletur ab omnibus. Ergò ut ex verbis illis diaboli tentatoris Matth. 4. Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me; collegit Sanctus Ambroſius in ſer. 12. in Pſalmum 118. [Antè ipſe ſub- ,, ijcitur, qui alios vult habêre ſubjectos.] Et lib. 4. in Lucam, dùm de illa ipſa loquitur tentatione: [Ambitio, inquit, ut dominetur alijs, ,, priùs ſervit; curvatur obſequio, ut honore do- ,, netur, & dùm vult eſſe ſublimior, fit dimiſſi- ,, or.] Et S. Chryſ. h. 49. ad populum: [Omni- ,, bus ſervis magis eſt ſervus gloriæ cupidus. ,, Hanc verò peſſumdans omnibus eſt ſupe- ,, rior.]

Ambitio humilis.

CAPUT IV.

Ambitio ſimulata eſt, & cœca.

OMNINÒ ſimulat ambitioſus omnis, ſuamque dominandi cupiditatem vult eſſe occultam. Pudet enim apertam prodere frontem, quia ſi proderet, ad optatum non pertingeret finem. [Ambitio, inquit S. Bern. in ep. 126. ,, ad Epiſcopos Aquitaniæ, cùm prorumpit in ,, impudentiam, efficaciam perdit. & cùm im- ,, probus affectus ſe aperit, perit effectus. Am- ,, bitio mater hypocriſis latebras amat, & tene- ,, bras, lucis impatiens eſt. Ambitio ſpurcum ,, vitium in imo jacet, videt omne ſublime, ſed ,, vidêri ipſa refugit: optato namque neceſſe ,, eſt careat, niſi caveat arbitros. Quò enim ,, gloria plus affectatur, eò minùs apprehen- ,, ditur, ubi deprehenditur affectari. Quid de- ,, nique tam inglorium, quàm gloriæ cupidum ,, deprehendi?] Sapienter, ut cætera, dixit illud S. Nazian. in tr. de vitæ differentijs: [Non ,, eſt canæ ſenectutis meæ luſitare, turpiterque ,, ob thronos me in ſervitutem dare:] At nec floridæ juventutis eſt. Inglorium, & pudendum omnibus eſt. Sed verè S. Gregor. Papa libro 2. in 1. Regum cap. 1. terrenas dignitates affirmavit eſſe pulverem. Nam mentem, quam blandiendo ſordidant, non ſolùm à veris ſplendoribus, ut ipſe loquitur, cœcant, ſed etiam rectæ rationis judicium ita obſcurant, ut vitij hujus turpitudinem non videat.

Cœcus etiam in eo eſt ambitioſus, quòd nihil eſt, quod non tentet, ut ſuæ ſatisfaciat cupiditati, nihil, quod non aggrediatur. S. Auguſt. in 3. libro de civit. Dei cap. 6. libidinem hanc dominandi magnis omninò malis ſcripſit agitare, atque conterrere genus humanum, cauſamque fuiſſe bellorum omnium, quæ à Romanis olim fuêre geſta. Et S. Joannis Chryſoſtomi ſententia in homilia 30. in Gen. [Hoc ,, eſt, quod humanum genus potiſſimùm per- ,, dit: quia non vult naturæ ſuæ menſuram ,, agnoſcere, ſed majora ſemper deſiderat, & ,, quæ ſuprà ſuam ſunt dignitatem, votis con- ,, cipit.] Et hom. 5. in epiſt. ad Philipp. [Ma- ,, lorum omnium, inquit, iſtud eſt cauſa; hinc ,, pugnæ, & lites, hinc odia, & contentiones, ,, hinc dilectionis frigiditas; quando gloriam ,, hominum amaverimus, quando honoris, qui ,, à multis fit, ſervi fuerimus.] Et h. 10. in ep. ad Epheſ. ambitionem velut incendium devaſtans omnia, multis proponit verbis. Et h. 11. nihil eſſe affirmat, quod ita Eccleſiam poſſit divellere, ut dominandi ambitio.

Digitized by Google

CAPUT V.

Ambitio quàm vana.

ET tamen, cùm tam multa & ardua moliatur ambitioſus homo,aut nihil obtinet,aut ſi quid obtinet, brevi amittit tempore. S. Ambroſius in libro de Joſeph Patriarcha cap. 6. ſomnium tractans, quod pincernarum Regis Ægypti præpoſitus vidit, Gen.cap. 40. Mundanas omnes dignitates dormientium comparat ſomnijs. [Videbatur, inquit, ſibi beatus „ cùm eſſet vini præpoſitus,& hunc ſummum „ credebat apicem omnis potentiæ , quòd Re„gi calicem dabat. Hæc gloria illius, hæc ma„gnificentia in hoc ſæculo, hâc defraudatus „ dolebat, huic redditus gratulabatur: ſed hoc „ ſomnium eſt; & omnis potentia ſæculi ſom„nium, non veritas eſt. Denique per ſomni„um videt ſibi reddi principatum ſuum, & „ quæ ſeq.] David quidem certè in Pſalmo 36. vidit impium exaltatum,& elevatum ſicut cedros Libani, & tranſivit, & ecce non erat. *Mundi dignitas quid.* Quia ut habet S. Gregorius Papa hom. 3. in Ezechl Iniquorum potentias eſſe magnum aliquid fortaſsè credimus,niſi ad permanens ſæculum mente tranſeamus. Et ambitioſos S. Gregorius Nyſſenus in libro de beatitudinibus or. 1. ſimiles facit ijs, qui perſonati in ſcenam prodeunt; qui regium,aut alium quemvis ejuſmodi ſplendidum induti habitum, mox eum peractâ deponunt fabulâ. Similes item bullis, quæ inflantur, & intumeſcunt, ſtatimque detumeſcunt, & evaneſcunt. Et Sanctus Anſelmus in libro de ſimilitudinibus cap. 72. Similes pueris, qui papiliones ſectantur; qui cùm volant, tramitem rectum numquam tenent, nec ullibi diù morantur. Et S. Ambr. libro 4. in Lucam: Similes illis, qui mare navigant,vel arborum conſcendunt vertices. Ambo enim ventorum agitationem, ac mutationem plurimam experiuntur. [In immobili, inquit, ter„rarum ſtatione conſiſtens, non ſolet timêre „ naufragium: at ſi mobile conſcendat elemen„tum, frequentioribus obnoxius fit periculis. „ Etſi frequenter arborum vertices ſpirantium „ verberent flabra ventorum, ſolidatis tamen „ radicibus nullus occaſus eſt.] Similes nubibus, quæ à ventis impelluntur, S. Gregorius Papa libro 20. moral. cap. 20. cùm enim diceret Job cap.30. Et velut nubes pertranſijt ſalus mea. [Nubes, inquit ille, in alto eminet, „ ſed hanc ad curſum flatus impellit. Sic nimi„rùm ſunt temporalia iniquorum bona. Velut „ in alto quidem per honoris celſitudinem de„gere videntur: ſed ad curſum vitæ quotidiè „ quaſi quibuſdam mortalitatis ſuæ flatibus im„pelluntur.]

Heliogabalum Romanorum Imperatorem legimus aliquando ſuis Principibus ad convivium invitatis, fictas, pictaſque appoſuiſſe epulas. Atque inſano illi, ac præ nimio faſtu deliro Menecrati medico, qui ſe Jovem dicebat, Philippum Macedonum Regem ſoli ad menſam ſeparatam adhibito, acerram, & ſuffitum appoſuiſſe; reliquis cum Rege ſplendidè epulantibus, & famelicum Jovem ridentibus, auctor eſt Ælianus libro 12. Utrumque ambitioſis convenit optimè, qui famelici non niſi fictas,pictaſque ſectantur epulas,ſoloque ſuffitu delectantur; ut non timuerit etiam S. Joannes Chryſ. hom. 1. in ep. ad Romanos dignitates hujus vitæ non dignitates eſſe affirmare, ſed dignitatum nomina.

Propterea jure optimo exclamat S. Bernardus ſer. in ea verba; Ecce nos reliquimus omnia; [Infœlix protsùs ambitio, quæ ambire „ magna non novit, quærens de modico creſ„cere, & de maximo minui. Amant enim ca„thedras primas, quæ velut groſſi ficuum ve„lociter ſunt caſuræ,caveant, nè contingat ca„rêre ſecundis: & qui primos nunc recubitus „ eligunt, incipiant cum rubore locum tenêre „ noviſſimum.Sedebitis,inquit,ſuper ſedes du„odecim judicantes duodecim tribus Iſraël. „ Hæ jam ficus erunt,non utique groſſi. Quo„modo enim ſedes, quas nunc videmus ſedes; „ quæ toties nutant, toties titubant,toties ſub„vertuntur? Nimirum groſſi ficuum ſunt,quos „ tenuis aura deijcit,& diſperdit.] Et ſer. 6. in Pſal.90. [Ambitio ſubtile malum,ſecretum vi„rus, peſtis occulta, doli artifex,mater hypo„criſis, livoris parens, vitiorum origo, crimi„num fomes, virtutum ærugo, tinea ſanctita„tis, excœcatrix cordium,ex remedijs morbos „ creans, generans ex medicinâ languorem.] Et S. quoque Gregorius Nazianz.in or.in laudem Cæſarij fratris hanc honorum, gloriæque cupiditatem gravem dominum, morbumque permoleſtum appellavit. Et in or. 2. de Theologia, alienum eſſe affirmavit ab homine, mediocri ſaltem probitate, candoreque prædito, atque ingenuæ cujuſdam honeſtatis ſibi conſcio, prohibendis alijs (quæ ferè ambitioſorum ars eſt) principatum ſibi comparare. Pluribus de hoc agendum erit alio loco, ubi de Prælati, Superiorisvè munere, aut appetendo, aut fugiendo diſſeretur. Nunc audiant ambitioſi, quid de Moyſe loquatur S.Ambr.ſer.8.in Pſal. 118. [Moyſes noluit eſſe Rex, cùm poſſet „ (potuit enim Pharaônis filius habêri)ſed op„probrium Chriſti theſauris Ægypti pluris fe„cit: & fugiendo potentiam potentior factus „ eſt. Factus eſt enim Deus Pharaônis.Et tu ſi „ vis tanquàm Deus peccatoribus eſſe terrori, „ Regibus reverentiæ, contemne quæ ſæculi „ ſunt, & Dominicæ Paſſionis opprobrium „ contende omnibus præferre divitijs.]

Digitized by Google

CAPUT VI.

Cum Ambitioſis, ut agendum.

SAnè quemadmodùm cum ambitioſis agendum ſit, docuit nos Chriſtus Matth. 20. Cùm enim filij Zebedæi per matrem petijſſent àb illo ſedêre à dextris, & à ſiniſtris in regno ejus; primùm quidem petitio illorum rejecta eſt illis verbis; Neſcitis quid petatis. Deindè verò requiſita ſunt merita, cùm dictum eſt; Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? Matrem pro filijs poſtulantem, pulchrè, & eleganter excuſat S. Ambroſius in 5. libro de fide ad Gratianum cap. 3. ſed filios Dominus reprehendit. [Ambitioſorum cauſis (in- „ quit S.Bernardus lib. 1. de conſideratione ad „ Eugenium Papam)non parat aures Chriſtus, „ ut audiat, ſed flagellum, ut feriat.] Et in 3. libro petenti cuidam reſpondiſſe refert Eugenium: Cum quali veſte intraſti,cum tali egredieris. Nam ut de ſacris ordinibus agens,habet S. Gregorius Papa libro 7. regiſtri cap. 110. „ [Sicut qui invitatus renuit, quæſitus refu- „ git, ſacris eſt altaribus admonendus: ſic qui „ ultrò ambit, vel importunè ſe ingerit, eſt „ procul dubio repellendus.]

De meritis autem ſcribit S. Ambroſius in com. cap. 5. prioris ep. ad Tim. [Præire de- „ bent merita, ut accedenti debitus honor tri- „ bui videatur.] Et S. Auguſt. de Zebedæi filijs tractat pluribus in concione 3. in Pſal. 103. & in Pſal. 119. undè & in 5. libro de civitate Dei cap. 12. Ideò Romanos dixit conjunctiſſima poſuiſſe templa Virtutis,& Honoris;quia vera ad honorem, gloriam,& imperium via eſt virtus, non fallax ambitio. Sed etſi viri virtute præditi non conſequantur honores: [Magnus, „ inquit S. Leo in ep. 53. ad Anatolium cap. „ 5. unicuique honor eſt integritas ſua, quæ „ in quibuslibet locis propria ornamenta non „ quærit.] Et opportunum in primis ambitioſis omnibus conſilium dedit S.Jo.Chryſ.in ep. 7. ad Eutropium (niſi homiliam eſſe malis ad populum) [Verſiculum quippè illum Eccleſi- „ aſtis cap. 1. Vanitas vanitatum,& omnia va- „ nitas, ſi ſaperent, inquit, in parietibus omni- „ bus, & in veſtibus ſuis ſcriberent, in foro, in „ domo, in januis, in ingreſſibus, & antè om- „ nia in conſcientijs ſuis.] Quòd ſine ex hoc quidem ſapiunt, hanc illis pœnam optabit S. Greg.Nazianz. quam Eccleſiaſticas dignitates affectantibus precatur in carmine ad Epiſcopos ſcripto. Alludens enim ad illud, quod in 1. Regum libro cap. 5. legitur: [Utinam,inquit, „ eodem, quo Gethæi, cruciatu doloris ange- „ rentur; ſedentariaque pœna afficerentur: ut „ inſana eorum præſidendi cupiditas congru- „ enti ſupplicio vindicaretur.]

DE PROSPERIS, ET ADVERSIS.

LIBER XXXVI.

SApienter omninò ſcripſit S. Hieronym. in 2. libro dialogorum adversùs Pelagium cap. 2. Voluntatem Dei non diſcutiendam, ſed cum gratiarum actione patiendam eſſe. At vitio mihi non erit vertendum, ſi curioſiùs hoc loco quærere videar, cur calamitatibus, atque adverſis in hac vita plurimis vexentur boni, & juſti homines; dum malis,ac flagitioſis proſpera plerumque obveniunt cuncta, quos graviſſimis quibusque æquum erat malis affligi. Namque hoc à Sanctis Patribus video ſæpè fuiſſe tractatum; tum ut divinam tuerentur providentiam, atque juſtitiam;tum ut afflictos bonos quoſque conſolarentur, & in virtute confirmarent.

CAPUT I.

Bonorum ex malorum proſperitate turbatio.

MUltos ſæpè cernimus turbari magnoperè, ac plurimùm angi, dùm juſtos vident, & optimos quoq; in hoc mundo affligi, perſecutioneſque & calamitates omnes pati, malos autem,ac flagitioſos bonis frui,& honoribus cumulari: & S.quoq; Aug.in lib.83.qq. q. 82. & S. Ambr.ſer.7.in Pſalmum 118. non obſcurorum modò, ac vulgarium hominum, ſed eorum item, qui in ſcripturis verſati ſunt non mediocriter, tentationem fuiſſe affirmant. Quâ ſuperati non pauci divinam providentiam negârunt, adversùs juſtitiam blaſphemârunt,

Digitized by Google

eumque putârunt, aut res humanas non curare, aut minùs potentem ad moderandum eſſe. Quin etiàm Davidem ſanctiſſimum virum, Deique amiciſſimum, aliquando dicentem audivimus in Pſalmo 72. Mei autem penè moti ſunt pedes, penè effuſi ſunt greſſus mei, pacem peccatorum videns. In labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur. Propè es tu Domine ori eorum. Vix enim aperiunt ora, ut à te quidpiam petant, & illicò quidquid petere libuit conſequuntur: ſed longè à renibus eorum percuſſio quævis, aut flagellum. Ecce ipſi peccatores, & abundantes in ſæculo obtinuerunt divitias, fruuntur bonis, exultant honoribus, dominantur plurimis, illique abundant omnibus rebus, quæ deſiderari in hac vita poſſunt. [Quis enim non „ obſtupeſcat, inquit S. Greg. Papa lib. 13. „ moral. cap. 13. cùm Herodias apud temu„ lentum Regem ſaltatu filiæ obtinet, ut caput „ àmici ſponſi, prophetæ, & plusquàm prophe„ tæ, antè ora convivantium in diſco defera„ tur?] Et libro 14. cap. 3. Propterea ſcribit hæreticos de hac vitæ præſentis proſperitate extolli tantoperè, ut catholicis exprobrent tribulationes, & adverſa, quæ patiuntur.

Bonorum confirmatio. David ſanè anxietati animi ſui duobus ſatisfecit modis. Primùm, quòd hæc terrena bona vidit parùm eſſe firma, & ſtabilia, brevique durare tempore. Sic enim habet: Quomodo facti ſunt in deſolationem? Subitò defecerunt; dormierunt ſomnum ſuum, & nihil invenerunt in manibus ſuis. Hæc omnia ſunt velut ſomnium, res fictæ, imaginariæ, apparentes, non veræ; & ſubſiſtentes; quas mirum non ſit, ſi quibusvis dentur hominibus. Et iterùm alibi: Perijt memoria eorum cum ſonitu Pſ. 9. ſtrepitum quidem ediderunt quemdam, ſed ceſſârunt ſtatim, velut ſonus, res leviſſima, & durationis breviſſimæ, quæ ſimul cum percuſſione evaneſcit. Undè & in Cana Gallileæ Joan. 2. in nuptijs prima ſtatim die defecit vinum. Deindè quod hæc qualiacunque ſint, periculoſa ſunt, & verò ſæpè damnoſa, & pernicioſa. quæ divinam ultionem provocent. Dejeciſti enim eos, dum allevarentur: perierunt propter iniquitatem ſuam. Ecce qui elongant ſe à te, peribunt: perdidiſti omnes, qui fornicantur abs te.

Sanctiſſimus quoque Job plurimis, & graviſſimis afflictus adverſitatibus, duo nobis ſolatia ſignificat cap. 17. Alterum cùm ait: Et tenebit juſtus viam ſuam, & mundis manibus fortitudinem. Quoniam ut interpretatur S. Greg. dum malos videt obtinêre ea, quæ mundi ſunt, ipſe ad amorem cœleſtium robuſtiùs ſtringitur, ſciens quia præmia æterna non deerunt, dum & pravis bona temporalia non denegantur, & tantò altiùs temporalia deſpicit, quantò hæc abundare etiam malis cernit. Alterum, dum addit: Noctem verterunt in diem, & *Ib.* 17. rursùm pòſt tenebras ſpero lucem. Nox quippè adverſitatem, dies proſperitatem ſignificat. Et lux poſt tenebras ſperatur, ait idem Gregorius, quia vel poſt noctem vitæ præſentis æternum lumen percipitur: vel ita hic adverſitas, atque proſperitas alternant, ut ſibi ſuccedere viciſſim non deſinant, juxtà illud Eccleſ. 11. In die malorum memor ſis bonorum.

CAPUT II.

Cur adverſa bonis permittat Deus.

At verò Sancti Eccleſiæ Patres accuratè magis hunc locum examinantes, ac pluribus pertractantes, eos ſolos reſponderunt dicêre poſſe, hæc injuſtè fieri, qui ſolam præſentem, atque mortalem vitam credunt, futuram æternam non ſperant. Sicut enim inter cæteros ſcripſit Sanctus Auguſtinus q. 82. jam indicata. Et Origenes hom. 12. in Ezech. proſperitates hujus vitæ diaboli benedictionem appellare minimè dubitavit.

Sed quidquid ſit; verè monuit S. Greg. lib. 5. mor. c. 27. [Quiſquis de perſecutione, aut „ adverſitate murmurat, quid aliud, quàm ju„ ſtitiam ferientis accuſat? Ut autem homo re„ prehendere non audeat judicem culpæ, hunc „ humiliter cogitet autorem naturæ. Quia qui „ mirè hominem ex nihilo fecit, factum impiè „ non affligit.] Cæterùm ſummo Dei conſilio, maximoque bonorum emolumento univerſa conſtare demonſtrârunt omnes.

Placuit namque divinæ providentiæ, ut ratiocinatur S. Aug. in 1. libro de civit. Dei c. 8. præparare in poſterum bona juſtis, quibus non fruerentur injuſti, & mala impijs, quibus non excruciarentur boni. Temporalia verò hæc bona, & mala, utriſque voluit eſſe communia, ut nec bona cupidiùs appetantur, quæ mali quoque habêre cernuntur, nec mala turpiter evitentur, quibus & boni plerumque afficiuntur. Et rursùm in com. ad Pſal. 55. [Bo„ nis Deus ſervat ſeipſum, malis ignem ſem„ piternum.] Eſt ergò malum, quod non dat bonis, & eſt bonum, quod non dat malis. Sunt & quædam media, bona, & mala; quæ dat & bonis, & malis. Quò etiam ſpectat illud, quod habet S. Gregorius in lib. 16. moral. cap. 6. Deum ingratis quoque dona ſua non denegare, ut aut benignitatem conditoris erubeſcant, & ad bonitatem redeant, aut redire contemnentes indè graviùs puniantur. Et in tertia parte paſtor. curæ admon: 27. Proſpera hujus mundi calamitatis ait eſſe ſolatia, non retributionis præmia. *Primum.*

Secundò, ut divinam agnoſcamus providentiam, quâ ſapientiſſimè is gubernat mundum. Nam ſi nunc, ait idem S. Aug. in eodem 1. lib. de *Secundum.*

de civit. Dei, omne peccatum manifeſtè ple-
cteretur pœna; nihil ultimò judicio reſervari
putaretur. Rurſus, ſi nullum peccatum nunc
puniretur apertè; nulla eſſe providentia divi-
na crederetur. Similiter in rebus ſecundis; ſi
non eas Deus quibuſdam petentibus eviden-
tiſſima largitate concederet, non ad eum iſta
pertinêre diceremus. Itemque ſi omnibus eas
petentibus daret; non niſi propter talia præ-
mia ſerviendum illi eſſe arbitraremur, nec
pios nos faceret talis ſervitus; ſed cupidos, &
avaros.

Tertium.

Tertiò ad juſtitiam pertinet punire peccan-
tes, & bona operantibus præmia donare. At
nemo eſt tam bonus, & juſtus, qui non pec-
cet interdum, juxtà illud Joannis Apoſtoli in
1. epiſtola cap. 1. Si dixerimus, quoniam pec-
catum non habemus, nos ipſos ſeducimus, &
veritas in nobis non eſt. Hæc leviora peccata
non æternam ſed temporaneam merentur pœ-
nam, vitæque præſentis tribulationibus, &
adverſis puniuntur: contrà nullus eſt tam ma-
lus, qui non aliquid interdum operetur boni,
ſaltem moralis. Neque hoc æterna dignum
eſt retributione; temporalemque mercedem
accipit vitæ hujus commoda, & proſperita-
tem quampiam. Ita Sanctus Auguſtinus in 2.
libro de mirabilibus ſacræ ſcripturæ capite 11.
Oza percuſſus. Ozam putavit à Deo fuiſſe morte percuſſum,
ut eſt in 2. Regum lib. c. 6. non tàm propter
tactam arcam, quàm propter aliquod aliud
præcedens peccatum: Antiquis autem Roma-
nis voluit in quinto libro de civitate Dei cap.
15. & ſerm. 36. ad fratres in eremo, tantam à
Deo fuiſſe conceſſam fœlicitatem, ac vaſtita-
tem imperij, velut temporalem mercedem bo-
norum morum, atque operum, quæ non me-
rebantur æternam. Et S. Joan. Chryſ. homi-
lia 3. ad populum, loquens de Imperatoris ſta-
tua Antiochiæ dejecta, propter quam & multi
inſontes puniebantur, & ſontes impunè abie-
rant: [Si, inquit, in præſenti ſeditione inſons
,, erat, ſed aliud aliquando peccatum graviùs
,, commiſit, deinceps non mutatus in præſen-
,, ti pœnas dedit. Hoc enim ferè Deus conſue-
,, vit, non ſtatim punit, dans nobis pœniten-
,, tiæ tempus, ut corrigamur.] Itaque h. 35.
in Matth. [Si quid, inquit, boni egeris, cujus
,, retributionem non receperis, forti, tranquil-
,, loque animo ſis. Majora enim præmia in fu-
,, tura vita tibi reſervata ſunt. Quod ſi quid-
,, quam perperam feceris, neque pœnam dede-
,, ris, noli credere te jam effugiſſe. Futura e-
,, nim te, æternaque pœna expectat, niſi pœ-
,, nitentia meliorem te fecerit.] Et concione 3.
de Lazaro: [Qui improbam agit vitam & ni-
,, hil acerbi patitur, infœlix, & deplorandus:
,, qui verò virtutis ſtudioſus, innumeris affici-
,, tur moleſtijs, beatus.] Et h. 5. in epiſtolam
ad Hebræos; [Quando videmus malignum di-
,, teſcere, & bonum malà pati, non turbemur,
,, quia non poteſt malus in omnibus malus eſ-
,, ſe, ſed habet aliqua bona: nec bonus in om-
,, nibus eſſe bonus, ſed habet aliqua peccata,
,, Quando ergò proſperitatem habet malus,
,, malo ſuo habet, quia retributionem hìc ac-
,, cipit pro illis paucis bonis, poſteà pleniùs
,, punietur. Beatus verò, qui hìc punitur, ut
,, omnibus abjectis delictis, purgatus hinc, &
,, innocens exeat.] Eandem ferè ſententiam
habet etiam in ſer. 5. de Provid. vel Fato; &
hom. 4. & 67. ad populum, & S. Greg. Pa-
pa h. 40. in Evang. commemoratis illis verbis,
quæ Luc. 16. dixit Abraham diviti in inferno
cruciato; Recordare, quia recepiſti bona in
vita tua, prudenter monet: [Si qui in hoc mun-
,, do exterioris boni aliquid accepiſtis, perti-
,, meſcere debetis, nè vobis pro quorumdam
,, veſtrorum actuum recompenſatione ſit da-
,, tum: nè judex, qui hìc bona exteriora reſti-
,, tuit, à retributione boni intimi repellat, nè
,, honor hìc, vel divitiæ non adjumentum vir-
,, tutis, ſed remuneratio ſint laboris. Et cùm
,, quoslibet pauperes nonnulla reprehenſibilia
,, perpetrare conſpicitis, nolite deſpicere, no-
,, lite deſperare: quia fortaſſe quos ſuperflui-
,, tas tenuiſſimè pravitatis inquinat, caminus
,, paupertatis purgat.] Et lib. 5. mor. c. 1. [Oc-
,, culta ſunt, inquit, judicia Dei, cur in hac vi-
,, ta bonis ſit malè, & malis benè: ſed occultio-
,, ra, cur & bonis benè & malis malè. Nam ſi
,, bonis malè ſit, & malis benè; id fortaſſe fit,
,, ut boni, ſi quæ deliquerint, hìc purgent, &
,, mali pro bonis, quæ faciunt remunerentur.
,, At ſi bonis benè ſit, & malis malè, incer-
,, tum eſt, an illi bonorum operum remunera-
,, tionem hìc accipiant, ut à præmijs vitæ ſe-
,, quentis inareſcant: & malos adverſa feriant,
,, ut ab æternis ſupplicijs corrigendo defendant,
,, an hìc eorum pœna incipiat, ut quandoque
,, complenda eos ad ultima gehennæ tormenta
,, perducat.]

Quartò ſcripſit aliquando hujus argumenti *Quartum.*
librum Seneca, cui propterea titulum fecit;
Cur bonis viris multa mala accidant. Ex quo
Lactant. in lib. de juſtitia c. 23. Deus, inquit, ho-
mines pro liberis habet: corruptos, & quos non
putat emendatione ſua dignos, neque ex ea
meliores futuros videt, delicatè patitur vivere,
boniſque præſentibus frui permittit: bonos au-
tem, & quos diligit, caſtigat ſæpiùs, & aſſi-
duis laboribus ad virtutem exercet, neque ca-
ducis bonis depravari ſinit. Et Sanctus Augu-
ſtinus libro 1. de civitate Dei cap. 1. divinam
ſcripſit providentiam corruptos hominum mo-
res bellis emendare ſolêre, atque conterere:
vitamque bonorum juſtam talibus afflictioni-
bus exercêre, & in meliora transferre. [Quan-
,, do viſitat, & percutit Deus, inquit Sanctus
,, Hieron. in com. ad caput 13. Iſaiæ, ad hoc

Digitized by Google

,, percutit, ut emendet; & quando vehemen-
,, ter iraſcitur ſuper eos, qui non agunt pœni-
,, tentiam; Non viſitabo, inquit, ſuper filias
,, veſtras, cùm fuerint fornicatæ; Oſ. 4.] Et S. Bern. in libro medit. c. 6. [Si tecum, ait,
,, non eſt per gratiam, adeſt per vindictam: &
,, veh tibi, ſi ita tecum non eſt. Illi namque
,, iraſcitur Deus, quem peccantem non flagel-
,, lat. Nam quem flagellando non emendat,
,, in futuro damnat.] Exemplo ſigillorum, aut ſi mavis cujuſvis artificij, quod nos ſæpè velut perfectum laudamus, & admiramur, & tamen artifex conſiderat adhuc, & limat; utitur S. Gregorius Papa h. 40. in Evang. Sic enim homines plerumque, quos jam perfectos æſtimamus in oculis Summi Opificis aliquid adhuc imperfectionis habent, quod adverſitatis, ac tribulationis lima conſumit. Diabolus porrò in hoc opere ſervit Deo, ut conſiderat S. Anſelmus in Elucidario: [Quia enim glorioſus
,, princeps deſpexit eſſe in palatio, fecit eum
,, Deus laborioſum fabrum in hoc mundo. Cu-
,, jus fabri caminus eſt afflictio, & tribulatio;
,, folles, & mallei ſunt tentationes, & ſug-
,, geſtiones; forcipes, tortores, & perſecutio-
,, res; limæ ferreæ, linguæ maledicentium, &
,, detrahentium.] Tali camino, hiſque inſtrumentis purgat ipſa vaſa aurea cœleſtis regis, in quibus renovat imaginem Dei. Cum illis autem, quibus ad libitum proſpera cuncta permittit, perindè agere Deum putat S. Greg. in lib. 16. moral. cap. 10. & 3. parte paſtor. curæ admon. 27. ac agit medicus cum ægro deſperato, cui cuncta concedit, quæ concupiſcit: dum qui ſanari poſſe creditur, à multis, quæ appetit, prohibetur. Sed & pueris nummos ſubtrahimus, quibus tota ſimul patrimonia hæredibus reſervamus.

Quintum. Quintò admonet hic idem S. Pater, præſentis vitæ proſperitatem aliquando dari, ut ad meliorem provocet vitam; aliquando, ut in æternum pleniùs damnet. Ita enim Iſraëlitis promiſſa fuit terra Chanaäm, ut ad æterna ſperanda provocarentur. At diviti poſito in inferno dictum eſt; Recepiſti bona in vita tua. Malus enim recepit bona in vita ſua, ut illic pleniùs mala reciperet; quia hìc nec per bona fuerat converſus. Quam ob cauſam Sanctus Gregorius Nazianzenus in or. de pauperum amore pronuntiavit, ſciri à nobis nunc non poſſe, num ille ob vitium crucietur, hic ut bonus, & laude dignus evehatur; an verò ille ob flagitioſam vitam extollatur, & graviùs corruat; tantiſper expectatus, quoad univerſa ipſius improbitas eruperit, ut juſtiori pòſt ſupplicio afficiatur: Hic verò ob virtutem exploretur, & velut aurum in fornace probetur, ut pleniùs coronetur.

Sextum. Sextò. Lactantius loco antè notato tres alias habet hujus rei rationes; cur, inquam, bonis permittantur adverſa. Prima eſt: quoniam ſumma, & præcipua virtus eſt patientia. Patientia verò quid eſt, niſi malorum, quæ aut inferuntur, aut accidunt, cum æquanimitate perlatio? Hâc ergò carebit omninò, qui nihil patietur adverſi. Ideò impatientem appellat eum, qui proſperè agit, quia nihil patitur. Innocentiam quoque, & juſtitiam ſervare non poteſt: quia nocet ſæpè, & concupiſcit aliena, & per injuriam rapit, & dominari affectat, animo inſolenter elatus. Secunda, quia Imperator non poteſt ſuorum militum probare virtutem, niſi habuerit hoſtem. Propterea enim Deus adverſarios excitat, ut devotionem ſuorum probet, atque corroboret. Tertia, ut Dei populus augeatur: Exemplo, ſcilicet patientiæ, & virtutis noſtræ. Quemadmodùm de martyribus ratiocinatur ille, quorum patientiâ, & conſtantiâ converſi ad fidem Chriſti fuerunt plurimi.

Septimò: Idem Lactantius quartam adjungit in lib. de vero cultu cap. 4. duplicem namque Deus homini viam propoſuit. Unam planam, patentem, atque jucundam, in qua opes poſuit, honores, & quæcunque pro bonis habentur in terra: ſed cum his injuſtitiam ſimul, & vitia adjunxit omnia. Alteram difficilem, & clivoſam, in qua juſtitiam, temperantiam, & virtutes cæteras collocavit: ſed paupertatem, ignominiam, dolorem, laborem, amaritudinem. Undè intelligas, idcircò malis, atque injuſtis faciliùs provenire, quæ cupiunt; quia prona, & declivis eſt illorum via, bonis autem, quæ optant, difficilè procedere; quoniam difficili, & arduo gradiuntur itinere. Septimum.

Octavò. S. Auguſtinus in primo libro de civit. Dei cap. 9. affligi reſpondet bonos temporalibus malis, ſicut & Job fuit afflictus, ut ſibi ipſi ſit homo probatus, & cognitus, quantâ pietatis virtute diligat Deum. [Adverſi-
,, tas quippè, quæ bonis votis objicitur (quem-
,, admodùm Reccaredo Regi Viſigothorum
,, ſcripſit S. Gregorius in 7. libro regiſtri cap.
,, 126.) probatio virtutis eſt, non judicium
,, reprobationis.] Octavum.

Nonò. Idem S. Aug. c. 10. ejuſdem libri, & S. Io. Chryſ. in h. Quod nemo læditur niſi à ſe ipſo, propria docent Chriſtianorum bona non eſſe hæc temporalia, ſed fidem atque interiora bona, & virtutes. Itaque dum in temporalibus vexantur, illiſque ſpoliantur, nihil eos amittere. Interim verò in rebus hiſce proſperis; in capite 51. libri 18. concedi nobis ait Auguſtinus à Deo, velut parente optimo quaſi conſolationem quampiam, nè frangamur adverſis, atque in rebus adverſis exercitationem, ut proſperis non corrumpamur. Et epiſtola 87. ad Fœlicitatem, & Ruſticum, Nonum.

proſpera

proſpera donum conſolantis appellat, adverſa donum admonentis. Undè illud in com. ad Pſ. 54. [Gaudes? agnoſce patrem blandien-„tem: tribularis? agnoſce patrem emendan-„tem. Sive blandiatur, ſive emendet, eum „erudit, cui parat hæreditatem.] Et tract. 12. in Io. [Iter hujus ſæculi plenum eſt tentatio-„nibus: in rebus proſperis, nè extollant, in „adverſis, nè frangant. Qui tibi dedit fœlici-„tatem, ad conſolationem tuam dedit, non „ad corruptionem.] Rursùs; [Qui te flagel-„lat, ad emendationem, non ad damnationem „facit. Ferto patrem erudientem, nè ſentias „judicem punientem.] Et ep. 83. conſolans Chryſinum: [Vir cordate, ait, nunquid totum „bonum tuum in his rebus erat, quas nunc vi-„deris amittere; aut tam magnum bonum il-„lic deputabas, ut eo ſublato ſic tenebreſcat „mens nimiâ triſtitiâ, quaſi lumen ejus non „Deus, ſed terra ſit?] Et in com. Pſ. 51. nihil nobis obeſſe poſſe adverſa cuncta demonſtrat, quia nihil aliud poſſunt, niſi capillos, & ſuperflua nobis auferre. [Quid, inquit, mali „faciunt Sanctis? capillos radunt, ut in pſ. di-„citur; Sicut novacula acuta feciſti dolum. „Undè Chriſtus: Nolite timere eos, qui oc-„cidunt corpus, &c. Capillos radunt, calvum „faciunt, & hoc ad Chriſtum pertinet, qui in „loco Calvariæ crucifixus eſt. Capilli ſuper-„flua ſignificant, capilli ſine ſenſu præcidun-„tur; & ijs, qui cohærent Deo, iſta tempo-„ralia ſunt velut capilli.] Optimè quoque S. Greg. Papa in 2. libro regiſtri c. 90. In hujus, inquit, vitæ curſu nihil firmum, nihil ſtabile invenitur, ſed quemadmodùm viator modò per plana, modò per aſpera graditur; ſic nobis in hac vita manentibus, nunc proſperitatem, nunc adverſitatem occurrere. Hanc verò viciſſitudinem à Deo permitti, ait, ut humiliati diſcamus, quidquid deliquimus, flêre: & iterum exaltati, adverſitatis memoriam, quaſi humilitatis anchoram, in mente teneamus. Et S. Jo. Chryſ. h. 8. in Matthæum: [Sanctos, „inquit, Deus neque tribulationes, neque ju-„cunditates ſinit habêre continuas; ſed tum „de adverſis, tum ex proſperis juſtorum vitam „quaſi admirabili varietate contexuit.] [Si „enim triſtia ſemper acciderent (inquit S. „Bern. ep. 136. ad Petrum Papienſem Epiſco-„pum) quis ſuſtineret? ſi ſemper proſpera, quis „non contemneret? ſed horum neceſſaria vi-„ciſſitudine fit, ut nec adverſa frangant, nec „læta diſſolvant; cùm potiùs, & iſta ex illis „gratiora, & illa ex his tolerabiliora reddan-„tur.]

Decimum. Decimò. In libro autem 21. Sententiarum cap. 20. eam rationem inſinuat S. Auguſtinus, ut magis guſtetur virtutis, rerumque ſpiritualium, ac divinarum ſuavitas. Propterea namque temporalium amaritudo permittitur. „[Non enim eſſent bona dulcia, ſi non pa-„teremur adverſa.]

Undecimò. Sed in q. 82. in principio ſignificata de hoc ex inſtituto diſſerens, duo præſertim reſpondet. Alterum eſt; non defuiſſe homines, qui juſtitiæ ſuavitatem, atque internum illius gaudium, cum corporalibus omnibus laboribus, & moleſtijs, quas genus humanum pro conditione ſuæ mortalitatis patitur, cum omnibus etiam, quæ propter ipſam juſtitiam, in eos, qui juſtè vivunt, injurioſiſſimè cogitantur, ità compenſarent, ut ſequeſtrata ſpe futuræ vitæ, jucundiùs, & lætiùs præ amore veritatis torquerentur, quàm luxurioſi præ cupiditate ebrietatis epulentur. *Undecimum.*

Alterum, quod duodecimum numerabitur. Ita prorsùs expedire nobis: ad hunc enim modum colligit. Quod eſt in corpore ſanitas, hoc eſt in anima beatitudo, & ut medicus corporis aliter præcipit ad conſervandam ſanitatem, aliter ad recuperandam amiſſam: ita Dei alia debuerunt eſſe præcepta homini ad non amittendam æternam beatitudinem, alia nunc ad recuperandam amiſſam. Atque ut, ſi prioribus medici præceptis non obediens in morbum incidas, arripis poſteriora, quibus ſaneris, etſi hæc non ſufficiant, adhibentur adhuc à medico adjumenta quædam, plerumque aſpera, & dolorem inferentia, quæ tamen ad recuperandam ſanitatem proſunt. Sic homo per peccatum lapſus, quia primo non obtemperavit præcepto, ſecunda æger accipit, quibus obtemperans juſtè quidem vivat; ſed tamen moleſtias, quas patitur, vel de ipſo morbo nondum ſanato patitur, vel de medicinæ adjumento, quo quem diligit Dominus corrigit, flagellatque omnem filium, quem recipit: ut tactus, & dolens, ad medicinam converſus ſanetur, aut contemnens damnationem ſempiternam juſtè poſt hanc mereatur vitam. Ita tribulationes, adverſa, vitæque præſentis calamitates omnes, ratiocinatur Sanctus Auguſtinus eſſe ad ſanandam animam, æternamque fœlicitatem obtinendam, quod ſunt inciſio venæ, aliaque hujuſmodi medicinæ adjumenta, ad reſtituendum ſanitati corpus. *Duodecimum.*

Tertiodecimò. S. Io. Chryſ. tum alibi hoc argumentum tractat; tum verò maximè in h. 1. ad populum, octo prorsùs rationes collegit paucis, cur Sanctos Deus permittat affligi. Prima eſt, nè propter meritorum magnitudinem, & miraculorum ſplendorem in arrogantiam tollantur: ita Paulo datus eſt ſtimulus carnis, quemadmodùm ipſemet teſtatur in 2. Cor. c. 12. [In ſimilitudinem triumphan-„tium (ait S. Hier. ep. ad Paulam, ſuper obitu „Bleſillæ) quibus in curru retrò comes adhæ-„rebat per ſingulas acclamationes civium di-„cens; Hominem te eſſe memento.] Secunda, *Decimum tertium.*

nè

nè cæteri homines majorem de illis habeant opinionem, quàm humana patiatur natura, & ipſos fortaſſe Deos, non homines, arbitrentur. Tertia, ut & Dei virtus appareat, dum per ægrotantes, & compeditos exuperat, & prædicationem auget. Quarta, ut ipſorum tolerantia, & patientia ſingularis manifeſta fiat, non propter mercedem Deo ſervientium, ſed vel etiam poſt tot mala, & adverſa. Quinta, ut de reſurrectione, ac futura vita cogitemus, dum nunc viros juſtos, ac Sanctos in tot malis morientes cernimus. Sexta, ut omnes in gravia incidentes ſufficientem conſolationem habeant, in hoſce reſpicientes, & eorum mala conſiderantes. Septima, nè nos propter geſtorum exceſſum ad imitatiõnem Sanctorum torpeamus. Octava, ut intelligamus quoſnam beatos, & quos miſeros, & ærumnoſos putare debeamus. Sed & non multò pòſt, tres alias adjungit. Nona igitur fuerit, ut tribulatione ſpectabiliores fiant Dei, ac virtutis athletæ: [Ut enim boni athletæ ,, non ſatis apparent, inquit ille, cùm veſtimentum induti ſunt; ſed quando illo abjecto nudi in ſtadia feruntur, tunc maximè ,, membrorum proportio cernitur. Sic & Job ,, quando divitijs circumfuſus erat, quis eſſet, ,, non multis manifeſtus erat. Poſt verò illas, ,, velut veſtimentum exutus, ſpectatores omnes pertulit, ut & ipſe Angelorum Dominus ,, illi vehementer acclamaret, & victori applauderet.] Decima, ut ſi aliquas habemus maculas, hìc eas deponamus, atque ex hac vita mundi ad cœleſtem tranſeamus. Poſtrema, ut coronæ, ac præmia nobis augeantur. Sed in tertio dialogo Cæſarius ad quatuor omninò contraxit cauſas: Ut à peccatis corrigamur; Ut ſuperbiam deijciat noſtram; Ut latentem virtutem oſtendat, quam imitentur alij; Ac demum ſi à Deo propter extremam nequitiam deſeramur, quod in Pharaõne, & Nabuchodonoſor factum eſt.

CAPUT III.

Adverſa proſperis eſſe potiora.

ITA firmè veteres demonſtrârunt Patres, ſapientiſſimè Deum adminiſtrare mundana, ut jam nemo ſit adeò impius, & impudens, qui in diſtribuendis proſperis, & adverſis divinam audeat accuſare providentiam, aut damnare juſtitiam. Neque tamen negare quiſquam poterit id, quod verè dixit S. Aug. in ſer. 245. de tempore, duo nobis difficilia, ac laborioſa præcepta fuiſſe à Domino; continêre, & ſuſtinêre; continêre ab his, quæ in mundo dicuntur bona; & ſuſtinêre, quæ in hoc mundo abundant mala. In proſperis, inquam, modeſtè ſe gerere, & adverſa patienter tolerare. S. Ambr. in ſer. 81. duplicem appellavit tentationem, quâ nos Deus tum adverſis, tum proſperis probat: nam & faber ferrarius, ut ferro uti poſſit, ignem, & aquam adhibet; igne mollefacit duritiam ferri, & aquâ temperat. Quamquàm prudentibus rerum æſtimatoribus viſum eſt ſemper laborioſius, & difficilius in proſperis modum retinêre virtutis, quàm in adverſis. [Profectò, inquit Sanctus ,, Gregorius Nazian. in or. 3. de pace, facilius mihi videtur adverſam fortunam ferre, ,, quàm ſecundam tuêri.] Et S. Greg. Papa lib. 5. mor. c. 1. [Plus in hoc mundo honor, quàm ,, deſpectio, occupat: & magis proſperitatis ,, ſublimitas, quàm neceſſitatis adverſitas gravat. Per hanc namq; nonnunquam cùm homo exteriùs premitur, ad concupiſcenda, ,, quæ intùs ſunt, liberiùs relaxatur: per illam ,, verò animus dum multis parêre cogitur, à ,, deſiderij ſui curſu retinetur. Undè fit, ut ,, Sancti in hoc mundo magis proſpera, quàm ,, adverſa, formident.] Et in 3. parte paſtor. curæ admon. 27. Deo gratiorem, & meliorem ait fuiſſe Davidem in ſervitio, quàm cum ad Regnum pervenit: & Salomonem nihil in hoc mundo priuſquàm in idololatriam caderet, adverſitatis habuiſſe memorari. Et Tertulliani eſt illud in libro de fuga in perſecut. cap. 1. ,, [Perſecutio digna in primis Deo eſt.] Et c. 10. [Pulchrior eſt miles in pugna prælio amiſ-,, ſus, quàm in fuga ſalvus.] Et S. Aug. ep. 144. ad Anaſtaſium: [Mundus iſte periculoſior eſt blandus, quàm moleſtus, & magis ,, cavendus, cùm ſe illicit diligi, quàm cùm admonet, cogitq; contemni.] Et in commentario in Pſ. 50. [Multi res adverſas timent, proſperas non timent. Periculoſior eſt res proſpera animo, quàm adverſa corpori; priùs ,, corrumpit proſpera, ut inveniat, quod frangat adverſa. Adverſus fœlicitatem acriùs ,, vigilandum eſt.] Davidem quoque addit non peccâſſe, cùm eum perſequeretur Saul. Et rursùm in conc. prima in Pſalmum 68. ,, [Fœlicitas, inquit, humana plùs eſt timenda, quàm miſeria; quia miſeria plerumque ,, adfert ex tribulatione fructum bonum: fœlicitas autem corrumpit animam perverſa ſecuritate, & dat locum Diabolo tentatori.] ,, [Plurimos, inquit S. Ambr. ſer. 12. in Pſ. ,, 118. ſupplantaverunt ſecundæ res, quos acerba ſupplicia non fregerant.] Et S. Bern. in ſer. 2. in ramis Palmarum, ità interpretatur verba Pſ. 90. Cadent à latere tuo ſiniſtro mille, & decem millia à dextris tuis; ut licèt multos frangat adverſitas, multò tamen plures extollat proſpéritas. Et S. Greg. Papa libro 26. moral. cap. 14. manifeſtum aſſerit eſſe perditionis indicium, quando affectatis iniquitatibus ſubſequens favet effectus, & nulla contrarietas impedit, quod mens perverſa concepit.

cepit. Et libro 1. regiſtri cap. 28. Cùm Ariſtobulum audiſſet adverſitatibus laborare; „ [Non valdè, inquit, contriſtor; quia plerumque navis, quæ pervenire ad alta pelagi per „ proſperitatem poterat, in ipſo navigationis initio vento adverſante repellitur; ſed „ ad portum repulſa revocatur.] Non eſt opus pluribus. Vel etiam Ethnici Philoſophi vox illa fuit apud Senecam epiſtola 68. Vitam ſecuram, & ſine ullis fortunæ incurſionibus mare mortuum eſſe. Et alterius illa; Malo me Fortuna in caſtris ſuis, quàm in delicijs habeat.

CAPUT IV.

De multiplici adverſitatum utilitate.

DE adverſitatum utilitate plurima dictum videri poſſit ſatis in ſuperiori capite 2. omnia enim illa, propter quæ Patres voluerunt eas à Deo permitti bonis, magnoperè ſanè utilitatem illorum demonſtrant. Operæ tamen me pretium adhuc facturum puto, ſi adjunxero quædam.

Prima utilitas. Probant nos Primum illud ſit, quod eæ plurimùm probant bonos, & malos, electos, & reprobos, veros Dei ſervos, & fucatos. Ita locutus eſt Tert. in lib. de fuga in perſecutione c. 1. [Perſecutio, inquit, neceſſaria eſt; ad probatio„ nem ſcilicet ſervorum Dei, ſive reprobatio„ nem.] Et c. 2. [Iniquitas adhibetur, ut ju„ ſtitia probetur, confundens iniquitatem.] Et cap. 3. [Cùm exurimur perſecutionis ardore, „ probamur de fidei tenore.] *Scala Iacob.* Quam ob cauſam in c. 1. dixit eſſe velut ſcalam, quam vidit Iacob Gen. 28. alijs aſcenſum in ſuperiora, alijs deſcenſum ad inferiora demonſtrantem. Et rurſùm eſſe velut palam ventilantem aream Domini, & granum à paleis ſeparantem: *Pala ventilans.* „ [Hæc, inquit, eſt pala illa, quæ & nunc do„ minicam aream purgat; Eccleſiam ſcilicet „ confuſum acervum fidelium eventilans, & „ diſcernens fructum martyrum, & paleas ne„ gatorum.] Qua de re plurimus eſt apud Patres ſermo. Inter quos S. Ambroſius lib. 2. de interpellatione Job. cap. 5. citans verba illa Job c. 21. de malorum hominum proſperitate loquentis; Erunt ſicut paleæ à vento. Injuſti, inquit, ſicut paleæ ventilantur, juſti ſicut triticum; ſicut Luc. 22. dicitur Satanas expetivit, ut cribraret vos ſicut triticum. Deficiunt illi, qui ſicut paleæ ventilantur: non deficit, qui ad ſimilitudinem illius grani eſt, quod cecidit, & reſurrexit plurimorum fructuum acceſſione cumulatum. Ideò Mich. 7. dicitur: Heu me, quia factus ſum, ſicut qui colligit ſtipulam in meſſe. Stipulæ, quæ citò exuritur, impietas comparatur, & pulveri. Ideò additur Job 21. Et ſicut pulvis, quem abſtulit turbo. Et S. Greg. Papa lib. 26. mor. c. 9. [Re„ proborum nequitia trituræ more electorum „ vitam, quaſi grana à paleis ſeparans, premit, „ ut purget. Mali enim bonos ab hujus mundi „ deſiderijs expediunt, dum affligunt: quia „ dum multa eis hic violenta ingerunt, feſti„ nare illos ad ſuperna compellunt.] Ita obſervat, & vocante Moyſe, & Pharaöne ſæviente filios Iſraël ex Ægypto eductos fuiſſe.

Secunda utilitas. Purgant animam. Secunda Utilitas eſt, quòd adverſa purgant hominis animam, proſpera inquinant, & deteriorem faciunt, juxta illud Pſalmi 11. Argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum ſeptulum. Et Pſ. 16. Igne me examinaſti, & non eſt inventa in me iniquitas. Non ſicut fœnum, redigendo in cineres, ait S. Aug. in Pſ. 65. ſed ut argentum, purgando à ſcoria, ut enim ignis purgat metalla ab omni ſcoria, ſic animam tribulatio, & adverſitas ab omni mundat iniquitate. S. Aug. in com. Pſ. 132. veſtes conſiderat à fullonibus contundi, extendi, & quodammodò crucifigi, ut mundentur. [Veſtis, inquit, Sacerdotalis „ Eccleſiam ſignificat, hæc mundatur, ut non „ habeat maculam, & extenditur, ut non ha„ beat rugam. Videmus quotidie à fullonibus „ tunicas quodammodò crucifigi, ut rugam „ non habeant.] Itaque S. Greg. Magnus lib. 26. moral. c. 14. gravem Dei ultionem putat, ſi iniquorum pravis deſiderijs, nulla reſiſtat adverſitas: [Perverſi, inquit, tunc pejore ultio„ ne damnantur, cùm nulla eis adverſitate re„ ſiſtitur, & tunc fortiter iræ periculis ſubja„ cent cùm proſperè peragunt, quod nequiter „ concupiſcunt.] Manifeſtumque aſſerit eſſe perditionis indicium, quando affectatis iniquitatibus ſubſequens favet effectus, & nulla contrarietas impedit, quod mens perverſa concepit. Idem in 1. parte paſtor. curæ cap. 3. fugiendam aſſerit curam regiminis, quâ cæteris præponaris, exemplo Chriſti, qui Jo. cap. 6. fugit in montem, nè fieret Rex: ſed pœnam probroſæ mortis appetijt. Nam proſpera ſæpè per tumorem cor inquinant, adverſa per dolorem purgant. Quod & Saülis, & Davidis confirmat exemplis. Sed & Sanctus Jo. Chryſoſt. hom. 66. ad populum, aliorum plurium, maximè Hebræorum, Ninivitarum, Salomonis, Abſalonis, Job, & aliorum. [Tunc enim, in„ quit, anima purgatur, cùm propter Deum tri„ bulatur, tunc majori potitur adjutorio, quan„ do & majoris indiget auxilijs, majoriſque „ gratiæ, quin & antè mercedem à Deo pro„ poſitam magna bona decerpuntur ab anima „ ſapiente jam reddita. Nam & faſtum con„ trahit, & omnem excidit torporem tribula„ tio, & ad patientiam ungit, & humanarum „ rerum utilitatem revelat, & multam intro„ ducit ſapientiam; omnes enim motus ipſi „ cedunt, invidia, æmulatio, concupiſcentia, potentiæ,

Digitized by Google

„ potentiæ, pecuniarum, & corporum amor, „ arrogantia, faſtus, ira, & omninò reliquum „ vitiorum examen.] Et universè S. Aug. in Pſalmum 138. [Tota miſeria, in qua gemit „ mundus, dolor medicinalis eſt, non ſenten- „ tia pœnalis.] Quòd ſi peccator hujus mundi doloribus non corrigatur, ad æterna, inquit S. Greg. lib. 15. moral. c. 29. ſupplicia vocatur, eoſque dolores Propheta in Pſ. 10. partem calicis vocet, quia eorum paſſio hìc quidem per dolorem incipit, ſed in ultione perpetua conſumatur.

Tertia utilitas. Sanant animam. Tertia huic ſimilis, atque hanc conſequens utilitas adverſitatum eſt, quòd ſanant ânimam. S. Greg. lib. 7. moral. c. 2. & 3. ſagittam adnotavit in ſacris litteris tum prædicationis verba ſignificare, quæ vitia noſtra feriunt, & corda transfigunt, ut in Pſ. 44. & Iſ. 66. tum animadverſionis percuſſionem. Nam in 4. libro Regum c. 13. dixit Eliſæus ad Ioâs Regem Iſraël: Jace ſagittam, percutieſque Syriam donec conſumas eam, & Job c. 6. Sagittæ Domini in me ſunt, quarum indignatio ebibit ſpiritum meum. [Spiritus enim hominis eſt „ ſpiritus elationis: Sagittæ autem Domini „ ſpiritus hominis ebibunt, cùm ſupernæ anim- „ adverſionis ſententiæ afflictam mentem ab „ elatione compeſcunt, & intentum exterio- „ ribus introrſum trahunt.] Hinc in Pſ. 37. inquiebat David; Ego autem ad flagella paratus ſum: [Quia enim viri Sancti, inquit idem „ Greg. c. 7. mentis ſuæ corruptionis vulnus „ ſine putredine non eſſe conſiderant, libenter „ ſe ſub manu medici ad ſectiones parant, ut „ aperto vulnere virus peccati exeat, quod ſa- „ na cute intùs occidebat.] Hinc præſentis vitæ proſperitatem nequaquam eſſe innocentiæ teſtem argumentatur in lib. 15. c. 24. quia multi ad perennem vitam per flagella redeunt, & plerique ad infinita ſupplicia perducendi ſine flagello moriuntur. Dum verò peccator percuſſus, & flagellatus ad Deum revertitur. „ [Verè (ut in c. 31. de æterna pœna loqui- „ tur) prudens eſt in pœna, qui ſtultus fuit in „ culpa, quia dolore conſtrictus, ad rationem „ oculos aperit, quos voluptati deditus clauſit; „ & pœna torquente exigitur, ut ſapiat, qui „ excœcante ſe ſuperbia deſipiebat.]

Adverſitas medicina. Alibi quoque adverſitatem docuit optimam eſſe medicinam, quæ interiorem viſcerum fervorem ad cutem trahat, ut indè ſanetur anima. Sic enim habet in 33. libro mor. c. 17. „ [Alta diſpenſatio judiciorum Dei ideircò ſæ- „ pè nos vel minis impetit, vel flagellis premit, „ vel impoſitis oneribus gravat, quia prævidet, „ quod ſi quieti, ac liberi in tranquillitate per- „ ſiſteremus, tentationes ferre adverſarij non „ valentes, mente proſtrati vulneribus jacere- „ mus. Moris quippè medicinalis eſt, ut fer- „ vorem viſcerum in pruriginem cutis trahat, „ & indè interiùs curat, undè exteriùs ſauciat.]

Quarta utilitas eſt, quòd adverſa magnoperè tenent nos, nè cadamus, contrà proſpera. *Quarta utilitas. Nè cadamus.* Et multò plures in proſperis cadunt, quia tunc omnia videntur invitare ad malum: mundus faciliùs trahit, dæmon faciliùs perſuadet, caro faciliùs obtînet, quod deſiderat, ac demùm faciliùs obliviſcimur Dei. Quippè Ephraim, & Manaſſes fratres ſunt, quorum Ephraim abundantiam ſignificat, & Manaſſes oblivionem. Et omninò iniquis permittit Deus proſpera, ut ad voluntatem eveniant omnia, & ut de iniquo quopiam dicitur, Dan. 8. Dirigitur dolus in manu ejus. Electis autem adverſa, ut dum eorum votis, quemadmodùm Greg. loquitur lib. 34. moral. c. 2. valida contrarietas naſcitur, ex ipſa impoſſibilitate corrigantur. Undè Oſ. 2. dicitur; Ego ſepiam viam tuam ſpinis, & ſepiam eam maceria, & ſemitas ſuas non inveniet: propterea dicet: Vadam, & revertar ad virum meum priorem, &c. „ [Meretricis viæ, inquit Sanctus Hieronymus „ in commentario ad caput 23. Iſaiæ, ſepiun- „ tur à Domino ſpinis, nè ſequi poſſit ama- „ tores ſuos, ut hac neceſſitate compulſa re- „ vertatur ad virum ſuum priſtinum.] Quod & in ſæculi rebus frequenter animadvertimus, multos, qui per proſpera, & abundantiam omnium rerum dominum ſentire non poterant, intelligere per inopiam, & converti ad opera juſtitiæ, poſtquàm eorum manus non prævaluerit, fœlicitate hujus ſæculi perfrui. Præclarè verò de hoc ratiocinatur Sanctus Chryſoſtomus hom. 9. in ep. ad Rom. adverſa nos quaſi ligare, & conſtrictos tenêre, nè cadamus; proſpera liberum ſolutis dare lapſum. „ [Qui ab afflictione, inquit, perculſus in di- „ verſum agitur, id multò faciliùs à laborum „ relaxatione patietur. Si enim ligatus cadit, „ multò faciliùs ſolutus: ſi conſtrictus, & co- „ ercitus in diverſum agitur, faciliùs multò in „ ſtultam ſui perſuaſionem adductus.]

Quinta eſt, quod adverſa augent bona opera, fœcundant animum, & omninò ad Deum, *Quinta utilitas. Augent bona.* divinaque compellunt, à quibus plurimùm ſolent avocare proſpera. Ita Tertull. in libro de fuga in perſecutione c. 1. [In perſecutione fi- „ des, in expeditione ſollicitior, & diſciplinatior „ in jejunijs, & ſtationibus, & orationibus, & „ humilitate in alterutra diligentia, & dile- „ ctione, in ſanctitate, & ſobrietate.] S. Greg. lib. 26. moral. c. 10. ignis utitur exemplo, qui flatu premitur quidem, ſed creſcit. [Ele- „ ctorum, inquit, deſideria dum premuntur, „ ſic adverſitate proficiunt, ſicut ignis flatu „ premitur, & creſcit, & undè quaſi extingui „ cernitur, indè roboratur.] Et in Pſ. 17. dicitur: Qui perfecit pedes meos, quaſi cervorum. [Cervus enim cùm montium juga con- „ ſcendit, quæque aſpicit aſpera, quæque ſeſe objiciunt

Digitized by Google

„ objiciunt ſentibus illigata, dato ſaltu trans-
„ greditur, & abſque ullo curſus ſui obſtaculo
„ in ſuperioribus elevatur.] Et S. Ambr. ſer. 12. in Pſal. 118. adfert illud Cant c. 5. Aperi mihi ſoror mea ſponſa, quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium. Tunc enim maximè pulſat januam tuam Deus, cùm repletum eſt caput rore nocturno. In tribulatione enim & tortoribus poſitos viſitare dignatur, nè quis fortè ſuccumbat victus ærumnis. Propterea voluit S. Jo Chryſ. h. 34. operis imperfecti priſcos homines cum majori difficultate juſtitiam ſervâſſe, quàm nos nunc ſervare poſſimus, quia tunc mundus in juventute bonis omnibus proſperabatur, nunc verò in ſenectute adverſis plurimis exercetur: Et Sanctus Ambroſius in epiſtola ad Vigilium veteres Hebræos ſcribit, quia rerum ſecundarum inſolentiâ extollebantur, ſæpè datos à Deo fuiſſe in poteſtatem hoſtium, ut remedium malorum de cœlo ſibi quærerent. S. Auguſtinus in libro de beata vita, hoc nobis prodeſſe dixit adverſa, quod navigantibus tempeſtates: Ut enim illos hæ in portum, ſic illa nos ad cœleſtem compellunt patriam. Et epiſtola 138. ad Clerum, & populum Hipponenſem, præſentis vitæ tribulationum hunc duplicem admonet fructum eſſe oportêre; ut & de beata vita cogitemus, quæ ab his omnibus erit moleſtijs libera; & quemadmodùm horrendas inferni pœnas evadamus: [Si vos aliqua, inquit, mole-
„ ſtia temporalis exagitat, ipſa vos admonêre
„ debet, quemadmodùm de illa vita cogitare
„ debeatis, ubi ſine aliquo labore vivatis, eva-
„ dentes non moleſtas anguſtias temporis par-
„ vi, ſed horrendas pœnas ignis æterni. Nam
„ ſi modò tantâ curâ, tanta intentione, tanto
„ labore agitis, nè in aliquos cruciatus tranſi-
„ torios incidatis; quantùm vos oportet eſſe
„ ſollicitos, ut ſempiternas moleſtias fugiatis?]
Ita illud, quod aliquando dixit Paulus Rom. 8. Diligentibus Deum omnia coöperantur in bonum: tum de proſperis, tum de adverſis intelligit in epiſtola 156. ad Probam; quando illa ſic ſumimus, nè capiamur; hæc ſic ferimus, nè frangamur, & omninò nimis verum eſt id, quod ſubjungit: [Si fallacis proſperi-
„ tatis ſemper hic tranquillitas arrideret, ani-
„ ma humana portum veræ, certæque ſecuri-
„ tatis non appeteret.]

Sexta utilitas. Pietas. Sexta eſt pietas, quam explicavit Paulus in poſteriore ad Tim. epiſtola cap. 3. cùm dixit: Omnes, qui piè volunt vivere in Chriſto Ieſu, perſecutiones patientur. Ita ut pietas, & perſecutio videantur retrò commeare, ac ſeſe viciſſim conſequi, ut & pij homines perſecutionem patiantur, & qui perſecutionem patiuntur, pietatem obtineant. [Mavult ergò perſecu-
„ tiones pati, ait S. Ambroſius ſermone 11. in
„ Pſal. 118. ut piè vivere in Chriſto poſſit, &
„ fortaſsè cùm perſecutiones non patimur, tan-
„ quam condemnati habemur, quia nequa-
„ quam piè vivere volumus in Chriſto; ſed hoc
„ ſolum ad gloriam fructuoſum, hoc ad cuſto-
„ diam ſalutis tutum; ut frequentibus exerci-
„ tijs juſti pietas confirmetur. Citò enim fides
„ inexercitata langueſcit, & crebris otioſa ten-
„ tatur incommodis. Remiſſas excubias calli-
„ dus inſidiator irrumpit: aſſuetum autem bel-
„ lo virum externa fraus inſtruit, & glorioſæ
„ provehit palma victoriæ; & quæ ſeq.]

Septima utilitas. Cæleſtis corona. Septima eſt cœleſtis corona, & præmium quod nobis adferunt adverſa patienter, & propter Deum tolerata; ut non dubitaverit Tertullianus affirmare in libro de corona militis cap. 2. Neminem fidelium coronam capite noſſe aliàs extrà tempus tentationis ejuſmodi. Cæteri Patres exemplis pluribus uſi ſunt. Nam S. Aug. exponens titulum Pſalmi 55. Cùm teneretur David in Geth. [Geth, inquit,
„ ſignificat torcular, & Chriſtus pro corpore
„ ſuo clamat, Saüle, cùr me perſequeris? Te-
„ netur in torculari corpus ejus, id eſt, in preſ-
„ ſuris. Sed in torculari fructuoſa preſſura eſt.
„ Uva in vite preſſuram non ſentit, ſed nihil
„ indè manat; in torculari calcatur, premitur,
„ injuria illi videtur fieri, ſed ſi non fieret, ſte-
„ rilis remaneret.] Et rursùm in Pſalmum 83.
„ [Uva, & olivæ, dum liberè pendent in ar-
„ boribus, nihil adferunt: at dum in torcula-
„ ribus premuntur, fluunt vinum, & oleum.]
Et S. Greg. Papa h. 15. in Evang. [Uva calci-
„ bus tunditur, & in vini ſaporem liquatur;
„ Sic oliva contuſionibus expreſſa amurcam
„ ſuam deſerit, & in olei liquorem pingueſcit.
„ Sic per trituram areæ à paleis grana ſeparan-
„ tur, & ad horreum purgata perveniunt.] Arbores quoque, & herbas tum hyeme, tum æſtate, conſiderat Aug. in ſer. 72. ad fratres in eremo, dum ita loquitur: [Nunc non appa-
„ rent merita juſtorum, & nominatur fœlici-
„ tas impiorum. Herba lætior per hyemem
„ viget, arbor videtur arida: cùm ſol æſtate
„ exierit ferventior, arbor repletur folijs, &
„ fructibus, herba areſcit. Sic modò juſti la-
„ borant, antequam veniat æſtas; vita in radi-
„ ce eſt, nondum apparuit in ramis.] Et Sanctus Joannes Chryſ. h. 43. in priorem epiſt. ad Cor. ex artificibus, ac mercenarijs exemplum ſumit:
„ [Sicut enim artificibus accidere videmus, qui
„ ſi ipſi ſe alant, & operentur, majorem ac-
„ cipiunt mercedem, ſin verò apud conducto-
„ res ipſos victitant, non parùm illis de mer-
„ cede ſua detrahitur, ita & cum Sanctis agi-
„ tur. Si quis enim & innumera bona fuerit
„ operatus, tum verò & innumera mala per-
„ peſſus, integram habet mercedem, & ple-
„ niſſimam retributionem; non bonorum tan-
„ tùm, quæ fecerit, ſed malorum etiam, quæ
„ tulerit. Qui autem requie hic, & fœlicitate

„ fruitus eſt, tam ſplendidam iſtic coronam „ non eſt conſecuturus.] Immò Sanctus Anſelmus in elucidario, infœliciſſimos appellat eos, quibus hìc proſpera cuncta, & omnia deſideria ſua pro libitu ſuo implère permittitur, quia velut arida ligna ad ignem nutriuntur: fœliciſſimos autem illos, qui hìc à ſuis deſiderijs artentur, & multis aſperitatibus exercentur, quoniam ad regnum ut filij flagellis erudiuntur. Undè & Chriſtus beatos prædicavit, qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.

Octava utilitas. Dant intellectum. Octava eſt illa, quàm habet Iſaias cap. 28. Vexatio intellectum dabit. Quod S. Bernardus in libro 1. de conſideratione, ita vult intelligi, ut non ſit nimia, nam ſi nimia ſit, non planè intellectum dat, ſed contemptum, & impius cùm in profundum venerit, contemnit. At definiendum eſſet, quænam ſit dicenda nimia. Certè maxima fuit vexatio Job, maxima Pauli, ut etiam tæderet ipſum vivere; maxima Sanctorum Martyrum, nec tamen contemptum, ſed ſummam pacem, & gaudium, ſummamque divinæ voluntatis approbationem habuêre. Sed Bernardum opinor conſideràſſe à Propheta dictum, daturum intellectum, homini ſcilicet intellectum non habenti, nec magna virtute prædito.

Nona utilitas. Amicos oſtendunt. Nona numerari poteſt, ut veros cognoſcamus amicos. Adnotavit hoc S. Gregorius Papa lib. 7. moral. c. 10. ubi dixit; [Cùm quis „ poſitus in proſperitate diligitur; incertum „ valdè eſt, utrùm proſperitas, an perſona di„ ligatur. Amiſſio autem fœlicitatis interrogat „ vim dilectionis. Undè non agnoſcitur in bo„ nis amicus, & non abſconditur in malis ini„ micus. Quia & ille ſæpè proſperitatis no„ ſtræ reverentiâ tegitur, & iſte ex confiden„ tia adverſitatis aperitur.] Sed & multò antè Ovidius dixerat:

Lib. 1. Tr. eleg. 8. *Donec eris fœlix multos numerabis amicos;*
Tempora ſi fuerint nubila, ſolus eris.

CAPUT V.

Æquè adverſa, & proſpera toleranda eſſe.

Moyses creationem enarrans mundi, Deum ſcribit veſperè, & manè conjungendo feciſſe diem unum; ſed & deinceps adverſa, & proſpera copulando vitam noſtram abſolvit. *Gen 1. dies & nox quid.* Sic enim manè, & veſperè proſperitatem, & adverſitatem interpretatum fuiſſe video Sanctum Auguſtinum in Pſal. 64. & conc. 1. in Pſal. 70. cùm diceret David; Os meum annuntiabit juſtitiam tuam tota die laudem tuam: [Laudandus, inquit, eſt Deus toto tem„ pore, die, & nocte, in proſperis, & adverſis. „ Dies eſt proſperitas, nox adverſitas.] Et in Pſal. 133. [Benedicere Deo die, & nocte, eſt „ benedicere in proſperis, & adverſis.] Et cùm dixiſſet Job cap. 3. Quare miſero data eſt lux, S. Greg. Papa lib. 5. moral. c. 2. in ſcriptura monet lucis appellatione proſperitatem, noctis adverſitatem ſignificari, & in Pſal. 138. Prophetam dicere: Sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus, quia Sancti Viri ità proſperitatem ſæculi deſpicientes tolerant, ſicut adverſitatem ejus calcantes tolerant. Contrà verò in cap. 28. de reprobis dictum affirmat cap. 4. de mane uſque ad veſperam ſuccidentur. Quia & per proſpera laſcivientes pereunt, & per adverſa impatientes ad inſaniam exurgunt. Et rurſùm libro 13. cap. 15. de electis exponit illud, quod legimus cap. 17. Noctem verterunt in diem. *Job 17.* Quoniam juſtis nonnunquam ampliùs placet ex adverſitate mala perpeti, quàm ex proſperitate terrenæ diſpenſationis cura fatigari. Job notavit Origenes libro 2. in Job; teſta raſiſſe ſaniem, ut augens dolorem irrideret diabolum plagarum autorem. *Job cur teſta radebat.* Sicut & quando opes, & filios illi abſtulit, veſtem quoque, & comam capitis abſcindens, illi projecit. *Cum veſtem ſcidit.* Ideò & in Pſ. 65. glorioſi cantant Sancti: Tranſivimus per ignem, & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium. [Ignis urit, in„ quit eo loco Aug. aqua corrumpit: utrum„ que metuendum, & uſtio tribulationis, & „ aqua corruptionis. Vide nè te ignis exurat, „ nè aqua corrumpat, coqui te oportet, tan„ quam vas fictum mitteris in caminum ignis, „ ut firmetur, quod formatum eſt. Vas, quod „ in igne firmatum eſt, aquam non timet: ſi „ ſolidatum igne non fuerit tanquam lutum a„ quâ ſolvetur, noli feſtinare ad aquam; per „ ignem tranſi ad aquam, ut tranſeas & per a„ quam.] Et S. Bern. in ſer. de tranſitu Malachiæ Epiſcopi: [Tranſivit per ignem, & aquam, „ quem nec triſtia frangere, nec detinêre mol„ lia potuerunt. Eſt enim deorſùm nos locus, „ quem ſibi totum vendicat ignis, adeò ut nè „ minimam quidem aquæ guttam de Lazari „ digito miſer ille dives ibi habêre potuerit. „ Eſt & ſurſùm civitas Dei, quam lætificat „ fluminis impetus, voluptatis torrens, calix „ inebrians quàm præclarus. In hòc ſanè me„ dio boni, & mali ſcientia continetur, & vo„ luptatis, & tribulationis hìc capere eſt expe„ rimentum; hìc planè dies, & nox. Nam in „ inferno tantùm nox, in cœlo tantùm dies. „ Beata anima, quæ utrumque pertranſit, nec „ voluptati inhærens, nec deficiens in tribula„ tione.] Hùc etiam ſpectat Plutarchi liber de animi tranquillitate, in quò plura in hanc ſententiam ſcripſit. Inter cætera, vitam noſtram ex Platone cum alea comparavit; inqua utcunque ceciderit jactus, adhibenda aleatori cura eſt, ut eò quod caſus tulerit, quàm rectiſſimè utatur. Horum alterum in nobis ſitum

Digitized by Google

tum non eſt aleæ jactus, alterum ſitum eſt, ſi ſapientes ſimus, id, quod ſors attulerit, æquo animo ut excipiamus. Addit & muſicam acutis ſonis, & gravibus, grammaticamque vocalibus litteris, & mutis conſtare, neque muſicum, aut grammaticum dici, qui horum alterutro, ſed qui utriſque uti novit. Ita ſapientem illum eſſe, qui & ſecunda, & adverſa ſcitè miſcère, & compenſare poſſit. In hoc etiam S. Bern. & in ſer. 43. in Cant. agnoſcit ubera ſponſæ, de quibus dicitur: Inter ubera mea commorabitur. [Quia enim inter adverſa, & proſ-
„ pera verſans, novit utrobique pericula non
„ deeſſe, medium uberum ſuorum vult habère
„ dilectum, cujus protectione muniatur, nè læ-
„ ta extollant, nec triſtia deijciant.] Et Sanctus Greg. lib. 1. in 1. Regum, dum loquitur Anna cap. 2. Pedes ſanctorum ſuorum ſervabit; pedes quibus ad ſupernam patriam tendimus, proſpera interpretatur, & adverſa, in quibus fortitudine, & humilitate firmamur. Et in 1. regiſtri libro cap. 24. utroque humero, dextro, & ſiniſtro, veterem Sacerdotem velamine ſuperhumeralis aſtrictum fuiſſe obſervat, ut contrà proſpera, & adverſa virtutum ſemper ornamento muniretur, eandemque ob cauſam Concilij Bracarenſis 3. Patres c. 3. noſtrum quoque Sacerdotem miſſam celebrantem voluerunt utrumque humerum orario habère circumſeptum. Et S. Ambroſius ſer. 14. in Pſal. 118. Et S. Bernardus ſer. 51. in Cant. & Joan. Caſſ. collat. 6. Abbatis Theodori c. 10. Et S. Gregorius in 3. part. paſtor. curæ admon. 27. dexteram, & ſiniſtram ſponſi, proſpera, & adverſa intellexerunt, dum loquitur ſponſa: Leva ejus ſub capite meo. & dextera illius amplexabitur me. Et illud Pſal. 90. Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis, idem S. Bern. ſer. 2. in ramis Palmarum, & in ſer. de tranſitu Malachiæ, eodem modo interpretatus eſt, dexteram proſperitatem, ſiniſtram adverſitatem deſignare. Perindè acſi dixiſſet Propheta, cadent multi ad ſiniſtram adverſitatum, multòque plures ad dexteram proſperitatum. Tu verò, qui totam ſpem tuam poſuiſti in Deo, atque altiſſimum poſuiſti refugium tuum; firmus ſtabis, & immobilis; nec declinabis ad dexteram, nec ad ſiniſtram, neque in ſuperbiam adducent proſpera, neq; in deſperationem adverſa. Velut ſcopulus in mari, qui ſive tranquillum ſit mare, ſive tempeſtate agitatum, eodem ſemper modo ſe habet. Propterea S. Joannes Chryſ. h. 2. ad populum; Chriſtianum, ait, hoc differre ab infidelibus oportère, ut omnia generosè ferat; & veluti alatus ſe humanorum malorum impetu ſuperiorem exhibeat. [Suprà
„ petram ſtatutus eſt fidelis, undarum ictibus
„ inexpugnabilis. Si enim tentationum undæ
„ elevatæ fuerint, ad illius pedes non perveni-
„ unt, quia omni tali incurſu ſublimior firma-
„ tus eſt.] Eſt velut corpus cubum, & quadratum, ut ratiocinatur S. Gregorius Papa h. 21. in Ezech. [Viri Sancti, inquit ille, lapides quadri,
„ quia in proſperitate, atque adverſitate nòrunt
„ fortiter ſtare. Et Eccleſia Sancta de quadris
„ lapidibus ædificata eſt.] Et S. Aug. in lib. 65. quæſtionum q. 52. Sanctos, ait, eſſe ligna quadrata, ex quibus arca Noë conſtructa erat: quia quadratum in quamcunque partem poſueris, fortiter ſtat; & Sancti in quibuslibet tentationibus ſtabiles permanent, non adverſitatibus, non proſperitatibus cedunt. Judic. 3. cùm in gentibus erudiret Dominus Iſraël, & tradidiſſet eos in manus Eglon Regis Moab, illique decem, & octo annis ſerviſſent; tandem clamaverunt ad Dominum, qui ſuſcitavit eis Salvatorem vocabulo Aod, qui utraque manu pro dextera utebatur. Virum juſtum, & Dei ſervum eſſe ambidextrum, & utraque manu dextera, & ſiniſtra, & proſperitate, & adverſitate, æquè uti, interpretatur Joannes Caſſ. collat. 6. citata. Aliqui in ſolis adverſis benè ſe gerunt, humilitatem cuſtodiunt, & Deo cohærent; Pſ. 77. Cùm occideret eos, quærebant eum, & revertebantur, at ſuccedentibus proſperis ſuperbiunt, contemnunt omnes, à Deo recedunt, & quidam ad dignitatem promotus dixit: Non novi me ipſum. Polypus ita adhæreſcit ſaxis in mari, ut nulla divelli vi poſſit: at, ſi vel olei parum infuderis, ſtatim avellitur. Et iſti proſperitatis oleum ſentientes à petra, quæ eſt Chriſtus, illicò ſeparantur. Alij ſunt, qui tunc ſolùm pietatem, ac virtutem retinent, cùm cuncta ſunt proſpera; juxtà illud Pſal. 48. Confitebitur tibi, cùm benefeceris ei. In adverſis verò cadunt in impatientiam, & querelas adversùs Deum. Juſti velut domeſtici Dei, ut dicitur Proverb. 31. veſtiti ſunt duplicibus, ut & adverſitatis hyemem, & proſperitatis calorem tolerare poſſint. Nimis pauper eſt nobilis ille, qui non habet pallium, niſi pro hyeme, eodemque cogitur æſtivo quoque tempore uti: ſed miſerior ille, qui veſtem non habet, niſi aut ad tribulationem ſolam, aut ad proſperitatem ſolam tolerandam. Theodoretus libro quarto in Cant. dum interpretationem facit illorum verborum cap. 6. Deſcendi in hortum nucum: præſentem intelligit vitam, & juſtos, qui velut nuces exteriorem habent corticem amarum tribulationibus multis, & adverſis rebus, ſed interiorem continent nucleum ſuavem, & dulcem, dum interiorem non amittunt pacem, nec pietatem, ſed ſuperabundant conſolatione, & gaudio, quemadmodùm de ſe ipſo loquebatur Paulus in poſt. ad Cor. 7. Superabundo gaudio in omni tribulatione noſtra. Calcei noſtri, quia conſtant pellibus mortuorum animalium, quantò magis ambulamus, tantò magis conſumuntur: ſi nudis incedas pedibus, eorum pellis non conſumitur,

Cant. 1.

Polypus.

ſumitur, ſed duratur magis: animata enim eſt. Et qui ſpiritum interiorem non habet, conſumitur,& deficit in tribulationibus;qui ſpiritum Dei habet,fit fortior in dies,& conſtantior. Manus eadem ſemper eſt;&cùm in palmam extenditur,& cùm in pugnum conſtringitur; & vir prudens,inquit S. Aug. in ſer. 4. ad fratres in eremo,ſemper eſt idem,ſive proſperis rebus diffluat,ſive contrahatur adverſis. Parùm peritus eſt gubernator, qui navim regere neſcit, niſi dum proſperum habet ventum; ſed tunc peritiam ſuam oſtendit,ubi contrarius eſt ventus,& magna ſævit tempeſtas. Undè S. Amb. ſer. 8. in Pſ. 118. [Laudaverim,inquit,virtutem guber„natoris, qui nullas procellas ſenſerit, & cur„ſum navigij direxerit nulla tempeſtate jacta„tus? ſed illum laudaverim,qui adverſùs ven„tos renititur, inſurgit adverſùs fluctus, non „timet, vel cùm in altum elevatur undis navi„gium,vel cùm ad profundi ima deponitur. Ita „& ille laudandus eſt gubernator ſui, qui ea, „quæ adverſa ſunt,vincit patientiâ,virtute ſu„perat, ſecundis non extollitur, adverſis non „frangitur.] Et lib. 1. de Jacob, & vita beata c. 8. [Perfecti eſt viri communitatem naturæ „ſuſtentare animi virtute, & ad meliora ad„ducere, nec ſuccumbere ijs,quæ pleriſq; ter„ribilia, & formidoloſa videntur: ſed quaſi „fortem militem graviſſimorum caſuum ſuſti„nêre incurſus,conflictus ſubire:& quaſi pro„vidum gubernatorem navem in tempeſtate „regere,atq; occurrendo inſurgentibus flucti„bus magis vitare naufragium ſulcando undas, „quàm declinando.] Juſtus eſt peritiſſimus gubernator,qui cum omni vento ad cœlum navigare novit. Eſt ſemper & ubique unus, & idem; ſicut de Elcana Samuëlis parente dicitur in primo libro Reg. cap. 1. Fuit vir unus de Ramathaim Sophim. Nullus inſipientium eſt unus,inquit S. Hier. ſed multi. Et Eccleſiaſtici cap. 27. Homo Sanctus in ſapientia manet ſicut ſol; ſtultus autem ſicut luna mutatur. Non habuit tantam ſol conſtantiam in cœlo, quantam Apoſtoli, & martyres in tribulationibus ſuis. Et de Beata Virgine cantat Eccleſia: Electa ut ſol,immò verò maiorem illa juxtà crucem habuit firmitatem quàm ſol: hic enim defecit, & lumen ſuum amiſit, illa perſeveravit conſtans in fide. Cadunt iſti ad dexteram, illi ad ſiniſtram juſtus ſemper ſtat.

Verebatur magnoperè Salomon, & timebat incidere in has manus, & ideò rogabat Deum Proverb. 30. Mendicitatem, & divitias nè dederis mihi, tribue tantùm victui meo neceſſaria: nè fortè ſatiatus illiciar ad negandum, & dicam: Quis eſt Dominus? aut egeſtate compulſus furer, & per jurem nomen Domini. Inter has manus dexteritate ſumma incedebat Job, qui dum eſſet dives, & potens, non extollebatur, ſed offerebat quotidie ſacrificia pro filijs, nè fortè peccâſſent: & illius domus patebat omnibus, & erat oculus cœco, & pes claudo, pater pauperum, & viduarum, & de velleribus ovium ejus calefiebant infirmorum humeri, & nè in corde quidem ſuo ſuper inimici ruinam gaviſus eſt. In adverſis autem quanta æquanimitas, & patientia! Omnibus ſimul orbatus liberis, bonis omnibus ſpoliatus, in ſterquilinio ſedens, opertus vermibus, atque ulceribus, teſta ſaniem radens; Deum ſemper laudans, Dominus, inquiebat, dedit, Dominus abſtulit, ſit nomen Domini benedictum: ſi bona ſuſcepimus de manu Domini, mala quare non ſuſtineamus? nudus egreſſus ſum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc. Quid dicam de Patriarcha Joſeph? qui in proſperis ergà Deum pius fuit, parenti fidelis, & gratus, fratribus religioſus. In adverſis autem fidelis domino, injuriarum immemor, beneficus illis, à quibus venditus, ac penè occiſus fuerat. Hi verè ambidextri dicentur, qui neque ad dextram cadunt, nec ad ſiniſtram, ſed ſapienter utrâque utuntur fortunâ: Per arma juſtitiæ à dextris, & à ſiniſtris, per gloriam, & ignobilitatem, per infamiam, & bonam famam, ut in poſteriore ad Corinthios epiſtola ſcribit Apoſtolus. „[Virtutes autem, ut habet Anſelmus ad ca„put 6. epiſtolæ poſterioris ad Corinthios,ſunt „arma juſtitiæ, quibus muniri debemus à dex„tris, & à ſiniſtris, id eſt in proſperis, & ad„verſis, ut his muniti, nec proſperis elevemur, „nec adverſis perturbemur, nec blandis ad vo„luptatem demulceamur, nec aſperis ad deſ„perationem premamur.] Et Sanctus Gregorius hom. 19. in Ezech. id, quod ait Propheta cap. 40. Cælatæ erant palmæ, una hinc, & altera indè in fronte ejus. [A dextro, inquit, „palmam habet, quem proſpera non extol„lunt, & à ſiniſtro, quem adverſa non deij„ciunt.] Quas ex utraque parte portabat Paulus, cùm diceret: Per arma juſtitiæ à dextris, & à ſiniſtris: quia & in adverſitate fortis, & in proſperitate humilis permanebat. Uno verbo dicam cum Sapiente Prov. 12. Non contriſtabit juſtum quidquid ei acciderit. Quod de Stephano S. Gregorius narrat in 4. libro dialogorum cap. 19. Huic cùm à quopiam combuſta fuiſſet in area meſſis tota, quam ſibi, & diſcipulis ſuis ad totius anni ſuſtentationem collegerat, quid factum eſſet, à quopiam nuntiatum eſt, qui adjunxit, dicens: Veh, veh Pater Stephane, quid tibi contigit, cui ſtatim vultu, ac mente placida ille reſpondit. Veh quid illi contigit, qui mihi hoc fecit? nam mihi quid contigit? Ita nullum vel graviſſimum fortunæ caſum pertimeſcebat. Sed & audi Paulum in epiſt. ad Philipp. cap. 4. Ego, inquit, didici, in quibus ſum, ſufficiens eſſe. Scio & humiliari, ſcio & abundare (ubique, & in omnibus

Job virtus.

Digitized by Google

omnibus inſtitutus ſum) & ſatiari, & eſurire, & abundare, & penuriam pati, omnia poſſum, in eo, qui me confortat. Et in poſter. ad Cor. cap. 4. In omnibus tribulationem patimur, ſed non anguſtiamur; perſecutionem patimur, ſed non derelinquimur; humiliamur, ſed non confundimur; deijcimur, ſed non perimus. Audi & moralis Philoſophi Chriſtianas voces: Virum bonum, inquit in ep. 77. Seneca, concedas neceſſe eſt ſummæ pietatis ergà Deos eſſe. Itaque quidquid illi acciderit, æquo animo ſuſtinebit: ſciet enim id accidiſſe lege divina, qua univerſa procedunt. Sed & Demetrius ultrò offerenda Deo cuncta ſuadet, cujus voces refert in libro de divina providentia. Hoc unum, inquit, Dij immortales queri poſſum, quòd non antè mihi voluntatem veſtram notam feciſtis. Prior enim ad iſta veniſſem, ad quæ nunc vocatus adſum. Vultis liberos ſumere? illos vobis offero. Vultis aliquam partem corporis? ſumite: citò totum relinquam. Vultis ſpiritum? nullam moram faciam, quò minùs recipiatis, quod dediſtis.

Neque verò in temporalibus tantùm rebus, & exterioribus, ſed & in ſpiritualibus, & animæ noſtræ interioribus, & proſpera, & adverſa, conſolationes ſcilicet, & deſolationes, patimur; atque in his quoque ambidextros nos eſſe oportet. Lege Caſſianum loco citato.

CAPUT VI.

Quatenùs in præſenti vita tribulationes afficiant juſtum.

AT ENIM univerſæ huic naturæ tractationi obijci poſſe video id, quod Ex. 15. legimus: Jſraëli namque, ſi ſervâſſet divina mandata promiſit Deus eum ab omni adverſitate liberum, atque immunem futurum: Si audieris, inquit, vocem Domini Dei tui, & quod rectum eſt coram eo feceris, & obedieris mandatis ejus, cuſtodieriſque omnia præcepta illius, cunctum languorem, quem poſui in Ægypto, non inducam ſuper te: Ego enim ſum Dominus Deus ſanator tuus. Et rurſùm in Pſ. 90. homini ſperanti in Deo, & qui poſuerit altiſſimum refugium ſuum, pollicitus eſt David; Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo. Quomodò tot ergò adverſa juſtis? Sed verè Origenes h. 7. in Exodum proferens Job Sanctiſſimum virum, divinæque legis obſervantiſſimum, adverſitatibus afflictum maximis: divinas illas promiſſiones oſtendit intelligendas non eſſe de languoribus, & infirmitatibus corporis; quod ſatis oſtendunt illa verba: Languorem, quem poſui in Ægypto, non inducam ſuper te. Ægyptus namque tenebroſa mundum ſignificat; & diligere mundum, & ea, quæ in mundo ſunt, & omninò peccatum Ægyptius languor eſt. Hæc eſt animæ morbus, & infirmitas, quod & illa Pauli verba confirmant ad Romanos 4. ubi loquens de fide Abrahæ: Non eſt, inquit, infirmatus fide, nec conſideravit corpus ſuum emortuum, cùm centum eſſet annorum. Atque hæc fuit cauſa adventûs Chriſti, ut huic infirmitati, & languori Ægypti mederetur; ut habet Iſai as cap. 53. Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit. Hoc eſt malum, de quo David quoque loquebatur dicens: Non accedet ad te malum, hoc eſt, peccatum, quod eſt malum culpæ, quod abſolutè, & ſimpliciter eſt malum; quia privat bono ſimpliciter, quod eſt Deus. Nam tribulationes, & adverſitates temporales ſunt malum pœnæ, & malum ſecundùm quid, & non ſimpliciter, & abſolutè, nec privant Deo, ſed bónis quibuſdam temporalibus. Malum culpæ Deus non facit, ſed homo peccator; Deus enim peccatum non fecit; facit tamen malum pœnæ; quippè non eſt malum in civitate, quod non fecerit Dominus: Undè Sanctus Dionyſius Areopagita in libro de div. nom. capite 4. Pati ſcripſit non eſſe malum, ſed eſſe dignum malo, & pœna. Et S. Ambroſius libro 1. exam. c. 8. [Mala non ſunt, niſi quæ crimi-
„ ne mentem implicant, & conſcientiam li-
„ gant.] Et S. Joan. Chryſoſt. in hom. de oratione Annæ, tom. 1. [Unum dumtaxat malum *Peccatum.*
„ eſſe putemus, peccatum, & bonum, juſtiti-
„ am.] Et in Pſ. 139. [Nihil eſt, quod lædat
„ hominem, niſi ſolùm peccatum.] Et hom. 2. in priorem ep. ad Tim. [Peccato nihil putidius
„ eſt.] Et ideò in Pſ. 37. dicitur: Putuerunt, & corruptæ ſunt cicatrices meæ à facie inſipientiæ meæ. Et in or. contrà obſervantes novilunia tom. 5. [Nihil malum, niſi ſolùm pec-
„ catum, nihil bonum, niſi virtus ſola, & per-
„ petuùs Dei cultus.] Ac demùm, ut plurima prætermittam quæ ſparſim loquitur hic S. Pater in h. 5. ad populum. [Humanorum, inquit,
„ nullum eſt grave malum, niſi peccatum: non
„ paupertas, non ægritudo, non calumnia, non
„ ignominia, non quæ omnium mors malorum
„ extremum eſſe videtur. Hæc enim calamita-
„ tum nomina tantùm ſunt rebus carentia. Ve-
„ ra autem calamitas peccatum.] Secùs ſentiunt homines, qui nihili facientes peccatum, fœlicitatem in affluentia rerum temporalium ponunt, ut eſt in Pſ. 143. Filiæ eorum compoſitæ, circumornatæ ut ſimilitudo templi. Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud: oves eorum fœtoſæ, abundantes in egreſſibus ſuis: boves eorum craſſæ. Non eſt ruina maceriæ, neq; tranſitus, neq; clamor in plateis eorum. Beatum dixerunt populum, cui hæc ſunt. At non ita eſt. Beatus, inquit Propheta, populus, cujus Dominus Deus ejus. [Non pecunijs af-
„ fluentem, inquit S. Jo. Chryſ. h. 1. ad popu-

 lum,

Digitized by Google

„lum, ſed pietate gloriantem: hunc ego bea-
„tum puto, etſi innumera patitur mala.] Magnoperè conqueſtus eſt Laban Gen. 31. & exprobravit Jacob; Cur furatus es Deos meos? Rachel enim furata erat idola patris ſui. Et in libro Judic. cap. 18. Cùm illi, qui domum Michæ fuerant ingreſsi; aſportâſſent indè idola illius; ipſe exivit poſt eos clamans, & dolens: at illi dixerunt ad Micham; Quid tibi vis? Cur clamas? reſpondit ille; Deos meos, quos feci mihi, tuliſtis, & ſacerdotem, & omnia, quæ habeo; & dicitis: Quid tibi eſt? At quid faciet juſtus, quando amittit Deum ſuum? Cùm Rex Babyloniæ occupâſſet Jeruſalem civitatem, ut eſt in 2. Machab. c. 1. de nulla re alia magis ſolliciti fuerunt ſacerdotes, quàm ut abſconderent ignem. Nam & juſti ſi adverſa, & perſecutiones patiantur, nihil magis ſatagunt, quàm ut divini amoris ignem conſervent. Etiamſi reliqua omnia pereant. Atque hoc eſt illud; Non accedet ad te malum.

Non accedet etiam ad te malum; quia etſi patiantur mala, malis tamen non vincuntur, nec ſuperantur; ſed animo forti, ac generoſo tolerant omnia. Ita S. Jo. Chryſ. Sanctum Job dixit flagellatum fuiſſe, ſed non appropinquâſſe flagellum tabernaculo ejus; quia non ceſsit flagello Dei, ſed dixit; Si bona ſuſcepimus de manu Domini, mala quare non ſuſtineamus? Et S. Aug. lib. 1. de ſer. Domini in monte c. 10. [Non itaque calcatur ab hominibus, qui
„patitur perſecutionem, ſed qui perſecutio-
„nem timendo infatuatur. Calcari enim non
„poteſt, niſi inferior; ſed inferior non eſt, qui
„quamvis corpore multa in terra ſuſtineat,
„corde tamen fixus in cœlo eſt.] Quò circà etſi flagella corporibus appropinquent, animæ tamen, in qua Deus reſidet, non appropinquant. Quin potiùs in adverſis, & tribulationibus quibusvis tanta eos Deus conſolatione replet, ut mali nihil ſentiant; immò & alios omnes conſolari poſsint, & in poſt. ad Corinthios cap. 1. abundè teſtatur Paulus; Benedictus Deus, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra, ut poſsimus, & ipſi conſolari eos, qui in omni preſſura ſunt. Et cap. 7. Repletus ſum conſolatione, ſuperabundo gaudio in omni conſolatione noſtra.

In quarto libro Regum c. 13. cùm Eliſæus Propheta ægrotaret ad mortem, venit ad eum Joas rex Iſraël; juſſitque Eliſæus adferri arcum, & ſagittas; & dixit ad Regem: Pone manum tuam ſuper arcum, & Eliſæus ſuperpoſuit manus ſuas manibus Regis, ut ſagittas jacerent: & ægrotus Propheta adjuvaret valentem Regem. Ita ſanè viri juſti, quantumvis afflicti conſolari alios valent; quia etſi infirmi ſani ſunt, & valentes, ut dicebat Paulus in poſt. ad Corinthios cap. 12. Placeo mihi in infirmitatibus, in contumelijs, in neceſſitatibus, in perſecutionibus, in anguſtijs pro Chriſto: Cùm enim infirmor, tunc potens ſum. Joſeph quoque Gen. 39. conjectus eſt in carcerem, ſed princeps carceris dedit illi claves, & tradidit in manu illius univerſos vinctos, qui cuſtodiebatur, & quidquid fiebat, ſub ipſo erat. Quid eſt hoc aliud, quàm eſſe in carcere, & non eſſe in carcere, eſſe vinctum, & eſſe liberum, ac Dominum ſui, & aliorum? Et Daniel quoque c. 14. in lacum leonum conjectus, nequaquam fuit ab illis læſus: qui tamen eos devorârunt, qui illum conjecerant; quia tribulatio juſtis non nocet, ſed peccatoribus, & iniquis. Et ideò dixit David; Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo. In primo lib. Reg. cap. 4. Iſraëlitæ pugnantes cum Philiſtæis, in auxilium ſuum adduci voluerunt in caſtra arcam Domini; ſed Deus & illos permiſit ab hoſtibus ſuis graviter cædi, & arcam capi; quod ſine dubio graviſſimum illis viſum eſt. At hoc Deus permiſit, ut Philiſtæos puniret, & plurimos eorum occideret, ut cap. 5. narratur quod ipſimet agnoſcentes dixerunt; Non maneat arca Dei Iſraël apud nos, quia dura eſt manus ejus ſuper nos, & ſuper Dagon Deum noſtrum.

Ad extremum intelligere oportet nos; Mala, & flagella omnia hujus vitæ non eſſe mala, & flagella, ſed quaſi mala, & flagella. Ita S. Aug. in conc. 2. in Pſalmum 48. citans illa Pauli verba in poſt. ad Cor. c. 6. Quaſi triſtes ſemper autem gaudentes, triſtitiam, & mala omnia præſentia, ait, habêre quaſi; quoniam ſicut ſomnium tranſeunt, & qui ſomnium narrat, addit quaſi, quaſi ditabar, quaſi diſputabam; totum quaſi, quia cùm evigilaverit, non invenit, quod videbat. Gaudium autem noſtrum, non habet quaſi, quia in ſpe certa eſt. Quaſi triſtes non autem ait; quaſi gaudentes, ſed ſemper autem gaudentes. Et Chriſtus Joan. 2. dicitur feciſſe quaſi flagellum de funiculis: quia verum flagellum erit in inferno; tribulationes verò præſentes ſunt quaſi flagella; & de flagello inferni dicitur juſto; Flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo. De vitæ hujus moleſtijs dicitur Cant. 8. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, neque flumina obruent illam. De miſerijs autem inferni Apocal. cap. 20. Qui non eſt inventus ſcriptus in libro vitæ miſſus eſt in ſtagnum ignis. Miſeriæ hujus vitæ ſunt velut aqua fluminis, quæ tranſit, & interdum eſt turbida, interdum clara, & tandem habent finem. At miſeriæ inferni ſunt velut ſtagnum immobile, quia non tranſeunt, nec habebunt unquam finem. Hoc flagellum non appropinquabit tabernaculo juſti: ſed ſolùm flagellum, aut quaſi flagellum, quo nunc Deus, quem diligit, caſtigat, flagellatque omnem filium, quem recipit.

Flagella quaſi flagella.

Pſ. 90.

DE

DE TENTATIONIBUS.

LIBER XXXVII.

CAPUT I.

Tentatio quid.

Tentare quid ſit. TENTATIO probationem ſignificat,& explorationem virtutis noſtræ. Quod apertè oſtendere poſſunt illa Prophetæ verba in Pſ. 25. Proba me Domine,& tenta me. Eſt ergò tentatio probatio quædam, quâ de virtute noſtra ſumitur experimentum. Sicut & Regina Saba 3.Reg.10.audita fama Salomonis,venit tentare eum in ænigmatibus. Et Daniël c. 1. in captivitate rogavit præpoſitum Eunuchorum; Tenta nos obſecro diebus decem, & dentur nobis legumina ad veſcendum, & aqua ad bibendum; ſed & Dominus dixit Luc. 22. *Tentatio cribrum.* Ecce ſatanas expetivit vos, ut cribraret ſicut triticum. Eſt enim tentatio velut cribrum noſtri, & actionum noſtrarum, ut appareat, triticum nè ſimus, an palea? Et veriſſimè de tentatione dicam id, quod de perſecutione olim dixit S. Cypr. in ep. 4. ad Presbyteros, & Diaconos: [Perſecutio iſta examinatio eſt, „ atque exploratio peccati noſtri: excuti nos „ Deus voluit, & probari, ſicut ſuos ſemper „ probavit, nec tamen in probationibus ejus „ aliquandò auxilium credentibus deficit.] Ubi nos Iob c. 7. militiam legimus eſſe vitam hominis ſuper terram alij πειρατήριον legunt; quod experimentum ſignificat; ſive ut interpretatur S.Maximus Taurinenſis Epiſcopus h. 1. de non timendis hoſtibus carnalibus, quòd in hac vita omnia experiamur mala: ſive potiùs quòd per tentationes experimentum de nobis ſumatur. Aliam Maximus addit cauſam; quòd circà nos diabolus ſemper tanquam pirata deſæviat: piratirium enim habitaculum quoque piratarum eſt. Et Sanctus Auguſtinus in lib. 50. hom. h.35. Eccleſiam dixit inter tentationes vivere, inter tentationes creſcere, inter tentationes perdurare, & inter tentationes pervenire.

CAPUT II.

Et Deum, & Diabolum tentare.

ERGò cùm Deo nota ſit optimè virtus omnis,& fides noſtra; non dubitavit Tertull. in lib. de orat. c. 8. illum negare nos unquam tentare: [Abſit,inquit,ut Dominus ten„ tare videatur, quaſi aut ignoret fidem cujuſ„ que aut deijcere ſit conſentiens. Diaboli eſt „ infirmitas & malitia.] Sed tamen Gen.c.22. legimus: Tentavit Deus Abraham, & pluribus alijs in locis eodem modo ſcriptura loquitur. Etenim ut habet S. Aug. in tract. 43. in Jo. & ſer. 11. de verbis Domini, duplex eſt *Tentatio duplex.* tentatio;una quæ decipit,& adducit peccatum, altera, quæ probat fidem; priore Deus non tentat (Deus, ſcilicet, intentator malorum eſt, & neminem tentat Jac. c. 1.) ſed diabolus; poſteriore Deus quoque tentare dignatur. Et iterum in ep. 146. ad Coſentium. [Alia eſt „ tentatio deceptionis, alia tentatio proba„ tionis; ſecundùm illam non tentat, niſi dia„ bolus; ſecundùm verò hanc tentat Deus.] Et lib. quæſt. in Gen. q. 57. [Deus tentat, id „ eſt, probat; diabolus tentat, ut peccata im„ plicet.] Omnis enim probatio, ut eſt apud S. Ambr. in com. ad caput 13. poſterioris ep. ad Cor. tentatio eſt, non omnis tentatio probatio. [Si Deus tentare dicitur probatio eſt: *Tentatio, & probatio differunt.* „ ſi diabolus, tentatio eſt, quia evertere nititur: & homo aliquandò tentat, ut probet, „ aliquandò, ut capiat.] Et rurſum in ep. ad Horontianum; [Deus dat tentationes ea vo„ luntate, ut neminem decipi velit: ſed quia „ plerique vincuntur infirmi tentationibus; „ qui fortes ſunt probantur.] Job c.38. Deum & pluviæ partem nominat, & glaciem affirmat gignere, quia ut S. Gregorio placuit lib. 29. c.15. Et gratiam, & virtutes infundit; & pòſt nè immoderatiùs profluat, diſciplina intimæ diſpenſationis premit, nè ſi pluſquam neceſſe eſt, conceptas virtutes proferat, fruges in herbam vertat. Et S. Aug. in lib. 83. quæſtionum q. 60. Deum nos, ait, dici tentare, quia tentari permittit: idque ut ſciat, hoc eſt, ut ſcire nos faciat, non quòd ipſe ignoret. Et Origenes hom. 15. in Joſuë, Deum non ſolùm permittere, ait, ſed & incitare propemodùm adverſarias virtutes exire adversùm nos in prælium, ut & nos victoriam capiamus, & ille interitum conſequantur. Itaque ut eſt apud Sanctum Auguſtinum in lib. 16. de civ. Dei cap.32. dum de Abrahæ tentatione loquitur; [Non omnis eſt culpanda tentatio: quia „ & gratulanda eſt, quâ ſit probatio.] De tentatione Job quid attinet dicere? Plurima habes apud Patres.

Propria igitur, & vera tentatio, quæ ad malum,

Digitized by Google

Tentatio propria quæ. malum, & ruinam tendit, eſt tentatio diaboli; qui propterea tentator verè, & propriè nominatur; Matth. 4. Et accedens tentator, id eſt diabolus. Hic nulli parcit, qui nec Dei filium aggredi veritus eſt. [Nemo ergò, inquit „ S. Aug. lib. 10. confeſſ. cap. 32. ſecurus eſſe „ debet in iſta vita, quæ tota tentatio nomina- „ tur: ut qui fieri potuit ex deteriore melior, „ non fiat etiam ex meliore deterior.] [Nul- „ lum veretur locum: & ideò ſic diligite otium „ (ſcribit idem ad Eudoxium Abbatem ep. „ 81.) ut memineritis nullum locum eſſe, ubi „ non poſſit laqueos tendere, qui timet, nè „ revolemus ad Deum; & inimicum omnium „ bonorum, cujus captivi fuimus, vindicemus.] Nullum diſcernit tempus; qui, ut eſt in ep. 86. ad Caſulanum, non planè Sabbatharius, *Diabolus nec Sabbatharius, nec Dominicarius Matt. 26* aut Dominicarius, ſed quotidianus eſt tentator. Et S. Hieron. lib. 4. com. in Matth. dum exponit illa verba; Vigilate, & orate, nè intretis in tentationem; [Humanam, ait, ani- „ mam non tentari eſt impoſsibile: & ideò non „ dicit, orate nè tentemini, ſed nè intretis in „ tentationem, id eſt, nè tentatio vos vincat, & „ ſuperet.] [Ipſe, ait S. Ambr. ſer. 16. in Pſ. „ 118. autor eſt omnium delictorum. Ipſe in- „ dividuos proximorum irarum ſtimulis exci- „ tatis ſcindit affectus, ipſe flammam accen- „ dit libidinis, ipſe adolet avaritiæ cupiditates, „ ipſe ſuggerit, & miniſtrat fomenta luxuriæ, „ ipſe odia exaſperat, & immodicæ ſtudia am- „ bitionis inflammat.]

Chriſtianos item tentari. Ioviniani aliquando fuit propoſitio, eos, qui fuerint baptizati, non poſſe à diabolo tentari: quod ſi tententur, aqua eos, & non ſpiritu baptizatos fuiſſe, autor eſt idem S. Hier. lib. 2. adversùs eum cap. 1. & Pelagium addit in 3. adverſus eum cap. 5. atque ex Porphyrio, & Triſmegiſto, dæmones nequaquam viros bonos offendere, S. Cyrillus Alexandrinus refert in 4. contrà Julianum libro. Sed ut mittam Hyeronymi confutationem, res ipſa loquitur, & experimur quotidie. Atque ad baptizatos, & Chriſtianos ſcribebat Apoſtolus Petrus, cùm in 1. ep. cap. 5. dixit: Fratres ſobrij eſtote, & vigilate; quia adverſarius veſter diabolus circuit quærens, quem devoret, & ideò adjungit; Cui reſiſtite fortes in fide: quod non niſi baptizatis poterat dici. Hos admonet perſecutionem pati ab hoſtibus aſtutiſſimis, potentiſſimis, & crudeliſſimis. Aſtuti ſunt, quia venatores; potentes, quia leones; crudeles, quia rugientes, & devoraturi.

CAPUT III.

Diabolum venatorem eſſe.

NEque verò ſolus Petrus, ſed & alij diabolum nobis proponunt, ut venatorem. Iob c. 1. interrogavit eum Deus: Undè venis? & ille reſpondit: Circuivi terram, & perambulavi eam; quærens ſcilicet, quem devorarem. Et David Pſ. 90. Ipſe liberavit me de laqueo venantium. Quo loco S. Bern. [Qui ſunt ve- „ natores iſti? venatores utique peſſimi, & „ nequiſſimi, calidiſſimi, & crudeliſſimi. Ve- „ natores, qui cornu non ſonant, ut audian- „ tur, ſed ſagittant in occultis immaculatum: „ ipſi rectores ſunt tenebrarum harum.]

Venatorem notat S. Hier. ad c. 5. Micheæ *Venator in malam.* in Scriptura Sancta in malam ſemper partem *Piſcator in bonam.* accipi, piſcatorem plerumque in bonam; neque ſe inveniſſe venatorem eſſe ſalutem conſecutum. Et S. Aug. in Pſ. 102. artem appellat nequiſſimam; Et in Pſ. 147. vel ſpectare venatores facit peccatum mortale. Nemrod *Nemrod.* Gen. 10. dicitur fuiſſe robuſtus venator coram Domino. Aug. lib. 16. de civit. Dei cap. 4. mavult dici contrà Dominum; quia & fuit primus autor ædificandæ turris, & magnus tyrannus, & principium regni ejus Babylon, & diaboli creditur geſſiſſe figuram, nam & Nemrod tentatio deſcendens interpretatur: neque ferarum, ſed hominum eum venatorem fuiſſe, dicunt autores graves, quod tam eſſet robuſtus, & aſtutus, ut illius laqueos nullus poſſet evadere. Iſmaël quoque, & Eſau venatores fuiſſe perhibentur; ſed alter filius Ægyptiæ, & ſecutus eſt carnem; alter pro re viliſſima vendidit primogenita. Itaque quod Gen. 25. dicitur. Factus eſt Eſau vir gnarus venandi, & homo agricola; Jacob autem vir ſimplex habitabat in tabernaculis; conſiderans Sanctus Gregorius Papa libro 5. moral. cap. 8. [Quid, „ inquit, per venationem Eſau, niſi eorum vi- „ ta figuratur, qui in exterioribus voluptatibus „ fuſi carnem ſequuntur? qui etiam agricola „ eſſe ſcribitur; quia amatores hujus ſæculi, „ tantò magis exteriora colunt, quantò inte- „ riora ſua inculta derelinquunt. Jacob autem „ vir ſimplex in tabernaculis, vel in domo ha- „ bitare perhibetur: quia nimirum omnes, qui „ in curis exterioribus ſpargi refugiunt, ſim- „ plices in cogitatione, atque in conſcientiæ „ ſuæ habitatione conſiſtunt.]

Hi ergò omnes figura dæmonis fuerunt, antiquiſſimi ſcilicet omnium venatoris. Qui vel primis noſtris parentibus in Paradiſo laqueum poſuit, quando dixit: Nequaquam moriemini, ſed eritis ſicut Dij, ſcientes bonum, & malum, & illi comedentes cibum vetitum, ceciderunt in laqueum, qui poſteros quoque omnes

Digitized by Google

Diabolus uſurarius. omnes obligavit ad culpam. Quam ob cauſam acutè S. Amb. in libro de Tobia cap. 9. Diabolum ſcripſit eſſe magnum uſurarium, quia dat temporalia bona, ut animas obtineat. [Ab „ hoc, inquit, Eva mutuata peccatum obno„ xiæ ſucceſſionis. uſuris defœneravit omne „ genus humanum. Et ille quaſi malus fœne„ rator chirographum tenuit, quod poſteà „ Dominus ſuo cruore delevit.] Et Chriſto Domino dixit Matth. 4. Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me.

Diabolus venator. Sed & venatoris nomen optimè convenit. Ut enim venator vigilans eſt, & ſollicitus in perſequenda fera, & cibo, ſomnoque abſtinet, nec ulli parcit labori: ita diabolus circuire dicitur, & perambulare terram, quærens, quem devoret. Deindè venator non tam quærit lucrum ex venatione, quàm delectatur capere, & occidere innocentem feram, quæ illi nihil nocuit; quod in venatione præſertim Principum, ac nobilium virorum eſt manifeſtum, & nos perſequitur diabolus, non quòd ex hoc ille utilitatem habeat; ſed quòd perditione delectatur noſtra.

Cur diabolus nos perſequatur. Hujus autem rei triplex ferè exponitur cauſa. Prima à Sancto Auguſtino in lib. quæſtionum ex utroque teſtamento q. 127. [Dæ„ mon, ait, tentat ſolatium quærens, ſi mul„ tos pœnarum ſocios habeat.] Scitum eſt enim illud; Solatium eſt miſeris ſocios habêre pœnarum.

Altera tum ab eodem Auguſtino, tum ab alijs pluribus explicata, eſt invidia, quâ impedire nos ſatagit, nè eò perveniamus, undè ille excidit. Ita S. Aug. in libro ad Oroſium contrà Priſcil. & Origen. cap. 5. [Diabolus „ non niſi invidentiæ ſtimulis agitatus noſtra „ itinera, quibus in Deum tendimus, pertur„ bare conatur.] Et S. Greg. lib. 32. mor. c. 19. „ [Valdè anhelat ſæviens, quod cùm ipſum „ ima cruciant, homo ad ſumma conſcendat; „ quod in illa celſitudine ſubvecta caro perma„ net, à qua tantus ille ſpiritus ſine fine pro„ jectus jacet.] Et S. Leo Papa in ſer. 1. de quadrag. [Hæc inter nos, & dæmones inve„ terata diſſenſio eſt, ut quia illi ab his bonis „ exciderunt, ad quæ nos Deo auxiliante pro„ vehimur, noſtris juſtificationibus torquean„ tur. Si nos erigimur, illi corruunt; ſi nos „ convaleſcimus, illi infirmantur. Remedia no„ ſtra plagæ illorum ſunt; quia curatione no„ ſtrorum vulnerum vulnerantur.] Et ſer. 10. „ [Diabolus dolet hominem in ea bona, quæ „ ipſe perdidit, introduci. Ideò probitate rectè „ agentium cruciatur, & eorum, quos deijce„ re non poteſt, ſtabilitate torquetur.] Et autor ep. ad Demetriadem, quæ Sancto Hieronymo adſcribitur; [Qui invidit Evæ Paradi„ ſum, quantò magis invidet tibi regnum cœ„ lorum?] Utramque paucis verbis comprehendit S. Greg. Papa lib. 9. moral. c. 25. cùm dixit: Malignos ſpiritus, cùm redire ipſi ad vitam nequeant, crudeliter ſocios ad mortem quærere.

Tertia eſt apud Sanctum Baſilium hom. in aliquot Scripturæ loca, & orat. 10. de invidia, & odio, eſt odium, & rebellio contrà Deum: quem cùm lædere non poſſit, hominem ad ipſius imaginem factum lædere conatur. Sicut qui Regem non poteſt attingere, illius ſimulacrum cædit. Pardalim quoque, ſeu pantheram memorat inter animalia hominis inimica vidiſſe ſe in hominis oculos invadentem: cujus furorem, qui eludere volunt, hominis illi imaginem ex charta oſtendunt; quam illa ſtatim invadit, & lacerat. Ita nobiſcum agit diabolus.

CAPUT IV.

Diabolum bonis potiſſimùm inſidiari.

PORRÒ omnes quidem homines quærit, omnibus inſidiatur, & laqueos tendit venator peſſimus, ſed bonis præſertim, ac virtutis ſtudioſis. Nam & Rex quilibet tunc maximè conatur ſubijcere ſibi civitatem quampiam, aut provinciam, quando rebellavit ab eo: nec Laban umquam tantopere perſecutus eſt Jacob, quantùm poſtquàm ab eo diſceſſit, domumque illius, & ſervitutem reliquit. Et Pharaò perſequi cœpit, & affligere filios Iſraël, ubi eos audivit egreſſum ex Ægypto moliri. Tuncque petijt Satan permitti ſibi tentare Job, ubi eum à Deo laudari audivit. Philiſthæi non magni fecerunt maximam hominum multitudinem ab ipſis proſtratam, ſolius Saülis abſciderunt caput, ut ad ſuum mitterent Regem; ut narratur in primo libro Regum capite 31. Et ſaltatrix puella Marc. 6. maluit caput Ioannis Baptiſtæ, quàm dimidium regni. Filius prodigus porcorum quærebat ſiliquas, & nemo illi dabat; ut habes Luc 15. At Domino promiſit diabolus tentans, Matt. 4. omnia regna mundi; Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me. Reliqui facilè ſuperantur, & ut dicitur Sap. 16. Illos locuſtarum, & muſcarum occiderunt morſus. In libro Apocal. c. 12. Iratus eſt Draco diabolus in mulierem Eccleſiam, & abijt facere prælium cum reliquis de ſemine ejus, qui cuſtodiunt mandata Dei, & habent teſtimonium Ieſu Chriſti. Hi ſunt, quos maximè perſequitur ille. Cujus rei præclaram habes figuram in lib. Judith cap. 11. in eo quòd dixit illi Holofernes; Æquo animo eſto, & noli pavêre in corde tuo; quia ego nunquam nocui viro, qui voluerit ſervire Nabuchodonoſor Regi. Sic enim Diabolus non eſt illis moleſtus, qui obediunt illi: ſed totum odium eſt

Digitized by Google

eſt contrà rebelles. Hoc pluribus verbis vete-
res explicârunt Patres. Tertull. in libro de
pœnitentia c. 7. [Pervicaciſsimus, inquit, ho-
,, ſtis tunc maximè ſævit, cùm hominem plenè
,, ſentit liberatum, tunc plurimùm accenditur.
,, Dolet quòd ipſum, & Angelos ejus Chriſti
,, ſervus ille peccator judicaturus eſt.] Et S.
Cyprianus in ep. ad Cornel. 1. [Non quærit
,, illos, quos jam ſubegit, aut geſtit evertere,
,, quos jam ſuos fecit; eos pergit laceſſere, in
,, quibus Chriſtum cernit habitare.] Et ep. ad
Lucium Papam; [Non perſequitur, & im-
,, pugnat Chriſti adverſarius niſi caſtra, & mi-
,, lites Chriſti, proſtratos ſemel, & ſuos factos
,, contemnit, & præterit: eos quærit deijcere,
,, quos videt ſtare.] Et in ſer. de mortalitate;
,, [Sciat Chriſtianus, plùs ſibi, quàm cæteris
,, laborandum; cùm magis ſit cum diaboli im-
,, pugnatione luctandum.] Et in libro de ſin-
gularitate Clericorum; [Majores majoribus
,, conſueverunt conflictiones occurrere. A-
,, criùs divitibus, quàm pauperibus, invidetur;
,, & non inopes, ſed locupletes inquietat infe-
,, ſtatio ſæva latronum. Plùs duces, & princi-
,, pes quàm milites, ab hoſtibus appetuntur in
,, pugna, & violentiùs propulſantur ventis, &
,, turbinibus culmina, quæcunque ſunt altio-
,, ra.] Et S. Hilarius can. 3. in Matth. Chri-
ſtum obſervat tentatum poſt Baptiſmum, ten-
tatione ſua indicâſſe, in ſanctificatis nobis ma-
ximè diaboli tentamenta graſſari, quia victo-
ria eſt ei magis exoptata de Sanctis. Et S. Pe-
trus Chryſologus ſer. 96. [Diabolus non pec-
,, catores quærit capere, quos poſſidet ſubjuga-
,, tos, ſed ut juſtos capiat, ſic laborat.] Et S.
Leo Papa ſer. 1. de quadrag. [Quantò ſtudio-
,, ſiores pro noſtra ſalute fuerimus, intelliga-
,, mus tantò nos vehementiùs ab adverſarijs
,, impetendos.] Et ſer. 3. [Eos pervigil ille ten-
,, tator acrioribus pulſat inſidijs, quos maximè
,, viderit abſtinere à peccatis.] Et ſermone 18.
de paſſione. [Diabolus multis eos, in quibus
,, non regnat, impugnat, ut ſi quas animas
,, negligentes, imprudenteſque repererit, ſæ-
,, vioribus eis laqueis rurſum innectat, & à
,, Paradiſo Eccleſiæ raptas, in conſortium ſuæ
,, damnationis inducat.] Et S. Aug. in quæ-
ſtionibus ex veteri, & novo teſtamento q. 2.
proferens illa Petri verba principio citata;
,, [Gentiles, inquit, non quærit, Judæos non
,, quærit, malæ vitæ, & converſationis non
,, quærit: ſed quærit Dei ſervos, & Chriſti fa-
,, mulos, quos ſcit ſibi inimicos, quia faſtum,
,, & præſumptionem ejus condemnant.] Et q.
70. [Nulli dubium eſt, diabolum eſſe homi-
,, nis inimicum, maximè fidelis. Vehemen-
,, tiora enim tela ſua contrà Dei ſervos exa-
,, cuit.] Et in quæſtionibus ex novo teſtam.
par. 2. q. 9. adfert illud Eccleſiaſt. 2. Fili ac-
cedens ad ſervitutem Dei, præpara animam
tuam ad tentationem. Tunc enim inquit ma-
ximè inſidiæ diaboli cavendæ; dolet enim,
quòd ab eo receſſerimus, ideò plùs ſævit ad-
verſùs nos. Nam & Dominum, cùm jejunaſſet
quadraginta diebus, & noctibus, tentavit. Et
ſer. 85. de tempore; [Diabolus non perſequi-
,, tur, niſi bonos. Mali enim amici ipſius ſunt,
,, & voluntatem illius faciunt; immò per eos
,, perſequitur alios, & quaſi malleos, & flagella
,, eos habêre conſuevit, & velut miniſtros, &
,, ſatellites.] Et S. Hier. in ep. ad Euſtochium
de cuſtodia virginitatis cap. 2. [Non quærit
,, diabolus homines infideles, non eos, qui fo-
,, ris ſunt, & quorum carnes Rex Aſſyrius in
,, olla ſuccendit: de Eccleſia Chriſti rapere fe-
,, ſtinat. Eſcæ ejus ſecundùm Habachuch ele-
,, ctæ ſunt. Job ſubvertere cupit, & devorato
,, Juda, ad cribrandos Apoſtolos expetit pote-
,, ſtatem.] Et S. Greg. Papa lib. 24. mor. c. 7.
Filios Iſraël memorat poſt exitum ex Ægyp-
to, rubrique maris tranſitum, multas in ere-
mo hoſtiles invenisse gentes, adversùs quas
pugnare coactus eſt, & proponens Eccleſia-
ſtici verba paulò antè adſcripta; Fili accedens
ad ſervitutem Dei, &c. [Non ait, inquit, ad
,, requiem, ſed tentationem, quia hoſtis no-
,, ſter quantò magis nos ſibi rebellare conſpi-
,, cit, tantò ampliùs expugnare contendit.
,, Eos enim expugnare negligit, quos quieto
,, jure poſſidêre ſe ſentit. Ideò Chriſtus non
,, niſi poſt baptiſmum ſe tentari permiſit, ut
,, ſignum nobis quoddam futuræ converſionis
,, innueret, quòd membra ejus poſtquàm ad
,, Deum proficerent, tunc acriores tentatio-
,, num inſidias tolerarent.] Hinc in principio
converſionis ſubjungit, invenire nos blandi-
menta dulcedinis, quæ nos conſolentur, & ad
virtutem alliciant; ſed pòſt experiri certamina
tentationum, quæ confirment, & ad extremum
perfectionem ſuccedere plenitudinis. Quod
lib. 26. c. 28. mira Dei diſpenſatione fieri mo-
net, nè animus conſolatione elevetur, ſed ſu-
bita tentatione in humilitate conſervetur, vi-
dens ſe adhuc in infirmitate morari. Et lib. 29.
c. 12. Exponit verba Job c. 38. Per quam viam
ſpargitur lux, dividitur æſtus ſuper terram?
,, [Hoſtis namque quos juſtitiæ luce eniteſce-
,, re conſpicit, eorum mentes illicitis deſide-
,, rijs inflammare contendit.] Nec ſine cauſa
idem Job cap. 40. & Iſaias cap. 11. eum dixe-
runt velut bovem paleas comeſturum. Neque
comparatur equo, ſed bovi: quia ut idem Greg.
ratiocinatur libro 32. capite 10. Equus fœ-
num quodlibet ſordidum comedit, bos non
niſi mundum, & Habach. capite primo cibus
ejus electus dicitur. Neque enim eos ſe gau-
det rapere, quos pravis, ac ſordidis actio-
nibus implicatos in imis reſpicit voluntariè ja-
cere; ſed ſuggeſtionis tuæ dente conterrere
mundam vitam ſpiritualium quærit. Et ideò
in

Digitized by Google

in eodem loco Job paulò pòſt ſub umbra eum dormire perhibet in ſecreto talami, & in locis humentibus; quia contrà corda charitate calentia ſollicitus vigilat; in frigidis autem mentibus ſecurus jacet. Si enim abſorbuerit fluvium, non mirabitur,ſed habet fiduciam, quod influat Jordanis in os ejus. Neque enim pro magno habet, quòd infideles, & impios trahat, ſed toto annifu in illorum mortem ſe erigit, quos contrà ſe regeneratos tabeſcit. Undè, & quemadmodùm in Pſ.7. pœniten. idem Greg. affirmat, quos in vijs Dei ambulantes viderit, & in propoſito juſtitiæ fortiores cognoverit, eos graviùs perſequitur, & à ſtatu rectitudinis ſubruere conatur. Et rursùm pòſt hæc: Quem invenerat fortiorem, & in bono propoſito perſeverantem, eum acriùs perſequitur, & gravioribus admotis tentationum aculeis extinguere conatur. Et Mar. 9. dæmoniacus à Domino ſanatus ab exeunte dæmone diſcerpitur, quia ut hom. 12. in Ezech. habet Sanctus Gregorius.[Dum de corde expellitur, „ acriores in eo tentationes generat, quàm „ priùs excitaverat, quando hoc quietus poſſi„ debat.] Nam & Iſraëlitæ Moyſi & Aàroni dixerunt Ex. 5. Fœtere feciſtis odorem noſtrum coram Pharaöne, & ſervis ejus, & præbuiſti eis gladium, ut occiderent nos, quia poſtquam infirmus animus cœleſtia audire, & ſequi cœperit, Regis Ægyptij, id eſt, maligni ſpiritus tentatio excreſcit. Et lib.3.paſtor. curæ, admon. 29. [Quo, inquit, altiori loco „ conſiſtunt, eò crebrioribus ſagittis inſidia„ toris impetuntur. Quia tantò ardentiùs ſo„ let erigi, quantò robuſtiùs, ſe conſpicit vin„ ci, tantòque intolerabiliùs dedignatur vinci, „ quantò contrà ſe videt per integra infirmæ „ carnis caſtra pugnari.] Et lib. 1. regiſt. cap. 41. antiquus hoſtis bellum duriùs contrà victores proponit. Et lib.7. cap. 126. Riccharedo ſcribens Viſigothorum Regi, laudat hominem, quod illius opera gens illa ad veram fuiſſet fidem converſa, quodque magnam pecuniæ ſummam à Judæis oblatam nè conſtitutionem adverſus illos faceret,repudiàſſet. Monet tamen his verbis: [Magna ſunt hæc, & „ omnipotentis laudi tribuenda. Sed inter hæc „ vigilanti ſunt ſtudio antiqui hoſtis inſidiæ „ cavendæ, qui quantò majora in hominibus „ dona conſpicit, tantò hæc auferre ſubtilio„ ribus inſidijs exquirit. Neque enim latrun„ culi in via capere viatores vacuos expetunt. „ Sed eos, qui auri vaſcula, vel argenti fe„ runt.] Et lib. 10.cap.38. Firminum Hiſtriæ Epiſcopum ad Eccleſiam Catholicam nuper converſum ſapienter admonet; quia quantò antiquus hoſtis ſuperatum ſe conſpicit, tantò inſidiari acriùs non quieſcit: omninò ſollicitum, vigilantemque te eſſe convenit, atque ſcutum conſtantiæ contrà jacula ipſius præparare; ut illiſa frangantur, & vim interiùs penetrandi non habeant. Nimius omninò ſim, ſi ſingula perſequar. Eadem verò eſt cæterarùm ſententia ſæpiùs inculcata Sancti Baſilij in conſtit. monaſt. cap. 7. & Origenis lib. 1. in Job, Sancti Gregorij Nyſſen.in or. de Sancto Baptiſmate, & Euſebij Emiſſeni hom. in Dom.2. poſt Paſcha & hom.2. in natali unius mart. & Sancti Nili in libro de octo vitioſis cogitationibus cap. de inani gloria, & aliorum omnium, inter quos Abbas Serenus apud Joannem Caſſianum in 7. collatione caput 23. veteres illos primos anachoretas graviſſimè omninò à dæmonibus vexatos fuiſſe teſtatur, ut veniat mihi in mentem uſurpare illud, quod in Proverbio dicebatur num. 21. Venite in Heſebon, & ædificetur civitas Sehon, de quo pluribus diſſeruit Origenes homilia decima-tertia in eum librum. His enim propemodùm verbis convocare mihi videtur diabolus cæteros ſibi adjutores, ut hominem ad meliorem vitam converſum magno aggrediantur impetu, Regiſque Amorrhæi dirutam civitatem reſtaurent, hominemque ad ſuas retrahant partes.

Non ignoro tamen S. Joannem Chryſoſt. in conc.3. de Lazaro, tom 2. Sæculares, & liberioris vitæ homines voluiſſe magis tentari. Sic enim habet: [Agnoſce, quod in medio „ laqueorum incedis, quodque in pinnaculis „ civitatis ambulas. Carnis enim concupiſcen„ tiæ acriùs inſurgunt adversùs eos, qui in ho„ minum vivunt frequentia: quos & decora „ facies, & corporis nitor capit per oculos, & „ verbum obſcœnum per aures ingreſſum tur„ bat nobis rationem frequenter, & arte mo„ dulata cantio animi conſtantiam labefacit.] Sed facilè eſt hunc quoque cum cæteris Patribus conciliare. Non enim negat majus contrà pios, ac virtutis ſtudioſos viros diaboli odium eſſe, graviùſque illos tentari: ſed affirmat id, quod nullus aliorum negat, plures eſſe liberiorum hominum tentationum occaſiones. Illi enim inter has verſantur, & vivunt perpetuò, dum cæteri ab his omnibus receſſerunt. Sed illi tentationes non agnoſcunt ſuas, neque ſentiunt; hi verò vel minimas, ac leviſſimas quaſque, quod S. Gregorius Nazianz. adnotavit in or. in laudem Cypriani. [Puræ, „ inquit,animæ diaboli technas celeriùs perve„ ſtigant; quamvis verſipellis ille ſit, atque in „ conatibus ſuis varius, & multiplex.] Nam & hi majore Dei,rerumque ſpiritualium lumine valent; & naturale eſt cuique nova quæque & inſolita perſentire aſſueta non item. Viris pijs nova ſunt, & minimè conſueta hæc, quibus ad tentandum tentator utitur: cæteri totam inter ea traducunt vitam, neque dum tentantur, ſenſum ferè ullum tentationis habent. Non mentiebatur Philoſophus, qui dicebat;

Liberiorum hominum occaſiones plures peccandi.

Digitized by Google

cebat; Ab aſſuetis non fit paſſio. Sed audi Chryſoſtomum h.62.in Mat. [In eremo educati Monachi, nec quid ſit avaritia, ſciunt. „ Milites quoque avaritiam ignorant. Sed illi „ quia longè abſunt; iſti quia valdè hujus paſ„ ſionis ebrietate occupantur, nec ſentire qui„ dem hunc morbum poſſunt.] Sed præſtat perſequi cætera.

CAPUT V.

Cur bonis maximè inſidietur.

PLACET autem ſtatim cauſam quærere, cur hos potiſſimùm inſectetur diabolus, Eccleſiaſticos, inquam, viros, religioſos, & omninò virtutis ſtudioſos. Erit autem prima cauſa, quoniam ex his ferè pendent cæteri, hiſque ſeductis cæteros facilè ſe ſeducturum ſperat. Hi namque ſunt ſemen mundi, quod Deus reliquit ad cæterorum conſervationem, & bonum. Quod ſi ſemen corruptum fuerit, actum eſt de cæteris omnibus. Niſi Dominus reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus, & quaſi Gomorrha ſimiles eſſemus, & Gloſſa ſemen Eccleſiaſticos Prælatos interpretatur; & Dominus diſcipulos ſuos monebat: Vos eſtis lux mundi; Vos eſtis ſal terræ. Et S.Jo.Chryſ. h. 1. in 1. ep. ad Tim. [Neceſſariò, inquit, „ qui doctoris fungitur munere, pericula ſu„ ſtinet, & plura, quàm diſcipuli. Iſta eſt rei „ natura, & ideò diabolus magis contrà eos „ armatur, cùm ex eorum cæde gregis detri„ menta ſequantur. Percutiam, ait, paſtorem, „ & diſpergentur oves gregis.] Hinc S.Greg. lib. 31. mor. c.17. [Tantò terribiliùs, ait, cal„ lidum hoſtem nos tentare, quantò nos con„ trà ſe, & in alijs prævalêre fortiter videt, ut „ dum illum ad ſe tuendum revocat, alios libe„ riùs invadat. Sæpèque fieri, ut qui regendis „ alijs præſunt, certamina fortiora patiantur: „ ut corporalium more bellorum, dum dux „ ipſe in fugam vertitur, reſiſtentis exercitus „ conſtipata unanimitas ſine labore diſſipetur.] Et in 6. lib. regiſtri c.178. [In corporali præ„ lio fieri ſolet, ut qui vexillum portat, ipſum „ hoſtis vehementer impetat; quærens ſi ipſe, „ qui à cæteris attenditur, vulnus accepit, „ multitudo omnis citiùs diſperſa capiatur.] Et S. Jo. Chryſoſt. h.4. in poſteriorem ep. ad Theſſ. [Contrà nos vehementiùs armatur ho„ ſtis, nam in bellis antè omnes conatur ducem „ proſternere, qui contrarius eſt.]

Prima cauſa.

Boni ſemen mundi.

Secunda cauſa eſt, quæ habet S.Baſil. in conſtit. mon. c. 7. quoniam hi apertiſſimè ſe illi adverſarios profeſſi ſunt, & magnum quid adeptum ſe ille arbitratur, ſi de his victoriam reportet; cum hominibus ſæcularibus certamen contemnit: partim quòd plurimi ſponte ſe illi ſubijciunt varijs voluptatibus, velut eſca deliniti ad peccatum: partim quòd etſi aliqui peccato aliquatenus videantur reſiſtere, diſtractionibus tamen varijs impediti parvo negotio à contentione acri avocantur, verſique in fugam fœdas cladis ſuæ notas ab hoſte illatas referunt.

Secunda cauſa.

Tertia eſt, quia ut ipſi diabolum maximè vexant, & perſequuntur: ita & ille plurimùm contrà illos agit. S. Jo. Chryſ. h. 5. de patientia Job tom.1. de hujus Sanctiſſimi viri tentationibus loquens; [Juſti, inquit, tentationi„ bus pulſantur, quia bonis ſuis operibus dia„ bolo plagas vehementer infligunt. Deuſque „ id permittit, ut magis coronentur, & plures „ diabolus recipiat plagas.]

Tertia cauſa.

Quarta eſt, quod hi ſpiritualibus bonis, ac divitijs abundant, majuſque eſt latronum lucrum, ſi deprædari, & ſpoliare poſſint. Hanc expoſuit S.Jo.Chryſ. h.31. in Gen. [Quem„ admodùm, inquit, piratæ, quando vident „ navem multis mercibus oneratam, & pluri„ mas adducentem divitias, tunc potiſſimùm „ varijs moliuntur inſidijs, ut poſſint mercibus „ omnibus navigantes illos ſpoliare: ita ſanè „ & diabolus cùm viderit ſpirituales divitias „ coacervatas, cruciatur, & dentibus frendet, „ & quaſi pirata circumit, & innumerabiles „ excogitat artes, ut ſi qua vel parvum inveniat „ aditum, quidquid in nobis eſt ſpiritualium di„ vitiarum deprædetur.] Eandem prorſus ſententiam habet in h.3. & 4. de verbis Iſaiæ: Vidi Dominum &c. Et h. 1. ad populum.

Quarta cauſa.

Quinta cauſa eſt, quia ſi unus ex his cadat, & tentationi ſuccumbat, majus eſt in Eccleſia ſcandalum; quoniam ut dixit Paulus; Spectaculum facti ſumus Deo, Angelis, & hominibus. Origenes de ſe ipſo ad hunc modum loquitur in h. 7. in Ezech. [Mihi ipſi, qui in Eccleſia „ prædico, laqueos ſæpè tendit, ut totam Ec„ cleſiam ex mea converſatione confundat.] Et ideò plus hi, qui ſunt in medio, oppugnantur ab inimico: ut per ruinam unius hominis, quæ celari non poteſt, omnibus ſcandalum fiat, & impediatur fides per converſationem peſſimam Clericorum. Qui latet in angulo, etiamſi cadat, non videtur, non eſt aliorum ſcandalum: at eum, qui eſt in medio, vident omnes, nec celari poteſt. Laicus eſt velut in angulo; Eccleſiaſticus, & religioſus, in medio. Horum peccata S.Chryſ. & graviora eſſe monet in ſe, & alijs afferre ſcandalum, nam in hom. 3. de verbis Iſaiæ: [In principio, in„ quit, lapſis venia datur ab omnibus, ob im„ peritiam: ſed eum, qui poſt multos curſus „ conciderit, nemo veniâ dignum judicaverit: „ eò quòd tum cadere non tribuitur imperitiæ, „ ſed negligentiæ. Nec ſolùm hoc eſt malum; „ verùm etiam, quod complures talium ruinis „ offenduntur, & ad lapſum ſollicitantur, ut „ rurſùs hoc quoque nomine peccatum reddatur

Quinta cauſa.

Prælatorum ſcandalum.

„ tur irremiſſibile.] Et rursùm in tertio lib. de Sacerdotio; [Sacerdotis animi pulchritudinem „ undique ſplendeſcere oportet, ut oblectare „ pariter, & illuſtrare poſſit eorum animos, „ qui ſuos in illum oculos conijciunt. Nam „ vulgarium hominum delicta, veluti in tene- „ bris commiſſa, autores ſuos ſolos produnt. „ At hominis illuſtris, & vulgò cogniti deli- „ ctum, commune omnibus damnum adfert. „ Prætereà ignobilium delicta, ſi in medium „ proferantur, neminem inſigniter vulnerant: „ at qui in dignitatis faſtigio poſiti ſunt, pri- „ mùm nemini non noti, manifeſtiq; ſunt; tum „ verò ſi vel tantillum peccaverint, parva eo- „ rum peccata alijs magna videntur. Neque „ enim peccati magnitudine, ſed peccantis po- „ tiùs dignitate peccatum plerique omnes me- „ tiuntur.] S. Greg. Nazian. h. in dictum Evangelij: Cùm conſumâſſet Ieſus hos ſermones; veſtium exemplo utitur: [Quò, inquir, purio- „ rem cernit, eò enixius te commaculare, atque „ inquinare contendit. Splendidæ etenim ve- „ ſtis luculentiores ſunt ſordes.]

Sexta cauſa. Difficilis emendatio.

Sexta cauſa eſt; quia hoc hominum genus, ſi cadat difficilè ſurgit, difficilè emendatur, ideòque perpetuam diabolus poſſeſsionem ſperat. S. Jo. Chryſ. h. 43. imperf. op. in Mat. Laicos dixit delinquentes facilè emendari; Clericos autem, ſi mali fuerint, inemendabiles eſſe, hoc eſt difficilè emendari. Philoſophi propoſitio fuit; Optimi corruptio peſſima, & nos ex optimo vino ſcimus optimum, hoc eſt, mordaciſſimum acetum fieri. Jeremias Thren. 4. deplorat conditionem populi Iſraëlitici, ac præſertim Sacerdotum in captivitate Babylonica, docetque quantum intereſſet inter eam, & priorem conditionem, quando in templo Hieroſolymitano ſerviebant Deo; nempè quamdiù fuerunt Hieroſolymis: Candidiores Nazaræi ejus nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, ſaphyro pulchriores. Nazaræos appellat, quòd Deo dicata gens eſſet, illiuſque mancipata ſervitio. Candidiores nive, nitidiores lacte. Nix ex cœlo eſt, lac ex terra: & neque ex cœlo, neque ex terra quidquam eſt candidum magis, aut nitidum. Nix è cœlo cadens contemplationem ſignificat: lac in terra conſiſtens actionem, operationemque charitatis: in quarum utraque verſantur ſedulò boni Eccleſiaſtici, ac religioſi. Rubicundiores ebore antiquo (rubeſcit enim antiquum ebur) tum propter mortificationis ſtudium, tum propter effuſum prò Chriſto ſanguinem. Saphyro pulchriores; lapide ſcilicet cœleſtis coloris. Cœleſtis quippè eſt illorum vita, & converſatio noſtra in cœlis eſt, inquiebat Paulus. At ſi ipſi captivi ducantur in Babylonem, mundanæque miſceantur confuſioni, de illis dicetur id, quod ſequitur: Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum; propter minùs honeſtam videlicet converſationem, & carbones non ignoramus ad ignem dumtaxat utiles eſſe. Et non ſunt cogniti in plateis cœleſtibus, in quibus Angeli, & Sancti Dei converſantur. Adhæſit enim cutis eorum oſſibus, aruit, & facta eſt ſicut lignum. Vitia namque ſuperârunt virtutes, boniſque actionibus ſupervenerunt, & ideò aruerunt ut lignum. Atque in multis vix aliud, quàm veſtis, & exterior habitus reperitur. De quibus venit mihi in mentem, illud pronuntiare, quod dixit olim Patriarcha Jacob Geneſ. 37. cùm tunicam vidit Joſeph filij ſui: Tunica, inquit, filij mei eſt; fera peſſima comedit eum; beſtia devoravit Ioſeph. At quænam fera? quæ beſtia? leo hic rugiens, qui ſemper circuit quærens, quem devoret. Hic devoravit filium Dei, & ſpiritum ejus abſumpſit; ſolam reliquit exteriorem veſtem. Hanc ego agnoſco; ſed filium meum Ioſeph non invenio.

CAPUT VI.

Quanta tentans utatur arte.

Diaboli aſtutia.

DIABOLUM S. Gregorius Papa lib. quinto mor. cap. 17. & propter ſævitiam leonem, & propter multiformis aſtutiæ varietatem tigridem appellari obſervat. Quantaque olim uſus fuerit arte, cùm Sanctiſſimum virum Job tentandum impetravit à Deo exponere conatus eſt libro 23. cap. 1. & alijs in locis. Sed univerſè Gregorius alter Nazianzen. or. in Maximum, omninò multas pronuntiavit variaſque illius artes, atque inſidias eſſe: nec quemquam tam ſolertem variegatarum rerum architectum eſſe, quàm peritus malitiæ artifex eſt adverſarius noſter. Cujus rei duplex eſt ratio, ut obſervavit S. Bernardus in libro medit. cap. 15. tum angelica, quâ præditus eſt, natura, ſubtilis, & perſpicax; tum experientia, & exercitatio malitiæ longa. [Adverſarius, ait „ S. Cyprian. in lib. de exhortatione martyrij, „ vetus eſt, & hoſtis antiquus ſex millia anno- „ rum plenè complentur, ex quo hominem „ diabolus impugnat; omnia jam genera ten- „ tandi, & artes, atque inſidias deijciendi, uſu „ ipſo vetuſtatis edidicit.] Quibus ſi maximum contrà nos conceptum odium, & ſævitiam adjungas ſummam, quid tandem non ab eo timendum erit? excandeſcet contrà eum ſitis, dixit Job cap. 18. [Quia diabolus, inquit S. „ Greg. lib. 14. mor. c. 6. cùm in peccato vitam „ illaqueat, ſitit, ut mortem peccatoris bibat.] Et quod gravius eſt, ſævus magis ad tentandum efficitur, quò magis finem mundi videt accedere, in quo omni poteſtate privabitur, ut idem admonuit Greg. lib. 34. cap. 1. in fine autem erit ſæviſſimus. Quare Apoc. cap. 12. ſcripſit Joannes; Veh terræ, & mari; quia deſcendit diabolus ad nos, habens iram magnam,

Digitized by Google

gnam, ſciens, quòd modicum tempus habet.

Diabolus, leo, & Draco.

S. Aug. in com. ad Pſ.69. Diabolum affirmat eſſe biformem; leonem in impetu, furore, & ſævitia, ſicut Petrus Apoſtolus rugientem appellavit leonem, & quærentem quem devoret; & draconem in inſidijs, dolo, & malitia; non enim ceſſat omnibus inſidiari. Utrunque habes in Pſalmo 90. ubi dixit David; Et conculcabis leonem, & draconem: leonem rugientem, & ſævientem, & draconem inſidiantem. [Leo eſt propter apertam iram, inquit „ S. Aug. tract. 10. in Ioan. & lib. 50. hom. „ h.35. Et draco propter occultas inſidias.] Et in Pſal.39.& 90. [Leo fuit,quando apertè ſæ„ viebat in martyres; nunc eſt draco tum in „ hæreticis,tum occultè nos tentans. Adverſùs „ leonem opus eſt patientia: adversùs dra„ conem nobis opus eſt vigilantia. Et magis „ metuendus eſt, cùm fallit,quàm cùm ſævit.] Ergò operæ pretium fuerit inſidias illius,atque occultos dolos quoquomodò detegere, ut faciliùs vitari poſſint.

Deus nobis ſe accommodat.

Deum ſcimus, dum noſtram operatur in nobis ſalutem, noſtris ſeſe accommodare inclinationibus,ut omnia faciliora reddantur. Nam illis,qui theſaurizandi erant cupidi, dixit Chriſtus,Matth.6. Theſaurizate vobis theſauros in cœlo &c.4.hominibus,qui erant piſcatores,& arte illa delectabantur; Venite,inquit,poſt me, faciam vos fieri piſcatores hominum. Et Samaritanæ, quæ iverat ad hauriendam aquam, Joan.4. Dabo tibi aquam vivam. Et Magdalenæ amanti mutans amorem, magis amantem fecit; Undè & Luc.7. Remiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.

Diabolus noſtras inclinationes obſecundat.

Ita diabolus per noſtras inclinationes tentat nos, & conatur perdere, ideòque ſagaciter inveſtigat,& odoratur cujuſque complexionem, & propenſionem. Poteſtque de illo dici illud Iſaiæ 37. Ponam circulum in naribus tuis; non quod ipſe nares habeat; ſed quod ut nares ſunt inſtrumentum odorandi, ſic ſagacitatem illius ſignificat, quâ inclinationes noſtras odoratur. Sed verè ſcripſit Origenes homilia tertia in librum Judicum, eum nullas contrà nos habiturum vires, niſi nos ipſi, & ingreſſum illi, & arma præberemus. [Non incumberet, „ ait, dæmon contrà nos, nec in nobis aliquid „ prævaleret, niſi ei vires ex noſtris vitijs præ„ beremus, & per hæc locum introeundi, & „ dominandi inveniret in nobis.] Itaque diligenter ille explorat omnia noſtra, obſervat inclinationes, inveſtigat affectiones, & vitia, ad quæ propenſi ſumus, atque ut eſt in Pſalmo 36. Obſervat peccator juſtum,& ſtridet ſuper eum dentibus ſuis. Et iterùm; Conſiderat peccator juſtum,& quærit mortificare eum. Quod de diabolo interpretatur Origenes h.5. in eum locum, & alij plures. Iſque noſtris ſeſe inclinationibus accommodans, ut ait S. Leo ſerm. 7. de Nativitate Domini aggreditur ſingulos. Et S. Bernardus in tractatu de ordine vitæ, & morum inſtit. [Diabolus,dum decipere quem„ quam quærit, priùs naturam intendit, & in„ dè ſe applicat; undè hominem ad peccan„ dum aptum inſpexerit.] [Tuncque inſidia„ tur maximè (quemadmodùm S. Ambr. lo„ quitur lib. 1. offic. c.3. & 4.) quando videt „ nobis paſſiones aliquas generari, tunc fomi„ tes movet, laqueos parat, explorat arma no„ ſtra, & concutit ſua tela. Si viderit me mo„ vêri,inſerit aculeos ſuos,&c.] In Pſal.141. dum ait Propheta David; In via hac, quâ ambulabam, abſconderunt ſuperbi laqueum mihi; libuit Theodoreto venatores conſiderare: [Ve„ natores enim ferarum vias inveſtigant, & in „ illis retia parant. Hoc etiam diabolus facit; „ & incedenti temperantiæ viam, luxuriæ la„ queum parat. Ei verò,qui eleëmoſynis gau„ det, inanis gloriæ rete ponit; & ei, qui opes „ pro nihilo ducit, avaritiæ occaſiones adfert.] Elephantem hoc dolo à venatoribus comprehendi narrat Ælianus. Ut ſomnum capiat, arbori cuipiam innititur, illi arborem obſervant, & ſecant, nec tamen in terram proſternunt. Accedit elephas, & dum ſolito more innititur, cadit ipſe cum arbore, atque à venatoribus comprehenditur. Idem de alce commemorat Cæſar libro ſexto de bello Gallico. Ita nobiſcum agit diabolus, dum rebus hiſce creatis innitimur; quæ ſubſiſtentes, & duraturæ videntur, & in his laqueos ponit nobis. Idem accidit piſci, cui hamus eſcâ tectus apponitur.

Elephantis venatio.

Piſcis.

„ [Gaudet & piſcis, ait Sanctus Auguſtinus „ in libro de Agone Christiano capite ſeptimo, „ quando hamum non videns, eſcam devorat: „ ſed cùm piſcator eum adducere cœperit,viſ„ cera ejus torquentur primò, deindè ab omni „ lætitia ſua per ipſam eſcam, de qua lætatus „ eſt, ad conſumptionem trahitur. Sic ſunt „ omnes qui de bonis temporalibus beatos ſe „ eſſe putant: hamum enim acceperunt, & „ cum illo ſibi vagantur. Veniet tempus, ut „ ſentiant, quanta tormenta cum aviditate de„ voraverint.]

Belli duces.

Alij exemplo utuntur Imperatorum, ac belli ducum, qui urbes oppugnant: explorant enim omnia, & obeunt, eaque potiſsimùm aggrediuntur loca, quæ parùm ſunt munita; ut cùm per illa irruperint, facilè munita capiantur. Ita enim & diabolus, ait S. Hieronymus in com. ad caput 6. epiſtolæ ad Epheſeos, per ea, quæ patêre videt, aut certè non firmiter clauſa, quærit irrumpere, & ad ipſam arcem cordis, & animæ pervenire. Eadem Sancto Cyrillo Alexandrino ſententia lib. 9. in Jo. cap. 16. & autor epiſtolæ ad Demetriadem Hieronymo adſcriptæ: [Cuncta, inquit,cir„ cuit more doloſi hoſtis univerſa perluſtrans, „ explorat omnes aditus animæ, an ſit aliquid infirmum,

Digitized by Google

„ infirmum, & minùs tutum, per quod poſ-
„ ſit irrepere. Rimatur ille omnia, & ſingu-
„ la quæq; pertentans, quærit vulneri locum.] Et S. Greg. Papa libro 14. moral. cap. 7. [In-
„ tuetur inimicus uniuſcujuſq; mores, cui vitio
„ ſint propinqui.] [Et (ut loquitur lib. 29. c.
„ 12.) priùs conſperſionem uniuſcujuſq; per-
„ ſpicit, & tunc tentationis laqueos apponit, il-
„ laque proponit, ad quæ cognovit faciliùs in-
„ clinari mentem: ut blandis, ac lætis moribus
„ luxuriam, & vanam gloriam, aſperis menti-
„ bus iram, ſuperbiam, crudelitatem. Ibi deci-
„ pulam ponit, ubi eſſe ſemitam mentis conſpi-
„ cit: quia illic periculum deceptionis inſerit,
„ ubi viam eſſe invenerit propinquæ cogitati-
„ onis.] Phariſæum illum, de quo Luc. 18. benè muniviſſe obſervat animam ſuam, qua parte dicebat; Jejuno bis in ſabbatho, decimas do omnium, quæ poſſideo, & ſi quem defraudavi, reddo quadruplum: ſed hoſti immunitum reliquiſſe foramen; Non ſum ſicut cæteri hominum &c. Et civitate undique munita ſi unicum foramen pateat, ſatis eſt hoſti. De eadem re tractans Joannes Caſſianus collat. 24. Abbatis Abrahæ cap. 17. profert nobis Balaàm Num. 24. propoſitâ copiâ ſpecioſarum mulierum tentâſſe filios Iſraël, quia concupiſcibiles animæ eorum partes ſciebat eſſe corruptas. Et 3. Regum cap. 20. Regem Achab deceptum à Syris fuiſſe, quod ad miſericordiam noverant nimis eſſe propenſum. Et Matth. 2. per iraſcibilem vitiatam ad infantium cædem incitatum Herodem. Et cap. 4. fameſcenti Chriſto oblatos lapides, ut fierent panes. [Omni-
„ nò, ait Sanctus Cyrillus, corda piorum pra-
„ vis cogitationibus tentat, & voluptatum ar-
„ dore ad delinquendum detrudit: ſed illuc ma-
„ ximè impellit, quò per ſe ipſos inclinari per-
„ ſpicit: ita infirmitatem noſtram ad arma ne-
„ quitiæ ſuæ convertit, & ingenij noſtri mor-
„ bo adversùs nos utitur. Ita affectibus quaſi
„ armis uſus nos expugnat.]

Matt. 24 Origenes tractatu 31. in Matth. verba illa conſiderat; Non ſineret perfodi domum ſuam, diabolumque velut furem, non per naturalem introitum intrantem ad animam; ſed quaſi qui jam foderit eam, & per ipſam dirutionem velut furem ingredientem. Et Sanctus Baſilius hom. 7. in exam. & or. decima de invidia, & odio, exemplo duplici ex piſcibus ducto utitur cancro, & polypo. Cancer oſtrei carnibus delectatur: ſed quoniam prævalido ſepto natura carnem illius munivit; cùm illud viderit tranquillis in locis ſopore ſeſe oblectare, ſuaſq; valvulas illas ad ſolis radios aperuiſſe, injecto calculo concluſionem prohibet. *Cancer, & Polypus.* Ita namque prorsùs nobiſcum agit adverſarius noſter, occaſiones obſervans, & captans; dum nos rebus creatis juxtà inſitas nobis affectiones oblectamur. Polypum ſubjungit, cuicunque adhæreſcat ſaxo, colorem illius mox ſubire; ita verò piſcium complures ad ipſum nantes tanquam ad ſaxum appellere, paratamque ſe illi offerre prædam: ſed & hoſtis noſter moribus omnium, ac propenſionibus ſeſe accommodat: & ut Sanctus Auguſtinus loquitur in libro ſoliloq. cap. 17. ſecundùm varias tentationes, diverſas ſpecies, & formas aſſumit; ut incautos devoret. Ita varijs artibus captat, ait Lactantius in libro de vero cultu cap. 4. pro cujuſque natura, & moribus ſæviens.

Optimè novit diabolus illa Sapientis verba Sap. 14. Creaturæ Dei in odium factæ ſunt, & in tentationem animabus hominum, & in maſcipulam pedibus inſipientium. Et ideò in omnibus rebus ponit laqueos, totúſque mundus plenus eſt laqueis, quemadmodùm vidit S. Antonius. Et S. Hilarius, dum in Pſal. 139. clamantem, & orantem audit Prophetam; Eripe me Domine ab homine malo, à viro iniquo libera me; [Nobis quoque ait, meminimus,
„ vitæque noſtræ ubique funes, ubiq; ſcandala, *Vbiq; laquei.*
„ ubique laqueos occurrere; nihilque eſſe, ubi
„ non prætenſæ nobis ſemper inſidiæ ſint. Om-
„ nes prorsùs illaqueat ſenſuś noſtros.] Ac de oculis Tren. 3. dicitur; Oculus meus deprædatus eſt animam meam. [Præceps enim ani-
„ ma, inquit S. Greg. lib. 21. moral. c. 2. dum
„ antè non providet, nè incautè videat, quod
„ concupiſcat; cœca pòſt incipit deſiderare,
„ quod vidit.] De auribus propterea monet Eccleſiaſticus cap. 28. Sepi aures tuas ſpinis, & linguam nequam noli audire. De naribus propter odorum abuſum, dixit quidam Philoſophus; Pereat, qui diffamavit odorem. Odor enim bonus eſt, ſed eo plerique malè utuntur. De lingua extat illud Sancti Ambroſij 1. lib. offic. cap. 4. [Laqueos adverſarij eſt ſermo
„ noſter; ſi emiſero verbum indecorum laque-
„ um ſuum ſtringit.] Et S. Jo. Chryſ. h. 15. ad populum: [Magnus laqueus eſt linguæ pe- *Prov. 6.*
„ tulantia, & multæ refrænationis indigens.] Propterea & quidam inquit: Laqueus fortis viro propria labia, & capitur verbis oris proprij. De pedibus Pſal. 56. Laqueum paraverunt pedibus meis. Ac demùm universè de toto corpore Sanctus Cyprianus in ſermone de zelo, & livore; [Offert oculis formas illices, &
„ faciles voluptates, ut viſu deſtruat caſtita-
„ tem: Aures per canoram muſicam tentat,
„ ut ſonus dulciori auditu ſolvat, & molliat
„ Chriſtiani vigorem: Linguam ad convitium
„ provocat; Manus injurijs laceſſentibus ad pe-
„ tulantiam cædis inſtigat, ut fraudatorem fa-
„ ciat, lucra apponit injuſta; ut animam pecu-
„ nia capiat, ingerit pernicioſa compendia; ho-
„ nores terrenos promittit, ut cœleſtes adi-
„ mat; oſtendit falſa, ut vera ſubripiat.] Et Sanctus Hilarius loco antè notato. [Difficilè
„ eſt nunc laqueo ventrem abſolvere, quia con-

Digitized by Google

„ fuſio illis eſt, quorum Deus eſt. Rarum etiam „ nunc à laqueo oculum liberare, quia qui ad „ concupiſcentiam vidit, jam mœchatus in „ corde eſt. Arduum quoque eſt linguam la- „ queo eximere: de omni enim otioſo verbo „ in die judicij erit ratio reddenda. Maximi „ etiam laboris eſt cor à laqueo referre: malæ „ enim cogitationes de corde exeunt. Hi om- „ nibus nobis laquei ubique prætenſi ſunt, & „ orandus eſt Dominus, ut ab his omnibus la- „ queis fidei noſtræ pennis, & ſpiritus evole- „ mus.] Interim Eccleſiaſticus monet cap. 9. Communionem mortis ſcito: quoniam in medio laqueorum ingredieris. Quæ verba optimè perpendit S. Joan. Chryſ. hom. 15. ad populum: [Primum enim legens; Agnoſce, „ non dixit, inquit: Aſpice, ſed; Agnoſce. Bo- „ norum plenum eſt hoc verbum. Ipſum in „ mente noſtra ſcribamus, & ſemper in memo- „ ria circumferamus. Agnoſce, inquam, quo- „ niam obumbratus eſt laqueus, neque mors „ apertè apparet, neque manifeſta clades, ſed „ undique obtecta adjacet. Sicut enim pueri „ terra laqueos, ſic diabolus vitæ voluptatibus „ peccata circumtexit. Nè voluptatem ſolùm „ reſpicias: ſed nè fortè iniquitas aliqua in vo- „ luptatis profundo obumbrata ſit, diligenter „ conſidera, etſi inveneris, reſilito. Deindè „ non dixit, inquit, juxtà laqueos, aut quid ſi- „ mile, ſed in medio laqueorum, quia non eſt „ unus tantùm, vel duo laquei (facilis enim „ eſſet cuſtodia) ſed undique nobis voragines, „ undique doli. Exemplum ſubjungit. Pro- „ ceſſit quis in forum, vidit inimicum, exarſit „ odio, vidit amicum laudem conſequentem, „ invidit, vidit pauperem, contempſit, divi- „ tem, & invidit, vidit ſpecioſam mulierem, „ & captus eſt.]

Laquei obumbrati.

Tantaque eſt tentationis invidia, & odium, ut ſi uno nos laqueo non poteſt comprehendere, majorem alium ponat. Quod in Joſepho Patriarcha factum vides. Hunc per illius fratres tentavit occidere, Gen. 37. & cùm Deus ab hoc illum laqueo liberâſſet, pejorem alium paravit, dominæ ipſius ſollicitantis ad ſtuprum, juveniſque pudicitiam tentantis cap. 39. quem pejorem laqueum voco, quia & corporis, & animæ ſpectabat mortem; pejuſque eſt Deum offendere, quàm ſolius corporis tolerare mortem.

Laquei obumbrati.

Verùm enimverò, quod dixit Chryſoſtomus obumbratum eſſe laqueum, neque apertè apparêre mortem, etiam atque etiam conſiderandum eſt. Non enim ſtatim gravia proponit peccata, ſed aut leviora quædam, quæ ad graviora diſponant, ut obſervavit S. Hier. in com. Pſal. 140. aut ſenſim propriam inducit voluntatem, præſumptionem ſui, & ſimilia, ut adnotavit S. Doroth. in ſer. 5. Neque malum unquam ſub mali ſpecie offert nobis; ſed aliquem ſemper boni colorem obducit. Nam ſi propriam mali formam voluntati repræſentaret noſtræ, admitteretur à nullo, ab omnibus illicò repelleretur. [Non poteſt, ait S. „ Auguſt. in libro qq. ex utroque teſtamento „ mixtim q. 110. ſola impietas proponi, quia „ non invenit emptorem; & ubi lex diaboli eſt, „ ſi ipſe nominetur, horretur. Sed ſicut mel „ veneno miſcetur, per quod lateat; ita & legi „ diabol' quædam juſta admiſcent, & nomen „ applicant veritatis.] [Et dum adverſarius no- „ ſter, inquit S. Gregorius Papa libro 7. regi- „ ſtri c. 110. non poteſt in ijs, quæ ad faciem „ ſunt prava ſurrepere, callidè quaſi ſpecie pie- „ tatis injecta nititur ſupplantare.] Ita ſubtiliſſimam diaboli calliditatem, & occultiſſimam Monacho tentationem eſſe affirmat Abbas Abraham apud Caſsianum collat. 24. cap. 19. Si majoris ſolitudinis deſiderio, aut etiam ſpe lucrandi animas illum aggrediatur. Et apud Sanctum Hieronymum extat exemplum Malchi ob patriæ, matriſque reviſendæ deſiderium ex monaſterio abducti.

Laquei etiam in bonis.

Neque in ijs ſolùm, quæ indifferentia ſunt; ſed etiam in bonis, laqueos tendit. S. Hieronymus in com. Pſal. 140. [Laqueum, ait, mihi „ poſuerunt in eleëmoſyna, ſi extendero ma- „ num meam, ut videant homines, in jejunio, „ in oratione, in veſtiendo cilicium;] Et S. Joan. Chryſ. in Pſ. 141. [Occultat diabolus la- „ queum in eleëmoſyna vanam gloriam, in je- „ junio arrogantiam, & in alijs alia.] Sicut Pſalmiſta loquitur; In via hac, qua ambulabam, abſconderunt ſuperbi laqueum mihi. In lib. Gen. cap. 49. de Dan ita pronuntiavit moribundus Jacob; Fiat Dan coluber in via, ceraſtes in ſemita mordens ungulas equi, ut cadat aſcenſor ejus retrò. Serpentis hoc genus toto corpore occultato, eminentia movendo cornicula, aves ad ſe ſollicitare, ut devoret; narrat Plinius libro 8. cap. 23. Serpens antiquum diaboli ſymbolum, hoc quoque in loco occultos, quibus nos ſollicitat, indicat laqueos. Et Sanctus Greg. lib. 5. mor. c. 17. ubi nos Job c. 5. Tigridem legimus, myrmicoleonem notat à ſeptuaginta interpretibus dici; quod animal abſconſum pulvere formicas frumenta geſtantes interficit: & Apoſtata Angelus in terram de cœlo projectus, juſtorum mentes, quæ bonorum ſibi operum refectionem præparant, in ipſo actionis itinere obſidet: cùmque eas per inſidias ſuperat, quaſi formicas frumenta geſtantes necat. Abſcondita eſt in terra pedica ejus, & decipula illius ſuper ſemitam; monuit nos Iob cap. 18. Et Sanctus Gregorius libro 14. cap. 7. [In terra pedica abſconditur, cùm „ culpa ſub terrenis commodis occultatur. Ini- „ micus enim inſidians oſtendit humanæ men- „ ti in terreno lucro quid appetat, & occultat „ peccati laqueum, ut ejus animam ſtringat.

Ceraſtes.

Quaſi

Digitized by Google

„ Quaſi eſca in laqueo eſt lucrum cum culpa.] Hæc illius arma eſſe, quibus contrà nos armatus inſurgit, ratiocinatur idem Greg. libro 31. c.17. dum enim de generoſo equô diceret Job c.39. In occurſum pergit armatis. [Hoſtes, in„ quit, armati ſunt immundi ſpiritus, innume„ ris contrà nos fraudibus accincti. Qui cùm „ ſuadêre nobis iniqua nequeunt; ea ſub vir„ tutum ſpecie noſtris obtutibus opponunt; & „ quaſi ſub quædam arma ſe contegunt, nè in „ ſua malitia nudi à nobis videantur.] Quibus armatis hoſtibus in occurſum pergimus, quando eorum inſidias longè prævidemus.

Intermiſſa tentatio. Solet autem nequam ſpiritus à tentando interdum deſiſtere, atque à certamine ad tempus recedere, non ut illatæ malitiæ finem præbeat, quemadmodùm ratiocinatur idem Greg. libro 3. ejuſdem operis cap. 16. Sed ut corda, quæ per quietem ſecura reddiderit, repente rediens faciliùs inopinatus irrumpat.

Bipartita tentatio. Sed & bipartitas admovet tentationes. Ut enim nos corpore conſtamus, & anima, ſic ille partim corpus aggreditur, partim invadit animam. Et ut adnotavit Sanctus Baſilius in libro de vera virginitate: [Quorum corpus „ inſtrumentum peccati diabolus accipit, per „ id ipſorum animabus inſidias, & necem pa„ rat: quorum verò carnem invadere per vitæ „ maximam auſteritatem non permittitur, ho„ rum ſæpè nudam ſine corpore animam na„ ctus, per has, quas in illa gignit perturbatio„ nes, ſua deſideria perficit.] Et ut pronuntiavit Io. Caſſianus in lib.6. de Cenodoxia c. 2. „ [Qui carnalibus vitijs non fuerint ſuperati, „ ſpiritualibus à dæmone vexantur.]

Cogitationum præcedunt tenebræ. Cæterùm in utroque genere, ut eſt apud S.Greg. Papam lib.5.in primum Regum cap. 1. [Ut mentes electorum ſuperet, priùs tene„ bras cogitationum malarum objicit, deindè „ concupiſcentiarum flammas accendit. Quia „ niſi prius mentem cœcaverit, ad pravita„ tem concupiſcentiæ non impellit.] Hinc Theod. in Pſ. 118. ubi dicitur; Memor fui nocte nominis tui Domine, noctem voluit tentationum tempus nominari: quandoquidem nebulam inferunt, & noctis inſtar ſuperveniunt. Quo tempore neceſſaria eſt Dei memoria quæ & recreat, & contrarias cogitationes exigit. S.Hieronymus dum interpretationem facit illorum verborum Apoſtoli ad Eph. 4. Neque locum detis diabolo: [Quo modo, „ inquit, pater, & filius ſtant antè oſtium, & „ pulſant, ut introeant, & cœnent nobiſcum, „ ita & adverſarius ſemper in nos eſt paratus „ irrumpere, & cùm locum dederimus, ingre„ ditur. *Cogitatio præcurſor diaboli.* Solet autem, antequam veniat, quædam „ jacula præmittere, & præcurſorem adventus „ ſui facere cogitationem. Hanc ſi nos in cor„ de ſuſceptam nutrierimus intrinſecùs, & cre„ ſcere fecerimus, cùm in nobis prolem ſuam „ auctam viderit, & ipſe audebit intrare.] Ita Joan. 13. diabolus dicitur jam miſiſſe in cor Judæ, ut traderet Chriſtum; deindè poſt intinctum panem, & ipſe intrâſſe. Tentationis igitur principium eſt cogitatio: hanc mox ſequitur delectatio, delectationemque voluntatis conſenſus, conſenſum denique operatio. Sanctus Auguſtinus in 2. libro de Gen. contrà Manichæos c. 14. primam illam tentationem tractans, quâ diabolus per ſerpentem aggreſſus eſt Evam. *Ecce tentatio, & noſtra.* Non corporaliter, ait, acceſſit, ſed ſpiritaliter, per cogitationem, ſicut nec ad nos corporeis locis accedit, ſed miris modis per cogitationes ſuggerit quidquid poteſt; & ſicut acceſſit ad Judam, dum intravit in cor ejus: „ [Acceſſit autem ad mulierem, ut per mulie„ rem deciperet virum: quia ratio noſtra de„ duci ad conſenſionem peccati non poteſt, ni„ ſi cùm delectatio mota fuerit in illa parte ani„ mi, quæ debet obtemperare rationi tanquam „ rectori viro, neque in nobis nunc aliud agi„ tur. Nam primò fit ſuggeſtio, ſive per cogi„ tationem, ſive per ſenſus corporis, quæ cùm „ facta fuerit, ſi cupiditas moveatur, quaſi mu„ lieri perſuaſum jam erit. Cui ſi ratio conſen„ tiat, jam imputatur peccatum, etiamſi non „ ſubſequatur factum, quoniam rea tenetur in „ conſenſione conſcientia.] & in libro 12 de Trin. c.12. [Serpens, inquit, non manducavit „ de arbore vetita, ſed manducandum perſuaſit; „ mulier non manducavit ſola, ſed & viro de„ dit, & manducaverunt ſimul: ita & in homi„ ne agitur. Intentioni enim mentis, quæ in „ rebus temporalibus, & corporalibus verſatur, „ carnalis ſenſus ingerit illecebram fruendi ſe, „ & velut ſerpens alloquitur fœminam. Huic „ conſentire, eſt de ligno vetito manducare. Si „ conſenſus ſola cogitationis delectatione con„ tentus eſt, ſola mulier comedit. Si autem & „ exteriùs impletur, mulier etiam dedit viro.] *Moroſa delectatio.* Moxque de moroſa delectatione ſubjungit id, quod adſcripſiſſe juvabit: [Si ſola cogitatio„ ne, ait, mens oblectatur illicitis non quidem „ decernens eſſe facienda, tenens tamen, & „ volvens libenter, quæ ſtatim reſpui debue„ runt, negandum non eſt eſſe peccatum; ſed „ longè minùs, quàm & ſi opere ſtatuatur im„ plendum.] Hoc obiter dictum ſit.

Peccati ſuggeſtio. In priore verò conſideratione perſiſtens S. Ambroſius quoque in libro de Paradiſo cap. 15. dum ſerpens mulierem decepit, & mulier virum ſeduxit: ſerpentem delectationis typum fuiſſe voluit, mulierem ſymbolum ſenſûs, & virum mentis. Undè S. Bernard. in parvis ſermonibus ſer. 35. [Ut ſerpens ſeduxit Evam, „ & Eva virum ſibi ſubdidit: ſic nunc ſuggerit „ carni, & caro ſpiritui, & fit impiorum con„ ſilium; qui dicunt ſibi invicem; Marſupium „ unum ſit omnium noſtrum, ut dicitur Prov. „ c.1. ponuntque in memoria, quaſi in marſu-

 pio

„ pio quiſque obolum ſuum; dæmon ſugge-„ ſtionem, caro delectationem, ſpiritus con-„ ſenſum. Beatus vir, qui non abijt in conſi-„ lio impiorum Pſ. 1. ſed aliqui trahuntur invi-„ ti, alij attrahuntur illecti, alij ſeducuntur „ ignari, alij ſequuntur ſpontanei. Primis ne-„ ceſſaria eſt fortitudo, ſecundis temperantia, „ tertijs prudentia, poſtremis juſtitia, quæ „ rectitudinem teneat voluntatis; ut nolint „ peccare.]

Voluptas, & timor. Diabolum porrò illecebroſis omninò, & ſubdolis armis pugnare, affirmat S. Aug. libro 2. de ſymb. ad Catechum. cap. 1. Voluptate, inquam, & timore: plures tamen expugnare per voluptatem, quàm per timorem. Nam & Evæ propoſuit lignum Gen. 3. bonum ad veſcendum, & pulchrum oculis, aſpectuque delectabile. Et per ſerpentem potiſſimùm alloqui permiſſus eſt mulierem, ut ex ipſo vaſe, ait S. Greg. lib. 17. mor. cap. 20. cognoſceret homo, qualis eſſet, qui intùs habitaret. *Serpens tortuoſus.* „ [Non ſolùm enim tortuoſus eſt ſerpens, ſed „ etiam lubricus. Ita qui in veritate non ſtetit, „ tortuoſum animal intravit: & quia ſugge-„ ſtioni ejus ſi primò non reſiſtitur, repente „ totus in interiora cordis, dum non ſentitur, „ illabitur; verba ad hominem per animal lu-„ bricum fecit.] Ita ſapienter ſanè, atque ad rem Greg. Ego tamen ex ſacræ verbis hiſtoriæ aliam quoque conjicio cauſam; cur enim cùm de hoc diaboli, atque mulieris colloquio futurus eſſet ſermo, præmittitur; Serpentem callidiorem fuiſſe cunctis animantibus terræ? *Gen. 3.* aut ſi prudentem, vel ſapientem legas, habes Auguſtinum in 11. lib. de Gen. ad litteram c. 2. & 29. calliditatem, atque aſtutiam intelligentem. Alioqui quàm verè prudens, aut ſapiens dicatur animal mentis, atque intelligentiæ expers? Divinam ergò hiſtoriam puto ſignificare nobis voluiſſe, propterea ſerpentem ad hoc decipiendi hominis munus fuiſſe præ cæteris animantibus electum, quòd calliditiſſimus, & aſtutiſſimus omnium eſſet, ad decipiendum ſcilicet aptiſſimus, & ſymbolæ quaſi cum diabolo naturæ; qui & ipſe aſtutiſſimus eſt, decipiendique cupidiſsimus. [Quid enim „ in homine unquam, ait Sanctus Petrus Chry-„ ſol. ſer. 105. prævaluit ille virtute, niſi arte, „ mendacio, inſidijs, fraude, dolo, nequitia, „ vitiorum miniſterio, furore criminum? Ille „ voluntates hominum ſemper explorat; & „ bonas quidem voluntates refugit, malis au-„ tem obſecundat; ut ſit miniſter ſcelerum, „ criminum leno, paraſitus ipſe vitiorum.].

Dæmones vitiorum præſides. Atque ut hæc omnia, quæ nobis machinatur, mala exequi faciliùs poſſit, ſingulis vitijs ſingulos conſtituit præſides dæmones, ſub uno omnes principe conſtitutos, qui ſedulò ad ea impellant nos, atque ſollicitent, ut vidêre eſt apud Origenem hom. 15. in Ioſue, & Sanctum Gregorium Papam libro 15. moral. c. 16. & Sanctum Anſelmum in elucidario, & Joannem Caſſianum collat. 7. Abbatis Sereni c. 17. & alios plures. Qui tamen omnes cunctorum principi referunt, quid quiſque tentando egerit: qua de re apud Caſſianum in collatione 8. ejuſdem Abbatis cap. 16. extat hiſtorica viſio illi perſimilis, quæ de Epiſcopo Andrea apud Sanctum Gregorium libro tertio dial. capite ſeptimo legitur.

CAPUT VII.

Quid diabolus tentando poſſit.

SI quanta eſt ſævitia, & aſtutia diaboli, tanta foret & poteſtas; actum prorsùs eſſet de nobis; quod & Origenes, & S. Aug. adnotârunt. Origenes enim libro 1. in Job; [Diabo-„ lus, inquit, ſi prævaleret, omnem hominem, „ & omnem ſpiritum, qui ſub cœlo eſt, ſubitò „ in ictu oculi perderet, deleret, atque interfi-„ ceret, ſi permitteretur, & juxtà iniquitatis „ ſuæ voluntatem haberet poteſtatem.] Et S. Aug. in Pſ. 61. [Diabolo poteſtas quædam eſt, „ plerumq; tamen vult nocêre, & non poteſt, „ quia poteſtas iſta ſub poteſtate eſt. Nam ſi „ tantum poſſet nocêre, quantum vult; non „ aliquis juſtorum remaneret, aut aliquis fide-„ lium eſſet in terra.] Confirmatur hoc autem ex duobus præſertim ſcripturæ locis. Alter eſt in lib. Job cap. 1. & 2. quo loco is poteſtatem à Deo petijt tentandi Job; neque liberam, & abſolutam obtinuit: ſed primùm quidem ad facultates, & res externas determinatam. Deindè verò hominem quoque Deus permiſit vexari; ſed non occidi; Ecce in manu tua eſt, verùmtamen animam illius ſerva. Alter Matthæi cap. 8. ubi poteſtatem petierunt dæmones invadendi porcorum gregem. Undè ſapienter ratiocinantur Patres; ſi in porcos poteſtatem non habet, quantò minùs in homines? ita Sancti Proſper in libro de promiſſionibus, & prædictionibus Dei part. 1. capite 22. & Petrus Chryſologus ſermone 17. & quidem S. Aug. libro 2. contrà adverſarium legis, & Prophetarum cap. 12. utroque utitur loco: „ [Diabolus, inquit, cùm ſemper habeat no-„ cendi cupiditatem, nocêre tamen non poteſt; „ niſi ab Omnipotente acceperit poteſtatem.] Quod tum ex Job probat, tum ex porcis. Et rursùm ſer. 241. de tempore; [Si in porcos non „ ſunt auſi intrare dæmones; niſi à Deo per-„ miſſionem acciperent; quis eos credat bonos „ chriſtianos poſſe lædere, niſi Deus propria „ diſpenſatione permitteret? Itaque beatum „ Job rebus omnibus ſpoliatum adnotavit non „ dixiſſe; Dominus dedit, & diabolus abſtulit; „ ſed, Dominus dedit, & Dominus abſtulit; „ nè iſtam gloriam diabolo daret, ut aliquid potuiſſet

Digitized by Google

„ potuiſſet tollere, quod Deus non permiſiſſet „ auferre.] Et S. Greg. Papa lib. 2. mor. c. 6. verba illa diaboli ad Deum notat; Extende manum tuam, & tange cuncta, quæ poſſidet: „ [Quia feriendi vires, nec ipſe ſibi tribuere „ auſus eſt, qui contrà autorem ſuum ſingu„ lariter ſuperbit.] Undè & Job cap. 40. dicitur: Qui fecit eum, applicabit gladium eius; „ [Gladius enim Behemoch, inquit idem Gre„ gorius libro 32. c. 19. eſt nocendi malitia; „ quæ à Deo reſtringitur, nè ferire tantùm „ mentes hominum, quantùm appetit, permit„ tatur.] Et S. Jo. Chryſ. h. 3. de patientia Job; [Poſtulat à Deo adversùs juſtum dæmon „ tentandi autoritatem, ut ſcias contrà Chri„ ſtianum propria virtute prævalêre non poſ„ ſe.] Addit, nè in porcos quidem poteſtatem eum habuiſſe. Sanctus autem Cypr. in ſerm. de oratione Dominica, hoc ipſum ex illis verbis colligit, quibus Deum oramus, dicentes; Nè nos inducas in tentationem. Quibus oſtenditur nihil contrà nos adverſarium poſſe, niſi Deus antè permiſerit: ut omnis timor noſter, & devotio, atque obſervatio ad Deum convertatur, cùm in tentationibus noſtris nihil malo liceat, niſi poteſtas indè tribuatur, ſicut, inquit S. Auguſtinus in Pſ. 77. homo de pecore ſuo facit, quod vult; de alieno autem pecore, ut faciat, expectat ſibi poteſtatem dari ab ipſius domino. Itaque dum Job cap. 40. quæſivit; Nunquid pones circulum in naribus ejus? Nares putavit S. Greg. lib. 33. c. 10. inſidias diaboli ſignificare, & circulum potentiam eſſe Dei, quæ inſidias circumplectens tenet. Nam apud Iſaiam quoque Prophetam cap. 37. Regi Babylonis dicitur: Ponam circulum in naribus tuis; nè ſcilicet populo Iſraël nocêre poſſis. Et ut habet S. Proſper in Pſal. 103. [Quamvis draco ſemper ſit „ cupidus ad vorandum, vorare tamen non „ poteſt, niſi quod Deus juſtus ciborum om„ nium diſtributor eſui ejus addixerit. Eſt au„ tem cibus ejus terra, nec edendus dabitur, qui „ terra non fuerit.] Ergò verè dictum illud fuit à Sancto Bernardo ſer. 48. inter parvos; Nihil eum adverſus nos poſſe, niſi aut miſſum, aut permiſſum. Miſſum, inquam, ad puniendos malos; permiſſum, ad exercendos bonos, & electos. In utroque munere ſervus ſcilicet Dei; in altero velut carnifex; in altero, ut loquitur S. Greg. c. 13. libri proximè indicati, velut ſervus ex pacto. Tentationis enim licentia pactum eſt, quo & deſiderium tentatoris agitur, & tamen per eam miro modo voluntas Dei impletur, qui erudiendos electos ſuos tentatori ſubijcit; ut qui elati perire poterant, humiliati à perditione ſerventur. Et indè obtemperat diabolus nutibus ſupernæ gratiæ, undè exercet iram nequiſſimæ voluntatis ſuæ. Quo circà ut ijdem Patres Bern. loco notato,

Diabolus ſervus ex pacto

& Gregorius libro ſecundo mor. cap. 6. & libro 18. cap. 3. tradiderunt; Diaboli voluntas ſemper eſt iniqua, & injuſta, ſed poteſtas ſemper juſta, numquam injuſta; quia à ſe ipſo voluntatem habet, ſed à Domino poteſtatem. Ita in primo libro Regum cap. 18. Spiritum Dei malum legimus invaſiſſe Saül, idemque ſpiritus, & Domini, & malus appellatur, Gregorio interprete; Malus per nequiſſimam voluntatem; & idem Domini per acceptam juſtiſſimam poteſtatem, quod etiam Auguſtinus habet in ſecundo libro qq. ad Simplicianum q. 1. & Saülem quoque addit reprobum, & ſceleratum in 2. Reg. c. 1. Chriſtum Domini appellatum.

Spiritus Domini malus.

CAPUT VIII.

Cogere nos diabolum non poſſe.

ERgò à Deo permiſſus poteſt nos tentare, hoc eſt ſollicitare, & inſtigare ad malum, cogere omninò non poteſt nolentes. Ita Tertull. in libro de exhortatione caſtitatis cap. 2. [Diabolus, inquit, etſi vult te velle, quod „ Deus non vult, non tamen facit, ut & velis. „ Illius opus unum eſt tentare, quod in te eſt, „ an velis. At ubi voluiſti, ſequitur, ut te ſibi „ ſubigat; non operatus in te voluntatem, ſed „ nactus poſſeſſionem voluntatis.] Et S. Cyprianus in libro de duplici martyrio; [Nihil „ aliud poteſt, quàm ſollicitare; deijcere non „ poteſt, niſi aſſentiaris.] Et S. Anſelmus in libro de libero arbit c. 5. [Nulla tentatio po„ teſt voluntatem noſtram, niſi volentem, à „ rectitudine ad peccatum cogere. Quare cùm „ vincitur, non alienâ vincitur poteſtate, ſed „ ſuâ, quâ poteſt ſe ſubijcere tentationi.] Et cap. 6. [Tentatio impugnare invitam volun„ tatem poteſt, expugnare nequit invitam.] Et S. Aug. in libro de natura, & gratia c. 58. „ [Diabolus ſolis prævalêre poteſt non reſi„ ſtentibus.] Et tract. 12. in Jo. [Non cogen„ di potentiam habet, ſed perſuadendi verſu„ tiam.] Et libro 50. homil. h. 12. [Suadêre, „ & ſollicitare poteſt, cogere omninò non po„ teſt.] Et rurſum; [Non cogendo, ſed ſuadendo „ nocet, nec extorquet à nobis conſenſum, ſed „ petit.] Et ſer. 7. de tempore; [Poteſt ad ma„ lum invitare, non poteſt trahere; delectatio„ nem infert, non poteſtatem, conſilium inge„ rit, non conflictum.] Et ſer. 147. [Alligatus „ eſt diabolus tanquam innexus canis catenis, „ & neminem poteſt mordêre, niſi eum, qui „ ſe illi mortifera ſecuritate conjunxerit. Vi„ dete, quàm ſtultus eſt, quem canis in catena „ poſitus mordet.] S. Hier. verba illa conſiderat Matt. 4. Mitte te deorſum: [Vox enim dia„ boli eſt, qui ſemper omnes cadere deorſum „ deſiderat; ſed perſuadêre poteſt, præcipitare

Digitized by Google

,, non poteſt.] Et S. Jo. Chryſ. h.5. ex varijs Matthæi locis: [Non dicit, inquit; Mitto, nè ,, vim facere videatur: ſed; Mitte, ut oſten- ,, deret, quod unuſquiſque noſtrûm libertate ,, arbitrij voluntatis ſuæ cadit in mortem.] Et dum in Pſ. 67. dicitur increpa feras arundinis, feras arundinis idem Hieron. interpretatur dæmones, fragilis, infirmæque virtutis. Et autor epiſtolæ ad Demetriadem Hieronymo adſcriptæ. [De conſenſu, inquit, adverſariorum ,, vires accipit, noſtroque nos jugulat gladio. ,, Infirmus hoſtis eſt, qui non poteſt vincere, ,, niſi volentem. Non cogendo, ſed ſuadendo ,, nocet: non extorquet à nobis conſenſum, ,, ſed expetit:] Et S. Bern. ſerm. 5. de quadrag. [In nobis, ait, eſt, ſi vinci nolumus, & ,, nemo noſtrûm in hoc certamine deijcitur ,, invitus. Poteſt inimicus excitare tentationis ,, motum; ſed in te eſt, ſi nolueris dare,ſeu ne- ,, gare conſenſum. In tua facultate eſt, ſi vo- ,, lueris inimicum tuum facere ſervum tuum, ,, ut omnia tibi coöperentur in bonum. Tu ſo- ,, lùm nè conſenſeris, & quoties reſtiteris, to- ,, ties coronaberis.] Et ſer. 13. in Pſ. Qui habitat; cùm Petrum audiret monentem, eum tanquam leonem rugientem circuire; Gratias, inquit, magno illi leoni de tribu Juda; rugire iſte poteſt, ferire non poteſt. In Pſ. 117. Impulſus everſus ſum, ut caderem, & Dominus ſuſcepit me. At ſi quis ſit impulſor quæras; Reſpondebit idem Bern. in ſerm. 85. in Cant. [Impulſor diabolus eſt, impulſor mun- ,, dus, impulſor homo, quiſque ſcilicet ſui. ,, Non eſt, quod ab altero impulſore formides; ,, ſi ipſe à te proprias contineas manus. Manus ,, tua conſenſus tuus. Si diabolo ſuggerente, ,, vel ſæculo ſuadente, quod non oportet, aſ- ,, ſenſum tuum tenueris, & non dederis mem- ,, bra arma iniquitati, malitia omninò non no- ,, cuit, vide, nè magis profuerit.] S. Baſilius cùm quæſiſſet in reg. brev. 75. Num omnis peccati cauſa conferri in ſatanam poſſit? Reſpondit. Eum poſſe per ſe alicui cauſam eſſe, ut peccet; ſed cùm modò inſitis cuique à natura motionibus, modò etiam interdictis cupiditatibus velut adjutricibus utatur; per hæc ipſa eos, qui negligentiores ſunt, ad propria vitia conari illum abducere. Neque in expoſitione Pſ. 61. prætermiſit illa Prophetæ verba: Deus ſuſceptor meus, non movebor ampliùs. Impoſſibile enim eſt à tentationum flatibus aliquam in anima noſtra non excitari commotionem; ſed dum exigui momenti eſt, leniter movemur, ut ſolent à leni vento tenellæ plantæ. At ampliùs, inquit, non movebor; ita ut in gravia cadam peccata; quoniam dexterâ Dei firmabor. [Habet enim liberum arbitrium ,, anima (inquit Sanctus Cyrillus Hieroſoly- ,, mitanus Catech. 4.) & poteſt quidem dia- ,, bolus incitare,cogereautem præter volunta- ,, tem omninò non poteſt.] Et rurſum; [Dæ- ,, mon perſuadêre quidem poteſt volentibus, ,, cogere autem non poteſt.] Eadem aliorum omnium ſententia, quos brevitati conſulens prætermitto, ſolùm nomino Sanctum Chryſoſtomum hom.23.& 31.in Gen. & ſer. de interdictione arboris ad Adam, & in Pſal. 26. & 123. & hom. 5. operis imperf. & conc. 2. de Lazaro, & hom.51.in Acta; & lib.1. de providentia. Certè Origenes lib. 1. in Job admirabilem hunc virum adnotavit in tentationibus ſuis aſperſiſſe terrâ caput, mortalem ſe, & de terrâ formatum oſtendendo, & inſtruendo mortales omnes, quod & ipſi ſtare poſſunt adversùs diabolum, omneſque illius tentationes ſuperare, ſi Deum metuerint, ac dilexerint, ſicut & Job. Et S. Io. Chryſ. hom.29. operis imperfecti proptercà Deum affirmat ligâſſe Diabolum; ut appareat, quinam eum voluntate, & qui coactè ſequatur: [Ligatus enim ,, malum conſilium ſuadêre poteſt, cogere ,, autem non poteſt.] Et h. 8. in ep. ad Rom. eum eſſe velut latronem, qui non apprehendit niſi inermem aliquem, ac ſolitarium in ſuas ſpeluncas deſcendentem: Neque immeritò ſerpentis formam gerere; quia non poteſt ſeſe admodùm ſurſum attollere; & hom. Quod nemo læditur niſi à ſe ipſo: lapſus noſtri cauſam tentationem non eſſe, ſed inſtabilitatem animi, & ignaviam, quæ & ſine tentatione interdùm ſpontè deijcitur. Hocque in parabola fabricæ ſuper arenam ædificatæ ſignificatum fuiſſe, Matthæi 7. Arena enim res mobilis eſt, & fluens, quæ inſtabilitatem, & inconſtantiam ſignificat animorum. [Quid ergò nos miſerum ho- ,, ſtem accuſamus (ait Sanctus Gregorius Na- ,, zianzenus in tetraſticis jambicis) eique no- ,, xas omnes noſtras aſcribimus; cùm ipſi ſce- ,, lerata noſtra vivendi ratione poteſtatem de- ,, mus? Tibi ipſi, vel ſoli, vel potiſſimùm ſuc- ,, censè; ignis enim noſter eſt, flamma autem ,, adverſi ſpiritus.]

CAPUT IX.

Homo quatenus Diabolo fortior.

QUIN etiam non defuerunt Patres, qui nos affirmarent fortiores eſſe Diabolo. ,, [Sicut Deus (ſcripſit Tertullianus in ſecundo ,, adverſus Marcionem libro cap.8.) homini vi- ,, tæ ſtatum induxit; ita homo ſibi mortis ſta- ,, tum attraxit. Et hoc non per infirmitatem, ,, ſicut nec per ignorantiam, nè quid autori ,, imputetur. Nam etſi Angelus, qui ſeduxit; ,, ſed liber, & ſuæ poteſtatis qui ſeductus eſt; ,, ſed imago, & ſimilitudo Dei; fortior An- ,, gelo; ſed afflatus Dei generoſior ſpiritu. Nec ,, univerſitatem homini ſubjeciſſet infirmo ,, dominandi, & non potiori Angelis, quibus nihil

Digitized by Google

„ nihil tale ſubjecit.] Et Origenes lib. 8. contrà Celſum: [Qui verè ſit Chriſtianæ religio-„ nis ſectator, & Deo ſeſe, & ejus verbo ad-„ dixerit, à dæmonibus nihil patietur: ut qui „ longè ſit illis ſuperior; nec malè affici pote-„ rit, quia immittit Angelus Domini in circui-„ tu timentium eum, & eripiet eos.] Et S. Greg. Nyſſenus h. 5. in Cant. ità interpretatur illa verba: Capite nobis vulpes parvulas, ut hæ ſint dæmones. [Illæ namque omnes poteſta-„ tes, inquit, adversùs quas eſt colluctatio ho-„ minibus, ſunt parvæ vulpes, doloſæ, & infœ-„ lices, ſi cum noſtris conferantur viribus.]

Cant. 2.

Sanè ſi naturam ſpectes, multò fortior diabolus eſt: non enim peccando naturam amiſit, & naturalia. Undè & Job c. 41. de illo dixit: Non eſt ſuper terram poteſtas, quæ comparetur ei, qui factus eſt, ut nullum timeret. Quod ſi fortior homo dicitur, propterea dicitur, quia & libertatem habet, quæ à diabolo cogi non poteſt, & Dei gratia, & ope ſuffultus inſidias omnes illius poteſt evadere.

Mentiar, ſi utramque hanc veritatem non docuit Chriſtus, cùm orare nos docuit Matt. 6. & petere à Deo: Nè nos inducas in tentationem; hoc eſt, nè nos patiaris induci; ut in libro de oratione c. 8. interpretatur Tertul. Aliud enim eſt tentari, aliud in tentationem induci; ſicut aliud eſt, inquit S. Aug. in 2. lib. de ſer. Domini in monte c. 9. igne tangi, aliud exuri. Et S. Greg. lib. 3. moral. c. 3. Nè inducas in tentationem, id eſt, à tentationis illecebra nos munias, nec permittas nos tentari ultrà quam poſſumus, vel etiam nè permittas nos in tentationem ab adverſario induci. Alij Deum volunt in tentationem dici inducere, dum non prohibet, vel non defendit à tentatione, ut S. Anſel. in lib. de caſu diaboli c. 1. & 20. aut currentes ad crimina cùm relinquit, ut Chryſol. ſer. 71. ita ut cadant, aut veniant in tentationem. Quod Orig. ſententia tract. 35. in Matt. nihil eſt aliud, quàm à tentatione vinci.

In tentationem induci quid.

Quidquid ſit, manifeſtum eſt hominem Dei ope, & auxilio ſuffultum fortiorem diabolo eſſe, neque ab eo ſuperari, atque in peccatum præcipitari tentando poſſe; qui ſuis viribus nixus facilè poterat. Et in Pſal. 139. dicebat David: Obumbraſti ſuper caput meum in die belli. Dies belli eſt præſens vita, quæ tota tentatio eſt. Itaque diabolus malitiâ pugnat, & aſtutiâ; homo & voluntatis libertate, & Dei ope repugnat.

S. Greg. libro 5. moral. c. 7. diabolum ſcribit verè juxtà ſeptuaginta interpretes myrmicoleonem appellatum, id eſt leonem, & formicam; formicis enim leo eſt, volatilibus formica: quia ſicut contrà conſentientes fortis eſt, ita contrà reſiſtentes debilis. [Si enim ſug-„ geſtionibus ejus aſſenſus præbetur, quaſi „ leo tolerari non poteſt; ſi autem reſiſtitur, „ quaſi formica atteritur.] Quare & primo libro Regum cap. 2. verè cecinit Anna, Dominum formidabunt adverſarij ejus, & ſuper ipſos in cœlis tonabit; quem locum conſiderans idem Greg. libro 2. in primum Reg. cap. 1. „ [Tonitrua, inquit, contrà adverſarios habe-„ mus, cum validis Sanctorum deſideriorum „ vocibus, omne, quod de eorum ſuggeſtione „ ſpirat, elidimus. Quidquid enim tonitruum „ ferit, interficit.] Sed & cap. 7. dum Samuël offerret holocauſtum pro populo ſuo, Philiſthæi iniere prælium contrà Iſraël; & intonuit Dominus fragore magno ſuper Philiſthæis, & exterruit eos, & cæſi ſunt à filijs Iſraël. [At „ quænam ſunt tonitrua nubium (inquit S. „ Greg. lib. 3. c. ultimo) niſi illa ferventia, & „ ſuperna electorum deſideria, quibus dum per „ divinam gratiam eorum mens ſuccenditur, „ omne, quod maligni ſpiritus decipiendo ſug-„ gerunt, penitùs expellunt. Velut enim toni-„ truo territi fugiunt, dum in electis menti-„ bus, quas tentando pulſaverant, ingentem „ ſonitum divinæ virtutis expaveſcunt.] In libro autem Cant. cap. 2. dicitur Deus ſtare poſt parietem noſtrum, reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos. Quo loco Theodor. lib. 2. Non ſolùm, ait, per feneſtras reſpicit, ſed etiam ex retibus liberat, neque dæmonum inſidijs permittit decipi; ſed liberat à laqueo venantium, & à verbo aſpero, & adfert plura ex Scripturis exempla.

Diabolus myrmicoleon.

Adſunt & Angeli boni pro nobis pugnantes. Quo circà id, quod in libro Joſue narratur cap. 8. eveniſſe habitatoribus Hay, inſequente illos Joſue; Origenes h. 8. in eum librum, de noſtra cum diabolo pugna, ad hunc modum interpretatur: [Angeli Sancti viden-„ tes nos inſectationes dæmonum pati, inſur-„ gunt adversùs eos, qui nos inſectantur, & „ omnes eos, poſt tergum cædentes interi-„ munt. Ieſus enim cum ijs, qui inſectâtiones „ patiuntur, magis eſt, quàm cum ijs, qui per-„ ſequuntur.] Et in altero commentario in Cant. h. 2. Deum affirmat dediſſe nobis Angelos tutores, & propugnatores, & defenſores contrà diabolum; atque ut id cum majori fiducia agant, concedi eis ſemper videre faciem Patris, qui in cœlis eſt. Et libro 8. contrà Celſum, tum à Dei benignitate, & gratiâ, tum ab Angelorum tutela ſervari nos, nè quid jacturæ à dæmonibus ſubeamus. Atque hæc Angelorum cuſtodia certior eſt, quàm ut in ea nunc ſtabilienda ſit immorandum.

Angelorum defenſio, & tutela.

CAPUT X.

Cur Deus tentari nos permittat.

NUNC oportet quærere, cur Deus tentari nos permittat. Sed primum ponendum

dum illud, quod affirmat Paulus in priore ad Cor. ep. cap. 10. nos ſuprà vires non tentari. Fidelis, inquit, Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſuprà id, quod poteſtis; ſed faciet etiam cum tentatione proventum, ut poſſitis ſuſtinêre; [Sicut enim (loquitur Orig. libro 3.

Nos ſuprà vires non tentari.

„ περὶ ἀρχῶν c.2.) qui agonibus præſunt, eos, „ qui ad certamen veniunt, non utcumque ne-„ que fortuitò inter ſe ſinunt inire certamina; „ ſed diligenti examinatione prout corpora vi-„ derint, & ætates, æquiſſima comparatione „ jungentes, illum cum illo, pueros cum pue-„ ris, viros cum viris. Ita intelligendum eſt de „ divina providentia; quod omnes, qui in hos „ humanæ vitæ deſcenderint agones, juſtiſſi-„ ma moderatione diſpenſet ſecundùm ratio-„ nem uniuſcujuſque virtutis, quam ipſe ſolus „ agnoſcit.] Et S.Greg. lib.2.mor.c.7. propterea Deum vult dediſſe tentatori poteſtatem in omnia, quæ poſſidebat Job, & non in ipſum, ut quæ coacervata perimerent, poſſent diviſa tolerari. Nam & David in Pſal. 25. oravit; Proba me, & tenta me; hoc eſt priùs vires inſpice, & tunc, ut ferre valeam, tentari permitte. Niſi enim Deus cum viribus tentamenta modificaret, ut idem addit libro 9. cap. 25. nullus profectò malignorum ſpirituum inſidias non corruens portaret. Itaque in libro 35. c. 6. Deum negat permiſſurum fuiſſe Job à Diabolo tentari, niſi eum in tentatione perſiſtere poſſe prævidiſſet.

Melior eſt inimicitia diaboli, quàm pax.

Iam verò ſi quæras, cur omninò tentari nos Deus permittat, reſpondebit tibi S. Leo ſer. 18. de paſſione Domini tutius omninò eſſe homini inimicitiam diaboli meruiſſe, quàm pacem. Et S. Greg. libro 31. moral. cap. 17. multos pejùs ſuam fœlicitatem ſtraviſſe, multos diuturnam pacem inertes reddidiſſe, eoque illos inopinatum hoſtem graviùs perculiſſe, quò longo quietis uſu negligentes invenit. Et S. Doroth. in ſer. 13. cui titulus eſt; Ut conſtanter tentationes, & adverſa feramus, verè pronuntiavit, turbari propterea, & angi, argumentum eſſe ignorantiæ, ſuperbiæ, & elationis. Ignorantiæ, quæ multiplicem tentationum utilitatem non intelligat: Superbiæ, & elationis, quæ plus æquo tribuat ſibi, & ſuam conditionem, & ſtatum ignoret. Quemdam refert à fornicationis vexatum ſpiritu, qui à ſeniore interrogatus; vis rogem Deum, ut leviorem tibi pugnam iſtam reddat? Reſpondit: etſi in hac tentatione laboro, video tamen ex ea fructum non modicum me ſuſcepturum; roga potiùs, ut patientiam mihi, & fortitudinem largiatur. Hic verè diceret illud Job cap.7. Si dormiero conſurgam, & rurſum expectabo veſperam. Veſperam quippè Gregorius libro 8. cap. 6. tentationem intelligit, quam vir Dei non formidat, ſed expectat, quia rectitudini ſuæ proficere non ignorat. Deque hujuſmodi homine diceret Job cap. 39. Ubi audierit buccinam, dicit: Vah, quia Gregorio interprete, præliator Dei cùm vim tentationis incumbere conſpicit, utilitatem ſupernæ diſpenſationis conſiderans ex ipſa validiùs adverſitate confidit.

Prima tentationum cauſa. Confuſio diaboli.

Cur igitur poteſtatem Deus tentandi permittat diabolo plures reperio cauſas à veteribus explicatas. Prima eſt tentatoris ipſius confuſio, & ſuperbi ſpiritus, qui contrà Deum, atque imaginem ejus bellum ſuſcipit, humiliatio. Tertullianus quidem certè in libro de fuga in perſecutione cap. 2. ſic habet; [Nihil „ ſatanæ in ſervos Dei vivi licebit, niſi permi-„ ſerit Dominus, ut aut ipſum deſtruat per fi-„ dem electorum in tentatione victricem, aut „ homines ejus fuiſſe traducat, qui defecerint „ ad illum.] Et S. Greg. Papa lib. 3. moral. cap. 3. Cùm Deus diabolo dixit de Job; Ecce in manu tua eſt; [Electum, inquit, ſuum di-„ vina diſpenſatio cuſtodiendo deſerit, deſe-„ rendo cuſtodit: quatenùs & ex oppreſſione „ proficiat ſervus humilis, & hoſtis ſuperbus „ ex permiſſione ſuccumbat. Manui adverſa-„ rij traditur, & tamen in intimis adjutoris ſui „ manu retinetur.] Et S.Io.Chryſ. conc. 1. de Lazaro, to. 2. [Circumcurſat, ait, noſtræ „ ſaluti obſiſtere cupiens, non ſolùm ipſe nihil „ lucri reportans, verùm etiam graviſſima ſibi „ detrimenta concilians.] Et h. Quòd nemo læditur, niſi à ſe ipſo, to. 5. augeri illi vult pœnam, nam loquens de tentatione Job; [Dia-„ bolus, inquit, nequitiâ ſuâ, ita clarum red-„ didit Job, ut quantò illi gloria, tantò huic „ creſceret pœna.] Origenes autem h. 15. in Joſue, Deum affirmat non ſolùm permittere, ſed & incitare propemodùm adverſarias virtutes; hoc eſt, dæmones exire adversùm nos in prælium; ut & nos victoriam, & illæ interitum conſequantur.

Secunda gloria noſtra.

Secunda cauſa eſt hæc ipſa victoria noſtra, propter quam à Deo victores coronamur. Ita Iac. cap. 1. Beatus vir, qui ſuffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam gloriæ. Et 2. Tim. 2. Non coronabitur, niſi qui legitimè certaverit. Et Luc. 22. Vos eſtis, qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis; & ego diſpono vobis regnum. Et Apoc.3. Vincenti dabo edere de ligno vitæ, & S. Martialis in ep. ad Burdegalenſes c. 8. Deum ſcripſit permittere diabolum dominari, & diverſis tentationibus perſequi bonos, ut electi probentur, & examinentur, examinati verò poſteà coronentur; & neminem fidelium extrà tempus tentationis coronam capite noſce, dixit in libro de corona militis cap. 2. Tertullianus. Et Sanctus Auguſtinus in qq. ex utroque teſtamento mixtim q. 119. loquens de Tobia. [Deus, inquit, per-„ mittit nos tentari, quia nos diligit, ut poſt

laborem

Digitized by Google

„ laborem poſſit nobis præmia dare ampliſſi-„ ma.] Et exponens illa Pſalmi 88. verba; Nihil proficiet inimicus in eo. [Sævit quidem, „ ait, ſed non proficiet: exercebit, non noce-„ bit; proderit ſæviendo, quia in quos ſævit, „ coronabuntur vincendo.] Et S. Cyprianus in ſer. de ratione circumciſionis; dum de carnis differit tentatione; [Non peremptoria, in-„ quit, eſt contendentibus, ſed probatoria hu-„ jus ſenſualitatis colluctatio. Sed inſtitutum „ eſt certamen inter ſpiritum, & carnem, ut „ victor homo peccati, & pœnæ, poſt trium-„ phos ſolemnes coronetur in gloria, ſine in-„ feſtationibus deinceps, liber à peccato, & „ pœna.] Et S. Ambroſius ſer. 18. in Pſ. 118. ita ratiocinatur; [Qui vult dare præmium, „ debet expectare certamen, quia nemo ſine „ certamine coronabitur. Sinit ergò nos ſæpè „ tentari, volens juſta præmia dare luctanti „ utique, non dormienti. Non decet redimi-„ tos floribus corona, ſed pulverulentos; nec „ molles delicijs, ſed exercitatos labore ornat „ victoria.] Et S. Ber. in lib. medit. c. 14. [Deus „ hortatur nos, ut pugnemus, certantes ſpe-„ ctat, deficientes ſublevat, vincentes coronat.] Et lib. de interiori domo c. 19. [Moleſta eſt „ lucta, ſed fructuoſa: quia ſi habet pœnam, „ habebit & coronam; quod reſiſtentem fati-„ gat, vincentem coronat.] Ita S. Greg. lib. 14. mor. c. 14. Job nec fruſtrà, nec injuſtè tentatum fuiſſe oſtendit; quoniam tot flagellis non curavit Deus vitia illius extinguere, ſed augêre merita. Si vitia penſentur, fruſtrà, & non æquum videbitur: ſi merita, & præmium, non fruſtrà, & juſtum. Idcircò Job cap. 40. ſervus perpetuus vocatur diabolus; Nunquid feriet tecum pactum, & accipies eum ſervum ſempiternum? Pactum enim Gregorio interprete eſt tentandi licentia, in qua dum & tentatoris deſiderium agitur, & tamen per eam Dei voluntas impletur; & ſervus Dei eſt, & noſter, dum æternam nobis fœlicitatem neſciens, & nolens procurat. Sed in 4. libro in 1. Regum cap. 4. in hac vita vult eſſe nobis ſervum perpetuum, dum per totam vitam nos tentat; poſt verò ſervum ſempiternum, quia ex vitæ præſentis prælio ſempiterna nobis præbetur gloria. Quod Origenes h. 27. in Num. figuratum in eo putavit, quòd azyma cùm amaritudine comedere præcepti ſunt filij Iſraël, quia non eſt poſſibile ad promiſſionis terram pervenire, niſi per tentationum amaritudines tranſeamus. Sed mox venerint in Helim, ubi duodecim erant fontes aquarum, & ſeptuaginta duo palmarum arbores. [Vides, in-„ quit ille, poſt amaritudines tentationum, „ quàm te amœna ſuſcipiant loca. Non veniſ-„ ſes ad palmas, niſi tentationum amaritudines „ pertuliſſes; nec veniſſes ad dulcedinem fon-„ tium, niſi priùs, quæ triſtia fuerant, & aſpe-„ ra ſuperâſſes.] [Delicatus es miles (addit S. „ Jo. Chryſ. in ſer. de Martyribus imitandis „ tom. 3.) ſi putas, te poſſe ſine pugna vin-„ cere, ſine certamine triumphare.]

Diabolus ſervus perpetuus. *Ex. 15. & Num. 33.*

Tertia gloria huius vitæ. Tertia cauſa eſt major gloria noſtra, vel etiam in hac vita. Nam & bonus, ac fortis miles pugnam expetit, abhorret pacem, ut alijs quoque virtutem ſuam teſtatam faciat. „ [Diabolum, inquit Origenes h. 9. in Num. „ & obluctantes nobis contrarias poteſtates ſi „ auferas, virtutes animi ſine obluctante non „ poterunt eniteſcere.] Et S. Jo. Chryſ. hom. 20. ad populum: [Sicut gubernatorem tempe-„ ſtates, & ducem pericula, ita nos tentatio „ apparêre facit.] Et Jo. Caſſ. collat. 24. Abbatis Abrahæ cap. 2. non veretur aſſerere majora nobis per tentationum colluctationem collata eſſe laudis præmia, quàm ſi omnis neceſſitas certaminis fuiſſet ablata. Etenim ſublimioris, præſtantioriſque virtutis eſt, paſſionibus, ærumniſque vallatum manêre ſemper immobilem, & adverſum ſe ſævientibus cunctis, certum de præſidio Dei, atque intrepidum perdurare. S. Aug. libro 11. de Gen. ad litteram c. 4. cùm quæſiſſet, cur Deus tentari permiſerit hominem Adamum, quem tentatori conſenſurum præſciebat: eam reſpondet fuiſſe cauſam, quia non magnæ laudi fuiſſet homini, ſi propterea poſſet benè vivere, quia nemo malè vivere ſuaderet: cùm & in natura poſſe, & in poteſtate habeat velle non conſentire ſuadenti, adjuvante tamen illo, qui ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Et rurſum cap. 6. quærens, cur univerſum quoque humanum genus permittat ſine ceſſatione tentari. Hanc reſpondet cauſam, quia probatur, & exercetur virtus, & eſt palma glorioſior, non conſenſiſſe tentatum, quàm non potuiſſe tentari. Quod & habet Sanctus Ambroſius libro ſecundo de vocatione Gentium cap. 10. [Laudabiliùs eſt, atque fœliciùs pu-„ gnantem non potuiſſe vinci, quàm deſidem „ non potuiſſe tentari.]

Adæ tentatio.

Quarta, ut levius peccatum noſtrum. Quartam habet Sanctus Joannes Damaſcenus in dialogo adverſùs Manichæos, ut levius foret peccatum noſtrum. Quemadmodum enim diabolus ſine alterius impulſu ſua voluntate malus fieri potuit, id quod ipſius crimen atrocius reddit, ſic etiam homo, etiamſi nullus extitiſſet, qui eum adoriretur, per ſe ipſum malus fieri poterat; ex quo illius peccato cumulus acceſſiſſet. Majori enim excuſatione, ac venia dignus habetur, qui alterius ſuaſu, quàm qui de induſtria peccat. Ac proindè diabolus, qui de induſtria peccavit, reſipiſcentiæ omnis expers manſit: homo autem, qui non de induſtria, ſed ex diaboli inſultu peccavit, reſipiſcendi poteſtatem, ac renovationem, peccatorumque remiſſionem eſt conſecutus.

Quinta

Digitized by Google

Quinta cauſa.

Quinta eſt, ut fortiores, & invicti Dei milites cæteris exemplum virtutis præbeant. Atque hæc extat Theodoreti ſententia libro tertio de Græcorum affectionibus curandis. [Deus non tollit certamen, ut hæc colluctatio fortiſſimos pugiles prodat, plurimaque virtutis exempla edantur, eoſque dignos coronâ oſtendat, qui fortiter reſtiterint.] Et Sanctus Ambroſius in Pſal. 37. [Ut fides luceat, virtus excellat, mens interna omnibus manifeſtetur.]

Sexta cauſa.

Sexta; ut vires noſtras, & virtutes, & quantùm in via Domini profecerimus, quiſque noſtrûm agnoſcat. [Si enim tentatio nulla, inquit Sanctus Gregorius lib. 23. moral. cap. 16. profectum noſtrum penſaret, alicujus nos fortitudinis eſſe crederemus. Sed dum tentari nos recolimus, quid de divino munere, & quid de proprijs viribus ſumus, in tentatione cognoſcimus, ut de noſtra infirmitate ſentiamus eſſe, quod quatimur, & de divino munere eſſe, quod ſtamus.] Et c. 18. [Nemo vires ſuas in pace cognoſcit. Si enim bella deſunt, virtutum experimenta non prodeunt. Improvidus miles eſt, qui fortem ſe in pace gloriatur.

Septima cauſa.

Septima, ut virtus noſtra majora in dies capiat incrementa, robuſtiorque reddatur. Nam roganti Paulo, ut à ſtimulo carnis liberaretur, reſpondit Deus 2. Cor. 12. Virtus in infirmitate perficitur. Et tentationes velut virtutis cuſtodiam adhibéri; hinc S. Gregorius colligit lib. 19. mor. cap. 5. [Aperta enim voce Dei oſtenditur, quia cuſtos eſt virtutis infirmitas. Tunc quippè benè interiùs cuſtodimur, cùm per diſpenſationem Dei tolerabiliter tentamur exteriùs.] Ideò libro 29. cap. 15. Et pluviæ patrem, & glaciei appellari Deum Job cap. 38. adnotavit; quia & virtutes infundit, & tentationes, ut in nobis conſerventur, permittit; & S. Ambr. in tractatu de 42. manſionibus: [Sicut, inquit, caro, niſi ſale aſpergatur, corrumpitur, ita & anima quantumvis perfectà, niſi aſſiduis ſaliatur tentationibus, relaxatur.] Quod etiam habet Orig. hom. 27. in Num. & rurſum; [Tentatio animæ fideli cuſtodia, fortitudo, & virtutis augmentum eſt.] Et iterum. [Quamvis juſtus perfectioni, vel ſummæ proximus exiſtat, haud tamen ei tentationes deſunt. Quod eſt divinæ cautela providentiæ, nè à recto deflectendi bonis ſucceſſibus arripiamus.] Et obſervat S. Aug. in Pſ. 144. diabolum impetrâſſe Job tentandum, & Paulo negatam à tentatione liberationem: illum ad damnationem ſuam impetrâſſe, hunc ad perfectionem ſuam non impetrâſſe. Nam ut ægrotus petit auferri ſibi, quod medicus impoſuit ad ſanitatem, neque exaudit medicus: ita & Deus, inquit idem Auguſtinus in ſermone 3. de verbis Apoſtoli, non exaudivit Paulum, neque nos interdum exaudit, nè præproperam implens voluntatem, perfectam non impleat ſanitatem. Et Sanctus Bernardus in tractatu de gradibus humilitatis, medicum monet, non ſolùm unguento, ſed igne, & ferro uti, quæ omne, quod in vulnere ſanando ſuperfluum excreverit, ſecet, & urat, nè ſanitatem, quæ ex unguento procedit, impediat. Sic enim medicus animarum Deus tentationes permittit, quibus anima humiliata, & afflicta, gaudium vertat in lucrum, & vanitate careat. Ut terra fructum ferat, aratro eget, & vomere, quibus rumpatur, & ſubigatur ſæpiùs: & nativus noſter calor, ſi non habeat cibum, in quem agat, conſumit innatum humidum, & ſeipſum. Empedocles litem voluit eſſe procreationis rerum cauſam, amicitiam interitus. Et Job poſt tentationes à Deo accepit duplicata omnia, quæ fuerant ab illo ablata. [Bonum eſt animæ (ait Sanctus Leo in ſermone octavo de jejunio ſeptimi menſis) timêre, nè cadat, & habêre, quod vincat.] Et in ſermone primo de quadrag. [Nulla ſunt ſine tentationum experimentis opera virtutis, nulla ſine perturbationibus fides, nullum ſine hoſte certamen, nulla ſine congreſſione victoria.] Nam ut loquitur Lactantius in libro de opificio Dei, cap. 20. virtus eſſe non poterit, niſi fuerit compar aliquis, in quo ſuperando vim ſuam vel exerceat, vel oſtendat. Nam ut victoria conſtare ſine certamine non poteſt, ſic nec virtus ſine hoſte. Denique Sanctus Cæſarius appoſito ſanè utitur exemplo in tertio dialogo; ſicut enim nos dracone percuſſo, tradimus eum deinceps pueris malè tractandum, quò audaces illos adverſùs feras faciamus; ſic Deus percuſſo capite draconis diabolo, totum illius comitatum ad exercitium noſtrum nobis reliquit.

Octava cauſa.

Octava eſt; ut boni à malis, electi à reprobis, ſeparentur, nam & diſcipulis ſuis dixit Chriſtus Luc. 22. Expetivit Satanas, ut cribraret vos, ſicut triticum: [Et dum triticum ventilatur in area, à paleis, inquit S. Ambr. in Pſ. 43. ſeparatur, & mundum eſt; ſi autem non ventiletur, mundum eſſe non poteſt. Ita & homo, ſi tentationibus non fuerit ventilatus, fragilia quæque velut paleas à ſe non poteſt ſeparare.] Ventilatio hæc, triticique à paleis ſeparatio ſine tentationum vento non fit, & ventilabrum eſt in manu Dei, qui tentationes permittit, & diſpenſat. Sic enim habes Luc. 3. Cujus ventilabrum in manu ejus, & purgabit aream ſuam. Undè Origenes h. 26. in Lucam; [Exiſtimo tentationes pro vento intelligi, quæ confuſo credentium acervo, alios paleas, alios triticum eſſe demonſtrant.] Et David in Pſ. 1. impios dixit tanquam pulverem, quem projicit ventus à facie

Tentatio ventus purgans.

Digitized by Google

facie terræ. Quo loco S. Hieronymus pulverem, ait, hùc, illucque diſpergi, quecunque impulerit ventus, & impium, qui ſemel Deum negaverit, quocunque illum diabolus traxerit, illuc errore perduci. Et S. Auguſt. conc. 1. in Pſal. 34. [Ventus, inquit, tentatio eſt, pulvis iniquus, quando venerit tentatio, tollitur pulvis, nec ſtat, nec reſiſtit.] Et concione 2. [Palea volat, frumentum manet: ideò in populo, inquit, gravi laudabo te: quem ventus tentationis non aufert, nam in palea blaſphematur.] Et S. Greg. libro 28. moral. c. 6. [Peccatoris animus pulvis eſt, quia in ſuperficie attollitur, & tentationis aura raptatur. At anima juſti terra eſt, quæ ſuſcipiens imbrem generat herbam, & illius fundamentum eſt fides.] Et libro 30. c. 6. [Quid in pulvere niſi peccatores accipimus, qui nullo rationis pondere ſolidati, cujuſlibet tentationis flatu rapiuntur.] Et hominem de pulvere factum, ſcripſit Sanctus Anſelmus in libro de ſimilitudinibus cap. 61. mirum non eſſe, vento tentationis impulſum in ſordes criminum eſſe lapſum.

Nona cauſa. Humiliatio noſtra.

Nona; ut in humilitate contineamur, neque ob accepta dona, virtutesvè acquiſitas extollamur. Sic Paulus datum ſibi ſtimulum carnis fatetur, nè magnitudo revelationum extolleret. Aut etiamſi gravia non committimus peccata, nè multum de nobis præſumamus, adveniens tentatio parvam virtutem oſtendit noſtram, ſicut ignem ſub cineribus latentem detegit ventus adveniens. Ignorabat Jacob Gen. 31. ſe habêre idola Laban, quia erant abſcondita ſubter ſtramenta Cameli, ideò confidenter dicebat: Scrutare, & necetur apud quemcumque inveneris. Tentatio detegit idolum apud nos abſconditum. Et Petrus præſumebat: Etſi oportuerit me mori tecum non te negabo; & permiſſa eſt illi tentatio, quâ humiliaretur. Tractat hoc copioſè Sanctus Gregorius libro ſecundo moral. capite 24. [Diabolus, inquit, contrà bonorum corda ſævire permittitur, nè ea, quæ agunt, bona ſuis viribus tribuant; nè in ſecuritatis torpore ſe deſerant, & à formidinis accinctione diſſolvant; ſed ad profectus ſui cuſtodiam tantò ſolertiùs invigilent, quantò ſe contrà adverſarium ſtare ſemper in acie tentationum vident.] [Eſſe namque ſe magnarum virium homo crederet, addit in cap. 26. ſi nullum unquam earum virium defectum intrà mentis arcana ſentiret. Sed dum tentatione irruente quatitur; & quaſi ultrà quàm ſufficit, fatigatur; ei contrà hoſtis ſui inſidias munimen humilitatis oſtenditur; & undè ſe pertimeſcit enerviter cadere, indè accipit fortiter ſtare. Tentatus autem, non ſolùm vires à quo accipiat, diſcit; ſed quantâ eas vigilantiâ ſervet, intelligit. Sæpè enim quem tentationis certamen ſuperare non valuit, ſua deteriùs ſecuritas ſtravit.] Et iterùm poſt multa; [Pia conditoris diſpenſatione agitur, ut de ſe confidens anima diſpenſatoria tentatione pulſetur: quatenùs infirmata quid ſit inveniat, & præſumptionis propriæ faſtum deponat. Fugantur enim adveniente adverſario faventes cogitationes, velut ſatellites, qui mentem in tyrannidem elevabant adulatione ſua, & perturbatus animus ſe ſolùm in tentatione videt.] Et libro octavo, capite 17. Salomonem nobis proponit poſt acceptam divinitùs ſapientiam à mulieribus ſeductum, quia ſæpè cùm mentem noſtram conceſſis virtutibus reſpectus intimæ largitatis illuminat, hanc protinùs etiam lubricæ cogitationes turbant: ut quæ ſublata immenſo munere exultat, etiam tentatione pulſata, quid ſit, inveniat. Eliam quoque addit ſermone cœlos aperuiſſe, & tamen per deſerta fugientem unam mulierem expaviſſe: Et Paulum ad tertium cœlum raptum, contrà carnis bellum laboràſſe; cùm diceret: Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ; & libro nono capite 32. [Deum tradit, etiam dum illi totâ intentione ſervimus, carnis tentationem nobis permittere; nè mens noſtra in ſuperbiam audeat præſumptione ſuæ ſecuritatis elevari: ut dum pulſata trepidat, in ſolo autoris adjutorio ſpei pedem robuſtiùs figat.] Sanctus Ambroſius libro 3. de virginibus velut navis ſuburram eſſe voluit, à Deo impoſitam, nè jactantiæ nos aura circumferat: avemque adjungit, quæ cùm aeris motus ſuſpectos habet lapillis ſublatis per inania ſe librat nubila, nè leve alarum remigium præcipitent flabra ventorum. Undè S. Leo ſermone 1. de jejunio Pentecoſtes; [Donet licèt Sanctis ſuis quotidianam gratia divina victoriam, non aufert tamen dimicandi materiam: quia & hoc ipſum de miſericordia protegentis eſt, qui naturæ mutabili, nè de confecto prælio ſuperbiret, ſemper voluit funereſſe, quod vinceret.]

Tentatio navis ſuburra.

Decima cauſa.

Decima & bonos, & malos, & juſtos, & peccatores complectitur. Bonos, inquam, & juſtos probationis causâ tentari; malos, & peccatores in pœnam. Ita apud Tertullianum habes in libro de fuga in perſecutione capite 2. [In domeſticos Dei nihil diabolo licet ex propria poteſtate: ſed aut ex cauſa probationis conceditur ei jus tentationis, ut in Job; aut ex cauſa reprobationis traditur ei peccator quaſi carnifici in pœnam, ut Saül 1. Reg. 16. aut ex cauſa cohibitionis, ut Apoſtolus 2. Cor. cap. 12.] Et S. Aug. in 2. lib. de ſer. Domini in monte c. 9. [Fiunt tentationes per ſatanam permiſſu Domini ad homines aut pro ſuis peccatis puniendos, aut pro Domini miſericordia probandos, & exercendos.

Et in Pſalmum 100: Job ſcripſit permiſſum fuiſſe diabolo tentandum, non opprimendum, purgandum, non evertendum, aut fortè nec purgandum, ſed probandum. Et concione 3. in Pſalmum 103. tentationes malis eſſe ſicut ignem fœno, bonis tanquam ignem auro, illos conſumere, hos purgare. Mitiùs loquitur in ſermone 241. de tempore. [Permittit, in-„ quit, hoc Deus ex cauſis duabus, ut aut nos „ probet, ſi boni ſimus, aut corrigat, ſi peccato-„ res. Qui enim patienter tolerat, aut coronam „ accipit, ſi juſtus eſt, aut indulgentiam, ſi pec-„ cator.] Ita Sanctus Gregorius libro 16. moralium capite 18. in perverſa voluntate diaboli voluntatem quoque Dei affirmat fieri, quia utilitati bonorum ſervit, quos purgat, dum tentat, & malorum item, dum corrigit, & emendat. Deum in com. ad Pſalmum 43. ſcripſit quoque Sanctus Ambroſius pati juſtos tentari, quò magis probentur tentationibus eruditi: Et diabolum S. Bernard. ſerm. in tranſitu Malachiæ, Dei malleum univerſæ terræ electos ad eorum utilitatem terrêre, & reprobos in eorum damnationem conterere.

Vndecima cauſa

Undecimam addet Joannes Caſſianus in collat. 6. Abbatis Theodori c. 11. quatuor enim colligit tentationum cauſas: Primam ob probationem; Secundam ob emundationem; Tertiam ob merita delictorum, de quibus dictum eſt; Quartam adjungit ad manifeſtandam gloriam Dei, quàm in cœco nato ipſemet Chriſtus explicavit Joan. capite nono, interrogatus quippè, an ille propter ſua, an propter parentum ſuorum peccata cœcus fuiſſet natus: Reſpondit: Neque hic peccavit, neque parentes ejus, ſed ut manifeſtentur opera Dei in illo. Sanctus Ambroſius ſer. 20. in Pſal. 118. eos, qui tentantur, & ſuperant, dixit eſſe teſtes, & martyres Chriſti.

CAPUT XI.

De varijs tentationum generibus.

SI tentationum autores conſideres, ex ijs, quæ cap. 2. dicta ſunt, intelliges duo præcipua tentationum genera; alterum à Deo, alterum à Diabolo. Tertium ab homine videtur addere Apoſtolus, dum in priore ad Cor. ep. c. 10. nos monet: Tentatio vos non apprehendat niſi humana: Nam & homo hominem tentare poteſt. Omne enim, quod probatum non habetur, tentatur, inquit in commentario Ambroſius, qui propterea verborum illorum intellectum eſſe putat: Nolite tentare Deum, quemadmodùm patres veſtri tentaverunt. Nefas eſt enim de Deo diffidere; ſed propter ſpem Dei diffidere licet de homine, quia vana ſpes eſt in homine. Eadem fuit Auguſtini ſententia in queſtionibus ex novo teſtamento q. 52. ſed in qq. ex utroque teſtamento mixtim q. 99. non activè, ſed paſſivè maluit intelligere: non, inquam, nos tentare Deum, aut homines, ſed nos à Deo, hominibusve tentari: ut propter legem Dei ab hominibus tentati, fortes inveniamur, dubitantibus de nobis hominibus, Deo autem probati ſimus. Tentatio namque Dei mortalis eſt, & perniciem adfert; ſicut attulit patribus, qui à ſerpentibus perierunt. Sed Sanctus Joannes Chryſ. hom. 24. in eum locum, tentationem parvam, brevem, ſeu mediocrem, interpretatus eſt. Denique S. Gregorius Papa libro 21. moral. capite 3. humanam tentationem, non divinæ, ſed diabolicæ opponit. [Humana, inquit, tentatio eſt, qua in tur-„ pi cogitatione tangimur etiam nolentes; dæ-„ moniaca verò, & non humana, cùm ad hoc, „ quod carnis corruptibilitas ſuggerit, per con-„ ſenſum ſe animus aſtringit, juxtà illud quod „ prohibuit idem Apoſtolus Rom. 6. Non re-„ gnet peccatum in veſtro mortali corpore.] Hinc dum Job cap. 20. diceret; Caput aſpidum ſuget, & occidet eum lingua viperæ, idem Greg. lib. 15. cap. 9. duplicem intelligit tentationem, parvam, & vehementem. [Per aſ-„ pides parvos, ait, latentes dæmonum ſugge-„ ſtiones figurantur, qui cordibus hominum „ parva primùm perſuaſione ſurrepunt: lingua „ viperæ violentam diaboli tentationem ſigni-„ ficat. Priùs enim leniter ſurrepit, pòſt verò „ etiam violenter trahit. Caput aſpidum ſugit, „ quia initium ſuggeſtionis parvum in corde „ naſcitur: ſed occidit eum lingua viperæ, quia „ capta mens veneno violentæ tentationis ne-„ catur, & cùm iniquam ſuggeſtionem liben-„ ter ſuſcipit, violentis poſtmodùm ſe tentati-„ onibus delictam tradit.]

Tertiam ex iiſdem verbis tentationum diviſionem ſubjungit, in ſubitam, & tardam. „ [Veneno quippè ſuo aſpis concitè, vipera „ tardiùs interficit. Per aſpidem ergò ſubita, „ & violenta tentatio; per viperam lenis, & „ diuturna deſignatur. Illa in ſuctione capitis „ occidit, quia repentina inopinatam mentem „ interficit: longa verò, quia parva diutiùs „ perſuadendo ſuggerens, velut ex lingua oc-„ cidit.]

Quartam habes apud Joannem Caſſianum libro de ſpiritu Cenodoxiæ, & collatione quinta Abbatis Serapionis capite quarto, & pluribus alijs in locis, & omnes penè ſcriptores, in tentationem carnalem, & ſpiritualem, quarum illa à carne, carniſque ſenſu principium trahens, ad mentem penetrat; hæc animæ ſolius inſtinctu agitur.

Quinta celebris eſt tripartita illa apud Sanctum Joannem in 1. epiſtola cap. 1. in concupiſcentiam carnis, concupiſcentiam oculorum, & ſuperbiam vitæ, quas voluptatis, excellentiæ, & ſpectaculi, placuit Sancto Auguſtino

no appellare in libro de vera relig. cap. 38. quas Chriſto quoque propoſitas fuiſſe voluit Matt. 4. poſt quas diabolum ſcribit Lucas cap. 4. Conſumata omni tentatione receſſiſſe ab eo. Propè namque omnium criminum fontes, ut S. Ambroſius eo loco loquitur, hæc tria genera demonſtrantur eſſe vitiorum; neque enim conſumatam omnem tentationem ſcriptura dixiſſet, niſi in his tribus eſſet omnium materia delictorum. Hæc tria etiam Paulus cavenda præſcripſit 1. Theſſ. 2. cùm dixit; neque enim in verbo adulationis fuimus, neque in occaſione avaritiæ, neque gloriam quærentes ab hominibus. [Funiculus triplex eſt, qui difficilè rumpitur, ait S. Bernardus ſer. in feria 4. hebdomadæ pœnoſæ, propterea multi trahunt, immò trahuntur hoc funiculo vanitatis. Sed huic alium validiorem oppoſuit Chriſtus, patientiæ, humilitatis, & charitatis.] Et ſer. 1. in octava Paſchæ: [Hæ ſunt tres turmæ quas fecerunt Chaldæi. Sed & Jacob tres turmas fecit, cùm timeret à facie Eſau. Et nobis ergò adverſùs triplex genus tentationis triplici opus eſt munimento: ut carnis concupiſcentia ipſius mortificatione vincatur; oculorum concupiſcentiam ſuperet ſtudium compunctionis, & aſſiduitas lachrymarum, & ambitionis vanitatem virtus charitatis excludat.] Et S. Gregorius hom. 16. in Evang. triplici hac tentatione, & Adamum, & Chriſtum putat fuiſſe tentatos; & libro 33. moral. cap. 14. diabolum notat, & belluam propter gulam, & ſerpentem propter malitiam, & vanam gloriam, & avem propter ſuperbiam nominari; quia his maximè vitijs humanum laceſſit genus. Et S. Ioan. Chryſ. h. 5. operis imperfecti, tria diaboli appellat retia, quibus illaqueat animas, quæ à Domino diſſoluta fuiſſe affirmat hom. 15. gulam in eremo, ſuperbiam in monte, vanam gloriam ſuper templum.

Sexta, ac poſtrema partitio eſt in quatuor capita, quàm in fluminibus quatuor, quæ egrediebantur ex paradiſo, & univerſam irrigabant terram, adumbratam fuiſſe opinatus eſt Sanctus Ambroſius in com. ad Pſal. 1. quamque in Pſalmo 90. explicâſſe viſus eſt David, cùm dixit; Non timebis à timore nocturno; à ſagitta volante per diem; à negotio perambulante in tenebris; ab incurſu & dæmonio meridiano. Quæ verba obſcura eſſe fatetur. Sanctus Auguſtinus, ſed nocturnum timorem tentationem in ignorantibus levem interpretatur; & ſagittam volantem per diem, tentationem in ſcientibus levem: quæ ſi fiant graves, ſint negotium perambulans in tenebris, meridianumque dæmonium. Tentationes leves appellat eas, quæ non ſic inſtant, non ſic urgent, ut cogant, ſed poſſunt citò declinata tranſire, quæ mox fiunt graves, ſi perſecutor inſtet, ac vehementer terreat. Ignorantes item vocat illos, qui neſciunt ſe propterea Chriſtianos eſſe, ut vitam æternam ſperent, & interim patiantur adverſa; ſcientes autem eos, qui hoc ſciunt, ſed ſuccumbunt, hi velut in die cadunt: & ſi vehemens ſit perſecutio, in meridie cadunt; majores enim æſtus meridie dicuntur. Undè & ſemen, Matthæi 13. quod cecidit in petroſa, exorto ſole aruit, quia non habebat humorem, nec radicem firmam, quæ in nobis Chriſtus eſt, & charitas. Exemplum profert Auguſtinus ex perſecutionibus, quas ab Imperatoribus paſſa eſt Eccleſia, quas decem commemorat in libro 18. de civitate Dei capite 52. decem plagis Ægypti reſpondentes. *Imperatorum perſecutiones.* Primùm enim juſſerunt illi; Quicumque ſe confeſſus Chriſtianum fuerit, feriatur. Hæc erat ſagitta volans. Deindè Chriſtianorum conſtantiam videntes, dixerunt; Quicumque confeſſus ſe Chriſtianum fuerit, torqueatur, donec neget ſe Chriſtianum eſſe, etſi negaverit dimittatur; hoc erat dæmonium meridianum. Hæc fermè Auguſtinus. Bernardus autem in ſermone 6. in eum Pſalmum timorem nocturnum puſilanimitatem, ſagittam volantem in die vanam gloriam, negotium perambulans in tenebris ambitionem, dæmonium meridianum adulationem intelligi maluit. Quas tentationes non in ſingulis modò hominibus, ſed in generali quoque ſtatu Eccleſiæ conſiderat. Nam nocturnus eam novellam exercuit timor, cùm omnis, qui occideret ſervos Dei, arbitrabatur ſe obſequium præſtare Deo: deindè perſecutione ceſſante, dieque reddita volans afflixit ſagitta, prodeuntibus ſcilicet hæreticis ſpiritu carnis inflatis, atque inanis gloriæ cupidis. Priorem perſecutionem vicit patientia martyrum, poſteriorem hanc hæreticorum ſuperavit ſcientia Doctorum. Poſt à falſis filijs ſucceſſit negotium perambulans in tenebris, hoc eſt ambitio Eccleſiaſticorum, & perverſi mores Chriſtianorum. Ecce in pace amaritudo mea amariſſima; Amara in nece martyrum; Amarior in conflictu hæreticorum; Amariſſima nunc in moribus domeſticorum; ac demùm adveniet dæmonium meridianum in ultima Antichriſti perſecutione. Optavit quidem & Sponſa meridiem, quando dixit Cant. 1. Indica mihi ubi paſcas, ubi cubes in meridie. Sed ut habet idem Bernardus in ſermone 33. in Cant. claram Dei viſionem optabat in patria: aut etiam ut interim fallacias cognoſceret, & vitaret hæreticorum, falſorumque paſtorum, diabolique aſtutias deprehenderet, & Angelum ſatanæ, qui ſe in lucis Angelum transfigurat, ab Angelo Sancto diſcerneret. Non enim cuſtodire nos poſſumus ab incurſu, & dæmonio meridiano niſi in meridiano item lumine. Sed & quatuor tentationum genera ſcienter religioſis hominibus,

Digitized by Google

nibus, aut alias ad Deum, meliotemque vitæ rationem converſis, rursùm accommodat. Hos enim quatuor hæ ſolent aggredi tentationes. Timor, & horror arctioris vitæ, & inſueta auſteritas diſciplinæ: Velut timor nocturnus. Deindè hominum laudes, quæ de laudabili vitâ ſumunt materiam. Hæc eſt ſagitta volans inanis gloriæ. Tum verò ambitio & appetitus dignitatum, ceu Negotium perambulans in tenebris. Poſtremò dæmonium meridianum; quo jam perfecti ſub ſpecie boni, ac majoris boni tentantur.

Poſtremò quadripartitam partitionem fecit idem Bernardus in libro ſententiarum num. 19. cùm diabolum dixit jumentum carnis noſtræ appetitu gulæ, & fluxu luxuriæ, velut duobus ſtimulis agitare, & inviſibilem animæ portionem tumore ſuperbiæ, & avaritiæ labe commaculare. Et Sanctus Gregorius libro 6. mor. capite 15. eum modò verbi fame, modò carnis certamine, modò flagello ſermonis, modò calamitate perſecutionis nos aggredi. Sed ſanctos viros contrà famem habere divini verbi pabulum, contrà belli gladium continentiæ ſcutum, contrà flagellum linguæ protectionem patientiæ, contrà exterioris calamitatis damnum interni amoris adjutorium. Plura his ſimilia paſſim reperies, quæ ego nunc libens prætermitto.

CAPUT XII.

Tentationibus patienter reſiſtendum.

Patientia in tentatione. DE Job acriter, & multùm à dæmone tentato, ſacra ſcribit hiſtoria; In omnibus his non peccavit Iob, neque ſtultum aliquid contrà Deum locutus eſt. Et appoſitè monet nos his verbis Sanctus Gregorius Papa libro ſecundo moral. cap. 26. dolentem animum ſolerti cura cuſtodire debere, nè cùm intus tentatio ſtimulat, in verba foras illicitæ locutionis erumpat, nè de probatione murmuret; & ignis, qui hunc velut aurum concremat, per exceſſum ſermonis illiciti in paleæ favillam vertat. Sanctus Cyrillus Alexandrinus libro 3. in Io. cap. 23. ex eo, quod factum legimus Io. 6. dum diſcipulis in mari periclitantibus ſubvenit Dominus, ſapienter colligit patienter ferendas eſſe tentationes ſpe, quam habere debemus in Chriſtum, etiamſi undique periculorum fluctus invadant. Non enim ſtatim, neque in principio periculorum: ſed quando jam longè à terra remigaverant, Chriſtus diſcipulis apparuit. Neque incipientibus adverſis gratia Chriſti confeſtim nos ſalvat, ſed poſtquam terror increverit, & certum videtur imminere periculum. Meritò Iudith cap. 8. reprehendit decretum Oziæ, ac cæterorum tradendi civitatem Aſſyrijs, ſi intrà quinque dies non veniſſet illis adjutorium; Qui enim ſumus nos, qui ponamus tempus miſerationis Domini? Non eſt hic ſermo, qui miſericordiam provocet, ſed potiùs, qui iram excitet, & furorem accendat.

Patienter igitur expectandum eſt auxilium à Domino, & fortiter tentationi reſiſtendum. „[Probari nos Deus vult, ſcripſit olim Sanctus Cyprianus in ep. 4. libri 4. ad Presbyteros, & Diaconos, ſicut ſuos ſemper probavit, nec tamen in probationibus ejus aliquando auxilium credentibus defuit.] Et ep. 6. ad Plebem Thibaritanam; [Spectat nos certantes Deus, & ſuper eos, quos filios facere dignatus eſt, oculos ſuos pandens, certaminis noſtri ſpectaculo perfruitur: quanta dignitas eſt, quanta fœlicitas præſide Deo, & Chriſto judice coronari?] Et in ſermone de ratione circumciſionis, de carnis tentatione ait; [Viriliter ſtandum eſt, & rationis autoritate increpandi ſunt titillatorij ſenſus, & ſummoperè vigilandum, nè ſequatur aſſenſus.] Rectè monet Sapiens Eccleſiaſtis c. 10. Si aſcenderit ſuper te ſpiritus poteſtatem habens, id eſt diaboli tentatio, locum tuum nè dimiſeris, hoc eſt (ut S. Bernardus habet in ſermone 48. inter parvos) nec locum inferiorem corpus, quod debes regere, ita ut membra tua non præbeas arma iniquitatis peccato: nec ſuperiorem, nempè quietem mentis, quam in Deo habere debes. Optimè ratiocinatur Sanctus Hieronymus in ep. ad Saluinam, de ſervanda viduitate cap. 5. non poſſe nos perturbationum initijs carere; ſed quaſi in meditullio noſtrum judicium eſſe, vel abijcere cogitata, vel recipere; laſciviensque jumentum ſubiugare, ut ſeſſorem ſpiritum moderato, atque compoſito portet inceſſu. Et iterùm in ep. ad Euſtochium de cuſtodia virginitatis capite 1. „[Nemo, inquit, inter ſerpentes, & ſcorpiones ſecurus ingreditur; magnis inimicorum circumdamur agminibus; hoſtium plena ſunt omnia. Quod ſi eorum te multitudo turbaverit, reſpondebit tibi Eliſæus: Noli timere, quia plures nobiſcum ſunt, quàm cum illis: & orabit, & dicet; Domine aperi oculos eius, ut videat: & apertis oculis videbis igneum currum, qui te ad exemplum Eliæ in aſtra ſuſtollat, & tunc læta cantabis; Anima mea ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium; laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus.]

De mari, quod plurimùm perſæpè æſtuat, & minatur nobis, loquens Deus apud Job cap. 38. Circumdedi, ait, illud terminis meis, & poſui vectem, & oſtia. Sed ſi hoc mare interpretatione Sancti Gregorij lib. 28. c. 9. ſit cor noſtrum, terminis ſuis Deus illud circumdat; quia tentationibus tumidum occultis donorum diſtributionibus mitigat; modò agens.

nè

nè prava ſuggeſtio ad delectationem veniat; modò nè prava delectatio uſque ad conſenſum prorumpat. Hac divina ope ſuffulti non exaudimus vocem exactoris; ſic enim Job diabolum appellavit cap. 3. quia ut habet idem Gregorius lib. 4. cap. 31. homini ſemel deceptionis nummum contulit, & quotidiè uſuram expetit, eiusque vox eſt tentatio ſuggeſtionis, quam ille exaudit, qui tentationi conſentit.

Tentatio vox Diaboli.

Apud Sanctum Baſilium in exhortatione ad bapt. & or. 4. de pœnitentia, & Origenem h. 4. in Jerem. & Sanctum Ambroſium in enarratione ad caput 17. Jerem. ad Sabinum, & Plinium libro 15. cap. 33. & antè hos omnes apud Ariſtotelem libro 9. de animalium hiſtoria cap. 8. perdicis miram aſtutiam in defendendis ſuis pullis à venatoribus legimus; dum enim illi debiles adhuc ſunt, nec volare poſſunt, ipſa adventantibus venatoribus, ut paratam prædam ſe offert, iuxtà illud Job c. 39. In occurſum pergit armatis: atque ita vertit ſeſe, ac geſtus diſpenſat, ut nec periculo penitùs ſe præbeat, nec illis ſpem omnem eripiat; interim aufugiunt pulli, & in locum tutum recedunt, tum ipſa quoque evolat. Imitemur & nos, ut peſſimum venatorem eludamus. Quod eò faciliùs fiet, quò magis primis ſtatim aſſultibus, ac tentationum principijs, magno ac forti nos oppoſuerimus animo. [Minoris enim „ laboris eſt, universè, ait S. Gregor. Nazian. „ in or. de moderatione in diſputationibus ſer- „ vanda, in ipſis principijs improbitati non ce- „ dere, atque accedentem fugere, quàm pro- „ gredientem, altiusque graſſantem excidere, „ ac profligare: non ſecùs ac petram initio fir- „ mare, ac retinêre, quàm ruentem ſursùm „ retrahere.] Et S. Dorotheus in ſer. 10. [Qui „ in principio vim ſibi ipſi fecerit, atq; pugnan- „ do perſtiterit, paulatim ſanè proficiet, ac de- „ inceps pace, & quiete bona fruetur.] [Quod „ ſi tentationi in corde naſcenti, ut monet S. „ Greg. Papa lib. 21. moral. c. 7. feſtinè non „ reſiſtitur, hâc eâdem, quâ nutritur, morâ „ roboratur, & extrinſecùs foris in operibus, „ vinci vix prævalet; quia ipſam intùs membro- „ rum dominam mentem captivam tenet.]

Perdicis aſtutia.

Principiis reſiſtendum.

Sanè in libro Gen. cap. 3. dum Deus ſerpenti malediceret, prædixit illi; Ipſa conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo eius; quod ad rem quoque præſentem interpretati ſunt Patres. Dum enim ille inſidiatur calcaneo noſtro, qui eſt corporis extremum, hoc eſt, conatur à nobis extorquêre conſenſum, quod eſt peccati ultimum: nos conterere debemus illius caput, hoc eſt ſuggeſtionem, quæ tentationis initium eſt. Ita ferè Sanctus Auguſtinus in 2. libro de Gen. ad litteram cap. 18. & concione prima in Pſalmum 48. [Dia- „ bolus, inquit, calcaneum tuum obſervat, ut „ deijciat te, tu obſerva caput illius, id eſt, ini- „ tium malæ ſuggeſtionis repelle, antequàm „ ſurgat delectatio, & ſequatur conſenſio, & „ tunc vitabis caput eius, & non apprehendet „ calcaneum tuum.] Et concione 4. in Pſal. 103. [Caput ſerpentis eſt prima ſuggeſtio pec- „ cati, quæ ſtatim conterenda eſt, dum ipſe „ obſervat calcaneum tuum, id eſt, lapſum „ tuum.] Et Joan. Caſſianus in libro de ſpiritu fornicationis cap. 13. [Tentationis principium „ obſervandum eſt, velut ſerpentis caput, nè ſi „ caput per negligentiam penetraverit cor no- „ ſtrum, reliquum eius corpus, id eſt, oblecta- „ tionis aſſenſus illabatur. Qui ſi fuerit intro- „ miſſus, morſu virulento mentem interimat „ captivatam.]

Similis ſententia eſt in Pſalm. 100. In matutino interficiebam omnes peccatores terræ: matutinum eſt diei principium, tentationisque principium ſignificat, quod ſtatim interficiendum eſt, ut diſperdamus de civitate Domini omnes operantes iniquitatem. Et in Pſal. 136. Beatus, qui tenebit, & allidet parvulos ſuos (inſurgentes ſcilicet tentationes) ad petram Chriſtum. Sic enim intellexerunt eodem loco Caſſianus, & S. Gregorius in 4. Pſal. Pœnit. & alij. Eſt & illud Pſ. 126. Non confundetur, cùm loquetur inimicis ſuis in porta, hoc eſt, in primo ingreſſu, & in principio tentationis, ut habet S. Bernardus in ep. 34. ad Dragonem monachum. Et illud Cant. 2. Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineam. Nam vulpeculas haſce voluit S. Bern. ſer. 64. in Cant. eſſe naſcentia vitia, quæ in ipſo ortu illicò comprehendas, nè creſcentia plus noceant, & difficiliùs capiantur. Et Sanctus Greg. Nyſſenus in libro de vita Moyſeos, primogenitorum nece, & poſtium per ſanguinem cuſtodia, in libro Ex. c. 12. docêri nos voluit, & illinc primas vitiorum appetitiones tollendas, & hinc primum vitiorum adversùs nos aditum per verum agnum repellendum eſſe. Et Sanctus Joan. Chryſ. h. 12. in ep. ad Rom. Chriſtum dixit eum condemnâſſe, qui mulierem impudico aſpectu fuerit intuitus, quia principio valvas adverſario non clauſerit.

CAPUT XIII.

Tentationum adjumenta.

CÆterùm illud Pſalmi 126. Niſi Dominus cuſtodierit civitatem, fruſtrà vigilat, qui cuſtodit eam, magnoperè intelligendum eſt. Primum namque in tentationibus omnibus præſidium noſtrum eſſe oportet divinam gratiam, quâ niſi ſublevemur, ac firmemur, facilè victi ſuccumbemus. [Nullus eſt homi- „ num, ait Sanctus Hieron. in Jonæ caput 2. „ qui cunctas ſuſtinêre queat tentationes, abſq; „ eo, qui tentatus eſt in omnibus pro ſimilitu- dine

Divina gratia.

,, dine abſque peccato.] [Quomodo enim, in-
,, quit in Enchiridio S. Aug. c. 60. unuſquiſ-
,, que hominum idoneus eſt omnes mortiferos
,, diaboli dolos evadere, niſi regat, atque tuea-
,, tur Deus?] Et in lib. de Eccleſiaſticis dogma-
tibus c. 24. [Nemo etiam baptiſmi gratiâ re-
,, novatus idoneus eſt ad ſuperandas diabolicas
,, inſidias, & carnis concupiſcentias, niſi per
,, quotidianum adjutorium Dei perſeveranti-
,, am bonæ converſationis acceperit.]

Cùm facto magno motu in mari, mergerentur penè Diſcipuli, ſuſcitaverunt dormientem Chriſtum, & ipſe imperavit ventis, & mari, & facta eſt tranquillitas magna; Matth. 8. & Petrus cap. 14. cùm mergeretur, clamavit ad eum; Domine ſalvum me fac, & liberatus eſt. Adnotavit hoc idem Auguſtinus ſer. 14. de verbis Domini. Et in ſer. de diverſis animæ tentationibus, tom. 10. [Nata, inquit. tenta-
,, tio eſt, ventus eſt, fluctus eſt; excita Chri-
,, ſtum, loquatur tecum.] Nam ut habet Sanctus Ambroſius in 1. lib. de vocatione Gentium c. 3. [Homini non expedit contrà hoſtem
,, ſuum ſine protectore confligere. Cum illo
,, enim habet certamen, à quo aliquando ſupe-
,, ratus eſt. Non fidat de viribus ſuis, quæ
,, etiam cùm eſſent integræ, non ſteterunt: ſed
,, per illum quærat victoriam, qui ſolus non eſt
,, victus, & omnibus vicit.]

In tentatione quid cogitandum. Secundò monet Sanctus Anſelmus in libro de ſimilitudinibus c. 115. tentationis tempore nunquam Dei miſericordiam cogitandam eſſe, ſed juſtitiam, & judicium ejus, furorem, & indignationem illius, quod pluribus perſequitur verbis.

Tertiò memoriam repetendam beneficiorum Dei, S. Greg. lib. 30. mor. c. 9. exemplo Joſeph Gen. cap. 39. qui impudicæ fœminæ ad ſcelus tentanti reſpondit; Ecce Dominus meus omnibus mihi traditis ignorat, quid habeat in domo ſua, nec quidquam eſt, quod non in mea ſit poteſtate, præter te; quomodò ergò poſſum hoc malum facere, & peccare in Dominum meum? [Sic enim cùm voluptas tentat in pro-
,, ſperis, hæc ipſa ſunt proſpera aculeo tentati-
,, onis opponenda, ut eò erubeſcamus prava
,, committere, quò nos à Deo meminimus gra-
,, tuitò bona percepiſſe, & illatam gratiam ex-
,, teriorum munerum vertamus in arma virtu-
,, tum, ut ſint antè oculos, quæ percepimus, &,
,, quæ nos alliciunt, ſubigamus.] Hoc etiam interpretatus Theodor. eſt, quod dicebat David in Pſal. 118. Memor fui noctè nominis tui, id eſt, tentationum tempore, quò potiſſimùm neceſſaria eſt Dei memoria, quæ recreat, & bono animo eſſe jubet, contrariaſque cogitationes exigit.

Christi paſſio. Quartò memoria, & conſideratio proponitur Paſſionis Chriſti. In quam ſententiam ſcripſit ad Burdegalenſes S. Martialis cap. 8. Domini crucem armaturam eſſe noſtram invictam contrà ſatanam, galeam cuſtodientem caput, loricam protegentem pectus, clypeum tela maligni repellentem, gladium iniquitatem, & angelicas inſidias perverſæ poteſtatis ſibi propinquare nullo modo ſinentem. Et Origenes ad caput 6. epiſt. ad Romanos memoriam mortis Chriſti remedium propoſuit contrà peccatum, & tentationes. Et S. Greg. Nyſſenus Moyſeos enarrans vitam, atque de æneo ſerpente diſſerens, quem fieri juſſit Deus Num. c. 21. [Unum, inquit, contrà peſtife-
,, ros cupiditatis morbos antidotum eſt mun-
,, dicies animi cum pietatis myſterio celebrata.
,, Caput autem omnium eſt firma, rectaque fi-
,, de in paſſionem illius reſpicere. Crux verò
,, paſſio illius fuit. Quare, qui crucem reſpi-
,, cit, ei venenum cupiditatum obeſſe non po-
,, teſt.] Et S. Jo. Chryſ. h. 5. in Symbolum, de militia ſpiritali, tom. 5. [Ipſum antè oculos ha-
,, beas pro te in paſſionis prælio dimicantem
,, Chriſtum: ſciens, quia & propter ſe Chriſtus
,, in iſto agone verſabitur, & tu per ipſum
,, agonis ipſius victor exiſtes. Victorem enim
,, Regem ſequeris eum, qui te victoriæ ſuæ
,, vult habere participem.] S. Auguſtinus in ſerm. 181. de tempore cap. 3. diligenter quærens: Cur cruce Dominus mori voluerit, inter cætera eum reſpondit lapidari noluiſſe, aut gladio truncari: quoniam nos lapides ſemper nobiſcum, aut ferrum ferre non poſſumus, quibus nos defendamus. Elegit crucem, quæ levi motu manûs exprimitur, quâ contrà inimici verſutias muniamur. [Undè exercitata mens, in-
,, quit Sanctus Ambroſius in 2. libro de Abra-
,, ham cap. 7. non aquilarum imagines, nec dra-
,, cones præfert ad prælium; ſed in Cruce Chri-
,, ſti, & Jeſu nomine progreditur hoc ſigno
,, fortis, hoc vexillo fidelis.] Sanè Joan. Caſſianus in libro de habitu Monachorum cap. 9. Et Eliam ſcribit 4. lib. Regum cap. 4. & omninò monachos fuiſſe ſolitos geſtare baculum, crucis Chriſti videlicet Symbolum, quo monerentur, nunquam debere illos inter tot oblatrantes vitiorum canes, & inviſibiles nequitiarum ſpiritualium beſtias inermes incedere: & irruentes eas retundere crucis ſigno, ac Dominicæ paſſionis memoria. Et collatione octava Abbatis Sereni cap. 18. Sanctum Antonium narrat contrà dæmonum inſultus ſignum crucis pectori, & fronti impreſſiſſe, nec eos ad illum auſos fuiſſe accedere.

Chriſtus cur Cruce mortuus.

Crucis ſignum.

Noviſſimorum memoria. Quintò proderit plurimùm noviſſimorum noſtrorum memoria, quod & quidam ſapiens docuit Eccleſiaſtici cap. 7. cùm dixit; In omnibus operibus tuis memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis. Inter plura, quæ commemorat S. Joan. Chryſ. in expoſitione Pſal. 6. futurum judicium proponit ſupplicia intolerabilia, bonorum promiſsiones, per quæ

Digitized by Google

quæ omnia refrænanda, inquit, eſt cupiditas rabie agitata, & ſedandum mare commotum fluctibus. Et hom. 62. in Gen. [Remedium, „ ait, contrà tentationes eſt, cogitare, quòd „ Deus nos videt, & condemnabit.] Et S. Proſper in 3. libro de vita contemplativa cap. 10. „ [Nulla res ſic nos ab omni peccato ſervat im- „ munes, ſicut timor ſupplicij, & amor Dei.] Futuram quoque mortem inculcant plurimi. Sed Origenes in extremo libro 5. in epiſtolam ad Rom. aliam nobis mortem revocat in memoriam; mortem ſcilicet Baptiſmi; in quo cum Chriſto mortui ſumus, & ſepulti; nam cùm Paulus diceret, exiſtimate vos mortuos eſſe peccato; ſubjungit ille: [Qui enim co- „ gitat eſſe ſe mortuum, non peccat; Si con- „ cupiſcentia mulieris trahat, ſi argenti, ſi au- „ ri, ſi prædij cupiditas pulſet, & ponam in cor- „ de meo, quòd mortuus ſim cum Chriſto; „ & de morte cogitem, extinguitur continuò „ concupiſcentia, & effugatur peccatum.]

Baptiſmi mors.

Sextò Sacræ ſcripturæ lectionem crebram, auditionemve commendant plurimi. [Tutiſſi- „ mum, inquit S. Cyprianus in libro de duplici „ martyrio, cordis munimentum eſt ſobrietas, „ cum inſtanti oratione, jugique ſcripturarum „ meditatione. Ex hac colligendæ ſunt ſen- „ tentiæ, quas ad manum, & velut in procin- „ ctu habeas, ut his protinùs ſerpentem caput „ erigentem deijcias. Nullus eſt enim animo- „ rum morbus; cui non præſens remedium „ divina ſcriptura ſuppeditet. Hinc compa- „ randa ſunt exempla piorum, ſed præcipuè „ Chriſti, quibus ſe quiſque vel animet, vel „ conſoletur.] Alludit, ni fallor, ad Sacram hiſtoriam Davidis cum gigante pugnantis 1. Regum c. 17. qui acceptis de torrente quinque lapidibus percuſſit eum in fronte, ac proſtravit illicò. Fuit autem diaboli figura Goliath, Davidque Chriſti, aut Chriſtiani hominis. Propterea Sapiens quoque monuit in libro Eccleſiaſtis cap. 3. Tempus eſſe ſpargendi lapides, & tempus colligendi; in quæ verba cùm incidiſſet S. Greg. Nyſſen. h. 7. in eum librum, eodem prorſus intellectu interpretatus eſt his prorſus verbis: [Quæ vitium „ perimunt cogitationes, eæ ſunt lapides, qui „ funda rectè jaciuntur, quas ſemper mitti „ oportet, & colligi. Mitti ad eum everten- „ dum, qui contrà vitam noſtram erigitur: „ colligi autem, ut ad manum ſit, quod mitti „ poſſit in adverſarios, ſi quando alius nobis „ fuerit inſidiatus. Undè autem hos lapides „ colligamus? Audi prophetam Zach. c. 9. La- „ pides ſancti volvuntur ſuper terram. Illi au- „ tem ſunt ſcripturæ verba; quæ colligere o- „ portet in ſinu animæ, ut in tempore ijs uta- „ mur adverſus eos, qui ſunt nobis moleſti.] Et S. Ambr. lib. 10. in Lucam c. 10. duos illos gladios conſiderat, quos Luc. 22. protulerunt Diſcipuli dicentes; Domine ecce duo gladij hic. Intelligit enim vetus, & novum teſtamentum, velut duos gladios, quibus adverſus diaboli armamur inſidias. Et Dominus dixit; Satis eſt, quaſi nihil deſit ei, quem utriuſque teſtamenti doctrina munierit. Et Joan. Caſſianus in collat. 22. Abbatis Theonæ c. 10. Chriſtum adnotavit à diabolo tentatum Matt. 4. teſtimonijs ſcripturarum reſpondiſſe, ut doceret nos, ut ejus ſuggeſtionibus nos quoque earum authoritate obſiſtamus. Ac demùm Sanctus Gregorius Papa in caput quintum Cant. columbas obſervavit juxtà fluenta reſidêre conſueviſſe; ut volantium avium umbram in aqua videant, ſuper quam ſe proijcientes rapacium unguens effugiant. [Sic e- „ nim Sancti viri in ſcriptura ſancta fraudes „ proſpiciunt dæmonum, & ex deſcriptione, „ quam vident, quaſi ex umbra hoſtem co- „ gnoſcunt: dumque ſe conſilijs ſcripturæ ex „ toto addicunt, ut nihil agant, niſi quod ex „ reſponſo ſcripturarum audiunt, quaſi in a- „ quam ſe proijcientes hoſti illudunt.]

Scripturæ lectio.

Septimò fidem commendat nobis plurimùm Sanctus Anſelmus in com. ad caput 6. epiſtolæ ad Epheſ. [Fides enim, inquit ille, „ pro ſcuto ſumenda eſt in omnibus congreſ- „ ſionibus, quoniam ipſa prima reſiſtit malignis „ ſpiritibus, & eorum tela excipit, & repel- „ lit.] Ita ſanè eo loco tradidit Paulus, ubi cùm dixiſſet, non eſſe nobis colluctationem adverſus carnem & ſanguinem, ſed adverſus principes, & poteſtates tenebrarum harum, contrà ſpiritualia nequitiæ: ſubjunxit, quærenda non eſſe arma carnalia; ſed ſpiritualia; & in omnibus ſumendum ſcutum fidei, in quo poſſimus omnia tela nequiſſimi, omnes pravas ſuggeſtiones extinguere. *Fides.*

Octavò frequentem Euchariſtiæ uſum S. Jo. Chryſ. tum alibi, tum in hom. 3. in ſymbolum: [Menſam, ait, præparavit, cibum ſa- „ tietatis oſtendit, ut poſt epularum refectio- „ nem inimicum poſſim robuſtiùs ſuperare. „ Cùm te egredientem poſt convivium domi- „ nicum viderì inimicus, poſt cœleſtes epulas, „ tanquam ignem leonis ore flammantem fu- „ git, & deſerit omni vento velocior, nec ap- „ propinquare contendit; & cùm cruentam „ linguam tuam de longè ille crudelis perſpe- „ xerit, mihi crede, non ſtabit, & cùm os tuum „ ſenſerit rutilare, greſſum retrò cum timore „ torquebit.] Adfert Judæorum poſtes agni ſanguine tinctas, quas vaſtator Angelus non eſt auſus intrare, Ex. 12. [Quod ſi viderit ini- „ micus, non poſtibus impoſitum ſanguinem „ agni, ſed fidelium ore lucentem ſanguinem „ veritatis Chriſti templi poſtibus dedicatum; „ multò magis ſe ſubtrahet; multò magis ter- „ rebitur, ſi ipſam perſpexerit veritatem.] Et hom. 61. ad populum; [Tanquam leonem *Euchariſtia.*

Digitized by Google

,, ignem ſpirantes ab illa menſa recedamus, fa-
,, cti diabolo terribiles.] Et paulò poſt: [Hic
,, myſticus ſanguis dæmones expellit, & pro-
,, cul eſſe facit.] Et Sanctus Ambroſius ſermone 8. in Pſalmum 118. [Cùm hoſpitium
,, tuum adverſarius tuus viderit occupatum cœ-
,, leſtis fulgore præſentiæ; intelliget locum
,, tentamentis ſuis per Chriſtum eſſe interclu-
,, ſum: fugiet, & innocuum ſine ulla offen-
,, ſione tranſibit.] Et antè utrumque S. Ignatius in epiſt. ad Epheſ. [Date operam, ut cre-
,, briùs congregemini ad Euchariſtiam, &
,, gloriam Dei. Quandò enim ſæpiùs conve-
,, nitis, labefactantur vires ſatanæ, & ignita il-
,, lius ad peccatum jacula reſiliunt.] Eſt & illud Davidis teſtimonium in Pſ. 22. Paráſti in conſpectu meo menſam adverſus eos, qui tribulant me. Et ex ep. 2. Sancti Cypriani ad Cornelium diſcimus, veteres Chriſtianos fuiſſe ſolitos, antequam ad martyrium accederent, Euchariſtiam ſumere; ita nimirum ſe ad graviſſimum illud certamen armantes, & meâ quidem certè ſententiâ non immeritò Jonathas verba illa dixit, quæ leguntur in 1. Regum c. 14. cùm Saül prohibuiſſet, nè quis comederet panem uſque ad veſperam: Turbavit pater meus terram: vidiſtis ipſi, quia illuminati ſunt oculi mei: eò quod guſtaverim paululum de melle iſto: quantò magis ſi comediſſet populus de præda inimicorum ſuorum, quam reperit? Nonnè major plaga facta fuiſſet in Philiſthijm? Valet enim plurimùm Euchariſtia ad proſternendos inimicos noſtros, omneſque illorum inſidias, & tentationes ſuperandas.

Euchariſtia antè martyrium.

Jejunium.

Nonò ciborum abſtinentiam, tenuem cibum, & potum, atque omninò jejunium, inculcant omnes. Sordes enim, & jejunia Chriſtianorum dæmones timent, dixit Origenes hom. 8. in diverſos. Et S. Leo Papa ſermone 12. de quadrag. tentationibus omnibus affirmavit nullam rectiùs opponi virtutem, quàm continentiam, quæ nutriendis, atque ſervandis animi; & corporis bonis, & incrementa præbet, & roborat. Et ſermone 2. de Pent. inter maxima Spiritus Sancti dona numerandum cenſet, quòd nobis adverſus illecebras carnis, & inſidias diaboli jejuniorum ſunt collata præſidia, quibus omnes tentationes Deo adjuvante vincamus. Et ſermone 1. de jejunio Pent. Apoſtolos tyrocinium militiæ Chriſtianæ ſanctis inchoâſſe jejunijs; ut contrà ſpiritales nequitias pugnaturi, abſtinentiæ arma raperent, quibus vitiorum incentiva truncarent. Et ſermone 4. Cùm per illecebram cibi prima irrepſerit cauſa peccati; ſalubriori nullo colligit nos uti poſſe remedio, quàm ut à conceſſis abſtineamus, qui frænare nos neſcivimus à vetitis; & ut plurima nunc prætermittam, quæ Sanctus Baſilius, & alij ſapienter de jejunio prædicant; ad rem præſentem facit illud, quod in tertio libro de Spiritu Sancto ad Gratianum habet Sanctus Ambroſius cap. 18. Chriſtum Dominum à ſpiritu ductum in deſertum fuiſſe, ut jejunio evacuaret diaboli tentamenta: [Tentator enim, ut tentet,
,, copias pollicetur; & Dominus, ut vincat,
,, famem nutrit. Sanè qui mare navigat fre-
,, quenter evadit, magis tamen obnoxius eſt
,, periculo, quàm qui navigare noluerit.]

Eleemoſyna.

Decimò cum jejunio autem coniuncta, & familiaris eſſe eleemoſyna ſolet. Huius odore ſuffocari diabolum, dixit Sanctus Joannes Chryſ. hom. 2. in priorem epiſtolam ad Tim.
,, [Ad eum, inquit, qui eleëmoſynam facit,
,, accedere dæmones non præſumunt, neque
,, ſuſtinent: eo quippè odore ſuffocantur.] Et S. Leo in ſermone 2. de aſcenſione Domini:
,, [Nihil eſt validius contrà diaboli dolos,
,, quàm benignitas miſericordiæ, & largitas
,, charitatis, per quam omne peccatum aut de-
,, clinatur, aut vincitur.]

Mortificatio.

Undecimò mortificationem admonent etiam plurimi: mortificationem, inquam, duplicem, tum carnis, tum paſſionum, ac perturbationum animæ. Si enim terra noſtra generat nobis ſpinas, mortificatione efficitur Sancti Ambroſij ſententia in ſermone 40. feria tertia poſt Dom. 2. Quadr. ut ſpinæ vertantur in roſam. At de mortificatione tractatu triplici anteà dictum eſt ſatis. Nec deſunt Sanctorum exempla, qui in ſpinas, & nives, & aquam gelidam tentationibus vexati, ultrò ſe conjecerint, aliaque his ſimilia fecerint. Et illa apud Sanctum Hieronymum extant Hilarionis verba, quæ alibi etiam retuli: Ego aſelle faciam, ut non calcitres, nec te hordeo alam, ſed paleis, fame te conficiam, & ſiti, gravi onerabo pondere, per æſtus indagabo, & frigora, ut cibum potiùs, quàm laſciviam cogites.

Otium vitandum.

Duodecimò vitandum eſt otium, & aliquid ſemper agendum, aut orando, aut legendo, aut manibus operando. Otioſos enim homines maximè, velut ad omne malum paratos tentator aggreditur. Ita Ruſticum monuit S. Hieron. ad ipſum ſcribens cap. 5. [Facito ali-
,, quid operis, ut te ſemper diabolus inveniat
,, occupatum.] Et S. Aug. q. 115. ex utroque teſtamento mixtim; [Dæmones, inquit, ſi
,, viderint divinis rebus nos occupatos, non ſe
,, ingerunt ad contraria ſuggerenda; ſed in in-
,, ſidijs ſunt, quærentes occaſionem, qua ſe in-
,, gerant. Quòd ſi otioſos nos viderint, exci-
,, tantur ad ſollicitandos nos.] Et ſer. 83. de tempore; [Sit in manibus divina lectio, in ſen-
,, ſibus divina cogitatio, oratio jugis omninò
,, non ceſſet, & ſalutaris operatio perſeveret, ut
,, quoties ad tentandum nos acceſſerit inimi-
,, cus, ſemper nos in bonis operibus inveniat
occupatos.]

Digitized by Google

„ occupatos.] Et S. Jo. Chryſ. h. 51. operis imperf. [Debet quiſque inceſſanter, quæ Dei „ ſunt cogitare,& loqui:quoniam ſi mens fue„ rit in his occupata, malus non inveniet lo„ cum ad mentem.] Et h. 7. in poſteriorem ep. ad Cor. otioſum hominem ſcribit eſſe, velut erronem quempiam, qui obambulans in quodvis incidit malum; & tanquam puerum ſolutum, quem quicunque voluerit, in ſervitutem adducit. Et hom. 4. de incomprehenſibili natura Dei; [Si dæmon, inquit, vide„ rit te deſidioſum, oſcitantem, otio marceſ„ centem, compendiario te ut diverſorium de„ ſertum ingreditur; at ſi excitatum, inten„ tum, ſtudioſum, nè reſpicere quidem aude„ bit.] Denique Jo. Caſſianus in libro de ſpiritu acediæ capite 23. Monachorum Ægypti ſententiam fuiſſe teſtatur; operantem Monachum dæmone uno pulſari, otioſum verò innumeris ſpiritibus devaſtari.

Humilitas Decimum tertium humilitatis fuerit virtus. Quod à Deo ipſo didicit S. Antonius, ut in eius vita narrat S. Athanaſius. Cùm enim laqueis omnia videret plena; & quis, inquit, evadere poterit; audivitque à Deo ſibi reſponſum: Humilitas. Et Sanctus Ignatius in ep. ad Trallianos; [Manſuetudine, hoc eſt, humi„ litate vincitur princeps ſæculi huius diabo„ lus.] Hinc & Job in ſuis tentationibus vexatus graviter, aſperſit cinere caput ſuum, ut notavit Orig. lib. 1. in Job; & ut S. Aug. tract. 4. in epiſtolam Ioan. & Sanctus Gregorius lib. 3. mor. c. 6. [In ſterquilinio ſedens vicit „ diabolum, qui Adamum vicerat in paradi„ ſo.] In ſterquilinio autem ſedêre, quid ſit, *Iob. 2.* verbis hiſce Greg. exponit c. 4. [Beatus Job, „ ut conſiderationem ſuæ fragilitatis, etiam ex „ circumſtantibus traheret, & antè oculos ſuos „ vim ſuæ deſpectionis augeret; non qualibet „ in terra, quæ penè ubique munda reperitur; „ ſed in ſterquilinio ſediſſe perhibetur: ut quæ „ eſſet carnis ſubſtantia, ex terra aſſumpta ani„ mus perpenderet; & ex loci fœtore caperet, „ quòd feſtinè corpus ad fœtorem rediret.] Quòd ſi fortè divinâ adiuti gratiâ victoriam de hoſte reportaverimus, non indè extollamur. [Neque (ut S. Proſper loquitur in 1. „ libro de vita contemplativa c. 1.) vincentes „ ſecuros faciant viriliter deſudata iam prælia; „ ſed magis ſollicitent adverſariorum rediviva „ certamina;] Superbus eſt hoſtis noſter, nec ſuperbiâ vincitur, ſed humilitate repellitur; quodque in 2. libro dialog. c. 4. refert Greg. Monachum virga percuſſum à tentatione à S. Benedicto curatum; & c. 30. energumenum alium alapâ liberatum à dæmone refert, non ſolùm ſancti viri meritis, ſed & nequiſſimi ſpiritus ſuperbiæ, quæ hominis percuſſionem tolerare non potuit, adſcribendum eſt.

Decimum quartum ad humilitatem quoque pertinet. Humilitatis namque eſt id, quod harum rerum periti conſulunt, ut tentationes noſtras non vereamur ſenioribus, ac peritioribus aperire, quorum prudentiâ, & conſilio ſublevemur. *Aperire ſenioribus.* Hac enim humilitate factum ſæpè ſumus experti, ut ſuperbus à nobis confuſus diſcedat, ceſſetque ſtatim tentatio. Hûc verba illa Job ſpectant c. 40. In ſudibus perforabit nares ejus, lege Gregorium lib. 33. c. 8. [Per „ nares quippè diaboli callidæ ejus inſidiæ de„ ſignantur; ſudes autem acuta ſanctorum vi„ rorum conſilia indicant, quæ illius nares per„ forant, dum & inſidias ejus vigilando cir„ cumſpiciunt,& ſuperando transfigunt.] Undè & in 3. par. paſt. curæ admon. 15. nimis tacitos homines admonêri vult, eos, dum quædam vitia incautè fugiunt, occultè deterioribus implicari, eoque plùs cogitationes in mente fervêre, quò illas violenta cuſtodia indiſcreti ſilentij anguſtat. Plerumque enim nimis taciti eò in acriorem dolorem prodeunt, quò ea quæ ſuſtinent, non loquuntur. Qui ſi illatas moleſtias tranquillæ linguæ ſermone dicerent, à conſcientia dolor emanaret. Vulnera enim clauſa plus cruciant: & dum putredo, quæ interiùs fervet, eijcitur, ad ſalutem dolor aperitur. Et S. Cypr. ſer. de zelo, & livore, citò ſanari ait vulnus, quod videtur; nec eum admittere remedium, qui ſe intrà conſcientiæ latebras cœco dolore clauſerit, & S. Doroth. ſer. 5. nihil adeò timêre diabolum, quàm nè malitia ſua pandatur, & agnoſcatur, qui ſecus faciunt, incurabili morbo laborant, Baſilij ſententia in hom. de legendis Gentilium libris, cum enim tria feciſſet infirmorum genera; „ [Qui modicè, inquit, ægrotant, medicos „ ipſi adeunt; qui graviùs, eos ad ſe vocant; „ qui incurabili melancholia occupantur, nec „ ad ſe venientes admittunt.]

Decimum quintum erit vigilantia, & cuſtodia ſui. *Sui cuſtodia.* Difficilè enim eſt inter laqueos incedere, niſi vigiles, & cautè incedas, attentèque conſideres ubi pedem ponas. Quare S. Io. Chryſ. h. 60. in Gen. [Magna nobis, ait, vigi„ lantia opus eſt, ut hoſtis noſtri fraudes vince„ re, & ſuperiores ejus telis eſſe poſſimus. „ Quandò enim ſupplantamur, non propter il„ lius tyrannidem hoc ſuſtinemus, ſed propter „ ignaviam noſtram. Non enim decipiemur, ſi „ vigiles eſſe voluerimus,& noſmetipſos atten„ derimus.] Et ſer. de interdictione arboris ad Adam: [Facilè hoſtis malitia coaleſcit, ſi pi„ greſcat animus repugnantis. Sine labore au„ tem vincitur, ſi ſit, qui dimicat, vigilans,& „ intentus.] Et com. in Pſalmum 123. [Non „ ex equo inſtructa eſt acies; ſed ille iacet pro„ nus,& in terram procumbens: tu autem ſtas „ erectus ex alto eum feriens; quare ſi vin„ cat, ex noſtra fit ignavia, & ſocordia eorum, „ qui dormiunt.] Idem penè inculcat in ſer. de laude

Digitized by Google

laude Dei tom. 5. & hom. 22. ad populum, complura addit exempla, militum, piſcatorum, agricolarum, paſtorum, qui omnes vigilant. Sanè ſi quis arcem quampiam à principe acceperit cuſtodiendam, quam vigilans, & ſollicitus dolos, & artes omnes inimicorum cogitat?

Contemplatio. Decimum ſextum elevari per contemplationem à terra, ut laqueis omnibus ſuperior incedas: Sic enim te non comprehendent. [Aviculis, inquit Chryſ.h.15.ad populum,alæ ſunt, „ ut effugiant laqueos;propterea ratiocinatio„ nes hominibus, ut peccata fugiant. Avicula „ ſemel capta laqueo, mox elapſa, & cervus in „ rete decidens,& effugiens;iiſdem iterum dif„ ficilè capientur, nam cuique fit experientia „ cautelæ magiſtra. Nos ſæpiùs iiſdem capti „ in eadem cadimus.] Et hom. 22. quantò ſuperior evadis, in laqueos non incides; ut poſſis dicere cum Propheta Pſ. 123. Anima mea erepta eſt de laqueo venantium. Ut hoc fiat, neceſſe eſt affectum à rebus omnibus creatis ſeparare, atque in Deo collocare: ſeparari à carne, atque à terra, & ad Deum accedere. Quod S. Ambr. habet lib.2. de Abraham cap. 7. [Corporales enim delectationes, „ & illecebras hujus ſæculi non vincit, niſi „ mens, quæ fuerit ſpiritalis, adhærens Deo, „ & ſe totam à terrenis ſeparans.]

DE IEIUNIO

LIBER XXXVIII.

IEIUNIUM non ad unam modò; ſed ad plures omninò virtutes pertinet. Nam ſi propter honeſtatem, & mediocritatem in cibo ſervandam jejunes, ad temperantiam id ſpectat: ſin verò, ut commodiùs orare poſſis, religionis eſt, cujus actio eſt oratio: ſi ut Deo pro peccatis tuis ſatisfacias, juſtitiæ eſt, ac pœnitentiæ: ſi ut voluntatem emendandi vitam declares, atque à Deo emendationis impetres gratiam, ejus eſt virtutis, cui peccatum, quod emendare vis adverſatur, aut certè ſpei, ex qua hæc actio naſcitur.

CAPUT I.

Iejunium à quibus repudiatum.

ERGO de jejunio dum aggredior dicere, Syricium Papam reperio in ep.ad Mediolanenſem Eccleſiam, quæ apud Sanctum Ambroſium extat in primo epiſtolarum libro, aliquos ſcripſiſſe jejunia odiſſe ſummopere. Et Sarmationem quendam, & Barbatianum neſcio quem memorat Sanctus Ambroſius ep. ad Vercellenſem Eccleſiam, nullum eſſe abſtinentiæ meritum prædicantes, eoſque affirmantes delirare, qui jejuniis caſtigent carnem ſuam, ut menti ſubditam faciant: Et universè de Gentilibus pronuntiavit in ep. ad Irenæum in caput 8. Exodi. [Gentiles jejunia „ noſtra fugiunt, dum ſibi aſpera putant, dum „ corpori noxia, & moleſta arbitrantur.] Hoc & hæretici noſtri temporis ſentiunt, & prædicant. Novi ſcilicet Epicuræi dicentes: Manducemus, & bibamus; cras enim moriemur. Deteſtati ſunt & veteres; quemadmodùm de Gnoſticis impuriſſimis hominibus confirmat Sanctus Epiphanius hæreſi 26. Quod oportère nos nutriri dicerent, ut corpora ſint robuſta, quo poſſint fructum reddere in tempore ſuo. Et hær. 80. de Maſſilianis optimi omnes carnis, & ſenſus patroni, conjurati adverſus ſpiritum hoſtes. Addant etiam, ſi placet, illud Pauli: Nemo carnem ſuam odio habet, ſed fovet, & nutrit eam. Addant & Chriſtum Dominum convivii ſeſe non ſubtraxiſſe. Sed & in nuptiis, & apud peccatores, & publicanos menſas frequentâſſe. Verùm quod ad Pauli attinet verba ſatis in libro de mortificatione de illis dictum eſt. Chriſtus autem & nuptias ſanctificare voluit, & cum publicanis, & peccatoribus manducavit, ut cibum illum ſpiritualem abundè diſtribueret, & illorum animas Deo, & virtuti lucraretur, ſed & ſponſam quærebat Eccleſiam. [Qui au- *Chriſtus in conviviis & nuptiis.* „ tem ſponſam quærit, inquit Sanctus Petrus „ Chryſologus ſermone trigeſimo primo jeju„ nia ſeponit, relinquit auſtera, totum ſe dat „ gaudiis, epulis indulget, totus blandus,totus „ amabilis; totus feſtivus incedit, & facit totum,

Digitized by Google

„ tum, quod ſponſæ tenera requirit affectio. „ Chriſtus ergò, qui tunc Eccleſiam deſponſabat, indulgebat ſe menſis, convivantibus ſe „ non negabat; humanum, comem, blandum „ ſe pia charitate reddebat; donec divinis hu„ mana conjungeret, & faceret de terrena ſo„ cietate cœleſte conſortium.]

CAPUT II.

De Antiquitate Ieiunij.

Ieiunium cum homine, & mundo incepit.

AT jejunio nihil antiquius, nihil inter Dei cultores uſitatum magis, ſimul cum humano genere principium habuit. Immò & mundo ætate æquale, inquit S. Ambr. in libro de Elia, & jejunio c. 4. nam quinque primis diebus jejunium fuit, & ſexta demùm die cibi uſus incepit. Ubi cibus cœpit, ibi finis factus eſt mundi. Et homini in Paradiſo conſtituto primam legem conſtituit Deus de jejunio, dum arborem interdixit: [Acceperat „ Adam (ait Tertullianus in libro adverſus „ Pſychicos capite 3.) à Deo legem non gu„ ſtandi de arbore agnitionis boni, & mali; „ moriturus, ſi guſtâſſet. Verùm ipſe faciliùs „ ventri, quàm Deo, ceſſit; pabulo potiùs, „ quàm præcepto annuit, ſalutem gulâ vendi„ dit. Manducavit, & perijt; ſalvus alioquin, „ ſi uni arbuſculæ jejunare maluiſſet.] Propterea jejunandum nunc colligit, ut à primordio homicidam gulam tormentis, atque ſupplicijs inediæ puniamus, etiamſi Deus nulla jejunia præcepiſſet. Præcepit autem, ut primordiale illud Adæ debitum expiaretur. Et S. Hier. in ſecundo libro adverſus Jovinianum cap. 9. „ [Adam in Paradiſo accepit præceptum, ut „ cætera poma comedens, ab una arbore jeju„ naret. Beatitudo Paradiſi abſque abſtinentia „ cibi non potuit dedicari: quamdiù jejunavit, „ in Paradiſo fuit; comedit, & ejectus eſt.] Hinc S. Baſil. in or. in laudem jejunij, propter hanc antiquitatem canitiem jejunii reverendam dixit: Tam enim vetus eſt, ut ſimul cum homine condito cœperit. Illud enim verbum (Non comedes) jejunij, & abſtinentiæ lex eſt. Et S. Jo. Chryſ. h. 1. in Gen. [Cùm Deus ho„ minem à principio condidiſſet, & ſciret, „ quod hoc remedio ad animæ ſalutem mul„ tum haberet opus, ſtatim hoc mandatum illi „ dedit: De ligno ſcientiæ boni, & mali nè co„ medas.] [Quod ſi in Paradiſo, addit h. 1. de „ Pœnitentia, jejunium neceſſarium fuit, ex„ trà Paradiſum multò magis. Si antè plagam „ utilis medicina fuerat, multò magis poſt pla„ gam. Si needum bello voluptatum inſurgen„ te nobis arma fuerant opportuna, multò ma„ gis poſt tantùm voluptatum, vitiorumque „ prælium à dæmonijs nobis illatum.]

Ieiunij neceſſitas.

CAPUT III.

De Ieiunio quatuor temporum.

CÆTERÙM præter primordiale hoc præceptum; in lege per Moyſen, in Prophetis per Eliam, in Evangelio per Chriſtum fuit jejunium ſtabilitum, ut loquitur S. Greg. Papa libro 5. in primum Regum c. 1. Jejunavit Dominus quadraginta diebus, & quadraginta noctibus; jejunârunt Moyſes, & Elias; & apud Zachariam cap. 8. legimus Judæis fuiſſe ſolemne jejunium quarti menſis, quinti, ſeptimi, & decimi, quos nobis Julium, Auguſtum, Octobrem, & Januarium, interpretatur S. Hier. In quarto jejunabant, quod eo tempore Moyſes fregiſſet tabulas, & rupti primùm fuiſſent muri Ieruſalem, 4. Reg. c. 25. & Jerem. c. 39. In quinto, tum propter ſeditionem exortam in populo propter exploratores terræ ſanctæ, Num. 14. Tum propter templum eo menſe everſum. In ſeptimo, quod & Godolias occiſus, & reliquiæ Judæ, & Jeruſalem diſſipatæ, Jerem. cap. 41. In decimo demùm, quod tunc audiſſent ſubverſum fuiſſe templum. Ezech. cap. 33.

Quatuor tempora Iudæis.

Habuerunt quoque alia jejunia, tum cæremonialia, ut quod pro mortuo jejunarent ſeptem diebus, quemadmodum viri Jabes Galaád jejunârunt pro Saül, extremò primo libro Regum; tum pœnalia, ut in 2. Regum c. 12. cùm jejunavit David pro puero moribundo; & Achab 3. Reg. cap. 21. tum in periculis ad Dominum confugientes, ut lib. Judicum cap. 20. tum pugnaturi eſſent contrà Beniamin: & jejunium, quod indixit Saül contrà Philiſthæos 1. Reg. c. 14. tum verò & religionis causâ: ut Judith c. 8. & Anna vidua Luc. 2. Apud Prophetas enim crebra eſt jejuniorum mentio, ex qua manifeſtum eſt ea Judæis fuiſſe familiaria. Inter cætera celebre fuit illud; ad quod confugit Rex Ninive Jonæ cap. 3. quo nec homines, nec beſtiæ guſtârunt quidquam. Fuit & Moyſes in monte cum Deo quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, nec comedit panem, nec bibit aquam, ut habes Ex. 34. & Elias 3. Reg. 19. ambulavit quadraginta diebus, & quadraginta noctibus abſque cibo.

Ieiunia alia.

Denique Chriſtus Dominus Matthæi 4. totidem dies, & noctes fuit jejunus, quem imitatos eius diſcipulos, ieiunâſſe ſæpiſſimè, colligitur ex Act. 23. Miniſtrantibus autem illis & jejunantibus: an ergò ut quotidiè miniſtrabant, ita & quotidiè ferè ieiunabant? Undè & ſubjungit; Tunc ieiunantes, & orantes, dimiſerunt illos. Et capite 27. Eò quòd, inquit, jejunium iam præteriſſet; quod de certo aliquo, & ſolemni jejunio videtur dictum.

Ieiunia Chriſti, & Apoſtolorum.

Digitized by Google

ctum. Et cùm dicat periculoſam jam fuiſſe navigationem, hybernum tempus ſignificat; & ni fallor, jejunium ſolemne Decembris menſis, quo celebrantur tempora. Non enim jejunium Judæorum decimi menſis, ſed Chriſtianorum intelligendum eſt; quia Chriſtianos, non Judæos, alloquitur.

Hoc Chriſtianis fuit ſemper ſacrum, totique Eccleſiæ commune, non à Caliſto Papa, ut aliqui crediderunt, ſed ab Apoſtolis inſtitutum; ut in ſer. 1. 2. & 4. de jejunio Pent. & ſæpiùs in ſuis ſermonibus affirmavit S. Leo Papa; & de jejunio decimi menſis dictum eſt, ex Actis c. 27. & de eo, quod eſt poſt Pent. meminit antè Caliſtum Clemens Romanus lib. 5. conſtit. c. ult. & Caliſtus ſcribens ad Benedictum, non inſtitutorem ſe hujus jejunij profitetur; ſed cùm tribus temporibus jejunaretur, quartum addidit. Quo factum eſt, ut eum ſcriberet Damaſus quatuor temporibus jejunium ex Apoſtolica traditione acceptum ſervari ab omnibus voluiſſe. Eſtque Sancti Auguſtini regula in ep. 118. ad Januarium ea, quæ non ſcripta, ſed tradita, toto orbe terrarum cuſtodiuntur, vel ab ipſis Apoſtolis, vel à plenarijs Concilijs inſtituta fuiſſe, quare cùm hæc jejunia à nullo concilio fuerint inſtituta, ſupereſt Apoſtolorum inſtitutio.

Cur quatuor tempora inſtituta. Quæ non unam, ſed plures habuit cauſas.
1. Primam; ut annum totum quodammodò jejunare videamur, dum ſingulis temporibus tres dies, velut ſingulis menſibus unum diem, & duodecim menſibus duodecim dies jejunamus. Ita Sanctus Leo ſer. 8. de jejunio decimi menſis; [Jejunium quatuor temporum ex doctri-,, na Spiritus Sancti per totum annum eſt diſtri-,, butum.] Et ſer. 9. de jejunio ſeptimi menſis: ,, [Ideò ipſa continentiæ obſervantia quatuor ,, eſt aſſignata temporibus, ut in id ipſum to-,, tius anni redeunte decurſu, cognoſceremus ,, nos indeſinenter purificationibus indigére, ,, ſemperque eſſe nitendum, dum hujus vitæ ,, vanitate jactamur, ut peccatum, quod fra-,, gilitate carnis, & cupiditatum pollutione ,, contrahitur, jejunijs, atque eleëmoſynis de-,, leatur.]

2. Secundam ut tyrocinium militiæ Chriſtianæ, ait S. Leo ſer. 1. & 2. de jejunio Pentecoſtes, ſanctis jejunijs inchoäremus, ut ſicut fuit concupiſcentia initium peccatorum, ità ſit continentia initium virtutum.

3. Tertiam quoniam Chriſtiani, ut magnoperè ſolliciti ſemper fuerunt, ut orarent Deum pro aeris ſerenitate, pro fructibus, & anonæ copia; ita quia quatuor illis temporibus totus vertitur annus, & mutatur aër; illis omnibus jejunari voluerunt. [Sicut annus, inquit Ca-,, liſtus in epiſtola paulò antè memorata, per ,, quatuor volvitur tempora; ita nos quater-,, num agimus ſolemne jejunium.]

Quartum nè Chriſtiani remiſſiores viderentur Judæis, qui ut anteà dictum eſt, quatuor illis temporibus jejunabant. Sanctus Leo ſermone 7. de jejunio ſeptimi menſis, hoc jejunium ex veteri lege dixit aſſumptum. Et universè de his quatuor temporibus in ſer. 9. ,, [Quod dudum & traditio decrevit, & con-,, ſuetudo firmavit; nec eruditio ignorat, nec ,, pietas prætermittit.] 4.

Quintam quoniam ut ex Actis c. 13. cognoſcitur, diebus aliquot conſueverant Apoſtoli jejunare, cùm aliquem eſſent ordinaturi, quod menſe potiſſimùm Decembri in veteri fiebat Eccleſia; ut ex Pontificum vitis à Damaſo ſcriptis manifeſtum eſt. Sed pòſt neceſſarium fuit ſæpiùs ordinare; obtinuitque conſuetudo, ut omnibus quatuor temporibus, & non extrà illa fierent ordinationes. 5.

Sexta eſt peculiaris jejunij poſt Pentecoſtem apud Leonem ſermone 4. de illo: [Nè ,, fortè per occaſionem licentiæ blandioris in ,, aliquas negligentiæ culpas delectabilium in-,, cideremus.] 6.

Septima ſeptimi menſis, ſer. 5. inſtituti pro gratiarum actione, pro collectis proventibus; quam etiam habet pro jejunio decimi menſis in ſer. 2. de illo. 7.

Octava jejunij decimi menſis, in ſer. 7. ut ad agriculturam myſticam vocemur; quâ ſegetum, ac palmitum, atque arborum vires, quibus humana ſuſtentatur infirmitas, ſpiritualibus ſtudijs excolantur. 8.

CAPUT IV.

De Iejunio quarta & ſexta Feria, & Sabbathi.

PRÆTER hoc jejunium quater in anno celebratum, Chriſtianiſque ſolemne, aliud fuit hebdomadarium, quo hebdomadis ſingulis dies duos jejunabant, feriam quartam, & ſextam: alteram, quòd eo die habitum fuiſſet à Phariſæis adverſus Chriſtum conſilium; alteram, quod eo die crucifixus, & mortuus. *Cur feria 4. & 6. jejunatum.* Quod habet Clemens Rom. libro quinto conſtit. cap. 16. & 21. & libro 7. cap. 24. & S. Aug. in ep. 86. ad Caſulanum; & extat de hoc Canon Apoſtolorum 68. & à Chriſto fuiſſe præceptum, teſtatur Clemens, & Philippenſibus præcipiens ſcripſit S. Ignatius: [Poſt ,, paſſionis dominicæ hebdomadam jejunate ,, quartis, & ſextis ferijs nè negligatis, cibo-,, rum reliquias pauperibus elargientes.] Et in libro de jejunijs adversùs Pſychicos cap. 2. Tertull. ſtationes quoque ait ſuos dies habent, quartæ feriæ, & ſextæ; quibus uſque ad horam nonam jejunabatur. *Stationes in Eccleſia.* Stationes enim jejunantium erant, ut ex hoc, & pluribus alijs conſtat ejuſdem autoris locis. Nam in lib. de corona militis cap. 11. ſtationes non vult fieri diebus

Digitized by Google

diebus Dominicis; quia tunc non jejunatur. „[Jam & ſtationes, ait, aut alij magis faciat, „quàm Chriſto? aut & Dominico die, quan- „do nec Chriſto?] Et libro 2. ad uxorem c.4. „[Si ſtatio facienda eſt, maritus de die indicat „ad balneas; ſi jejunia obſervanda ſunt, ma- „ritus eadem die convivium exerceat.] Hæc enim duo, ſtationem, & jejunium uxoris, balneasque, & convivium mariti copulatim, & eodem die accipere oportet: ſicut & ipſe copulavit in libro de fuga in perſecutione cap. 1. „[Fides in perſecutione diſciplinatior in jeju- „nijs, & ſtationibus, in orationibus, & hu- „militate.] Et libro adversùs Pſychicos cap. 13. [Conventus autem illi ſtationibus priùs, „& jejunationibus operati.] Et in libro de oratione cap. 14. [De ſtationum diebus, non pu- „tant plerique ſacrificiorum orationibus inter- „veniendum, quod ſtatio ſolvenda ſit accepto „corpore Domini?] Tam religioſum igitur in ſtationibus erat jejunium, ut vel ſacra Euchariſtia ſolvi jejunium arbitrarentur. Sanctus Ambroſius in ſer. 25. ſtationes haſce, in quibus Chriſtiani jejunantes, & orantes vigilabant; velut illorum agnoſcit caſtra; [In qui- „busdam, inquit, quaſi caſtris nos debemus je- „iunorum devotione munire. Caſtra enim „nobis ſunt noſtra ieiunia, quæ nos à diaboli- „ca oppugnatione defendunt.] Stationes vocantur, quod ſtantes, & commorantes in eis, inimicos inſidiantes repellamus.

Et rursùm quarta, & ſexta ferijs Origenes h. 10. in Levit. [Habemus, inquit, quartam „& ſextam ſeptimanæ dies, quibus ſolemni- „ter ieiunamus.] S. Epiph. hær. 75. [In om- „nibus terræ regionibus decretum eſt ieiuni- „um quartæ, & proſabbathi, & ab Apoſtolis „ordinatum.] Et in epitome; [Ieiunium quar- „ta, & proſabbatho conſtitutum uſq; ad horam „nonam. Nam illuceſcente quarta aſſumptus „eſt Dominus, & proſabbatho crucifixus.]

Iejunium feriæ 6. & ſabbathi. Poſt quadringentos autem circiter annos Eccleſia Romana viſa eſt ieiunium quartæ feriæ mutare in ſabbathum, & retentâ feriâ ſextâ duobus illis diebus, feriâ ſextâ, & ſabbatho ieiunare, quia illis duobus Chriſtus mortuus manſit in ſepulchro. Et ut loquitur Clemens: Opifex ſub terram manſit. Mutavit autem hos dies, ut mihi quidem videtur veriſimile; quod die ſabbathi conſuevisſent ad Sanctum Petrum vigilare; neque vigiliæ erant abſque ieiunio, ut ex pluribus Sancti Leonis Papæ ſermonibus conſtat. Extat Innocentij Papæ primi decretum in epiſtola prima ad Decentium capite quarto. Quare nè nimis grave populo videretur, feriæ quartæ ieiunium omiſſum eſt. Si ergò nunc Eccleſia Romana non ieiunet feria quarta, propterea fit, quia iam pridem mutavit in ſabbathum. Si feria ſexta, & ſabbatho à carnibus ſolùm ieiunet, hominum invaluit negligentia, quæ ſolam à carnibus abſtinentiam antiquitate retinuit. Eccleſia Græca nunc quoque feria quarta, & ſexta tum à carnibus abſtinet, tum ieiunat.

CAPUT V.

De Vigilijs.

Apoſtolorum vigiliæ, & martyrum. IN pervigilijs quoque Apoſtolorum, & martyrum ieiunabatur. Apoſtolorum quidem in tota Eccleſia, quòd illi velut communes parentes agnoſcerentur ab omnibus. Martyrum autem particularia, & propria ieiunia in provincijs ſingulis, in quibus illorum ſinguli habebantur advocati, & patroni ſingulatum. Eo enim tempore conſueverant in Eccleſijs ſtantes vigilare, orare, pſallere, aut etiàm ex Pſalmis aliquid interpretari, ut aliquando factum legimus ab Auguſtino conc. 1. in Pſalm. 32. „[Tota Eccleſia (ſcribit Sanctus Hieronymus „in epiſtola increpatoria ad Sabinianum Dia- „conum cap. 3.) nocturnis vigilijs Chriſtum „Dominum perſonabat, & in diverſarum gen- „tium linguis unus in laudibus Dei ſpiritus „concinebat.] In veteri quoque lege Tribui Levi præceptæ à Deo fuerunt excubiæ, & vigiliæ antè tabernaculum teſtamenti, ut habes Num. c.3. atque à Chriſto, & Apoſtolis fuiſſe à nobis confirmatas, oſtendit S. Hieronymus in epiſtola ad Riparium, & libro adversùs Vigilantium cap. 4. Nox quippè in quatuor vigilias dividebatur, ſingulæque vigiliæ trium erant horarum, ut idem habet in ep. ad Cyprianum, & in com. Pſal. 89. Et S. Aug. q.4. in Num. ex caſtris piam hanc conſuetudinem ductam putat, qua illi adversùs diabolum vigilarent. Sed & verè dixit Sanctus Petrus Chryſologus ſerm.24. ſemper & ad omnia ſalutares eſſe vigilias: [Rex enim in procinctu pervigil „callidi hoſtis præcavet, & evitat inſidias. In „caſtris miles ſupervenientes nocturnos impe- „tus cauta pernoctatione propellit. Nauta vi- „gilando diffuſi itineris incertas vias intrat, & „calles tranſit invios, & veſtigio furtivo ad „lucroſi portus votivam pervenit manſionem. „Hinc Paſtor adiungit noctes diebus, & to- „tum ſibi tempus denegat dormiendi, nè qua „lupis ſuffragante ſomno, graſſandi in gregem „præbeatur occaſio. Sic viator ſolers per au- „ras noctis æſtus ſolis prævenit.]

Vigiliæ nocturnæ.

Vigiliæ quibus horis. Vigilias autem haſce matutinis potiùs, quàm veſpertinis horis fieri ſolitas fuiſſe, ex illis Auguſtini verbis cognoſces in ſermone 2. de tempore; [In ſolemnitatibus ad vigilias maturiùs „ſurgite, in Eccleſia ſtantes, aut orate, aut „pſallite.] Et ſerm. 56. [Ad vigilias alacri, & „ferventi devotione conſurgite.] Et ſer. 78. „[Ad vigilias matutinas ſurgere ſtudeatis.] Et ex illis Ambr. ſerm. 41. in Dom. 3. quadrag.

Digitized by Google

„ [An putatis illum jejunare, qui primo dilucu-
„ lo non ad Eccleſiam vigilat, non beatorum
„ martyrum loca ſancta perquirit.] Et S. Baſilius in epiſtola apologetica 63. ad clericos Eccleſiæ Neocæſarianæ de nocte teſtatur populum antelucano tempore conſurgentem ad domum precationis, hoc eſt, ad Eccleſiam veniſſe.

Quanquam veſperi quoque interdum, & tota nocte habitas fuiſſe, teſtatur illud Philonis Judæi in libro de vita contemplativa: [Poſt
„ cœnam vigilant canentes hymnos, & viri,
„ & mulieres, factis duobus choris uſque ad
„ ortum ſolis.]

Cur ſublatæ. In hiſce tamen vigilijs plures introducti ſunt abuſus, & procedente tempore orta ſcandala complura. Nam præter homicidia, furta, adulteria, ad Eccleſiam, ut ſcribit Sanctus Auguſtinus ſermone 25. ad fratres in eremo, ludendo, & chorizando conveniebant. Quam ob cauſam offenſa plurimùm Monica Auguſtini Mater, rogavit Mediolani Ambroſium Epiſcopum, & ſublatæ ſunt vigiliæ; ſolo illarum nomine cum jejunijs retento: quod in cæteris quoque poſt locis facilè introductum eſt.

Apoſtolorum vigilia. Quod autem ad Apoſtolos attinet; omnes quidem in univerſa Eccleſia deberent habere jejunium, ut ſunt omnes Eccleſiarum omnium Patres. Complures tamen in illos incidunt dies, in quibus non videtur æquum jejunare. Nam Philippus & Jacobus in tempus incidunt paſchale, quod lætitiæ eſt, non jejunij. Joannes in tempus Nativitatis Domini, quo potiſſimùm cantatur Gloria in excelſis Deo, quod in diebus jejunij non cantatur. Alterum quoque Jacobum, Bartholomæum, Thomam, & Matthiam, non habere vigiliam, ſcribit Auguſtinus proximè citato loco; quòd Jacobus in diebus azimorum fuerit occiſus; Bartholomæus quòd una die decoriatus, altera mortuus, oporteretque ſecùs quàm in alijs jejunijs, tertia die jejunare. Aut fortaſsè, quod uterque incidit in tempus jejunio moleſtiſſimum, hoc eſt in menſes Julium, & Auguſtum. Thomas, ut habet Auguſtinus, incidit in adventum. Undè intelligas Auguſtini ætate non fuiſſe ſolitum jejunium in adventu. Matthias denique, quod ferè incidat in jejunium quadrageſimale.

Vigiliæ aliæ. Præter hæc jejunia, addit etiam Auguſtinus Aſſumptionem Sanctæ Mariæ, Nativitatem Sancti Joannis Baptiſtæ, vel etiam apud infideles, quibus diebus nos quoque jejunamus. Et ſer. 172. & 173. de tempore, tres dies rogationum antè Domini Aſcenſionem, quibus eo tempore jejunabant Chriſtiani. Sed non videtur fuiſſe ſolemne, & omnibus commune jejunium, ſed aliquarum Eccleſiarum; quemadmodùm hoc item tempore alicubi retinetur.

CAPUT VI.

De Quadrageſima.

Faustum Manichæum, ut teſtis eſt S. Auguſtinus in libro contrà illum 30. cap. 3. non puduit quadrageſimam, atque abſtinentiam omnem à carnibus ludificationem, & doctrinam dæmoniorum dictitare; ſed celeberrimum in Eccleſia jejunium fuit ſemper quadrageſimale; non ſolùm quia diuturniùs, pluriumque dierum; ſed etiam quoniam ab ipſomet Chriſto conſecratum, qui ſtatim baptizatus, antequam prædicationis munus ſuſciperet, ſecedens in deſertum jejunavit quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, ut dicitur Matth. cap. 4. Itaque qui Teleſphorum Papam illius prædicant inſtitutorem, errant magnoperè: nam & Chriſtum ipſum exemplo ſuo habemus authorem, & verò etiam inſtitutorem verbo; quemadmodùm ex Canone 68. Apoſtolorum, atque ex Apoſtolicis viris, Clemente Romano, & Ignatio conſtat. Clemens quippè in 5. conſtitutionum libro cap. 13. [Qua-
„ drageſimale, inquit, jejunium obſervandum
„ eſt, memoriam continens conſervationis, &
„ legiſlationis Domini.] Et Ignatius in epiſt. ad Philippenſes. [Quadrageſimale jejunium
„ nè ſpernatis: continet enim exemplum con-
„ verſationis Dominicæ.] Et Orig. hom. 10. in Lev. [Habemus quadrageſimæ dies jeju-
„ nijs conſecratos.] Et S. Aug. ſer. 69. de tempore: [Deus noſtrarum medicus animarum
„ congruum tempus inſtituit, quod & juſtis
„ ſatis ſit ad orandum, & peccatoribus ſufficiat
„ ad rogandum.] Et ſer. 77. qui inter Ambroſianos, quoque eſt 39. [Sanctam quadrageſi-
„ mam abſtinendo ipſe Dominus conſecravit,
„ & nobis indixit.] Quod etiam habet idem Ambr. ſer. 31. 32. 36. 39. Et S. Petrus Chryſologus ſer. 11. [Quod quadrageſimam jejuna-
„ mus, non eſt humana inventio, authoritas eſt
„ divina, & eſt myſticum, non præſumptum:
„ nec de terreno uſu, ſed de cœleſtibus, & ſe-
„ cretis.] Extant quoque veterum Patrum ſermones, & homiliæ tempore quadrageſimæ ad populum habitæ; apud Chryſoſtomum, Ambroſium, Auguſtinum, Leonem, Emiſſenum, & alios; Cyrilli quoque Hieroſolymitani cathecheſes illis ferè diebus fuerunt habitæ, quibus ad baptiſmum in Paſchate ſuſcipiendum præparabantur cathecumeni. Et ex 2. oratione Baſilij de jejunio, utramque illam orationem ſcimus initio quadrageſimæ fuiſſe habitas. Et S. Joan. Chryſ. h. 1. in Gen. hoc ipſo tempore ineunte, inquam, quadrageſima, aggrediens ad interpretationem libri Geneſeos; communem inquit Dominum omnium noſtrum veluti patrem filios indulgenter amantem, cupientem

Quadrageſima à Chriſto inſtituta.

ea,

Digitized by Google

ea, quæ unquam peccavimus, nobis abluere, hanc, quæ per quadrageſimæ jejunium fit, curationem adinveniſſe. Extant & homiliæ ad populum in quadrageſima habitæ, ut conſtat ex hom. 16. & 18. & in hom. 5. operis imperfecti in Matthæum, Chriſtum ſcripſit duas ob cauſas jeiunâſſe quadraginta dies; tum ut nobis adversùs tentationes jeiunandi daret exemplum: tum ut huius quadrageſimi ieiunij noſtri poneret menſuram, hoc eſt totidem nobis diebus jeiunandum inſtitueret. Sanctus Dorotheus in ſermone 18. de ſancto jeiunio, ſanctæ quadrageſimæ jeiunium ab Apoſtolis inſtitutum dixit, veluti anni totius decimam; ſive autem ab Apoſtolis, ut Sanctus quoque Leo confirmavit ſermone 6. & 9. de quadrageſima, ſive à Chriſto dixeris inſtitutum, non morabimur. Nam quod egerunt Apoſtoli, Chriſto egerunt autore. S. Epiphanius in epitome, Eccleſiam refert ſeptem hebdomadas antè Paſcha jeiunaſſe, præterquam diebus Dominicis. Et Sanctus Gregorius Nazianzenus or. in Sanctum Baptiſma, permulta commemorans, in quibus nos Chriſtum imitamur, quadrageſimæ etiam jeiunium numerat: quod idem prorsùs eſſe affirmat; niſi quod Chriſtus paulò antè tentationes jeiunavit, nos antè paſcha: ille totos quadraginta dies abſtinuit, nos tantùm non poſſumus. Jeiunium tamen unum, & idem eſt. Sanctus Hier. in caput 4. Matthæi, cùm Chriſtus jeiunâſſe dicitur quadraginta diebus quadrageſimæ, inquit, nobis oſtenditur Sacramentum. In veteri teſtamento Moyſis, & Eliæ jeiunium, & quadragenarium item numerum, ait Lugdunenſis Eucherius in libro formularum ſpiritualium, jeiunij Chriſti figuras fuiſſe; Chriſtique jeiunium noſtri jeiunij formam, & rationem. Ergò quadrageſimam Chriſtus conſecravit, & à Chriſto acceptam tradiderunt Apoſtoli. Theleſphorus non inſtituit, ſed præcepit, ut Clerici, qui cæteros in omnibus præire debent exemplo, jeiunium hoc ita abſolverent, ut ſeptem hebdomadas plenas à carnibus abſtinerent. Si enim quadrageſimam inſtitueret ille, omnes potiùs Chriſtianos, quàm omnes Clericos diceret.

Ieiunij forma. Porrò in hoc jeiunio non eadem ſemper forma fuit. Nam aliquos teſtatur S. Ambroſius in ſermone 31. in Dom. 1. quadrag. non contentos fuiſſe quadrageſima; ſed quinquageſimam jeiunâſſe; quos ſuperſtitionis notat. Dominus enim non quinquageſimam, ſed quadrageſimam nobis ſuo ieiunio conſecravit. Complures contrà nec quadrageſimam; ſed alternis hebdomadis ieiunâſſe. Et in libro 9. hiſt. tripart. cap. 38. ſcribit Socrates fuiſſe de tempore quadrageſimæ non minorem quæſtionem, quàm de tempore Paſchæ. Alios enim tres hebdomadas, alios ſex, alios ſeptem jeiunâſſe. In Concilio Aurelianenſi 1. cap. 26. decretum fuit, ut omnes Sacerdotes quadrageſimam, non quinquageſimam tenerent; & in ſecundo item Aurelianenſi cap. 2. ut ab omnibus æquè quadrageſima teneretur, nec ullus quinquageſimam, aut ſexageſimam auderet indicere. Diſſenſionis cauſam non unam fuiſſe arbitror.

Primam opinor, quòd ut conſtat ex S. Clemente lib. 5. conſt. cap. 13. & 19. & S. Epiph. in epitome: Veteres Chriſtiani totos ſex dies hebdomadæ ſanctæ inter dies quadrageſimæ non numerarent; ſed veluti vigiliam Paſchæ, & reſurrectionis Domini jeiunarent, & vigilarent. 1.

Secundam quod, ut colligitur ex Epiphanio, & Gregorio Magno hom. 16. in Evang. alij ſex etiam dies dominicos, quibus non ieiunabatur inter dies quadraginta numerarent, alij non numerarent. 2.

Tertiam quòd aliqui die ſabbathi ieiunandum non putarent. Undè in Concilio Agatenſi c. 2. decretum fuit, eo quoque die in quadrageſima ieiunandum eſſe. 3.

Quartam quod aliqui nec feriam quintam ieiunarent, quos proptereà reprehendit Gregorius 2. in decreto, quod in ipſius vita legitur in libro Pontificali. 4.

Poſtremam, quod aliqui, quos damnatos legimus in capitulis Græcarum Synodorum à Martino Bracarenſi collectis cap. 50. finirent quadrageſimam feria quinta hebdomadæ ſanctæ, duos ſequentes dies ieiunantes propter Paſcha. Undè cùm in ſermone 32. in Dom. 1. quadrag. Ambroſius dies quadraginta duos numerat, intelligere poſſumus in Mediolanenſi Eccleſia dies quoque Dominicos, Sabbathi, & Jovis, & hebdomadæ ſanctæ uſque ad feriam quintam fuiſſe numeratos. Romana enim Eccleſia totam hebdomadam ſanctam in quadrageſima numerans, & dies Dominicos, quibus non ieiunatur, tollens, reliquis, qui ſuperſunt triginta ſex, quatuor adiunxit ex hebdomada, quæ Dominicam primam quadrageſimæ antecedit, ut fiat numerus quadragenarius, atque ex Theleſphori decreto ieiunemus ſeptem hebdomadas plenas, cuius numeri, ſi Gregorius homilia decima ſexta citata, & alij alias rationes quærant, nobis Chriſti Domini inſtitutio ſit ſatis, qui cùm quadraginta dies jeiunâſſet, ut & Moyſes, & Elias jeiunaverant, totidem nos voluit ieiunare. Fuitque ſemper hoc in Eccleſia tam ſolemne ieiunium, ut in Antiſiodorenſi Concilio cap. 2. ſtatutum fuerit aliquando, ut ſtatim poſt Epiphaniam nuntios ad Eccleſias mitterent Paſtores, qui proximam quadrageſimam prænuntiarent: undè fortaſsè ſeptuageſima, ſexageſima, & quinquageſima, in quibus proptereà non canitur Gloria in excelſis, quod futurum ieiunium, & pœnitentiæ tempus annuntiant. *Quadrag. indictio.* 5.

CAPUT VII.

De Ieiunio Quadrageſimæ.

Cur inſtitutum.

SANCTA hac quadrageſimalis jeiunij inſtitutione plurimùm uſa eſt Eccleſia. Primùm ut Chriſtiani reliquo tempore negligentiores, communi veluti facta conſpiratione agerent pœnitentiam. Propterea namque primo quadrageſimæ die pœnitentibus imponebant manus, ut per totam quadrageſimam agerent pœnitentiam, ut vidére eſt in Conſilio Meldenſi c. 76. Undè ad nos derivatum eſt, ut eo die aſpergamus cinere capita, quo in veteri quoque teſtamento aſpergi pœnitentes conſueverant. Hanc verò pœnitentiam acceperunt, velut præparationem ad ſolemnem Euchariſtiæ communionem, quæ fiebat in Paſchate, longo ſcilicet ieiunio, & oratione præparati. Aliquos narrat Sanctus Hieronymus in comment. ad caput nonum Matthæi, voluiſſe quadrageſimæ ieiunium differri poſt Pentecoſtem, quando ablatus fuerit à nobis ſponſus: [Sed Eccleſiæ, inquit, conſuetudo „ ad Paſſionem Domini, & Reſurrectionem „ per humilitatem venit: ut ſpirituali ſagina, „ jeiunio corporis præparemur.] Et Sanctus Joannes Chryſ. ſub finem homil. 1. in Gen. „ [Cùm per omne tempus ſanctæ quadrage„ ſimæ ſpirituales merces negotiati fuerimus, „ & multas virtutum divitias congeſſerimus; „ ſic mereamur & ad Dominicum diem per„ tingere, & cum fiducia ad horrendam, & ſpi„ ritalem menſam accedere, participeſque fieri „ cum bona conſcientia ineffabilium illorum „ bonorum.] Propterea non communicabant in quadrageſima, ut famelici magis accederent in paſchate, ut colligitur ex eodem loco Sancti Chryſoſtomi, & cùm reliquo tempore daretur quotidie panis benedictus loco communionis: in quadrageſima nonniſi die ſabbathi, & Dominica dabatur, ut eſt in Concilio Laodicenſi can. 49.

Cineres undè.

Eucharistia in quadrageſima.

Baptiſmus in Paſchate.

In Paſchate quoque ſolemnis erat Cathecumenorum baptiſmus, qui & illis quadraginta diebus inſtruebantur, atque pro illis orabant, & ieiunabant Chriſtiani, ut illis Deus cœlum aperiret, ut & Elias quadraginta dierum jeiunio aperuit; quod ex pluribus Sanctorum Ambroſij, & Auguſtini ſermonibus licet cognoſcere. Interim autem videbantur, quaſi toto anno jeiunare, dum quaſi decimam partem jeiunabant. Nam trecentorum ſexaginta dierum decima ſunt triginta ſex; quibus, ut Chriſti ieiunium imitemur, addimus quatuor dies, & ſunt quadraginta, quibus veteres Chriſtiani ceu feſtis propemodum feriabantur. Sanctus Ambroſius ſermone 41. magnoperè reprehendit illis diebus venationem, caſtigationem ſervorum, & alias ſimiles occupationes: „ [Surgentes primo diluculo ad Eccleſiam feſtinemus, referamus Deo gratias, peccato„ rum veniam poſtulemus, rogantes præteri„ tis delictis indulgentiam, cautelam futuris. „ Tota die ſit nobis vel oratio, vel lectio.] Abſtinebant etiam ab uxoribus, & legitimo actu connubij, ut teſtatur Sanctus Joannes Chryſ. h. 34. operis imperfecti & 62. in Jo. & ſer. 1. de jeiunio, tom. 5. Et ſeverè prohibuit S. Ambr. ſer. 34. feria 3. poſt 1. Dom. quadr. nè antè octavam paſchæ illis jungerentur, quotidiè verò audire miſſam voluit, & nocte matutinum officium. Quin etiam legibus latis caverunt Imperatores; ut eſt in codice Juſtiniani de ferijs, nè judicia criminalia tempore quadrageſimæ fierent. Lege Balſamonem in canones Foxij, tit. 7.

Quadrageſimæ tempus Sanctum.

Ieiunij forma.

Quod autem ad ipſam ieiunij formam attinet, certum eſt eam diſtrictiorem ubique fuiſſe, quàm alijs temporibus. Sanctus Hieronymus in epiſtola ad Lætam de inſtitutione filiæ, longa & immoderata non probat ieiunia: „ [Aſellus enim in via cùm laſſus fuerit, di„ verticula quærit. Cæterùm in quadrageſi„ ma, inquit, vela pandenda ſunt, & tota au„ rigæ retinacula equis laxanda properanti„ bus.] Et in epiſtola item ad Euſtochium, de cuſtodia virginitatis cap. 15. diſtrictiùs, quàm alijs temporibus fuiſſe ieiunatum teſtatur. Propterea non invitabant alios ad prandium, nec ipſi ad alios invitati accedebant, ut vidêre eſt apud Ambroſium ſer. 26. feria 5. poſt cineres, & Auguſt. in ſermone 62. de tempore. Tum ut parcior eſſet cibus; tum quòd tempus eſſet pœnitentiæ, & triſtitiæ, non lætitiæ, & gaudij. Neque antè nonam ullus edebat, aut bibebat. Verùm ſex ultimis diebus hebdomadæ ſanctæ aſperiùs multò erat ieiunium, ſoloque pane ad veſperam utebantur, & aqua, ſale, & leguminibus, aut eiuſmodi rebus aridis, & duos ultimos dies, qui poterant, ſine ullo cibo, & potu tranſigebant; teſtantur Clemens libro quinto conſtit. cap. 19. & Epiphanius in epitome.

CAPUT VIII.

Quale debeat eſſe Ieiunium.

Cibi delectus.

QUOD nunc quæritur, tribus omninò abſolvitur rebus, qualitate, & quantitate ciborum, & illorum ſumendorum hora. Quod ad qualitatem attinet, habuit ſemper Eccleſia ciborum delectum, atque ab illis præſertim abſtinuit, qui maximè poterant ieiunij finem impedire: is eſt pœnitentia, & caſtigatio carnis, quæ cibo, & potu nutritur, fovetur, & creſcit. Itaque cibi, qui multum nutriunt, adverſantur ieiunio; accommodati ſunt

Digitized by Google

ſunt illi, qui minus habent nutrimenti. Jeiunium propriè eſt nihil ediſſe, ieiunumque illum dicimus, qui comedit nihil. Græcè νηστεύειν ieiunare, quaſi, μὴ ἔσθειν non edere. Itaque perfectum jeiunium fuit Moyſis, Eliæ, & Chriſti, qui quadraginta diebus, & quadraginta noctibus nihil ederunt, & Pauli, & eorum, qui cum eo erant, qui quatuordecim dies ſine ullo cibo fuerunt, Actorum capite vigeſimo ſeptimo. Decima quarta, inquit, die jeiuni permanetis, nihil accipientes. Macharium quoque ſcribit Palladius capite vigeſimo integram quadrageſimam abſque cibo, & potu peregiſſe, & capite 32. Helonem tres menſes, niſi quando cum alijs in olus incidiſſet agreſte. Et capite 51. Eliam per totam vitam nihil comediſſe, niſi ſemel in hebdomada; & Helpidium niſi Sabbatho, & dominica die. Julianum item Monachum Theod. in hiſtoria Sanctorum Patrum. Et amicos Job ſeptem diebus, & ſeptem noctibus ſine cibo fuiſſe, dum ad eum venerunt; nec cibi, & potus præ ſtupore, & triſtitia recordatos fuiſſe, ſcribit Origenes libro tertio in Job. De veteribus illis Therapeutis, qui circà Alexandriam vixerunt; ſcripſit Philo in libro de vita contemplativa, aliquos vix tertio quoque die, alios ſexto comediſſe. Et aliquos etiam ſuo tempore & viros, & fœminas, refert Auguſtinus in libro de moribus Eccleſiæ Catholicæ capite trigeſimo tertio continuum triduum, & ampliùs ſæpiſſimè ſine cibo, & potu duxiſſe. Et libro 5. contrà Fauſtum; [Quàm multi, inquit, ieiu„ nijs, vel crebris, vel quotidianis, vel etiam „ incredibiliter continuatis corpus ſervituti „ ſubijcientes?]

Cibi qualitas. Quod autem ad cibi qualitatem, & delectum attinet; Uſitatum valde fuit, inter Monachos præſertim, nihil edere, quod ad ignem fuiſſet admotum, nè panem quidem; ſed aut legumina cruda, aut olera, aut quid ſimile. Hilarionem narrat S. Hieronymus tres annos nihil aliud comediſſe, quàm dimidium lentis ſextarium aqua frigida madefactum, & alios tres annos herbarum radicibus ſuſtentatum, & alium quinque caricis quotidiè victitâſſe. Et apud Theodoretum Macedonius hordeo aqua madefacto, Acepſemas lente, Euſebius cicere, & fabis leguntur ſuſtentati.

Alij pane, & aqua fuêre contenti, iuxtà illud Eccleſiaſtici cap. 19. Initium vitæ hominis aqua, & panis: quod fortiſſimum ieiunium appellat S. Hieron. in ep. ad Nepotianum, de vita Clericorum, cap. 15. & velut graviſſima pœnitentia iniunctum à concilijs fuit.

Fuit etiam ſiccorum eſus ξηροφαγία dictus; de quo Clemens lib. 5. conſtit. c. 19. Et S. Epiphanius in epitome de Chriſtianis omnibus ita ſcribit; [Per ſex dies Paſchatis omnes populi „ in ſiccorum eſu perſeverant; pane, inquam, „ & ſale, & aqua uſque ad veſperam.] Quare ſi Tertull. in libro adversùs Pſychicos, novum appellavit affectati officij nomen, & proximum ethnicæ ſuperſtitioni; profectò calumniatus eſt orthodoxos, quaſi xerophagias reſpuentes. Ab ipſis namque Apoſtolorum temporibus uſitatas fuiſſe oſtendit Pamelius.

Quartum ieiunij genus oleribus conſtabat, & leguminibus coctis, & pomis. De quo S. Hieronymus in com. ad caput 10. Daniëlis interpretatur illud: Ego Daniël trium hebdomadarum diebus panem deſiderabilem non comedi, hoc eſt, à cibis delicatioribus abſtinui; & caro, & vinum non introierunt in os meum. Et libro ſecundo adversùs Jovinianum capite 10. hominem obſervat, quamdiù ieiunavit, in Paradiſo fuiſſe: ejectum tamen nos ſtatim accepiſſe licentiam carnium veſcendarum; ſed tantùm poma arborum, & fruges ſegetum, & herbarum olera fuiſſe illi data in cibum; carnes verò non niſi poſt diluvium.

Quintum fuit veſci piſcibus, & à carnibus abſtinêre, ovis, lacte, caſeo, & vino.

Sextum abſtinêre à vino, & carnibus, non ab ovis, & lacte: quibus nec veſcebantur Pythagoræi, quòd à carnibus non niſi qualitate differant; ut in 2. adversùs Jovinianum teſtatur Hieronymus. Et præclara ſunt illa Sancti Ioannis Chryſoſtomi verba hom. 6. ad populum: [Adveniente ieiunio, etſi millies quis „ exhortetur, & infinita crucient, & cogant „ vinum delibare, vel aliud quid ieiunij lege „ non conceſſum guſtare, omnia quis mallet „ pati, quàm prohibitum tangere nutrimen„ tum.] Tanta erat apud veteres illos Chriſtianos ieiunij ſanctitas, tanta reverentia.

Septimum bibere vinum, & à carnibus abſtinêre. Hæc enim duo maximè à jeiunantibus vitabantur, propterea quòd cùm plurimùm nutriant, ieiunij fini maximè adverſantur. In veteri teſtamento Nazaræis erat vinum interdictum; & in novo Joannes Baptiſta nec vinum bibit, nec comedit carnes: & Paulum oportuit hortari Timotheum, ut aliquid vini biberet propter ſtomachum, & crebras infirmitates; quas non naturales, ſed ieiunio, & aquæ potu contractas fuiſſe, tradit S. Joannes Chryſ. hom. 1. ad populum: carnibus autem ieiunantem veſci, fuit omni tempore inauditum. Manichæos quoque legimus apud Sanctum Auguſtinum libro ſecundo de moribus Eccleſiæ, qui eſt de moribus Manichæorum capite 13. carnibus noluiſſe veſci, nec vinum bibere; ſed quod illi ſuperſtitione agebant, nos facimus religione. Ad Spiridionem ieiunantem ſcribit Nicephorus libro 8. capite 42. veniſſe aliquando hoſpitem in quadrageſima, cui cùm ille non haberet, quod apponeret, appoſuit aliquid ſuccidiæ; exhorruit ille, ſeque Chriſtianum dixit, cui non liceret

Digitized by Google

carnibus uti in quadrageſima: ſed in neceſſitate id fecit Spiridion: ex hoſpitis tamen horrore cognoſcitur Eccleſiæ religio, & quantum ſcelus haberetur àb omnibus, carnibus eò tempore veſci.

CAPUT IX.

De Cibi quantitate.

VENIO ad quantitatem cibi, in qua primùm tenenda eſt lex temperantiæ: non enim eadem omnibus cibi quantitas convenit. Deindè & ex illa aliquid detrahendum, ut ſit, undè affligatur caro, undè eleëmoſynam largiaris, nec tantoperè gravetur ſtomachus, ut vacare nequeas orationi. Jeiunio quippè has duas velut ſorores, eleëmoſynam, & orationem adiunctas ſemper eſſe voluêre Patres. Propterea ieiunia moderata probârunt maximè Sanctus Hieronymus in epiſtola ad Ruſticum cap. 2. [Jeiunia moderata ſint, nè nimia ,, debilitent ſtomachum, & maiorem refectionem poſcentia erumpant in cruditatem, ,, quæ parens libidinum eſt.] Et ad Lætam, quod ſcripſit iam anteà audiſti. Illud addit generale præceptum; ſic comedat, ut ſemper eſuriat, ut ſtatim poſt cibum poſſit legere, orare, & pſallere. Et ad Euſtochium; [Nihil ,, prodeſt biduo, triduoque tranſmiſſo; vacuum portare ventrem, ſi pariter obruatur, ,, ſi compenſetur ſaturitate ieiunium. Illicò ,, mens repleta torpeſcit, & irrigata humus ,, ſpinas libidinum germinat.] Sanctus Ambroſius in tertio libro de virginibus, eſcis omnibus, quæ gignant membris calorem, parcè utendum putat. Carnes enim etiam aquilas volantes deponunt. Cibus obvius, ut edendi faſtidio jeiunium deſideretur; potus è fonte, fletus in prece, ſomnus in codice: cibus, inquam, parcus, oratio, & lectio multa. Sed & niſi putetur vitis, agerque vicibus exerceatur, ambo brevi tempore conſumuntur; ita moderari jeiunia docet. [Non debemus comedere, inquit Sanctus Bernardus in modo benè vivendi ad ſororem cap. 24. ut venter impleatur, ſed ut corpus ſuſtentetur, ita nutrire corpus, ut non ſuperbiat, ita reprimere, ut ,, non cadat.] Ita S. Baſilius in reg. brev. 139. cùm quæſiſſet, an relinquendum opus ſit ob jeiunium, an negligendum jeiunium propter opus; reſpondit, utrumque ex ratione pietatis accommodatum aſſumi debêre: ut & Dei mandato per jeiunium ſatisfiat; &, ſi mandatum Dei cibum deſideret, quo corpus confirmetur, edamus; non ut helluones, ſed ut operarij Dei. Et in conſt. mon. c. 5. pluribus oſtendit, & in ieiunijs, & in laboribus corporis mediocritatem eſſe ſervandam, atq; attemperandum utrumque. Et in lib. de vera virginitate ex illis Pauli verbis: Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo; eatenùs ſolùm caſtigandum oſtendit, ut ſerviat. Martianum Monachum refert Theodor. tribus uncijs panis maluiſſe quotidiè refici, quàm multis diebus continuatis abſtinêre, nè vel corpus eſſet debile ad labores, aut nimio cibo gravaretur. Et Sanctus Nilus in libro de octo vitioſis cogitationibus, unius diei ieiunium utilius eſſe affirmavit, quàm plurium dierum: quia qui inediam ultrà modum protendit, ultrà modum etiam frequenter cibis utitur; & interdum ob immodicam inediam fatiſcente corpore ad ſpiritualia munia ſegnior eſt. Interdum verò alimenti copia depreſſum animam ad acediam, & mollitiem ducit. Quò etiam ſpectat illud, quod magnoperè apud benè moratos homines vituperatur; pluſquam opus ſit, pridiè cœnare, quia ſequatur ieiunium; aut poſtridiè plus prandere, quod pridiè fuerit ieiunatum. S. Hieron. libro 2. adversùs Jovin. cap. 9. [Quale illud ieiu- ,, nium eſt, aut qualis illa refectio poſt ieiuni- ,, um, cùm pridianis epulis diſtendimur, & ,, guttur noſtrum mediatorium efficitur latri- ,, narum; dumque volumus prolixioris inediæ ,, famam quærere, tantum voramus, quantum ,, vix alterius diei nox digerat! Itaque non ,, tam ieiunium appellandum eſt, quàm cra- ,, pula, ac fœtens, & moleſta digeſtio.] Et S. Jo. Chryſ. h. 1. de pœnitentia, tom. 5. contrà hos adfert, medicos non lautam, ſed ſobriam cœnam illis iniungere, qui medicinam ſumpturi ſunt, ut illius virtus illicò morboſis occurrat humoribus. Jeiunium enim animæ medicina eſt, & rursùm hom. 15. ad populum; [Multi ,, ieiunium, inquit, aggreſſuri, tanquam lon- ,, gæ cuidam obſidioni tradendus ſit venter, ,, crapulam, & ebrietatem prævenientes repo- ,, nunt; rurſumque egreſſi, tanquam ex longa ,, quadam eſurie, & gravi ieiunij carcere abſo- ,, luti ad menſas currunt.]

Ieiunium moderatum.

Cæterùm ieiunijs noſtris adeſſe comites oportet eleëmoſynam, & orationem. Hoc enim eſt ieiunium, quod elegit Dominus, ut ex Iſaiæ capite 58. manifeſtum eſt. Non enim ſola fames quæritur, ſed planè diſciplina ieiunij, ut in libro de Elia, & ieiunio dixit Sanctus Ambroſius capite 10. his enim tribus armis, miſericordia, oratione, atque ieiunio, à Salvatore nos inſtructos contrà adverſarios noſtros admonuit in ſermone 1. de Eliſæo Propheta in cap. 6. libri 4. Regum: [Jeiunium ,, meliùs, quàm murus tuetur, miſericordia fa- ,, ciliùs liberat, quàm rapina; oratio longiùs ,, vulnerat, quàm ſagitta.] Jeiunium verò ſine eleëmoſyna non ſufficere, affirmat in ſerm. 26. feria 5. poſt cineres, nec valdè bonum eſſe, niſi ſit aliquis pauper.

Eleëmoſyna, & oratio.

Hinc tùm ille, tùm cæteri prandium, à quo nos abſtinemus, dari volunt pauperibus, ut

Digitized by Google

ut ſit verum, & ratum jeiunium; ut vidére eſt apud S. Leonem ſæpiùs, S. Greg. h. 16. in Evang. & in 3. par. paſtor. curæ admon. 20. Et apud authorem epiſtolæ ad Demetr. Hieronymo adſcriptæ, & alios plures: & accommodatè dixit S. Jo. Chryſ. in ſer. 1. de jeiunio tom. 5. Non eſſe negotiationem jejunium, ut lucrum faciamus non edendo: ideò quod tu manducaturus eras, pro te pauper comedat, fiatque tibi duplex bonum; ut & tu jejunes, & alius non eſuriat. Et S. Ambr. lib. de Nabuthe cap. 5. [Quàm religioſum eſſet jeiu-
„ nium ſi ſumptum convivij tui deputares
„ pauperibus?] [In diſtributione eleëmoſyna-
„ rum, & pauperum cura, habet S. Leo ſer.
„ 11. de quadrag. pingueſcant chriſtiana ieiu-
„ nia: & quod ſuis quiſque delicijs ſubtrahit,
„ impendat egenis.] Et Petrus Chryſolog. ſer. 7. incaſſum, ait, laborare illum: [Qui ieiu-
„ nij aratrum præmens, & gulæ abſcindens
„ gramina, & eradicans luxuriæ ſentes, miſe-
„ ricordiæ ſemina nulla jactaverit.] Et ſermone 8. [Eſurit jeiunium, jeiunium ſitit, quod
„ non pietatis cibo paſcitur, quod potu miſe-
„ ricordiæ non rigatur. Alget jeiunium, jeiu-
„ nium deficit, quod non Eleëmoſynæ vellus
„ tegit, & miſerationis non operit veſtimen-
„ tum. Quod eſt terris aër, quod oleum lu-
„ cernæ, quod diei ſol, quod anima corpori,
„ hoc eſt miſericordia jeiunio.]

Orationem quoque affirmavit S. Auguſt. in ſer. 230. de tempore; refectionem eſſe jeiuniorum. Ut enim ſine potu non eſt plena refectio, ſic nec ieiunium ſine oratione poteſt animam perfectè nutrire. Et S. Jo. Chryſ. h. 30. in Gen. Jeiunio preces ſemper coniunctas eſſe oportêre, oſtendit ex ſacris litteris, & illius ſociam, & contubernalem orationem eſſe, ait in h. 1. de pœnitentia, immò & ſororem in ſer 2. de ieiunio. Ac demùm Sanctus Bernardus in ſer. 4. de quadrag. [Jeiunium,
„ inquit, orationi devotionem, & fiduciam
„ donat; oratio virtutem impetrat ieiunanti,
„ & ieiunium promeretur oranti. Jeiunium
„ orationem roborat, oratio ſanctificat ieiu-
„ nium, & Domino repræſentat.] Itaque duas facit ieiunio alas, quibus cœlum penetrat, orationem, & iuſtitiam, quæ reddit unicuique, quod ſuum eſt.

CAPUT X.

De hora comedendi.

QUà porrò horâ ſumendus ſit cibus, paucis expedio. Reliquo tempore bis reficimur, manè, & veſperi, prandio, & cœna: ieiunantes omiſerunt ſemper mane, prandium, & veſperè cœnaverunt. [Qualis enim Chri-
„ ſtianus es, inquit Sanctus Ambroſius ſer-
„ mone 31. Dom. 1. quadr. ſi Domino ieiu-
„ nante tu prandes?] Quam ob cauſam veſpertinum cibum appellat S. Hier. in ep. ad Paulinum cap. 3. [Sit utilis, & veſpertinus cibus,
„ olera, & legumina, interdumque piſciculos
„ pro ſummis ducas delicijs.] Et S. Paulinus ep. ad Amandum; quotidiana ieiunia non refugit, & veſpertina prandia non horret. Nemo enim edebat antequam eſſent veſpertinæ preces in Eccleſia cantatæ, poſt horam ſcilicet tertiam, ut cognoſcere licet ex Matiſconenſi concilio c. 9. Aliquando etiam hora expectabatur nona, ut eſt apud Sanctum Epiphanium in epitome. Et Sanctus Auguſtinus in libro de moribus Eccleſiæ Catholicæ cap. 33. uſquequaque uſitatiſſimum fuiſſe ait ſemel ſub noctem reficere corpus. [Differ ali-
„ quantulum, dixit Ambroſius ſermone octa-
„ vo in Pſal. 118. non longè finis eſt diei.] Et ſerm. 41. [Veſpere domum redis, & ſolo
„ jam declinante manducas.]

Hebdomada tamen Sancta uſque ad veſperam fuiſſe ab omnibus jeiunatum, teſtatur S. Epiphan. Et S. Bern. confirmat ſer. 3. de quadrag. qui fortaſſe in illud tempus incidit: [Ha-
„ ctenus, inquit, uſque ad nonam jeiunavi-
„ mus ſoli; nunc uſque ad veſperam jeiuna-
„ bunt nobiſcum pariter univerſi, Reges, &
„ Principes, Clerus, & populus, nobiles &
„ ignobiles, ſimul in unum dives, & pauper.] Nunc circà meridiem comedimus; ſolâ illâ veteri retentâ cæremoniâ, ut in quadrageſima antè prandium veſpertinæ recitentur preces; quæ hora tertia priùs recitabantur, & poſt veſperas comedebatur.

CAPUT XI.

Quibus temporibus jejunare non liceat.

MELCHIADEM Papam conſtituiſſe, nè die dominica, aut quinta feria jeiunaretur, quod eos dies pagani quaſi ſacrum jeiunium celebrarent; autor eſt Damaſus, & in epiſtola ejus decretali habetur. Manichæos autem die dominico, & 2. feria in honorem ſolis, & lunæ jeiunâſſe, refert S. Leo Papa ſermone 4. de quadrag. quod de die dominica confirmat quoque S. Amb. in ep. ad Epiſcopos Æmiliæ. Et S. Aug. ep. 74. ad Deuterium, & ep. 86. ad Caſulanum. Priſcilianiſtas item eadem die, ſcribit idem Leo ep. 91. ad Turribium c. 4. & Arianos Epiph. hær. 75.

Sed ſemper Eccleſia catholica duobus temporibus noluit jeiunari; dominica ſcilicet die, & toto paſchali tempore; à paſchate inquam uſque ad Pentecoſtem, quo propterea voluit cantari alleluia, quam vocem laudis & lætitiæ eſſe nullus ignorat; ut ait Auguſtinus in honorem ſcilicet, & memoriam reſurrectionis *Die Dominico.*

Domini: nam is die dominica reſurrexit, reſurrectioniſque lætitia uſque ad Pentecoſten celebratur, juxtà illud Matthæi 9. Nunquid poſſunt filij ſponſi lugere, quamdiù cum illis eſt ſponſus? Venerit autem dies, cùm auferetur ab eis ſponſus, & tunc jeiunabunt. Itaque inſignis viſus eſt Patribus contemptus reſurrectionis Domini, eo tempore jeiunare. Et Manichæos dixit Leo in contemptum jeiunâſſe; & Ambr. propterea nos jeiunare non poſſe, quia Manichæos propterea nos damnamus: hoc enim eſt in reſurrectionem Chriſti non credere. Et Sancti Ignatij ſententia in epiſt. ad Philippenſes, qui dominicam diem jeiunat, hic Chriſti interfector eſt, hoc eſt reſurrectionem ejus non credit. Et in can. 65. Apoſtolorum, deponitur Clericus, qui dominica die jeiunaverit, quòd injuriam reſurrectioni Domini facere videatur. Idem habent S. Clemens lib. 5. conſt. cap. ultimo, & libro 7. cap. 27. & Sanctus Epiph. in epitome; inconſentaneum eſt dominica jeiunare. Tertull. in libro de corona militis cap. 3. [Die dominico jejunium „ nefas ducimus, vel de geniculis adorare.] Et Sanctus Auguſtinus ad Caſulanum; [Die do„minico jejunare, ſcandalum eſt magnum „ maximè poſt hæreſim Manichæorum.] Et ſermone 25. ad fratres in eremo: [Jeiunare „ diebus dominicis hæreticorum eſt, & infi„ delium.] Et in Conc. Carthagin. 4. can. 64. qui illis diebus jeiunet, catholicus non creditur, & in Cæſarauguſtano rurſùm prohibetur, & in capitulis Græcarum Synodorum c. 57. & in Gangren. c. 18. excommunicantur, qui die dominico ieiunant.

Tempore Paſchali. Eadem immunitate à die Paſchæ in Pentecoſten uſque gaudemus, ait Tertull. & S. Epiph. [Dominica, & Pentecoſte, hoc eſt Pa„ ſchali toto tempore, Eccleſia non ieiunat.] Et S. Hilarius in prologo in Pſalmos; [Hæc „ ſabbatha ſabbathorum ab Apoſtolis religione „ celebrata ſunt, ut his quinquageſimæ diebus „ nullus neque in terram ſtrato corpore adoret, „ neque ieiunio feſtivitatem ſpiritualis huius „ beatitudinis impediret.] Quod ipſum etiam in diebus dominicis eſt conſtitutum.

Negotium fortaſsè faceſſant cuipiam verba S. Hieronymi in ep. ad Lucinium; in qua ſic habet: [Utinam omni tempore ieiunare poſſi„ mus, quod in actibus Apoſtolorum diebus „ Pentecoſtes, & die dominico Paulum, & „ cum eo credentes feciſſe legimus. Non quòd „ diebus dominicis jeiunandum putem; & con„ textas quinquaginta diebus ferias auferam: „ ſed unaquæque provincia abundet in ſenſu „ ſuo, & præcepta maiorum leges Apoſtolicas „ arbitretur.] Verùm dum ſubiungit; Nec tamen Manichæę hæreſeos accuſandi ſunt: antea ſignificat id non fuiſſe damnatum; eo tamen tempore, & deinceps maximè damnari: ſed & in dialogo adversùs Luciferianos c. 4. totius orbis conſenſum inſtar præcepti obtinére aſſerit: [Nam & multa, quæ per traditionem in „ Eccleſijs obſervantur, autoritatem ſibi ſcrip„ tæ legis uſurpaverunt: velut die dominico, „ & per omnem Pentecoſten, nec de genicu„ lis adorare, & jeiunium ſolvere; multaque „ alia, quæ ſcripta non ſunt, rationabilis ſibi „ obſervatio vindicavit.] Cujus rei religio ex eo quoque manifeſta eſt, quòd nec in celeberrimo, & maximè ſolemni quadrageſimæ jejunio dominico die jeiunatum eſt, ſed ad explendum quadragenarium numerum dies alij fuêre adjecti, ut in ſuperioribus dictum eſt. *Traditiones.*

CAPUT XII.

De jejunio ſabbathi.

De die ſabbathi fuiſſe quæſtionem, & Romanam quidem Eccleſiam eo die jeiunâſſe, orientales autem non jeiunâſſe, ſcimus ex Sancto Auguſtino epiſtola 19. ad Hieronymum, & epiſt. 86. ad Caſulanum, & epiſt. 118. ad Januarium, qua de re conſuluit is Sanctum Hieronymum epiſt. 19. [Vellem, „ inquit, me doceret benigna ſinceritas tua, „ utrùm ſimulatè quiſquam Sanctus orientalis, „ cùm Romam venerit, jeiunet ſabbatho, ex„ cepto illo die Paſchalis vigiliæ. Quod ſi ma„ lum eſſe dixerimus, non ſolùm Romanam „ Eccleſiam, ſed etiam multa ei vicina, & ali„ quantò remotiora damnabimus loca, ubi mos „ idem tenetur, & manet; ſi autem non jeju„ nare ſabbatho malum putaverimus, tot Ec„ cleſias orientis, & multò majorem orbis „ Chriſtiani partem qua temeritate criminabi„ mur?] Sed jam audivimus reſpondentem Lucinio Hieronymum unicuique provinciæ licêre abundare in ſuo ſenſu, & præcepta majorum leges Apoſtolicas arbitranda. Eademque fuit Ambroſio ſententia ut teſtatur, & confirmat Auguſtinus in epiſtola 118. Cùm enim Monica ejus mater Mediolanenſem Eccleſiam inveniens ſabbatho non jejunantem turbaretur, anxia, quid ageret, conſuluit Auguſtinus Ambroſium, qui reſpondit; [Cùm Ro„ mam venio jeiuno ſabbatho; cum hic, non je„ iuno. Sic & tu, ad quam fortè Eccleſiam ve„ neris, ejus morem ſerva, ſi cuiquam non vis „ eſſe ſcandalo, nec quemquam tibi.] Quam ſententiam tanquam cœleſte ille accepit oraculum. Extat Canon 65. Apoſtolorum in oriente publicatus; ſi quis dominicum diem aut ſabbathum, uno ſolo dempto, jejunare deprehendatur, deponitur; ſin laicus, è communione eijcitur. Ideò factum eſt, ut orientales non jeiunent. Inſtituendi autem Romæ jeiunium, ea traditur à pleriſque fuiſſe occaſio, ut habet Auguſtinus in ep. ad Caſulanum, quòd *Ieiunium ſabbathi undè.*

Digitized by Google

quòd Apoſtolus Petrus cum Simone Mago die dominico certaturus pridiè cum ejus urbis Eccleſia jejunaverit, glorioſoque conſecuto ſucceſſu, eundem tenuerit morem. [At ſicut „ concorditer vixerant Petrus, & condiſcipu- „ li eius; ſic inter ſe concorditer, inquit Aug. „ vivant ſabbatho jeiunantes, quos plantavit „ Petrus, & ſabbatho prandentes, quos plan- „ taverunt condiſcipuli ejus.] Sabbatho tamen Sancto antè Paſcha ab omnibus devotiſſimè ieiunatum fuiſſe; teſtatur, propter luctum diſcipulorum in morte Chriſti. Sed & ille in quadraginta dies quadrageſimæ computatur, eoque die non viros modò, ſed pueros quoque ieiunâſſe, ſcribit Jo. Diaconus in vita Sancti Gregorij Papæ lib. 1. c. 7.

Sabbathum Pentecoſtes.

De ſabbatho Pentecoſte magis dubites; quoniam intrà quinquaginta dies continetur Paſchalis temporis; quibus non ieiunatur, neque ut loquitur S. Epiph. ieiunium imperatum eſt; & S. Ignatius interfectorem Chriſti appellavit, ſi quis Dominicam diem, aut ſabbathum, uno excepto, hoc eſt antè Paſcha ieiunârit. Itaque ſi nunc ieiunamus, conſuetudine receptum eſt. Et S. Maximus Taurinenſis, qui anno quadringenteſimo vigeſimo dicitur obiiſſe, ſuo tempore iam fuiſſe ieiunatum, ſicut & in vigilia Paſchæ, teſtis eſt in h. 1. de Pentecoſte.

CAPUT XIII.

De præcepto jejunij.

APud Theodoretum in hiſtoria Sanctorum Patrum legimus, cùm Avitus nollet comedere, quòd ſe diceret nunquam comedere, niſi veſperè: dixiſſe illi Marcianum, charitatem eſſe ieiunio præſtantiorem. Charitatis enim opus divina lege præcipitur; ieiunium autem eſt poteſtatis noſtræ, & arbitrij. Et Iſichius lib. 7. in Levit. c. 27. de ijs loquens, quæ in præcepto ſunt, ieiunium dixit inter illa non eſſe. Sed duo ieiuniorum genera oportebat diſtinguere: quædam enim ſunt præcepta, ut quadrageſima, quatuor tempora, & quarundam feſtivitatum, & Sanctorum pervigilia: alia voluntaria nobis, & ſpontanea; ſive ad caſtigandum corpus, ſive ex Dei, ac Sanctorum religione. S. Baſil. in regulis brev. 129. cùm quæſiſſet: Num melius ſit ieiunare cum cæteris, & eundem cibum capere; an quòd immoderatè ieiunes, cibis diſſimilibus indigêre: reſpondit; Jeiunij tempus idoneum, non eſſe propriam cuiuſque voluntatem, ſed uſum eorum, quæ pertinent ad cultum Dei; & qui rationem huiuſmodi ſequatur in ieiunando, à Deo ieiunandi facultatem conſecuturum. Et monuit nos S. Leo Papa, præcepta, & toti Eccleſiæ communia, ſpontaneis, & privatis

Ieiunij genus duplex.

anteponenda eſſe; In ſermone 3. de ieiunio ſeptimi menſis: [Divinarum, inquit, reveren- „ tia ſanctionum inter quælibet ſpontaneæ ob- „ ſervantiæ ſtudia habet ſemper privilegium „ ſuum, ut ſacratius ſit, quod publica lege cele- „ bratur, quàm quod privata inſtitutione de- „ penditur.] Et ſer. 4. [Etſi liberum cuique ſit „ voluntarijs caſtigationibus corpus afficere; „ quibuſdam tamen diebus ab omnibus oportet „ pariter celebrari generale jeiunium; & tunc „ eſt efficacior, ſanctiorque devotio, quando „ in operibus pietatis totius Eccleſiæ unus eſt „ ſenſus. Publica enim præferenda ſunt pro- „ prijs, & ibi intelligenda eſt præcipua ratio „ utilitatis, ubi vigilat cura communis.]

Præceptum quadrageſimæ.

Propterea ſacratiſſimum quadrageſimæ jeiunium appellârunt S. Leo ſer. 11. de quadrageſima, & alij Patres. Et divinum præceptum non ſemel, & legem à Domino datam, S. Ambroſ. qui etiam in ſerm. 40. hunc ait quadragenarium numerum non eſſe ab hominibus inſtitutum, ſed divinitùs conſecratum, nec terrena cogitatione inventum, ſed cœleſti majeſtate præceptum. Et paulò poſt; [Hæc non „ tam ſacerdotum præcepta, quàm Dei ſunt.] „ Et ſermone 26. [Alijs diebus jeiunare, aut „ remedium, aut præmium eſt; in quadrage- „ ſima verò non jeiunare peccatum eſt. Alio „ tempore qui jeiunat, accipiet indulgentiam; „ in quadrageſima qui non jeiunat, ſentiet „ pœnam.] Et ſer. 31. [Quiſquis, ait, con- „ ſecratam jeiunando non impleverit quadra- „ geſimam, prævaricationis, & contumaciæ „ reus tenebitur, quod legem divinitùs pro „ ſalute ſua datam ipſe reſcindit.] Et iterum; „ [Sicut reliquo anno jeiunare præmium eſt, „ ita in quadrageſima non jeiunare peccatum „ eſt. Illa enim voluntaria ſunt jeiunia, iſta „ neceſſaria; illa de arbitrio veniunt, iſta de „ lege; ad illa invitamur, ad iſta compelli- „ mur.] Et ſer. 36. [Non leve peccatum eſt, „ indictam quadrageſimam à Domino viola- „ re, & jejunia conſecrata ventris voracitate „ diſſolvere: Non leve peccatum eſt indictum „ violare ieiunium.] Adfert Jonatham morti addictum à patre, quòd indictum jeiunium vel etiam ignorans violâſſet. Qui ſciens indictum à Chriſto reſolvit, quid meretur? & ſermone 39. [Quadrageſimæ jeiunium in to- „ tum non obſervare, ſacrilegium eſt, ex parte „ violare, peccatum eſt.] Quod etiam habet Sanctus Aug. ſerm. 62. & 77. de tempore; „ [Sacratiſſimo quadrageſimæ tempore, ex- „ ceptis Dominicis diebus, nullus prandere „ præſumat; quia alijs diebus jeiunare reme- „ dium eſt, aut præmium, in quadrageſima „ peccatum eſt.] Et S. Hier. in ep. ad Marcellam adverſus Montanum quadrageſimæ jejunium neceſſitatis eſſe affirmans, apertis verbis præceptum eſſe declarat: [Nos, inquit, unam

Digitized by Google

„ unam quadrageſimam, ſecundùm traditio-
„ nem Apoſtolorum toto anno, tempore nobis
„ congruo jejunamus: illi tres in anno faciunt
„ quadrageſimas, quaſi tres paſſi ſint Salvato-
„ res: non quò & per totum annum, excepta
„ Pentecoſte, jeiunare non liceat: ſed quòd a-
„ liud ſit neceſſitate, aliud voluntate, munus of-
„ ferre. Quadrageſimæ ergò ieiunium neceſſi-
„ tatis eſt, non voluntatis.] Quod & ſibi volunt illa S. Leonis Papæ verba in ſer. 15. de quadrageſima: [Maximum, & ſacratiſſimum
„ quadrageſimæ ieiunium obſervantiam ſui
„ univerſis fidelibus ſine exceptione denun-
„ tiat: quis enim aut immunis à tentatione,
„ aut liber inveniatur à culpa?] Mitto huiuſmodi plurima. Iſichius verò loco citato, non de noſtris ieiunijs loquebatur; ſed de illis, quæ Judæis in decalogo fuerant à Deo præcepta: Et Martianus de libero, non de præcepto; quale erat illud, quòd tunc ab Avito celebrabatur. Neque ita de quadrageſima locutus unquam abſtinentiſſimus homo fuiſſet, qui tribus ſolis uncijs panis veſcebatur.

Quale præceptum. Quale autem hoc ſit præceptum, divinumne, an Eccleſiaſticum, non videtur mihi facilè definire. Nam etſi ſcripſerit Januario S. Aug. ep. 119. cap. 15. quadrageſimam, & in veteribus libris ex ieiunio Moyſis, & Eliæ, & ex Evangelio ex ieiunio Chriſti habêre authoritatem. Hoc tamen non videtur fuiſſe præceptum dare, ſed exemplum, etſi Chriſtus idem dixit, filios ſponſi ieiunaturos poſt ablatum ab ipſis ſponſum; verbis hiſce non legem pronuntiavit, ſed tunc declaravit propter ſponſi præſentiam opus non eſſe ieiunio; poſt verò eos velut orphanos ad multa pericula depellenda ieiunaturos. Ex quo utile quidem, ac neceſſarium eſſe ieiunium colligitur, at præceptum non habetur; aut ſi præceptum, generale fortaſſe colligitur, at non ſpeciale quadrageſimæ, aut ullius determinati temporis. Quædam igitur ſpecialiter præcepit Chriſtus, alia generaliter, ſpecialiter præcepit baptiſmum Jo. 3. cùm dixit; Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & ſpiritu non poteſt introire in regnum Dei. Et Matt. 28. Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos &c. Generaliter autem pœnitentiam, & contritionem; ut ſimul, atque peccaveris pœnitentiam agas. Et quoniam pœnitentiæ pars quædam eſt ieiunium, in hac generalitate, ieiunij quoque præceptum cum cæteris pœnitentiæ partibus continetur. Ergò quadrageſimale ieiunium Moyſes, & Elias præfigurârunt, Chriſtus exemplo ſuo conſecravit, Eccleſia præcepit; quod præceptum ex Chriſti, & Apoſtolorum traditione ſine dubio derivatum fuit. Neque de hoc plura inſtituti præſentis ratio à me poſtulat.

Conſueviſſe etiam Epiſcopos ieiunia indicere, & imperare; teſtatur illud Tertulliani in libro de ieiunijs adversùs Pſychicos c. 13.
„ [Benè autem, quod & Epiſcopi univerſæ
„ plebi mandare ieiunia aſſolent.]

CAPUT XIV.

De illis, qui nequeunt, aut nolunt jejunare.

ATENIM ſolemne hoc ieiunij præceptum à plurimis video parum omninò religioſè obſervatum, ſive illi gulæ ſeducantur vitio, ſive corpuſculi infirmitatem prætendant. Quibus non pauca Patres objiciunt. Ac primùm illis, qui corporis imbecillitatem proferunt, S. Baſilius in or. 1. de jeiunij laudibus. [Nè cauſe- *Corporis infirmitas.*
„ ris, inquit, corporis infirmam valetudinem,
„ nè dixeris, te jeiunium ferre non poſſe. Ne-
„ que enim mihi iſtas excuſationes profers:
„ ſed juxtà proverbium ſcienti loqueris; ni-
„ mirum Deo, quem nihil fugit.] Secundò addit: [Jeiunare non potes, & potes explêri
„ edulijs; potes conficere corpus eſcarum pon-
„ dere? Atqui infirmis non variam ciborum
„ copiam, ſed inediam, & abſtinentiam à me-
„ dicis ſolêre præſcribi ſcio. Qui fit igitur, ut
„ cùm iſta poſſis, illa te non poſſe cauſeris?] Tertiò urget, utrum ventri facilius eſt tenui victu tranſmittere noctem, an copiâ ciborum gravatum jacêre? immò nè jacere quidem; ſed crebrò hûc, & hûc verti diſtentum, ac gementem. Et quoniam reſpondêri poſſet fortaſſe, faciliùs ſervari navem onuſtam ſarcinis, quàm eam, quæ levis ſit, & vacua. Immò, inquit quarto loco, ponderis magnitudine gravatam, quamvis exiguus fluctus adoriens demergit; contrà quæ modicis ſarcinis temperata eſt, facilè ſuffert undarum impetum: quòd nihil impediat, quò minùs fluctum in altum ſurgentem ſuperet. Sic enim & corpora noſtra, aſſidua repletione gravata facilè demerguntur à morbis; quæ verò alimonia utuntur levi, non modò morbi malum velut tempeſtatis aſſultum effugiunt, ſed præſentem etiam jam ægritudinem ceu turbinem orientem diſcutiunt. Quintò addit, laborioſius nimirum eſſe currere, quàm quieſcere; luctari, quàm otioſum eſſe. Et difficiliùs multò eſſe infirmum delicijs, & cibo replêri, quàm parco, tenuique uti victu: hic enim faciliùs coquitur, & in membrorum ſubſtantiam mutatur.

Aliorum quoque excuſatio eſt illa; Non *Vitium gulæ.* poſſumus laborare, & jeiunare. Quibus reſpondet S. Ambr. ſermone 34. [Ideò non poſ-
„ ſunt, quia nolunt. Saltem laborent minùs, ut
„ jeiunare poſſint.] Et illa ſerm. Æſtivis menſibus dies longa eſt, torrentior ſol eſt, ſitim ferre non poſſum, poculis nos refrigerare debemus; hyemis verò tempore grave frigus eſt, rigores ſunt peſſimi, algorem tolerare nequimus, eſu calefieri nos oportet. Sed inferni calorem, & frigus his utrumque multò gravius

Digitized by Google

vius illis objicit. Et Gangrenſe concilium can.
19. anathema illis dixit.

Jejunium alijs operibus compenſetur.

Corporis tamen imbecillitas ſi vera ſit, &
non fucata, velut legitima excuſatio admittitur
ab omnibus; quippe nulla lex ad id, quod non
poſſimus, nos obligat. At ſi jejunare propterea
nequaquam poſſis, eleëmoſynam, & orationem,
& alia pia opera pro jejunio poſtulant. Ita S.
Jo. Chryſ h. 10. in Gen. [Si ob corporis imbe-
,, cillitatem non potes ieiunus diem produce-
,, re; nullus, qui ſapit, propter hoc te arguere
,, poterit. Dominum enim habemus manſue-
,, tum, & miſericordem, & nihil ſuprà vires
,, noſtras à nobis exigentem. Sunt enim pro-
,, fectò viæ, quibus fiduciæ ad Deum ianuæ
,, aperiri poſſunt multò maiores, quàm cibo-
,, rum abſtinentia. Igitur qui cibum accipit,
,, & ieiunare non valet, largiorem det eleëmo-
,, ſynam, ferventior ſit in precibus, maiorem
,, habeat alacritatem in audiendis divinis elo-
,, quijs, in quibus corporis infirmitas nihil ob-
,, ſtare poteſt, inimicis reconcilietur, omne o-
,, dium & vindictæ cupiditatem ex animo ef-
,, fuget.] Et S. Ambr. tum alibi, tum in ſer.
26. & Aug. ſer. 62. de tempore. Pro eo, quod
non poteſt ieiunare, amplius erogare pauperi-
bus debet, ut peccata, quæ non poteſt ieiunan-
do curare, poſſit eleëmoſynas dando redimere.
Bonum eſt ieiunare, ſed meliùs eſt eleëmo-
ſynam dare. Et S. Leo ſer. 2. de ieiunio ſep-
timi menſis; [Si qui ſunt, quorum volunta-
,, ti aliqua obſiſtat infirmitas, laborem, qui
,, ſuprà vires eſt corporum, redimant impen-
,, dijs facultatum. Non culpatur infirmus ie-
,, iunium ſolvens, à quo cibum accipit pauper
,, eſuriens; nec eſcam ſumendo polluitur, qui
,, eleëmoſynam impertiendo mundatur.]

Aliam rationem addit Petrus Chryſologus
in ſer. 166. caveat, nè ieiunare videatur, ut in-
ducat novitatem in Eccleſia, quaſi ieiunij præ-
ceptum contemnens: [Qui ieiunare, inquit,
,, non poteſt, non præſumat inducere novita-
,, tem; ſed fateatur eſſe fragilitatis propriæ,
,, quòd relaxat, & redimat eleëmoſynis, quod
,, non poteſt ſupplêre ieiunijs, quia illius ge-
,, mitus Dominus non requirit, qui pro ſe ge-
,, mitus paupérum ſic redemit.]

Ieiunium vanæ gloriæ expoſitum.

Sanè glorioſum eſt ieiunium, nec quidquam
veterum ſententia vanæ gloriæ magis expoſi-
tum, quod ut nos doceret Dominus, non ſo-
lùm Matt. 6. monuit, ut ieiunantes unguere-
mus caput, faciemque lavaremus; hoc eſt, in-
terprete Chryſ. in Pſalmum 46. & Aug. lib.
2. de ſer. Domini in monte c. 2. gaudium, &
hilaritatem, non triſtitiam præferentes. Ve-
rùm etiam ipſe ieiunaturus in deſertum locum
ſeceſſit. Quod obſervavit S. Cypr. in ſermone
de ieiunio, & tentationibus Chriſti: [Locus,
,, inquit, ſecretus elegitur, quia ſolius Dei iu-
,, dicio ieiunia ſunt agenda, & ſingulariter
,, inſpectorem Deum volunt: neque in agoni-
,, bus aliquibus periculoſiùs militatur. Nulli
,, religionis exercitio fraudulentiùs inanis glo-
,, ria adulatur; nulli virtuti favor ita blanditur.
,, Jejunorum ſudoribus laus importuna ſe in-
,, gerit, & ſubtiliſſimis aculeis penetrans ani-
,, mam, dum extollit, emollit, & pungit, cùm
,, ungit.] Mitto cæteros. S. Greg. Papa in 4.
dialogorum lib. c. 38. Monachum narrat jeju-
nium ſimulantem, & occultè comedentem,
tandem mortuum draconi traditum ad devo-
randum. Et in 3. parte paſtor. curæ admonit.
20. abſtinentiam, ait, ferè comitatur ſuper-
bia, undè & ſuperbus Phariſæus ſtatim glo-
riabatur; Jejuno bis in ſabbatho.

CAPUT XIV.

Ieiunandum quoque à peccatis eſſe.

Neque verò putet quiſquam, ſe ma-
gnum aliquid præſtare, ſi corpus abſti-
neat à cibis, niſi anima jejunet à vitijs. Quiſquis
ita opinatur, conſulet ea, quæ per Iſaiam Pro-
phetam dixit aliquando Deus cap. 58. & S.
Baſilium audiat in admonitione ad filium ſpi-
ritualem: [Quid prodeſt ventrem ab eſcis va-
,, care, & animam paſſionibus obruere: vel car-
,, nis amorem vincere, & in corde livoris ſti-
,, mulos machinari?] Et in commentario pri-
mi capitis Iſaiæ; [Non ſtatim in abſtinentia ci-
,, borum vis tota animi, quâ ad perfectionem
,, intendimus, per ſe ſufficiens; niſi ſe anima
,, ſtabiliter conſtituat in omnimoda abſtinen-
,, tia eorum, quæ alunt malitiam. Ut enim
,, homo duplex, anima conſtat, & corpore,
,, ità & cibi duplices, &c.] Et S. Greg. Nyſſ.
orat. 1. de pauperibus amandis; Jeiunium à
cibis indictum propterea, ut à vitijs ieiunemus,
& non multò poſt; [Quid confert ieiunium
,, corporis, niſi mens pura, mundaque ſit?
,, Nihil enim profit, currum validum, ac ſtre-
,, nuis quadrigis inſtructum eſſe, ſi auriga in-
,, ſaniat: nulla fabricatæ navis utilitas, ſi ebrius
,, ſit gubernator.] Et S. Io. Chryſ. h. 8. in Gen.
Ieiunij finem, omninoque verum ieiunium
eſſe monet, abſtinêre à vitijs. Neque hoc à
nobis quæri, ut ad veſperam uſque impranſi
maneamus; ſed ut cum ciborum abſtinentia à
cæteris abſtineamus, quæ nocêre poſſunt, &
ſpiritualibus magis vacetur, & hom. 3. ad po-
pulum, hunc jejunij honorem eſſe affirmat:
,, [Honor, inquit, jejunij non ciborum abſti-
,, nentia eſt, ſed peccatorum fuga.] Itaque ci-
borum abſtinentia tantùm jejunium definiens;
hic eſt, qui maximè ipſum vituperat. Pluri-
buſque nos hortatur exemplis: [Quemadmo-
,, dùm enim præterita hyeme, & æſtate appa-
,, rente, nauta navigium deducit, miles arma
,, detergit, equumque ad bellum parat, agri-
cola

Digitized by Google

,, cola acuit falcem, viator fiduciæ plenus iter ,, longum aggreditur, & ad certamina pugil ,, expoliatur, ſeque denudat; ſic & nos jeju- ,, nio, tanquam æſtate quadam ſpirituali appa- ,, rente, arma tanquam milites abſtergamus, ,, & falcem acuamus tanquam agricolæ, & ,, tanquam nautæ contrà undas, contrà abſur- ,, darum cupiditatum cogitationes oppona- ,, mus; & tanquam viatores rectum in Cœlum ,, iter apprehendamus, & tanquam pugiles ad ,, certamina ſpoliemur. Fidelis enim & agri- ,, cola eſt, & gubernator, & miles, & athle- ,, ta, & viator; & quæ ſeq.] Immò verò h. 10. Jeiunium non ciborum abſtinentiam, ſed magis vitiorum fugam appellat. Et hom. 16. 18. & 22. non gaudendum, quòd multum ieiunemus; ſed ſi vitia profligemus: ſicut mercator, non quòd multam maris latitudinem navigaverit, ſed ſi multas comportaverit merces. Uno verbo dicam; omnes inculcant, non ſolùm à cibis, ſed multò magis ab omni peccato, & vitio ieiunandum eſſe, noſtraque ieiunia cum vitæ puritate coniuncta eſſe debêre. S. Doroth. ſermone 18. & Emiſſenus hom. in feria 6. poſt cineres, & hom. 9. ad Monachos, & S. Bern. ſer. 2. de quadrag. & Sancti Hieronymi verba ſunt illa ad c. 58. Iſaiæ: [Non ,, prodeſt vacuum portare ventrem, & alia fa- ,, cere; quæ Deo diſplicent: atque extermi- ,, nare facies ſuas, ut appareant hominibus je- ,, junare; qui in præſenti gloriam conſequen- ,, tur, excluduntur à regno Dei.] Et ad cap. 14. Jerem. [Jejunia, & preces tunc proficiunt, ,, cùm recedimus à vitijs, & flemus antiqua ,, peccata.] Et S. Aug. tr. 17. in Jo. [Jejunium ,, magnum, & generale eſt abſtinêre ab iniqui- ,, tatibus, & illicitis voluptatibus ſæculi; quod ,, eſt perfectum ieiunium, ut abnegantes im- ,, pietatem, & ſæcularia deſideria, ſobriè, & ,, iuſtè, & piè vivamus.] Et ſer. 24. ad fratres in eremo; [Tunc magnum, & Deo acceptum ,, ieiunium reddimus, cùm ab iniquitatibus, & ,, voluptatibus abſtinemus.] Et ſer. 64. de tempore; [Si volumus benè ieiunare à cibis, an- ,, tè omnia jeiunemus à vitijs. Quid enim ,, prodeſt corpus vacuare ab eſcis, & animam ,, replêre peccatis?] Quocircà in ſerm. 172. Chriſtianorum ieiunia profitetur ſpiritualiter potiùs, quàm carnaliter obſervanda eſſe, atque à peccatis principaliter ieiunandum, nè ieiunia ſint Judæorum. S. Amb. in ſer. 41. Dom. 3. quadr. inutile appellat, & inane ieiunium, neque acceptum Deo. Et ſer. 43. Dom. 4. eum, qui ita jeiunet, verè affirmat diabolo eſſe perſimilem; qui nunquam manducat, & tamen à malo non ceſſat. [Superfluum eſt, in- ,, quit S. Leo Papa ſer. 8. de jeiunio decimi ,, menſis, ſuſcipere eſuriem, & iniquam non ,, deponere voluntatem.] Et ſer. 1. de quadrageſima. [In iſto jeiuniorum ſtadio, non eo ,, tantùm ſimus fine contenti, ut ſolam cibo- ,, rum abſtinentiam putemus eſſe ſectandam. ,, Parùm enim eſt; ſi carnis ſubſtantia tenua- ,, tur, & animæ fortitudo non alitur. Afflicto ,, paululùm exteriore homine, reficiatur in- ,, terior, & ſubtracta carni ſaturitate corporea, ,, ſpiritalibus mens delicijs roboretur.] Et ſermone 8. [Utilitas abſtinentiæ, non ſolùm car- ,, nis caſtigationi, verùm etiam mentis neceſ- ,, ſaria eſt puritati.] Et ſermone 9. de ieiunio ſeptimi menſis: [Tunc eſt edendi abſtinentia ,, fructuoſa, quando exterior parcitas à tem- ,, perantia interiore procedit.] Ac demùm S. Greg. h. 16. in Evang. [Incaſſum caro atte- ,, ritur, ſi à pravis voluptatibus animus non ,, refrænatur.] Neque de hoc nunc pluribus dicere libet.

CAPUT XV.

Iejunij bonum.

CONCLUDAM igitur hanc ieiunij conſiderationem, ſi quàm magna illud nobis adferat bona, paucis indicavero. Ea & plurima ſunt, & maxima. Tertull. in 2. adversùs Marcionem lib. c. 18. tria agnovit in eo, quod quorumdam olim Deus animalium Judæis eſum prohibuit, quæ & nos in noſtro ieiunio agnoſcimus, dum à quibuſdam cibis abſtinemus: [Si lex, inquit, aliquid cibis detrahit, ,, & immunda pronuntiat animalia, quæ ali- ,, quando benedicta ſunt, conſilium exercendæ ,, continentiæ intellige, & frænos impoſitos ,, illi gulæ agnoſce, quæ cùm panem ederet ,, Angelorum, cucumeres, & pepones Ægyp- ,, tiorum deſiderabat. Agnoſce ſimul, & co- ,, mitibus gulæ libidini, atque luxuriæ proſpe- ,, ctum; quæ ferè ventris caſtigatione frigeſ- ,, cunt. Poſtremò, ut faciliùs homo ad jejunan- ,, dum Deo formaretur, paucis, & non glorio- ,, ſis eſcis aſſuefactus, & nihil de lautioribus ,, eſuriturus.] Hæc & nobis præſtat noſter in jejunijs ciborum delectus: nam & gulæ incontinentia caſtigatur, & luxuriæ materia ſubtrahitur, & faciliùs ad ieiunandum à vitijs omnibus formamur. [Jeiunijs, ait S. Cyprianus in ,, ſer. de ieiunio, & tentationibus Chriſti, vi- ,, tiorum ſentina ſiccatur, petulantia marcet, ,, concupiſcentiæ languent, fugitivæ abeunt ,, voluptates, extinguitur ardentis Ætnæ in- ,, cendium, & flammivomi fornax Vulcani ex- ,, tincta intrinſecùs montes conterminos non ,, adurit & quæ ſeq.] Sanè filium prodigum Luc. 15. ieiunio fuiſſe ad patrem revocatum, ſignificant illa verba; Ego autem hic fame pereo. Quæ conſiderans Petrus Chryſ. in ſermone 2. [Fames, inquit, revocat, quem ſaturitas ,, exulerat: fames illi patrem dedit ſapere, cui ,, copia tulerat ſentire genitorem. Etſi tantùm

præſtitit

Digitized by Google

,, præſtitit vel invita fames, probate, quid vo-
,, luntarium poſſit conferre ieiunium. Onera-
,, tus venter ad vitia cor deponit; premit men-
,, tem, nè ſupernam valeat ſentire pietatem.]
Et paulò poſt: [Vacuandus ergò venter eſt
,, moderatione ieiunij, ut exoneratus animus
,, poſſit ad alta pertendere.] Et ſer. 12. [Jeiu-
,, nantibus nobis diabolus eſurit, qui noſtris
,, ſemper ſaturatur ex culpis.] & : [Ieiunium
,, fratres ſcimus eſſe Dei arcem, Chriſti ca-
,, ſtra, murum ſpiritûs, vexillum fidei, caſtita-
,, tis ſignum, ſanctitatis trophæum.] Et ſer-
mone 13. diabolus crapulantibus dominatur,
orantes timet, ieiunos refugit. Cùm Chriſtum
vidit iugiter ieiunantem, filium Dei ſuſpica-
tus eſt; Si filius Dei es, dic ut lapides iſti pa-
nes fiant; & ſermone 31. [Ieiunium eſt ſingu-
,, lare ſanctitatis aratrum, colit corda, eradi-
,, cat crimina, evellit delicta, vitia ſubruit,
,, charitatem ſerit, copiam nutrit, parat inno-
,, centiæ meſſem.] Et S. Leo Papa ſerm. 6.
de ieiunio ſeptimi menſis: [Ieiunium, & ex-
,, teriora, & interiora hominum purificat, ut
,, cùm à licitis abſtinetur, faciliùs illicitis reſi-
,, ſtatur.] S. Aug. ſer. 65. de tempore; [Eiecit
,, nos de Paradiſo cibus, reducit eſuries, reducit
,, ieiunium.] Et in q. 120. ex veteri teſtamen-
to mixtim; [Neceſſaria ſunt nobis ieiunia, ſi-
,, cut vulneribus medicina, intemperantiam
,, corporis mitigant, motus adverſos repri-
,, munt, preſſuram animæ auferunt: & ſicut in
,, ſpeculo ſordido non ſe talem homo aſpicit,
,, qualis eſt; ita & ſi eſca, & crapula fuerit gra-
,, vatus, alterum ſe ſentit, quàm eſt;] Eliam
notavit in ſermone 33. ad fratres in eremo, tan-
diù miracula feciſſe, quandiù pane, & aquâ
refectus eſt; poſtquam carnes comedit, & vi-
num bibit, miracula non feciſſe. Et Sanctus
Ambroſius in libro 6. exameron cap. 4. Ieiuni
hominis ſputum necare ſerpentes, qui ſcilicet
diaboli ſymbolum ſunt. Et in libro 2. de Ia-
cob, & vita beata cap. 10. [Abſtinentia noſtra
,, diſciplina eſt caſtimoniæ. Diſcimus enim re-
,, ſecare luxuriam, cupiditates vincere, exclu-
,, dere concupiſcentias delectationibus corpo-
,, ris obviare.] Et libro dé Elia, & ieiunio cap.
4. [Ieiunium operimentum eſt, quo tegitur
,, homo, nè à diabolo videatur.] Lege cap. 6.
7. 8. 9. & 10. & ſer. 1. de Eliſæo Propheta;
,, [Ieiunium meliùs, quàm murus, tuetur.] Et
ep. ad Vercellenſem Eccleſiam; [Chriſtus vo-
,, lens nos adversùs diaboli tentamenta fortio-
,, res reddere, certaturus ieiunavit; ut ſcire-
,, mus, quia aliter illecebras mali non poſſu-
,, mus vincere, & diabolus primum tentamen-
,, torum ſuorum ſpiculum de voluptate intor-
,, ſit; Dic ut lapides iſti panes fiant.] Et ſerm.
32. [Pedes quidam animæ pernices ſunt fides,
,, atq; ieiunium, qui citò de humilibus ad altio-
,, ra conſcendunt, citò de terrenis ad cœleſtia
,, gradiuntur.] Et ſer. 36. feria quinta poſt 1.
Dom. quadrag. [Caſtra nobis ſunt noſtra ie-
,, iunia, quæ nos à diabolica oppugnatione de-
,, fendunt, & ſtationes vocantur, quòd ſtantes,
,, & commorantes in eis, inimicos inſidiantes
,, repellimus; murus inexpugnabilis diabolo,
,, intranſgreſſibilis inimico.] Et S. Ber. ſer. 4.
de quadrag. [Bonum, & ſalutare ieiunium;
,, quo redimuntur æterna ſupplicia, dum remit-
,, tuntur hoc modo peccata. Nec ſolùm re-
,, mittit peccata præterita, ſed & repellit futura,
,, quæ committere poteramus.] Lege Sanctum
Hieronymum libro 2. adversùs Jovin. cap. 11.
Qui Sanctum quoque Joannem antequam ſcri-
beret Evangelium, jejunium omnibus indixiſ-
ſe, teſtatur in proœmio commentariorum in
Matthæum. Et in Pſalmum centeſimum no-
num dicente Prophetâ; Genua mea infirmata
ſunt à jeiunio: [Quando, inquit, ieiunat mo-
,, nachus, fortior fit ieiunio. Et quando infir-
,, mantur genua eius ieiunio, tunc maximè ro-
,, boratur. Annona noſtra, & eſca jeiunium eſt;
,, quia in ieiunio victoria eſt, & in victoria tri-
,, umphus:] In ijs verò, quæ Hieronymo aſcri-
buntur, extat epiſtola, de Cereo paſchali ad
Præſidium; in qua [Anguis, inquit, quando ſe-
,, nuerit, perdit aſpectum, & ſi voluerit redire
,, ad juventutem, ieiunat quadraginta diebus,
,, ut laxetur pellis eius; & ſic anguſtum fora-
,, men inquirit, ut pellem ſenectutis dimittat.]
Et S. Greg. hom. 16. in Evang. [Qui à Para-
,, diſi gaudijs per cibum cecidimus, ad hæc per
,, abſtinentiam reſurgamus.] Euſebius Emiſſ.
hom. de initio quadrag. profert illud Mar. 9.
Hoc genus in nullo poteſt exire, niſi in oratio-
ne, & jeiunio, & ubi dixit Paulus 1. Cor. 9.
Caſtigo corpus meum &c. de illius jeiunio in-
terpretatur. S. Baſilius duas habuit præclaras
de ieiunij laudibus homilias. Et in admonitio-
ne ad filium ſpiritualem, jeiunium voluit eſſe
corporis frænum, quo ſpiritus, velut auriga
equos, illud regit, & cohibet, nè in præcipi-
tia feratur. Et in oratione quinta, quæ eſt de
ieiunio, nonnullos credidit eſſe Angelos ad id
ordinatos, ut per ſingulas Eccleſias eos, qui
inedia corpus ſuum affligunt, deſcribant. Et
Origenes hom. 8. in diverſos; tria maximè à
dæmonibus timeri memorat; crucem, ſordes,
& Chriſtianorum jeiunia. Et S. Athanaſius in
libro de virginitate: [Jeiunium morbos ſanat,
,, deſtillationes ſiccat, dæmones fugat, malas
,, cogitationes expellit, mentem nitidiorem
,, reddit, cor purgatius, & corpus ſalubrius,
,, & ad thronum Dei hominem ſiſtit.] Jeiu-
nium Angelorum cibus eſt, & qui eo utitur,
Angelici ordinis cenſendus eſt, & ut loqueba-
tur Tertullianus in libro adversùs Pſychicos,
c. 6. Nos Deo quoquo modo ſimiles, & æqua-
les facit. Hoc enim, quo jeiunat, eſt tempus,
quo homo Deo adæquatur cùm ſine pabulo

Digitized by Google

vivit. Denique apud Sanctum Chryſoſtomum tam multa leguntur, ût ſi ea velim colligere, plùs æquo fatigem lectorem. Vidêre tamen poteris hom. 1. 2. & 8. in Gen. & h. de Jona Propheta, & hom. 13. in Matth. & hom. 1. de pœnitentia, & ſer. 1. & 2. de jeiunio, & homil. 3. 34. 71. & 72. ad populum. Ergò verbis concludam Sancti Auguſtini in tract. de Epicuræis, & Stoicis cap. 6. tom. 6. [Epicu„ ræi dicunt: Manducemus, & bibamus, cras „ enim moriemur: Dicant Chriſtiani, Jeiu„ nemus, & oremus, cras enim moriemur.]

DE ORATIONE
LIBER XXXIX.

CUM de jejunio dicerem orationem, & eleëmoſynam comites illi, & veluti ſorores adjunctas à Patribus fuiſſe dixi, ac veluti alas, quæ utrimque portantes jeiunia noſtra divinæ offerant majeſtati. Quocircà ſcribendi ratio poſtulat, ut poſt jeiunium de oratione item, atque eleëmoſyna dicam.

CAPUT I.

De Orationis neceſsitate, utilitateque.

EST autem permirum tantam aliquando fuiſſe hominis aut ignorationem, aut impietatem, ut ulli potuerit unquam venire in mentem, ut orandum Deum non eſſe auderet pronuntiare. Pronuntiârunt tamen Prodici ſectatores, & antè illos Cyrenaici Philoſophi, ut teſtis eſt Clemens Alexandrinus in 7. Stromatum libro. Et Peripateticos etiam, qui plus aliquantò cæteris ſapere viſi ſunt, nihil prodeſſe voluiſſe preces, & ſacrificia Dijs oblata, ſcripſit Origenes in ſecundo contrà Celſum.

Orationem negantes.

At niſi Deum omninò eſſe hi pernegent, optimè argumentatur Clemens, ſi oratio eſt occaſio converſationis cum Deo, nulla eſt ad Deum aditus prætermittenda occaſio. Sed non eſt nunc de hoc diſputandum, neque demonſtrandum divinum numen, à quo & conditi ſimus, & gubernemur. Hoc verò poſito, & ſumma eum à nobis religione colendum, & illius opem continuatis precibus implorandam eſſe, manifeſtum eſt; quod ſacræ omnes docent litteræ; & precandi formam ipſe quoque nobis tradidit Chriſtus. Magnopere verò dolet S. Gregorius Nyſſenus in libro de oratione, neglectum, atque à pleriſque omiſſum ſacrum hoc, & divinum orandi opus; magiſque rebus, quibuſvis alijs, quàm orationi attendi.

Orationis neceſsitas.

Neceſſaria enim eſt hæc; primùm ut peccatorum remiſſionem impetremus à Deo. [Tu „ homo es, & vis rogari, ut ignoſcas, inquit „ Sanctus Ambroſius in ſecundo libro de pœ„ nitentia capite ſexto, & putas Deum tibi „ non roganti ignoſcere?] Et Sanctus Joannes Chryſ. lib. 1. de orando Deum; [Si pec„ catis nos refertos precatio deprehenderit, ce„ leriter purgatos reddit.] Adfert Ninivitas Jonæ 3. & Magdalenam Luc. 7. & in 2. libro parabolam proponit judicis illius iniqui, & crudelis, quæ habetur Luc. 18. qui in cæteris implacabilis, viduam tamen ab adverſario vindicavit, quòd illi moleſta eſſet orando. Et de reditu ipſius de Aſia Conſtantinopolim, tom. 5. orationem Eccleſiæ ſolviſſe vincula Petri, Actorum 12. & nè plura perſequar, Dominus in oratione nos docuit petere; Dimitte nobis debita noſtra.

Deindè ut in tribulationibus opem, & auxilium ſive liberationis, ſive patientiæ obtineamus. S. Aug. ſer. 228. de tempore; cùm de Iudith, & Holopherne loqueretur; [Ubi aſ„ ſiduis, inquit, pulſatur orationibus cœlum, „ potentia ſemper calcatur armorum.] Et S. Joan. Chryſ. h. 4. in poſt. epiſt. ap Theſſ. orationibus magis, quàm armis, obſervat contrà hoſtes pugnâſſe veteres. Ita vincebat Moyſes Amalecitas, Ezechias Aſſyrios, Aſcalonitas Samuël, Iſraël triginta duos Reges. Et cùm in Pſal. 108. caneret David; Detrahebant mihi, ego autem orabam. [Bonum ſcutum oratio, „ ait Sanctus Ambroſius in oratione de obitu „ Valentiniani, quo omnia adverſarij ignita „ ſpicula repelluntur.] [Opus nobis eſt armis, „ inquit Chryſ. hom. 14. in epiſtolam ad He„ bræos, bona armatura eſt oratio.] Et hom. 5. de incomprehenſibili natura Dei; [Aptiſſima arma

Digitized by Google

„ arma oratio eſt, theſaurus perpetuus, divitiæ „ inexauſtæ, portus quietus, occaſio tranquil- „ litatis, denique autor, parens, fons, & radix „ bonorum omnium.] Et aliquantò pòſt; „ [Oratio vim ignis extinxit,impetum leonum „ cohibuit, bella compoſuit, prælia removit, „ tempeſtates ſuſtulit, dæmonia expulit, cœli „ fores aperuit, vincula mortis diſrupit, lan- „ guores ejecit, offenſas repreſſit, urbes terræ „ motu nutantes firmavit, plagas cœli cœlitùs „ irruentes, inſidias hominum, mala denique „ omnia delevit oratio.] Uno verbo habes in Pſalm. 119. Ad Dominum cùm tribularer clamavi,& exaudivit me. Denique neceſſaria nobis oratio eſt, ut bona,quæ deſunt nobis,à Deo petamus; In Pſal.26. Exaudi Domine vocem meam, quâ clamavi ad te; miſerere mei, & exaudi me. Quo loco S. Auguſt. [Gemamus, „ inquit, modò; oremus modò. Gemitus non „ eſt, niſi miſerorum, oratio non eſt,niſi indi- „ gentium. Tranſit oratio, ſuccedit laudatio, „ tranſiet fletus, ſuccedet gaudium: interim „ quando in diebus malorum noſtrorum ſu- „ mus, non ceſſet oratio noſtra ad Deum, à „ quo unam illam petamus, & ab ipſa petitio- „ ne non deſinamus, donec ad eam illo donan- „ te, ac perducente perveniamus. Hæc eſt illa „ petitio: Unam petij à Domino, hanc requi- „ ram, ut inhabitem in domo Domini omni- „ bus diebus vitæ meæ.]

Cur nos petere velit Deus.

Sed & de cæteris idem ſentiendum. Et ut Deus optimè noverit, quid nobis opus ſit; nos tamen vult orare, & petere, ut præclarè docuit Sanctus Auguſtinus in 2. libro de ſermone Domini in monte; ubi multiloquio, ait, opus non eſſe, quia Deus ſcit, antequam petamus; ſed nos orare vult, quia ipſa orationis intentio, cor noſtrum ſanat, & purgat, & capacius facit ad excipienda divina munera, & in epiſt. 121. ad Probam viduam cap. 8. quia vult exercêri in orationibus deſiderium noſtrum, quo poſſimus capere, quod præparat dare. Illud enim valdè magnum eſt, & nos ad accipiendum parvi, & anguſti ſumus; ideò nobis dicitur 2. Cor. 6. Dilatamini, & nolite jugum ducere cum infidelibus. Itaque quod in epiſtola ad Philip. cap. 4. ſcripſit Apoſtolus; Petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum; ita interpretatur cap. 9. non quod Deo innoteſcant, qui eas, antequam eſſent, noverat; ſed ut nobis innoteſcant apud Deum per tolerantiam, non apud homines per jactantiam. Aut fortè etiam innoteſcant Angelis, qui ſunt apud Deum, ut eas offerant Deo, & quod ab eo acceperint agendum, nobis reportent. Itaque id, quod Luc. 1. reſpondit Angelo Maria; Fiat mihi ſecundùm verbum tuum; deſiderantis, non dubitantis, immò & orantis affectu fuiſſe dictum putat S. Bern. h. 4. ſuper Miſſus eſt. Vult enim à ſe requiri Deus, quod pollicetur, & ideò fortè multa, quàm dare diſpoſuit, priùs pollicetur, ut ex promiſſione devotio excitetur, ſicque quod gratis daturus erat, devota oratio promereatur.]

Orationis utilitas.

Triplex hæc orationis neceſſitas longè maxima eſt, utilitas autem plurima: nihil enim æquè facit in virtute creſcere, ut ſapienter adnotavit Sanctus Chryſoſtomus in expoſitione Pſal. 7. atque cum Deo aſſiduè converſari, & colloqui, in quam etiam ſententiam ſcripſerat in Pſalm. 4. orationem non eſſe parvum vinculum dilectionis in Deum; quæ cum eo colloqui nos aſſuefacit, & ad ſapientiæ ſtudium deducit. Si enim, qui cum magno aliquo, & admirabili viro multùm verſatur, ex eius conſuetudine maximum accipit fructum; quantò magis, qui cum Deo? Si beatos illos iudicavit regina Saba 3. Reg. cap. 10. qui ſtabant coram Salomone ſemper, & ſapientiam illius audiebant, quantò magis qui orantes tractant cum Deo, illumque ſibi loquentem audiunt? Quemadmodùm ſol lucem præbet corpori, ſic animarum lumen orationem eſſe, meritò ratiocinatur idem Chryſoſtomus in primo libro de orando Deum. Quare ſi cœco damnoſum eſt non intuêri ſolem; quantò gravius damnum eſt homini, ſi divinam lucem orando in animum ſuum aſſiduè non introducat? Hunc non ſolùm nihil egregium in animo habêre; ſed & ſanæ mentis expertem, & planè mortuum, vitaque carentem iudicat. Nam & Daniël emori maluit, quàm triduo dumtaxat ab orando arcêri, cùm prohibuiſſet Rex, nè quis intrà triduum quidquam ab ullo Deorum peteret, præterquam ab ipſo.

CAPUT II.

De duplici oratione, Mentali, & Vocali.

Oratio quid.

ORATIONEM autem paſſim audio ab omnibus definiri elevationem eſſe mentis in Deum. Nam & Sanctus Auguſtinus in ſermone 230. de tempore, cùm quæſiſſet, quid eſt oratio? Nihil aliud eſſe reſpondit, niſi aſcenſionem animæ de terreſtribus ad cœleſtia, inquiſitionem ſupernorum, inviſibilium deſiderium; Sanctus autem Bernardus in ſermone de quatuor modis orandi, vocis potiùs etymologiam tenens, noſtri oris rationem eſſe dixit orationem. Undè duplicem orationis formam habemus; ab Auguſtino Mentalem, à Bernardo Vocalem, illam mentis, hanc oris, & vocis. Sed & apud Auguſtinum utramque reperio, & apud Bernardum, ac cæteros omnes reperiri non dubito. Auguſtinus quippè in libro de Magiſtro capite primo monitum illud Chriſti, Matth. 6. Tu autem cùm oraveris intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora patrem tuum in abſcondito; de mentali prorſùs

Oratio duplex.

Oratio mentalis.

Digitized by Google

ſus oratione intellexit. [Non ob aliud, inquit, ,, nobis præcipitur, ut in clauſis cubiculis oremus, quo nomine ſignificantur mentis penetralia; niſi quòd Deus, ut nobis quod cupimus præſtet, docêri noſtra locutione non quærit.] Sed & ſtatim vocalem orationem adjungit, dicens: [Qui enim loquitur, ſuæ ,, voluntatis ſignum foras dat per articulatum ,, ſonum. Deus autem in ipſis rationalis animæ ſecretis, qui homo interior vocatur, & ,, quærendus, & deprecandus eſt.] Et Chryſ. homilia 8. ex varijs Matthæi locis; [Clauſo, ,, inquit, oſtio, id eſt intrà cordis, & conſcientiæ ipſius ſecretum, à Domino jubemur ,, orare. Religioſæ enim mentis eſt Deum, ,, non voce, vel ſono vocis, ſed devotione animi, ac fide cordis orare.] [Diffidere enim ,, de potentia Dei eſt (ait Ambr. lib. I. de Abel, ,, & Cain cap. 9.) æſtimare, quod non audiaris, niſi clamaveris: clament opera tua, clamet fides, clamet affectus. Audit in occultis, ,, qui mundat in occultis. Intra in cubiculum ,, tuum, cubiculum non incluſum parietibus, ,, quo tua membra clauduntur: ſed cubiculum, ,, quod in te eſt, in quo clauduntur cogitationes tuæ, in quo verſantur ſenſus tui.] Verùm ut duplex eſt verbum, ita duplex os, duplex vox; duplexque locutio; verbum mentis, & oris; os internum, & os externum, vox interior, & vox exterior, locutio interior cum Deo, voxq; exterior, quæ humanis audiatur auribus. Ita mentialis oratio vocem quoque ſuam habet, quâ cum Deo loquimur, nec carnis ſenſu auditur, ſed divinas penetrat aures. Et quæ vocalis auribus noſtris reſonat, mentis quoque attentionem poſtulat, alioqui ſi non attendis quid ores, oratio non eſt, ſed inanis, & vana locutio. Ita Sanctus Cyprianus in ſerm. de oratione Dominica: [Quando in ,, unum cum fratribus convenimus, & ſacrificia divina cum Dei ſacerdote celebramus, ,, verecundiæ, & diſciplinæ memores eſſe debemus; non paſſim ventillare preces noſtras ,, inconditis vocibus, nec petitionem commendandam modeſtè, Deo tumultuoſa loquacitate jactare; quia Deus non vocis, ſed cordis ,, auditor eſt, nec admonendus clamoribus eſt, ,, qui cogitationes videt. Quod Anna in I. Regnorum libro Eccleſiæ typum portans cuſtodit, & ſervat; quæ Dominum non clamoſa petitione, ſed tacitè, & modeſtè intrà ,, ipſas pectoris latebras precabatur.] Et iterùm pòſt; [Quæ ſegnitia eſt alienari, & capi ,, ineptis cogitationibus, & prophanis, cùm ,, Dominum deprecaris? Quaſi ſit aliud, quod ,, magis debeas cogitare, quàm quod cum Deo ,, loquaris. Quomodo à Deo audiri poſtulas, ,, cùm te ipſe non audias? Vis eſſe Deum tui ,, memorem cùm rogas; cùm tu ipſe memor ,, tui non ſis? Non infructuoſis, nec nudis precibus ad Deum veniamus. Inefficax petitio ,, eſt, cùm precatur Deum ſterilis oratio.] Et S. Hilarius in Pſal. 62. [Oratio non tam verborum eſt, quàm affectus.] Et S. Aug. ep. 109. ad monachas; [Pſalmis, & hymnis cùm ,, oratis Deum, hoc verſetur in corde, quod ,, profertur in voce.]

Oratio vocalis.

Propterea veteres monachos legimus apud Caſſianum in libro de nocturnarum orationum modo capite undecimo Pſalmos non continuatè, ſed interruptè ſolitos fuiſſe cantare, ad ſingulos verſus aliquantulùm meditando: non enim multitudine verſuum, ſed mentis intelligentiâ delectabantur juxtà illud Pauli I. Cor. 14. Pſallam ſpiritu, pſallam & mente. Atque admonuit quoque S. Bernardus in tractatu de vita ſolitaria ad fratres de monte Dei, non expedire multitudine Pſalmorum obruere intellectum, & exhaurire ſpiritum, vel extinguere; ſed quandiù ſobrius invenitur pietati afficiendum eſſe, & ſuo itinere dirigendum ad Deum. Et Dominum habemus doctorem, Matth. 6. Orantes nolite multum loqui, ſicut Ethnici; putant enim, quod in multiloquio exaudiantur. Hinc eſt, quod attentum in oratione animum omnes requirunt. Nam ut eſt apud Sanctum Joannem Chryſoſtomum homilia trigeſima in Gen. [Si lingua quidem ,, proferat verba (idem de mentali oratione intelligas) mens autem foris ſit, ſua tractans ,, negotia, & imaginans, quæ in foro agantur, ,, nulla nobis utilitas eſt: fortaſſis autem & ,, major condemnatio. Nam cùm ad homines ,, accedimus, tanto ſtudio curam noſtri agimus, ut propè ſtantes ſæpè numero non videamus; ſed colligimus mentem, & ad eum ,, ſolùm ſpectamus, quantò magis apud Deum ,, idem facere continuò congruit?] Ideò & Paulus dicebat; Orantes in omni tempore, orate, & ſpiritu, non linguâ tantùm, ſed & ſpiritu. Spirituales ſint veſtræ petitiones; & ijs, quæ dicuntur mens intendat. Atque hoc eſt, quod ſæpiùs nobis dicitur; Vigilate in oratione, interpretatione ejuſdem Chryſ. hom. 27. in epiſtolam ad Hebræos, non ut nocte tantùm ſurgamus ad orandum, ſed ut in die quoque ſobrij ſimus, & attenti in oratione: nam & poteſt quis nocte orans dormire, & in die vigilare, ſi anima fuerit intenta, & cogitet, cui loquatur, & quid dicat.

Pſalmodiæ modus.

Orationis attentio.

Ergò hæc oportet nunc diligenter ſeparare; meditationem, devotionem, orationem, & contemplationem. Meditatio namque ad intellectum pertinet; reliquæ ad voluntatem, & affectum. Meditatio Auguſtini definitione in libro de ſpiritu, & anima cap. 32. & 50. eſt occultæ veritatis ſtudioſa inveſtigatio.

Meditatio.

Devotio eſt pius, & humilis affectus in Deum ex conſcientia propriæ infirmitatis, & conſiderationæ divinæ clementiæ.

Devotio.

Ora-

Digitized by Google

Oratio. Oratio eſt mentis devotio, id eſt converſio in Deum per pium, & humilem affectum, quo ad illum confugimus, eumque nobis propitium precamur.

Contemplatio. Contemplatio demùm eſt jucunda perſpicuæ veritatis admiratio. Meditatione Deum & divina inveſtigamus, & ratiocinando invenimus; contemplatione admiramur, jucundè ac fruimur, devotione, & oratione cum illo de ijs tractamus, quæ ad bonum animæ ſtatum pertinent.

Lectio. Huc etiam revocari poteſt lectio, ſive ſacrarum ſcripturarum, ſive aliorum piorum librorum; quæ & intellectum inſtruit, & erudit de Deo, ac divinis, & affectum excitat. Quippè, ut loquebatur Auguſtinus in ſermone 112. de tempore; [Cùm oramus, cum Deo „ loquimur; cùm legimus, Deus nobiſcum lo„ quitur, geminumque confert donum lectio: „ nam intellectum erudit, & à mundi vanita„ tibus abſtractos ad amorem Dei perducit.]

CAPUT III.

De Oratione Dominica.

NARRAT Sanctus Lucas in Evangelica ſua hiſtoria capite 11. petijſſe aliquando diſcipulos à Chriſto; Domine doce nos orare. Quis enim præſumat ſcire ſe cum Deo pro dignitate tractare? Docuit ille orationem illam, quam explicatam magis habemus apud Matthæum cap. 6. cujus poſtremis verbis addiderunt Apoſtoli apud Clementem lib. 7. conſtit. cap. 25. quoniam tuum eſt regnum in ſæcula, Amen. Hanc Tertullianus in libro de fuga in perſec. cap. 2. legitimam orationem appellat; & in libro de oratione cap. 9. legitimam, & ordinariam. Præterquam tamen & alijs orationibus uti liceat, ſic enim habet: [Ab ipſo ordi„ nata religio orationis, quoniam tamen Do„ minus proſpector humanarum neceſſitatum, „ ſeorsùm poſt traditam orandi diſciplinam; „ Petite, inquit, & accipietis; & ſunt quæ „ petantur pro circumſtantia cujuſque; præ„ miſſa legitima, & ordinaria oratione quaſi „ fundamento, accidentium jus eſt deſiderio„ rum, jus eſt ſuperſtruendi extrinſecùs peti„ tiones.]

Oratio Baptizatorum. Eam ſoli baptizati orabant, ait S. Auguſt. in epiſt. 54. ad Macedonium, & libro ſecundo contrà Julianum cap. 3. Aliorum enim nullus audet dicere; Pater noſter, qui es in cœlis; cùm nondum adoptionis filiorum unctionem ſuſceperit, ut loquitur Theodor. in libro divinorum decretorum capite de pœnitentia; & Aug. lib. 1. de Symbol. cap. 6. Baptizatos autem illicò poſt Baptiſmum ſolitos fuiſſe recitare teſtatur S. Chryſ. hom. 6. in epiſtolam ad Coloſſ. [Confeſtim, inquit, atque à baptiſmate „ regreditur, hæc verba loquitur; Pater no„ ſter, qui es in cœlis, &c.] In Baptiſmo enim accipiebant eam dicendi poteſtatem, ut eſt in ſermone 119. de tempore apud Auguſtinum quamquam in h. 42. in lib. 50. homiliarum, non ſtatim, ſed antè Baptiſmum quidem eos recitâſſe Symbolum, poſt octo verò dies orationem hanc, affirmat. Undè nec Catechumeni ad orationem cum cæteris admittebantur; quia non poterant dicere; Pater noſter.

Breviarum Evangelij & orationum. In ea breviarum totius Evangelij comprehendi voluit Tertullianus lib. de oratione cap. 1. & continêri quidquid à Deo orando alijs verbis petimus; habet Aug. ep. 121. ad Probam cap. 12. & ſerm. 136. & 182. de tempore, & ſerm. 22. ad fratres in eremo, cùm enim ſeptem contineat petitiones tres primæ ad æternitatem pertinent; poſteriores quatuor ad vitam temporalem.

Remittit peccata venialia. Et cum ea remiſſionem venialium culparum obtinemus, ut pluribus in locis idem Auguſtinus tradidit; in enchir. cap. 71. & libro 21. de civitate Dei cap. 27. & libro de natura, & gratia cap. 35. & libro de perfectione juſtitiæ cap. 9. & libro 1. de ſymbolo cap. 6. & ſer. 31. de verbis Apoſtoli. Itaque in libro primo de nuptijs, & concupiſcentiæ c. 33. quotidianam noſtram mundationem nominat, & ſerm. 119. de tempore quaſi quotidianum baptiſmum; & libro 50. homiliarum h. 28. [His verbis, in„ quit (Dimitte nobis debita noſtra) lota fa„ cie ad altare accedimus, & his verbis lota „ facie corpore Chriſti, & ſanguine communi„ camus.] Alludit, opinor, ad illum orantium ritum; quo antè orationem manus lavabant, de quo pòſt dicetur. Itaque aliquos teſtatur in hom. 27. qui nolebant injurias inimicis ſuis dimittere, prætermiſiſſe illa orationis verba. Qui non vis, inquit, dimittere deviabis ab hoc verſu, ſicut qui occurrit creditori, aliò quærit divertere. In 4. Toletano Conc. c. 9. aliqui memorantur, qui eam non quotidiè, ſed ſolis dominicis diebus recitari volebant.

In miſſa recitabatur. Porrò hanc eandem orationem in Miſſæ quoque ſacrificio recitatam ſemper fuiſſe; tum ex verbis Auguſtini paulò antè recitatis colligitur (lota facie ad altare accedimus, & his verbis lota facie corpore Chriſti, & ſanguine communicamus) & conſtat ex homilia 42. ejuſdem libri; in Eccleſia ad altare Dei quotidie dicitur iſta oratio dominica, & audiunt iſtam fideles; & ex antiquis liturgijs, & Sancto Cypriano in tractatu de ea oratione; & Sancto Cyrillo Hieroſolymitano catech. 5. myſtag. & Chryſoſtomo hom. 27. in Gen. & Ambroſio in Miſſa, & lib. 5. de Sacramentis c. 4. & Optato libro 2. & Auguſtino ep. 59. ad Paulinum, & h. 42. ex libro 50. homiliarum, & ſer. 28. de verbis Domini, & alijs Patribus. Greg. verò objectioni Syracuſanorum

Digitized by Google

reſpondet, eam fuiſſe ſemper dictam: ita tamen, quòd apud Græcos diceretur à toto populo, apud Latinos à ſolo ſacerdote. Quam ob cauſam tradit Auguſtinus ſerm. 127. de tempore, fuiſſe rursùm dictam à populo ad communionem Euchariſtiæ accedente, quod arbitror fuiſſe factum, aut propter remiſſionem peccatorum venialium obtinendam, aut quòd in ea oratione petatur Euchariſtiæ panis ἐπιούσιος quare & à ſacerdote debebat in miſſa recitari, antequam communicaret. Et à Chriſto fuiſſe inſtitutum ſignificat S. Hieronymus libro 3. contrà Pelagianos c. 5. [Sic, inquit, Apo„ſtolos ſuos docuit; ut quotidie in corporis il„lius ſacrificio credentes audeant loqui: Pa„ter noſter, qui es in cœlis, ſanctificetur no„men tuum.] Ita non ſolùm confirmans id, quod quærimus: ſed etiam ad illa alludens verba, quæ orationi præmittimus; Præceptis ſalutaribus moniti, & divina inſtitutione formati audemus dicere; Pater noſter, &c. Quæ verba ſanctè præmittimus, nè arrogantes nimiùm videamur, dum Deum appellare patrem noſtrum audemus.

Et antè communionem Euchariſtiæ.

Non diſſimulabo quorumdam errorem, qui Apoſtolos crediderunt, præter conſecrationis verba nihil aliud recitâſſe in miſſa, quam orationem hanc Dominicam, verbis fortaſsè Sancti Hieronymi decepti, aut etiam Gregorij Papæ, quem certè ſatis mirari non poſſum, dum Apoſtolorum morem fuiſſe, ait, ut ad ipſam ſolummodò orationem oblationis hoſtiam conſecrarent. Nam præter liturgias Jacobi Apoſtoli, & Clementis Romani Apoſtolici viri; quæ multò ſunt prolixiores, & penè omnia illa continent, quæ habentur in Canone; hæc omnia tam ſunt antiqua, ut nullus autor primus inveniatur. Citantur enim à vetuſtiſſimis Patribus velut multò antiquiora, & in Eccleſia jam pridem uſitata. Quod certiſſimum eſt argumentum ab Apoſtolis ea fuiſſe inſtituta: ſed non eſt hic locus de hoc pluribus diſputandi.

CAPUT IV.

De Eccleſiæ orationibus pro vivis, & defunctis.

DICAM de cæteris orationibus, quibus Eccleſia, tum in ſacrificio, tum alijs temporibus utitur. Earum antiquitas ex Sanctis Dionyſio, Clemente, Juſtino in oratione ad Antoninum Pium, & Tertulliano in Apol. ſatis conſtat. Ferè enim omnes Chriſtianorum conventus teſtantur fuiſſe factos ad orandum. Et cùm pro diverſis offerretur ſacrificium, diverſæ quoque erant orationes, quæ pro illis recitabantur; pro ſalute, inquam, tam vivorum, quàm mortuorum. Conſueverant enim convenientes, ut cognoſcitur ex Pauli prima epiſtola ad Cor. cap. 16. offerre aliquid, undè & pauperes, & peregrini ſuſtentarentur, eratque arca in Eccleſia, in qua oblationes reponebantur, ut teſtatur Tertullianus, & principiò quidem nullus ſciebat, quantum quiſque poſuiſſet in arca, poſteà verò cœperunt Diaconi alta voce publicare, ut autores ſunt Innocentius primus epiſtola 1. ad Decentium, & S. Hieron. ad caput 18. Ezech. & 11. Jerem. ubi dolet, redemptionem peccatorum mutatam fuiſſe in laudem: quippè offerentium nomina ſcribebantur, & publicè recitabantur. Quod duas ob cauſas crediderim fuiſſe factum, tum ut illorum exemplo cæteri ad offerendum incitarentur: tum ut pro illis ſpecialiter orarent omnes, & offerrent ſacrificium. Apud S. Dionyſium in libro de Eccleſiaſt. hier. c. 3. legimus, & cùm ſe mutuò omnes ſalutaverint, ἱερῶν πτυχῶν id eſt ſacrarum tabularum recitatio fit. Erant duæ tabulæ, quæ δίπτυχα, καὶ πτύχα dicebantur, quarum una virorum nomina continebantur; tum eorum, pro quibus offerebatur; tum Epiſcoporum, qui in Eccleſiæ erant communione. Quare & in Concilio Chalcedonenſi Act. 11. cùm de Baſſiano diſputaretur, an legitimè factus eſſet Epheſi Epiſcopus, in favorem illius adfertur; in diptychis nomen illius fuiſſe poſitum, quod in aliorum communionem eſſet receptus. Et act. 14. in ep. Cyrilli, & Procli nomen Athanaſij Epiſcopi ab ipſius Clericis, de ſacris diptychis fuiſſe ablatum. & in ep. ad orientales Epiſcopos quærit Gelaſius Papa: Nunquid omnes Imperatoris nomen ex diptychis abſtulerunt? Sed & in ep. Juſtini Imperatoris ad Hormiſdam Papam de quorundam nominibus è ſacris diptychis auferendis eſt ſermo. Et in Juſtiniani Imperatoris edicto Theodori nomen in Mopſueſtena Eccleſia deletum fuiſſe è ſacris diptychis narrat, & Zoalum Alexandrinum Epiſcopum diptychis exemplum exprobrat Theodoro in illius damnatione Vigilius Papa. Mitto plurima his ſimilia in 5. & 6. Synodis Conſtantinopolit.

Orationes Chriſtianorum. *Arca in Eccleſia.* *Sacræ Tabulæ.*

Alteri tabulæ defunctorum nomina inſcribebantur. Undè duplicem opinor derivatam commemorationem; tum vivorum, tum mortuorum, quæ fit in Miſſa. Ex quo obiter illud intelligas, quod de Chryſoſtomi nomine oblitterato, & rursùm relato in ſacras tabulas referunt Theodor. Nicephorus, & alij, & quod prohibet S. Leo ep. 40. & 46. nè quorundam Epiſcoporum, qui ſe à communione ſeparaverant, ad altare nomina recitarent. Et Sanctus Cypr. in ep. 14. libri 4. dolet, quòd lapſorum quorundam nomina nimis citò offerentur.

Duplex commemoratio in miſſa.

Pro omnibus verò, tum vivis, tum defunctis, atque adeò pro tota Eccleſia, oblatum ſemper fuiſſe miſſæ ſacrificium, & nominatim pro Imperatore, ejuſque ſalute; teſtantur S. Athan. non ſemel in apologia ad Conſtantium,

Miſſa pro vivis.

tium, Baſilius, & Chryſ. in ſuis liturgijs, & Euſebius lib. 4. de vita Conſtantini c. 45. pro Regibus, & quibuſvis Principibus, Cyrillus Catech. 5. Myſtag. Ambroſius libro quarto de Sacramentis c. 4. immò & Paulus 1. Tim. 2. Pro pace, pro militibus, ſocijs, ægrotis, & afflictis, Cyrillus; Pro conjugatis, Tertullianus libro 2. ad uxorem c. 5. Pro infirmis, & pro frugibus terræ, & rebus omnibus, Chryſ. h. 77. in Jo. Pro Eccleſiarum fundatoribus, idem Chryſ. hom. 18. in Acta Apoſtolorum. Pro converſione peccatorum, idem homilia tertia ad Philippenſes. Pro Catechumenis, & infidelium converſione, Auguſt. epiſtola 107. ad Vitalem. Pro Judæis, hæreticis, ſchiſmaticis; & pœnitentibus, Aug. ſive Gennadius in libro de Eccleſiaſticis dogmatibus c. 30. & Chryſ. homilia de Adam, & Eva. Pro ijs, qui erant in carcere, & perſecutiones patiebantur propter fidem, Cyprian. ep. 4. lib. 2. Pro dæmonis vexatione, Aug. lib. 22. de civ. Dei c. 8. Fuitque conſuetudo, ut Sacerdotibus ſe commendarent, qui erant celebraturi; quemadmodùm Ambr. epiſt. 5. commendat ſe ſacrificijs Fœlicis Epiſcopi. Denique pro toto orbe terrarum: nec pro illis modò, qui antè nos fuerunt; ſed & pro illis, qui poſt nos futuri ſunt, Chryſoſtomus hom. 26. in Matthæum.

Miſſa pro mortuis.

Conſuetudinem autem offerendi pro mortuis, præter Chryſ. eo loco, h. 32. in eundem, & h. 21. in Acta, & 27. & 41. in priorem ep. ad Cor. & 3. ad Philip. & 69. ad populum, tradiderunt Clemens Romanus 8. libro conſtit. & Tertull. lib. de corona militis c. 3. & in exhortatione ad caſtitatem c. 11. & lib. de monog. c. 10. non ſemel, ſed ſingulis annis id vult agi; hocque argumento conatur perſuadêre, mortua prima uxore non eſſe ducendam aliam, ut orationibus, & ſacrificijs pro anima illius offerendis vaces. Cyprianus epiſtola prima ad Cornelium; [Si quis hinc noſtrûm prior di-„ vinæ dignationis celeritate præceſſerit; per-„ ſeveret apud Deum noſtra dilectio; pro fra-„ tribus, & ſororibus apud miſericordiam Pa-„ tris non ceſſet oratio.] Et epiſt. 9. libri primi, decretum profert antiquorum Patrum, nè offerretur oblatio, aut ſacrificium pro dormitione illius, qui moriens ad tutelam, vel curam clericum nominâſſet; & ita agendum cum Victore, qui nominaverat.

Ex quibus manifeſtum eſt, antiquiſſimam eſſe conſuetudinem orandi, & ſacrificandi pro mortuis. Quod etiam ex Epiphanio conſtat hær. 75. & in epit. atque ab Apoſtolis fuiſſe conſtitutam confirmat Chryſ. Aug. certè, ut eſt in 9. libro confeſſ. c. 12. ſtatim pro mortua matre ſacrificium offerri voluit; quod eam petijſſe antequam moreretur, c. 11. & 13. teſtatur. Ambroſius quoque in oratione funebri de obitu Valentiniani pollicetur ſe pro Gratiano, & Valentiniano mortuis frequentaturum oblationes. Et Joan. Damaſcenus in ſerm. de hac re, Athanaſij utitur teſtimonio, qui & oleum, & ceram voluit ad ſepulchrum accendi, & incruentæ hoſtiæ propitiatoriam celebrari. Et Auguſtinus ſermone 32. de verbis Apoſtoli, & libro de cura pro mortuis agenda, confirmat fuiſſe ſemper totius Eccleſiæ conſuetudinem, nec mortuos dubitandum ſacrificijs illis adjuvari. Quod hoc argumento Sanctus Cyrillus Hieroſolymitanus oſtendit; [Si „ Rex aliquis, inquit, eos, à quibus offen-„ ſus eſt, in exilium pepulerit: poſteà verò „ illorum propinqui coronam aliquam confi-„ cientes pro his, qui ſunt in ſupplicio, exu-„ libus, eidem offerant; nonnè condonatio-„ nem aliquam ſuppliciorum ipſis dediderit? „ Ad eundem modum, & nos pro defunctis „ Chriſtum pro noſtris peccatis mactatum of-„ ferimus, ut & nobis, & illis eum, qui beni-„ gniſſimus eſt, propitium reddamus.]

Mortuos orationibus juvari.

Quo loco tria dumtaxat adnotabo. Primum eſt à Chryſoſtomo traditum h. 3. in ep. ad Phil. & 69. ad populum; pro reliquis quidem mortuis Chriſtianis fuiſſe oratum, & ſacrificatum; pro Catechumenis autem non item; ſed datas ſolùm eleëmoſynas.

Pro catechumenis eleëmoſynæ.

Alterum eſt; conſuetudinem illam ſacrificandi pro mortuis, eò uſque progreſſam fuiſſe, ut debuerit temperari: nam & homines populares panem, & vinum ad eorum comportabant ſepulchra, pro quibus volebant ſacrificari. Reprehendit hoc S. Aug. in libro de moribus Eccleſiæ c. 34. & ſermone 15. de Sanctis, & lib. 8. de civit. Dei c. 27. & matrem ſuam fuiſſe aliquando ab Eccleſia pulſam, quòd ad cujuſdam defuncti ſepulchrum oblationes offerret, teſtatur in 6. libro confeſſ. c. 2.

Panis & vinum ad ſepulchra.

Ex eadem verò conſuetudine alius irrepſit error, ſacrificandi, & celebrandi miſſas pro mortuis, etiam poſt prandium, ſi tunc mortui fuiſſent. Qui error damnatus fuit in Concilio tertiò Cartaginenſi c. 29. & Aphricano c. 8. & Bracaren. 1. c. 16. & 2. c. 10. ſtatutumque ut ſi cujus defuncti commendatio facienda eſſet pro meridiano tempore, ſolis orationibus fieret abſque ſacrificij oblatione.

Miſſa poſt prandium.

Tertium eſt conſuetudinem illam offerendi pro defunctis eò uſque invaluiſſe, ut ep. 5. libri 4. ſcripſerit S. Cypr. oblatum quoque fuiſſe pro martyribus, qui in fidei confeſſione moriebantur: [Sacrificia, inquit, pro eis ſemper offe-„ rimus, quoties martyrum paſſiones, & dies „ anniverſaria commemoratione celebramus.] Quæ verba non ita accipias, acſi pro illis offerretur ſacrificium, ut à peccatis ſolverentur, quemadmodùm offertur pro cæteris. Non enim ignoravit Cyprianus, immò in epiſtola 4. lib. 2. & alijs in locis expoſuit, eos ſtatim migrare ad complexum, & oſculum Domini;

Miſſæ pro martyribus.

Digitized by Google

& illo ipſo in loco eos, ait, palmas, & coronas commeruiſſe. Et S. Aug. tract. 84. in Jo. & ſer. 17. de verbis Apoſtoli, Eccleſiæ tradit conſuetudinem non fuiſſe orare pro martyribus, ſicut pro cæteris defunctis etiamſi illorum nomina ad altare recitarentur: [Injuria „ enim eſt pro martyre orare, cujus nos debe„ mus orationibus commendari.] Verùm duobus modis poſſunt exponi. Altero ut non pro illis, ſed in illorum honorem offerretur ſacrificium, quo modo interpretatus eſt Auguſtinus. Neque aliter intelligitur id, quod in Græcorum liturgijs offerri dicitur pro omnibus Sanctis, qui Deo placuerunt, hoc eſt, in eorum honorem, & commemorationem; ut S. Cyrillus Hieroſolymitanus expoſuit. Immò ipſemet Cyprian. epiſt. 6. libro 3. cùm dixit; Dies eorum, quibus excedunt, adnotate, ut commemorationes eorum inter memorias martyrum celebrare poſſimus. Undè ortum habuerunt

Martyrologia undè.

martyrologia, quæ vocantur in Eccleſia: & Romæ conſtituti erant Notarij, qui martyrum geſta deſcriberent: quòd Clementi Romano tribuit Damaſus, alij Fabiano. Altero modo id poteſt intelligi; ut non pro illis dixerit ſacrificandum, qui pro Chtiſto occubuiſſent; ſed pro ijs, qui cum eſſent ad martyrium parati, in pace tamen obijſſent perſecutionis tempore. Hos enim ipſos ſolet Cypr. martyres appellare, ut cognoſci poteſt ex epiſtola 6. libri 2. & ſecunda libri 4. & exhortatione ad martyrium, alijſque locis; ſunt etiam qui pro illis quidem, qui in martyrio occubuiſſent, ſacrificandum interpretentur: ſed ſolùm ad agendas Deo gratias.

CAPUT V.

De orationibus Miſſæ.

PRo omnibus dictum eſt oràſſe ſemper Eccleſiam. Et S. Jo. Chryſoſt. h. 2. in poſteriorem epiſtolam ad Cor. verba recitat dici à diacono ſolita; Oremus pro catechumenis: proque illis, atque alijs dictas fuiſſe teſtatur orationes in miſſa; & hom. 72. in Matt. trium meminit orationum; primæ pro energumenis, ſecundæ pro pœnitentibus, tertiæ pro ipſomet Sacerdote celebrante: & hom. 51. ad populum, pro alijs pluribus rebus. In omnibus item liturgijs, Clementis, Baſilij, Chryſoſtomi, & Ambroſij plurimæ ſunt orationes, ex quibus illud confutatur, quod Amalarius in prologo, & Micrologus c. 4. unicam docuerunt recitari debêre orationem. Accedit, quòd Paulus in priore ad Tim. c. 2. fieri vult obſecrationes, orationes, poſtulationes, Euchariſtias pro omnibus hominibus, ac præſertim pro Regibus, & omnibus, qui in ſublimitate ſunt. Quod Sancti Chryſoſtomus, Ambroſius, & Auguſtinus epiſtola quinquageſima nona intellexerunt de orationibus, quæ recitabantur in miſſa. Immò quia Paulus quatuor diverſis uſus eſt vocibus, quatuor Auguſtinus orationum diſtinxit genera; & δεήσεις quidem interpretatus eſt orationes, quæ dicuntur antequam ad conſecrationem veniatur: προσευχὰς autem eas, quæ dicuntur, cùm id, quod eſt in menſa Domini, benedicitur, & conſecratur, quæque oratione dominica concluduntur εὐχὴ enim votum ſignificat, ideò προσευχὴν dictam putat orationem illam, quæ ad votum recitatur, id eſt, ſimul cum re, quæ Deo vovetur, & offertur. ἐντεύξεις verò cùm populus benedicitur, nempè cùm ſuprà populum aliqua oratio dicitur, ut in quadrageſima cùm dicitur; Humiliate capita veſtra Deo. Denique εὐχαριστίας cùm gratiarum actio cuncta concludit: quod orationibus illis fit, quæ poſt communio dici ſolent. Theodoretus autem, & Oecumenius δεήσεις expoſuerunt orationes, quæ fiunt ad depellenda imminentia mala; προσευχὰς, quibus oramus pro ijs, qui nos perſequuntur; ἐντεύξεις, quibus bona petimus, & εὐχαριστίας quibus ob accepta gratias agimus. Non ineptè mea ſententia interpretabimur δεήσεις orationes, quibus neceſſaria petimus. Δέομαι namque idem valet, quod indigeo, & opus habeo, & δεητικὸς precatorium, & ſupplicem ſignificat. Προσευχὰς autem, quibus aliquid aliud boni nobis poſtulamus. Nam εὔχεσθαι eſt orare, undè προσευχὴ erit quaſi addeprecatio ἐντεύξεις porrò ſupplicationes, ſeu publicas orationes ſignificat, propriè enim congreſſus eſt, colloquium, & oratio, quæ publicè fit, & cum alijs. Undè quia oratio maximè omnium publica eſt ea, quæ fit in miſſa, hac voce potiſſimum oratio miſſæ ſignificabitur. Cæterùm εὐχαριστίας neſcio quàm propriè interpretari. Hoc loco liceat gratiarum actiones: ſi quidem non ſatis propriè dicimur agere gratias pro Regibus, & principibus, ſed pro victoria, aliavè re benè geſta. Malim ea voce Miſſam ſignificari, quæ magna ex parte gratiarum conſtat actione, ut monuerit Epiſcopum Paulus, ut pro Regibus potiſſimum, & principibus miſſæ ſactificium offerret. Putàrunt tamen S. Chryſ. & Theophilactus omnes illas voces idem ſignificare, fuiſſeque ab Apoſtolo conjunctas, ut major eſſet vis ad perſuadendum. Quidquid ſit, indè habemus orationum uſum antiquiſſimum, & Apoſtolicum. Immò verò permiſſum aliquando fuiſſe uſum quarumcunque orationum, multoſque Sacerdotes recitàſſe orationes, quas ipſimet compoſuiſſent; ex Concilijs conſtat, Chartagin. 3. c. 23. & Milevit c. 12. & Aphricano c. 70. quibus cautum eſt, nè ampliùs recitarentur, niſi probatæ fuiſſent in ſynodo, hoc eſt, ab Eccle-

fia,

Digitized by Google

ſia, tum nè daretur erroris occaſio, tum quia ut ſunt orationes communes, ita debent eſſe certæ, & fixæ,& à communi Eccleſiæ conſenſu profectæ.

CAPUT VI.

Cur hæ orationes collectæ dicantur.

CUR autem collectæ appellentur hæ orationes, ſive appellantur à S. Ambr. ſer. 50. feria 5. hebdomadæ ſanctæ. Ea fuit ratio Vualafrido c. 22. quòd in illis colligantur breviter petitiones rerum nobis neceſſariarum: & ea Mierologo cap. 3. & Innocentio III. libro ſecundo de Myſter. miſſæ c. 27. quod in eis ſacerdos colligeret omnes orationes populi totius,eaſque offerret Deo. Et Caſſianus libro de nocturnarum orationum modo c. 7. quia orationem, & precem colligunt, id eſt, concludunt. Alijs verò quòd recitarentur, dum populus in Eccleſia colligebatur; aut ſuper collectam populi, hoc eſt poſtquam populus erat in Eccleſia collectus, & quaſi in ordinem redigebatur ad faciendam proceſſionem ab una Eccleſia ad aliam. Alij quòd dum eæ dicerentur,ſtips colligeretur ad egenos ſublevandos. Duæ fortaſſe priores rationes probari poſſunt; ſed alia mihi eſt probabilior: ea enim vox apud prophanos autores prima impoſitione ſignificavit id, quod alia voce latinè dicitur Symbolum. Cicero in tertio libro de oratore collectam à conviva exigis; collectionem, inquam, pecuniæ, quam quiſque ſolvit, & in commune ponit ad cœnam, aliudve agendum. Undè collectæ poſteà dictæ ſunt vectigalia, & ſtips, quæ viritim, aut ſingulatim colliguntur, & collectores, ſeu collectarij vocati ſunt illi, qui colligebant in lege. Quiſquis C. ſi certum petatur. Et Chriſtianis maximè collectionem eam ſignificavit, quæ fiebat in uſum pauperum; ut manifeſtum eſt ex Paulo in priore ad Cor. epiſt. capite 16. & Romano Clemente libro quarto conſtit cap. 8. Hinc verò traducta eſt ſignificatio ad hominum quoque congregationem, à convocando, inquam, & colligendo homines; quam congregationem Eccleſiam, ſeu ſynagogam vocant. Ita collectam legimus Lev. 23. & Deut. 16. & 2. Paral. capite 7. & 2. Eſdræ capite 8. & apud noſtros, in tripar. hiſt. libro 6. capite 32. & libro 9. cap. 38. & Origen. homilia 10. in Gen.& S. Hier. in Epitaphio Paulæ c. 10. Puto etiam congregationes haſce à Latinis dictas fuiſſe collectas, ſicut à Græcis dicebantur Synaxes. Quare cùm in his congregationibus, & Synaxibus præcipuum eſſet celebrare Euchariſtiam, & miſſas facere; indè factum eſt; ut celebrare collectam diceretur, pro eo quod eſt miſſam facere, aut ad eam celebrandam convenire. Si enim Sanctus Auguſtinus in breviculo collationum cum Donatiſtis, in collatione tertiæ diei, Epiſcopos Catholicos refert, ut oſtenderent, potuiſſe perſecutionis tempore celebrari Concilium, reſpondiſſe; faciliùs potuiſſe paucos homines convenire, quàm plebium congregationes fieri: & tamen martyres confeſſos fuiſſe, in paſſionibus ſuis ſe collectam, & dominicum egiſſe, hoc eſt ad ſynaxim, & miſſas conveniſſe. *Dominicum agere.* Dominicum enim vocabant Euchariſtiam, & Corpus Chriſti; & dominicum agere, eſt miſſam facere. Aliquando etiam hæc vox templum ſignificavit; in quo fiebat miſſa. [Dominicum, inquit Cyprianus ſermone de eleëmoſyna, locuples, & dives matrona celebrare te credis, quæ corbonam omninò non reſpicis, quæ in dominicum ſine ſacrificio venis; quæ partem de ſacrificio, quod pauper obtulit, ſumis.] Et Hilarius in libro ad Conſtantium Auguſtum, è Dominico ad Palatium tranſeunt. Sed quoniam maxima congregatio erat ad miſſam celebrandam, verbum (colligere, & σμυάγειν) abſolutè poſitum cœpit uſurpari pro miſſas facere. *Colligere. σμυάγειν.* Quod ex Tertulliano intelligas ſub finem libri de fuga in perſecutione: [Quomodo, inquit colligemus? Quomodo Dominica ſolemnia celebrabimus?] Et ex Apoſtolorum can. 32. quo prohibetur, nè ullus presbyter abſque Epiſcopi conſenſu colligat; hoc eſt miſſas faciat, & altare erigat; græcè autem eſt verbum σμυάγειν. Ut enim apud Latinos concio primùm dicta eſt hominum conventus; deindè etiam oratio, quæ ibi habebatur: ita ſynaxis, ſeu collecta primùm dicta eſt congregatio populi, deindè miſſa, tum verò oratio, quæ in ea pro toto fiebat populo; ſicut etiam Origenes homilia prima in Iſaiam; legitur, inquit, in collecta, quæ ſequitur, &c. Hæc igitur fuit cauſa, cur orationes eæ dicerentur collectæ; quod communes eſſent pro toto populo, atque in communi illius conventu, & collectione fierent. Sed collectæ hæ, & congregationes populi, aut integræ erant, aut non integræ. In his orationes tantùm, & conciones fiebant, in illis miſſæ quoque ſacrificium offerebatur, & Chriſti Corpus à præſentibus ſumebatur;ideòque Dominicum quoque vocabantur.

CAPUT VII.

De illarum Concluſione.

QUOD autem eas concludamus, dicentes: Per Dominum noſtrum &c. novum non eſt,ſed antiquiſſimum in Eccleſia. *Per Dominum noſtrum &c.* S. Ambroſ. lib. 6. de ſacramentis cap. ultimo: [Audi, quid dicat Sacerdos,Per Dominum noſtrum Jeſum

„ Jeſum Chriſtum,in quo tibi eſt,cum quo tibi „ eſt honor,laus,&c.] Et propterea in lib. 5. c. 1. illum ait eſſe primum, & noviſſimum : primum , quia eſt autor omnium , noviſſimum, non quòd finem inveniat , ſed quòd univerſa concludat. Et S. Bern. in libro de natura , & dignitate amoris divini cap. 10. [In omnibus „ orationibus noſtris ſubijcimus ; Per Chri- „ ſtum Dominum noſtrum , vel quia omnes „ ad Patrem dirigimus per eum tanquam per „ mediatorem noſtrum , vel quia quidquid „ petimus à Patre , per ipſum petimus nobis „ infundi.] S. Proſper exponens illa verba Pſ. 108. Oratio eius fiat in peccatum. Judam ſcribit non potuiſſe orare per eum, quem vendidit : orationemque quæ non fit per Chriſtum, non ſolùm non poſſe delêre peccatum , ſed ipſam quoque fieri ad peccatum ; ſed quid pluribus moramur ? cùm Paulum habeamus , qui in poſteriore ad Cor. epiſt. cap. 1? Quotquot, inquit , promiſſiones Dei ſunt , in illo Est : ideò & per ipſum , Amen Deo , ad gloriam noſtram. Quibus etiam verbis rationem ejus exponit ; quia omnes promiſſiones Dei implentur , & habent effectum per Chriſtum; idcircò illum , & ejus merita Patri proponimus , ad quem omnes penè orationes diriguntur , quemadmodùm & ipſemet Chriſtus docuit Matt. c. 6. cum dixit ; Sic orabitis ; Pater noſter, qui es in cœlis. Et propterea decretum puto in Concilio Chartagin. 3.cap.23. ut cùm ad altare aſſiſtitur, ad Patrem ſemper oratio dirigatur.

Poſteà tamen propter Arianam hæreſim directa interdum eſt ad Filium , & oratio concluſa illis verbis : Qui vivis & regnas cum Deo Patre &c. Docuit etiam nos Chriſtus Jo. 15. & 16. petere à Patre in ipſius nomine , ut impetremus. Et Joannes ep. 1. cap. 2. nos dixit habêre advocatum illum apud Patrem.

Amen. Concluſa porrò oratione per Chriſtum , populus reſpondet , Amen. Quod non ſolùm ex veteri teſtamento acceptum eſt pluribus in locis : ut Num. 5. Deut. 27. 3. Reg. 1. & alibi : ſed ex novo quoque, Luc. 24. Erant ſemper in templo laudantes , & benè dicentes Deum , Amen. Et Paulus ita ſæpè concludit in omnibus ſuis epiſtolis , & Jacobus , & Petrus , & Joannes. Jamque eo tempore fuiſſe uſitatum in Eccleſijs ita reſpondere, oſtendunt illa Pauli verba in priore ad Cor. cap. 14. Si benedixeris ſpiritu, qui ſupplet locum idiotæ : quomodo reſpondebit ; Amen , ſuper tuam benedictionem ? quoniamquid dicas , neſcit. Et ſuo tempore factum teſtantur S. Juſtinus, in or. ad Antoninum, & Iren. lib. 1. c. 10. & Tertul. in libro de ſpectaculis cap. de munere, & Epip h. hæreſi 34. & Jo. Chryſ. extrema hom. in Pſal. 105. & Ambr. in Pſalmum 40. & antè hos omnes Areopagita in libro de Eccleſiaſtica hier. cap. 2. [Univerſa Eccleſia di- „ cendo ; Amen , preces complevit.] Atque hoc nomine laudavit Romanos Hier. in prooemio 2. libri commentariorum in epiſtolam ad Gal. quòd ad ſimilitudinem cœleſtis tonitrui Amen in Eccleſijs reboäret. Et Aug. in pſal. 107. Vitalem Pelagianum hominem urget ; „ [Nunquid ubi audieris Sacerdotem ad altare „ populum hortantem ad Deum orandum , vel „ ipſum clara voce orantem, ut incredulas gen- „ tes ad fidem ſuam venire compellat , non re- „ ſpondebis ; Amen ?]

De vocis autem vi , & ſignificatione convenit inter Juſtinum , Chryſ. Hieronymum, *Amen quid.* Auguſtinum , & alios , Hebræam eſſe vocem, & ſignificare confirmationem , ſeu approbationem ejus, quod dicitur, aut petitur. Itaque duobus modis uſurpatur , aut tanquam affirmatio , ſeu juramentum ejus , quod dicitur ; quo modo ſæpè uſus eſt Chriſtus , cùm dixit : Amen dico vobis ; aut tanquam reſponſio , ſeu concluſio ad aliquid , quod fuerit dictum ; quemadmodùm in orationibus Eccleſiæ , de quibus eſt ſermo. Septuaginta interpretes , & Juſtinus eam vocem græcè reddiderunt γένοιτο quam ob cauſam in fine Pſ.41. ubi Hebræi dicunt ; Amen , amen ; nos legimus : Fiat , fiat. Quod eo loco adnotârunt Amb. & Hier. & idem Hier. in ep.134. ad Sophronium,& 137. ad Marcellam, Aquila , quem Hier. fidum interpretem vocat , & apud eundem in extremo libro 3. commentariorum in epiſt. ad Galatas. Symmachus quoque , & Theodotio , verterunt πεπιστωμένως , id eſt fideliter : quo modo etiam expoſuit Ambroſius libro 4. de fide cap. 3. ſed idem Ambr. in libro de initiandis cap. 9. & 4. libro de Sacramentis cap. 5. & ad caput 14. prioris epiſtolæ ad Cor. & Aug. libro 15. contrà Fauſtum cap. 9. & tract.41. in Jo. interpretantur ; Verùm & Anſel. in caput 16. 1. Cor. & in caput 3. ep. ad Eph. & cap. 6. 1. Tim. & 13. ad Hebr. & 1. Apoc. verè , & fideliter , & Com. ultimo in Apoc. ſine defectione. A enim ſine , Mene defectio dicitur ; omnia probat Hier. Ego ex re , de qua eſt ſermo , mutari non nihil ejus ſignificationem arbitror ; & ſi aliquid petatur , ſignificare fiat, & approbationem rei , quæ petitur , cùm affectu conjunctam. Quod Ambroſius quoque ſignificavit in com. notati Pſalmi ; & devotæ confeſſionis reſponſionem vocavit Hilarius in Pſalmum 65. Sin autem ſit ſola locutio, ſeu propoſitio , & explicatio rei , quæ dicitur , aut narratur , aut promittitur , ſignificare verum, ſeu fideliter : [Cùm Sacerdos , inquit , bene- „ dicit , populus reſpondet , Amen , confir- „ mans benedictionem , quam ſibi , & plebi „ Sacerdos à Domino deprecatur.] Quare & confirmationis verbum appellat.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT VIII.

Orationem in Eccleſia potiorem eſſe.

PRÆTER orationes tamen haſce communes, quæ publicè in Chriſtianorum conventibus recitabantur, fuerunt ſemper privatæ quoque, quibus quiſque ſeorſim Deum precabatur, ſive pro privatis ſuis neceſſitatibus, ſive pro cujuſque pietate, ac devotione. De Jacobo Apoſtolo ſcribunt Sancti Hieronymus in libro de ſcriptoribus Eccleſiaſt. & S. Jo. Chryſ. hom. 5. in Matt. propter longum, & crebrum orationis ſtudium ita illi genua obduruiſſe, & frontem, genuflexione ſcilicet, & corporis ad pavimentum proſtratione, ut camelorum duritiem imitarentur. Neque credendum eſt tam longam, & crebram orationem fuiſſe ſemper in templo, & cum Chriſtianis cæteris: ſed & ſolitarij hominis, tum in privatis ædibus, tum in omni loco. Nam & Chriſtus ſecedebat oraturus ad montes, in illiſque pernoctabat in oratione Dei. Et in priore ad Tim. c. 2. vult Apoſtolus nos orare in omni loco levantes puras manus, ſine ira, & diſceptatione.

Audianos, refert S.Epiph. hær. 70. non feciſſe preces cum aliquo, etſi probatus videretur, nec haberet quidquam quod accuſari poſſet. Qui Zachæi quoque hæretici hominis fuit error, eodem teſte in epitome, & in Anacephaleoſi. Negare tamen non poſſumus, communem, & publicam orationem in templis, lociſque ſacratis ſanctiorem eſſe, virtutiſque majoris: tùm propter loci ſanctitatem, Euchariſtiæque præſentiam, tùm propter orantium multitudinem. Nam ſi Matth. c. 18. pollicitus eſt Dominus; Si duo conſenſerint, de omni re quamcunque petierint, fiet illis à Patre meo; quid tantæ multitudini uno animo, & communibus votis oranti? [Oratio communis totius Eccleſiæ (inquit S. Leo in ſer. 3. de jejunio ſeptimi menſis) efficacior, quàm privata.] Et Sancti Ambroſius, & Anſel. ad caput 15. epiſtolæ ad Rom. Multi in unum dum congregantur unanimes, fiunt magni, & multorum preces impoſſibile, ut non impetrent. Et S. Petrus Chryſologus in ſer. 132. cùm illa Domini verba commemoraſſet: [Ubi ſunt, ait, qui præſumunt Eccleſiæ conventum, poſſe contemni, & ſolitarias preces venerandæ congregationi autumant anteferri. Si duobus, vel tribus ſimul poſitis medium ſe futurum, & omnia ſe promittit, quæ poſtulatus fuerit præſtaturum: qui nihil negat tam paucis, quid in concilijs, & congregatione Sanctorum poſcentibus denegabit?] Modò (ut antè dixit) ſalva ſit ea cautela, & reverentia, ut à Deo, quæ Deo digna ſunt, poſtulentur. Qui enim mala à Deo poſtulat, Deum mali judicat, & ſentit autorem. Iſaac egreſſum ad meditandum in agro, inclinata jam die Gen. 24. figuram putat S. Hier. in tradit. Hebr. in Gen. fuiſſe Domini, qui ſolus orabat in monte. Nos non negamus Chriſtum oraſſe in monte, atque in ſolitarijs quoque locis orare nos privatim poſſe; ſed efficaciorem in Eccleſia orationem eſſe contendimus. [Majora enim (loquitur Chryſ. hom. 37. in Acta) poteſt communitas Eccleſiæ, quæ per ſe ipſum nullus poteſt, cum alijs poteſt. Propterea maximè neceſſariæ ſunt preces hoc loco, pro univerſo orbe, pro Eccleſia, pro pace, pro his, qui in calamitatibus, &c.] Et homilia 79. ad populum utitur argumento ex Apoſtolorum Actis c. 12. [Vis, inquit, diſcere, quanta ſit orationis in Eccleſia factæ potentia? Vinctus olim erat Petrus, multiſque circumdatus catenis: oratio autem fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſia pro eo; & ſtatim eum à carcere liberavit. Quid hac oratione potentius, quæ columnam, & Eccleſiæ turrim adjuvit?] Et homilia 3. de incompreh. natura Dei. [Etſi domi quoque datur orandi facultas, tamen fieri non poteſt, ut domi tam benè ores, quàm in Eccleſia; ubi tot Patres, ubi clamor fœlici ſocietate exitus ad Deum immortalem refertur: non pariter exoras, cùm ſolus Dominum obſecras. Eſt enim in hoc plus aliquid concordia, conſpiratio, copula amoris, & charitatis, Sacerdotum clamores. Præſunt enim eam ob rem ſacerdotes, ut populi orationes, quæ infirmiores per ſe ſunt, validiores illas complexæ ſimul in cœlum evehantur.] Sanè fuit ſemper aliquis locus orationi publicæ dicatus, & in veteri lege ad templum ibant ad orandum Judæi, aut certè ad illud reſpiciebant, ut legimus de Daniele capite 6. & Chriſtus vocat domum ſuam domum orationis, Matth. c. 21. & Petrus aſcendiſſe ad templum, ut oraret, legitur in Actis Apoſtolorum; & in Eccleſia quoque ſemper propria fuerunt templa, propter ſacrificia ſcilicet, & orationes. Quamquam in oratione privata majus eſſe fidei exercitium ſcripſerit Sanctus Cyprianus in ſer. de oratione Dominica; dum Deum credimus ubique præſentem eſſe, atque in abditiſſimis quoque locis audire nos, & videre.

Atque in oratione publica, & communi, magnoperè verendum eſt modeſtiæ; nè altiori voce, & verborum ſtrepitu turbentur omnia. [Quando in unum cum fratribus convenimus, ait idem Cyp. & ſacrificia divina cum Dei ſacerdote celebramus, verecundiæ, & diſciplinæ memores eſſe debemus; non paſſim ventilare preces noſtras inconditis vocibus, nec petitionem commendandam modeſtè,

„ deſtè, Deo tumultuoſa loquacitate jactare. „ Quia Deus non vocis, ſed cordis auditor eſt, „ nec admonendus eſt clamoribus, qui cogita- „ tiones videt. Cogitemus nos ſub conſpectu „ Dei ſtare. Placendum eſt divinis oculis & „ habitu corporis, & modò vocis. Nam ut im- „ pudentis eſt clamoribus ſtrepere; ita con- „ gruit verecundo modeſtis precibus orare.] S. Greg. Nyſſen. in libro de vita Moyſeos, & S. Chryſ. lib. 3. de providentia dictum notant fuiſſe à Deo tacenti Moyſi Ex. 14. Quid clamas ad me? ut moneret ſonoram eſſe illam vocem, & uſque ad divinas aures magnitudine ſua pervenire, quæ non contentione clamoris, ſed puritate cordis ſua meditatione concipitur. Et S. Ambr. lib. 6. de Sacramentis cap. 4. eos, qui vociferantur orantes, injuriam vult Deo facere, quaſi ſit ſurdus, & corda non ſcrutetur. Et homilia 19. in Matth. vehementer indignatur Chryſ. quorundam impudentiæ, qui latentes corpore, omnibus ſe faciant voce manifeſtos, tumultuosè clamantes, ſeque clamoribus, & geſtibus corporis ridiculos omnibus facientes. Propterea tria conſideranda monet in hom. 9. ex varijs Matth. locis; quis roges, quid roges, quem roges, Quis? Homo. Quid? Indulgentiam. Quem? Deum.

CAPUT IX.

Quàm ſæpè, & quibus temporibus orandum ſit.

Semper orandum quomodo.

RESPONDIT aliquando Chriſtus apud Lucam c. 18. Oportet ſemper orare, & non deficere, hoc eſt, non fatigari, neque ob fatigationem ab oratione ceſſare: & confirmavit Paulus in priore ad Theſſ. capite 5. Sine intermiſſione orate. Sed utrumque, inquit Sanctus Auguſt. in lib. de hæreſibus num. 57. ſanctiſſimè ſic accipitur, ut nullo die intermittantur certa tempora orandi, & S. Anſel. in epiſt. ad Theſſal. idem confirmat, additque continuum cordis deſiderium continuam orationem eſſe, & S. Bern. in libro de Paſſione Domine, ſuper; Ego ſum vitis vera, capite ſexto, non voce, ſed bono deſiderio orandum ſemper interpretatur. Scitum eſt etiam illud: Benè orat, qui benè agit, & illud Apoſtoli Rom. 10. Sive manducatis, ſive bibitis, ſive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. Hoc enim perpetuam orationem, & Dei laudem eſſe, judicârunt quoque Sanctus Baſ. in Pſal. 33. & oratione in martyrem Julitam, & Sanctus Hilarius in Pſalmum 1. Itaque non pauci ſemper orandum nobis dixerunt, non quòd orando ſemper occupati eſſe poſſimus: nam & edere, & dormire, & alia plura facere nos oportet; ſed quòd aut orare, aut aliquid boni facere, aut quidquid facimus, ad gloriam Dei facere nos oporteat. Alijs demùm placuit ſemper eum orare, qui horis canonicis Eccleſiaſtico ritu oret, Deumque laudare non prætermittat, quod ſepties in die faciebat David, ut ipſemet fatetur in Pſal. 118. Septies in die laudem dixi tibi ſuper judicia juſtitiæ tuæ, qui tamen in Pſalm. 33. dicebat: Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus ejus eſt in ore meo. Neque perpetuam nobis die, ac nocte arbitror ego Dominum, eiuſque Apoſtolum indixiſſe orationem (Non enim fert humana conditio) ſed admonuiſſe orantes, ut ſi ſtatim non conſequantur, quod petunt, inſtent, pulſent, nec ſtatim ab oratione ceſſent: ſed orando perſeverent, donec propter improbitatem ſaltem obtineant. Nam hoc ſibi vult parabola viduæ judicem importunè interpellantis; quam ſtatim ſubjungit Dominus, & confirmat Apoſtoli verbum; Sine intermiſſione, quod non ſignificat ſemper abſque ceſſatione orandum: ſed à petendo non deſiſtendum deſperando, etiamſi ſæpiùs petentes non obtinuerimus.

Ad nocturnam verò orationem, noctuque ad orationem ſurgendum, plurimùm video nos hortari Patres, & ut mittam vigilias, & ſtationes veteribus Chriſtianis uſitatas, de quibus diximus, dum de jejunio ſcriberemus. Hæc fuerunt in 2. ad uxorem libro c. 5. Tertulliani verba: [Cùm per noctem ſurgis oratum, non magiæ aliquid videberis operari.] Et in libro de corona militis c. 11. conveniſſe Chriſtianos teſtatur ad orationem, & excubâſſe pro templis. Et Clemens libro 8. conſtit. c. 11. duas habet orationes, quas noctu recitabant. Et Plinius ſecundus antelucanos Chriſtianorum hymnos appellat. Et S. Cyprian. in extremo ſerm. de oratione Dominica, ad nocturnam orationem hortatur. Et S. Hilarius in Pſ. 118. obſervat illa Davidis verba; Memor fui nocte nominis tui, & media nocte ſurgebam ad confitendum tibi: [Tunc enim, inquit, maximè inſurgunt tentationes.] Et S. Ambr. libro 1. de Abraham c. 9. dum alloquitur conjugatos; [Simul, inquit, ad orationem „ nocte vobis ſurgendum eſt, & conjunctis „ precibus obſecrandus eſt Deus.] Et ſer. 7. in Pſ. 118. [Tunc magis tibi orandus eſt Domi- „ nus, tunc præſidia poſtulanda, culpa caven- „ da, quando videtur habêre ſecretum: tunc „ maximè, quando tenebræ in circuitu meo, „ & parietes me operiunt, conſiderandum, „ quia Dominus omnia intuetur abſcondita.] Et ſer. 19. in eundem Pſalmum; [Audi Pro- „ phetam; Media nocte ſurgebam ad confi- „ tendum tibi, & tu ſurge vel media nocte, „ ſi non potes tota ſemper nocte vigilare; ut „ dum oras nocte veri Solis pectori tuo ſplen- „ dor irradiet: quia omnis anima, quæ Chri- „ ſtum cogitat, in lumine ſemper eſt.] Et ſer. in Malachiam Prophetam, luſciniam adfert, cui

Oratio nocturna.

Digitized by Google

cui non ſufficit dies, ſed nocte quoque cantat. Propterea ſobrietatem, & jejunium conſulebat Euſtochio S. Hieron. de virginitatis cuſtodia ſcribens cap. 6. [Ad orationem tibi „ nocte ſurgenti, non indigeſtio ructum faciat, „ ſed inanitas.] S. Athanaſius in libro de virginitate, ut hanc orationem perſuaderet, illo uſus eſt argumento; quoniam eâ horâ Dominus à mortuis reſurrexit, & Patrem ſuum hymnis celebravit. Et S.Chryſoſt. hom.30.in Gen. quia tunc nullus interturbat, magna eſt cogitationum tranquillitas; abſunt turbulentiæ, nullus eſt, qui ab acceſſu prohibeat, & abducat; mensque collecta omnia diligenter referre poteſt animarum medico; quod & multis tractat in hom. 26. in Acta; adfertque opifices, nautas, negotiatores, & Eccleſiam quoque Dei medijs ſurgentem noctibus ad laudes Deo concinendas, & in ſerm. de excludenda vitiorum memoria, & hom. 41. ad populum, diurna nos negotia diurno tempore turbare plurimùm, & hom. 42. [Dei Eccleſia, in-„ quit, medijs conſurgit noctibus; ſurge & tu. „ Vide ſtellarum choream, altum ſilentium, „ multam quietem; Dominique ſui diſpenſa-„ tionem admirare. Anima tunc eſt purior. Plus „ nocturnis Deus placatur orationibus, cùm „ quietis tempus tu luctuum tempus facis. Non „ ita rubiginem ignis excoquere ſolet; ſicut „ oratio nocturna noſtrorum rubiginem pec-„ catorum; tunc planetæ reſpirant, tunc & ani-„ ma maximè rorem, & plus illis ſuſcipit, & „ quæ per diem ſol exuſſit, hæc nocte refrige-„ rantur.] Et S. Bern. ſer.86. in Cant. [Cùm „ profundum nocturnus ſopor indicit ſilenti-„ tium, tunc planè liberior exit, puriorque ora-„ tio. Quàm ſecura aſcendit de nocte oratio, „ ſolo arbitro Deo, ſanctoq; Angelo, qui illam „ ſuperno altari ſuſcipit præſentandum? [Sunt, qui dicant ſingulis noctibus olim oràſſe Chriſtianos: prima vigilia Sacerdotes aliquot unum cantaſſe Pſalmum; ſecunda alios alium, & item tertia; quarta verò conveniſſe omnes ad canendas laudes, & ad Euſtochium ſcribens S. Hieronymus bis, terque nocte ſurgendum ad orationem eſſe affirmat.

Oratio diurna. In die autem video penè omnes ter orandum præcipere. Nam & in Pſalmo 54. dicebat David; Veſperè, & manè, & meridiè narrabo, & annuntiabo, & exaudiet vocem meam, & Daniël capite 6. tribus temporibus in die orabat; quod de tribus horis canonicis, tertia, ſexta, & nona, interpretati ſunt S. Cyprianus de oratione Dominica, & S.Hieronymus in illius loci commentario. Et libro 7. conſtit. S. Clemens c. 5. ter in die voluit nos orationem dominicam recitare Tertull. in libro adversùs Pſychicos c. 10. Sanctiſſimam in his Trinitatem veneratur S. Cyprian. ſub finem libri citati; & manè reſurrectionem Domini, hora ſexta crucifixionem, & paſſionem; ac demùm nona ultimum Chriſti adventum, quo ſol verus ad nos die ſæculi recedente, lucis æternæ gratiam præbiturus redibit, vel ut placuit Hieronymo, quia hora tertia deſcendit Spiritus Sanctus ſuper Apoſtolos; ſexta volens Petrus comedere, ad orationem aſcendit in cœnaculum; nona Petrus, & Joannes pergebant ad templum. S. Joan. autem Chryſ. in primo libro de orando Deum, tria quidem confirmat tempora; ſed alijs utitur verbis, oportet, inquit, ſtratis relictis divino cultu prævenire ſolis exortum, & cùm ad menſam accedimus, hoc eſt, meridiè, & cùm ad nocturnam quietem recipimus: [Qua „ fronte ſolem intueberis, niſi priùs adoraveris „ eum, qui lumen illud dulciſſimum oculis tuis „ mittit? Quo pacto frueris menſa, niſi priùs „ adoraveris eum, qui tibi tantum bonum lar-„ gitur? Qua ſpe trades teipſum nocturno tem-„ pori, niſi teipſum præmunieris orando, ſed „ incuſtoditus ad ſomnum acceſſeris?]

De primævis illis Chriſtianis, & Therapeutis, qui circà Alexandriam verſabantur, ad hunc modum teſtatur Philo in libro de vita contemplativa. [Quotidiè bis precari ſolent, „ manè, & ſub veſperam, oriente ſole petentes diem fœlicem; occidente verò, ut anima „ in totum exonerata ſenſibus, moleque rerum „ ſenſibilium, veritatem veſtiget in conſiſtorio „ domeſtico.] Atque utrumq; orationis tempus in duplici ſacrificio matutino, & veſpertino, quod in lege præcipiebatur, ſignificatum fuiſſe voluit S.Baſilius in Pſalmum 140. quibus duobus præſertim temporibus orationem à nobis S. Chryſoſt. quoque poſtulat in h.14.& 22. in ep.ad Hebr.& S.Ambr. libro 5. exam. cap.12. & ſer. in Malachiam Prophetam, ſurgente, & occidente die conſueviſſe cantare, & Deo quaſi laudes perſolvere adnotavit. Urgentque plurimùm, ut diluculo antè ſolem ad orandum ſurgamus, tum cæteri omnes, tum Baſil. in regulis fuſioribus 37. & Chryſoſt. in Pſalmum 5. & alibi ſæpiùs.

Denique ad crebram nos orationem exemplo Davidis hortatur Sanctus Ambroſius in 3. de virginibus libro, verbis illis Pſal. 118. Septies in die laudem dixi tibi ſuper judicia juſtitiæ tuæ: [Si qui erat, inquit, regni neceſſitatibus „ occupatus, ſepties in die orabat, quid nos fa-„ cere oportet, qui legimus; Vigilate, & orate, „ nè intretis in tentationem? Certè ſolemnes „ orationes ſunt deferendæ, cùm ſurgimus è „ ſomno, cùm prodimus, cùm cibum paramus „ ſumere, cùm ſumpſerimus, & hora incenſi, „ cùm denique cubitum pergimus. Sed etiam „ in ipſo cubili Pſalmos cum oratione Domi-„ nica frequenti contexas vice, vel cum evigi-„ laveris, vel antequam corpus ſopor irriget, ut „ te in ipſo quietis exordio rerum ſæcularium „ curâ liberam divina meditantem ſomnus in-

Oo veniat.]

Digitized by Google

„ veniat.] Sed ex Davide arbitror Eccleſiam accepiſſe piam, & ſanctam inſtitutionem recitandi quotidiè horas canonicas, quibus ſepties in die laudem dicit Deo, quarum crebra eſt apud Patres mentio.

CAPUT X.

Pro quibus orandum.

Pro vivis. CONSUEVISSE autem Eccleſiam orare pro omnibus & vivis, & defunctis manifeſtum eſt ex dictis cap. 4. maximè autem pro Principibus, tum Eccleſiaſticis, tum ſæcularibus, penes quos eſt cura, & regimen cæterorum omnium; & ex viventibus quidem nullus excluditur; ſed orandum pro omnibus, ut & benè viventes perſeverent, ac proficiant, & malè viventes convertantur, quemadmodùm expoſuit S. Auguſtinus in ſermone 42. ad fratres in eremo. Tametſi Tertullianus in libro de pudicitia cap. 19. peccatum ad mortem, pro quo Jo. in 1. epiſt. cap. 5. non affirmavit eſſe orandum, interpretatus peccatum mortale, & peccatum non ad mortem, peccatum veniale, pro peccatore mortaliter voluit orandum non eſſe. Sed non eſt hujus loci diſputare, ac definire, quodnam ſit peccatum ad mortem ab Apoſtolo nominatum. Is tamen non dicit pro illo orandum non eſſe, ſed orandum non præcipit: non pro illo, inquit, dico, ut roget quis, cùm tamen præcepiſſet Dominus orare pro perſecutoribus.

Ex quo colligit Sanctus Auguſtinus libro de ſermone Domini in monte cap. 43. & ſer. 59. de tempore, eſſe aliqua peccata, quæ inimicorum perſecutione graviora ſint, pro quibus orare non præcipit: ſed cùm Dominus orandum pro perſecutoribus definierit, hoc nobis ſatis eſt, ut oremus etiam pro illis, qui ſunt in peccato mortali: ut ſcilicet liberari à peccato, & ad Deum converti poſſint: [Quoniam de „ quocunque peſſimo (ut in 1. retract. libro „ cap. 19. idem ipſe addit) in hac vita conſti„ tuto, non eſt utique deſperandum, nec pro „ illo imprudenter oratur, de quo non deſpe„ ratur. Quandiu enim vivit, libertatem ha„ bet arbitrij, quo ad meliora poteſt Deo adju„ vante ſeſe convertere.]

Pro mortuis. Qui verò vitâ functi ſunt; aut beati ſunt, aut damnati, aut purgantur aliquando beandi, de quibus ita universè definit S. Auguſtinus libro de cura pro mortuis gerenda capite primo. „ [Quæ pro mortuis fiunt, eos non adjuvant, „ quorum tam mala ſunt merita, ut talibus non „ ſint digni adjuvari, aut tam bona, ut talibus „ non indigeant adjumentis.] Itaque pro Sanctis non oramus, neque pro damnatis: [Nam „ qui orat pro Martyre, ait idem Auguſtinus „ in eodem ſer. 42. injuriam facit martyri, cujus „ nos debemus orationibus commendari, & qui „ orat pro damnatis, nullatenùs impetrabit.] Obſtinati enim ſunt in malo, ut & diaboli, nec mutari poſſunt; immò nec oraret nunc Eccleſia pro ijs, quos noſſet fore damnatos: ſed quia de nullo certa eſt, orat pro omnibus, ut habet Auguſtinus libro 21. de civitate Dei cap. 24. damnatorum ergò nulla fit mentio; Martyrum, & Sanctorum precibus noſmetipſos commendamus, illorumque nomina piè recitantur ad altare Dei, atque pro cæteris, qui piè vixerunt, oramus.

Quæ verò à Deo petenda ſunt, non eſt difficile definire; divina enim, & quæ ad animæ noſtræ ſalutem faciunt, abſolutè, & conatu omni ſunt poſtulanda; virtutes, inquam, gratia Dei, & æterna gloria; & omninò quidquid ad hoc caput pertinet. Cætera, quæ ſive ad corporis ſtatum, ſive ad res externas ſpectant, cum ea conditione quærere oportet, ſi & ad ſalutem noſtram fuerint opportuna, & divinæ voluntati conformia. Ita conſulebat S. Auguſtinus ubi dicebat in 2. libro de ordine cap. 20. [Ore- *Quæ à Deo petenda.*
„ mus, non ut nobis divitiæ, vel honores, vel „ hujuſmodi res fluxæ, atq; nutantes, & quovis „ reſiſtente tranſeuntes; ſed ut ea proveniant, „ quæ nos bonos faciant, & beatos.] Eos enim qui temporalia hæc petunt, in libro 15. de civit. Dei cap. 7. affirmavit eſſe ſicut Cain, illiuſque ſacrificium, non recta diviſione imitantes. [Quippè boni ad hoc utuntur mundo, ut „ fruantur Deo; mali verò, ut fruantur mun„ do, uti volunt Deo.] Immò in comm. Pſalmi 13. de illis accipit illa verba: Dominum non invocaverunt. Non enim verè invocat, qui ea deſiderat, quæ illi diſplicent. Et rursùm in Pſalmum 52. [Iſti Deum non invocant quia Deus „ gratis ſe vult coli, & diligi, non quia dat ali„ quid præter ſe, ſed quia dat ſe. Qui ergò „ Deum invocat, ut dives fiat, Deum non in„ vocat. Hoc enim invocat, quod ad ſe vult ve„ nire: ſiquidem invocare eſt in ſe vocare. Vo„ luntariè ſacrificabo tibi, inquiebat David Pſ. „ 53. hoc eſt gratis, & non quia das mihi ali„ quid. Erubeſceres, ſi te uxor tua propter divi„ tias amaret; & fortè ſi tibi paupertas accide„ ret, de adulterio cogitaret. Cùm ergò te à „ conjuge gratis amari velis; tu Deum propter „ aliud amabis?] Hoc eſt, quod in Pſal. 62. dicitur: In nomine tuo levabo manus meas; [Chri„ ſtus, ait Aug. levavit pro nobis manus in cru„ ce; & tu leva puras manus ad Deum in orati„ one: Non ſunt magna, quæ Deus donat & „ malis, pete majora: Sicut adipe, & pinguedi„ ne repleatur anima mea: anima non repletur „ aliqua pinguedine carnis.] Sed & cùm petuntur temporalia bona; deponuntur manus potiùs, quàm leventur, ut in extrema concione 14. in Pſalmum 118. adnotavit. Sed & quidquid petitur, quod ad æternam ſalutem non pertinet, nihil *Pſal. 62.*

Digitized by Google

nihil eſt; & hoc petere, eſt nihil petere, addit
in tractatu 102. in Jo. Contrà, qui non res
temporales petit, ſed æternam beatitudinem
remiſſionemque peccatorum,doctè orat,doctè
plangit; ut in ſerm. 7. de tempore pronuntia-
vit. [Cùm enim quæ Deus laudat, aut præ-
,, cipit (ait in ſer.53. de verbis Domini) aut in
,, futuro ſæculo promittit, ab illo petitis; ſe-
,, curi petite, & incumbite quantum poteſtis
,, orationibus, ut ſumatis. Quando autem pe-
,, titis temporalia, cum modo petite, cum ti-
,, more petite, illi committite; ut, ſi proſint,
,, det; ſi ſcit obeſſe,non det. Quid autem pro-
,, ſit,aut obſit, medicus novit, non ægrotus.]

CAPUT IX.

De veteri orationum ritu.

MULTIPLEX porrò fuit veterum Chri-
ſtianorum in orando ritus.

Primus ritus. Baptiſmus. Primum enim baptizati cum non baptizatis,
& infidelibus non orabant. Propterea Sanctus
Petrus antè diſputationem cum Simone Ma-
go oraturus, Clementem nondum baptizatum
juſſit ſecedere, ut eſt in 2. recog. libro, & in
libro de rebus geſtis Beati Petri, & omninò
nec cum catechumeno, nec cum hæretico o-
randum eſſe ſtatuit libro octavo conſtitutio-
num capite 40.

Secundus ritus. Cælibatus ſacerdotum. Secundus ritus fuit, ut conjugati cùm eſ-
ſent oraturi, ab actu conjugij abſtinerent, ut
mundiores, & puriores accederent. Nimirùm
Pauli conſilium ſequentes in priore ad Corinth.
capite 7. Nolite fraudare invicem, niſi fortè
ex conſenſu ad tempus, ut vacetis orationi.
Quamvis enim munda ſint conjugia, ut eo lo-
co ait Sanctus Ambroſius, tamen etiam à licitis
abſtinendum eſt, ut faciliùs ad effectum dedu-
catur oratio: cùm enim quis etiam conceſſa
non contingit, oſtendit ſe velle, quod preca-
tur, accipere. Hinc S.Hieron. libro 1. adver-
sùs Jovinianum capite 4. [Si ſemper orandum
,, eſt, nunquam ergò conjugio ſerviendum;
,, quoniam quotieſcunque uxori debitum red-
,, do,orare non poſſum.] Et cap.19. de Sacer-
dotum cœlibatu appoſitè ratiocinatur; [Si La-
,, icus, & quicunque fidelis orare non poteſt,
,, niſi careat officio conjugali; Sacerdoti, cui
,, ſemper pro populo offerenda ſunt ſacrificia,
,, ſemper orandum eſt. Si ſemper orandum
,, eſt, erit ſemper carendum matrimonio; nam
,, in veteri lege purificabantur ad tempus ab
,, uxoribus ſeparati.] Extat etiam inter ejuſ-
dem opera ſermo habitus in vigilia Paſchæ,
de eſu agni, in quo inter cætera fuerat illud
præceptum; Lumbos veſtros accingetis, hoc
eſt,opera carnis mortificabitis. Quicunque igi-
tur, inquit, uxori debitum reddit, vacare non
poteſt orationi, nec de carnibus agni mandu-
care: nam & Moyſi Num. 8. præcipitur, ut
populus aſcenſurus ad montem, antè tres dies
purificetur; & David 1. Reg.21. ab Achime-
lech interrogatur, ſi mundi ſunt pueri: quia
panes propoſitionis ab ijs, qui uxores tetigiſ-
ſent, comedi non poterant. Et Sanctus Gre-
gorius Nazianzenus in or. in Sanctum Baptiſ-
ma, dum ad baptiſmum ſuſcipiendum horta-
tur; [Hoc unum, inquit, à te peto,ut hoc mu-
,, neris baptiſmo rependas; ut certo tempore,
,, hoc eſt, quamdiù aſſignatum orationi tem-
,, pus fluit,à re uxoris abſtineas,idque ex com-
,, muni conſenſu, & approbatione.] Itaque
poſt actum conjugij non auſos fuiſſe conju-
ges orare, teſtantur illa Sancti Chryſoſtomi
verba homil. 52. in Matth. [Tu verò eo die,
,, quo liberis legitimè operam dediſti, quam-
,, vis crimen illud non ſit, orare tamen non
,, audes.] Propterea diebus quoque feſtis, &
diebus jejunij abſtinebant; quia dies erant ora-
tionis. Ita S. Chryſ. homil.34. operis imperf.
,, [Quando dies feſtus eſt, aut dies jejunij,im-
,, pleas Apoſtolicum præceptum: Nolite frau-
,, dare invicem, niſi fortè ex conſenſu, ut va-
,, cetis jejunio, & orationi.] Et diebus item
ſupplicationum, ſeu proceſſionum, eandem
ob cauſam, ut confirmat S. Aug. in quæſtio-
nibus ex utroque teſtamento mixtim quæſt.
127. [Propter dies, inquit, proceſſionum a-
,, liquando non licet convenire: quia etiam à
,, licitis abſtinendum eſt, ut faciliùs impetrari
,, poſſit, quod poſtulatur.] Sed de hoc ſatis.

Tertius ritus. Excluſio criminoſorum. Tertius ritus erat, ut qui in magnis delictis
eſſent manifeſti, ab oratione communi eijce-
rentur, nè modicum fermentum totam com-
munitatem ex puro corde orantium macularet,
conſuetudinis hujuſce teſtem habemus Orige-
nem homilia 35. in Matthæum: [Convenie-
,, bat enim orationi & locum eſſe mundum,
,, & adſtantes mundos; quippè & orantibus
,, adſtare ſolent Angeli, & delectari in his,
,, quos levare vident puras manus.] Ut hom.
3. ſuper Miſſus eſt; & ſermone 7. in Cant. lo-
quitur S. Bernardus, & antè illum Tertullia-
nus in libro de oratione cap. 12. Et Dominus
Luc. 8. revocaturus in vitam puellam mortu-
am Jaïn filiam; excluſis omnibus alijs, ſolos
retinuit miraculi ſpectatores tres diſcipulos, ac
puellæ parentes. Verùm & in ſacrificio cele-
brando, quod fuit ſemper præcipua, & ſolem-
nis maximè Chriſtianorum oratio; cùm ad ob-
lationem ventum eſſet, fiebat miſſa, hoc eſt
dimiſſio catechumenorum, qui ſacrificio non
poterant intereſſe: ut eſt apud S. Dionyſium
c. 3. lib. de Eccleſ.hier. Et S.Clem.lib.8. con-
ſtit. & in antiquis omnibus liturgijs, quæ di-
miſſio verbis illis fiebat; Qui primam orationem
perfeciſtis, diſcedite: diacono ſcilicet alta
voce inclamante. Cui altera ſuccedebat dimiſſio
ſacrificio jam abſoluto; & Diacono rursùm

Digitized by Google

clamante: Ite, miſſa eſt; hoc eſt, dimiſſio eſt; tuncque aperiebantur portæ templi, quæ dimiſſis catechumenis claudebantur, & abibant omnes. Ut ergò in ſacrificio dimittebantur catechumeni; ſic & in quavis alia oratione magnorum criminum rei excludebantur. Quin etiam & pœnitentes fuiſſe excluſos conſtat tum ex alijs, tum ex Clemente libro ſecundo conſtit. cap. 43.

Quartus ritus. Manuum lotio. Quartus ritus erat manuum ablutio, qua in ſacrificio quoque utimur, ut habet liturgia Baſilij, & Sancti Dionyſius, & Clemens locis notatis, & Cyrillus Hieroſol. catech. 5. myſtag. non ſolus enim ſacerdos ſacrificans; ſed & cæteri quoque lavabant, ut animi munditiem indicarent, quâ & ad ſacrificandum, & ad orandum Deum ſit accedendum. [Vidiſti, „ inquit Cyrillus, diaconum aquam lavandis „ manibus porrigentem Sacerdoti, & illis, qui „ circum altare Dei ſtabant; quod ſymbolum „ eſt oportêre vos à peccatis omnibus, & ini„ quitatibus mundari.] [Quæ enim ratio eſt „ (inquit Tertull. in lib. de oratione c. 11.) ma„ nibus quidem ablutis, ſpiritu verò ſordente „ orationem obire?] Et S. Petrum cum Clemente & fratribus manè ſurgentes ad mare deſcendiſſe, ut lavarent, & poſteà orarent, idem ipſe Clemens narrat in 8. recogn. libro. Teſtantur autem Tertull. & S. Jo. Chryſ. hom. 6. in poſteriorem epiſt. ad Tim. & 36. & 79. ad populum, totas eos laviſſe manus, antequam ad orandum accederent, vel etiam antequam templum ingrederentur, ut idem habet Chryſoſtomus homilia 36. citata, & 72. in Jo. aut etiam ſacra tangerent Biblia, aut Evangelium legerent, ut habet homilia 52. in Jo. & 7. ad populum, multòque magis antequam ad Sacram Euchariſtiæ Communionem accederent, ut habet homilia 3. in epiſt. ad Epheſ. præſertim, quod eam erant in manibus accepturi, ut ex pluribus conſtat, quæ non eſt nunc opus commemorare. Duplex igitur erat ablutio, altera totius manus privata, quæ graviorum criminum purgationis ſymbolum erat; immò & pleroſque totum laviſſe corpus teſtatur Tertullianus. Altera extremorum digitorum publica in templo, quæ leviorum culparum, & affectuum munditiem ſignificabat. Nam quod ſacerdos ſacrificans extremos tantùm abluit nunc digitos, tunc quoque obſervatum fuiſſe, ex S. Dionyſio cognoſcimus.

Quintus ritus. Salutatio, & oſculum. Quintus ritus erat mutua ſalutatio, ut pacem, unionem, & charitatem ſignificarent. Itaque præceptum ab Apoſtolis fuiſſe, ut cùm ad orationem conveniſſent Chriſtiani, Diaconus alta voce diceret: Nè quis contrà aliquem; Nè quis in hypocriſi; legimus apud Clementem libro ſecundo conſtit. cap. 58. & 61. ſed hanc pacem, & charitatem mutuis oſculis ſignificare conſueverant, vel etiam in publicis vijs obvij, ut vidêre eſt apud Athenagoram in oratione pro Chriſtianis, & Tertullianum in apolog. cap. 6. & in epiſt. de cibis Judaicis cap. 6. & libro 2. ad uxorem cap. 3. & Cyprianum epiſt. 1. libri 4. ad Seagrium, & Rogatianum, & S. Chryſoſtomum homilia 30. in poſteriorem epiſt. ad Cor. & colligitur ex verbis illis Pauli; Salutate invicem in oſculo ſancto. Id verò in celebratione Euchariſtiæ quæ Sacramentum eſt unionis, charitatis, & pacis, multò magis conveniebat, ut eſt apud Sanctum Clementem libro 8. conſtit. cap. 15. & Juſtinum in apologia ad Antoninum, & Origenem lib. 1. com. in Cant. & Chryſoſtomum h. 77. in Jo. & 51. ad populum, & libro 1. de compunctione cordis, & alios plures, ut in libro de oratione cap. 14. non eſſe commendandam, dixerit, orationem illam, illudve ſacrificium, in quibus oſculum pacis non fuerit. Sed quoniam oſculum ſanctum poſtulat Paulus; non fuiſſe promiſcuum, virorum, ac mulierum, ſed virorum ſeorſim, ac ſeorſim mulierum, ſignificant illa Clementis verba in c. 61. „ [Salutent inter ſe viri, & inter ſe mulieres „ oſculo in Domino: & caveant, nè quis dolo„ sè id faciat; quemadmodùm Judas Domi„ num oſculo tradidit.] Et lib. 8. c. 15. de Miſſæ ſacrificio loquens; [Diaconus, inquit, dicat: „ Salutate vos invicem in oſculo ſancto; & ſa„ lutent clerici Epiſcopum, & viri laici laicos, „ & mulieres ſalutent mulieres.]

At quia nimis longum erat ſingulos oſculari, duplex adhibitum eſt compendium. Alterum Epiſcopo, alterum ſacerdoti ſacrificanti, qui quaſi nomine omnium pacem omnibus oſculo porrigerent, hi enim primùm cœperunt oſculari diaconum, & hic ſubdiaconum, & ita deinceps cæteros: quemadmodùm Solitarij liber confirmat, qui gemma animæ dicitur c. 4. Deindè verò hoc quoque mutatum eſt. Et Epiſcopus quidem ingrediens Eccleſiam pacem omnibus precabatur, dicens; Pax omnibus, ſeu Pax vobis; ut teſtatur S. Chryſ. hom. 33. in Matthæum, & 36. in 1. ad Cor. epiſt. & 3. in epiſt. ad Coloſſ. Nunc quando primùm ad altare convertitur ad populum, pacem annuntiat dicens; Pax vobis. Et Sacerdos oſculum oris ſingulorum mutavit in oſculum altaris. Ad illud enim aſcendens, oſculatur; non ſolùm propter ſacras reliquias in eo contentas; ſed etiam quia perindè videbatur oſculari altare, acſi omnes adſtantes oſcularetur. Altare ſiquidem Chriſti ſymbolum eſt, in quo Chriſtiani omnes continentur, & quoties ad populum ſalutandum convertitur, oſculatur ſemper altare, quaſi pacis oſculum omnibus porrigens: fuiſſeque hoc altaris oſculum ſignum pacis, confirmat Sanctus Ambroſius in epiſtola 33. milites ſcribens oſculatos altare, pacem ſignificantes. Denique orationem oſculo tum inchoätam,

Digitized by Google

tam, tum concluſam fuiſſe, teſtatur illud Tertulliani in libro de oratione: [Habita oratio-
„ ne cum fratribus ſubtrahunt oſculum pacis,
„ quod eſt ſignaculum orationis.] Et rursùm;
„ [Quæ oratio cum divortio ſancti oſculi in-
„ tegra.] Et Sanctus Anſelmus confirmat in cap. 16. epiſt. ad Romanos. [Mos Eccleſiæ
„ traditus eſt, ut poſt orationem oſculo ſe in-
„ vicem ſuſcipiant fratres.]

Sextus ritus. Orare ad orientem.

Sextus ritus erat, ut orantes verterent ſe ad orientem ſolem. Judæos ad meridiem reſpexiſſe, ait Theod. in Ezech. ſect. 16. & Sanctus Athanaſius q. 14. ad Antiochum. Sed eos conſtat ad occidentem oráſſe. Nam ut ſcriptum reliquit S. Cyrillus Alexandrinus libro 4. in Jo. c. 31. [Templi facies ad orientem erat,
„ & altare ad occidentem. Et lex ad occaſum
„ tendebat.] Et Catechumenos quoque ad occidentem oráſſe, baptizatos ad orientem ſcribit Areopagita cap. 2. libri de Eccleſ. hierar. & confirmat Clemens libro 2. conſtit. cap. 61. & Origenes hom. 5. in Num. & in libro ſtrom. 7. refert Clemens Alexandrinus, quæ erant in templis antiquiſſima ad occidentem reſpexiſſe, ut qui ſtant, vultu converſo ad imagines, docerentur ad orientem verti. Hanc ob cauſam fuiſſe aliquando Chriſtianis objectum, eos adorare ſolem quod innotuerit eos ad orientis regionem precari, legitur apud Tertullianum in apologia cap. 16. Sed cur ita orarent, ratio fuit; tum quia oriens legem novam afferentem mundo ſignificabat Chriſtum, & vir oriens nomen ejus appellatur, Zachar. cap. 3. & 6. tum ut habet Sanctus Auguſtinus in 2. libro de ſermone Domini in monte cap. 5. ut admoneatur animus ad Deum ſeſe convertere; dum corpus ipſum terrenum ad corpus cœleſte convertitur, & ſermone 182. de tempore;
„ [Orantes ad orientem vertimur, non quòd
„ ibi tantùm ſit Deus, ſed ut admoneamur ad
„ Deum conſurgere, ſicut indè cœlum ſurgit.] Sanctus autem Juſtinus q. 118. ad Orthodoxos, orare nos ad orientem, & dextera manu nos ſigno crucis in nomine Chriſti ſignare affirmat, quoniam honorabilior exiſtimatur, tum illa pars mundi, tum hæc corporis. Et Sanctus Athanaſius q. notata; tum quia præcipit David; Adorabimus in loco, ubi ſteterunt pedes ejus: ſteterunt autem ad orientem in monte Oliveti, ut ait Zacharias. Tum quia Deus lux eſt vera, & ad creatum lumen converſi Creatorem illius adoramus. Tum etiam ut ad Paradiſum, undè cecidimus, reſpicientes, à Deo petamus, ut in patriam redire poſſimus. [Sup-
„ plicent omnes Deo, ait Clemens loco no-
„ tato, idque ad orientem, in memoriam ve-
„ teris poſſeſſionis Paradiſi ad orientem poſiti,
„ undè primus homo contempto mandato, ſer-
„ pentis conſilio obtemperans expulſus fuit.] Et Sanctus Gregor. Nyſſenus in libro de oratione or. 5. [Ad orientem, inquit, nos con-
„ vertimus; non quod Deus ubique non ſit;
„ ſed quòd in orientis partibus, prima nobis pa-
„ tria ſit: dico autem de ea, quam in Paradiſo
„ habuimus, habitatione.] Et Sanctus Baſilius in libro de Spiritu Sancto ad Amphilochium cap. 27. his verbis; [Ad orientem precamur,
„ antiquam requirentes patriam paradiſum,
„ quem conſeruit Deus in Edem ad orientem.] Et verò eam quoque rationem cum alijs pluribus collegit S. Joan. Damaſcenus libro quarto de fide cap. 13. ſic enim habet: [Non teme-
„ rè ad orientem converſi adoramus; quoniam
„ enim Deus ſpirituale eſt lumen, & ſol juſti-
„ tiæ; Et Chriſtus in ſacris litteris Oriens ap-
„ pellatur, eam partem, quâ ſol oritur, ipſi ado-
„ rationis ergò aſſignamus.] Quin & David ait Pſalmo 67. Pſallite Deo, qui aſcendit ad orientem. Et Geneſ. 2. Plantavit Deus paradiſum in Edem ad orientem; & poſt peccatum è regione Paradiſi conſtituit hominem ad occaſum. Quare veteris patriæ deſiderio ad eam defixos habemus oculos, cùm Deum adoramus; ſed & Moyſes tabernaculum, velum, & propitiatorium, ad ortum habebat. Et tribus Juda ad ortum caſtra metabatur; & in templo Salomonis porta Domini ad ortum ſita erat. Et Dominus in cruce pendens ad occaſum proſpiciebat; adeòque adorantes eum obtuemur ad orientem; & aſcendens in cœlum ad ortum efferebatur, ſicque à Diſcipulis adoratus eſt; atque ita venturus eſt, ut eum in cœlum euntem conſpexerunt. Quocircà ejus adventum operientes ad orientem adoramus. Immò & Daniëlem, etſi Judæum, obſervavit Origenes libro primo in Job; & in Hieruſalem, & in Babylonia, oráſſe ad orientem; & Job quoque ex orientis fuiſſe partibus, quia omnis ſanctitas, & pietas, atque fides ex oriente. Et Philagrium laudat Sanctus Gregor. Nazianz. in epiſtola ad ipſum 66. quòd decumbens in lecto ægrotus quaſi ex carceribus excitatus, manuſque ad cœlum tendens, atque orientem reſpiciens, clamans ageret Deo gratias. Ut omninò judaizaret hæreticus homo, apud Sanctum Epiphanium hæreſi 19. qui prohibens hunc totius antiquitatis orandi ritum, converti nos ubique volebat ad Hiëruſalem.

Septimus ritus. Stantes orare.

Septimus ritus fuit, diebus dominicis, & toto Paſchali tempore ſtantes orare; ob memoriam ſcilicet Reſurrectionis Domini. Hoc & ſtatuit Canon 20. Nicæni Concilij. & Sanctus Epiphanius in epit. in pentecoſte, ait, per totos quinquaginta dies genua non flectuntur; & Tertullianus in libro de corona militis cap. 3.
„ [Die dominico nefas ducemus de geniculis
„ adorare. Eadem immunitate à die Paſchæ
„ in Pentecoſtem uſquè gaudemus.] Quod ab Apoſtolis inſtitutum fuiſſe teſtatur S. Juſtinus q. 115. ad orthodoxos. [Sex dierum, ait,

Digitized by Google

,, genuflexio ſignum eſt noſtri in peccatum ca-
,, ſus,quod autem die dominico genu non fle-
,, ctimus, ſignum eſt Reſurrectionis Chriſti,
,, per quam à peccatis,& morte liberati ſumus.] Quæ conſuetudo ab Apoſtolis principium habuit. Ita etiam in Pentecoſte, hoc eſt à Paſcha ad Pentecoſtem genu non flectimus, & confirmat S. Hilar. in prol. in Pſ. [Hæc, inquiens,
,, Sabbatha Sabbathorum, & ab Apoſtolis reli-
,, gione celebrata ſunt, ut his quinquageſimæ
,, diebus nullus in terram ſtrato corpore adora-
,, ret;quod etiam in Dominicis diebus eſt con-
,, ſtitutum.] Aliam hujus rei rationem addit S. Baſil. in lib. de Spiritu Sancto ad Amphiloch. c.27. [Die Dominica ſtantes oramus,tum ve-
,, lut cum Chriſto reſuſcitati, & quæ ſursùm
,, ſunt quærentes; tum quòd is dies quoquo
,, modo imago eſt futuri ſæculi,& æternitatis,
,, quæ nec finem habet,nec ſenium novit; ere-
,, ctoque illo corporis habitu quaſi transferimus
,, mentem à præſentibus ad futura.] Eundem orandi ritum ab Ægyptijs quoque monachis fuiſſe obſervatum, habemus apud Caſſianum collat.21. Abbatis Theonæ cap. 11. 18. & 20.

Oratio flexis genibus.

Toto tamen reliquo tempore flectebant genua,immò & in terram proſternebantur. Nam & Stephanus Act. 7. poſitis genibus pro lapidantibus oravit; & Petrus c.9. & Paulus c.20. & 21. & ad Eph.3. Hujus rei gratiâ flecto genua mea ad Patrem,&c. Ubi S.Hier. [Orandi,
,, inquit, conſuetudo, qua Deum genu poſi-
,, to ſuppliciter adoramus, & fixo in terram
,, poplite magis, quod ab eo petimus impetra-
,, mus.]Legimus & Paulum in littore ſic oráſſe, & geniculationes in oratione præceptas. Sed ſicut illud ædificat ſimplices; ſic vera geniculatio eſt in animo. Cur autem ita agamus, Origenem miror ſcripſiſſe nos ſcire non poſſe; ſic enim habet in homil. 5. in Num. [In Ec-
,, cleſiaſticis obſervationibus ſunt nonnulla,
,, quæ omnibus quidem facere neceſſe eſt, nec
,, tamen ratio eorum omnibus patet, ut quòd
,, genua flectimus orantes, & quòd ex om-
,, nibus cœli plagis ad ſolam orientis partem
,, converſi orationem fundimus.] Nam cur ad orientem convertamur, multiplex explicata eſt ratio, genua verò in terram ponimus, quia hic eſt adorantis, & ſupplicantis habitus; nec ſolùm Deo, ſed hominibus quoque ſupplicantes, & petentes aliquid poſuiſſe in terram genua, multa teſtantur ſcripturæ loca. Et Sanctus Baſilius loco paulò antè notato hanc adjunxit rationem, quæ fuerat item Sancti Juſtini: [Quoties genua flectimus, &
,, rursùm erigimur; oſtendimus, quod per
,, peccatum in terram delapſi ſumus, & per
,, humanitatem ejus, qui creavit nos, in cœ-
,, lum revocati ſumus.] Itaque hoc agentes, & humiliamur ipſi, & gratos nos ob acceptum beneficium teſtamur. Nec genua ſolùm flectimus, & totum in terram corpus proſternimus, ut loquuntur Hilarij verba paulò antè citata, & Auguſtini illa libro 22. de civitate Dei cap. 8. ad orationem ingreſſi ſumus, ubi nobis ex more genua figentibus, atque incumbentibus terræ &c. & illa in libro de cura pro mortuis gerenda cap. 5. [Orantes de membris
,, ſuis corporis faciunt, quod ſupplicantibus
,, congruit, cùm genua figunt, extendunt ma-
,, nus, proſternunt ſe ſolo, & ſi quid aliud viſi-
,, biliter faciunt, &, ſi eorum intentio nota ſit
,, Deo, his tamen magis ſeipſum excitat ho-
,, mo ad orandum,gemendumque humiliùs,at-
,, que ferventiùs.] Extatque S.Jacobi Apoſtoli exemplum, cujus genua, & frons propter hanc orandi conſuetudinem callo quaſi cameli erant obducta; ut ex Sanctis Hieronymo,& Chryſoſtomo anteà narratum eſt. Et de Juliano quoque legimus apud Theodor. in Sanctorum Patrum hiſtoria, ad preces converſus & ut ſolebat, & genua, & frontem ſolo admovens &c. De Tarſilla item amita ſua narrat Sanctus Gregorius hom. 38. in Evang. & lib. 4. dial. c. 16. in illius mortuæ cubitis, ac genibus, camelorum more obduratam cutem inventam, ex longa ſcilicet orandi, & proſternendi ſe conſuetudine. Portò ſedentem orare irreligioſiſſimum eſſe judicavit Tertullianus in libro de oratione cap. 12. [Irreverens eſt,
,, inquit, aſſidêre ſub conſpectu, contràque
,, conſpectum ejus, quem maximè reverea-
,, ris,ac venereris: quantò magis ſub conſpectu
,, Dei vivi, Angelo adhuc orationi aſtante?
,, factum iſtud irreligioſiſſimum eſt, expro-
,, bramus Deo, quod nos oratio fatigaverit.] Sed imbecillitati corpuſculi aliquid eſt condonandum interdum.

Octavus ritus. Manuum elevatio.

Octavus ritus manuum fuit elevatio; cujus & S. Dionyſius meminit in libro de Eccleſiaſtica hier. & Tertullianus in Apolog. cap. 30. & in libro de idololatria c. 7. & libro de oratione c. 13. Et S. Hilar. in Pſ. 140. Et S. Baſil. in caput primum Iſaiæ,& Orig.h.11.in Exodum; & h.in librum Regnorum. Et S.Chryſ. h. 22. in ep. ad Hebr. & veteres omnes. Nec acceptum dubito ex Moyſe orante,dum populus pugnaret cum Amalec Exod. 17. Cùm enim levaret Moyſes manus, vincebat Iſraël: ſin autem paululùm remiſiſſet, ſuperabat Amalec: Et cùm manus Moyſis eſſent graves, Aäron, & Hur ſuſtentabant eas ex utraque parte. Etſi enim ut ſcribit S. Hieron. ad caput 15. Jeremiæ, & 20. Ezech. & 1.Sophon. elevatio manus, ſive extenſio, habitum percutientis oſtendit: ſupplicantis tamen etiam indicium eſt. Conſueveruntque extendere manum in cœlum, cùm divinum ſubſidium implorabant, aut ſperare ſe teſtabantur; quemadmodùm Abraham Gen. 14. & Moyſes percuſſurus Ægyptum Ex. 9. & 10. Et elevavit

Digitized by Google

Joſue cap. 8. clypeum contrà urbem Nay, ut eam caperet. Et David quoque orans levabat manus, ut ipſemet fatetur in Pſal. 27. Exaudi Domine vocem deprecationis meæ; dum oro ad te, dum extollo manus meas ad templum ſanctum tuum: & Pſal. 87. Clamavi ad te Domine tota die, expandi ad te manus meas: & Pſal. 140. Dirigatur oratio mea, ſicut incenſum; elevatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum: & 142. Expandi manus meas ad te. Et in lege nova voluit Paulus in priore ad Tim. cap. 2. viros orare in omni loco levantes puras manus. Hoc non ſolùm eſt ſpem omnem noſtram à Deo pendêre; ſed etiam, ut habet Orig. opera, & actiones noſtras elevare ad Deum, nec habêre deorſum dejectas, & humi jacentes. Cæterùm in hac elevatione maximum cordis affectum teſtatur S. Chryſ. loco notato. [Novi, inquit, plures „ viros ego penè ita pendentes, ut terram non „ attingant, & ultrà menſuram manus extendentes, dolentes etiam, quia non poſſunt in „ aerem ſuſpendi, & ita cum alacritate orare.] Tertullianus tamen moderationem in hoc magnam deſiderat. Sic enim ſcribit in lib. de oratione cap. 13. [Cum modeſtia, & humilitate „ adorantes magis commendamus Deo preces „ noſtras, nè ipſis quidem manibus ſublimiùs „ elatis; ſed temperatè, ac probè, nè vultu „ quidem in audaciam erecto.]

Sed in Apologetico c. 30. orantium Chriſtianorum habitum deſcribens, non ſolùm elevatas dicit manus, ſed etiam expanſas ad vitæ innocentiam teſtandam, quaſi diceret cum Davide; Vide, ſi eſt iniquitas in manibus meis, Pſal. 7. [Illuc ſuſpicientes, inquit, Chri„ ſtiani manibus expanſis, quia innocuis; ca„ pite nudo, quia non erubeſcimus; ſine mo„ nitore, quia de pectore oramus; precantes „ ſumus ſemper pro omnibus] Caſſianus item in lib. de nocturnarum orationum modo c. 7. expanſas manus dicit.

Nonus ritus. Non nudis pedibus. Nonus ritus fuit non orare nudis pedibus, ſed cùm ad orationem accederent calceamentis obducere. Quod & nunc in ſacrificio maximè ſervatur; nam & viri religioſi, qui omni tempore nudis incedunt pedibus, eo tempore tegunt. Hoc enim magnopere & ad honeſtatem, & ad reverentiam pertinet. Propterea hoc ego ſacrificij miſſæ, quæ præcipua eſt Eccleſiæ oratio, proprium fuiſſe dicerem; quia nec pauperes, nec nudis pedibus incedentes, ab omni orationis uſu arcendi ſunt; & grave eſſet pedes induere, quoties orare libet. Niſi Sanctum Athanaſium legerem in libro de virginitate, virginibus quoque fœminis dicentem: [In oratione calceamentis „ obductos habeto pedes.] Sed fortaſsè virginalis pudor, & honeſtas hoc indigebat præcepto.

Decimus ritus fuit ſignare ſe ſigno crucis, cùm ad orandum accedebant. Undè & miſſæ ſacrificium à ſigno crucis inchoämus. Sanctus Ambroſius in libro 6. de Sacramentis c. 4. exponens illa Pauli verba in 1. ad Tim. 2. Levantes puras manus, de crucis interpretatur ſigno: [Nunquid, inquit, debes in oratione „ tua crucem Domini gentibus demonſtrare? „ Illud quidem ſignum virtutis eſt, non pudo„ ris. Eſt tamen quomodo poſſis orare, nec „ figuram demonſtres, ſed actus tuos leves. „ Si vis operari orationem tuam, leva puras „ manus per innocentiam.] *Decimus ritus. Crucis ſignum.*

Undecimus fuit concluſio Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, de quo dictum eſt cap. 7. *Vndecimus ritus. Orationis concluſio.*

CAPUT XII.

Orationes noſtræ cur non exaudiantur.

IAm verò, quod orantes multos contriſtat, orationiſque ſtudium retardat plurimùm, illud eſt, quod exaudiri ſe non putent, dum id, quod petunt, minimè conſequuntur. Sanè dictum nobis fuit à Domino Matth. 7. Petite, & dabitur vobis; quærite, & invenietis, pulſate, & aperietur vobis: omnis enim qui petit, accipit, & qui quærit invenit, & pulſanti aperietur; & cap. 18. Si duo ex vobis conſenſerint ſuper terram de omni re, quamcunque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cœlis eſt; & cap. 21. Omnia quæcunque petieritis in oratione credentes, accipietis; & alibi ſæpiùs hoc nobis promiſſum legimus. Cur ergò tam multa, & multo tempore petimus, & non accipimus?

Multis modis horum quærimoniæ, & expoſtulationi reſpondêre Patres. Primum enim ad Hugonem novitium ſcripſit S. Bern. epiſt. 351. impium eſſe ſentire de Deo, quod continêre poſſit ſuper te viſcera tua, & avertere aurem à ſingultu tuo, vel clamore. 1.

Deindè [Iſtud (ait S. Ambr. in oratione de „ obitu fratris Satyri) arrogantis eſt impuden„ tiæ, id ſolùm velle, quod multis etiam Sanctis „ negatum fuiſſe noveris. Nam ſi ſemper ex„ audiret, non voluntate libera, ſed ex qua„ dam velut neceſſitate facere videretur.] 2.

Deindè cùm omnes rogent, ſi exaudiret omnes, nemo ergò moreretur. 3.

Tum verò affirmavit Sanctus Greg. Papa in Pſal. 7. Pœnit. Stultum eſſe in judicium cum Deo intrare illum, qui, cum oraverit, murmurat, ſi non exaudiatur. Quis enim es tu, qui Deo dicere audeas, cur ità facis? Stultum verò eſt ab oratione deficere, ſi exaudire differat, cum rogatur: & iniquum arguere conditorem, ſi effectus non ſequatur orationem. Præſertim cùm quid oremus, ſicut oportet, neſciamus. 4.

Digitized by Google

Nonnullis quippè impatientibus Dominus, quod petebant, ſæpè conceſſit iratus, ſicut è contrà Apoſtolo negavit propitius. S. Chryſoſt. h. 17. ex varijs Matthæi locis; [Rogâſti ,, ſemel, ſecundò, & tertiò; nè recedas, quouſ- ,, que accipias; finis poſtulati acceptio depre- ,, cantis eſt. Tunc ceſſa, quando acceperis; ,, immò magis nec tunc ceſſes; ſed perſevera ,, agens gratias, pro eo, quod accepiſti, ut per- ,, ſeveret tibi, quod acceperis.]

5. Addit hom. 11. in priorem epiſt. ad Theſſ. ,, [Quando fatigaris orando, & nihil accipis, ,, cogita, quoties audieris invocantem te pau- ,, perem, & non exaudieris, nec tamen is indi- ,, gnatus ſit, neque te vituperaverit; quamquam ,, tu ex crudelitate hoc facis, Deus verò ex be- ,, nignitate. Si ergò tu, cùm ex crudelitate ,, conſervum non audias, criminari non me- ,, rearis; Dominum criminaberis, quòd ſer- ,, vum ex benignitate non audit?]

6. Sed & in commentario Pſalmi 114. exemplum addit naufragantium, qui dum in tabula vehuntur, alios qui procùl ſunt, vocantes rogant, ut caſus illorum miſereantur, & opem ferant. Quantò enim magis benigniſſimus Dominus illis ſubveniet, ſi ad eum confugerint humana ſpe omni abjecta? Quod ergò effectum orationum impedit, eſt, quòd non omnem ſpem in Deum ponimus.

7. Alioqui ipſe vult nobis dare, & plura dat, quàm petatur. Nam & latronem notat Sanctus Ambroſius lib. 10. in Lucam cap. 22. ſolùm petijſſe; Memento mei, dum veneris in regnum tuum; & Dominus reſpondit: Hodiè mecum eris in Paradiſo.

8. Hûc etiam ſpectat fides, cujus defectum meritò Caſſianus collat. 9. Abbatis Iſaäc c. 33. inter cauſas numerat, cur non exaudiamur, nam Dominus Matth. 17. dixit; Si habueritis fidem, ſicut granum ſinapis, dicetis monti huic, tranſi hinc, & tranſibit: [Pro certo ergò non ,, exaudiendum ſe ſupplicans quiſque, inquit ,, Caſsianus, non dubitet, cùm ſe dubitaverit ,, exaudiri.] S. Auguſtinus in ſer. 36. de verbis Domini, fidem appellat orationis fontem: ,, [Si fides deſit, oratio perit. Non enim poteſt ,, ire rivus, ubi caput aquæ ſiccatur.] Et Sanctus Ioan. Chryſ. in ſer. de Moyſe, to. 1. dum audit à Chriſto: Petite, & dabitur vobis; [Op- ,, tat, inquit, dare, qui præcipit petere; bene- ,, ficia ingerit, qui poſcendi hortamenta ex- ,, primit; cupit largiri, qui deſiderat poſtulari; ,, ille ſuadet, qui præſtat, ille hortatur, qui do- ,, nat, occaſiones ille dandi exquirit, qui be- ,, neficia tribuere conſuevit.] [Conſtat nemi- ,, nem ſperni, ait hom. 18. operis imperfecti, ,, niſi qui petere dubitaverit, quærere negle- ,, xerit, pulſare ceſſaverit.] Quin etiam in com. citato ad Pſalmum 114. & homil. 1. in Matthæum, Deum contendit, quia nos valdè amat, permittere nobis adverſa, ut ad eum confugiamus; exemplo matrum, quæ inſolentes filios diverſis perſonis perterrent, ut ad ſuum confugiant gremium.

Omninò vult placari precibus, ut S. Grego- 9.
rius loquitur h. 37. in Evang. qui ſcit, quia portari non poſſit iratus; & qui moram facit venire, legationem pacis ſuſtinet. Propterea Sanctus Chryſ. h. de profectu Evangelij, hortatur ad orandi perſeverantiam: [Nam ſi differt dare, ,, quod petimus, non id odio facit, quod averſe- ,, tur nos; ſed diutiùs nos ſecum ſervare vult. ,, Sicut & patres filios indulgentiùs amantes, ,, quò illos diutiùs apud ſe detineant, dedita o- ,, pera morantur aliquid daturi.] [Novit enim ,, h. 9. de pœnitentia) quòd piger es, quique ſi ,, voti compos fueris, abibis jam non orans, & ,, ſub voto orationis protrahit te, quò crebriùs ,, eum alloquaris, orationeque exciteris.]

Verùm quid pluribus moror? Jacobus Apo- 10.
ſtolus in ſua epiſtola cap. 4. uno verbo dixit; Petitis, & non accipitis, eò, quòd malè petatis, ut in concupiſcentijs veſtris inſumatis. Malè petimus, aut quòd mala, aut quod mali petamus. S. Chryſ. hom. 61. in Matth. [Aut ,, inconducibilia poſtulant, aut indigni ſunt ex- ,, audiri, nec quidquam boni à ſe ipſis offe- ,, runt; aut adversùs eos, qui læſerunt, ultionem ,, petunt, aut miſericordiam poſtulant, cùm ,, nullam egerint pœnitentiam.] Prioribus illis, qui ultionem, aut divitias, aut honores, aut ſimilia cætera petunt, veriſſimè diceret Dominus illud Matth. 20. Neſcitis quid petatis: & illud Jo. 16. uſque modò non petiſtis quidquam in nomine meo. petite, & accipietis, ut gaudium veſtrum ſit plenum: hoc eſt, ea petite, quæ *Io. 16.*
ad æternam fœlicitatem pertinent, & accipietis. Nam ſi alia petatis, nihil petitis; quia dicitur; uſque modò non petiſtis quidquam. Neque in nomine meo petiſtis; [Quia (ut habet ,, S. Aug. tract. 102. in Jo.) non petitur in no- ,, mine Salvatoris, quidquid petitur contrà ra- ,, tionem ſalutis; & quid petitur, quod ad æ- ,, ternam ſalutem non pertinet, nihil eſt; & ,, hoc petere, eſt nihil petere.] De quibus etiam interpretatur idem Aug. illud Pſalmi 13. Dominum non invocaverunt. [Non enim verè ,, invocat, qui ea deſiderat, quæ illi diſpli- ,, cent.] Et S. Chryſoſtomum in Pſal. 137. ,, [Hoc maximè, inquit, efficit, ut audiamur; ,, quando preces ei gratæ fuerint, & ea peti- ,, mus, quæ à Deo dari par eſt.] Et S. Hilarius dum interpretationem facit Pſalmi 54. orationes noſtras obſervat, aut inauriri à Deo, aut deſpici, aut intendi, & exaudiri. Inaurit omnes, deſpicit leves, & inutiles, intendit, & exaudit utiles, & ſanctas, quales erant orationes illius, qui dicebat Pſ. 101. In quacumque die invocavero te, velociter exaudi me. [Ci- ,, tò enim obtinentur, ait S. Proſper, quæ bo-

no

Digitized by Google

„ no deſiderio poſtulantur;nec differuntur pre-
„ ces, quæ hoc petunt, quod vult ille,qui peti-
„ tur.] Lege Emiſſenum h. in fer.3. poſt.3. Dominicam quad.& in litanijs majoribus,& in natali Apoſtol. hom. 1. & S. Anſ. in libro de menſura crucis c. 1. & 7.

Prima Cauſa. Oratio peccatoris.

De poſterioribus verò, qui abſque pœnitentia, & emendatione vitæ ad orationem accedunt, Clemens Alexandrinus libro 7. ſtrom. orationem illorum eſſe dixit pernicioſiſſimam, tum ſibi, tum alijs. Et Evangelicus ille cœcus pronuntiavit ſententiam: Peccatores Deus non exaudit, ſed ſi quis eſt illius cultor, hunc exaudit, cui ſi non credendum dicat Origenes hom. 5. in Iſaiam, quia cœcus erat: reſpondêri poteſt; eum non mente,ſed corporis oculis fuiſſe cœcum, & quidem quando hoc dixit, jam à Domino illuminatum. At S. Gregorius Nyſſenus in libro de oratione, or. 2. peccatorem hominem contendit non poſſe dicere; Pater noſter; aut ſi dicat, eum non cœleſtem Patrem Deum, ſed infernum, & diabolum appellare. Et S. Ambr. lib. 2. de Abel, & Cain c. 7. [Deus juſtos audit, etiam mortuos, quo-
„ niam Deo vivunt: avertit autem ſe à preci-
„ bus impiorum, quoniam etſi videantur vive-
„ re, miſeriores tamen ſunt omnibus mortuis,
„ carnem ſuam, ſicut tumulum circumferen-
„ tes, cui infœlicem infoderunt animam ſuam.]
Et S.Hieron. in Jeremiæ caput 8. [Fruſtrà ad
„ Deum preces fundunt, qui Dei præcepta
„ contempſerint.] Et S. Greg. Papa lib.5.moral. c.30.& lib.18.c.7. profert Sapientis verba Prov. 28. Qui avertit aurem ſuam, nè audiat legem, oratio ejus erit execrabilis. [Si e-
„ nim ille non audit Deum, nec audiri à Deo
„ debet.] Et lib.10. c.10. [Cum culpa manus
„ ad Deum extendere eſt contrà largitoris gra-
„ tiam de virtute operum ſuperbire.] Quam ob cauſam c. 11. antequam ad orandum accedamus, vult nos examen conſcientiæ præmittere; [Ut ad precem facies ſine macula levetur,
„ antè orationis tempora debet ſollicitè con-
„ ſpici quidquid poteſt in oratione reprobari.]
Et in Pſalmum 5. Pœnitent. [Qui perverſis
„ actionibus aſſuetus, operibus iniquitatis in-
„ vigilat; nequaquam dignus eſt exauditione,
„ cùm orat.] Sed ſapienter,& verèS.Cyr. Alexand. lib. 6 in Jo. c. 20. totam hanc quæſtionem definit. [Peccatores Deus exaudit,ſi reſi-
„ piſcant à peccatis, ſi mala præterita lachry-
„ mis abluant, & ex corde abnegent, ſe eſſe
„ quod fuerant.] Et Sanctus Hieronymus ad Jeremiæ caput 14. [Preces tunc proficiunt,
„ cùm recedimus à vitijs, & flemus antiqua
„ peccata.] Et com. in Pſalmum5. Manè, inquitPropheta,exaudies vocem meam;quamdiù in tenebris peccati ſum, non exaudis: Statim ut tenebræ fugere cœperint, & in principio boni operis ſtatim exaudies me; alioqui ſtat ſapientis ſententia; Oratio ejus eſt execrabilis.

Secunda cauſa. Oratio juſti, & peccatoris.

Ergò illa facilè, ac libenter à Deo exaudietur oratio, quæ bonis aſcendet operibus commendata. Undè Sanctus Auguſtinus & in Pſ. 42. & ſermone 59. de tempore, ut celeriter volet ad Deum, duas illi adjungendas eſſe alas conſulit; jejunium, & eleëmoſynam, & libro de opere monachorum cap. 17. [Citiùs, in-
„ quit, exauditur una obedientis oratio, quàm
„ decem millia contemptoris.] Et in tractatu de rectitudine Catholicæ converſationis, tom. 9. [Sicut nullum in vulnere valet medica-
„ mentum, ſi ſit intus ferrum, ita nihil illius
„ oratio proficit, in cujus pectore mortiferum
„ verſatur peccatum.] Et in ſermone 237. de tempore, & ſerm. 2. de Sanctis, Stephanum obſervavit Act. 7. ſtantem pro ſe oràſſe, & pro lapidantibus genua flexiſſe: quia cùm ipſe juſtus eſſet, & Deo benè ſerviviſſet, non erat difficilis impetratio; at lapidantium magna erat impietas.Et Sanctus Cyprianus in ſermone de oratione Dominica; [Orantes non
„ infructuoſis, nec nudis precibus ad Deum
„ veniamus. Inefficax petitio eſt,cùm precatur
„ Deum ſterilis oratio. Nam cùm; Omnis ar-
„ bor non faciens fructum, excidatur, prome-
„ rêri Deum non poteſt, qui nulla operatione
„ fœcundus eſt.] Et ideò Scriptura divina inſtruit Tob. 12. Bona eſt oratio cùm jejunio,& eleëmoſyna. Citò orationes ad Deum aſcendunt, quas ad Deum merita noſtri operis imponunt, confirmat S.Leo ſer.5. de jejunio decimi menſis. Et ut habet Orig. h. 13. in Lev. in veteri lege ſuper panes propoſitionis, hoc eſt, panes fidei,juſſit Deus poni thus mundum, id eſt, orationem ex conſcientia munda,& pura profectam. Et S.Gregorius Nyſſenus vitam enarrans Moyſis, tacenti notat dictum à Deo fuiſſe; Quid ad me clamas? Quia ſonora & ad divinas aures penetrans eſt illa vox, quæ puritate cordis concipitur: contrà in libro de oratione, or. 5. irrita, inefficax, & non penetrans illa, cum qua ſimul conſcientia non clamet. Sed audi Sanctum Joannem Chryſoſtomum homilia in dictum Joannis: Veniet hora, quando veri adoratores, &c. to. 3. [Non
„ vult ſuam orationem audiri, qui putaverit
„ præcepta Dei debêre contemni. Difficilis
„ eſt enim ad impetrandum aditus, cùm præ-
„ cedit juſſionis divinæ contemptus. Facilè
„ quòd poſtulatur, accipitur, ſi quod jubetur,
„ inſtantiſſimè compleatur: ut homo benefi-
„ ciorum aditus, aut ſibi claudat, aut reſeret,
„ aut intercludat, aut tribuat, aut neget, aut
„ præſtet.] Et h. 1. in poſteriorem epiſtolam ad Tim. [Non in extenſione manuum, non
„ in verborum multitudine, ſed in operis exhi-
„ bitione nos exaudiri meminerimus.] Audi quid Propheta dicat, Iſ. c. 1. Si extenderitis manus veſtras, avertam oculos meos à vobis,
&,

Digitized by Google

& , ſi multiplicaveritis preces, non exaudiam. Ac demùm (ut alia plurima prætermittam, quæ nimis longum ſermonem facerent) hom. 10. in ſymbolum, cùm presbyter eſſet deſignatus to. 5. [Ut in coronis, inquit, non ſat eſt flo-„ res eſſe puros, niſi pura ſit, & manus eos con-„ texens; ſic & in ſacris hymnis oportet non „ tantùm verba eſſe pia, verùm etiam animum „ hymnos concinentem.] Quam ob cauſam Davidem obſervat in Pſ. 148. omnes invitâſſe creaturas ad laudandum eum, à quo conditæ ſunt, ſcorpios quoque, & dracones, peccatorem non invitâſſe: [Ut enim muſicus è cy-„ thara benè modulata diſſonam chordam re-„ ſecat, & medicus membrum amputat putre-„ factum; ita peccator ab hac ſacra chorea „ ſubmotus eſt.]

Tertia cauſa. Mentis vagatio in oratione.

Expoſui duas cauſas, cur orationes non exaudiantur noſtræ, unico illo Jacobi verbo contentas; Eò quòd malè petatis, quia, inquam, aut mala, aut mali petamus. Addo & tertiam; quia malè. Nam etſi labijs, & voce, non tamen cordis affectu oramus. [Magnam „ enim injuriam Deo facio, ait S. Bern. in lib. „ meditat. cap. 8. cùm illum precor, ut meam „ precem exaudiat, quam ego, qui fundo, „ non audio. Deprecor illum, ut mihi inten-„ dat: ego verò nec mihi, nec illi intendo.] Hos S.Greg. Papa in Pſalmum 5. Pœnit. vocare quidem Deum affirmat, ſed non invocare; ita ut exaudiri mereantur, ſicut petebat David Pſ. 101. cùm dicebat; In quacumque die invocavero te, velociter exaudi me. Et S. Jo. Chryſ. hom. 9. in ep.ad Coloſſ. non Deo canere, ſed aëri, & hom. 79. ad populum; „ [Orare quidem, ſed non coram Domino, ſi „ enim, ait, corpore humi proſtrato, & ore „ incaſſum nugante mens tota domum, & fo-„ rum circumeat; quomodo talis dicere pote-„ rit, quòd in conſpectu Dei precatus ſit? „ Nam orat in conſpectu Dei, totam colligens „ animam, & nihil habens cum terra commu-„ ne. Atque hinc maximè fit, ut exaudiatur.] Et hom. 17. ex varijs Matthæi locis; [Labia „ moventur, mens autem ſine fructu eſt, & au-„ res ejus ſurdæ ſunt. Tu non audis orationem „ tuam, & Dominum vis audire precem tuam.] Quod à dæmone plurimùm addit procurari, ut nos ſine fructu efficiat, quod & Amb. habet in libro de bono mortis cap. 6. ut quemadmodùm loquitur Aug. in expoſitione Pſalmi 85. vix ſtet cor noſtrum ad Deum ſuum, ſed fugiat à nobis, nec inveniantur cancelli, quibus includatur, & retineantur avolationes ejus: Et David 2. Reg. 7. dicit ſe inveniſſe cor ſuum, ut oraret Deum; quaſi ſoleret ab eo fugere, & ille ſequi quaſi fugitivum. Quam ob cauſam Orig. tractans illa Pauli verba ad Rom. cap. 15. Ut adjuvetis me in orationibus ad Dominum, magnum, ait, eſſe agonem orationis, ut obſiſtentibus inimicis & orantis ſenſum in diverſa rapientibus, fixa ſemper ad Deum mens ſtabili intentione contendat. Et Theodoretus in Ezech. ſect. 1. Prophetam vult à Deo evocatum fuiſſe in campum, ut loqueretur cum eo, quia mens ab omnibus, quæ eam diſtrahere poſſint, libera eſſe debet. Et Chriſtum Dominum oraturum elevâſſe ſurſum oculos, ſcribit S.Cyr.Alex. l.7. in Jo.c.22. ut nos doceret, cùm orare volumus, mentem ad cœlum erigere debêre. Et calceamentorum detractio, quam Deus Moyſi ad viſionem ardentis rubi præcepit, terrenarum harum cogitationum depoſitionem S.Jo. Damaſceno ſignificavit in h. de Sabbatho Sancto. Quas cogitationes velut immundas aves ſacrificium devotionis circumvolantes, ut de Abrahæ ſacrificio narratur Gen. c. 15. cogitaverunt eſſe. S. Bern. in tract. de vita ſolitaria ad fratres de monte Dei, & S. Greg. Papa lib.16. mor. c.19. quocircà quod à Domino dictum eſt Matt.18. Ubi ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum; Euſebius Emiſſ. in ſer. de his ipſis verbis, in uno etiam affirmat intelligi poſſe; ſi adorationem non corpore ſolùm; ſed & mente introeat, atque in Eccleſia & corpore, & mente teneatur.

Hæ ſanè tres cauſæ in nobis conſiderantur, noſtrâque culpâ faciunt, ut non exaudiamur. Quartam, quæ bonum noſtrum ſpectat, apud S. Aug. reperias in 22. lib. de civ. Dei c. 22. nè proptereà ad orandum, & colendum Deum adducamur, quòd ab eo beneficia conſequamur, quod mercenarium eſſet, qui propter ſeipſum, & ut pater filiali amore quærendus eſt: [Non „ ſemper, inquit ille, ipſa beneficia tribuuntur „ petentibus, nè propter hoc religio quæratur, „ quæ propter aliam magis vitam quærenda eſt.]

Quarta cauſa.

Quintam verò apud omnes Sanctos Patres: omnes enim ita nobis expedire demonſtrant. Origenes homilia 7. in diverſos, cur Dominus Matth. 15. non ſtatim exaudiverit Chananæam pro filiæ liberatione inclamantem, duplicem adfert cauſam; tum ut ſervaret legem, neque Judæos offenderet, daretque illis occaſionem à ſe recedendi tanquam legis violatore, quæ Iudæis prohibeat cum Chananæis tractare; tum ut illius probaret fidem, & omnibus notam faceret. Si enim ſtatim exaudita abijſſet, illius fidem nullus probâſſet. Alij diabolum obſervant à Domino petijſſe tentandum Iob, & impetraſſe; Paulum verò orâſſe, ut à ſtimulo carnis ſuæ liberaretur, neque exauditum fuiſſe. Sed ille ad damnationem ſuam, inquit Sanctus Auguſtinus in Pſalmum 144. hic ad perfectionem; quippè virtus in infirmitate perficitur, quemadmodùm ipſemet Deus reſpondit. Adfert exemplum medici, qui aliquid impoſuit ægroto grave, & moleſtum, rogat, ut auferat, neque exaudit medicus;

Quinta cauſa.

Digitized by Google

medicus; propter bonum ſcilicet, & ſalutem ægroti. Sic enim ſapientiſſimus animarum noſtrarum medicus agit nobiſcum; cui hoc devotionis debemus, ait idem in epiſt. 121. ad Probam c. 14. [Ut ſi ea non abſtulerit, non ,, ideò nos ab eo negligi exiſtimemus; ſed pia ,, patientia malorum ſperemus ampliora. Sic ,, enim virtus in infirmitate perficitur.] Quod rurſum conſiderans Orig. c. 8. epiſt. ad Rom. Et S. Hier. in com. ad cap. 1. Habac. eundem ægrotum accipiunt petentem quidpiam à medico, medicumque, quod ſalutare illi non ſit negantem, atque in opportunius tempus differentem. [Quomodò, inquit Hier. ſi æ- ,, grotus, & æſtuans febribus aquam frigidam ,, poſtulet, & dicat ad medicum, vim patior, ,, crucior, uror, exanimor; uſquequò medi- ,, ce clamabo, & non exaudies? & reſpondeat ,, ei ſapientiſſimus, & clementiſſimus medi- ,, cus; ſcio quo tempore debeam dare quod po- ,, ſtulas: non miſereor modò, quia miſericor- ,, dia iſta crudelitas eſt, & voluntas tua con- ,, trà te petit. Ita & Dominus noſter ſciens ,, clementiæ ſuæ pondera, atque menſuras; in- ,, terdum non exaudit clamantem, ut eum pro- ,, bet, & magis provocet ad rogandum, & ,, quaſi igne excoctum juſtiorem, & puriorem ,, faciat.] [Ut enim flabelli flatu magis ignis ,, accenditur: ita oratio Sanctorum, ait S. Aug. ,, in Pſ. 87. dilatione beneficij, & tribulatio- ,, num adverſitate quaſi repellitur; ut tanquam ,, ignis flatu repercuſſus inflammetur arden- ,, tiùs.] Et tract. 73. in Jo. [Malè uſurus eo, ,, quod vult accipere, Deo potiùs miſerante ,, non accipit. Proindè ſi ab illo petitur, undè ,, homo lædatur exauditus, magis metuendum ,, eſt, nè quod poſſet non dare propitius, det ,, iratus.] Itaque in tractatu 6. in epiſtolam Joannis, Sanctos conficit ad ſalutem æternam, omninò & ſemper exaudiri; & aliquos exaudiri ad voluntatem, non ad ſalutem, alios ad ſalutem, non ad voluntatem. Diabolus contrà Job exauditus eſt ad voluntatem, non ad ſalutem, Paulus ad ſalutem, non ad voluntatem, ut habet quoque in ſer. 54. de verbis Domini: & ideò potiùs exauditus eſt Paulus, diabolus non exauditus. [Bonus Dominus, ſcribit ad ,, Paulinum ep. 34. qui non tribuit ſæpè quod ,, volumus, ut quod malimus attribuat.] Et S. Jo. Chryſ. in Pſal. 4. & h. 79. ad populum. ,, [Quandò petimus inutilia, meliùs eſt non ,, exaudiri.] [Nemo, qui tardiùs auditur (San- ,, cti Gregorij ſententia lib. 26. moral. c. 15.) ,, credat, quod à ſuperna cura negligatur. Sæ- ,, pè enim noſtra deſideria, quia celeriter non ,, fiunt, exaudiuntur: & quod impleri concitè ,, petimus, ex ipſa meliùs tarditate proſperatur, ,, ſicut & ſemina meſſium gelu preſſa ſolidan- ,, tur; & quò ad ſuperficiem tardiùs exeunt, ,, eò ad frugem multipliciora conſurgunt.] Et lib. 20. c. 22. [Deus differre ſolet voces pe- ,, tentium, ut merita petentium creſcant, qua- ,, tenus eò magis exaudiuntur ad meritum, ,, quò citiùs non exaudiuntur ad votum. Un- ,, dè & in Pſalm. 21. dicitur; Deus meus cla- ,, mabo per diem & non exaudies, & nocte, & ,, non ad inſipientiam mihi. Ad multiplican- ,, dam quippè Sanctorum ſapientiam, proficit, ,, quod poſtulata tardè percipiuntur, ut ex di- ,, latione creſcat deſiderium, ex deſiderio in- ,, tellectus augeatur, & ardentior in Deum af- ,, fectus aperiatur.] S. Aug. verò ſer. 5. de verbis Domini, ex eo, qui Lucæ 11. propter improbitatem obtinuit ab amico panes quotquot habebat neceſſarios, verè ratiocinatur de bonitate Dei, qui hortatur nos, ut petamus, & cui diſplicet, ſi non petamus. Sed cùm aliquando tardiùs dat, commendat dona, non negat. Diù enim deſiderata dulciùs obtinentur; citò autem data vileſcunt: [Petendo, & quærendo ,, creſcis, ut capias. Servat tibi Deus, quod ,, non vult citò dare, ut & tu diſcas magna ,, magnè deſiderare.] In eandemque ſententiam S. Anſel. in libro de menſuratione crucis c. 1. Deum ſcripſit ex naturali bonitate in infinitum eſſe proniorem ad exaudiendum, quàm nos avidi ſimus ad rogandum; quòd ſi differat dare, quod petitur; propterea cum differre, ut excitet magis appetitum noſtrum, neque quòd nolit dare, ſed ut aucto deſiderio abundantiùs poſſit dare.

Oratio pro alijs. Porrò dum oramus pro alijs, valet ſanè pro illis deprecatio noſtra, ait Sanctus Joannes Chryſ. homilia 1. de verbis Iſaiæ; Vidi Dominum &c. ſed ſi pœnitentia, & converſione eorum, pro quibus funditur, adjuta fuerit. Illis verò, quibus mores manent ſine pœnitentia, citràque bonam converſationem quomodo auxiliari poſſit, cùm illi ipſi ſuis factis obſiſtant? Tunc orantium meritis proſunt. In primò libro Regum cap. 8. populus Iſraël rogavit Samuëlem, ut conſtitueret illis Regem, ſicut & cæteræ habebant nationes: & confugiente ad Dominum Samuële, atque orante, reſpondit illi Dominus; Audi vocem eorum, & conſtitue ſuper eos Regem, qua de re tractans Sanctus Gregorius lib. 4. in primum Regum cap. 2. [Devota, inquit, electi viri oratio num- ,, quam eſt infructuoſa. Nam ſi populi corre- ,, ctionem non obtinuit, eruditionis ſuæ bonum ,, obtinuit: cùm abjectum populum pro mala ,, petitione cognoſceret. & nihilominus ſciret, ,, quid facere projectis ipſe deberet. Sed & ,, Sancti viri, dum devotè pro peccatoribus ,, Dominum obſecrant; eo ipſo divinæ prote- ,, ctionis auxilio muniuntur, ut eorum crimi- ,, nibus non polluantur, quorum ſordes delere ,, precibus nequeunt.] Quod ſi pro nobis orent alij, eorum orationes, quaſi manum labantem tenentem, aut tabulam, ſeu etiam manum naufra-

naufraganti porrectam, & perducentem ad portum voluit eſſe S. Greg. libro 7. regiſtri c. 125. & lib. 12. c. 16.

Denique ſi inſcienter, & non ex malitia minùs rectè orando petatur; excuſari à Deo ſimplicitatem, & inſcitiam noſtram, colligit Sanctus Ambroſius in com. ex verbis illis Pauli Rom. 8. Diligentibus Deum omnia coöperantur in bonum. Quia propoſitum cordis illorum ſciens Deus, non illis imputat, quæ adverſa poſtulant; ſed annuit ea, quæ danda ſunt Deum amantibus. *Simplicium oratio.*

CAPUT XIII.

De Orationibus Iaculatorijs.

ORATIONUM autem illud genus, quo plerique omnes piëtatis ſtudioſi uti ſolent, breve, & frequens veteribus quoque uſitatum reperio, Jaculatorium ab illis appellatum, quod hæ affectuoſæ ſint totæ, & velut jacula cor noſtrum feriant, atque ad divinum amorem excitent, & verò etiam cor Dei ad ſubveniendum nobis provocent. *Iaculatoriæ cur dictæ.* In ep. ad Probam 121. c. 10. veteribus Ægypti Monachis frequentes eas fuiſſe teſtatur Sanctus Auguſtinus dum ita ſcribit: [Dicuntur fratres in „ Ægypto crebras quidem habêre orationes, „ ſed eas tamen breviſſimas, & raptim quo„ dammodò jaculatas, nè illa vigilanter erecta, „ quæ oranti plurimùm neceſſaria eſt, per „ productiores moras evaneſcat, atque hebete„ tur intentio. Abſit ab oratione multa locutio, „ ſed non deſit multa precatio, ſi fervens per„ ſeverat intentio.] Multùm loqui eſt in orando rem neceſſariam ſuperfluis agere verbis: multum autem precari eſt ad eum, quem precamur diuturna, & pia cordis exercitatione pulſare. Nam plerumque hoc negotium plùs gemitibus, quàm ſermonibus agitur; plùs fletu, quàm affatu. Itaque Sanctus Auguſtinus plùs mentalem orationem probat, quàm vocalem longam: ſed mentali breves haſce vocis quaſi jacula vult intermiſcêri. *Oratio mentalis potior.* Et S. Jo. Chryſ. homilia de fide Annæ, ubi de illius oratione diſſerit, breves, & crebras vult eſſe orationes vocales: quoniam major eſt attentio, & devotio; quippè in longis, & prolixis facilè aliò mens à diabolo avocatur. *Oratio vocalis brevis, & crebra.* [Quod ſi frequen„ ter, ac ſubindè oraveris, tempus omne cre„ bris dirimens intervallis, facilè poteris eſſe „ ſobrius, & vigilans, ut precationem multa „ cum attentione perficias.] Et S. Ber. in libro de vita ſolitaria ad fratres de Monte Dei: „ [Sunt orationes, aliæ breves, & ſimplices, „ ſicut eas format voluntas, ſeu neceſſitas o„ rantis pro cauſa incidente: aliæ prolixiores, „ & rationabiles, ſicut in inquiſitione verita„ tis petentes, quærentes, pulſantes, donec „ accipiant, & aperiatur eis.] Et rurſum in vita Malchiæ Epiſcopi, cum narrat adoleſcentem, cùm ad vicum quemdam iret frequens cum magiſtro, ſolitum fuiſſe referre pedem, ſiſtere gradum, atque à tergo illius ſtantem, illo non comperiente expanſis ad cœlum manibus, raptim, ac velut jaculatam emittere orationem, & ſic diſſimulando magiſtrum denuò ſequi. Ac demùm in libro de paſſione Domini, ſuper Ego ſum vitis vera c. 44. exemplum quoque harum orationum proponit: [Inter „ horum, inquit, conſiderationem frequen„ ter repetendum; Redde mihi lætitiam ſa„ lutaris tui; ad imitationem apis; quæ inter „ volandum ſemper quemdam ſonum habet.] Sed ſive ex Pſalmis, ſive ex alijs libris ſacris, ſive ex Sanctorum dictis ſumantur, ſive à nobis ipſis interiori affectu dictante formentur, nihil intereſt.

DE ELEEMOSYNA.

LIBER XL.

IEIUNIO non orationem modò, ſed & eleëmoſynam adjunctam eſſe oportêre, anteà dictum eſt. Ergò poſt orationem, de hac quoque diſſerendum. *Eleëmoſyna jejunio melior.* Eam meliorem eſſe jejunio, docuerunt inter cæteros Sanctus Aug. ſer. 62. de tempore, & S. Ambr. ſer. fer. 5. poſt cineres, & S. Leo Papa ſer. tertio de jejunio Pent. immò nullius valoris volunt eſſe jejunium, quod eleëmoſyna non ſequatur; niſi fortè ità quis ſit pauper, ut omninò non habeat, quod tribuat

Digitized by Google

Tria eleëmoſynæ neceſſaria. tribuat. Tria namque in hoc opere miſericordiæ neceſſaria ſunt, quemadmodùm adnotavit S. Joannes Chryſ. in h. de miſericordia, & duabus mulieribus viduis, tom. 5. ut poſſis facere, hoc eſt, ſubſtantia faciendi non deſit, ut velis, ut compleas: ſed potiſſimùm omnium eſt, ut velis, alioqui miſerêri deſiderans vix poterit non habêre, quod tribuat. [Non enim, ait „ Chryſ. miſericordiæ definita ſunt pretia; nec „ pauper petit quantum; ſed quod datur, accipit, nec ullus eſt, qui calicem frigidæ aquæ „ non habeat.] Quem etiam indulget Dominus Matth. 10. ut obſervavit S. Ambroſius nè quis ſe ab hoc pietatis excuſaret officio.

CAPUT I.

Eleëmoſyna ex Sacris litteris ſtatuitur.

Egenis non ſubveniendum. VIx credidiſſem unquam, niſi apud probatiſſimos legiſſem autores, reperiri unquam homines potuiſſe, qui humanitatem omnem exuiſſent. Sed de Maſſalianis ita ſcripſit Sanctus Joannes Damaſcenus in libro de hæreſibus: [Inhumanitatem in mendicos in„ ducunt, negant enim ijs, qui publicè ea, quæ „ ad victum pertinent, quærunt, aut ijs, quo„ rum manus opere labefactæ ſint, aut ijs, qui „ adverſâ fortunâ utantur, vel corporum de„ bilitatione, vel morbis, vel acerbitate credi„ torum, vel furum injurijs, vel Barbarorum „ incurſionibus; aut ijs, qui tales caſus experti fuerint, ſubvenire oportêre; ſed ſibi quem„ que omnia ſuppeditare cenſent oportêre.] Manichæos quoque idem ſenſiſſe multò antè teſtatus fuerat S. Athanaſius his verbis, in ijs, quæ ſcribit poſt epiſtolam Urſatij, & Valentis ad ipſum: [Apud Manichæos miſericordia „ non eſt, & pro re hoſtili habetur pauperum „ commiſeratio. Quare tribunal ab illis exco„ gitatum eſt, ubi de beneficio reatus fieret, „ & miſerator accuſatione impeteretur, & is, „ qui beneficium acceperat, vapularet.] At *Confutatio.* quid inhumanum magis, immò & pejus quàm ferinum, audiri poteſt? Quid homini repugnans magis, qui tum ab humanitate appellatus eſt, tum ad amandum, & commiſerandum natura comparatus totus? Vel ipſæ feræ compatiuntur, & ſubveniunt, quantùm poſſunt ijs, quæ ejuſdem naturæ, ac ſpeciei conſortes ſunt: ſolus homo contemnat, & abigat? „ [Eleëmoſynis, inquit Sanctus Auguſtinus „ in q. 1. ad Dulcitium, tantum tribuit Scrip„ tura Divina, ut earum tantummodò fructum „ ſe imputaturum prænunciet Dominus dex„ tris, & earum ſterilitatem ſiniſtris.] Et colle*Collectæ in Eccleſia. Arca in Eccleſia* ctas à Paulo ordinatas, quæ mox in egentes diſtribuerentur, legimus in priore ad Cor. epiſt. cap. 16. & in Eccleſia fuiſſe arcam, ſeu gazophilatium ad eas colligendas; tum anteà diximus de oratione loquentes; tum confirmat Sanctus Joannes Chryſoſtomus homilia 43. in eam epiſtolam, & ſermone de eleëmoſyna, & collatione in Sanctos. Et Sanctus Auguſtinus in 3. contrà epiſtolam Parmeniani libro cap. *Pauperum catalogus.* 2. catalogum memorat pauperum, quos communi pecuniâ collectâ paſcebat Eccleſia. Haſque collectas die potiſſimùm dominico, quo & frequentiſſimus erat populus, & velut natalitius eſt totius humanæ naturæ dies, ut loquitur Sanctus Chryſoſtomus & factas fuiſſe, & fieri vult: qui propterea id, quod ait Apoſto*1. Cor. 16.* lus (Per unam ſabbathi) diem hunc interpretatur, & habet etiam Sanctus Leo in ſer. 1. de collectis: [Ventura, inquit, dominica dies col„ lectarum futura eſt.] Et homilia 30. in priorem epiſtolam ad Cor. & 11. in priorem ad Theſſ. & 1. in priorem ad Tim. & 28. & 67. *Mendici ad fores templi.* ad populum, idem Chryſ. mendicos memorat Eccleſiarum foribus adſtare ſolitos, ab ingredientibus, & egredientibus eleëmoſynam petentes (quod & apud Judæos uſitatum fuiſſe conſtat ex claudo Act. 3. ad ſpecioſam templi portam à Petro ſanato) quod Eccleſijs maximum ornamentum præſtare confirmat. Adfert & viduas ab Apoſtolo Act. 6. miniſtrandis pauperibus conſtitutas, illiſque ſeptem viros præpoſitos, nè ipſi à verbi miniſterio avocarentur. Et quid ſibi vult illud Pſal. 111. Diſperſit, dedit pauperibus: juſtitia ejus manet in ſæculum ſæculi? Et Tob. 4. Ex ſubſtantia tua fac eleëmoſynam, & noli avertere faciem ab ullo paupere; nec à te avertetur facies Domini. Et Eccleſiaſtici 29. Conclude eleëmoſynam in ſinu pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo. Quid illa maledictionis ſententia Matth. 25. Eſurivi, & non dediſtis mihi manducare. Et illud conſilium cap. 19. Vende quæ habes, & da pauperibus; quod divitem adoleſcentem plurimùm contriſtavit? quid loculi, quibus fur Judas Jo. 12. ea, quæ mittebantur, portabat; dum Chriſtus ex piorum virorum, ac mulierum eleëmoſynis victitabat? Et illa Diſcipulorum murmuratio Matth. 14. Potuit iſtud venundari pluſquàm trecentis denarijs, & dari pauperibus: Dominique excuſatio; Pauperes ſemper habetis vobiſcum, & cùm volueritis, poteſtis illis benefacere. Quæ omnia ita ſunt clara, & aperta, ut ſuperfluum ſit pluribus detinêre lectorem: vix enim quidquam eſt, quod toties, ac tam ſeriò inculcetur, ſed & antiquiſſimam fuiſſe conſue*Eleëmoſynæ in concione.* tudinem colligendi pro pauperibus eleëmoſynas inter concionandum; cognoſcitur ex Sancto Auguſtino ſermone quinto de verbis Domini. Nam eunti illi ad concionandum commendabant ſe pro eleëmoſyna pauperes.

Digitized by Google

CAPUT II.

Eleemoſynam Miſericordiæ, & Iuſtitiæ alumnam eſſe.

Miſericordia cur dicta.

DUabus autem præſertim virtutibus ſuſtentatur Eleëmoſyna; Miſericordia, atque Juſtitia. Miſericordiam enim appellatam fuiſſe voluit S. Aug. in lib. de moribus Eccleſiæ Catholicæ c.27. & lib. contrà Adimantium c. 11. quòd miſerum cor faciat condolentis hominis alieno malo, alienæque miſeriæ pauperum; quâ utique, ſi poſſimus, ſubvenire compellimur; ut addit in lib. 9. de civit. Dei c. 5. Interim S. Greg. Nyſſen. exponens illud; Beati miſericordes, in libro de beatitudinibus, Miſericordiam benevolentiæ matrem appellavit, & voluit eſſe voluntariam triſtitiam ob aliena incommoda, aut etiam cum dilectione conjunctam affectionem ergà eos, qui ob res triſtes, & moleſtas ſeſe diſcruciant. Itaq; cum hac animi affectione, & compaſſione conjunctam eſſe debêre eleëmoſynam, quæ virtutis ſit, his verbis affirmavit S. Gregorius Papa lib. 20. moral. c. 26. [Ille perfectè tribuit, qui cum eo, quod af-,, flicto porrigit, afflicti quoque in ſe animum ,, ſumit; ut prius in ſe dolentis paſſionem trans-,, ferat, & tunc contrà dolorem illius per mini-,, ſterium concurrat.] Ad hoc nos hortatur Paulus in ep. ad Coloſſ. c. 3. cùm ait; Induite vos viſcera miſericordiæ. [Ut quemadmodùm ,, (ait S. Chryſ. h. 14. in ep. ad Rom.) veſtis una ,, nobiſcum ſemper eſſe ſolet, ita ſit & miſeri-,, cordia. Neque ſimpliciter miſericordiam di-,, xit, ſed miſericordiæ viſcera, ut naturalem ,, imitemur pietatem, atque neceſſitudinem.]

Miſericordia quid.

In ſcripturis ſacris numquam in malum, aut vituperationem nominari miſericordiam adnotavit Sanctus Auguſtinus libro 22. contrà Fauſtum cap. 18. [Magna enim omninò eſt ,, virtus miſericordiæ, inquit Euſebius Emiſ-,, ſenus hom. in Dom. 4. poſt Pent. alijſque ,, omnibus virtutibus ſuperior. Undè & à Græ-,, cis oleum vocatur. Sicut enim oleum in li-,, quoribus, ita & in bonis operibus miſericor-,, dia ſuperior eſt.] Et ideò in Pſ. 32. & 118. miſericordia Domini plena dicitur eſſe terra; & Pſ. 144. Miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus. Itaque cùm Job c. 30. dixiſſet Deo; Mutatus es mihi in crudelem, & in duritia manus tuæ adverſarius mihi. S. Greg. lib. 20. cap. 23. in ſcriptura ſacra admonuit aliquid interdum de Deo indignum dici, immò verò nec propriè miſericordem appellari Deum, quoniam à miſero corde vocata eſt miſericordia, quâ nos miſero compatientes dolore animi tangimur; Deus autem ſine ullo dolore miſerijs ſubvenit noſtris. Verum in cæteris omnibus, cùm noſtris de Deo loquimur vocibus, ea ſemper ſunt removenda, quæ imperfectionem in nobis, & miſeriam habent, illudque intelligendum, quod bonum, & perfectionem ſignificat. [Deus miſericors dicitur ſecundùm nos, ,, ait Sanctus Anſelmus in Proſologio c.8. non ,, ſecundùm ſe; ſecundùm ſenſum noſtrum, ,, non ſecundùm ſuum. Nos enim ſentimus ,, miſericordis affectum, ille non ſentit affe-,, ctum.] Sed de hoc non eſt nunc dicendum pluribus. Concludam verbis S. Chryſoſtomi h. 33. ad populum: [Magnum homo, & pretioſum ,, vir miſericors. Niſi hoc habeat, eſſe deſijt ho-,, mo.] Et h. 25. & 29. & 44. in Gen. [Bono-,, rum virorum animæ magnam compaſſionem ,, habêre ſolent, ſi quando vident puniri homi-,, nes, etiamſi mali ſint.] Ideò inducto Noë in arcam, Deum vult, à foris clauſiſſe oſtium, nè Noë videndo tantam hominum ſtragem majori dolore afficeretur. Ac demùm hujus virtutis officinam demonſtrat nobis in cœlo, hom. 53. in Matthæum: [Ars quædam, inquit, libera-,, lis miſericordia eſt, in cœlis habens offici-,, nam, & non hominem, ſed Deum magiſtrum ,, poſſidet.] Pluribuſque eo loco de ea diſſerit.

Miſericordia oleum.

Deus miſericors quomodo.

Eleemoſyna juſtitiæ pars.

Juſtitiæ quoque pars eſt eleëmoſyna; ſive juſtitiæ illius generalis, quæ virtutem omnem complectitur; ſive illius, quæ ſpecialis eſt virtus reddens unicuique quod ſuum eſt. Generalem accepit S. Hieron. lib. 2. adverſùs Pelagium cap. 4. dum illa Domini verba Matth. 6. Attendite, nè juſtitiam veſtram faciatis coràm hominibus, juſtitiam interpretatus eſt eleëmoſynam: & utramque viſus eſt mihi comprehendere S. Ambr. ſerm. 8. in Pſal. 118. cùm dixit; [Miſericordia juſtitiæ portio eſt; ut ſi ,, vis donare pauperibus, hæc miſericordia ju-,, ſtitiæ eſt, ſecundùm illud Pſ. 111. Diſperſit, ,, dedit pauperibus, juſtitia ejus manet in æter-,, num.] Quod de generali juſtitia placet intelligi. Deindè de juſtitia ſpeciali ſubjungit: ,, [Quia conformis tuus, injuſtum eſt, ſi non ,, adjuvetur à ſocio, cùm præſertim Dominus ,, Deus noſter terram hanc poſſeſſionem om-,, nium hominum voluerit omnibus eſſe com-,, munem, & fructus omnibus miniſtrare: Sed ,, avaritia poſſeſſionum jura diſtribuit.] Juſtum eſt igitur, ut ſi aliquid tibi privatim vendicas, quod omnibus in commune collatum eſt, ſaltem aliquid indè pauperibus adſpergas, ut quibus juris tui conſortium debes, his alimenta non deneges. Quod ipſum argumentum apud Sanctum Gregorium quoque reperias in tertia parte paſtor. curæ admon. 22. [Terra, inquit, ,, ex qua ſumpti ſumus cunctis hominibus ,, communis eſt, & idcircò alimenta quoque ,, omnibus communiter profert. Cùm neceſſa-,, ria indigentibus miniſtramus, ſua illis reddi-,, mus non noſtra largimur: juſtitiæ debitum ,, potiùs ſolvimus, quàm miſericordiæ opus ,, implemus.] Undè Pſ. 111. Iuſtitia ejus manet

in

Digitized by Google

in ſæculum ſæculi: & Prov. 21. Qui juſtus eſt, tribuit, & non ceſſabit. Et Matth. 6. Nè juſtitiam veſtram faciatis coràm hominibus. Sed & ad juſtitiam pertinet illud Sancti Chryſoſtomi conc. 2. de Lazaro, & hoc rapina eſt, non impertiri de ſuis facultatibus; & homilia 34. ad populum. [Qui Eccleſiæ bona diſpenſat, „ poteſtatem non habet ea, quæ propter pauperes à nobis erogantur, temerè diſpergendi, „ quoniam in pauperum data ſunt alimentum, „ illiſque ex juſtitia dari debent; ita neque tu „ tua. Etſi enim paternam cepiſti hæreditatem, Dei tamen ſunt omnia, &c. Hic illa tibi dedit diſpenſanda, ſicut & tu das conſervo „ tuo. Non ad hoc accepiſti, ut in delicijs abſumeres, ſed ut in eleëmoſynam erogares. Nunquid enim tua poſſides? res pauperum tibi „ ſunt creditæ, ſive ex laboribus juſtis, ſive ex „ hæreditate paterna poſſideas.] Et S. Auguſt. in libro 50. homiliarum h. 8. [Divitibus, ait, „ dicit Deus: Prior de communi tolle, quod „ ſufficit neceſſitatibus domus tuæ; quod reliquum eſt da Chriſto.] Et h. 30. Deum proptereà voluit per Aggæum Prophetam cap. 2. dixiſſe; Meum eſt aurum, meum eſt argentum, ut cùm jubet dare egentibus, intelligamus, non de noſtro, ſed de ſuo jubêre donare. Ut inter nos quoquo modo fiat æqualitas, & ut voluit Paulus in poſteriore ad Cor. cap. 8. unius abundantia multorum inopiam ſuppleat, atque alter alterius onera portet, ut Gal. 6. præcipitur. „ [Onus enim paupertatis, ait Auguſt. ſerm. „ 24. de verbis Apoſtoli, eſt non habêre; onus „ divitiarum plus habêre, quàm ſit opus. Ille „ oneratus eſt, & tu oneratus es: porta cum „ illo non habêre, portet tecum plùs habêre, ut „ fiant æquales ſarcinæ veſtræ; quod juſtitiæ „ proprium eſt.] Et de juſtitia commutativa, ait in ſer. 5. de verbis Domini: [Laudas mercatorem; qui vendit plumbum, & acquirit „ aurum; & non laudas mercatorem, qui erogat pecuniam, & acquirit juſtitiam.] Et S. Ambr. in lib. de Nabuthe Jezraëlita c. 12. [Non „ de tuo largiris pauperi, ſed de ſuo reddis: debitum reddis, non largiris indebitum, quippè in neceſſitate communia omnia.] & ideò c. 14. [Cuſtos es tuarum, non Dominus facultatum; miniſter utiq; non arbiter;] [Si quid „ plùs habes, quàm tibi ad victum neceſſarium „ eſt, in illo pauperibus te debitorem eſſe noveris.] Sancti Hieronymi ſententiâ in regula monachorum cap. de paupertate, aliena rapere convincitur, qui non neceſſaria ſibi retinêre conatur. Et Euſebius de Hieronymi morte ſcribens; [Si aliquid ultrà extremam neceſſitatem poſſideas, & pauperi indigenti „ non ſubvenias, fur es, & latro.] Sanè divitias Theod. ſerm. 9. de provid. proptereà ſcripſit datas, ut egenis ex illarum abundantia largientes, eas temperantiæ, & juſtitiæ materiam faceremus; temperantiæ modeſtè illis in neceſſarijs ſolùm utendo; juſtitiæ autem pauperibus ſubveniendo.

Cæterùm quoniam in ſacris litteris, & apud Sanctos Patres, juſtitia virtutem ſæpiſſimè omnem ſignificat; placet totum hoc caput, quo de eleëmoſynæ juſtitia dixi, verbis concludere Sancti Chryſoſtomi homil. 12. in priorem epiſtolam ad Tim. pro bonitate juſtitiæ nomen uſurpando: [Juſtus eſſe non poteſt, inquit „ ille, qui divitias poſſidet ſolus: ſed tunc ju„ ſtus efficitur, ſi eas alijs quoque communicet. Si illas non habet, juſtus erit: ſi & alijs „ tribuat, erit itidem juſtus. Cæterùm quamdiù eas habuerit ſolus, juſtus profectò non „ erit.] Undè bonas non eſſe divitias conficit. Hoc enim bonum dicendum, quod dum tenetur, injuſtos efficit, dum deponitur, juſtos?

CAPUT III.

Eleëmoſynam utiliorem danti eſſe, quàm accipienti.

UTILIS ſanè recipienti pauperi eſt eleëmoſyna, quæ illius inopiæ, & miſeriæ corporali utcumque ſubvenit: at diviti largienti utilior multò, quem & ornat juſtitia, & alijs plurimis, & maximis animæ ditat bonis. [Beneficium largientis, inquit S. Ambroſius ſer. „ in Dom. 8. poſt Pent. præbenti magis permanent, quàm ſuſcipienti. Nam miſericordia quidem ad indigentem pervenit, gratia „ autem multiplicatæ mercedis permanet tribuenti: ille paſtus eſt, & refectus; ſed ad te „ redit, quod dediſti, cum fructibus, & uſuris: „ conſidera frumentum, quod ſeminatur in „ terra, ſi non ad ſeminantis potiùs, quàm ad „ ſuſcipientis lucra cedit.] Et S. Leo Papa in ſerm. 1. de collectis: [Unuſquiſque noſtrûm „ animæ ſuæ benefacit, quoties miſericordiâ „ ſuâ inopiæ ſuccurrit alienæ. Sibi unuſquiſque id præſtat, quod indigentibus tribuit. „ Theſaurum enim ſuum condit in cœlo, qui „ Chriſtum paſcit in paupere.] [Nè putes, „ ait S. Jo. Chryſ. h. 46. operis imperfecti, quia „ propter utilitatem pauperum Deus divites „ fecit, quos & ſine divitibus poterat ſuſtentare: ſed propter utilitatem divitum pauperes „ fecit, qui infructuoſi, & ſteriles erant futuri, niſi pauperes facti fuiſſent.] Et rursùm hom. 21. in priorem ad Cor. epiſtolam; [An „ neſcis, quòd non tam pauperum gratiâ eleëmoſynæ legem (eleëmoſynæ mandatum, & „ præceptum dixit quoque S. Nazianzenus in „ oratione de pauperum amore) ſtatuit Deus, „ quàm eorum, qui exhiberent?] Eandem ſententiam, & verò etiam pluribus explicatam habet in ſerm. de eleëmoſyna, & collatione in Sanctos, tom. 4. & hom. 1. & 15. in epiſtolam ad

Digitized by Google

ad Philip. & pluribus alijs in locis. Undè hom. 14. in priorem ad Tim. divites vult magis debere gratias pauperi, quòd dignetur accipere, quàm pauperem diviti, quòd det. Paulum quidem certè obſervabis in priore ad Corinth. cap. 16. & in poſteriore cap. 8. eleëmoſynam appellâſſe gratiam: [Etenim, ut Chryſ. loqui-

Eleëmoſyna gratia.

„ tur hom. 16. in poſteriorem, magnum bo„ num, & Dei donum, hoc eſt, & Deo nos aſ„ ſimilat, majorque eſt hæc gratia, quàm mor„ tuos excitare: nam hic tu Chriſto benefacis, „ ibi autem ipſe tibi: ibi tu debitor efficeris „ Deo, hic Deum debitorem conſtituis.] Hæc ille; ubi quod dicitur, eam nos Deo aſſimilare, explicatè magis habet S. Nyſſenus orat. 1. in ea verba; Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram: nos inquiens habere imaginem ex eo, quòd rationis ſumus compotes, ſimilitudinem autem, ſi miſericordes, & benigni ſimus; præclarum negotiationis genus hoc eſſe dixit Sanctus Nyſſenus in orat. 2. de pauperibus amandis. Et Chryſ. homilia 5. de pœnitentia, bonam negotiationem, in qua parvo emitur, & magno venditur. Et homilia 33. ad populum, artem artium omnium quæſtuoſiſſimam; adde & certiſſimam; quippè, ut eſt in Proverbijs cap. 19. Fœneratur Domino, qui miſeretur pauperis, & viciſſitudinem ſuam reddet ei: cum lucroſiſſimo ſcilicet fœnore cœleſtis regni pro exigua pecuniola juxtà illam æterni Judicis ſententiam; Venite; poſſidete paratum vobis regnum; Eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare, &c. Hujus figuram S. Cypr. in ſer. de eleëmoſyna profert Eliam 3. Reg. cap. 17. qui à paupere vidua ſibi primùm petijt fieri panem, deindè ſibi ipſi, & filijs ſuis; & ab illo die farinæ hydria non defecit, nec lecythus olei eſt imminutus. Cui ſimile illud eſt, quod de Meſyma ſcribit Theodor. in Sanctorum Patrum hiſtor. cap. 14. eum habuiſſe duo dolia, unum frumenti, alterum olei, ex quibus dabat omnibus egentibus, & ſemper erant plena.

Imago, & ſimilitudo.

Bona negotiatio eleëmoſyna.

Fœnus Deo.

Hinc eleëmoſynam fœnus omnes appellant. Idem Cyprianus in extremo ſermone de lapſis, hortatur, ut facultatibus noſtris Domino, qui de nobis judicaturus eſt, fœneremur. Et in ſermone de oratione Dominica; [Quando quis „ miſeretur pauperis, Deo fœnerat; & qui dat „ minimis, Deo donat.] Et S. Petrus Chryſologus ſerm. 14. [Beatus qui fœnerando paupe„ ri ipſum ſibi judicem præſtitit debitorem.] Et ſerm. 33. [Sanari neſcit qui neſcit pauperi „ fœnerari.] Et S. Leo ſer. 6. de jejunio decimi menſis; eum, qui pecunias amet, & opes multiplicare optet, ſeriò hortatur, hoc ſanctum fœnus exerceat, ut hac uſurarum arte diteſcat: ut illius ſit creditor, illius fœnerator, qui dicit; Date, & dabitur vobis. Et ſerm. 2. de jejunio ſeptimi menſis; [Quiſquis „ divitias amas, quiſquis multiplicari, quæ poſ„ ſides, concupiſcis in hæc lucra accendere, „ in hæc rerum tuarum augmenta ſuſpira. No„ li deſperare de fœnore, noli de accipiente „ diffidere. Non dubitet de receptione, cui „ Chriſtus eſt debitor.] Sanè Evagrium mortuum chirographo ſua manû ſubſcripto confeſſum fuiſſe, ſibi omninò ſatisfactum à Deo fuiſſe in pecunia in pauperes erogata, narrat Sophronius cap. 195. Et S. Auguſtinus lib. 1. de ſer. Domini in monte cap. 20. [Cùm Deus „ miſericordibus plura reſtituat; omnis, qui be„ neficium præſtat, fœneratur.] Et ſer. 146. de tempore. [Fœneratur Deo, qui dat pauperi.] Et concione 3. in Pſalmum 36. [Si fœneravc„ ris homini, à quo aliquid plùs, quàm dediſti „ expectes accipere, improbandus es, non lau„ dandus. Fœnerandum Deo, & pauperi dan„ do temporalia, ut accipias æterna. Deus eſt „ fidejuſſor pro paupere.] Et in lib. 50. homiliarum h. 29. fœnus trajectitium vocat. [Quaſi „ fœnus trajectitium facis. Hic das, in cœlo re„ cipies; hic das res perituras, ibi recipies res „ ſine fine manſuras.] Et S. Ambr. in libro de Nabuthe c. 7. [Si pauperibus largiaris, debito„ rem tibi Deum quadam pietatis fœneratione „ conſtituis.] Et cap. 14. [Facis tibi debitorem „ Deum, qui pro munere, quo pauper adjutus „ eſt; fœnus exolvet, quaſi boni debitor credi„ toris.] & lib. 1. offic. c. 11. [In die judicij ha„ bebis ſalutem à Domino, quem habebis tuæ „ debitorem miſericordiæ.]

Tranſeuntem Hilarionem cum tribus millibus monachorum (narrat in ipſius vita S. Hier.) lapidibus abigebat quidam vindemiæ tempore, nè intraret in vineam ſuam: alius invitavit, & admiſit, hujus vinea centum lagenis æſtimabatur, & fecit trecentas: alter multò minus ſolito collegit, & illud verſum eſt in acetum. Aliud præclarum extat exemplum apud Sophronium capite 185. & autor epiſtolæ ad Demetriadem, quæ Hieronymo aſcribitur; „ [Æterni ſpe præmij Chriſto in pauperibus „ fœnerari, qui dixit, quamdiù feciſtis uni ex „ his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.] Et S. Damaſc. in hiſt. Barlaäm c. 15. [Quidquid „ in pauperes beneficij contuleris, Dominus ſi„ bi aſciſcens magno cum fœnore tibi repen„ det.] Denique S. Chryſ. h. 27. ex varijs Matthæi locis, & alibi ſæpiùs. [Si tribuis pauperi, „ Chriſto fœneraris.] Quod ſi non ſtatim fœnus, remunerationemve recipias. Reſpondet idem ipſe homilia 15. in priorem epiſtolam ad Cor. & homilia 53. ad populum; nec eos, qui hominibus pecunias fœnori dant, velle continuò uſuras exigere; ſed gratum illis eſſe diutiùs eas in manibus debitorum eſſe; interim enim multiplicatur fœnus, & fit majus: modò cautionem habeant, neque debitor ſuſpectus ſit. Adfert quoque ſeminantium exemplum,

Digitized by Google

plum, multo enim tempore fructum ſementis expectant, qui interim multiplicatur, &c. Sed ut habet S. Leo ſerm. 2. de jejunio ſeptimi menſis; [Agricolæ ſuo nunquam ſeges iſta „ mentitur; illa non ratò mentitur.]

Video etiam graviſsimos viros conſiderantes id, quod pauperibus damus; donum non eſſe, ſed mutuum, quod opportuniori tempore fuerit nobis à Deo reſtituendum. Ita Sanctus Greg. Papa lib. 8. regiſtri c. 20. [Quid„ quid, inquit, tribuitur pauperi, non eſt do„ num, ſed mutuum, quod multiplicato ſine „ dubio fructu recipitur.] Et quidem S. Chryſoſt. h. 5. de pœnitentia, Deum obſervat occultè à nobis accipere mutuum, palam verò, & publicè in oculis univerſæ creaturæ debitum redditurum.

Eleëmoſyna donum & mutuum. S. Baſilius tamen in orat. de eleëmoſyna, & benignitate, & donum vult eſſe, & mutuum: donum pauperi, à quo nihil te ſperas recepturum, mutuum Deo, cujus magnificentia rependet pro paupere. At ſive fœnus, & uſuram, ſive mutuum eleëmoſynam dixeris, Clementem Alexandrinum invenies non ſolùm Deo, ſed & hominibus eſſe voluiſſe, dum in ſecundo libro ſtromatum ita locutus eſt. [Qui „ libenter largitur, ſatis magnas accipit uſuras, „ ea quæ ſunt apud homines pretioſiſsima; „ manſuetudinem, benignitatem, magnificen„ tiam, bonam famam, laudemq; & gloriam.]

CAPUT IV.

Quàm ſit utilis nobis Eleëmoſyna.

HÆc cùm ita ſint, facilè intelliges, meritò Sanctum Auguſtinum pauperes conſueviſſe appellare laturarios noſtros, quòd eleëmoſynas noſtras in cœleſtes theſauros comportent. *Pauperes laturarij noſtri.* Sic enim in ſermone 220. de tempore, loquentem nobis Deum facit: [Egentes in „ terra laturarios vobis inſtitui, qui opera ve„ ſtra in theſaurum meum portarent.] Et ſermone 245. [Laturarios tibi pauperes feci.] Quare hortatur nos Deus per Pſalmiſtam in Pſalm. 48. ut demus nunc pretium redemptionis animæ noſtræ: quod illos facere interpretatur Sanctus Auguſtinus qui non ceſſant eleëmoſynas facere. Et Dominus Luc. 12. Vendite, ait, quæ poſsidetis, & date eleëmoſynam: facite vobis ſacculos, qui non veteraſcunt; theſaurum non deficientem in cœlis, quo fur non appropiat, neque tinea corrumpit. [Non „ vult Deus, inquit Auguſtinus concione 1. „ in eum Pſalmum, ut perdas divitias tuas, ſed „ ut locum illis mutes. Si amicus intraret in „ domum tuam, & inveniret te in loco humi„ do frumenta poſuiſſe, diceret tibi; Frater per„ dis, quòd cum magno labore collegiſti: in lo„ co humido poſuiſti, paucis diebus iſta putreſ„ cent; leva in ſuperiora. Audires amicum ſug„ gerentem, ut frumenta levares de inferioribus „ ad ſuperiora, & non audis Chriſtum monen„ tem, ut theſaurum tuum leves de terra ad cœ„ lum?] Eandem ſententiam repetit in ſer. 50. de tempore, atque in ſer. 93. alludens ad ritum illum orantium, quo Moyſis imitatione manus levabant: [Quis, inquit, benè levat manus, „ niſi qui per eleëmoſynam in cœlo jugiter „ theſaurizat? niſi qui aſſiduè victum, & ve„ ſtitum pauperibus ſubminiſtrat?]

At quid laturarios dixit Auguſtinus pauperes? Immò & ædificatores, & conſtructores affirmavit S. Greg. Papa in 4. lib. dialog. cap. 36. qui domum in cœlis, & quidem auream, nobis ædificent. *Ædificatores, & conſtructores.* Militem enim quemdam narrat, Deo indicante, vidiſſe ſenes, ac juvenes, puellas, & pueros, portantes laterculos aureos ad ædificationem cœleſtis domus, domumque Deus dedit diebus ſabbathi ædificâſſe, quia quidquid per totam lucrabatur hebdomadam, die ſabbatho ad Beati Petri Eccleſiam deferebat, atque indigentibus erogabat. Quò etiam illa ſpectat parabola, qua apud S. Joan. Damaſc. in hiſtoria cap. 14. Barlaäm filio Regis perſuaſit, ut opes ſuas in cœlum præmitteret. Parabola, inquam, prudentis viri, qui non niſi annuo ſe ſciens uſurum Regno, moxque ad miſerrimam inſulam ablegandum, ubi in rerum omnium penuria viveret; auri, & argenti, lapidumque pretioſorum ingentem molem per fidiſſimos præmiſit ad eam inſulam famulos, ut ibi deinceps benè, ac beatè poſſet vivere. Hoc ipſum enim nobis, dum hìc brevi tempore vivimus, per pauperes agendum eſt, atque in cœlum bona tranſmittenda noſtra.

Quò minùs mirari debeas multa, quæ apud veteres legis autores. *Pauperes patroni, & advocati noſtri.* Hanc quippè ob cauſam Sanctus Gregorius lib. 21. mor. cap. 14. dando eleëmoſynam dixit, nos patronis potiùs offerre munera, quàm egenis dona largiri. Et homilia 40. in Evang. dandam illis eſſe eleëmoſynam, quia patroni noſtri ſunt, & advocati, quos nos magis rogare oportebat, quàm ab illis rogari; & Sanctum Joannem Chryſoſtomum, invenies h. 39. ad populum, pauperum ventres appellâſſe cellarium, in quo argentum, & aurum tutò reponantur, ut ea tempore opportuno recipiamus. *Pauperes cellarium, &c.* Et h. 20. in poſter. ep. ad Cor. eleëmoſynam eſſe ſacrificium, cujus altare pauperes (quod etiam affirmat S. Auguſt. homilia 29. inter 50.) & ſemen, velut triticum, ex quo multos colligimus juſtitiæ manipulos, ineffabileſque proventus, juxtà illud Pauli cap. 9. Multiplicabit ſemen veſtrum, & augebit incrementa frugum juſtitiæ veſtræ, & legendus eſt etiam hom. 53. ad populum, & hom. 28. pauperes ad januas templorum ſedentes eſſe velut cœleſtium regiarum canes, qui regiam *Pauperes ad januam templi.* cuſto-

Digitized by Google

cuſtodiunt aulam : & ideò à nobis paſcendi ſunt ; hanc enim demùm augendi pecunias artem docet hom. 18. in Joan. [Si ut augeantur, „ inquit, ſervas pecunias; ea eſt optima augen- „ di ratio , ut in omnes diſtribuantur : neque „ enim ſine ſumptu lucrum , neque divitiæ ſi- „ ne larga effuſione proveniunt. Si quidem „ mercator , & agricola , ille pecunias , hic „ ſemina profundit.] [Nihilque eſt , ut loqui- „ tur hom. 36. in Matthæum , quod ſic ad ſi- „ militudinem Dei nos extollat , quemadmo- „ dùm benefica , & copioſa collatio. Eſtote „ miſericordes , ſicut & Pater veſter cœleſtis „ miſericors eſt.] Nihil æquè Deum delectat (h. 4. in ep. ad Phil.) atq; eleëmoſyna. Propterea & Sacerdotes, & Reges, & Prophetæ oleo ungebantur : nam divinæ benignitatis ſymbolum habet oleum. Et quoniam pauperibus oleo miſerationis non ſubvenimus , duobus modis à Deo flagellamur , ut expoſuit S. Aug. in lib. 50. homiliarum h. 47. & 48. & ſer. 219. de temp. primùm in frugibus, ac ſterilitate terræ, grandine, tempeſtate, & ſimilibus. [Ideò enim „ flagellamur in frugibus ; quia benè egenti- „ bus non facimus. Decimam partem digna- „ tur Deus petere , & negas avare ? Quid fa- „ ceres, ſi novem partibus ſibi ſumptis tibi de- „ cimam reliquiſſet ? quod certè jam factum „ eſt , cùm meſſis tua pluviarum benedictio- „ ne ſubtracta jejuna defecit , & vindemiam „ tuam , aut grando percuſſit , aut pruina de- „ coxit. Novem tibi partes retractæ ſunt, quia „ decimam dare noluiſti.] Quod habet quoque S. Ambr. ſer. in feria 2. & 3. poſt Dominicam 1. quad. deindè in fiſco. [Majores noſtri „ ideò copijs omnibus abundabant , quia Deo „ decimas dabant, & Cæſari cenſum reddebant. „ Modò autem quia diſceſſit devotio Dei, ac- „ ceſſit indictio fiſci. Noluimus partiri cum „ Deo decimas , modò autem totum tollitur. „ Hoc tollit fiſcus, quod non accipit Chriſtus.]

Miſericordia oleum.

Grandines & ſimilia.

CAPUT V.

Eleëmoſynam peccata remittere.

MAXIMA ſanè ſunt hæc eleëmoſynarum bona , & quemlibet poſſent movêre ad effundendam in pauperes Chriſti omnem ſubſtantiam ſuam : ſed cætera perſequamur. S. Leo Papa eam aliquando propoſuit Romano populo velut efficaciſſimum adversùs tentationes omnes remedium. His enim verbis eſt apud ipſum in ſerm. 2. de Aſcenſione Domini : [Nihil eſt validius contrà diaboli dolos, „ quàm benignitas miſericordiæ , & largitas „ charitatis, per quam omne peccatum aut de- „ clinatur , aut vincitur.] Undè & in ſerm. 8. de quadrag. magnum eam prædicavit habêre emendationis effectum ; & S. Aug. in libro de utilitate pœnitentiæ cap. 2. hoc voluit ſignificatum fuiſſe in elevatione manuum orantis Moyſis , qua ſuperabatur Amalec. Multa de eleëmoſyna in proprio de illa ſermone ſcripſit S. Cypr. ſed illud eſt præclarum, quod orationibus noſtris , quæ ſolitariæ nihil poſſent facultatem tribuat impetrandi : [Neque enim, „ inquit , poterit miſericordiam Domini pro- „ merêri , qui miſericors ipſe non fuerit ; aut „ impetrabit de divina pietate aliquid in preci- „ bus , qui ad precem pauperis non fuerit hu- „ manus.] Deprecationes ſolæ parùm ad impetrandum valent , niſi factorum , & operum acceſſione ſatientur. Immò ex veterum omnium ſententia dictum eſt anteà, hæc tria ſemper eſſe conjungenda jejunium , orationem, & eleëmoſynam.

Illud verò præcipuum , quod eleëmoſyna tantæ virtutis ſit , ut remittendi nobis peccata vim habeat , & velut alter baptiſmus ſit. Audi Sanctum Gregorium libro 12. moral. cap. 23. [Quoties poſt culpam eleëmoſynas faci- „ mus , quaſi pro pravis actibus pretium da- „ mus.] Undè & de eo, qui hoc non agit, dicitur Pſ. 48. Non dabit Deo placationem ſuam, & pretium redemptionis animæ ſuæ. Et S. Hier. in com. ad Pſ. 133. [Grande nobis beneficium „ præſtant pauperes : peccata enim extinguit „ eleemoſyna , hoc præſtat , quod & baptiſ- „ ma. Propterea tu magis agito gratias Deo, „ quando dederis , quàm pauper , qui accepit, „ tibi agat gratias.] S. Ambroſius ſerm. 1. in 3. Eccleſiaſtici caput , quod areſcentibus plantis præſtat aqua , ut in vitam eas reſtituat ; hoc ipſum affirmat eleemoſynam præſtare animæ, quæ in peccatis aruerat , ut reviviſcat ad gratiam. Et ſermone in Dominica 3. Adventus mulierculatum argumento , quæ ſi veſtium purgandis maculis aqua ſola non ſufficit , mollitiem addunt olei, ſaponiſque acrimoniam ; nos quoque ſi peccata noſtra , ſolis fletibus non abluantur, vult miſericordiæ oleum addere, acrimoniamque jejunij : nullum enim tam grave delictum eſt , quod non purgetur abſtinentiâ, eleemoſynis extinguatur. Et ſermone in feria 5. poſt diem cinerum : [Qui non poteſt jeju- „ nare , ampliùs pauperibus eroget ; ut pecca- „ ta , quæ non poteſt jejunando curare , poſſit „ eleemoſynas dando redimere.] Et ſerm. in fer. 4. poſt 1. Dominicam ; [Per aquam bap- „ tiſmi fueras renovatus, ſordidus factus es; non „ potes denuò lavari, da eleemoſynam, & om- „ nia tua munda ſunt.] Et ſer. in fer. 6. poſt 3. Dominicam. [Putei aqua corporis cutem ablu- „ it , miſericordia verò animæ interna purifi- „ cat.] Addit eleemoſynam alterum eſſe animarum lavacrum , alterum baptiſmum ; ut ſi quis poſt baptiſmum humana fragilitate deliquerit, iterum eleemoſynis emundetur.

Eleemoſyna alter Baptiſmus.

Et quidem indulgentiorem baptiſmo eleemoſynam

Digitized by Google

moſynam eſſe; quia ille ſemel datur, & ſemel veniam pollicetur; eleëmoſynam autem, quoties feceris; toties veniam promereris. Et Sanctus Leo ſermone ſecundo de collectis: [Præ-
„ ter regenerationis lavacrum, in quo univer-
„ ſorum ablutæ ſunt maculæ peccatorum, hoc
„ remedium infirmitati humanæ divinitùs eſt
„ donatum, ut ſi quid culparum in hac terre-
„ na habitatione contrahitur, eleëmoſynis de-
„ leatur.] Et ſermone de collectarum die;
„ [Quo lapſos ſpes erigeret, quæ vulneratos
„ medicina ſanaret; niſi eleemoſynæ ſolve-
„ rent culpas, & neceſſitates pauperum fierent
„ remedia delictorum?] S. Aug. plurimis ſanè in locis ſubſcribit, ſed in com. Pſalm. 37.
„ [Ecce, inquit, tu plangis peccatum tuum; ſed
„ fortè lachrymæ currunt, & manus ceſſant;
„ fiant eleemoſynæ, redimantur peccata; gau-
„ deat indigens de dato tuo, & tu gaudeas de
„ dato Dei.] Et in tract. de rectitudine catholicæ converſ. [Potuit Deus omnes divites fa-
„ cere; ſed pauperes in hoc mundo eſſe vo-
„ luit, ut divites peccata ſua redimerent.] Et in libro 50. homiliarum h. 19. & ſer. 50. de tempore, eleemoſynas ſolas factas, vel non factas, affirmat commemoraturum Chriſtum in extremo judicio; ut eſt Matth. 25. quia omnia crimina eleemoſynis poſſunt redimi, & redemerunt boni, non redemerunt mali; ideò & homilia 39. ejuſdem libri, ſecundum appellat baptiſmum quoniam extinguit peccata. Et Sanctus Jo. Chryſ. h. 14. in priorem ep. ad Tim.
„ [Niſi eſſent pauperes, peccatorum difficilè
„ ſarcinam poneres. Medici illi ſunt vulne-
„ rum tuorum, manus eorum tibi medicamen-
„ ta præſtant.] Et h. 6. in ep. ad Titum. [Ni-
„ hil tantum habet virium ad extinguenda pec-
„ cata, quantum eleemoſyna.] Et h. 9. in ep. ad Hebr. eleemoſynam multam aſſerit eſſe validam, & maximam pœnitentiam. Plurima his ſimilia tum ex hoc, tum ex alijs poſſem adjungere: ſed ſatis erunt illa ejuſdem verba homilia 32. in epiſtolam ad Hebræos: [Tanta eſt
„ eleemoſynæ virtus, tantaque potentia, ut
„ vincula peccatorum diſſolvat, fuget tene-
„ bras, extinguat ignem, mortificet vermem,
„ expellat ſtridorem dentium. Huic cum mul-
„ ta fiducia portæ cœli aperiuntur, & veluti
„ regina intrante, nullus janitorum, aut custo-
„ dum, qui portis aſſiſtunt, audet dicere; Quæ
„ tu es, vel undè? ſed omnes eam ſuſcipiunt.]

Atenim multò potiora ſunt divina teſtimonia. Eccleſiaſtici c. 3. Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemoſyna reſiſtit peccatis: & cap. 29. Conclude eleëmoſynam in ſinu pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo. Et Tobiæ 4. Eleëmoſyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras: & cap. 12. Eleëmoſyna à morte liberat; & ipſa eſt, quæ purgat peccata, & facit invenire miſericordiam, & vitam æternam. Et Dan. 4. Peccata tua eleëmoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordijs pauperum. Et Luc. 11. Quod ſupereſt, date eleëmoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.

CAPUT VI.

Quatenùs peccata remittat.

VIDEO tamen nonnullos, ſive his locis ſcripturarum, & Sanctorum Patrum dictis abutentes, ſive ſuo proprio ſenſu ductos, nimium omninò eleëmoſynis tribuiſſe, ſibique perſuaſiſſe licêre omnia, modò pauperibus largirentur, ſeque ſalutem conſecuturos eleëmoſynas facientes, nec de vitæ emendatione quidquam cogitantes. [Plerique (ait S. Gregor. Nazian. in or. in laudem Gorgoniæ ſororis)
„ modò benignitate pauperes complectantur,
„ ſibi licêre putant molliter, ac delicatè vive-
„ re: atque non virtute vitium ſanant, ſed vi-
„ tium virtute permutant.] Et S. Aug. in lib. 21. de civit. Dei cap. 22. his verbis de hac eadem opinione loquitur: [Comperi quoſdam
„ putare, eos tantummodò arſuros illius æter-
„ nitate ſupplicij, qui pro peccatis ſuis facere
„ dignas eleemoſynas negligunt; juxtà illud
„ Apoſtoli Jacobi cap. 2. Judicium autem ſine
„ miſericordia illi, qui non fecit miſericor-
„ diam. Qui ergò fecerit, inquiunt, quamvis
„ mores in melius non mutaverit, ſed inter ip-
„ ſas ſuas eleemoſynas nefariè, ac nequiter
„ vixerit, judicium illi cum miſericordia futu-
„ rum eſt; ut aut nulla damnatione plectatur,
„ aut poſt aliquod tempus ſive parvum, ſive
„ prolixum, ab illa damnatione liberetur.] Hæc ille. Quæ multis omninò confutat, & falsò, ac ineptè excogitata eſſe demonſtrat Aug. c. 27. Si enim qualemcumque eleëmoſynam delendis quibuſcumque peccatis ſatis eſſe affirment abſurdiſſimum, & inſaniſſimum eſt, decem nummulis diurnis, aut minori etiam pecunia homicidia, adulteria, & nefaria quæque facta redimi cogitare. Si verò digna eleëmoſyna exigatur, profectò eam facere non invenientur, qui quotidiè tam gravia peccant: qui ſi pro uno ſcelere omnia ſua diſtribuerent, nec peccare deſiſterent, habendo charitatem, quæ non agit perperam, nihil eis prodeſſet; dicente Apoſtolo in priore ad Cor. ep. c. 13. Si diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt. Et Eccleſ. c. 21. Fili peccâſti, ne deijcias iterùm; ſed de priſtinis deprecare, ut tibi dimittantur; & c. 30. Miſerêre animæ tuæ, placens Deo. [Qui enim miſerêri vult
„ proximo, ait Sanctus Gregorius lib. 19. mo-
„ ral. c. 14. à ſe trahat neceſſe eſt originem mi-
„ ſerendi. Et quomodò alteri miſerendo pius

Digitized by Google

„ eſt, qui adhuc injuſtè vivendo ſit impius ſi-„ bimetipſi? qui ſibi nequam, cui bonus? Qui „ indigenti proximo exteriorem ſubſtantiam „ tribuit, ſed ſe à nequitia non cuſtodit, rem „ ſuam Deo tribuit, & ſe peccato. Ille benè „ agit, quæ pia ſunt, qui ſcit priùs ſervare quæ „ juſta; ut collatus in proximos rivus miſeri-„ cordiæ, de juſtitiæ fonte ducatur.] Qui e-nim non placet Deo, quomodo pro peccatis ſuis dignas eleëmoſynas faciat? Hoc eſſet licentiam peccandi per eleemoſynas nobis comparare, ait Auguſtinus qui hanc eandem quæſtionem tractans in enchiridio ad hunc modum definit cap. 75. [Qui ſceleratiſſimè vivunt, „ nec talem curant vitam, moreſque corrige-„ re, & inter ipſa facinora, & flagitia ſua elee-„ moſynas frequentare non ceſſant, fruſtrà ſi-„ bi ideò blandiuntur, quoniam Dominus ait; „ Date eleemoſynam, & ecce omnia munda „ ſunt vobis. Hoc enim quàm latè pateat, non „ intelligunt. Attendant, quibus dixerit: ro-„ gavit illum Phariſæus, ut pranderet apud „ eum; & cùm murmuraret, quia non bapti-„ zatus eſſet antè prandium, ait Dominus ad „ illum: Vos Phariſæi, quod deforis eſt ca-„ licis, & catini mundatis, quod autem intus „ eſt veſtrum, plenum eſt rapina, & iniqui-„ tate; veruntamen date eleemoſynam, & „ ecce omnia munda ſunt vobis. Itanè hoc in-„ tellecturi ſumus, ut Phariſæis non habenti-„ bus fidem Chriſti, nec renatis ex aqua, & „ Spiritu Sancto munda ſint omnia, tantùm ſi „ eleemoſynas dederint? cùm ſint immundi „ omnes, quos non mundat fides Chriſti, cùm „ dicat Apoſtolus ad Titum c. 1. Immundis, „ & infidelibus nihil eſt mundum, ſed polluta „ eſt eorum & mens, & conſcientia.] Hæc Aug. quæ non minùs dici poſſunt de eo, qui in peccato mortali exiſtens careat Dei gratia, & charitate, ſine qua nihil prodeſt: [Ergò, „ ut ſubjungit cap. 76. qui vult ordinatè elee-„ moſynam dare, à ſe ipſo debet incipere, & „ eam ſibi primùm dare, miſerendo animæ „ ſuæ; ita ut pœnitentia, & morum mutatio-„ ne placeat Deo; Deindè & ſui proximi mi-„ ſeriæ ſubveniat.] Non ergò ſe fallant, ait c. 87. qui per eleemoſynas quaslibet largiſſimas impunitatem ſe emere exiſtimant, in facinorum ſuorum immanitate, ac flagitiorum nequitia permanendi. Ergò quod eleemoſynam dicimus remittere nobis peccata, intelligendum eſt de peccatis venialibus, ſicut de oratione quoque Dominica dictum eſt. Quod ad mortalia verò duplicem eam vim habêre. Alteram ad ſatisfaciendum pro pœna, quæ peccatori adhuc debetur poſt remiſſam culpam, pro qua tum eleemoſynis, tum omnibus alijs bonis operibus ſatisfacimus. Alteram, ad obtinendam culpæ remiſſionem. Multa enim poteſt peccator moraliter ſaltem bona facere, ſine quidem gratia gratum faciente, quia hæc cum peccato eſſe non poteſt, at non ſine gratia gratis data, hoc eſt ſine Dei auxilio, ſine quo non ſolùm facere, ſed nec cogitare aliquid, quaſi ex nobis ſufficientes ſumus, ut habet Apoſtolus 2. Cor. cap. 3. Semper enim Deus præſtò eſt, & dat peccatori auxilium ad benè agendùm, ut ſe diſponat ad gratiam gratum facientem, qua divinæ reſtituatur amicitiæ. Diſponit autem ſeſe, ac divinam provocat benignitatem, omnibus bonis operibus: inter quæ & eleemoſyna numeratur. Alioqui mortalis culpa non remittitur; niſi per ſacramenta, & contritionem. Sed qui vult eleemoſynam ſibi ad hoc prodeſſe; ſtatuerit apud ſeipſum oportet corrigere mores ſuos, & mutare in melius vitam. Quod & monuit Auguſtinus homilia 19. ex libro 50. homiliarum: [Crimina in-„ quit, eleëmoſynis poſſunt redimi, ſi tamen „ mores mutaveris.] Et Sanctus Chryſoſtomus in Pſalm. 95. [Peccata diluit eleëmo-„ ſyna, ſi per pœnitentiam peccatum revoces.] Et Lactantius in libro de vero cultu cap. 13. „ [Non quia peccata largitione tolluntur, da-„ ri tibi licentiam peccandi putes: abolentur „ enim ſi Deo largiare, quia peccaveras. Nam „ ſi fiduciâ largiendi pecces, non abolentur.] Deus enim purgari homines à peccatis maximè cupit; ideòque agere pœnitentiam jubet. Agere autem pœnitentiam nihil aliud eſt, quam profitêri, & affirmare ſe ulterius non peccaturum.

Lucæ 11.

Quid eleëmoſyna valeat.

Peccatoris opera bona.

CAPUT VII.

Quomodo facienda ſit eleëmoſyna.

IAM verò quomodò facienda ſit eleëmoſyna, his fermè capitibus continetur.

Non de furto.

Primùm enim de ſuo, non de alieno, dandum eſt pauperi. Ita præcepit filio Tobias pater cap. 4. Ex ſubſtantia tua fac eleëmoſynam. Et Prov. 3. Honora Dominum de tua ſubſtantia, & Iſ. 58. Frange eſurienti panem tuum; Et Ezech. 18. Si panem ſuum eſurienti dederit. Et Patres ſæpè monuerunt, non de furto, aut rapina faciendam eſſe. S. Hier. in com. ad caput 58. Iſaiæ, pulchrè ait Prophetam dixiſſe (Panem tuum) nè de rapina facias eleëmoſynam. Redemptio enim animæ viri, divitiæ ſuæ, ait Sapiens Prov. 13. Quæ nimirum, non de iniquitate, ſed de labore, & juſtitia congregantur, ut idem addit in com. ſexti capitis Jeremiæ. Sanctus Auguſtinus in ſermone 35. de verbis Domini aliquos refert malè intelligentes illa Domini verba Lucæ 16. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, rapuiſſe aliena, & aliquid indè pauperibus dediſſe; rapere inquientes eſſe mammona iniquitatis, & erogare indigentibus eſſe facere

re amicos de mammona iniquitatis. Quod ille magnopere confutat; deque juſtis laboribus, & de eo, quod juſtè haberi poteſt dandum eſſe demonſtrat. Et libro 2. de ſermone Domini in monte cap. 2. [Nec furta facienda ſunt, ut ,, promereatur Deus;] Et ſer. 21. de verbis Apoſtoli; & lib. 50. hom. h. 7. [Si habes, da ,, de tuo: ſi non habes, quod des de tuo, me- ,, liùs nulli dabis, quàm alios ſpoliabis.] Et h. 47. [Eleëmoſyna de ſuis facultatibus fiat, non ,, de alienis, aut rapina.] Et S. Greg. Papa lib. 7. regiſtri c. 110. non eſſe eleëmoſynam affirmat, ſi pauperibus diſpenſetur, quod ex illicitis rebus conquiritur, ſed quæ de rebus conceſſis, & benè acquiſitis impenditur. Nam & Prov. 21. Hoſtiæ impiorum abominabiles, quæ offeruntur ex ſcelere. Undè S. Petrus Chryſologus ſer. 54. tractans illud publicani Zachæi apud Lucam c. 19. Dimidium bonorum meorum do pauperibus; [Qui aliena in- ,, quit, prorogat, plus dando diripit, quàm ,, furando. Audeo dicere, qui de fraude Deo ,, offert, cumulat crimina, non emundat: quia ,, Deus in tali munere exuvias ſuorum paupe- ,, rum non miſericordias intuetur.] Et Sanctus Anſelmus com. 7. ad caput 4. epiſtolæ ad Epheſ. Eleëmoſynam, ſcripſit fieri debêre ex eo, quod bonum eſt, id eſt, quod juſtè habetur, non ex eo, quod injuſtè. Et in caput 16. Lucæ, non ex rapinis, & malè acquiſitis. Quod & habet S. Jo. Chryſ. hom. 12. in Jo. & h. 6. in poſter. epiſt. ad Timoth.

Viris eleëmoſyna. Video tamen S. Nyſſenum forti quoddam genus approbantem quod à pleriſque ſolet reprobari; qui uxorem, inquiunt, haud poſſe inſcio marito eleëmoſynas facere; [Vidi ego, ,, inquit ille, fœminam clàm honeſtiſſimo u- ,, tentem furandi genere; hæc inſcio marito ,, de re familiari pauperibus largiebatur; pro ,, viri fœlicitate, pro familiæ proſperitate, pro ,, incolumitate filiorum. Impertiebat cælans ,, virum, ſed pro ipſo viro. Et quæ ſeq.] Neque ſolùm furtum hoc honeſtiſſimum eſſe affirmat, & probat; ſed & propterea mulieri vult datam eſſe majorem, quàm viro, animi mollitudinem, ut ad humanitatem facilior, miſericordiamque ſit propenſior. Itaque ſeverior illa vulgaris ſententia ita poterit temperari, ut non omnis, ſed prolixa, & grandis largitio uxori marito inſcio interdicta intelligatur, non omnis omninò permiſſa, ſed moderata. Non enim eſt æquum uxorem omni jure ſpoliare, atque omni ex parte miſericordiæ, & charitatis operibus interdicere.

Hilaris, & prompta. Secundò. Hilaris; & prompta debet eſſe largitio, ex vera ſcilicet charitate profecta; ,, [Quid enim prodeſt collatio patrimonij, ait ,, S. Ambr. lib. 2. de pœnitentia c. 9. ſine gratia ,, charitatis?] Namque nec liberalitas ſine benevolentia, nec benevolentia ſine liberalitate poteſt eſſe perfecta, quemadmodùm idem S. Ambr. docet in 1. libro offic. cap. 30. Idcirco tum eo loco, tum in libro de viduis duo illa minuta viduæ Luc. 21. muneribus divitum prælata fuiſſe, ait, à Domino: tum quia prompto, & alacri magis animo illa dedit; tum quia totum illa, quod habuit, non ex abundante, dedit: [Uberior enim, inquit, eſt nummus ,, è parvo, quàm theſaurus è maximo, quia ,, non quantum detur, ſed quantum reſideat, ,, expenditur. Nemo plus tribuit, quàm qui ,, nihil ſibi relinquit; & flumina ſuperfluunt, ,, cùm redundant; gratior tamen hauſtus è ri- ,, vulo eſt. Non ergò quid faſtidio expuas, ,, ſed quantum devotione conferas æſtiman- ,, dum eſt: liberalitas non cumulo patrimo- ,, nij, ſed largitatis definitur affectu.] Et S. Leo ſer. 10. de quadrag. [Securus, & hila- ,, ris ſit eleëmoſynæ diſtributor, quia tunc ma- ,, ximum lucrum habebit, quando ſibi mini- ,, mum reſervaverit.] [Si panem dederis triſtis, ,, ait S. Aug. in Pſ. 42. & panem, & meritum ,, perdidiſti.] Et lib. 50. homiliarum h. 39. non judicat perfectam eleëmoſynam, quæ precibus extorquetur; perfecta eſt, ut anteà occurrat cibus eſurienti, quàm roget. Theod. in com. Pſ. 111. conſiderat illa Pſalmiſtæ verba; Diſperſit, dedit pauperibus, vultque ſeminantes nos agricolas imitari. Nam qui divino timore præditus eſt, non ſimpliciter indigentibus miſericordiam præbet, ſed cum multa alacritate hoc facit, imitaturque ſerentes largè ſemina; & diſſipantes ob manipulorum ſpem. Et S. Joannes Chryſoſtomus h. 21. in ep. ad Rom. Pauli verba illa perpendit c. 12. Hoſpitalitatem ſectantes; [Non enim dicit ,, facientes, ſed ſectantes: ut non expectemus ,, egenos donec ad nos veniant; ſed ad ipſos ,, curramus; ſicut & Lot fecit, & Abraham.] Monuit aliquando Eccleſiaſticus c. 35. In omni dato hilarem fac vultum tuum, & in exultatione ſanctifica decimas tuas. Et Apoſtolus 2. Cor. cap. 9. Non ex triſtitia, aut ex neceſſitate, hilarem enim datorem diligit Deus; & Rom. 12. Qui miſeretur, in hilaritate. Et propterea, inquit S. Chryſ. in ſer. de eleëmoſyna, & collatione in Sanctos; [Vera eleëmo- ,, ſyna eſt, ſic dare, ut gaudeas te dare, puteſ- ,, que te accipere magis, quàm dare.] Quod iterùm habet in h. 16. in poſteriorem ad Cor. & propterea h. 1. in ep. ad Philip. [Non quiſ- ,, quis dat, inquit, facit eleëmoſynam, ſed qui ,, dat prompto, alacrique animo; qui gaudens ,, dat, qui gratiam habet accipienti. Itaque, ,, qui non dat hoc modo, non det. Damnum ,, enim hoc eſt, non eleëmoſyna.]

Eleëmoſyna quanta. Tertiò. Quod autem ad liberalitatem attinet, nulla poteſt certa eleëmoſynæ conſtitui quantitas, ſed unuſquiſque opes, & facultates ſuas conſideret & ex illis quantum poteſt,

Digitized by Google

poteſt, largiatur. Ita conſtituit S. Ambr. in ſer. ſer. 3. poſt primam Dominicam quadrageſimæ: [Debetis ſcire, quia unuſquiſque ſecun- ,, dùm quod habet, debet tribuere indigenti- ,, bus; qui habet multum, debet tribuere multa; ,, & qui parum habet, juxtà paucum non ti- ,, meat eleëmoſynam facere.] Et Tobias c. 4. Quomodo poteris, ita eſto miſericors; ſi multum tibi fuerit, abundanter tribue: ſi exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri ſtude. Uſque ad calicem aquæ frigidæ, à quo nullus ſe excuſare poteſt, deſcendit Dominus, Matt. c. 10. Sanctus tamen Aug. in Pſ. 146. universè affirmat, parum eſſe dare decimam partem ſuorum redituum. Nam etiam Evangelicus Phariſæus dare ſe gloriabatur mediam partem omnium, quæ poſſidebat: noſtram verò juſtitiam abundare oportet, Matth. cap. 5. Et in libro de decem chordis cap. 12. eos reprehendit, qui quaſi ſecuri, de minimis eleëmoſynarum granis blandiuntur ſibi, & peccatorum acervos obliviſcuntur.

In ſolemnitatibus autem copioſius faciendas eſſe, & invitandos ad menſam pauperes conſulit ſerm. 2. de tempore, quod quotidiè feciſſe S. Gregorium Magnum, & propter eleëmoſynam factum Papam, legimus apud Joannem Diaconum ipſius ſcribentem vitam, c. 22. & 23. & in 5. regiſtri libro c. 104. Cypriano Diacono mandat modios tritici bis mille dari pauperibus. Sanè humanum dicit propter infirmitatem noſtram Aug. in ſermone 50. ad fratres in eremo; cùm ita conſcientias convenit noſtras: [Attende diligenter conſcien- ,, tiam tuam, ſi tanta repoſuiſti animæ tuæ in ,, cœlo, quanta habes corpori tuo in mundo. ,, Vide ſi tot modios tritici, ſi tot amphoras ,, vini per eleëmoſynam in paradiſo, undè vi- ,, vat anima tua, repoſuiſti, quantum tibi re- ,, ſervaſti, ut vivat caro tua in mundo.] S. Baſilius h. 7. ad eos, qui ſtudio tenentur diteſcendi, adoleſcentem Evangelicum illum, qui de præceptis charitatis à Domino eruditus reſpondit; Hæc omnia obſervavi à juventute mea, ait, fuiſſe mentitum: nam ſi proximum ſicut ſeipſum dilexiſſet, non fuiſſet dives; ſed in egenos penè omnia diſtribuiſſet: [Quò enim, ,, inquit, plus opibus creſcis, eò magis charita- ,, te deficis.] Sed & hortatur S. Chryſoſt. h. 34. in Gen. [Magna in dandis eleëmoſynis lar- ,, gitate utamur, ut datis parvis adipiſcamur ,, magna. Hac de cauſa reliquit illum Deus ,, inopia vexari, ut & ipſe patientia multum ,, mercedis acquireret, & tu per eleëmoſynam ,, tibi fiduciæ materiam, illuc permitteres.] Et hom. 3. de patientia Job, cum divitem ſanè fuiſſe fatetur; ſed voluntatis propoſito pauperem. [Pluris enim erat hoſpitalitatis menſa, ,, quàm proventuum abundantia & poſſeſſione ,, quidem dives, ſed bonæ non ſufficiens volun- ,, tati.] Et h. 5. in Matt. utitur Apoſtoli verbis, 2. Cor. 9. Qui parcè ſeminat, parcè & metet: ,, [Hoc enim, inquit, non eſt impendere, ſed ,, augêre, ſed multiplicare. Etſi terram pin- ,, guem, & fertilem colas; non tantùm propria ,, ſeminando evacuas horrea, verùm aliundè ,, mutuas, quod ſeras.] Et h. 50. [Artifices, ait ,, omnes artificij ſui ſcientiam habêre; divitum ,, autem artificium eſſe divitijs benè uti in pau- ,, peres erogando.] Pecuniæ namque Græcis dicuntur χρήματα, ἀπὸ τοῦ χρᾶσθαι quod eſt uti (argumentatur idem ipſe h. 18. in Jo.) quod eæ non ſervandæ ſint, ſed in neceſſitates, tum noſtras, tum proximorum, impendendæ. Quòd ſi ut augeantur ſervas; ea eſt optima augendi ratio, ſi in omnes diſtribuantur: ſiquidem & mercator, & agricola ut augeant, ille pecunias profundit, hic ſemina: Nam ut ratiocinatur in hom. in dictum Pauli, oportet hæreſes eſſe; ut radix in pingui plantata ſolo, ſingulis annis tempeſtivos adfert fructus; Sic & pecunia in manibus pauperum plantata in ſingulos dies ſpeciales vobis adfert fructus. Et hom. 7. de pœnitentia; [Frumenta domi cuſtodita à ,, vermibus conſumuntur; ſi in terras diſper- ,, ſeris, augentur. Sic & opes in arca defoſſæ ci- ,, tò transfugiunt; in ventres pauperum diſ- ,, perſæ, majores indè reſurgunt.] Ita in com. Pſ. 95. duplicem ex Paulo agnoſcit theſaurum, alterum malorum ex inobedientia, & iniquitate, de quo in epiſtola ad Romanos cap. 2. alterum bonorum, qui ex humanitate, & beneficentia ergà pauperes reponitur, de quo in priore ad Tim. cap. 6. divitibus præcipit facilè tribuere, & theſaurizare ſibi in futurum, ut apprehendant vitam æternam. Manum pauperis Chryſol. ſermone 8. Abrahæ ſinum eſſe affirmat, theſaurum cœli, gazophilatium Chriſti: [Da pauperi terram, ut accipias cœlum: ,, da nummum, ut accipias regnum: da micam, ,, ut accipias totum.] Divitem illum, de quo Luc. 16. damnatum fuiſſe notat Sanctus Gregorius Papa h. 40. in Evang. non quòd aliena rapuerit, ſed quòd ſua non diſtribuerit. Et ut ait Sanctus Auguſtinus ſer. 227. de tempore, lingua potiſſimum graviùs torquebatur; tum quia per eam ſuperbè loquendo contempſerat pauperem; tum quia noluerat dicere, ut eleëmoſyna illi donaretur, & qua fronte quærit guttam, qui noluit porrigere micam? Neque propterea. [Non fuit exauditus, inquit S. ,, Nyſſenus in libro de beatitudinibus or. 5. ,, quod una gutta de magno paradiſi fonte ,, dempta damnoſa eſſet; ſed quia miſericor- ,, diæ ſtilla commiſcêri, atque communicari ,, cum inhumanitate non poteſt.] Contrà S. Aug. in ſerm. 44. ad fratres in eremo, nunquam ſe legiſſe ait, mala morte periſſe illum qui libenter charitatis, vel piëtatis opera voluit exercêre. Et Sanctus Chryſ. hom. 22. in Jo..

Mat. 10.

Divitum res.

Mala morte non moriuntur.

Jo. impoſſibile eſſe,etſi innumera facias bona,
ſine eleëmoſyna cœleſtis regni vel veſtibulum
attingere.

Uno verbo dicam. Nihil toties à Sanctis
Patribus inculcatur, quàm eleëmoſyna, &
Divitiarum non ſumus domini. largitio in pauperes, nec defuerunt, qui nos
dicerent non eſſe dominos pecuniarum, & di-
vitiarum, quas Deus nobis largitur, ſed cuſto-
des, & diſpenſatores, ex quibus neceſſaria
nobis ſumere permittatur; reliqua omnia pau-
peribus velut illorum propria ſint diſtribuen-
da: alioqui fures ſimus, & rapinâ pauperum
in domibus noſtris, ut loquebatur Deus apud
Iſaiam c. 3. Lege Sanctum Auguſtinum epiſt.
50. ad Bonifacium, & reſponſionem Sancti
Gregorij Papæ ad interrogationem ſecundam
Auguſtini, & Sanctum Jo. Chryſoſtomum
conc. 2. de Lazaro, & h. 33. & 34. ad popu-
lum: & ea repete, quibus c. 2. eleëmoſynam
juſtitiæ alumnam eſſe docuimus. Et Sancti
Gregorij Nazianzeni in jambicis tetraſticis hoc
fuit conſilium. [Omnia tuâ profunde, Deum-
,, que acquire, quod ſi omnia non vis, majo-
,, rem ſaltem profunde partem: ſi nè hoc qui-
,, dem abs te impetrari poteſt, ſupervacaneis
,, certè opibus pietatem exerce. Præclarum
,, eſt aliquid tineis, atque invidiæ eripere, de-
,, bitorem Chriſtum habêre præſtat, quàm
,, omnia poſſidêre.]

Dum vivimus eroganda. Quartò quandù vivimus, & quidem noſtra
manupropria, & non per alios largiendum eſt.
Sunt enim qui viventes nihil dant, morituri au-
tem legata non pauca inſtituunt, quibus quo-
quo modo peccata redimant ſua. Priorem par-
tem tractat S. Baſil. in h. 7. ad eos qui ſtudio
tenentur diteſcendi: [Ego, inquis, dum vixe-
,, ro, bonis meis frui volo; poſt mortem verò
,, hæredes facultatum mearum aſcribam pau-
,, peres. Heu miſer, tunc benignus, ac libera-
,, lis hominibus eris, cùm ampliùs inter homi-
,, nes non ages? Cùm te cadaver aſpiciam, tunc
,, fratris amantem appellabo? Scilicet magna
,, dignus eris liberalitatis laude, magnus tibi
,, honor debebitur, ſi in ſepulchro jacens, &
,, in terram converſus, magnificus, ac ſump-
,, tuoſus apparebis. Dic, cujus mercedem tem-
,, poris expoſces? vitæne, an mortis? Si tem-
,, pore, quod ad prometendum datur, paupe-
,, res non reſpexiſti, mortuus cujuſnam actio-
,, nis, aut operis mercedem petes? & quæ ſeq.]
Viventium legata. Quæ verba non eò ſpectant, ut hæc morien-
tium legata damnentur; ſed ut viventium lar-
gitiones perſuadeantur; alioqui legata quoque
laudantur à Nazianzeno ep. 80. ad Aërium,
& Alypium, & Sancto Chryſoſtomo hom.
84. in Jo. & h. 18. in ep. ad Rom. & 18. ad
Eph. & ſer. de gratijs reddendis Deo, tom. 5.
& h. 25. ad populum, & Auguſtino conc. 1.
in Pſ. 48. & ſer. 52. ad fratres in eremo; de
vita clericorum; immò ut ſcribit in ejus vita
Poſſidonius cap. 24. legata malebat, quàm
hæreditates, eaque, ſi ad ſacra pertineant loca,
non ſolvere ſacrilegum eſſe affirmat S. Greg.
Papa lib. 8. regiſtri c. 6.

De poſteriore autem parte ita ſcribit ad Pau- *Manus propria.*
linum S. Hier. [Pauperibus refrigeria manu
,, propria deſtribue.] Et rurſum monet, nè
alienam pecuniam diſtribuendam ſuſcipiat:
,, [Cave nè quaſi fidelis, & famoſus tuorum
,, quondam diſpenſator alienam pecuniam di-
,, ſtribuendam accipias.]Et S. Hilarionem nar-
rat in ipſius vita, offerenti cuidam, quæ pau-
peribus diſtribueret, reſpondiſſe; Tu meliùs
potes tua diſtribuere; ego, qui mea reliqui,
cur aliena appetam?

Non eſſe autem per famulos dandam ita do- *Non per famulos.*
cet S. Chryſ. hom. 36. in Matth. [Si per de-
,, cem millia paſſuum eundum eſſet, non nihil
,, excuſationis forſan haberes. Nec cogitas,
,, tantò majorem mercedem tibi eſſe repoſi-
,, tam, quantò magis laboras? Nam quando de
,, tuo ſolùm præbes, pro eo ſolùm, quod dedi-
,, ſti, quando verò ipſe quoque ad dandum pro-
,, fectus es, hujus etiam laboris retributio tibi
,, debetur. Et Patriarcham Abraham Gen. 18.
,, ideò magis admiramur; quoniam cùm 318.
,, vernas haberet, non alium miſit, ſed curſu ad
,, boves contendit, & vitulum attulit.] Et ite-
rum h. 14. in prior. ep. ad Tim. [Abraham etſi
,, 318. haberet vernaculos, qui item uxores
,, ſuas habêbant, voluit tamen ipſe cùm uxore
,, mercedem hoſpitij habere: nam uxori præ-
,, cepit miſcêre farinam &c.] Et ſer. de hac re,
ſeu de laudibus monachorum tom. 5. [Rerum
,, tuarum diſpenſatio per teipſum exequenda
,, eſt, ut non ſolùm minuendi fortunas, ſed
,, etiam adminiſtrandi mercedem habeas, ipſe
,, ſemen tuis manibus ſulco jacta.]

Quintò clam facienda eſt eleëmoſyna, ut *Clam largiendum.*
jactantiam; & inanem gloriam vitemus. Glo-
rioſum enim eſt largiri alijs, miſeriſque ſubve-
nire, ſat eſt, ſi Patri noſtro, qui eſt in cœ-
lis, nota ſit. Hoc monuit Dominus Matt. 6.
Nè faciatis juſtitiam veſtram coràm homini-
bus, ut videamini ab eis. Græcè eſt ἐλεημοσύνην.
,, [Ad largiendum fruſtum panis, & binos
,, nummulos, inquit S. Hier. lib. 2. adver-
,, ſus Pelagium c. 4. præco conducitur, & ex-
,, tendentes manum hùc, illucque circumſpici-
,, mus; quæ ſi nullus viderit, contractior fit.]Et
S. Ambroſ. lib. 1. de offic. c. 30. [Perfecta li-
,, beralitas eſt, ubi ſilentio quis tegit opus
,, ſuum, & neceſſitatibus ſingulorum occultè
,, ſubvenit, quem laudat os pauperis, & non
,, labia tua.]Et S. Auguſtinus ſer. 206. de tem-
pore viduam illam 4. Reg. c. 4. clauſo oſtio
notat in vaſculis oleum infudiſſe; quia eleë-
moſynam clauſo oſtio, id eſt, pro ſolo Dei a-
more, & non pro laude hominum facere o-
portet. Neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dex-
tera

Digitized by Google

tera tua: quod tunc fieri exiſtimat S. Baſilius in regulis brevioribus 197. quando vehementi deſiderio Deo gratificandi, de nullo alio cogitamus, niſi de eo, quod utile ſit ad id, quod fieri oportet. Sicut artifex in ſingulis artificijs illud unum inſtrumentum ſpectat, quod ad ea adminiſtranda utile eſt. Cùm ergò facis eleëmoſynam, noli tubâ canere antè te. [Talis „ quippè eleëmoſyna, ut habet Sanctus Pe„ trus Chryſologus ſerm. 9. hoſtilis eſt (tu„ ba enim bellicum inſtrumentum eſt) non ci„ vilis; non miſericordiæ dedita, ſed clamori; „ ſeditionis vernula, non alumna piëtatis, o„ ſtentationis nundinatio, non commercium „ charitatis.]

CAPUT VIII.

Eleëmoſyna quibus danda.

Omnibus danda. INDIGENTIBUS omnibus dandam eſſe, teſtatur illud Domini verbum Luc. 6. Omni petenti te tribue. Si enim ad dandum inducit nos charitas, & miſericordia, manifeſtum eſt miſeris omnibus, & egenis eſſe ſubveniendum. Itaque jure optimo Sanctus Gregorius libro 21. moral. cap. 14. quoſdam homines reprehendit, qui non incognitis, ſed ſolùm ſibi notis miſerentur, & tribuunt. Apud eos enim plus familiaritas, quàm natura valet; dum non quia homines, ſed quia noti ſunt, largiuntur; nec divinâ charitate, ſed humanâ amicitiâ ducuntur, quibus diceret Dominus Matth. 5. Si diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonnè & publicani hoc faciunt?

Gratis danda. Perſimilis error eſt eorum, qui dant illis ſolis, qui aut opera, aut quovis alio modo retribuere poſſunt. Hi quoque receperunt mercedem ſuam: neque hæc charitas eſt, ſed avaritia, ſed concupiſcentia, ſed negotiatio. Audi Sanctum Chryſoſtomum homilia 1. in epiſtola ad Coloſſ. [Quàm primùm retribuerit „ homo, non retribuet Deus, ſi homo non „ retribuerit, retribuet Deus. Non quæra„ mus igitur benefacere illis, qui nobis repen„ dere poſſunt, neque hujuſmodi retributio„ nis ſpe illis benefaciamus.] Sanè miſericordiæ objectum miſeria eſt; miſerorum igitur omnium miſerendum eſt; & quò miſeria major, majorem oportet eſſe miſericordiam, illiſque potiùs ac magis tribuendum, qui fuerint miſeriores: at hi minùs omninò, immò & minimè poſſunt retribuere.

Egeni, qui ſint. Ita fiet, ut omnibus planè miſeris, & egenis tribuendum ſit. Quos S. Chryſ. h. 5. in poſteriorem ep. ad Theſſ. illos eſſe interpretatur, qui aut manuum ſuarum labore ſibi ipſis victum ſufficere nequeunt, aut alios docent & toti ad doctrinæ ſermonem dediti, & occupati ſunt, quos in priore ad Tim. c. 5. duplici honore dignos Paulus judicavit; huncque honorem, non tantùm in ſalutationibus, & officijs, quantum in eleëmoſynis, & munerum oblatione ſentiri S. Hier. interpretatur in com. ad caput 15. Matthæi.

An peccatoribus danda. De peccatoribus, & vitioſis hominibus, ſi fortè egeni ſint, quæſtio non nulla, quam in enarratione Pſ. 101. verbis hiſce expoſuit S. Aug. [Occurrit tibi homo peccator; duo no„ mina dixi. Aliud, quod homo, aliud, quod „ peccator. Quod homo, opus eſt Dei; quod „ peccator, opus hominis eſt. Da operi Dei, no„ li operi hominis, hoc eſt, peccatori placenti „ tibi propter peccatum. Quemadmodùm qui „ venatoribus donat, hiſtrionibus, meretricibus: „ propterea enim donat, & paſcit, non quòd in „ illis attendat naturam operis Dei, ſed quod „ amet nequitiam operis humani.]

An hæreticis, & infidelibus. De infidelibus, & hæreticis eadem ſententia. Humanæ ſcilicet naturæ, quæ opus Dei eſt, non infidelitati, aut hæreſi, quæ vitium exiſtit hominis, tribuere oportet; quò major Manichæorum impiëtas, qui, ut eſt apud Sanctum Auguſtinum in libro de moribus Manichæorum cap. 15. eleëmoſynas prohibebant dari homini non Manichæo. Sed quid mirum, ſi ut anteà dictum eſt inhumanis hominibus hoſtilis res erat omnis pauperum commiſeratio? Sanctus Leo Papa ſecus habet, & Auguſtino conſentienter in ſer. 3. de quadrag. „ [Pietatis, inquit, opera ergà illos quoque „ exercenda, qui nondum Evangelium rece„ perunt; quia in omnibus hominibus naturæ „ eſt diligenda communio.] Et Sanctum Baſilium narrat frater ejus Sanctus Nyſſenus in oratione funebri, cùm fames urbem urgeret, venditis ſuis prædijs, & poſſeſſionibus, egentibus omnibus, vel etiam Judæis ſubveniſſe. Quamquam S. Joannes Chryſoſt. homilia 26. operis imperfecti, quidpiam addit, quod non prætermittendum judico: [Qui dat, inquit,

Eleëmoſynæ merces. „ eleëmoſynam infideli, modicam quidem, ta„ men habet mercedem: qui autem fideli, du„ plicem habet mercedem. Primum quia crea„ tura Dei eſt, deindè quia ſervus Dei eſt. „ Qui autem infideli dat, unam habet merce„ dem; quia creatura Dei eſt, ſed voluntate „ adverſus Deum.] Sanctus item Leo ſermone 4. de jejunio ſeptimi menſis, Chriſtianis præſertim faciendam eleëmoſynam hoc argumento perſuadet; quoniam plus debemus noſtris pro conſortio gratiæ, quàm alienis pro conſortio naturæ.

Eos porrò præſertim inopes, qui mendicare erubeſcunt, commendat nobis in ſermone 4. de collectis, & ſacerdotum maximè officium eſſe illorum curam habêre, deque illis ſuggerere Epiſcopo, ſcripſit Sanctus Ambroſius lib. 2. offic. c. 15.

Denique

Digitized by Google

Eleemoſy. ne religioſis. Denique monachis quoque, ac religioſis, tum viris, tum locis, & datam fuiſſe ſemper & dandam eleemoſynam, conſtat ex Sancto Hieronymo epiſt. 27. ad Euſtochium cap. 7. de Paula enim ſcribit: [Per ſingulos Sanctos ,, (loquitur de monachis) Chriſtum ſe vidê-,, re credebat, & quidquid in ſingulos contu-,, lerat, in Dominum ſe contuliſſe lætaba-,, tur.] Et epiſt. ad Julianum c. 3. hominem laudat, quia quod periturum erat in ſerico, in vilibus pauperum tunicis ſervaretur: quodque Sanctorum diceretur uſibus miniſtrare, fovêre monachos, Eccleſijs offerre quàm plurima. Et rursùm; [Extruis, ait, monaſteria, & ,, multus à te per inſulas Dalmatiæ Sanctorum ,, numerus ſuſtentatur.] Et Sanctus Auguſtinus conc. 3. in Pſ. 103. ad eleëmoſynas religioſorum, & ad juvandam fabricam hortatur. Et in 2. retract. libro c. 21. Monachos refert ex eleemoſynis, & oblationibus victitantes, manibus ſuis nihil operantes: quæ fuit illi cauſa ſcribendi librum de opere Monachorum. *Monachos operari.* Nam & Euchitas refert in libro de hæreſibus 57. monachis putaſſe non licêre ſuſtentandæ vitæ ſuæ causâ aliquid operari, & multos monachis ſolis dare fuiſſe ſuo tempore ſolitos, teſtatur Sanctus Chryſ. homilia 10. in epiſt. ad Hebræos, & ad eleemoſynas illis largiendas hortatur in ſer. de laudibus Monachorum tom. 5. ſed non eſt opus pluribus.

CAPUT IX.

Quibus gravis eleëmoſyna ſit.

ATENIM pleriſque gravis videtur eleemoſyna, nec adduci poſſunt, ut alijs largiantur ſua. Verbis utar Sancti Ambroſij in ſerm. 8. in Pſal. 118. [Verba illa Chriſti; ,, Nolite theſaurizare vobis in terra, ſed the-,, ſaurizate vobis in cœlo, divites audire non ,, poſſunt: clauſas aures habent, & ſono æris ,, obtuſas: nummus magis illis reſonat, quàm ,, verba divina.]

Avarorum excuſatio. Communis horum hominum excuſatio eſt. Ego habeo filios, & filias, quibus me providêre oportet, undè ſuſtentari poſſint.

Avaritiæ excuſationem eſſe affirmat Sanctus Auguſtinus in libro de diſciplina Chriſtiana c. 1. & libro de decem chordis cap. 12. multiſque modis reſpondet. *Reſponſio.* Primum. Iſta ſcilicet juſti-1. tia magna eſt, ut habeat undè luxurietur filius tuus, egeat Dominus tuus. Cùm enim uni ex minimis meis non feciſtis, nec mihi feciſtis. Numera filios tuos, adde unum inter illos Dominum Deum tuum. Unum habes, ille ſit ſecundus; duos habes, ſit ille tertius; tres habes, ille ſit quartus.

2. Deindè, ſervo, inquis filijs meis: ſervat tibi pater tuus, ſervas tu filijs tuis, & filij tui filijs ſuis; & ſic nullus facturus eſt præcepta Dei.

Tertiò quare non illi potiùs impendis, qui te fecit ex nihilo, & te paſcit, & filios tuos? 3. neque enim meliùs committis filio tuo patrimonium tuum, quàm creatori tuo.

Quartò mentiuntur, dum ita loquuntur, & paliare ſe volunt nomine pietatis; ut propter 4. filios ſervare videantur, quod propter avaritiam ſervant. Quod argumentatur ex eo, quòd ſi unus moriatur filius, non mittunt poſt illum partem ſuam, quam ſervare ſe illi dicebant, ſed tenent illam in ſacculo. Mortuo debes, quod vivo ſervabas: pars illius debetur pauperibus.

Sed quintò quanta donatis venatoribus, 5. quanta hiſtrionibus, quanta turpibus perſonis, quæ interficiunt animas veſtras? Et inſanitis, quis plus donet.

Verentur præterea, nè patrimonium minuatur, & ipſi ad egeſtatem reducantur. *Altera excuſatio.*

At ſapienter occurrit S. Cyprianus in ſerm. *Reſponſio.* de eleemoſyna: [Eſto, inquiens, in hac parte ,, intrepidus, eſto ſecurus. Finiri non poteſt, ,, undè in uſus Chriſti impenditur, undè opus ,, cœleſte celebratur. Neſcis miſer, quia dum ,, times, nè res familiaris fortè deficiat, vita ,, ipſa, & ſalus deficit: & dum nè quid de re-,, bus tuis minuatur attendis, non reſpicis, quod ,, ipſe minuaris, amator magis mammonæ; ,, quàm animæ tuæ, ut dum times, nè pro te ,, patrimonium tuum perdas, ipſe pro patri-,, monio tuo pereas.] Lege quæ cap. 3. & 4. dicta ſunt. Sanè Ambroſius in 2. lib. de offic. cap. 16. de Eccleſiaſticis, & Sacerdotibus ita loquitur: [Scio pleroſque Sacerdotes, quò ,, plus contulerunt plus abundâſſe. Quoniam ,, quicunque bonum operarium videt, ipſi con-,, fert, quod ille ſuo officio diſpenſet, ſecurus ,, quod ad pauperem ſua perveniat miſericor-,, dia. Cave nè intrà loculos tuos includas ſa-,, lutem pauperum, & tanquam in tumulis ſe-,, pelias vitam pauperum.]

Impia nimis ſunt illa avari hominis verba, *Impia avari verba.* quæ S. Chryſ. recitat in homilia 21. in priorem epiſt. ad Cor. Edat tinea, & non pauper; devoret vermis, & non induatur nudus; omnia temporis diuturnitate conſumantur, & non nutriatur Chriſtus. Paulæ magis eximiam charitatem, & largitatem imiteris, quam in epitaphio ad Euſtochium celebrat S. Hieronymus. ,, [Quis inopum, inquit, moriens non illius ,, veſtimentis obvolutus eſt? Quis non ejus fa-,, cultatibus ſuſtentatus? quos curioſiſſimè to-,, ta urbe perquirens, damnum putabat, ſi quiſ-,, quam debilis, & eſuriens cibo ſuſtentaretur ,, alterius.] De Nonna quoque ſua matre ſcribit Sanctus Nazianzenus in orat. de funere patris, ſe quoque ipſam, ſi fieri potuiſſet, & liberos, ut ex ipſa ſæpè audivimus promptè,

Digitized by Google

ac libenter vendidiſſet, ut in pauperum uſus inſumerentur. Quod & ab Epiſcopo Sanctiſſimo Paulino factum non ignoramus. Plurima hujus generis leguntur, quæ imitari præſtabit.

CAPUT X.

Blandè pauperes excipiendos eſſe.

CÆterùm horum hominum, avarorum inquam, minuſque miſericordum duplex adhuc eſt in pauperes, ac mendicos peccatum, quod minimè debeo hoc loco diſſimulare. Utrumque ex eadem radice provenit, ex avaritia, immiſericordia, & duritia. De mulieribus item, quæ tamen natura magis ad miſericordiam propenſæ ſunt, dolet S. Chryſ. hom. 11. in 1. ep. ad Theſſ. quòd Chriſti nomine imploratæ non commoverentur, commoventur autem per filiolum, aut filiam adjuratæ, aut pulchritudinis nomine collaudatæ: [Complures, inquit, „ novi, quæ Chriſti audito nomine præter„ lapſæ ſunt, per filiolum autem, vel filiam ad„ juratæ, aut pulchritudinis nomine ab acceden„ tibus laudatæ, mox hilarem frontem indue„ runt, & emollitæ porrexerunt manum.] Hæ nimirùm à pauperibus artes excogitatæ, ut hanc hominum duritiem emollirent, & flecterent. [Pauperes, addit idem Sanctus Pater, „ etiam noſtra improbitas præſtigiatores eſſe „ cogit, & obſcœnos, & moriones.] Et hom. 11. in epiſt. ad Hebr. [Quare aliqui mutilata „ membra denudant? ſi miſericordes eſſemus, „ iſtis artibus op is non eſſet.] Unum illud permovêre nos deberet, quòd talem mendici perſonam, quam erubeſcimus omnes, ſuſcipere coactus ſit: [Propterea, inquit in h. 35. ad „ populum, cui miſericordia tribuatur, dignus „ eſt, quod ita fame premitur, ut talem ſub„ eat perſonam; quin hoc & noſtræ crudelita„ tis eſt redargutio. Nam quoniam facilè da„ re non ſuſtinemus, innumeras coguntur ar„ tes excogitare, ut inhumanitatem noſtram „ fallere poſſint, & emollire ſævitiam.] Nam ut homil. 21. in priorem ad Corinth. teſtatur; „ [Nonnulli ſuos cœcare filios coacti ſunt, „ alij abſumptos calceos mandunt, alij capiti „ acutos clavos infigunt, alij per ipſum gelu „ nudo corpore mendicantes petunt.] Ex hac igitur animi duritia duo exiſtunt peccata non contemnenda. Alterum eſt diligens, & accuratum examen, quo tum de petentis inopia, & neceſſitate, tum de illius vita, & moribus interrogamus. Quód & Sanctus Ambroſius reprehendit in libro de Nabuthe Jezraelita cap. 8. his omninò verbis: [Nè requiras, quid „ unuſquiſque mereatur. Miſericordia non de „ meritis judicare conſuevit, ſed neceſſitatibus „ ſubvenire, juvare pauperem, non examinare „ juſtitiam.] Et S. Auguſt. ut anteà dictum eſt, dum exponit Pſalmum 102. peccatoribus, quia homines ſunt, tribuendum eſſe docuit, ſi indigeant. Et S. Gregorius Nazianzenus in oratione de funere patris, multò ſatiùs eſſe affirmat, propter eos, qui opem merentur, immerentibus quoque porrigere, quàm dum metuimus, nè in indignos beneficium conferamus, dignis miſericordiæ officia denegare. Sed verè S. Chryſ. concione 2. de Lazaro, ad hoc ut pauper dignus habeatur eleëmoſynâ, ſatis eſt egeſtas, neque curioſè inquirendum ampliùs de vita, & moribus illius. Ac demùm extat apud illum tom. 5. integer ſermo, nè ſcrutemur curioſè pauperes.

Pauperum artes.

Pauperum examen.

Alterum eſt adversùs illos aſpera, & contumelioſa proferre verba, quibus item ſuo tempore multos fuiſſe uſos dolet S. Chryſ. homil. 76. in Joannem, ſed legant Sanctum Gregorium Papam libro 21. moral. cap. 14. Quo miſericordiæ opera cum benignitate, atque humilitate exemplo Job fieri debêre demonſtrat: „ [Nam etſi rebus miniſterium pietatis perfi„ cis, verbis tamen gratiam humilitatis perdis; „ & videris illatæ jam injuriæ ſatisfactionem „ ſolvere, cùm poſt contumelias dona largiris.] Undè Eccleſiaſticus monet c. 18. In omni dato non des triſtitiam verbi mali: adde verbum ſuper datum bonum, & utraque cum homine juſtificato. Et hom. 40. in Evang. [Advocati „ ſunt, qui petunt, neque negare debemus, „ quod petunt, nec verbis offendere. Si quæ „ ſint, quæ debeant jure reprehendi, hæc ad „ uſum noſtræ mercedis inflectamus, quatenùs „ pariter demus & verbum, & panem refectio„ nis cum verbo blandæ increpationis.] Et Sanctus Petrus Chryſologus ſermone 176. non habet manus tua, quod det pauperi, det ipſam manum, & plus erit manum dediſſe, quàm nummum; hoc eſt conſolationis auxilium, quàm panis dediſſe fragmentum. Quod etiam Sanctus Chryſoſtomus monet h. 41. in Gen. Et hom. 19. in epiſtolam ad Rom. condolentem animum ſaltem poſtulat: [Apponetur ti„ bi merces, vel hujus quoque gratia. Fit enim „ ſubindè, ut compatientis ſermo jacentem, „ & afflictum non minùs refocillet, quàm da„ tæ pecuniæ. Et Chriſtus quando beatos „ vocat miſericordes, non eos ſolos intelligit, „ qui datis pecunijs miſericordiam exhibent, „ ſed & eos, qui animi propoſito id faciunt.] Quòd ſi eos dicas non indigêre, ſed deſides eſſe, nec laborare velle, occurrit tibi idem Chryſoſtomus homilia 11. in priorem epiſtolam ad Cor. [Nonnè ſæpè omni deſidia pejus „ tu operaris? cùm rapis, cùm vim infers, cùm „ cupidus es; longè meliùs & tu otioſus eſſes.] Et ſermone de eleemoſyna, & collatione in Sanctos: [Illis otium objicimus, etiam in „ re, cui debetur venia. Tu verò diem teris in theatris,

Aſpera in illos verba.

Digitized by Google

„ theatris, & in conventibus, è quibus nulla „ utilitas, & multis obloqueris, nec te otioſum putas: hunc autem miſerum in lachrymis, in precibus, in extrema miſeria totum „ diem expendentem judicas, & ad tribunal „ trahis, & de eo pœnas expoſcis?] Poſtremò in ſermone de miſericordia, tom. 5. his verbis invehitur: [Non te pudet moleſtum, & „ importunum clamitare panem depoſcentem? „ Is enim vel ſi moleſtior eſſet, foret miſericordiâ dignus, qui adeò fame vexatus tibi „ perſonato ſupplicet; qua in re noſtra eſt crudelitas incuſanda, quam varia coguntur arte „ pellicêre, & emollire duritiem.]

DE
AVARITIA
LIBER XLI.

Quod miſericordiæ in pauperes, ac liberaliori largitioni adverſatur; Avaritia eſt, de qua nunc ſecundo loco dicendum eſt. Vetutiſſimum vitium eſt, & penè dixerim cum ipſo hominum genere ortum. Quippè ut ex charitate, ac miſericordia largitio indigentibus naſcitur; ſic ex amore noſtri proprio tenacitas germinat, & avaritia, qua ſibi ipſi retinet quiſque ſua.

CAPUT I.

Avari magis viri, an mulieres?

Cain primum illius autorem nominavit S. Joan. Chryſ. hom. 18. in epiſtolam ad Epheſ. qui avaritiâ ſuâ Deum fraudavit, & quæ illi dare debebat, ſibi detinens, malum iſtud primus invenit. Mox in omnes homines propagatam virorum magis, quàm mulierum, propriam eſſe judicavit in homilia 40. operis imperfecti in illud Matthæi cap. 21. Publicani, & meretrices præcedent vos in regnum Dei; „ [Præcipuè, inquit, in viris avaritia abundat, „ fornicatio autem in mulieribus.] Verùm hæc ſententia ex utraque parte vidêri poteſt ſuſpecta, quod dicere non verebor, cum de illius operis imperfecti autore apud graves, & doctos viros non parum videam dubitari. Namque quod ad fornicationem attinet, ut naturalem mittam pudorem, qui magnum eſt in mulieribus concupiſcentiæ frænum; naturalis corporis conſtitutio, ac temperies calidior multò eſt in viris, quàm in fœminis; & ideò magis illos, quàm haſce ad libidinem provocat, & urget. Avaritiam verò propterea magis in viris arbitror, fuiſſe conſideratam, quòd ex illis ſint publicani, & mercatores, quique omnes negotiationem exercent, dum domi ſedent fœminæ, remque domeſticam curant. At ſcimus etiam, eas eſſe auri, & argenti, ac pecuniolæ cujuſvis cupidiſſimas, & tenaciſſimas: imbecillo item, ac puſillo animo, quem avarum, & tenacem, minimè liberalem, ac profuſum eſſe neceſſe eſt. Sed & ille ipſe autor in eodem loco duas ſtatim rationes ſubjungit, cur facilè fornicationis peccatum incurrat mulier. Altera, inquit, eſt otium; altera avaritia; avara igitur eſt mulier. Itaque avaras magis dicerem ego mulieres, libidinoſos viros. Quod enim publicani avari, meretrices libidinoſæ dictæ ſunt; non propter naturam, & ſexum dictum eſt, ſed propter vitæ conditionem, quæ in publicanis, & mercatoribus avaritiam facit; in meretricibus profuſam, & effrænatam idilibnem, atque omninò fornicationem publicè profitetur. Tertullianus in libro de cultu fœminarum capite 12. & Sanctus Hieronymus in epiſt. ad Agerunchiam capite 3. publicarum libidinum victimas appellàrunt. Hoc obiter, ac velut παρέργον adjunxerim. Quod autem in commentario ad caput Iſaiæ 2. ſcripſit Sanctus Hieronymus nihil Judæorum, ac Romanorum gente avarius eſſe, atque utramque gentem avaritiæ ſuggillari per illa Prophetæ verba; Et non eſt finis theſaurorum ejus; ideò ſcriptum videtur, quòd utraque his terræ bonis abundavit plurimùm. Alioqui communis naturæ totius eſt morbus, & ut in homilia de Sanctis Tauricis martyribus dixit Sanctus Maximus Taurinenſis, cunctos penè homines agitat avaritia, nullum de his quietum eſſe permittit.

Viri libidinoſiores, fœminæ magis avaræ.

Digitized by Google

CAPUT II.

Avaritiam duplicem eſſe, bonam, & malam.

Avaritia quid.

IAM placet mihi avaritiæ definitio; quam Sanctus Anſelmus habet in commentario 9. ad caput primum epiſtolæ ad Romanos. Avaritiam inſatiabilem eſſe amorem, ſeu appetitum habendi, hoc universè, & generaliter dicitur. Nam & bonam, & malam ex Propheta Habac. cap. 2. cognoſcimus avaritiam, deſideriumve habendi: Væ qui congregat avaritiam malam domui ſuæ, ut ſit in excelſo nidus ejus, & liberari ſe putat de manu mali, ait Propheta. Mala enim avaritia, ut eo loco adnotat S. Hieron. dicitur ad diſtinctionem bonæ: ut ſit bona avaritia Doctoris Eccleſiaſtici, qui numquam ſatiatur multitudine ſectatorum; & quantò plures habuerit diſcipulos, tantò magis ad doctrinæ ſtudium concitetur. Mala, & peſſima hæreticorum, aut peſſimorum hominum, qui perverſa ſibi congregant conventicula, & ponunt in alto nidum ſuum; dum & ipſi veram fidem, & Regnum cœlorum pollicentur. Verùm & in ſingulis avaritiam agnoſcas bonam, ſi appetitum habeant congregandi virtutes, & cœleſtia, ac divina bona; malam, ſi vitia, & quæ mala ſunt, conſectentur. Quam ob cauſam verè ſcripſit Sanctus Auguſtinus in tertio libro de libero arbitrio cap. 17. avaritiam non ſolùm in argento, & nummis dici, ſed in omnibus rebus, quæ immoderatè cupiuntur.

Quiddam tamen eſt, quod cuipiam faceſſat negotium, dum Dominum legit Luc. 12. dicentem: Videte, & cavete ab omni avaritia. Si omnis avaritia cavenda, nulla igitur avaritia bona, omnis mala. Sed ſapienter Auguſtinus in ſermone 196. de tempore, vult conſiderari occaſionem, undè natus eſt ſermo. Interpellavit Dominum adoleſcens quidam de turba; Magiſter, dic fratri meo, ut dividat mecum hæreditatem; abſtulerat enim totam, nec partem illi reddebat. Chriſtus nolebat illi dare partem hæreditatis terrenæ, ſed cœleſtem hæreditatem integram donare: terrenorum bonorum avaritiam totam extirpare, & ad cœleſtium deſiderium, & appetitum transferre, & ideò dixit; Cavete ab omni avaritia, horum ſcilicet materialium, & terrenorum bonorum. Non ſolùm nolo te aliena non cupere, ſed nec appetere tua, verùm omnia propter me dimittere, ut centuplum hìc accipias, & æternam poſt vitam poſſideas. Non ſolùm avarus eſt, qui appetit, aut rapit aliena, ſed & qui cupidè, & nimio affectu ſervat ſua. Mirandum verò quàm ſapienter cœleſtis medicus juvenem hunc ſanare conatus eſt, integrum morbum abſcindendo, radicemque illius evellendo. Gregorius namque ſub finem primæ partis paſtoralis curæ, avaritiam in mente voluit eſſe, velut impetiginem in corpore, quæ ſi in parvis non compeſcitur, nimirùm ſine menſura dilatatur. Impetigo quippè ſine dolore corpus occupat, & abſque occupati tædio excreſcens, membrorum decorem fœdat; & avaritia captivam animam dum quaſi delectat, exulcerat, dum adipiſcenda quæque cogitationi objicit, ad inimicitias accendit, & dolorem in vulnere non facit, quia æſtuanti animo ex culpa abundantiam promittit. Sed decor membrorum perditur, dum aliarum quoque virtutum per hanc pulchritudo depravatur, & quaſi totum corpus exaſperat; quia per univerſa vitia animum ſupplantat, Paulo atteſtante; qui ait in priore ad Tim. capite ſexto. Radix omnium malorum eſt cupiditas. Hinc & Sanctus Leo Papa in ſermone ſecundo de Aſcenſione Domini; de radice avaritiæ omnium malorum germen emergit, quæ niſi in ſuis fomitibus enecetur, in agro cordis ſpinæ potiùs, tribulique vitiorum, quàm ullum veræ virtutis ſemen oritur. Sanctus Ambroſius in apologia Davidis priore cap. 4. perfidiæ, idololatriæ, & ſacrilegiorum materiam eſſe auri cupiditatem affirmavit. Et in ipſius Ambroſij vita Paulinus, avaritiam omne malum in Italiam invexiſſe teſtatus eſt. Itaque his omninò verbis unumquemque noſtrûm convenit Sanctus Auguſtinus in ſermone 205. de tempore; [Non times omnium malorum „ radicem avaritiam? De agro tuo ſtirpas ra- „ dicem ſpinarum, & non extirpas de corde „ tuo radicem malorum cupiditatem? purgas „ agrum tuum, undè fructum capiat venter „ tuus; & non purgas cor tuum, ubi habitet „ Deus tuus?] Hanc purgare Dominus voluit, cùm dixit; Videte, & cavete ab omni avaritia.

Avaritia impetigo.

CAPUT III.

Avaritiam inſatiabilem habendi cupiditatem eſſe.

PORRò hunc avaritiæ appetitum explêri, aut ſatiari non poſſe, manifeſto diſcimus experimento, & omnes ſemper docuerunt. „ [Avaritia, ſcribit S. Hier. ad Euſtochium cap. „ 10. nullis expletur opibus, & quantò am- „ pliùs habuerit, plus requirit, & neque copiâ, „ neque inopiâ minuitur.] Non ſolus Achab, ait S. Ambr. in libro de Nabuthe Jezraëlita cap. 1. ſed omnes divites, alienos agros concupiſcunt. Et cap. 2. [Inflammatur lucro avaritia, „ non reſtinguitur: quaſi gradus quoſdam cu- „ piditas habet; quò plures aſcenderit, eò ad „ ulteriora feſtinat, undè ſit gravior ruina lap- „ ſuro.] In 5. libro exameron cap. 14. Aves rapaces

Digitized by Google

rapaces meminit carêre copulâ, prædæ ſemper intentas: refugit enim avaritia conſortium plurimorum. Morbumque divitiarum S. Nazianzenus oratione in laudem Cæſarij fratris, finem affirmat appetendi plura neſcire, ſed ſitis medicinam in perpetuo potu ſitam habêre. Et in Cyneis adverſùs homines opum ſtudioſos ſcribens; ex Ægypti ſolitudinibus viperam adfert, quæ Dipſas dicitur, quæ ſi quempiam momorderit, is bibendo moritur, oreque hiante totus in aquas repertas irruit, donec pondus internum potu diſrumpat, atque una cum vita ſitim extinguat. Clemens Romanus libro quarto conſtit. cap. 4. avarum dixit hominem ſerpentis locum tenêre, quem in theſauris dormire aiunt, donec ſcilicet in illis intereat.

Cum avaritia conjungit ambitionem Sanctus Cyprianus in tractatu de operibus Cardinalibus: [Avaritiæ, & quæſtus ardor nec ſa- ,, tiat cupidum, nec pœnitet eum cumulâſſe, ,, quod creſcere optat, non minui. Et diſcola ,, obſtinatus, ſemper quod idolo ſuo immo- ,, let, ſedulus coacervat. Undè hæc ſitis divi- ,, tiarum miſeris pectoribus aſſidet; & ambiti- ,, onis ſalſugo bibulam animam occupat, ut per ,, fas & nefas ad loca ſuperiora etiam de late- ,, bris eremi nonnulli ſe ingerant: & de omni ,, gradu ubi aliquis aditus patet, anheli pro- ,, deant, diſcurrant ad judices, blandiantur me- ,, diatoribus, conducant auxiliarios, & modis ,, omnibus elaborent, ut ſedeant cum Princi- ,, pibus.]

Avari, Hydropici. Hinc paſſim avari, atque hydropici ſimilitudinem reperias. S. Aug. libro 2. qq. Evangelicarum q. 29. [Hydropicum rectè compa- ,, ramus diviti avaro; ſicut enim ille quantò ,, magis abundat humore inordinato, tantò ,, ampliùs ſitit; ſic iſte quantò eſt copioſior di- ,, vitijs, tantò ardentiùs concupiſcit.] Et in ſer. 10. de Sanctis: [Omnes avari, vel cupidi, ve- ,, lut hydropis morbo ægrotare videntur.] Et S. Greg. Papa lib. 14. moral. cap. 6. exponens illa Job cap. 18. exardeſcet contrà eum ſitis. ,, [Impio, inquit, ſitire eſt hujus mundi bona ,, concupiſcere. Undè & Dominus antè Pha- ,, riſæi domum hydropicum curat, quia per ,, alterius ægritudinem corporis in altero ex- ,, primitur ægritudo cordis. Hydropicus quip- ,, pè quo ampliùs bibit, eò ampliùs ſitit. & om- ,, nis avarus ex potu ſitim multiplicat; quia ,, cum ea, quæ appetit, adeptus fuerit, ad ap- ,, petenda alia ampliùs, & ampliùs anhelat.]

Avaritia, ignis. Ignis naturam alij conſiderant, qui quo plura apponuntur ligna, major evadit. Sic enim avaritiæ appetitus, quò plura congregantur, magis accenditur. Ita Sanctus Auguſtinus ſermone 250. de tempore: [Avaritia velut ignis, ,, quantò magis acceperit, tantò ampliùs quæ- ,, rit.] Et S. Baſilius h. in aliquot ſcripturæ loca ,, [Avaritia ſtare neſcit, nec quieſcere: ſed ig- ,, nis naturæ eſt ſimilis, qui omnem materiam ,, conſumere properat, nec ceſſat, niſi materia ,, ceſſet.] Sic enim avarus omnia finibus ſuis continuare appetit, & ſibi unire. Verè pronuntiavit Job cap. 20. Rapuit, nec eſt ſatiatus venter ejus, & verè de avaro interpretatus eſt Sanctus Gregorius libro 15. capite 12. [Ven- ,, ter quippè iniqui avaritia eſt, quia in ipſo ,, colligit quidquid perverſo deſiderio glutitur; ,, neque deſideratis rebus extinguitur, ſed au- ,, getur. Nam more ignis cùm ligna quæ con- ,, ſumat acceperit, accreſcit; & undè videtur ,, ad momentum flamma comprimi, indè pau- ,, lò poſt cernitur dilatari.]

Febricitantis hominis ſitim proponit nobis S. Joan. Chryſoſt. h. 64. in Matth. [Sicut enim ,, qui acutæ bilis fervore febricitant, non ſo- ,, lùm non extinguunt ardorem potu, verùm ,, etiam incendunt, atque inflammant: ſic qui ,, avaritiâ laborant, cum huic cupiditati omni ,, bile acerbiori pecuniam adferunt majori ſe- ,, ipſos flamma incendunt. Nihil hanc ſitim ,, ita extinguit, quemadmodùm ſi ab hujuſmo- ,, di deſiderio teipſum liberum conſtituas: ſicut ,, etiam acuta bilis non potu; ſed è contrario ,, potiùs extinguitur.] Et iterùm: [Quem- ,, nam putas magno dolore cruciari? utrùm ,, eum, qui edendi, atque bibendi cupiditate ,, conficitur, cùm non poſſit deſiderio ſatisfa- ,, cere ſuo: an eum, qui nec tali quidem cupi- ,, ditate vexatur? Et quæ ſeq.] *Avaritia febris.*

Alibi inſatiabilem ait eſſe ebrietatem. Ut enim ebrij quantò plus ingurgitant vini, tantò magis inflammantur ad ſitim. Sic & iſti indomitam inſaniam ſiſtere nunquam poſſunt, ſed quantò magis ſuas opes augêri vident, tantò & concupiſcentia magis flagrant. His prorſùs verbis eſt apud ipſum hom. 22. in Geneſim, & lege hom. 13. in epiſtolam ad Romanos, & ſermone contrà gulam, & cæteras corporis voluptates, tom. 5. Undè conficit in ſermone de nequitia depulſa, & virtute induta; avarum hominem ſupplicio numquam carêre poſſe. [Amor quippè hic divitiarum in- ,, explebilis eſt, & infinitus; quantòque plus ,, proceſſeris, tantò magis à fine aberis.] Et hom. 5. in epiſtolam ad Titum, avarum, & cupidum vult fornicatoribus fœdiorem, atque impotentiorem eſſe; cum enim corporum vehementior ſit, quàm pecuniarum cupiditas, ut in homil. aſſerit 79. in Matth. & homil. 7. & 23. in poſteriorem ad Cor. & hom 6. in poſter. ad Tim. Voluptas quippè, inquit, illa naturalis eſt, noſtriſque inſita, & innata corporibus; non item cupido pecuniæ; dum à minori concupiſcentia ſuperatur, minùs poteſt excuſari. Sed nihil ita pecuniarum deſiderium infert, ut pecuniarum ipſa poſſeſſio. [Veſana cupiditas, ,, ait in h. de avaritia, to. 5. morbus inſanabilis, *Ebrietas insatiabilis.*

 fornax,

Digitized by Google

„ fornax, quæ numquam extinguitur; tyran-
„ nis per totum orbem terrarum diffuſa.] Ut magnoperè verendum ſit illud Sancti Hilarij can. 19. in Matth. [Periculoſa cura velle diteſ-
„ cere; & grave onus innocentia ſubit incre-
„ mentis opum occupata.] Ut optimo jure patris ſui juſtitiam ſummam laudaverit S. Nazianz. in orat. funebri; quòd in ſummis reipublicæ muneribus, adminiſtrationibuſque verſatus, nè teruncio quidem facultates auxiſſet ſuas; cùm alios cerneret publicis bonis Briaræi manus, ut dici ſolet injicientes, hoc eſt, centum quaſi rapientes manibus. Cui opponere poſſis Evangelicum illum divitem Luc. 12. cujus horrea repleta fuerant, at non item cor repletum. [Semper enim, ut S. Ambroſius loqui-
„ tur in ſer. in Dom. 8. poſt Pent. ſtudet cumu-
„ lare nova veteribus, & augmentis præſenti-
„ bus ſuperare præterita. Gratiùs aurum in-
„ tuetur, quàm ſolem. Ipſa ejus oratio, & ſup-
„ plicatio ad Dominum aurum quærit, & vel-
„ let, ut omnia ei converterentur in aurum.
„ Pueris interdum gulæ nimiùm deditis indul-
„ gemus deſideratos cibos avidiùs ſumere, ut
„ nimietate ipſa ſatiati horreſcant, & avertant
„ ſe ab hac cupiditate. Avaritia nihil tale pati-
„ tur; ſed quantò plus invenerit, tantò am-
„ pliùs quærit.] *Abyſſus inſatiabilis.* Abyſſum inſatiabilem, quæ numquam dicit; Sufficit, appellavit S. Auguſt. in ſer 48. ad fratres in eremo, inferno perſimilem, qui quantumcumque plus devorat, tantò magis cupit, & deſiderat, in ſerm. 62. & S. Bern. in modo benè vivendi ad ſororem cap. 44. & S. Baſilius in admonitione ad filium ſpiritualem. Aut certè multiplicem quamdam feram, ut in libro de beatitudinibus oratione 1. loquebatur S. Nyſſenus, oribus innumeris inexplebili ventri cibum tranſmittentem.

CAPUT IV.

Divitias cur iniquitatis Mammona dixerit Chriſtus.

IN avaritiæ condemnationem plurima in ſacris litteris legimus pronuntiata, quæ nimis longum ac moleſtum foret perſequi. Non prætermittam duo, quibus omnia ferè continêri videntur; alterum eſt Chriſti teſtimonium, alterum Apoſtoli Pauli. Chriſtus Dominus apertè dixit Matth. 6. & Luc. 16. Non poteſtis Deo ſervire, & mammonæ: *Mammona.* vox eſt Hebræa, vel Punica, quam divitias, ſeu lucrum interpretatur S. Auguſt. ſermone 36. de verbis Domini, & antè illum Tertullian. libro 4. adverſùs Marcionem cap. 33. de mammona, inquit, hoc eſt de nummo, quem injuſtitiæ autorem, & damnatorem totius ſæculi ſcimus omnes. Sed S. Irenæus libro 3. c. 8. cupidum, & pluſquam oportet, habêre volentem intelligit: interdum etiam guloſum. Et in primo ad uxorem libro cap. 5. idem Tertullianus duo illa perpendit verba, quibus utitur Chriſtus Matth. 24. In diebus Noë nubebant, & emebant, quibus vult inſigniora carnis, & ſæculi vitia ſignificata, quæ à divinis diſciplinis plurimùm avocant; alterum per laſciviendi voluptatem, alterum per acquirendi voluntatem. Deindè quid ſibi vult illud? Facite vobis amicos de mammona iniquitatis. Si divitiæ iniquæ, aut iniquitatis ſunt, quid avaritia, quæ illis conquirendis, & congregandis die, noctèque incumbit? Divitias enim iniquitatis intellexit Sanctus Auguſtinus in 21. libro de civitate Dei cap. 27. divitias malè acquiſitas, aut certè ſi benè, non tamen veras, ſed quas iniquitas putat eſſe divitias, quia neſcit, quæ ſint veræ divitiæ. Quod autem apud Virgilium addit ſimilem reperiri ſententiam, dum in 6. Æneidos libro in Elyſijs campis non ſolùm ponit animas, quæ proprijs meritis ad illas ſedes pervenire potuerunt, ſed etiam eas, quibus illæ promeruerunt: *Sanctorum interceſſio.* non eſt mihi nunc pluribus examinandum. Obiter tamen admonêri poſſunt noſtri temporis hæretici, catholicum dogma de Sanctorum interceſſione, tam eſſe rationi conſentaneum, ut apud Ethnicos quoque homines aliqua fuerit qualiſcunque illius notitia. Sed rursùm in libro 50. homiliarum, homiliâ trigeſimâ pluribus exponit, cur iniquitatis mammona dixerit Dominus. Ita enim ſignificavit eſſe alterum mammona, *Duplex mammona.* aliaſque divitias, quas niſi juſti, & boni poſſidêre non poſſunt; ut ideò mammona iniquitatis vocetur, quia iniquitas eas vocat divitias. In juſtitia verò ſunt aliæ divitiæ, quibus homo adornatur interior. Illæ juſtæ dicuntur divitiæ, quia bonis, & juſtis tribuuntur: & veræ dicuntur divitiæ, quia quiſquis eas habuerit, non egebit; hæ verò injuſtæ vocantur, quia injuſtum eſt eas putare divitias, quæ non auferant egeſtatem. Eſt & alia iniquitas, & injuſtitia; dum ea, quæ Deus creavit omnibus, voluitque omnium eſſe communia, uſurpat ſibi avarus, & ſibi propria facit, & ſibi ſoli recondit. Ita Theophilaſtus, Anſelmus, & alij.

Divites verè qui. Sed quod apud omnes penè legimus, ditiſſimos quoſque hujus ſæculi omnium egentiſſimos eſſe, veriſſimum eſt. Verè ſiquidem dives, & locuplex eſt, qui abundat omnibus rebus, nihil deſiderat; egenus, & pauper, qui illis caret, & ideò deſiderat, & procurat: at qui avarus velut omnibus carens, omnium ſemper cupidus eſt. Duo intolerabilia, ut habet S. Ambroſius in libro de Nabuthe cap. 2. ſimul jungit avaritia, ut ambitioſam ſpem divitis augeat, & non deponat mendicitatis affectum: [Pauper Nabuthe nihil de poſſeſſi-
„ onibus divitis Regis concupivit; Rex ſibi
„ egêre viſus eſt, quia vineam habebat pauper
vicinus,

Digitized by Google

„ vicinus, alter pauper cenſu videtur, alter eſt „ pauper affectu; denique da mihi, inquit „ Rex, vineam tuam. Quæ alia vox egentis „ eſt? Da mihi, quia egeo.] [Avaro enim, ut „ ad Paulinum ſcripſit S.Hier. c.8. tam deeſt, „ quod habet, quàm quod non habet. Suo „ non fruitur, dum anhelat ad aliena: eſtque „ illi perindè acſi non haberet.] Achab 3. Reg. c. 21. Nabuthem audiens negantem ſibi vineam, non comediſſe dicitur panem. Non comedit, inquit Ambr. cap. 4. panem ſuum, quia quærebat alienum. Etenim divites alienum magis panem, quàm ſuum manducant; qui raptu vivunt, & rapinis ſumptum exercent ſuum; horum hominum avaritiam velut profluvium eſſe, ait cap. 9. quod omnia fluvij more rapit, nulli uſui profutura traducit.

Arguti ſibi, & induſtrij omnes videntur avari. [Quid argutius, inquit idem Ambr. in „ comment. ad Pſal. 38. quid ſolicitius araneâ, „ quæ operi ſuo diebus, ac noctibus ſemper „ intendit, nec ullo ſumptu, ullave impenſa „ conficit veſtimentum: ſed vanum eſt omne, „ quod fecerit.] Undè Iſ. 59. dicitur; Telam araneæ texunt. Dives ille apud Lucam cùm horrea omnia frumento replêſſet, quia cor egenum habebat adhuc, & vacuum, meritò dicebat anxius, ut adnotavit idem Sanctus Pater ſermone in Dominicam 8. poſt Pent. Quid faciam? quæ egeni ſanè vox eſt, qui nihil habet, undè vivat; undè cibus? undè veſtitus? Eadem & divitis avari vox. Adde & optimi ſenis Barlaâm ſententiam, qui in hiſtoria, quam S. Damaſcenus ſcripſit cap. 18. opibus opes ſemper adjungere, neque cupiditatem fræno coercêre, ſed ſine ulla ſatietate plura ſemper appetere, extremæ dixit paupertatis argumentum eſſe, contrà qui ſempiternarum rerum cupiditate præſentia contemnunt omnia, hos quovis terreno Rege locupletiores eſſe. Ac demùm S.Chryſ. hom. 64. in Matthæum. [Nun„ quam, ait, magna voce prædicare ceſſabo, „ acceſſione pecuniarum cupiditatem habendi „ magis, ac magis adeò inflammari, ut rerum „ copia creſcente paupertas quoque augeatur. „ Nam qui majori deſiderio ardent, egêre ſe „ magis ſentiunt.]

CAPUT V.

Cur idolorum ſervitutem Paulus.

Avarus idolorum cultor. APOSTOLUS autem Paulus ad Epheſios ſcribens cap. 5. & ad Coloſſ. cap. 3. avarum hominem idolorum dixit eſſe ſervum, avaritiamque idolorum ſervitutem appellavit. Quod per hyperbolem affirmâſſe aliquos fuiſſe dictum, teſtatur S. Chryſoſtomus hom. 18. in epiſt. ad Eph. ſed ipſe veriſſimè dictum contendit. Ut enim à Deo ad idola deficit ſimulachrorum cultor; ita & à Deo ad divitias, & pecunias avarus. Propterea inquiebat Dominus; Non poteſtis Deo ſervire, & mammonæ; qui mammonæ ſerviunt, ſervituti Dei ſe ſubduxerunt, auroque dixerunt; Deus meus es tu, quemadmodùm conflatili vitulo dixiſſe filios Iſraël legimus Ex. 32. Qui verò auro ſerviunt, & aurum adorant, & colunt; nonnè idolorum cultores ſunt? Nihil idololatria deterius, nihil funeſtius, Deo injurioſius nihil. Cum hac copulatur avaritia, ut intelligatur, quàm periculoſum illa vitium ſit, quàm grave peccatum; quod in commentario habet Sanctus Ambroſius. Nam præter Dei cultum, quem illa ſibi uſurpat, ea quæ uſibus omnium condidit Deus, illa denegat, ſibique ſoli recondit, nè utantur alij, nec indè pauperes vivant. Joan. Caſſianus in collat. 12. Abbatis Cheremonis cap. 2. ad eleëmoſynam refert, quam avaritia prohibet: „ [Quiſquis enim, inquit, non communicat „ neceſſitatibus egenorum, & pecuniæ ſuæ, „ quam infideli tenacitate conſervat, Chriſti „ præcepta poſtponit, idololatriæ crimen in„ currit, amorem ſcilicet materiæ mundialis di„ vinæ præferens charitati.] S. Bern. in ſer. de verbis Sapientiæ; Sapientia vincit malitiam, idolorum ſervitutem interpretatur; quia ut idololatra antè idolum proſternit ſe, & falſum numen adorat; ſic avarus coram auro, & argento, omnique terrena ſubſtantia. Super omne, inquit, peccatum avaritia inquinat animam. Undè & idolorum ſervitus dicitur: incurvat enim ad infima, & egena elementa animam, quæ ſoli creatori ſubjecta, cæteris omnibus deberet præeſſe. Nam & diabolus Matt. 4. Domino offerens hæc terrena bona, & omnia regna mundi, idololatriam poſtulavit, ab eoque voluit adorari; Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me. Et hæreſim 66. Manichæorum tractans Sanctus Epiphanius, Deum hujus ſæculi avaritiam appellat. Et Sanctus Chryſoſtomus homilia 18. in priorem epiſtolam ad Cor. Regem profert Babylonis, qui ſtatuam juſſit adorari apud Daniëlem cap. 3. hunc enim avaritiam eſſe contendit, ſtatuam auream adorantem, & homiliâ 64. in Jo. idololatriam à Paulo autumat nominatam; quoniam pecuniam avarus velut rem ſacram non audet tangere. [Habet enim, inquit, pecu„ nias, & his uti non audet; ſed intactas ad „ alios tranſmittit, & tanquam dona Deo di„ cata non audet tangere. Quòd ſi quando „ cogitur, tanquam ad nefas aliquod timidè „ venit. Præterea, tanquam idolum lapideum, „ aurum & clauſtris, & vectibus cohibet, „ pro templo, arcam præparans, & argen„ teis vaſis recondens: Nonnè ita aurum ado„ ras, ut ille idolum?] Placet quoque conſiderare viſionem Zachariæ Prophetæ cap. 5. Vidit enim amphoram, quam nunc intelligo

Amphora Zach. 5. avari hominis cor, in quo auri, & argenti immoderatus appetitus: & oculus in univerſa terra; quia universè terræ aurum concupiſcit, & quærit: talentum plumbi eſt gravitas, & pondus cordis terram ſolam, & terrena cogitantis; Mulier ſedens in medio amphoræ, avaritia in corde regnans; & hæc eſt impietas, quam Paulus idolorum ſervitutem nominavit; quia nulla major impietas, quàm Apoſtaſia à Deo, & adoratio creaturæ. Et duæ mulieres egredientes, ſuperbia, & vana gloria, ſeu aviditas, & deceptio; quæ avaros divites comitantur. Et hæ habent alas quaſi alas milvi, quia, & milvus rapax eſt, & avarus rapax: & levarent amphoram inter terram, & cœlum, tum propter vanitatem cordis, tum velut idolum avaro homini adorandum proponentes; ut ædificetur ei domus in terra Sennaär, ubi babylon, & confuſio malorum omnium; quia radix omnium malorum cupiditas & avaritia, ut in priore ad Tim. 6. habet Apoſtolus. Nec magnoperè diverſa eſt interpretatio hujus viſionis, quam Sanctus Gregorius fecit in libro decimo quarto moral. capite vigeſimo ſexto, & Emiſſenus h. in Dominicam quintam poſt Epiph. & 15. poſt Pentec. quam jucundum, nec inutile erit perlegere.

CAPUT VI.

Quantum avaritia malum.

INTERIM ego ſubijciam verba Chryſoſtomi loco mox citato: [Gravis, ait, morbus „ eſt avaritia, qui & oculos cœcat, & aures „ obſtruit, & fera ſæviores reddit: non con„ ſcientiam, non amicitiam, non conſuetudi„ nem, non propria animæ ſalutem cognoſce„ re ſinit: ſed ſemel ab omnibus diſcedens, in „ ſervitutem ſibi, quos cæpit, more ſeveriſſimi „ tyranni vendicat, & quæ ſeq.] Et S. Ambr. 1. de Abel, & Cain c. 5. [Quid de avaritia „ dicam, inſatiabili pecuniæ cupiditate, & qua„ dam æris libidine, quæ quò plura abſtulerit, „ eò magis inopem eſſe ſe credit? Omnibus „ invida, ſibi vilis, in ſummis divitijs inops, „ affectu extenuat, quod cenſu abundat. Nul„ lus rapiendi modus, ubi nulla menſura cu„ piendi. Elementa concutit, mare ſulcat, „ terram effodit, cœlum votis fatigat, nec ſe„ reno grata, nec nubilo: condemnat proven„ tus annuos, fœtuſque terrarum arguit.] Et in libro de Elia, & jejunio cap. 19. Lucella quærens ſolicita vita hominum, inquieta converſatio, & quodam ſemper in turbine, ventis ipſis mobilior, hûc atque illûc ſæpè jactatur. Horrendum nimis monſtrum deſcribit S. Jo. Chryſ. in homil. 29. in Matth. quod hoc loco pudet commemorare; lege apud illum, ſi placet, & horreſce. Mihi ſatis erit proponere juſtitiæ deſtructionem, dum aliena diripit avarus, & ſua eſſe vult. Novercam, & ſummam juſtitiæ inimicam, non eſt veritus appellare S. Aug. ſermone 35. ad fratres in eremo. Hoc uno verbo complectitur omnia, quæ multis perſequitur Chryſ. homilia 17. in priorem epiſtolam ad Tim. dum omnium malorum radicem Paulus appellâſſet. Et in tertio libro adverſus vituper. vitæ monaſt. avaros addit invidos eſſe, nequam, detractores, perjuros, temerarios, audaces, maledicos, fures, inverecundos, impudentes, ingratos, mala denique omnia. Et concione prima de Lazaro, & homilia decima in priorem epiſt. ad Theſſ. apertos fures, & latrones, vias obſidentes, & res prætereuntium rapientes, &c. de Juda quoque, ubi ab avaritia poſſeſſus conſtituit tradere Chriſtum, ſcripſit Evangeliſta Joannes c. 13. introiſſe in illum Satanam. Undè perelegans apud Chryſoſtomum hom. 82. in Matth. avari, & ænergumeni comparatio: ſed & homilia 84. eum demonſtrat omnibus, & ad omnia inutilem eſſe: *Avarus ænergumenus.* at qui ſibi nequam eſt, cui ſit bonus? tractans hunc locum Sanctus Cyprianus quoque in epiſt. 2. libri 2. ad Donatum, inter cætera: „ [Nulla, inquit, in clientes indè largitio eſt, „ cum indigentibus fit nulla partitio, & pe„ cuniam ſuam dicunt, quam velut alienam „ domi clauſam ſolicito labore cuſtodiunt. Ex „ qua non amicis, non liberis quidquam, non „ ſibi denique ipſis impartiunt. Poſſident ob „ hoc tantùm, nè poſſidêre alteri liceat.] Sed in tract. contrà Demetrianum, impudentiam, & perfrictam frontem his verbis perſequitur. „ [In latronibus eſt utcumque ſcelerum ali„ qua verecundia, avias fauces, & deſertas ſo„ litudines diligunt, & ſic illic delinquitur, „ ut tamen delinquentium facinus tenebris, „ & nocte veletur. Avaritia palam ſævit, & „ ipſa audacia ſua tuta in fori luce abruptæ „ cupiditatis arma proſtituit. Indè falſarij, „ indè venefici, indè in media civitate ſicarij, „ tam ad peccandum præcipites, quàm impu„ nè peccantes.] Et Sanctus Chryſologus ſer. 162. [Avaritia parentes negat, germanos di„ vidit, ſeparat ſocios, amicitiam ſolvit, ex„ cludit affectum. Hanc qui intrà ſe habuerit, „ erit nullius, ſuus non erit. Avaritia ſicut di„ cit Apoſtolus, radix eſt omnium malorum, „ quæ cum radicari cœperit in corde, ſic mo„ rum diſſipat ornamenta, ſicut arbor noxia „ feralibus radicibus nexa ſolvit, & diſſipat „ monumenta majorum.] Ditem Gentiles dixerunt inferorum præſulem, arbitrum mortis; & ditem, ait Sanctus Ambroſius in libro de Nabuthe c. 6. appellant & divitem; quòd niſi mortem inferre non noverit, cui regnum de mortuis, cui ſedes inferi ſint. Iſtis interpretatione Sancti Auguſtini ſerm. 20. de verbis Domini: Væ, dicit Dominus Matt. 24. Væ prægnan-

Digitized by Google

prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus. Prægnans eſt, qui rem alienam concupiſcit; nutriens, qui jam rapuit, quod concupierat. Et ſi in die judicij væ erit illis, qui ſua non dederint, dicente Domino; Diſcedite à me maledicti in ignem æternum: Eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare; quid erit illis, qui aliena rapuerint? [Propter avaritiam præ-
„ cipitatus Achan Joſ. 7. inquit Ambr. lib. 2.
„ off. c. 26. in exitium deduxit totam plebem
„ parentum; & Jeſus Nave, qui potuit ſo-
„ lem ſiſtere, nè procederet, avaritiam homi-
„ nis non potuit ſiſtere, nè ſerperet. Ad vo-
„ cem ejus ſol ſtetit, avaritia non ſtetit; ſole
„ ſtante confecit triumphum, avaritia proce-
„ dente penè amiſit victoriam.] Extat apud Sanctum Gregorium Nyſſenum homilia 4. in Eccleſiaſten, quâ avaram pecuniarum, & auri congregationem magnoperè damnat; avaritiæ comites ex altero Gregorio Papa anteà nominavimus ſuperbiam, & vanam gloriam. Nec illepidè Sanctus Bernardus in ſermone 39. in Cant. deſcripſit currum, cujus quatuor rotæ ſint puſillanimitas, inhumánitas, contemptus Dei, mortis oblivio: & equi currum trahentes tenacitas, & rapacitas; quibus velut auriga præſit habendi ardor: [Quia enim,
„ inquit, conducere plures non patitur, uno
„ contenta eſt ſervitore; ſed is promptus ad-
„ modùm eſt, & infatigabilis.] Qui ſanè habendi ardor ſi ipſamet ſit domina avaritia omni parcens ſumptui ipſamet famulabitur ſibi, nec alium conducet aurigam. Hoc illa curru vectâ univerſum percurrit terrarum orbem, cunctoſque mortales ſollicitat, illiſque facilè perſuadet, quæ duæ illius partes ſunt, & ſua tenaciter retinêre, & avidè aliena concupiſcere. Inauditum avaritiæ genus Georgij Alexandrini Epiſcopi commemorat Sanctus Epiphanius hær. 76. quæ fuit Anomæorum, & ut eſt apud Sanctum Nazianzenum in diſticis elegiacis, alius quiſpiam avarus aliquando dixit; Fortunæ guttam malo, quàm mentis dolium. Ineptus homo: cui præclarè oppoſuit Sapiens: Mentis guttam pluris facio, quàm fortunæ dolium.

Matt. 25.

FINIS TERTIÆ PARTIS.

HIE-

HIERONYMI DANDINI CÆSENATIS

E SOCIETATE IESU

ETHICA SACRA

DE EVANGELICIS CONSILIIS

QVARTA PARS.

DE DIVINIS PRÆCEPTIS, EVANGELICISQVE CONSILIIS.

LIBER XLII.

POSTREMAM hanc partem ferè totam ſibi vendicat regularis diſciplina, cùm, de quibus habendus eſt ſermo, illa magis religioſorum propria eſſe videantur. Interrogatus enim Dominus Matt. 19. à virtutis amante, ſalutiſque æternæ cupido adoleſcente; Quid boni faciam, ut habeam vitam æternam? reſpondit illi; Serva mandata: & cum adhuc urgeretur, virtuſque major quæreretur; ſubjunxit; Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo, & veni, ſequere me. Duobus hiſce univerſa virtus Chriſtiana continetur; & utrumque ſanè proponitur omnibus, ut habet Sanctus Baſilius in homilia ad eos, qui ſtudio tenentur diteſcendi. Et Sanctus Joannes Chryſoſtomus homilia 4. in epiſt. ad Hebræos Sed alterum neceſſitatis eſt, alterum liberæ voluntatis, atque arbitrij noſtri: de altero enim abſolutè pronuntiatur; Serva mandata: de altero: Si vis perfectus eſſe. Illud eſt præcepti, hoc conſilij, alterum habet æternam vitam, alterum & vitam æternam, & theſaurum in cœlis. Ut quemadmodùm in hoc mundo aliqui habent, undè vitam ſuſtentent ſuam; alij præter hoc auri, & argenti theſauros poſſident: ita in cœlis duo futuri ſint beatorum ordines: alter eorum, qui mandata ſervaverint: alter eorum, qui conſilia ſecuti. Illi vitam æternam habebunt;

Præcepta & conſilia.

Digitized by Google

bunt; hi & vitam æternam, & præter hanc ampliſſimos gloriæ theſauros. De priori ordine pauca mihi dicenda ſunt: de poſteriori paulò plura.

CAPUT I.

De Præceptis primæ, & ſecundæ tabulæ.

DIVINÆ legis præcepta omnia ex charitatis præcepto derivantur, atque ad illud referuntur. Charitas enim Deum præcipit ſuper omnia diligas, & proximum ſicut teipſum. Ex hoc duplici præcepto moralia cuncta præcepta velut concluſiones quædam colliguntur: ex altero illa omnia, quæ ad Deum pertinent; ex altero illa, quæ ad proximum. Nam ſi Deus ſuper omnia diligendus eſt, conſequens omninò eſt, non eſſe alium præter hunc Deum colendum, nec nomen illius per contumeliam aſſumendum, eum diebus feſtis colendum, honorandoſque parentes. Si verò proximum dilexeris, nihil adversùs illum injuſtè ages, ſervabiſque reliqua omnia, quæ ad illum ſpectant, mandata.

Præcepta moralia ex charitate.

Scio Sanctum Auguſtinum in epiſtola ad Januarium centeſima decima nona, capite undecimo & alios aliter partiri. Sed mihi placet quinque facere præcepta primæ tabulæ, quæ ad Deum pertinent: totidemque ſecundæ, quæ ad proximum. Quod ſenſit Sanctus Joannes Chryſoſtomus h. 52. operis imperfecti, & Philo in libro de decalogo, & in libro quis rerum divinarum ſit hæres, & fuit communis Hebræorum omnium ſententia, ut vidêre eſt apud Nicolaum Lyranum, & Petrum Comeſtorem in Hiſtoria Scolaſtica in librum Exodi. Hebræis autem hac in re tribuendum videtur plurimùm, tum quòd illis per Moyſen traditæ à Deo fuerunt tabulæ, atque apud eos credi poteſt veram de illis conſervatam fuiſſe traditionem: tum etiam quòd inter illos Joſephus in tertio antiquitatum libro capite ſexto & octavo vidiſſe ſe illas memorat, fuiſſeque æquales, & ambas ex utraque parte ſcriptas, atque in ſingulis partibus duo præcepta cum dimidio. Certè Paulus Apoſtolus in epiſtola ad Romanos capite 13. omnia ſecundæ tabulæ præcepta viſus eſt complecti, quæ ad proximum pertinent, atque in hoc verbo inſtaurantur; Diliges proximum tuum ſicut teipſum: cùm quinque ſolùm negantia illa commemoravit; Non adulterabis, Non occides, Non furaberis, Non falſum teſtimonium dices, Non concupiſces. Præceptum igitur de honore parentum ad primam putavit is tabulam pertinêre. Magis enim ad religionem Deo debitam, quàm ad juſtitiam proximo reddendam ſpectat. Nam & divinum illi nobis numen repræſentant; & eos Philoſophi loco propemodùm Dei habêri voluêrunt; propriéque inter filios, & parentes negârunt eſſe juſtitiam.

Præceptorum partitio.

Quod autem Sanctus Auguſtinus ad primam tabulam voluit pertinêre præcepta ſola, quæ ad Deum pertinent, ad ſecundam, quæ ad proximùm, verum eſt, ſi ita accipiatur, ut parentes non cum proximis, ſed cum Deo potiùs velut illius quædam repræſentatio numerentur; & ideò præceptum de illorum honore ad primam referatur tabulam. Aut verò judicavit Comeſtor, primam tabulam, quæ ſola ad Deum pertinentia præcepta contineat, non propriè, & propter ſcripturam ab Auguſtino dictam; ſed ſicut nos dicere conſuevimus homines primæ claſſis, & ſecundæ claſſis. Sic enim parentum honor erit ſecundæ claſſis, quamvis in prima ſcriptus tabula. Quod metaphoricè, non propriè dicitur, ut ex communi doctorum ſententia noſter adnotavit Gregorius Valentia in 2. commentariorum Theologicorum tomo, diſp. 7. q. 7. de lege veteri, puncto 4.

Moralia hæc omnia præcepta vocantur; quòd cùm ergà Deum, tùm ergà proximum, mores noſtros omnes componant. Prætereà in veteri lege alia fuêre; tum cæremonialia, tum judicialia; illa quomodo, & quibus cæremonijs Deus colendus foret, declarabant: hæc ad retinendam ergà proximum juſtitiam pertinebant. Ambo per Chriſtum legiſlatorem noſtrum fuêre abolita, ſolumque primum præceptorum genus retentum, ac confirmatum nobis.

Porrò de illorum bono, atque utilitate, & perfectione diſputare ſuperfluum; Dei præcepta ſunt; nec permittit Tertullianus (licèt aliud agens) in libro de pœnitentia capite quarto. [Audaciam, inquit, exiſtimo de bono „ divini præcepti diſputare. Neque enim quia „ bonum eſt, idcircò auſcultare debemus; ſed „ quia Deus præcepit. Ad exhibitionem ob„ ſequij prior eſt autoritas imperantis, quàm „ utilitas ſervientis.]

Neque ſine cauſa factum putavit Philo in libro de decalogo, ut Deo legem, ac præcepta Moyſi promulgante, è flamma vox proceſſerit: [Probata ſunt enim Dei præcepta, velut „ aurum igne examinatum. Neque caret my„ ſterio. Quoniam ignis vim habet geminam, „ illuſtrandi, & urendi; præceptaque hæc obe„ dientes per totam vitam illuminant, ac velut „ ſydera prælucent animæ. Quotquot autem „ contumaces fuerint, æſtuabunt, urentur„ que] Eadem S. Cyrillo Alexandrino ſententia libro 3. in Jo. cap. 3. [Oportebat, ait, „ Deum, qui per legem ad cognitionem, & „ ſervitutem ſuam populum invitabat, ut illu„ minatorem vidêri, ac punitorem, quæ ambo „ in igne ſunt.] Et h. 5. [Quando data eſt lex, „ deſcendit Deus in ſpecie ignis ſuper montem Sina,

Præceptorum promulgatio. Ex. 19.

Digitized by Google

„ Sina, ut ſcirent illius transgreſſores negotium ſibi eſſe cum igne. Deus enim ignis „ conſumens eſt. Fiebant autem fumi, & tenebræ, quia legem Dei contemnentes lachrymæ ſecuturæ eſſent: eſt enim neceſſe, „ ut oculus corporis in fumo illachrymetur.] Tertull. aut ſi mavis Novaſianus, antequam in hæreſim caderet, in libro de Trinit. c. 1. ex elementis argumentatur: ſi enim mare terminos ſibi à Deo conſtitutos non excedit, an non homo magis divinas cuſtodiat leges? Lege viſionem, quam Sanctus Cyprianus narrat in 4. epiſtolarum libro ep. 4. ſed & in libro de ſingularitate clericorum, his verbis ſapienter admonuit: [Si aliquid Deus juſſerit, quod ſecundùm homines injuſtum eſſe videatur, „ juſtum credatur,& fiat:&, ſi juſtum juſſerit, „ juſtum reputetur, & fiat: cùm ſine juſtitia „ non poteſt eſſe, quod mandat, qui potens „ eſt injuſtitiam juſtificando vocare juſtitiam, „ & juſtitiam reprobando injuſtitiam probare „ tranſverſam, cujus voluntas eſt ſola, & verà „ juſtitia.] Idcircò in Pſal. 1. beatus ille dicitur, cujus in Dei lege non timor eſt, ſed voluntas; quoniam ut in com. habet Sanctus Hilarius, perfectæ religionis eſt præceptis velle parêre, quia ut loquitur S. Leo ſer. 9. de jejunio ſeptimi menſis. [Cùm videtur eſſe difficile, quod „ jubetur, ad jubentem accurritur, ut undè da„ tur præceptum, præſtetur auxilium.] [Juſtè „ autem nobis inſtat præcepto, qui præcurrit „ auxilio, ut ait in ſer. 16. de paſſione Domini, „ & benignè incitat ad obedientiam, qui du„ cit ad gloriam.] Quòd verò antiquis Patribus fuit præceptum Ex. 12. ut agni carnes vorarent, oſſa traderent igni conſumenda, ita interpretatus eſt S. Greg. Nyſſenus in libro de vita Moyſeos, ut quæ in divinis præceptis facilè à nobis intelligantur, probabiliſque illorum reddi poſſit ratio, hæc ut fameſcentes comedamus, libenter, ac velociter exequentes: quæ verò captum ſuperent noſtrum, nec illorum reddi poſſit ratio, hæc Spiritui Sancto, qui profunda Dei ſcrutatur, relinquamus. Et poſt multa, cùm ad conflatilem veniſſet vitulum, Aãronem obſervat, cùm voluit conflare vitulum, inaures primum à muliërum auribus abſtuliſſe propterea, ut inobedientiâ oſtenderentur ad cultum idolorum eſſe perventum. Statim enim ad primum peccandi aditum inaures auferuntur ab aure præceptorum Dei. Sanctus Leo ſermone 11. de quadrag. velut lancem, & ſpeculum nobis eſſe voluit; ut in lance actiones omnes noſtras trutinemus, & in ſpeculo quales ſimus, aut eſſe debeamus, intuêri poſſimus: [Quiſque, inquit, om„ nem conſuetudinem ſuam in divinorum „ præceptorum lance conſtituat; ubi cùm alia „ interdicantur, nè fiant, alia jubeantur, ut „ fiant, juſto ſe trutinabit examine, qui vitæ „ ſuæ mores ex utriuſque ponderis comparatione penſaverit. Deus ſplendidiſſimum in „ mandatis ſuis condidit ſpeculum, in quo ho„ mo faciem ſuæ mentis inſpiceret, & quàm „ conformis imaginis Dei, aut quàm diſſimi„ lis eſſet, agnoſceret.]

Ex. 32. — *Præcepta lanx, & ſpeculum.*

CAPUT II.

Divina præcepta facilè ſervari poſſe.

Iniquè autem, & impiè mentiuntur, qui divina præcepta, aut difficilia, aut etiam impoſſibilia eſſe calumniantur. Namque & Job antè legem, & extrà legem adimplevit omnia; ut ait Origenes libro 1. in Job, & ut habet S. Anſel. ad 2. caput ep. ad Rom. omnia naturalis ratio ſcripſit in corde Gentilium. Omnia enim legi naturæ & naturali rationis lumini ſunt valdè conformia, quemadmodùm ratiocinatur Sanctus Joannes Chryſ. homilia 12. ad populum. Quid enim rationi magis conſentaneum, quàm unum Deum creatorem noſtrum eſſe colendum? non occidendum, non furandum, & id genus alia? Natura ipſa docet, non eſſe alteri faciendum, quod tibi nolis fieri. Propterea, inquit ille, hæc Deus prohibuit, nec rationem, cur prohiberet, expoſuit, quoniam natura ipſa docente ſcimus omnes hæc eſſe mala. Quod ſi quid fuit non ita notum, rationem ille adjunxit, ut cùm de ſabbatho loqueretur, duplicem indicavit rationem; tum quia Deus die ſeptima requievit ab omni opere; tum quia & tu in terra Ægypti ſervus fuiſti. Idcircò Sanctus Cyprianus in ſerm. de Baptiſmo Chriſti; [Lex tua nihil „ impoſſibile, nihil jubet auſterum. In qui„ buſdam promiſſa præmia nos invitant, in „ multis pœnæ, & ſupplicia propoſita à ſcele„ rum retrahunt appetitu: Neque lex tua ſcrip„ ta à lege naturali in aliquo diſſonat; ſed re„ probatio mali, & electio boni; ſic animæ „ rationali infixa ſunt divinitùs, ut de hoc ne„ mo rectè cauſetur; quia nulli deeſt ſcientia, „ ſive potentia; quia & quod agendum eſt, „ ſcimus, & quod ſcimus, facere poſſumus.] Et S. Leo Papa ſerm. 5. de Epiphania; [Hic „ labor pijs filijs, & bonis ſervis non ſolùm „ non eſt aſper, nec oneroſus; ſed & ſuavis, „ & levis, dicente Domino; Jugum meum „ ſuave eſt,& onus meum leve. Nihil arduum „ eſt humilibus, nihil aſperum mitibus; & fa„ cilè omnia præcepta veniunt ad effectum, „ quando & gratia prætendit auxilium, & o„ bedientia mollit imperium.]

Multa fuit olim Patribus de hoc cum Pelagianis concertatio, ut vidêre eſt apud Sanctum Hieronymum, in ijs, quæ ad Cteſiphontem ſcripſit, & tribus libris adversùs ipſos; & apud alios. Argumentabantur enim

Digitized by Google

nim illi: Aut poſſibilia præcepit nobis Deus, aut impoſſibilia; ſi impoſſibilia, injuſtus eſt, qui à nobis ea exigat, quæ non poſſimus: ſi poſſibilia, non eſt opus gratia, ſed nos ipſi per liberum nobis datum arbitrium præſtabimus omnia. Quibus reſponſum ſemper fuit; poſſibilia ea eſſe, immò & facilia, & levia; ſed dum divinâ, quæ nobis ſemper eſt præſtò, adjuvamur gratiá. Alioqui parùm firmæ ſunt liberi arbitrij vires, nec ullus unquam inventus eſt, qui proprijs viribus utens præcepta ſervaverit omnia. Et in commentario ad caput quintum Matthæi dum de inimicorum dilectione ageretur, idem Hieronymus pronuntiavit; Chriſtum non impoſſibilia præcepiſſe, ſed perfecta. Et Baſilius in regulis fuſiùs diſput. 2. ad omnia præcepta conſequenda, naturales nos à Deo facultates, ait, accepiſſe, tum nè gravatè illis pareremus, quaſi inſolens aliquid exigeretur; tum nè animis efferremur, ut qui plus, quàm nobis datum eſſet, conferremus. Et Sanctus Joannes Chryſoſtomus homilia 16. in 2. ad Corinth. epiſtolam; [Nihil moleſtum, „ neque grave imperatum eſt. Undè igitur „ nobis præcepta tam moleſta? à noſtra igna„ via. Nam ut ſtudioſis, vel etiam quæ into„ lerabilia videntur, levia ſunt, & facilia; ſic „ ignavis tolerabilia ardua, & difficilia appa„ rent.] Sed hom. 8. de pœnitentia impoſſibilia non eſſe demonſtrat; quia multi ea ſuperant, & excedunt, dum amplectuntur quoque conſilia, nec aliena modò non concupiſcunt; ſed ſua quoque abijciunt, & virginitatem, paupertatemque retinent, & homilia 34. in Matthæum ex monachorum multitudine, qui ea ubique obſervant; & h. 2. in 1. Cor. ex multis Philoſophis, qui ea excelſerunt; quin etiam in hom. 8. ad populum intolerabilis audaciæ putat eſſe de hoc dubitare: [Deus, inquit, „ juſſit, & audes interrogare, ſi legem cuſto„ dire poſſibile?] Et pluribus alijs in locis incredibilem in illis facilitatem agnoſcit: quemadmodùm in h. 57. in Matth. & h. 28. operis imperfecti, & h. 2. & 9. in priorem ad Cor. & hom. 16. in epiſt. ad Hebr. & ſerm. de charitate, tom. 5. & lib. 1. de compunctione cordis, proferens ipſummet Chriſti teſtimonium, Matth. 11. dicentis: Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve; cum quo Sanctus Cyrillus Alexandrinus libro 5. in Jo. c. 5. teſtimonium Joannis Apoſtoli conjungit in 1. ep. cap. 5. Et mandata ejus gravia non ſunt. Ac demùm S. Joan. Chryſ. h. 19. ad populum, jure optimo dolet, diabolum graviora multò præcipere hominibus, quàm præcipiat Deus, eaque libenter fieri, neque impoſſibilia, aut ardua, ſed facilia, & dulcia judicari. Quòd ſi divina non fiant, non eſt igitur, inquit, rei difficultas, ſed voluntatis noſtræ.

Decem porrò dedit præcepta Deus; ſed de ſingulis dicere non eſt hujus inſtituti. Præceptis Chriſtus conſilia addidit, excellentiorem nobis demonſtrans viam. De his dicendum eſt.

CAPUT III.

Quid Præceptum, & Conſilium differant.

QUID inter conſilium, & præceptum interſit, voces ipſæ manifeſtant. Quippè, ut habet S. Chryſ. homilia in illud Pauli; Salutate Priſcam, & Aquilam, non eſt idem conſulere, & legem ponere. Qui legem ſtatuit, omninò fieri vult, quod præcipit; qui verò conſulit, ſententiæ, & arbitrio auditoris permittit. Præceptum ergò neceſſitatem imponit, conſilium libertatem relinquit: illius materia neceſſaria prorsùs eſt ad ſalutem, hujus materia utilis eſt, non neceſſaria. Ita prodidit quoque Tertullianus in 2. ad uxorem libro capite primo, atque ex verbis Chriſti manifeſtum eſt Matth. 19. quippè interroganti, quomodò vitam æternam conſequi poſſet, reſpondit; Serva mandata; hoc neceſſitatis eſt, aliter intrare non poteris. Deindè meliora quærenti ſubjunxit; Si vis perfectus eſſe, & quæ ſequuntur; [Nè grave onus nolenti videretur „ imponere, ait S. Hier. libro 2. adversùs Jo„ vin. cap. 5. in propria audientis voluntate di„ miſit.] Et in ep. ad Demetriadem, de ſervanda virginitate cap. 7. [Non cogo, non im„ pero, ſed propono palmam, oſtendo præ„ mia; tuum eſt eligere, ſi volueris in agone, „ atque certamine coronari.] Et in comment. in Matth. [In poteſtate noſtra eſt, utrùm veli„ mus eſſe perfecti: tamen quicunq; perfectus „ eſſe voluerit, debet vendere, quæ habet, &c.] S. Ambr. eadem illa Chriſti verba perpendens in libro de viduis; [Duplex, inquit, forma „ mandati eſt; una præceptiva, altera volun„ taria. In alia dicit: Non occides; in alia: „ Si vis perfectus eſſe vende omnia tua. Ergò „ hic liber eſt à præcepto, cujus defertur arbi„ trio.] Et ideò in ep. ad Vercellenſem Eccleſiam; [In conſilio utilitas, in præcepto la„ queus. Conſilium invitat voluntarios, præ„ ceptum aſtringit invitos.]

Primum diſcrimen.

Accommodato utitur exemplo Sanctus Dorotheus ſerm. 1. de obedientia. Præcepta enim ſunt velut tributa Regibus debita. Sunt autem, qui non ſolùm tributa ſolvunt, ſed & offerunt munera. Munera ſunt conſilia, quæ cùm non ſint in præcepto, ſponte, & dono offeruntur Deo. Undè cùm in epiſt. ad Epheſios capite 2. ait Apoſtolus: Legem mandatorum Chriſtum decretis evacuâſſe, decreta Theodoret. doctrinam Evangelicam, & conſilia interpretatur, quoniam in animi electione ſita eſt perfectio. Et S. Chryſ. hom. 13. in 1. ad

Exemplum.

Tim. quædam dixit in rebus humanis imperio indigêre,alia doctrinâ. Hæc eſt præcipua præcepti, & conſilij differentia.

Secundum diſcrimen.

Secunda illa, quòd præcepti materia facilior eſt, conſilij difficilior. Illa namque ex naturæ principijs ferè petitur; hæc naturâ ſuperior eſt, illiuſque fines tranſcendens, majorem habet perfectionem. Non occidere, neque vindictam ex adverſario ſumere, remque, aut uxorem alienam non concupiſcere, natura docet; at relinquere tua, & percutienti alteram quoque præbêre maxillam, nec docet natura, nec majori caret difficultate. Sanctus Cyprianus in ſermone de Stella, & Magis; propterea hos voluit per aliam viam reverſos in regionem ſuam fuiſſe; quia qui crediderunt ad juſtitiam, & ore confeſſi ſunt ad ſalutem, vias oportet eligere arctiores, ſeque diſtrictioribus obligare mandatis: quoniam per vias latas itur ad inferos, per arctas, & difficiles reditur ad ſuperos. Per verba namque labiorum Dei religioſus quiſque vias duras ingreditur, & jugulator voluptatum ſtantem ex adverſo hoſtem ſecurus aggreditur; & dum in Pſalmo 24. petit Propheta: Vias tuas Domine demonſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me; Sanctus Hieronymus vias interpretatur præcepta, & ſemitas conſilia, quoniam ſemita minor eſt; quàm via, arctamque, & anguſtam viam ſignificat, quæ ducit ad vitam.

Tertium diſcrimen.

Tertia; Præcepti materia bona eſt, conſilij melior, & perfectior; melior enim, & perfectior eſt virginitas, ſeu omninò viduitas, quàm conjugium, meliùs, & perfectiùs dare ſua pauperibus, quàm aliena non rapere, quam ob cauſam in primo libro de offic. cap. 11. mandatorum obſervationem Sanctus Ambroſius officium medium appellavit; conſilium autem eſſe officium perfectum, quod κατόρθωμα dixerunt Græci, quo corriguntur omnia, quæ aliquos potuerunt lapſus habêre. Illud juſtitiam habet, hoc perfectionem; & [Juſtus, inquit Sanctus Proſper lib. 1. de vita contemplativa cap. 9. præcepta facit, perfectus autem præcepta tranſcendit.] Ex SS. Auguſtino, & Ambroſio, atque optato Milevitano ſupererogationis opera vocat Sanctus Fulgentius in 2. libro ad Monimum. Et S. Hilarius, & Sanctus Baſilius, & Theodor. in Pſalmum 118. verba illa Prophetæ interpretantur; Voluntaria oris mei beneplacita fac Domine; Voluntaria enim ſunt conſilia, quibus præceptis non contenti majora ſectamur. Et Sanctus Anſelmus in comment. capitis 3. prioris epiſtolæ ad Corinth. religioſos viros, qui majoris perfectionis cupidi amplectuntur conſilia, ſuper fundamentum fidei noſtræ Chriſtum ædificare affirmat aurum, argentum, lapides pretioſos; cæteros lignum, fœnum, ſtipulam. Illorum enim opus non exuritur, quia non ea dilexerunt, quorum amiſſione crucientur: horum autem exuritur, quia ſine dolore non pereunt, quæ cum amore poſſidentur. Quantum igitur diſtant aurum, argentum, lapides pretioſi à ligno, fœno, ſtipula, tantò melior eſt, & perfectior conſiliorum materia, à materia præceptorum.

Quartum diſcrimen.

Quarta; Præcepta ad omnes pertinent, omneſque compellunt: conſilia non item; ſed paucorum ſunt. Quædam à Chriſto præcepta omnibus, ait Sanctus Hieronymus libro ſecundo adversùs Jovinianum capite quinto quædam ijs ſolis, qui volunt eſſe perfecti. Sicut & à Joan. Baptiſta aliud præcipiebatur militibus, aliud publicanis,& Sanctus Auguſtinus ſermone 61. de tempore: De virginitate, cujus conſilium eſt, non præceptum à Domino dicitur; Qui poteſt capere, capiat: de juſtitia verò non dicitur, qui poteſt facere, faciat; ſed: Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.

Quintum diſcrimen.

Quinta; Præceptum ſuam habet mercedem, vitam æternam: Conſilium majorem, vitam æternam, atque theſaurum; propter humilitatem ſcilicet elati, & propter egeſtatem locupletati, ut loquitur Sanctus Nazianzenus in oratione de pauperum amore. S. Auguſtinus ſerm. citato; [Conſilium, qui libenter audierit, & fecerit, majorem habebit gloriam; præceptum, qui non impleverit, niſi pœnitentia ſubvenerit evadere pœnam non poterit.] Et Sanctus Nazianzenus oratione 1. in Julianum hujus rei cauſam ex eo petit,quod primo loco poſitum eſt; quòd præcepta neceſſitatem habeant, conſilia liberam electionem. Quæ enim libera ſunt, & ſpontè offeruntur, majorem merentur laudem, majus præmium. [In legibus, inquit, noſtris, alia parendi neceſſitatem imponunt, nec ſine periculo prætermitti poſſunt; alia non neceſſitate conſtringunt, ſed in electione, & voluntate poſita ſunt: ac proindè hanc rationem habent, ut qui ea cuſtodierint, honore, & præmijs exornentur: qui autem minùs ea expleverint: nihil periculi pertimeſcant.] Quare S. Chryſ. h. 10. in priorem ep. ad Cor. Dei benignitatem plurimùm admiratur, quòd, quæ poteſt invitis nobis accipere, ea ſponte noſtra vult, ut mercedem habeamus. [Majoris namq; meriti (ut de virginitate loquens ait S. Anſel. ad caput 7. prioris ad Cor epiſtolæ) eſt,quod non cogitur, ſed offertur.] Et S. Aug. in 1. libro de adulterinis conjugijs cap. 14. [Quæ non jubente lege, ſed libera charitate fiunt, gratiora ſunt; & hæc ſunt, quæ ampliùs erogantur ſaucio, qui curandus eſt.] Et Sanctus Greg. in Cant. c. 5. opportunè perpendit illa verba: Comedite amici, & bibite, & inebriamini chariſſimi: vultque eos, qui præcepta ſervant, vocari amicos, illos verò chariſſimos, qui

conſilia

Digitized by Google

conſilia quoque, bibunt, & inebriantur, dum relictis omnibus Christum ſequuntur.

CAPUT IV.

Evangelica Conſilia Scripturis Sacris confirmantur.

COGOR hìc paulò pluribus immorari, ut hæreticorum noſtri temporis audaciam reprimam, impudentiam confundam, doceam inſcitiam, impietatem oſtendam. Non enim defuerunt poſtremis hiſce temporibus, qui Evangelicam omnem perfectionem præceptis circumſcribentes, nullum darent conſilijs locum, non intelligentes duplicem in omnibus rebus perfectionem conſiderari; alteram eſſentialem, alteram accidentariam; illam ex naturæ principijs petitam, hanc adventitiam, & additam ad ornatum. Homo ſi ex corpore, & anima rationali conſtet, perfectionem omnem naturæ ſuæ habet; ſi verò doctus ſit, & prudens, aliam quamdam ornantem perfectionem accipit. Et Chriſtiani hominis, qui cœleſtis Regni ſit hæres, perfectio præceptorum omnium obſervatione conſtabit: quòd ſi præceptis quædam addat alia conſilijs contenta; an non majorem quamdam perfectionem, & ornatum habebit?

Calvinus.

Præcepta & conſilia duplex hominis perfectio.

Quod ſi verbum Dei quærant illi, multa nos proferemus, quibus illi convinci poterunt.

Primum teſtimonium. Primum erit illud Matthæi cap. 19. de quo hactenùs dictum eſt; Serva mandata; & ſi vis perfectus eſſe, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus. Quorum alterum continêre præcepta, alterum conſilia, manifeſtum eſt: tum ex veterum omnium interpretatione, ut in ſuperiori capite dictum eſt: tum ex verbis ipſis, quibus nihil clarum magis dici poterat; Si vis ad vitam ingredi, & gloriæ gradum quemcunque conſequi, ſerva mandata; hoc neceſſarium prorsùs eſt: at ſi ad majora contendis, & ad ſummam vis gloriam pervenire, non ſis contentus ſola præceptorum obſervatione, ſed; Vende omnia, &c. Quibus verbis certum eſt bonum aliquod commendari, quod nullo continebatur præcepto. Quippè charitatis præcepto urgemur quidem, ut neceſſitatibus proximi ſubveniamus partem aliquam bonorum noſtrorum largiendo, at vitæ noſtræ ſuſtentationi neceſſaria permittimur retinêre: hic verò vendere, atque abijcere omnia ſuadetur. Quod ſi fiat, præter vitam æternam theſaurus quoque promittitur (Et habebis theſaurum in cœlo) majus omninò præmium, quàm ex ſolis præceptis conſequeremur. Atque hoc petebat Petrus, cùm diceret; Ecce nos reliquimus omnia; quid ergò erit nobis? nempè præ cæteris, qui præcepta ſola ſervaverint: & Chriſtus reſpondit; Sedebitis ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim tribus Iſraël; hoc veſtrum erit præ cæteris conſiliorum præmium.

Secundus locus eſt in eodem capite. In quo capite, cùm de Matrimonij vinculo differentem Dominum audiſſent Diſcipuli: dixerunt ei, ſi ita eſt cauſa hominis cum uxore, non expedit nubere. Quorum Dominus ſententiam probans, inquit Sanctus Hieronymus libro primo adversùs Jovinianum capite ſeptimo: [Rectè quidem ſentitis, ait, quod non „ expediat homini ad cœlorum regna tenden„ ti accipere uxorem, ſed difficilis res eſt, & „ non omnes capiunt verbum iſtud, ſed qui„ bus datum eſt.] Ex quibus duo habemus argumenta; alterum, quod Chriſtus Apoſtolorum ſententiam approbavit; Non eſſe bonum uxorem ducere; quod cùm non ſit in præcepto, conſilium fuerit; jamque habemus conſilia præter præcepta; alterum, quòd ſi non omnes capiunt verbum iſtud; eſt igitur aliquid non omnibus commune, ſed quibusdam peculiare donum; & cùm præcepta ſint omnibus communia, conſilium fuerit. Sive autem illud verbum (Capiunt) effectum ſignificet, ſive intelligendi vim non magnoperè morabor: nam ſive ſenſus ſit; Non omnes carêre poſſunt, aut volunt uxore: ſive: Non omnes intelligunt quantum hoc bonum ſit, carêre ſcilicet uxore, perindè habemus hoc non eſſe omnibus commune, ſed paucorum principale donum; quod conſilij eſt, & liberæ voluntati relinquitur: quoniam, ut ait Sanctus Hieronymus; [Ubi conſilium datur, offeren„ tis arbitrium eſt, ubi præceptum, neceſſitas „ eſt ſervientis. Qui poteſt capere, capiat. „ Proponit agonothetis præmium, invitat ad „ curſum, tenet in manu virginitatis bravium, „ oſtendit puriſſimum fontem, & clamitat; „ qui ſitit, veniat, & bibat: qui poteſt capere, „ capiat. Non dicit, velitis nolitis, biben„ dum vobis eſt, atque currendum; ſed qui „ voluerit, qui potuerit currere, atque pota„ re, ille vincet, ille ſatiabitur: & ideò plus „ amat virgines Chriſtus, quia ſponte tribuunt, „ quod ſibi non fuerat imperatum. Majoris„ que gratiæ eſt offerre, quod non debeas, „ quàm reddere, quod exigaris.]

Secundum teſtimonium.

Matth. 19.

Tertius locus eſt Matthæi cap. 5. quo loco dixit Dominus; Si quis percuſſerit te in dexteram maxillam, præbe illi & alteram; & ei, qui vult tollere tunicam tuam, dimitte & pallium; & ſi angariaverit te mille paſſus, vade cum illo alia duo. Hæc enim ſi de animi præparatione interpreteris cum Sancto Auguſtino epiſt. 5. ad Marcellinum, & libro de mendacio capite 15. ſanè præcepta ſunt; quibus, ſi res poſtulet, ita agendum præcipiatur potiùs, quàm offendatur Deus. At ſi de re ipſa, & actu;

Tertium teſtimonium.

Digitized by Google

præceptum non eſt,ſed conſilium,quod ad humilitatis, & patientiæ bonum ſpectat. Nam ſi præceptum eſſet,nec Chriſtus,nec Paulus præceptum hoc ſervâſſent. Alter enim percuſſus Joan. 18. non dixit, ecce altera maxilla, ſed dixit; Si malè locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo; ſi autem benè, quid me cædis? Alter verò eodem modo percuti juſſus à Pontifice Act. 23. non vertens maxillam alteram dixit; Percutiet te Deus, paries dealbate, qui contrà legem jubes me percuti.

Quartum teſtimonium. Quartus eſt Luc. 17. Cùm feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite; Servi inutiles ſumus. Oportet igitur eſſe alia, quæ ex conſilio poſſimus facere, ut ſervi utiles ſimus. Nam & in parabola de talentis datis ſervis Matthæi 25. ille qui nihil ſuperlucratus reddidit tantum, quantum acceperat, ſervus inutilis appellatur; cæteri ſervi boni, & fideles, hoc eſt *Fidelis ſervus quis.* utiles: bonus enim, & fidelis, utique utilis eſt. Qui tantumdem reddit, inutilis reputatur, quia ex juſtitia tenebatur; ſicut & qui ſola ſervat præcepta. Nunquid enim habet gratiam Dominus ſervo illi, qui fecit, quæ ei imperaverat? Non puto; dicitur Lucæ decimo ſeptimo: Sic & vos, cùm feceritis, quæ præcepta ſunt vobis, dicite; Servi inutiles ſumus; quod debuimus facere, fecimus. Ergò qui plura lucratur, & opera conſilij, & ſupererogationis non imperata addit, fidelis atque utilis omninò fuerit. Apoſtolus quoque Paulus in 2. ad Tim. epiſt. cap. 2. ſervum agnovit utilem, illis verbis; Si quis emundaverit ſe ab iſtis, erit vas in honorem ſanctificatum, & utile Domino, ad omne opus bonum paratum: non ſolùm, inquam,præceptis,ſed etiam conſilijs contentus. Et in priore ad Corinth. capite nono nonnè probat ſe ſervum utilem eſſe Domino? Et quàm multa, tum ille, tum cæteri Apoſtoli, & Sancti, Sanctæque omnes fecerunt, quæ præcepta non erant? & quàm multa bona facere nos poſſumus,quæ non ſunt in præcepto? Sanè de virginitate dixit Paulus, ut mox dicetur, ſe præceptum Domini non habêre, quam tamen non ſolùm bonam, ſed nuptijs meliorem eſſe contendit. Ac demùm ſi Dominus affirmavit: Neminem habiturum gratiam ſervo, qui fecerit omnia, quæ illi fuerint imperata, conſequens profectò eſt, unumquemque habiturum gratiam, ſi præter imperata fecerit etiam alia, quæ non fuerant imperata. Ita ex illo loco præter præcepta demonſtrantur quoque conſilia.

Quintum teſtimonium. Quintus locus eſt ille, quem paulò antè indicavi,apud Paulum in priore ad Corinth. cap. 9. oſtendit enim ſe in promulgando Chriſti Evangelio plura feciſſe, quàm ex præcepto teneretur. Nam poterat mulierem ſororem circumducere, ſicut & cæteri Apoſtoli; & ſuſtentationem ſuam exigere, quod pluribus argumentis demonſtrat; & ita Dominus ordinavit ijs, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere: Ego autem, inquit, nullo horum uſus ſum. Quòd ſi tantùm feciſſet,quæ Chriſtus præceperat, non haberet gratiam, ut dicitur Lucæ 17. addit autem ſe habêre gratiam, & mercedem, quia plus fecit, quàm præceptum eſſet. Nam ſi Evangelizavero, ait, non eſt mihi gloria; neceſſitas enim mihi incumbit, quæ eſt ergò merces mea? ut Evangelium prædicans, ſine ſumptu ponam Evangelium, ut non abutar poteſtate mea in Evangelio. De hoc ſiquidem præceptum non habeo; ſed cùm poſſim ſumptum facere, conſilij eſt ſine ſumptu Evangelizare. Evangelizare præceptum fuit, ſine ſumptu Evangelizare, conſilium.

Sextum teſtimonium. Sextus, & ultimus omnium illuſtriſſimus locus eſt in eadem ad Corinth. epiſtola cap. 7. ubi de matrimonio, & virginitate, tam apertè loquitur, ut nihil amplius deſiderari poſſit. Scripſit autem illa, non ut ineptè, atque virginitatis odio excogitavit hæreticus quiſpiam, *Calvinus.* quòd apud Corinthios aliqui ſtulta virginitatis admiratione abhorrebant à nuptijs, tanquam à re turpi. Hæc enim hæreſis multò poſterior fuiſſe legitur; & Paulus in priore ad Tim. capite quarto non veniſſe, ſed venturas, & quidem in noviſſimis temporibus, prædicit homines prohibentes nubere. Quam epiſtolam omnium poſtremam eſſe, & multò antè ſcriptum ad Corinthios fuiſſe, docet Sanctus Joannes Chryſoſtomus in procemio commentariorum in epiſtolam ad Romanos.Sed magis aut propter Nicolaitas jam tum communes habentes uxores, aut Hieronymi ſententia libro primo adversùs Jovinianum capite quarto, quòd cùm multi converterentur ad fidem, quia jam in infidelitate uxores duxiſſent, dubitabatur apud Corinthios, num eas retinêre deberent. Horum alterum colligitur ex illis verbis Pauli; Unuſquiſque ſuam uxorem habeat,& unaquæque ſuum virum habeat; mulier ſui corporis poteſtatem non habet,ſed vir,& vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier. Alterum ex illis: Mulier à viro non diſcedat; & vir uxorem non dimittat: Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo, non dimittat illam, & quæ ſeq.

1. Cor 7. Principiò igitur universè affirmat, bonum eſſe homini mulierem non tangere, non ſolùm non alienam uxorem, ſed nè propriam quidem. Hoc præceptum non eſt: quia licet nubere; & ſtatim adjunxit ille; Propter fornicationem tamen, hoc eſt, ad vitandam fornicationem, & is, qui fornicaturus eſt, unuſquiſque ſuam uxorem habeat. Conſilium igitur eſt illud; Bonum eſt mulierem non tangere. Quod confirmat illud, quod addit; Hoc autem dico ſecundùm indulgentiam, non ſecundùm

cundùm imperium; nempè ut iterùm revertamini in idipſum, nè tentet vos ſatanas propter incontinentiam veſtram: quod ait, ſe non præcipere, ſed coactum, & invitum permittere: nimirùm quia optimum conſilium eſt non habêre uxorem: Vellem enim omnes homines eſſe ſicut meipſum, hoc eſt, liberos ab uxore. Ex quo loco perſpicuum eſt, eum tunc uxoratum non fuiſſe. An verò eſſet virgo, an viduus, an ab uxore ſeparatus, non æquè conſtat, ſed nec magnoperè refert. Sanctus tamen Ignatius in epiſt. ad Philippenſes uxoratum fecit, & Clemens Alexandrinus libro tertio ſtrom. & alij apud Origenem in caput primum epiſtolæ ad Romanos, qui cum uxore quoque vocatum ad fidem voluerunt. Sed probabilius videtur cæteris, eum numquam expertum fuiſſe nuptias: nec levis eſt conjectura; quòd Actorum cap. 7. appelletur adoleſcens, dum lapidantium Stephanum cuſtodiebat veſtimenta; neque multò pòſt vocatus ad fidem fuit; Apud Hebræos enim adoleſcens dicebatur, qui uxorem nondum habuiſſet. Poſtquam autem fuit vocatus, non eſt veriſimile eum duxiſſe uxorem, nec apud ullum legimus: neque ipſe contrà ſuum conſilium feciſſet. Quod obſervavit Theodoretus in caput quartum epiſtolæ ad Philippenſes, quam ob cauſam numquam eum habuiſſe uxorem oſtendit, idem ſentit S. Ambroſius in comment. 1. cap. poſt. epiſt. ad Cor. & S. Hieronymus in epiſt. ad Euſtochium cap. 8. virginem eum omninò fuiſſe contendit. Nam quod Clemens ex priore ad Cor. c. 9. objicit; Nunquid non habemus poteſtatem mulierem ſororem circumducendi? probationem fortaſsè aliquam faceret, ſi mulierem uxorem diceret; ſed cùm ſororem dicat, non video quid indè colligas. Dum verò addit in ep. ad Philip. c. 4 conjugem appellari, conſulendus eſt textus Græcus, ut adnotavit Theophilactus; in quo non in fœminino genere σύζυγγνήσια ſed in maſculino, σύζυγγνήσιε non germana compar, ſeu conjux, ſed germane compar. Hæc de Pauli caſtitate ſatis hoc loco, ſive digrediendo, ſive potiùs exponendo illa verba: Vellem omnes homines eſſe ſicut meipſum.

S. Paulus an virgo.

Poſt hæc non nuptis, & viduis ſeorſim addit; Bonum eſt, ſi ſic permaneant, ſicut & ego; & hoc conſilium eſt, non præceptum; nam ſi ſe non continent, permittit nubere: Melius eſt enim nubere, quàm uri. Non ergò concedit, niſi ob uſtionis periculum. [Permittit nuptias, inquit Tertullianus in 1. ad uxorem libro cap. 3. ſed abſtinentiam præfert. Quale hoc bonum eſt, quod mali comparatio commendat; ut ideò melius ſit nubere, quia deterius eſt uri? At quantò melius eſt, neque nubere, neque uri. Quod permittitur, ſuſpectam habet ſuæ permiſsionis cauſam; quod autem melius eſt, nemo permiſit, ut indubitatum, & ſua ſinceritate manifeſtum.] Et rursùm in libro de monogamia c. 3. [Poſſem contendere, non merè bonum eſſe, quod permittitur. Quod enim merè bonum eſt, non permittitur, ſed ultrò licet; & quale id bonum, quod meliùs eſt pœna? quod non poteſt vidêri meliùs niſi peſsimo comparatum. Bonum eſt, quod per ſe hoc nomen tenet ſine comparatione, non dico mali, ſed etiam boni alterius. Cæterùm ſi per mali collationem cogitur bonum dici, non tam bonum eſt, quàm genus mali inferioris; quod ab altiore malo obſcuratum ad nomen boni impellitur. Aufer denique conditionem, ut non dicas, melius eſt nubere, quàm uri, & quæro an dicere audeas, melius eſt nubere, non adijciens quo melius ſit.] Et S. Ambr. in libro de viduis, pro remedio nuptias ſuaſit, ut peritura ſanetur: non pro electione præſcripſit, caſta, & continens quid ſequatur. Aliud eſt ſubvenire labenti, aliud ſuadére virtuti. Et Sanctus Hieronymus in epiſtola ad Saluinam capite 6. [Tolle quod pejus eſt uri, & per ſe bonum non erit nubere.] Et libro 1. adversùs Jovinianum cap. 4. [Nihil bono contrarium eſt, niſi malum, ſi autem malum eſt, & ignoſcitur, ideò conceditur, nè malo quid deterius fiat: quale autem illud bonum eſt, quod conditione deterioris conceditur?] Et poſt multa; [Aliud eſt velle quid Apoſtolum, aliud ignoſcere. Felix qui audit Apoſtolum volentem non ignoſcentem.]

Cæterùm adverſarij noſtri, egregij videlicet ubique ſenſus, & carnis patroni, turpiſsimè abutuntur verbo illo (uri) quo utitur Paulus. Quamlibet namque vel leviſsimam carnis titillationem interpretantur, qua ſi vel ſemel irriteris, quærendam ſuadent uxorem; melius eſſe inquientes, nubere, quàm uri, hoc eſt titillari. Hæc eſt illorum ſanctitas, hæc Evangelica perfectio. Ergò Paulo, qui tam graves carnis ſtimulos patiebatur, ut ipſemet narrat in poſteriore ad Corinthios epiſtola capite duodecimo, non ad orationem confugiendum fuit, neque divinum implorandum auxilium; ſed ad nuptias, uxorque ducenda: quod cùm non fecerit, contrà ſuum conſilium fecit, quo nobis dixit; Melius eſſe nubere, quàm uri. Et quis eſt, qui hac mortis carne circumdatus titillationes haſce, aliquando non experiatur? omnibus ergò hominibus ducenda ſit uxor, omniſque continentia, & virtus conculcetur; ſolus vigeat ſenſus, & caro quidem concupiſcat adversùs ſpiritum, at non repugnet ſpiritus adversùs carnem, ſed regnet peccatum in noſtro mortali corpore. Prætereà titillari nihil aliud eſt, quàm tentari; tentari peccatum non eſt, ſed ad peccatum incitari. Immò verò ſi tentationi reſiſtas, meritum eſt, corona eſt: & Paulus in tentatione orans, & *Vri quid ſit.*

Digitized by Google

liberari ab ea poſtulans exauditus non eſt; ſed audivit Domini reſponſum; Sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur. Quid igitur eſt uri? eſt labi, & peccare. Hoc enim ſubjunxit Apoſtolus rationem exponens, cur dixiſſet; Si non ſe continent, nubant. Quid ita? melius eſt enim nubere, quàm uri; hoc eſt legitimè ſervire carni, quàm peccare; melius eſt habêre uxorem, quàm meretricem, aut concubinam; melius, quàm adulterare, & fornicari.

Poſt hæc Apoſtolus, cùm duplicem hominum poſuiſſet ſtatum, alterum eorum, qui uxorem ducunt, alterum eorum, qui ſic permanent ſine uxore, de utroque ſeorſim diſſerit: de altero præceptum Domini commemorat; de altero conſilium dat. De uxoratis præceptum eſt, nè alter ab altero ſeparetur, aut certè non nubat alteri. Eſt enim vinculum inſolubile, & cùm viciſſim ſibi tradiderint corpora non poſſunt alteri tradere; ſi ambo fideles ſint: eſt enim matrimonium inter illos Sacramentum, quod diſſolvi non poteſt: quod ſi alter ſit infidelis, non eſt ſacramentum, ſed contractus quidam. Quare ſi infidelis diſcedit, diſcedat: non enim ſervituti ſubjectus eſt frater fidelis, & poteſt alteri nubere.

De non nuptis autem clariùs loqui non poterat, quàm cùm dixit; De virginibus præceptum Domini non habeo. Liberum enim illis reliquit & nubere, & non nubere, ſed ſic permanêre: Conſilium autem do, tanquam miſericordiam conſecutus à Domino, ut ſim fidelis; non enim eſt humanum conſilium, ſed à Deo accepi. Non potuit apertè magis præceptum, & conſilium diſtinguere, diſtinctionemque à Chriſto acceptam affirmare: Alligatus es uxori, noli quærere ſolutionem; hoc præceptum eſt: ſolutus es ab uxore, noli quærere uxorem; hoc eſt conſilium; ſi autem acceperis uxorem, non peccâſti; & ſi nupſerit virgo, non peccavit; quia præceptum de hoc non erat, ſed conſilium; quod integrum nobis eſt amplecti, vel non amplecti. Non diſſimulavit tamen quid ipſe magis optaret; cùm dixit: Hoc itaque dico fratres; tempus breve eſt; reliquum eſt, ut & qui habent uxores, tanquam non habentes ſint; quantò magis eos, qui non habent, vellet non accipere? Præterit enim figura hujus mundi. Volo autem vos ſine ſolicitudine eſſe, qui ſine uxore eſt, ſolicitus eſt, quæ domini ſunt; qui autem cum uxore eſt, ſolicitus eſt, quæ ſunt mundi, & diviſus eſt. Et cùm addit; Porrò hoc ad utilitatem veſtram dico, non ut laqueum vobis injiciam; ſed ad id, quod honeſtum eſt, abſque uxore vivere, appellat honeſtum, id eſt, per ſe bonum, quod facultatem præbeat ſine impedimento Dominum obſecrandi: ſed negat eſſe præceptum, cùm ſe nolle ait injicere laqueum: eſt ergò conſilium. Sed neque his contentus, non peccare illum adjungit, immò & benè facere, qui adultam virginem ſuam matrimonio tradit, melius tamen facere eum, qui non jungit: ille non peccat, quia non eſt præceptum; ſed hic melius facit, quia de majori, & perfectiori bono conſilium amplectitur. Beatior autem erit, ſi ſic permanſerit abſque nuptijs ſecundùm meum conſilium, quod intelligas eſſe divinum conſilium, non humanum; Puto enim quod & ego ſpiritum Dei habeam. Hæc fuit Apoſtoli, & Chriſti Domini de conſilijs, majoriſque ultrà Dei in veteri lege præcepta, Evangelica perfectione ſententia.

CAPUT V.

Conſilia præcipua quæ.

CONSILIA porrò Evangelica ad tria præſertim capita revocamus, ad paupertatem, caſtitatem, & obedientiam, quæ in illis præſertim vigêre, ac florêre cernimus, qui inter Chriſtianos perfectiorem ſectantur vitam, ſolis præceptis non contenti, hoc eſt in religioſis ordinibus ſive illi virorum ſint, ſive mulierum. Hæc namque tria Chriſtus, Matth. cap. 19. adoleſcenti illi, qui ultrà præcepta moliri meliora videbatur, inſinuavit, cùm dixit; Vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & ſequere me. Nam vendere omnia, & dare pauperibus, paupertas eſt: ſequi autem Chriſtum, obedientia, & caſtitas. Nam qui ſequitur alium, obedit illi, & imitatur eum; qui non obedit, nec imitatur, non ſequitur; ſequi ergò Chriſtum, eſt obedire illi, & imitari caſtitatem illius. Deindè Chriſtiana perfectio, Evangelicaque conſilia mundanæ prorsùs imperfectioni, atque perverſitati adverſari oportet. Quidquid autem eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt (inquit Jo. Apoſtolus in 1. ep. c. 2.) aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ; paupertas concupiſcentiam tollit oculorum, caſtitas concupiſcentiam carnis, obedientia, & humilitas ſuperbiam vitæ. Treſque in nobis videntur præcipuè malorum omnium radices, avaritia, & habendi cupiditas, ſive ut naturæ neceſſitatibus ſubveniamus; ſive ut alijs ſuperiores dominemur; deindè concupiſcentia carnis, appetituſque libidinis: ac demùm voluntatis propriæ libertas. Avaritiam tollit paupertas, libidinem carnis refrænat caſtitas, voluntatem temperat, & gubernat obedientia. *Conſiliorum tria capita.*

De paupertate celebre, & ſcitum eſt illud, quod de veteri Eccleſia, primæviſque illis Chriſtianis narratur in Apoſtolica hiſtoria cap. 4. Nullus eorum aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia: Et quotquot poſſeſſores erant agrorum, aut domorum, vendentes afferebant pretium eorum, & ponebant antè pedes Apoſtolorum. *Paupertas.*

De,

Digitized by Google

Caſtitas. De caſtitate autem quid dicam? Mitto Eunuchos, quos Chriſtus Matt. 19. dicit ſe ipſos caſtrâſſe propter regnum cœlorum; omnes propemodùm virginitatem amplectebantur. In Apoſtolicis Actis cap. 21. Philippus unus ex ſeptem diaconis habuiſſe narratur quatuor filias virgines prophetantes; quod non quamlibet virginitatem ſignificat, ſed virginitatis profeſſionem (Philippi Apoſtoli filias putavit Euſebius libro 3. hiſtor. cap. 28. & apud eum Polycrates Epheſi Epiſcopus ad Victorem Papam duas ſcripſit) & ad extremam uſque ſenectutem virginitatem ſervâſſe. Et Clemens Rom. libro quatto conſtit. capite ultimo plurimas, quæ jam tunc erant, inſtruit virgines, quemadmodùm virginitatem deberent colere. Et S. Juſtinus in Apologia 2. nullam gentem affirmat tantoperè virginitatem coluiſſe, ſicut Chriſtianam: penèque omnes veteres Patres aliquid ad Virginitatem hortando ſcripſerunt; ut videre eſt apud Tertullianum, Cyprianum, Athanaſium, Baſilium, Gregorium Nyſſenum, Hieronymum, Auguſtinum, Ambroſium, quem etiam aliquando legimus in tertio libro de virginibus accuſatum fuiſſe, quòd virgines à nuptijs dehortaretur, dum omnibus quidem virginitatis divinum ſuaderet conſilium; nullam tamen urgeret magnoperè, niſi ab illicitis poſt virginitatis votum deterrendo nuptijs; quas adoleſcentiores quædam eùm luxuriatæ fuiſſent in Chriſto, ut Paulus in priore ad Tim. cap. 5. loquebatur, appetebant: damnationem habentes, quia primam fidem irritam fecerant: [Et-„ iam nos, inquit, vocamur in culpam, quia „ nuptias prohibemus illicitas. Vocent ergò „ & Joan. Baptiſtam: Non licet, inquit, tibi „ eam habêre uxorem. Si hoc de uxore homi„nis, quantò magis de virgine Deo conſecra„ta? Si hoc dictum eſt Regi, quantò magis „ dicendum eſt privatis?]

Obedientia. Denique obedientia meritò cæteris conſilijs tantò cenſetur excellere, quantò voluntas noſtra, illiuſque libertas carni, carniſque delectationibus cunctis, ac fortunæ bonis, & terrenis opibus præſtat. De qua tum demùm cognoſces, quanta de illa à veteribus Patribus fuerint prædicata, cùm de illa ſeorſim diſputabitur.

Conſiliorum meritum. Nunc illud intelligatur; hæc omnia non ſolùm expedire hominem, ut liberius poſſit Deo, diviniſque rebus vacare; quod ſignificavit Apoſtolus in priore ad Cor. c. 7. cùm dixit: Volo vos ſine ſolicitudine eſſe; qui cum uxore eſt, ſolicitus eſt, quæ ſunt mundi, & diviſus eſt, & mulier nupta cogitat, quæ ſunt mundi. Verum etiam eſſe opera per ſe bona, & ſupererogationes magni apud Deum meriti æternæ vitæ, ut in 5. differentia dictum eſt cap. 3. Nam de omnibus habemus Chriſti teſtimonium Matt. cap. 19. Vos qui reliquiſtis omnia, & ſecuti eſtis me, ſedebitis ſuper ſedes &c. & illud; Habebis theſaurum in cœlo. Majus enim præmium, merceſque major proponitur conſilijs, quàm præceptis. Et de virginitate eſt illud Apoc. cap. 14. Hi cum mulieribus non ſunt coinquinati; virgines enim ſunt, hi ſequuntur agnum quocunque ierit. Redditur autem cauſa, cur illi ſoli, qui ſtabant antè Deum, poſſent canere illud canticum. Nec prætermittenda eſt parabola illa ſeminis, Matth. cap. 13. quod ſeminatum attulit fructum centeſimum, ſexageſimum, trigeſimum, deque conſilijs interpretati ſunt veteres Patres, Sanctus Cyprianus in tractatu de habitu virginum, & Orig. homilia 2. in Ioſuë, & Sanctus Auguſtinus libro 1. qq. Evang. c. 10. centeſimum dant martyribus, ſexageſimum virginibus, trigeſimum viduis, ſeu conjugatis. Sanctus Hieronymus tum in illius loci commentario, tum in primo libro adversùs Jovin. cap. 1. centeſimum virginibus, ſexageſimum viduis, trigeſimum conjugatis, & obſervantibus ſola præcepta. Utrumque probat Sanctus Auguſtinus in libro de ſancta virginitate 44. & 45. & in ſermone 39. ad fratres in eremo, centeſimum reſervans virginibus, ſexageſimum Prælatis, trigeſimum diſtribuit ſubditis. Omnes virginitati, atque conſilijs plus tribuunt, quàm præceptis; & quoniam permulti ſunt Chriſtianorum, qui non quocunque modò amplectantur conſilia; ſed voto quoque, ſive privatim, & ſecretò, ſive publicè, & ſolemniter nuncupato confirment, atque ad illa ſe adſtringant: conſequens tractatio de votis quoque diſputabit; tum de ſingulis conſilijs ſeorſim dicetur.

DE VOTIS.

LIBER XLIII.

Votorum uſus.

NON in veteri tantùm lege apud Judæos plurima eſt votorum, vovendique mentio; ſed in Evangelio quoque legimus in Actis Apoſtolicis cap. 18. Priſcillam, & Aquilam totondiſſe ſibi in Cenchris caput; habebant enim votum. Et cap. 21. viros quatuor habentes votum ſuper ſe. Et cap. 24. Paulum veniſſe Jeruſalem eleëmoſynas facturum, oblationes, & vota. Ananiam quoque & Saphiram, de quibus Act. 5. votum habuiſſe, ſentiunt non pauci, inter quos S. Cyprianus libro 3. ad Quirinum cap. 30. & S. Greg. lib. 1. regiſtri cap. 33. & S. Athan. in Evangelium de Paſſione, & Cruce Domini: & S. Auguſt. in ſermone 27. de verbis Apoſtoli, ſacrilegij ſimul condemnat, & fraudis; ſacrilegij, quòd Deum in pollicitatione fefellerint; fraudis, quòd integris muneribus portionem quandam putaverint ſubtrahendam. Petrus quidem certè mentitos dixit Spiritui Sancto, & Deo, non hominibus, quod Deo ſcilicet, non hominibus promiſiſſent; & illud; Nonnè manens tibi manebat, & venundatum in tua erat poteſtate? antequam ſcilicet promitteres Deo, & voveres. Poſt ea tempora Sanctus Gregorius Nazianzenus in oratione de funere Patris in maris tempeſtate cùm periclitaretur, voviſſe ſe Deo, & evaſiſſe periculum narrat; & rurſum vovit, ſe nec dignitatem ullam, aut thronum concupiturum, nec alijs ad id ſuppetias laturum; extat illius jusjurandum, ſeu votum verbis conceptum. Et Sanctus Gregorius Papa homiliâ decimâ nonâ in Evang. quemdam moribundum narrat monaſticam voviſſe vitam. Et in hiſtoria Sanctorum Patrum, de Simeöne loquens Theodoretus, quemdam commemorat poſt votum perpetuæ à carnibus abſtinentiæ comedentem aviculam, eamque in lapidem ſtatim converſam. Et in libro de martyribus, qui eſt octavus de curandis Græcorum affectionibus, & Euſebius Emiſſenus in homilia de natali Sancti Geneſij, vota narrant in templis, & ad martyrum ſepulchra appenſa, poſt beneficia ſanitatum ab illis poſtulata, impetrataque. Mitto cætera. Mihi propoſitum eſt de tribus illis præcipuis, quibus juxtà Domini conſilium nos Deo per totam vitam dicamus, & conſecramus, Paupertate, Caſtitate, & Obedientia, dicere; ſi tamen paucis priùs dixero, quid ſit votum, cujus meriti, deque voti obligatione, commutatione, ac diſpenſatione.

Ananiæ, & Saphiræ votum.

CAPUT I.

Votum quid ſit.

IN voto duo præſertim conſideramus, alterum velut formale, alterum velut materiale. Promiſſio enim eſt quædam; omniſque promiſſio rei alicujus promiſſio eſt. Actio promittendi, forma eſt voti, eſtque actus virtutis religionis, ſicut & juramentum; at juramentum fit homini, teſte invocato Deo; votum autem Deo.

De votis Sanctorum.

De Sanctis nonnulla dubitatio; ſed ſi propriè, & accuratè loquamur, illis non vovemus. Quoniam votum ſacrificium quoddam eſt, & latriæ actus, ſacrificiumque & latria ſoli Deo convenit. Quod ſi Sanctis interdum vovêre nos dicimus; eatenùs dicimus, quatenùs Deo in honorem Sanctorum vovemus.

Voti materia.

Promiſſio igitur eſt religioſa, hoc eſt ex religionis virtute profecta, Deo facta, & velut contractus cum illo. Illud autem, quod vovetur, poteſt quidem interdum eſſe actus religionis, ut ſi te ſacrificaturum voveas, aut oraturum. Plerumque tamen eſt alterius virtutis, ut jejunare, actus temperantiæ; humi cubare, aut peregrinari, actus pœnitentiæ; ſed ſemper voti materiam oportet eſſe aliquod bonum, quod ſit melius facere, quàm non facere, & ideò votum dicitur eſſe de majori bono. Itaque nec de peccato poteſt eſſe votum, ut de occidendo inimicum, aut de adulterando; non enim eſſet actio religioſa, ſed maximè irreligioſa; nec de re ulla indifferenti, non ingredi in hanc, vel illam domum, non tranſire per hanc, vel illam viam, niſi id eſſet, ut peccatum, aut peccati occaſionem vitares; quia tunc non indifferens, ſed bonum eſſet. Et Sanctus Baſilius in epiſtola ad Amphilochium can. 28. vota ridicula, & inepta, ut abſtinêre à carnibus ſuillis, nôn eſſe ſervanda ſanxit; nec demùm de re impoſſibili, aut neceſſaria; alterum enim ſtultum foret, alterum ſuperfluum, & inutile; Ita nec Dei præcepta quatenùs neceſſaria ſunt; materia ſunt voti; ſed quatenùs in noſtra poteſtate illorum obſervatio ſita eſt. Sic

enim

Digitized by Google

enim caſtitatis votum ſemper in Eccleſia floruit; ſi verò materiæ bonæ mala aliqua adjungatur circumſtantia, ut ſi jejunare velis, vel dare eleëmoſynam propter inanem gloriam, ſi malus finis materiam ipſam afficiat, & jejunium, aut eleëmoſynam ad malum referas finem, votum nullum eſt, quia tota materia eſt vitioſa, & id facere propter inanem gloriam malum eſt, non bonum. Sin autem non afficiat materiam, ſed votum velut cauſa cur ad vovendum movearis, vovendo peccas, ſed votum ſtat. Poteſt etiam materia voti bona cum re mala conjungi; ut ſi voveas aliquid bonum, ſi occideris inimicum. Sed ſi Deum velis adjutorem rei malæ, hoc eſt homicidij injuriam facis Deo, & materia eſt impoſſibilis, & votum nullum, ſin autem rem bonam voveas, hac appoſita conditione, ſi evaſeris ex certamine, etſi non poſſis evadere niſi inimico occiſo, ita ut hoc non ſit materiæ pars, ſed conditio appoſita, verum fuerit votum. Sunt etiam aliqua bona, & licita, ſed quæ impediant majora bona, illa ſi voveas, non eſt verum votum. Matrimonium licitum ſanè eſt, & bonum, ſed votum de illo contrahendo non eſt verum votum; quia non eſt de majori bono, & conſiliorum, hoc eſt majoris boni, obſervationem impedit. Pauluſque docuit meliùs eſſe carêre uxore, quàm uxori alligatum eſſe, niſi fortaſſe cuipiam ob incontinentiam melius ſit nubere. Undè etiam Paulus dixit meliùs eſſe nubere, quàm uri. Et ex libro Geneſ. capite vigeſimo octavo didicimus pro rebus quoque temporalibus poſſe fieri votum. Quippè Jacob vovit votum dicens; Si fuerit Dominus mecum, & dederit mihi panem ad veſcendum, & veſtimentum ad induendum, erit mihi, &c. Quoniam voti materia eſt res illa, quæ vovetur, reſque temporalis eſt ſolùm conditio.

Votum quid. Si ergò totam voti, & abſolutam definitionem quæris, dicam; Votum eſſe promiſſionem religioſam alicujus majoris boni, Deo ab homine libera voluntate factam. Hæc eſt voti radix, & fundamentum voluntatis libertas.

CAPUT II.

Votum debêre eſſe liberum, & de voto Iephte.

Verùm de hac libertate aliquid hoc loco dicendum eſt. Nam, cùm dicitur eſſe promiſſio libera, duo ſunt, quæ vim impediunt, aut tollunt voti, Ignorantia, & Metus. Nam ſi ignorâſti quidnam eſſet id, quod vovebas; aut ſi tam generaliter voviſti, ut mali aliquid poſſet latêre, non teneris implêre; ſicut & juramentum: malè juraſti, malè voviſti; ſed

Herodis. implêre non debes. Tale fuit Herodis juramentum Mar. cap. 6. Tale Jephte votum Jud. 11. quorum neutrum ſervandum fuiſſe ſcribit S. Amb. lib. 1. offic. 50. & lib. 3. c. 12. Nihil promittas inhoneſtum, aut ſi promiſeris tolerabilius eſt promiſſum non facere, quàm facere, quod turpe ſit. *Iuſjurandum.*

Sed de voto Jephte multus apud Patres ſermo. Temerarium vocat Clemens lib. 7. conſt. cap. 37. Et S. Hieron. libro 1. adversùs Jovin. c. 13. ab Hebræis quoque reprehenſum teſtatur velut temerarium. Si enim, inquit, canis, ſi aſinus occurriſſet, quid faceret? Ex quo volunt Dei diſpenſatione factum, ut qui improſpectè voverat errorem votorum in filiæ morte ſentiret; pro temeritate voti offerens filiam, ut idem loquitur in com. capitis 6. Micheæ. Magnoperè quoque factum damnat Amb. in 3. de virginibus libro, maximè quòd exemplo Abrahæ diſcere poterat Jephte, quid facto opus eſſet. Nam dum ille promptus immolandum obtulit filium; docuit prævaricandum temerè non eſſe promiſſum: verùm Deo parricidium non probari, cùm ab interfectione filij prohibetur, & pro filio ovis ſubijcitur, ut ipſa potius, quàm filius, feriretur; quia Dominus ſanguine non delectatur humano. Offerri enim debent à parentibus Deo filij, non jugulari. Addit Sanctus Auguſtinus q. 49. ſuper librum Judicum, noſſe quoque illum potuiſſe, à Deo fuiſſe præceptum, ut ſibi primogenita conſecrarentur; ſed in libro Ex. 13. primogenitum hominis pretio redimendum, non immolandum: & Deut. cap. 12. prohibitum nè imitarentur gentes, quæ Dijs ſuis filios, & filias immolabant, comburentes igni. Excuſare tamen hominem conatur Sanctus Anſelmus in com. capitis 11. ep. ad Hebr. Nec S. Aug. audet penitùs condemnare; tum quòd in lib. Judic. c. 11. dicitur factus ſuper Jephte ſpiritus Domini, quaſi Deo inſpirante, & jubente voverit; tum quòd in ep. ad Hebr. c. 11. inter eos, qui per fidem vicerunt regna, & operati ſunt juſtitiam, Jephte quoque commemoratur. Sed & ſpiritus Domini ſuper eum factus intelligi poteſt ad obtinendam victoriam, non ad votum; etſi ad votum, non ad qualitatem, & imprudentiam voti, nedum ad effectum, & impletionem ejus, & inter viros fortes, & fideles à Paulo numeratur propter bella, & victorias, nón propter votum: alioqui alij quoque qui numerantur, aliquando peccaverunt. Et in quæſtionibus ex veteri teſtamento, quæſt. 43. eum non ſolùm meretricis filium, ſed & principem latronum, & abſque ullo juſtitiæ teſtimonio, facinoroſumque hominem fuiſſe, & improvidum, qui ſtulta devotione munus Deo promiſit; idem Auguſtinus affirmat: quodque prima illi occurreret filia, vindictam Dei fuiſſe, & pœnam temerarij voti, in priore loco conſen- *Iephte votum, Iud. 11.*

Digitized by Google

conſentit, quod & intellexiſſe Jephte, juſtæque pœnæ ſe fideliter ſubdidiſſe putat, ſæviorem timendo de tergiverſatione vindictam; confirmat S. Proſper in libro de promiſſionibus, & prædictionibus par. 2. c. 20. temerarium, inquiens votum filiæ morte punitum. Et S. Joan. Chryſ. in extrema h. 10. in ep. ad Rom. diabolo religionis, ac pietatis ſpecie inſtigante factum illegitimum ſacrificium appellat; quod à Deo permiſſum propterea fuiſſe, ut diſcerent poſteri temerè non jurare, aut vovêre; docent idem in h. 14. ad populum & Theodoretus q. 19. in librum Judicum. Quid verò ſacrificium illud, aut figuraret faciendum in Chriſto, aut myſticè ſignificaret in nobis; lege apud Auguſtinum q. 49. citata, & Chryſ. homilia de Jephte to. 1.

Melchiſedecianos refert S. Epiphanius hæreſi 55. filiam Jephte in Sebaſta deificâſſe, atque in ejus honorem quotannis feſtivitatem celebratam fuiſſe. Sed de his hactenùs ſatis; ut hoc exemplo ignorantiam in voto caveas.

Vota ob metum facta. Venio ad alterum caput, quo noſtra vota enervari dicebam, atque hoc erat metus. Duplex autem poteſt eſſe metus, aut internus, propter periculum aliquod, calamitatemve quampiam; ſive realem, & veram, ſeu opinatam, ſive præſentem, ſive imminentem: aut externus, & ab alio incuſſus per injuriam, ut à nobis extorqueat votum. Per metum internum vovet ægrotus, ſi graviter & cum periculo vitæ laborare ſe ſentiat; vel qui in maris tempeſtate periclitetur, quemadmodùm de S. Gregor. Nazianzeno diximus in principio. Atque hæc vota certum omnibus eſt rata eſſe, & obligare voventes. Quin etiam dum ad Deum confugimus, ut nos ab illis malis, aut periculis liberet, præter obligationem ipſius voti, altera videtur accedere grati animi, qui velut mercedem pro accepto beneficio debet aliquid ſolvere. Et quidem S. Ambroſius lib. de Abel, & Cain cap. 7. quàm primùm vult ſolvi: [Votum enim, ait, eſt poſtulatio bo„ norùm à Deo cum ſolvendi muneris pro„ miſſione. Et ideò cùm impetraveris, quod „ petiſti, ingrati eſt tardare promiſſum. Sa„ crificium & celeritate commendatur, & gra„ tia.] Et S. Gregor. Nyſſen. in lib. de oratione, or. 2. Votum definivit promiſſionem eſſe alicujus rei, quæ pietatis nomine dedicetur, & ſacris deſtinetur. Et S.Greg. alter Nazianz. in or. in Sanctum Baptiſma, non partem aliquam, ſive ſubſtantiarum, ſive corporis; ſed totos noſmetipſos vult offeramus, & conſacremus Deo: [Omnia, inquit, membra, „ quæ ſunt ſuper terram, Deo demus, omnia „ conſacremus; non fibram ſolùm epatis, non „ renes cum adipe, non partem aliquam cor„ poris (quod in veteri lege fiebat) verùm nos „ totos offeramus. Simus holocauſta ratione „ prædita, hoſtiæ perfectæ: nec brachium ſo„ lum, aut pectuſculum ſacerdoti in partem „ aſſignemus; verùm nos ipſos totos Deo in „ munus offeramus, ut nos totos recipiamus.] Et Sanctus Auguſtinus ſermone ſeptimo de tempore, non pallam, non oleum, non ceram, non aliud quid ſimile; ſed animam noſtram vult nos vovêre, & rèddere. Hoc eſt votum optimum.

Jam ſi metus fuerit externus, ut ſi minetur quis mortem, niſi voveas, in foro exteriori verum votum non judicabitur, quia cenſebitur non adfuiſſe voluntatem vovendi, etiamſi voti pronunties verba; ſed ſi adfuit voluntas, adfuit id, quod eſt formale voti; eritque in foro interiori, & coram Deo verum votum. Non enim major libertas in voto quæritur, quàm in peccato, qui autem per hujuſmodi externum metum peccat, verè peccat, debetque potiùs quamlibet tolerare mortem, quàm peccare; & ſi metus interior votum non impedit, nec impedire poteſt exterior, ſi voluntas ad vovendum flectatur. Quippè injuria, quæ in externo infertur, non poteſt afficere, aut cogere voluntatem, ſed inferentis peccatum eſt.

CAPUT III.

De Voti merito.

SANE quidquid nos offerre Deo poſſumus, Dei eſt, qui univerſorum eſt Dominus, & quidquid nos habemus, illique offerimus, ab illo habemus. Quam ob cauſam, quod offerimus, & oblationes Domini, & oblationes noſtræ, in ſacris litteris appellantur, & meritò Origenes monuit hom. 23. in Num. nè quis in offerendis muneribus beneficij ſe aliquid Deo conferre credat. Ad hoc autem expetimur, atque ad offerendum invitamur, inquit hom. 12. ut in his affectus noſter ergà Deum probetur, & fides. Adde & noſtrum bonum, & commodum duplex. Alterum, quòd ab innumeris curis, & ſollicitudinibus liberamur, & liberi Deo, ac divinis vacamus; & veluti compedibus liberati ad Cœlum tendimus. Quod tum conſideravit S. Jo. Chryſ. in com. Pſ. 4. [Nihil enim facit cor adeò grave, „ ut libido, & affectio ad ea, quæ ad hanc vi„ tam pertinent, & terræ affixum eſſe. Quid „ verò poteſt levem animam facere? Vita ad„ mirabilis ad nihil eorum, quæ hic ſunt, aſ„ picere, nec pedibus ſuis quidquam alligare „ eorum, quæ deorſum & feruntur, & ferunt. „ Quod per illa conſequimur vota, paupertatis, „ caſtitatis, & obedientiæ.] Et Paulus virginitatem ſuadens 1. Cor. 7. vult nos ſine ſollicitudine eſſe: nam qui cum uxore eſt, ſollicitus eſt, quæ ſunt mundi, & diviſus eſt. Et Chriſtus

Digitized by Google

Chriſtus nos ab omnibus liberavit, cùm dixit; Vende omnia, quæ habes, & da pauperibus & ſequere me. Sanctus Joannes Chryſoſtomus in expoſitione Pſalmi 147. tractans illa verba; Confortavit ſeras portarum tuarum; „[In tuto, inquit, collocavit, fecit inexpu„gnabilem à bellis, & tumultibus liberavit va„lidiùs, quàm Hieruſalem munijt, non ve„ctibus, & portis, ſed cruce; & renuntiatio„ne propriæ voluntatis.]

Alterum bonum noſtrum, & commodum, quod idem ſubjungit Chryſ. magna eſt animi fertilitas, & fructuum proventus. Conſentiunt namque Catholici omnes majoris meriti eſſe facere aliquid ex voto, quàm ex ſolo conſilio. Cujus rei multiplex adferri poteſt ratio. Primùm divina miſericordia, cujus mos eſt, ut homilia 26. in Gen. Chryſoſt. loquitur, ut ſi nos tenuia quædam, & vilia obtulerimus, multa liberalitate nos remuneret. Quare in homilia de fide Annæ, tom. 1. Annam dicens natum puerum Samuëlem obtuliſſe ſtatim Domino; ideò quæ anteà erat ſterilis, multos, ait, accepiſſe filios; optima ſiquidem eſt, & lucroſa negotiatio cum Deo. Deindè quoniam actio noſtra eò plus habet meriti, quò ex meliore virtute proficiſcitur; actio autem ex voto facta, ex religionis virtute, & latria proficiſcitur; cæteræ actiones ex inferioribus virtutibus derivantur. Et ut actio, quæ ex pluribus oritur vitijs, magis eſt vitioſa; ita quæ ex pluribus virtutibus, plus meriti habet, & laudis, actioque voti duas ſemper habet virtutes, quarum altera materiam præbet, ut temperantia jejunium, altera formam, nempè religio: cæteræ actiones ex una ſola virtute naturâ ſuâ prodeunt.

Poſtremò ut paucis agam, qui operatur ex voto, non ſolam illam operationem dat Deo, ſed radicem quoque operationum omnium; hoc eſt, voluntatem ſuam, quam Deo per votum obligavit. Cæteri voluntatem ſibi liberam reſervantes, unicam illam offerunt actionem. Quod accommodatò Sanctus Anſelmus in libro de ſimilitudinibus cap. 84. illuſtrat exemplo illius, qui amico ſuo non ſolùm det de fructibus arboris, ſed ipſam arborem donet: hic enim plus donat, & majorem apud amicum meretur gratiam.

Neque verò per votum tollitur, aut minuitur actionis libertas. Non enim minor eſt libertas actionis, quàm cauſæ, ex quâ provenit actio. Cauſa autem actionis, quæ oritur ex voto eſt libertas illa, qua factum eſt votum: hæcque ſumma, & perfectiſſima libertas fuit. Ut omninò concludere hoc caput liceat verbis Sanctus Nazianzenus in oratione prima in Julianum; [Nihil, inquit, præclarius, & præ„ſtantius, quàm quod alijs ſcelerum fines „juxtà leges vindicantibus, nos principia quo„que ipſa punimus, ac velut perniciosum „quoddam, ac violentum profluvium multò „antè coërcemus.]

CAPUT IV.

De voti obligatione.

NON ſola veritatis virtute, quâ tenemur facere verum, quod vovendo promiſimus; ſed jure quoque naturali, & divino, votum nos obligat. Ipſa namque natura ſervandam eſſe fidem docet, tum hominibus datam, tum verò multò magis Deo. Atque in pluribus ſacrarum litterarum locis divinum confirmat jus Lev. 27. Animal ſi quis voverit, ſanctum erit, & mutari non poterit, & quæ ſeq. Et Num. 6. juxtà quod mente devoverit, ita fiet. Et cap. 30. Si quis votum Domino voverit, aut ſe conſtrinxerit juramento, non faciet irritum votum ſuum, ſed omne, quod promiſit, implebit. Et Deut. 12. Quæ voveris Domino, tolles, & venies ad locum, & offeres ſuper altare Domini Dei tui. Et cap. 23. Cùm votum voveris Domino, non tardabis reddere, quia requiret illud; & ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Et Pſ. 49. Redde vota tua Altiſſimo. Et Pſalmo 60. Reddam vota mea de die in diem. Et Pſalmo 65. Reddam tibi vota mea, quæ diſtinxerunt labia mea. Et Pſalmo 75. Vovete, & reddite. Et Pſalmo 115. Vota mea Domino reddam. Et alibi ſæpiùs.

Hocque ipſum veteres Patres plurimis in locis nobis inculcant. Tertull. in libro de jejunijs adverſus Pſychicos c. 11. [Votum cùm à „Deo acceptatum eſt, legem in poſterum fa„cit per autoritatem acceptatoris. Exindè e„nim faciendum mandavit, qui factum com„probavit.] Et S. Cypr. lib. 3. ad Quirinum c. 30. Scripturæ profert teſtimonia. Et S. Anſelm. in com. ad caput 5. prioris ep. ad Tim. verbis illis utitur: Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt; Et in 2. libro cur Deo homo cap. 1. eum qui religionis vota profeſſus eſt, non invitum, & ex neceſſitate; ſed eadem, qua vovit, libertate ſervare illa oſtendit. Deque virginibus conſecratis ſi nupſerint, eſt apud Sanctum Leonem capite 14. in epiſt. 92. ad Ruſticum Narbonenſem Epiſcopum; [Ambigi non poteſt, „crimen magnum admitti, ubi & propoſitum „deſeritur, & conſecratio violatur. Nam ſi „humana pacta non poſſunt impunè calcari; „quid eis manebit, qui corruperint fœdera di„vini Sacramenti?] Eodem argumento utitur Sanctus Jo. Chryſ. h. 5. in poſter. epiſtolam ad Tim. [Si quis fœdus inierit, aut tabulas „ſcripſerit teſtamenti, teſtes adhibet, quibus „ſemper habeatur fides; putaſnè, audebit quiſpiam

Digitized by Google

„ piam id violare aut aliàs prodere ? minimè id „ quidem, etiamſi velit: arguetur enim teſtium fidem.] Et in ſer. de fide, ſpe, & charitate. [Ut Deus fidelis eſt reddendo, ita fideles nos exigit de promiſſo.] Deumque apud ſe tenêre chirographum votorum noſtrorum, quo debitum exigat, monet S. Greg. Papa libro 4. in primum Regum c. 4. [Cùm, inquit, „ ea, quæ novitij promittunt, Deo offerimus, quaſi chirographum, quod nobis faciunt, illi damus.] Et lib. 1. regiſtri c. 33. Ananiæ mortem commemorat. Propterea Origenes h. 11. in Lev. laqueum fortem appellat votum. Et S. Athan. in Evangelium de Paſſione, & Cruce Domini, ſacrilegium, ſi quid defraudemus. Ex eoque S. Nazianz. in or. in Sanctum Baptiſma, ſumit argumentum, quòd Deus ad firmanda inter homines fœdera teſtis adhibetur: [Cùm ad mutua, inquit hominum „ pacta obfirmanda Deus medius adhibêri ſoleat, quantò periculoſius eſt, magiſque extimeſcendum, nè fœdera cum Deo ipſo contracta perfregiſſe reperiamur, & mendacij apud veritatis tribunal rei peragamur ?] Et S. Ambroſius libro 9. in Lucam cap. 4. [Major eſt contractus fidei, quàm pecuniæ. Redde promiſſum, priuſquam veniat exactor.] Et in caput 10. epiſtolæ ad Hebræos: [Sicut „ Deus fidelis eſt in promiſſis ſuis, ità fideles „ nos vult in promiſſis noſtris, quæ vovimus.] Atque in exhortatione ad virgines, vota quoque parentum docet obligare filios, argumento filiæ Jephte; [Conſiderate, inquit, filiæ; „ quid debeatis parentibus. Aperuimus ad „ Deum os noſtrum, votum eſt voluntas parentum: nos oravimus, vos ſolvite. Quanta „ vis ſit in votis parentum, Jephte filia vos debet docere, quæ nè fruſtraretur oblationem „ patriam, etiam mortem ſuam obtulit, & incautam patris oblationem ſanguine ſuo ſolvit.] Et nè ſingulos commemorando tædium lectori pariam; S. Aug. epiſt. 45. Armentarium, atque uxorem ad perfectum mundi contemptum exhortans; [Reddite, inquit, quod „ voviſtis. Benignus eſt exactor, non egenus, „ & qui non creſcit ex redditis, ſed in ſe creſcere facit redditores. Jam voviſti, jam te obſtrinxiſti, aliud tibi facere non licet. Priuſquam eſſes voti reus, liberum fuit, quo eſſes „ inferior. Nunc quia tenetur apud Deum „ ſponſio tua, non te ad magnam juſtitiam invito, ſed à magna impietate deterreo.] Et libro de adulterinis conjugijs c. 24. [Nulla conditione rumpenda ſunt, quæ ſine ulla conditione voverunt.] Et in Pſal. 75. [Quiſque „ quod vovêre voluerit, illud attendat, ut quod „ voverit, reddat. Si reſpicit retrò, malum eſt. „ Mementote uxoris Loth, ubi reſpexit, ibi „ remanſit.] Et in Pſ. 83. [Si canis reverſus „ ad vomitum horret oculis tuis, tu quid eris „ oculis Dei ? Vovit nec nuptias pati, qui non „ damnaretur, ſi duxiſſet uxorem, poſt votum „ damnabitur.] Et ſer. 60. ad fratres in eremo; „ [Antequam promitteres, in tua erat poteſtate. Vox tua ligavit te mihi. Promittere fuit „ tuum, dimittere non eſt tuum; factus ſum „ Monachus, aut monachus ſalvabor, aut aliter „ non ſalvor: non eſt medium.] Et ſer. 62. [Melius eſt non vovêre, quàm poſt vota promiſſa ipſa non tenêre; pejus ſi non reddideris, „ quod promiſiſti, quàm ſi votum nunquam „ emiſiſſes.]

Quæ verò interdum à Doctoribus afferuntur, ad oſtendendum votum non obligare; non voti obligationem tollunt, ſed naturam voti declarant, oſtenduntque non fuiſſe verum, ac ratum votum. Qua de re aliqua dixi cap. 2. cùm de metu, & ignorantia dicerem.

De votis filiorum, filiarumve ſententiam habes divinam in lib. Num. c. 30. Cùm enim ſui juris non ſint, ſed ſub patris poteſtate vivant, vovêre illis non permittitur, niſi ea, in quibus habent libertatem, neque alieni ſunt juris, quemadmodùm, ſi vovêre velint virginitatem, aut caſtitatem, aut religionis ſtatum, aut privatas aliquas preces, & ſimilia perſonalia, ubi ad annos pubertatis venerint, 14. mas, & 12. fœmina. Tunc enim cogitare poſſunt, quomodò Deo ſervire debeant; antè hanc ætatem vovêre non poſſunt. *Vota filiorum.*

Realia verò vota quandiù ſunt ſub poteſtate patris, non poſſunt vovêre, quia non habent quoad bonorum diſtributionem liberam voluntatem. Quare ſi voveant, vel probari debent, vel improbari poſſunt ab illo vota, ſub cujus ſunt poteſtate. Sic habet etiam Philo in libro de ſpecialibus legibus, & S. Aug. q. 59. in librum Num.

De conjugibus, quoniam in uſu matrimonij æquales ſunt, & ejuſdem juris vir, & uxor ut illa Pauli verba oſtendunt c. 7. prioris epiſtolæ ad Corinthios: Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir; ſimiliter autem, & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier; neuter poteſt alterum ſuo jure privare, ſi continentiam abſq; alterius conſenſu voveat. Sed ſi voveat alter, ſuum dumtaxat jus, quod liberum illi eſt, offerens Deo, non petet à conjuge debitum; petenti tamen illi debebit reddere; ea ſcilicet ex parte, qua liber eſt, & vovêre poterat, caſtitatem ſervans. Neque enim exigit Deus (ep. 45.) ſi quis ex alieno aliquid vovit; ſed potiùs uſurpare vetat alienum. *Vota conjugum.*

Eadem eſt illius conditio, qui cùm haberet votum caſtitatis duxit uxorem. Poteſt enim is debitum reddere, at non petere. Quippè horum alterum alieni juris eſt, quo privare conjugem non poteſt, alterum eſt ſui, quod ipſe ſervare debet. Quod ſi ambo ex conſenſu voveant continentiam, non erit id novum

Digitized by Google

novum in Eccleſia, ſed ſæpiùs uſitatum, & laudatum; ut intelligi poteſt ex epiſtolis 45. & 199. Auguſtini. Et Paulus in 1. Cor. 7. conſilium fecit, dum illos hortatur, ut continentes ad tempus orationi vacent, revertantur in idipſum, nè tentet illos ſatanas; illicò ſubjungit; Hoc autem dico ſecundùm indulgentiam, non ſecundùm imperium; volo autem omnes eſſe ſicut meipſum. In cæteris vir caput eſt mulieris, & vir quidem vovêre poteſt ſive perſonalia, ſive realia vota; quia ſub nullius eſt poteſtate: uxor autem non poteſt; & ſi voveat, poteſt vir illius vota irritare, ut Num. 30. manifeſtum eſt; eſt enim ſub viri poteſtate tum in moribus, tum in rei familiaris diſtributione.

Vota religioſorum. Religioſorum item vota in manu Prælati ſunt, neque ſine illo vovêre poſſunt, aut ſi voveant, oportet ea confirmari ab illo, poſſuntque irritari; quoniam etiamſi materia ſit bona, fortaſſè tamen non eſt bonum, ut ſe voto obligent; & in ijs, in quibus illi ſubſunt, ab illo debent gubernari. Ea tamen, in quibus non ſubſunt illi, vovêre licet; ut ſi libeat ad meliorem religionem tranſire.

Vota ſervorum. De ſervis, qui in dominorum ſunt poteſtate, credendum eſt, nec realia, nec perſonalia eos vovêre poſſe, ſi damnoſa ſint dominis; niſi ipſi conſenſerint. In ijs tamen, in quibus non ſubſunt, ſed liberi ſunt, ſi voverint, ſervare debebunt.

Vota aliorum. De votis porrò, quæ ab uno fiunt, an obligent alium, reſpondendum cenſeo; perſonalia vota, non obligare niſi voventem, hoc eſt enim perſonale, quod ad illius perſonam ſolam pertinet. Realia verò obligant inferiorem quoque, quia hæc afficiunt bona, & ſimul cum illis tranſmittuntur ad hæredes. Quare ſi pater voverit eleëmoſynam perpetuam, aut ad certum tempus, ad eam obligantur item filij, & hæredes; quod ſi votum ſit miſtum, ut de mittendo filio ad bellum contrà Turcas, aut ad peregrinationem quampiam, ſi ille noluerit ire, tenetur ſolvere ſumptus, qui faciendi eſſent.

Vota impoſſibilium. Denique ſi votum ſit de re impoſſibili, ſtultum eſt votum, & nullum. Si poſſibilis erat, ſed poſteà facta eſt impoſſibilis, ſi qua ex parte eſt poſſibilis, ea obligat; ſi tota, liber eſt, qui vovit.

Voti tempus. Jam de ſolutionis tempore, extat ſententia Deut. cap. 23. Non tardabis reddere; quia requiret illud Dominus Deus tuus; etſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Et Eccleſ. cap. 5. Si quid voviſti Deo, nè moreris reddere; diſplicet ei infidelis, & ſtulta promiſſio. Ergò ſi nullum conſtitutum eſt tempus, reddendum eſt ſtatim. Hoc enim voti natura poſtulat. Si verò tempus fuit appoſitum, aut votum eſt onus temporis, ut propter illud tempus, & non aliud, factum ſit votum, ut jejunare ſextâ feriâ ob Chriſti paſſionis memoriam; ſi non jejunes, peccas; ſed non teneris alio die jejunare, quia propter illum ſolum diem voviſti. Quod ſi non ſit onus temporis, ſed appoſitum ſit tempus, velut ſolutionis terminus; adveniente tempore ſemper obligat votum; & qui ſtatim non ſolvit, peccat, & tenetur ſemper ſolvere. Poſtremò fieri poteſt, ut tempus ex aliqua pendeat conditione; tuncque conditione impleta ſolvendum eſt votum, ut ſi quid poſt patris mortem faciendum eſt, adveniente morte, ſtatim, & deinceps ſemper obligat, quouſque fiat.

CAPUT V.

De votis crebrò renovandis.

At quoniam ea eſt humanarum, & caducarum rerum conditio, ut conſumantur tempore, veteraſcant, & deficiant tandem, verendum nobis eſt magnopere, omnique ſtudio providendum, nè ſpiritus fervor, & voluntatis alacritas, quâ Deo aliquando vota obtulimus noſtra, tempore procedente, aut magna minuatur ex parte, aut etiam penitùs extinguatur; & quæ prompti, alacreſque promiſimus, ea vel tardi, gementesve, aut etiam nullo modo reddamus. Huic graviſſimo occurremus malo, ſi crebrò, atque identidem noſtri memores propoſiti, quæ promiſimus, ſedulò repetamus, vireſque animi renovemus; Quemadmodùm conſuluit nobis Paulus in epiſtola ad Epheſios cap. 4. verbis illis; Renovamini ſpiritu mentis veſtræ, & induite novum hominem &c. Renovari, ait S. Chryſ. h. 13. in eum locum, eſt, quando quod inveteravit, aliud ex alio factum renovatur; & eadem quidem permanet ſubſtantia, idem ſubjectum, mutatio verò fit circà accidens. Et David in Pſalmo 76. momentis ſingulis renovari videbatur, cùm diceret: Hæc dixi, nunc cœpi. ,, [Neſcit enim (inquit S. Gregorius Papa libro 22. moral. cap. 2.) mens per torporem ,, veteraſcere, quæ ſtudet per deſiderium ſemper meliorare, & ſi laſſeſcere ab inchoatis bonis nolumus, valdè neceſſe eſt, ut inchoare ,, nos quotidiè credamus.] Quod de carne dictum olim fuit Job c. 33. Conſumpta eſt caro ejus à ſupplicijs, revertatur ad dies adoleſcentiæ ſuæ; dicatur & à nobis de ſpiritu noſtro, mortalitatis namque ſuæ pœnâ, interpretatione Gregorij ejuſdem libro 24. c. 4. in quadam vetuſtatis ſuæ ſenectute dejectus eſt: revertatur ad dies adoleſcentiæ ſuæ, id eſt, prioris vitæ integritate renovetur. Scriptura enim adoleſcentiam pro novitate vitæ ponere conſuevit Cant. 1. Adoleſcentulæ dilexerunt te, id eſt, electorum animæ gratia baptiſmatis renovatæ. Et Eccleſiaſtis capite undecimo. Lætare juvenis

Digitized by Google

nis in adoleſcentia tua, hoc eſt, lætetur quiſque in renovatione ſua. Nam & hoc ſignificat illud Pſalmi 102. Renovabitur ut aquilæ juventus tua.

Opportunum erit exemplum, quo alter Gregorius, Nyſſenum dico, utebatur in libro de virginitate cap.20. in corporeis quippè nuptijs adoleſcentulam quæris non annoſam, in eaque optimum corporis habitum, decorumque ornatum, divitiarum copias, omnem vitans turpitudinem; & Deus in hoc ſpirituali nobiſcum matrimonio primùm mentis renovatione vult juvenes, & ab omni ſenectute remotos; deindè divites, ac generis nobilitate præſtantes. In hac Dei ſponſa formanda verſatur omne pij, atque ſapientis viri ſtudium. Et Salomon Proverbiorum 12. cogitationes juſtorum dixit eſſe judicia: quia ut prior Gregorius habet libro 25. moral. cap. 6. quotidiè faciunt intrà ſe judicium, quo ſeipſos coram Deo diſcutiunt: [Sicut enim non ſentimus quomodo
„ creſcunt membra, proficit corpus, mutatur
„ ſpecies, nigredo capillorum albeſcit in canis:
„ ita mens noſtra per momenta vivendi ipſo
„ curarum uſu à ſemetipſa permutatur, & non
„ cognoſcimus; niſi vigilanti cuſtodia ad in-
„ teriora noſtra reſidentes, profectus noſtros
„ quotidiè, defectuſque penſemus; hoc ipſum
„ enim in hac mortali vita conſiſtere, quaſi ad
„ vetuſtatem ire eſt; & cùm indiſcuſſa mens
„ relinquitur, in quodam ſenio torporis ſopitur
„ quia ſui negligens, & propoſitum robur in-
„ ſenſibiliter perdens, à forma prioris fortitu-
„ dinis, dum neſcit, ſeneſcit. Undè Oſ. 7. di-
„ citur: Comederunt alieni robur ejus, & igno-
„ ravit. Cùm verò ſeipſum quærit, & pœni-
„ tendo diſcutit, ab hac vetuſtate lota lachry-
„ mis, & mœrore incenſa renovatur.]

Renovatio ſpiritus.

Quo modo renovemur.

Quod nonniſi divino calore concepto, Spirituſque Sancti fervore calefactos nos non facere, teſtantur Job verba cap. 39. Nunquid per ſapientiam tuam plumeſcit accipiter, expandens alas ſuas ad Auſtrum? [Accipiter e-
„ nim (ut habet Gregorius libro 31. cap.18.)
„ flante Auſtro alas expandit, quo ejus mem-
„ bra ad laxandam pennam veterem venti tepo-
„ pore caleſcant. Cùm verò ventus deeſt alis
„ contrà radios ſolis expanſis, atque percuſſis
„ tepentem ſibi auram facit, captoque tepore
„ apertis poris, & veteres exiliunt pennæ, &
„ novæ ſuccreſcunt: & unuſquiſque Sancto-
„ rum tactus flatu Sancti Spiritus concaleſcit,
„ & uſum vetuſtæ converſationis abijciens no-
„ vi hominis formam ſumit.] S. Ambr. lib. 5. examer. c. 23. Phœnicem ſeneſcentem avem ſubjungit; quæ finem ſibi vitæ adeſſe perſentiens, thecam ſibi facit de thure, & myrrha, & odoribus cæteris, in quam intrans moritur, deque carnis humore vermis exurgens, alaſque induens, ſuperioris avis ſpeciem, formamque renovat. Quo exemplo non ſolùm futuram docemur reſurrectionem credere, ſed etiam præſentem vetuſtatem exuere, & ſpiritûs novitatem induere. Et in commentario Pſ. 37. ſerpentem imitandum, qui exteriorem ſuum exuit, ut renovetur interior; ſuumque venenum evomit; Undè & Dominus dicebat Matth. c. 10. Eſtote prudentes ſicut ſerpentes. Et S. Leo Papa ſer. 5. de quadrag. eo nos argumento hortatur, quòd anima noſtra templum eſt, & domus Dei: [Ut verò in manufactis domi-
„ bus ſi quid fuerit, aut infuſione imbrium, aut
„ turbine procellarum, vel ipſa antiquitate
„ corruptum, laudabili diligentia providetur,
„ ut in integrum reſtituatur: ita jugi oportet
„ ſolicitudine præcavêri, nè quid in noſtris a-
„ nimis incompoſitur, nihil inveniatur in mun-
„ dum. Nec quiſpiam ita inſolenter ſuperbiat,
„ ut nullius ſe putet renovationis indigêre.
„ Fallitur prorsùs iſta perſuaſio, & nimia vani-
„ tate veteraſcit, quicunque inter tentationes
„ hujus vitæ ab omni ſe vulnere credit immu-
„ nem. Quantumlibèt caſtè, & ſobriè mortalis
„ hæc vita ducatur; quodam tamen pulvere
„ terrenæ converſationis aſpergitur, & nitor
„ mentium ad Dei imaginem conditarum, non
„ ita à fumo totius vanitatis alienus eſt, ut nul-
„ la poſſit ſorde fuſcari, & non ſemper indi-
„ geat expoliri.] Eadem ſunt Sancti Auguſtini verba in ſerm. 63. de tempore. Vereor plurimùm nè de permultis, qui minùs benè interiora ſua examinant fortaſsis, & exteriora, uſurpari queant illa Dei verba per Ezechiëlem Prophetam de quibuſdam mulieribus dicta capite vigeſimo tertio; In adoleſcentia ſua fornicatæ ſunt, ibi ſubacta ſunt ubera earum, & fractæ ſunt mammæ pubertatis earum. Ut enim interpretatione Theodoreti ſect. 9. violatam virginitatem, mammarum laxitas conſequitur; ita cùm quis à Deo defecerit, ſequitur ejus partis, quæ in nobis principatum obtinet, caſus; cujus veluti tegumenta ſunt mammæ. Hoc eſt, quod lamentabatur Sanctus Bernardus in ſermone 3. de Annuntiatione Beatæ Mariæ his prorsùs verbis: [Tepeſci-
„ mus proceſſu temporis à fervore converſa-
„ tionis noſtræ; paulatim refrigeſcit charitas,
„ abundat iniquitas: ut conſumemur carne,
„ qui ſpiritu cæperamus. Timorem Domini
„ relinquimus, religioſam omittimus ſolitudi-
„ nem, verboſi, curioſi, faceti, etiam detractò-
„ res, & murmuratores, vacantes nugis, fu-
„ gitantes labores diſciplinæ, quoties ſine no-
„ ta id licet; quaſi verò confeſtim ſit etiam ſi-
„ ne noxa.] Et rursùm in parvis ſermonibus, ſerm. 30. triplicem in nobis vetuſtatem tractat, quam magnopere oporteat renovare, vetuſtatem cordis, oris, & corporis. Et rursùm triplicem in tractatu de gratia, & libero arbitrio; intentionis, affectus, & operationis.

Phœnicis renovatio.

Renovatio neceſſaria.

Porrò

Digitized by Google

Porrò renovationem totam à peccatorum remiſſione vult S.Aug. in lib. 14. de Trin. cap. 17. & libro 2. de peccatorum meritis, & remiſſione cap. 7. principium ſumere. Quam ob cauſam ſapienter in noſtro ordine,in quo ſolent juvenes certis, ac ſtatis temporibus religionis vota renovare; inſtitutum eſt,ut antè renovationem generalis peccatorum præmittatur confeſſio. Purgatus quippè à peccatis animus ad omnem renovationem eſt comparatus. Atque hæc ſatis hoc loco dicta ſint, tum de votorum, tum de totius ſpiritus renovatione.

CAPUT VI.

Votum ſolemne, & ſimplex quid differant.

NUNC de votorum commutatione, aut diſpenſatione dicerem, ſi quid ſit votum ſimplex,quid ſolemne,quidque ſolemne à ſimplici differat,ſatis conſtaret. Hoc anteà conſtituendum eſt, aliud enim de ſimplici, aliud de ſolemni futurum eſt judicium.

Hæc non eo differunt modo, quo placuit nonnullis, quod coràm multis emiſſum eſt ſolemne, coramque Eccleſia probari poteſt, atque illius violatio ſcandalum facit. Nam ſimplex item votum fieri coram populo, & publicè poteſt, & verò etiam in ſcriptis; & ſolemne quoque privatim, ac ſecretè.

Neque ut alijs; quòd traditionem habeat,& exhibitionem rei, quæ vovetur; ſolemniter enim vovens tradit ſe in poteſtatem illius, in cujus manibus vovet. Quoniam non vident,& votum ſimplex in manibus Prælati emitti poſſe, atque in ordine noſtro emitti à formatis noſtris coadjutoribus, qui ſe tradunt, & obligant religioni. Ac penè in omni voto traditur Deo accipienda ab illo materia, quæ vovetur, poteſtque Eccleſia approbare religioſum aliquem ordinem ſimplicia tantùm emittentem vota.

Alij externa benedictionis, & conſecrationis cæremonia diſtinguunt, & quid tandem ſignificat iſthæc benedictio? ſi interiorem qualitatem voventi à Deo infuſam, Sacramentorum propria eſt hæc infuſio: ſi extrinſecam denominationem, ut non minùs ſunt Reges non uncti, quàm uncti juxtà conſuetudinem regni;ſic non minùs religioſi,qui abſque ſolemni benedictione ſolemniter, quemadmodùm religiones plures profitentur, quàm cæteri, qui benedici ſolent; & nonnè per tacitam quoque profeſſionem veri creantur religioſi? Deindè hæc benedictionis cæremonia tota juris eſt humani, & Eccleſiaſtici. Non minùs igitur, quàm ſimplex votum poſſet ſolemne quoque diſpenſari, neque tanta illius eſſet, quanta creditur obligatio.

Quod verò dixerunt aliqui, hoc differre, quòd votum ſolemne non ſolùm impediat matrimonium contrahendum, ſed dirimat item contractum, non conſumatum; ſimplexque impediat contrahendum, non dirimat contractum; confirmavit ſanè Bonifacius Octavus ut habetur cap. Quod votum, De voto, & voti redemp. in 6. Verum non eſt generale, & commune omni voto, ſed voti caſtitatis proprium; neque naturam differentem votorum exponit, ſed diverſam vim, atque efficacitatem oſtendit. Neque irritare matrimonium eſſe ſolemnis voti proprium, declaravit poſteà Gregorius Decimus tertius conſtitutione de inſtituti noſtri confirmatione, edita anno mileſimo quingenteſimo octogeſimo quarto quæ incipit, Aſcendente Domino; quâ novo jure declaravit, ac voluit, vota quoque ſimplicia, quæ à nobis poſt probationis biennium emittuntur, non ſolùm contrahendum impedire, ſed contractum quoque dirimere matrimonium.

Quod autem ad voti ſolemnitatem attinet duo Biterenſi Epiſcopo reſpondet Bonifacius: Voti ſolemnitatem ex ſola Eccleſia conſtitutione pendêre, illudque ſolum debêre dici ſolemne, quod aut per ſacri ordinis ſuſceptionem, aut per profeſſionem expreſſam, vel tacitam in approbata aliqua religione ſolemnizatum fuerit. Quam ſolemnitatem non poſſumus (me quidem certè judice) naturæ voti, magis intimam declarare, quàm ſi votum ſolemne dicamus promiſſionem eſſe factam,tum Deo, tum Eccleſiæ, à Deoque & Eccleſia acceptatam. Nam & in ſacra ordinatione, qui ordinatur, Deo, & Eccleſiæ ſe mancipat, & Deus, atque Eccleſia in populo illum ſuo numerant, & jus in illum accipiunt. Et in religioſa profeſſione, vovens præter Deum in religionis jus ſe tradit, & obligat; datque illi ſuum jus, ut cogat illum ſervare vota, quæ facit, & religioſam diſciplinam: & quoniam toti Eccleſiæ, aut religioni ſimul congregatæ non poteſt hoc promittere, Eccleſia, ſeu religio certas perſonas conſtituunt, Epiſcopum, aut religionis Præpoſitum, qui totius Eccleſiæ, vel religionis teneant locum, illius acceptantes promiſſionem ut ſolemnem, viciſſimque illi promittentes, & paternam curam, & omni vitæ tempore neceſſariam ſuſtentationem; hoc eſt, non dimittere illum, ſed per omnem vitam retinêre. *Votum ſolemne quid.*

Votum autem ſimplex per ſe ſoli Deo fit, Deoque ſe obligat vovens, non autem religioni, nec religio admittit illud, niſi ut ſimplex. Quemadmodùm & Eccleſia poſſet religionem aliquam approbare ſolis conſtantem votis ſimplicibus; admittens illa, ut pia, & religioſa, & ut conſtituentia verè, & propriè religioſos, & membra religionis approbatæ; non ut ſolemnia, & habentia vim om- *Votum ſimplex quid.*

nem ſolemnium votorum. Qui tamen Deo religionem promittit, religioni quoque ſe mancipat, nec poteſt ab illa ſua voluntate diſcedere.

Profeſſus dimitti poteſt à religione.

Quamquam dum religio profeſſionem hominis recipit, illique viciſſim perpetuam retentionem pollicetur, ea ſemper intelligitur conditione, ut is religioſè vivat. Quod ſi ſecùs fiat, atque incorrigibilis inveniatur, tolerandus non eſt: habentque jus religiones omnes eijciendi profeſſum talem, ut ſeipſas ſervent incolumes; hoc enim jus naturale poſtulat, & commune bonum eſt anteponendum privato, proque corporis totius ſalute putridum amputatur membrum. Neque dolère poteſt profeſſus, neque religionem accuſare; ſed ſeipſum, qui malè vixerit, neque voluerit emendari. Quòd ſi res ita ſe habet in profeſſis, multò minùs dolère poſſunt non profeſſi, cùm à religione noſtra dimittuntur; non enim niſi ex graviſſima cauſa dimittuntur: quippè unuſquiſque intelligit, quàm ſit religioni damnoſum, pluribus annis hominem ſuſtentâſſe, atque in ſcientijs erudiſſe; tum verò cùm poſſet is operâ ſuâ religionem juvare, dimittere hominem: ſed minus malum eſt præteriti omnis ſumptus, atque laboris jacturam facere; quàm ab incorrigibili homine graviora expectare damna. Sibi imputet ille, ſi dimittatur; nullam à nobis injuriam accipit, cùm præſertim ab omni votorum vinculo ſolutus, & liber dimittatur. Immò beneficio cumulatus maximo diſcedit; tum multa rerum divinarum, ac ſpiritualium cognitione inſtructus; tum plurima ſcientiarum, & doctrinæ ſupellectile exornatus. Profeſſi à votis, quæ ſolemniter emiſerunt, liberari non poſſunt; quoniam ab Eccleſia fuerunt admiſſa. At pejor non eſt noſtrorum, quàm aliarum religionum profeſſorum conditio. Sed & ita magis illis expedit, ut votorum adſtricti vinculo reſipiſcant, caſtigatique ad religionem revertantur.

Multò magis non profeſſus.

CAPUT VII.

De voti redemptione, & commutatione.

Redemptio voti.

IAm igitur inter voti redemptionem, commutationem, ac diſpenſationem, hoc intereſt, quod redemptio pecunia fit, dum voti materia in pecuniam mutatur. Hoc ipſum redemptionis nomen ſignificat. Commutatio non ſolvit votum, aut à voto liberat; ſed in aliud permutat.

Commutatio.

Commutare in ſuis ſubditis poſſunt Epiſcopi omnes, Abbates, religionumque Superiores in materiam aut æqualem, aut etiam minùs bonam, hoc eſt, minùs pretioſam, voventi tamen, aut Eccleſiæ magis utilem. In id, quod certò, atque evidenter melius ſit; & Deo gratius bonum; poteſt quiſque ſuo jure abſque ſuperioris auctoritate commutare. Divino enim, ac naturali jure, quo licet majus bonum appetere, id permittitur. Propterea religionis, & perpetuæ caſtitatis vota nequeunt in alia commutari propter materiæ excellentiam: cætera omnia in hæc commutantur. Excipiuntur tamen quinque vota; tum eccleſiaſtico jure, tum conſuetudine, quæ à ſolo ſummo Pontifice commutantur: In extravag. Etſi Dominici 2. de Pœnitentijs, & remiſſionibus. Vota caſtitatis perpetuæ, ac religionis propter materiæ excellentiam; Votum Hieroſolymitanum, aut propter loci religionem, aut propter ſubſidium pauperum, qui Chriſtianorum eò concurrentium eleëmoſynis alebantur; aut propter bellum contrà infideles, qui regionem occupabant: Votum denique Romanum, & Compoſtellanum. Et quoniam ſola perpetua caſtitas Pontifici ſummo reſervatur; poterit Epiſcopus non perpetuæ votum commutare. In voto autem quolibet commutando, honeſtam aliquam, & juſtam adeſſe oportebit cauſam: aut quod materia bona, & utilis facta ſit mala, & inutilis; aut voventis perſona infirmior, & minùs idonea ad reddendum votum; aut quòd aliquod aliud ſit majus bonum, quàm ipſum votum. Servabiturque proportio materiæ voti commutatæ, habita ratione tum virium hominis, tum utilitatis illius, tum multò magis Eccleſiæ. Quod & in redemptione fieri oportet.

Votum religionis.

In vota Religionis cætera omnia mutari poſſe creduntur, ita ut per Religionis profeſſionem præterita omnia vota ceſſent. Quod ego de illis intelligo, quæ in Religione ſervari nequeunt; nam ſi ſervari queant, ſervanda cenſeo, etſi de ſolemni voto ſit ſermo, naturali, ac divino jure conſtare videtur, eum promiſſionis violatorem non eſſe, qui temporale mutat in perpetuum, partem in totum; minus bonum in majus, quique plus ſolvit, quàm debet. Hoc eſt, qui poſt votum quodpiam religionem vovet. Extat cap. Qui poſt votum, de regularibus in ſexto, in quo Bonifacius Papa ſimplici religionis voto derogari declarat per ſolemne, velut majus, & fortius vinculum; illumque ſtatuit, qui poſt certæ religionis emiſſum votum, laxiorem aliam ingreditur, & in ea profitetur, priore voto non obſtante, poſſe in ea manère. Et in Gregorij Decretalibus, cap. Scripturæ, de voto, & voti redemptione, ex Alexandro Tertio habetur, votum omne mutare poſſe in votum religionis. Neque reum voti fracti habêri eum, qui temporale obſequium in perpetuam religionis obſervantiam commutat. Et cap.

Pervenit,

Digitized by Google

Pervenit, de jurejurando, Gregorius propoſitum, aut promiſſum infringi negat, ſi in melius commutetur. Si tamen laxior diſſolveretur religio, crederem ego illum priori voto tenêri, non minùs quàm qui poſt continentiæ, religioniſvè votum, contrahit, & conſumat matrimonium; poteſt quidem in matrimonio manêre; ſed ſi moriatur conjux, tenetur prius votum implêre, caſtitatem ſervando, religionemve intrando. Undè in cap. Qui poſt votum, non dixit Papa, prius votum extingui; ſed eum licitè poſſe in laxiore, quam profeſſus eſt, religione permanêre; ſicut & poteſt is, qui nupſit, & conſumavit, in matrimonio manêre, quamdiù vivit conjux.

Sanè vel etiam poſt ſolemne votum, licet cuivis ad arctiorem aſcendere religionem; etſi hoc poſt profeſſionem voverit, implêre debebit. Quid autem interſit, ſive poſt profeſſionem, ſive antè profeſſionem voverit? Quòd ſi voto ſimplici affirmet Pontifex per ſolemne fuiſſe derogatum; non tamen ait fuiſſe illud ſolutum, penitùſque extinctum; ſed eatenùs vult derogatum, ut illius obligatio non tantoperè urgeat, ut ideò debeas profeſſam deſerere religionem. Fortiùs enim hoc vinculum retinet, ut licitè poſſis in ea manêre. Sicut & conſumato matrimonio diceres voto caſtitatis ſimplici, religioniſve derogatum, ut poſſis cum conjuge vivere: quòd tamen nequaquàm extinctum penitùs eſt. Derogatum dixit, non abrogatum; & ita derogatum, ut pro voto non completo imponenda ſit homini pœnitentia.

De voto etiam non ſolemni, ſed ſimplici religionis approbatæ ſentiendum fuerit; vota perſonalia, & ad tempus emiſſa, poſſe in illud, hoc eſt, in votum paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ perpetuæ (quidquid ſenſerint nonnulli) privata voventis autoritate mutari. Hoc enim majus, & Deo gratius bonum eſſe manifeſtum eſt, quo ſe quiſque Deo, ac religioni perpetuò conſecrat.

Vota realia De votis realibus major fortaſſè difficultas; quæ nè in votum quidem ſolemne mutari poſſe putaverunt aliqui, præſertim ſi certæ perſonæ, locove promiſſum quidpiam fuerit. Nam acquiſitum eſt, inquiunt, jus tertio, cui non facienda injuria. Sed ſi fuit votum eleëmoſynæ pauperibus in genere erogandæ, aut huic, vel illi loco, aut perſonæ abſque ulla illius acceptatione, nulli eſt jus acquiſitum, nulli fit injuria, dum in majus, & Deo gratius bonum mutatur. Quod ſi aut acceptatum fuit, aut donatione, teſtamento, legatove, legitimè coram teſtibus rogatis traditum, ita ut jus ſit petendi; ſanè abſque illius conſenſu, qui habet jus, non commutatur, neque in voto ſolemni, neque minus in ſimplici. Nulli enim fieri æquum eſt injuriam, neque cum alterius damno quærendum bonum.

Jam ſi de votis quæras perpetuis, quæ cùm liber eſſes in ſæculo, emiſiſti; ea non niſi per votum religionis ſolemne tolluntur, quo in perpetuum obligaris. *Vota perpetua.* Per ſimplicia verò, quæ ſolvi poſſunt; non item penitùs extinguuntur, ſed ſuſpenduntur, quamdiù in religione manſeris. Niſi ſummi Pontificis, quæ penitùs extinguat, acceſſerit autoritas. Denique ſi certam, ac determinatam religionem voveris; antiquo jure, & communi per ſolum ſolemne votum tollitur, niſi Pontificis accedat autoritas. Novo tamen jure ordini noſtro conceſſum fuit; ut in ſimplicia religionis vota poſſit & illud commutari: non quòd penitùs aboleatur, ſed quòd tamdiu ceſſet, & ſuſpendatur, quamdiù is nobiſcum manſerit, quòd ſi diſcedat, prior reviviſcit obligatio. Atque hactenùs de voti commutatione ſatis.

CAPUT VIII.

De diſpenſatione, atque irritatione.

SUPEREST de diſpenſatione, atque irritatione dicere. Quæ duo à voto prorsùs liberant. Diſpenſatio eſt juris relaxatio; quæ tribus modis fieri poteſt; *Voti diſpenſatio.* ſive ab aliqua oneris parte juſtam ob cauſam ſublevando: ſive interpretando, ac judicando votum non fuiſſe legitimè factum, nec intentionem voventis fuiſſe obligare ſe in illo caſu, aut majus bonum impedire, & ideò ſervandum non eſſe, ſive demùm abſoluta auctoritate reſcindendo. In ſimplici voto ſolus Romanus Pontifex duobus prioribus modis diſpenſare, velut ſupremus Eccleſiæ judex, naturale, ac divinum jus aut diſtribuendo, & cuique onus pro viribus imponendo, aut omninò illud interpretando, abrogare, ac ſine honeſta cauſa penitùs reſcindere non poteſt, quoniam jus naturale, ac divinum poſtulat, ut Deo reddas, quod promiſiſti: neque ulla eſt in terris poteſtas, quæ abſolutè, & ſine cauſa valeat ab obligatione liberare; quoniam hoc non eſſet diſpenſare, ſed diſſipare, non uti, ſed abuti poteſtate; neque promiſſio Regi facta abſolutè remitti ab ullo poteſt, niſi ab ipſo Rege.

In voto ſolemni nulla eſt diſpenſatio. Namque illius teſtis, & approbatrix fuit Eccleſia; quare nulla in eo poteſt eſſe æqui, bonique interpretatio. Et quamvis materia fortaſſè fuerit facta difficilior, aut imbecillior perſona; quia tamen votum fuit ab Eccleſia publicè approbatum, & acceptatum, plurima foret offenſio, ſi id revocaretur, quod ab ipſamet fuerat approbatum.

Digitized by Google

Eſt enim ſolemne votum promiſſio Deo facta, teſte, & confirmante omni Eccleſia.

Irritatio voti. Irritatio demùm totalis eſt voti abrogatio à ſuperiore facta illius hominis, qui ſui juris non ſit, nec poteſtatem, aut libertatem habeat vovendi: quemadmodùm de filijs, de conjugatis, ac præſertim uxoribus, deque ſervis dictum eſt cap. 4. Hoc unum addam: *Ius diſpenſandi.* Jus diſpenſandi, commutandi, & redimendi, eſſe ſpirituale, & Eccleſiaſticum: irritandi verò eſſe temporale quoque & ſæculare, illud penes Eccleſiaſticos Prælatos, quorum eſt ſpiritualis, & Eccleſiaſtica juriſdictio, ſive ex officio, ſive ex commiſſione, & privilegio; hoc autem penes laïcos etiam homines, ex naturali tamen, & divino jure, quod habent patres in filios, maritus in uxorem, dominus in ſervos, tutores, & curatores in pupillos, atque minores; & ex Num. capite 30. manifeſtum eſt. Religionum Prælati ergà ſuos ſubditos utrumque jus habent & commutandi, ſeu diſpenſandi, & irritandi: quia non ſolùm Eccleſiaſticam, & ſpiritualem juriſdictionem habent; ſed temporalem quoque & œconomicam adminiſtrationem, quibus & ſpiritualiter, & temporaliter ſubditis ſuis præſunt, illoſque tanquam filios gubernant. Epiſcopi ſolam priorem juris partem obtinent, neque irritare poſſunt; quia ſolùm ſunt inſtituti ad fideles adminiſtratione Sacramentorum, & divini verbi, & vi legum, ac cenſurarum gubernandos: ſed temporalem, & œconomicam adminiſtrationem illorum non habent: neque ſe illis ita fideles, ſuaque omnia tradiderunt, quemadmodùm Prælatis ſuis regulares; in quibus & materia voti, & voventis voluntas Prælato eſt ſubjecta; & ideò votum omne irritare poteſt ſuorum ſubditorum. Sunt enim velut filij impuberes, quorum vota omnia irritari à patre poſſunt. Excipitur tamen jure communi votum tranſeundi ad ſtrictiorem Religionem, quod irritari à Prælato non poteſt, cap. Licet; de Regularibus. Hactenùs de votis dictum paucis: pluribus habes ab alijs diſputatum.

DE RELIGIONE

LIBER XLIV.

CAPUT I.

Religio virtus qualis.

RELIGIONEM Dei cultum ſignificare manifeſtum eſt; & ut Deus verus eſt, & plurimi fuêre falsò apud plures gentes habiti Dij; ſic vera & falſa religio fuit, hoc eſt verus veri, & falſus falſorum deorum cultus, qui ſpeciem quidem religionis habet, ut & falſus Deus nomen Dei habet, non rem: at religio non eſt, ſed ſuperſtitio. Extant Lactantij primus de falſa religione, & quartus de vera ſapientia, hoc eſt religione, & ſextus de vero cultu, libri; & Sancti Auguſtini liber de vera religione, quam falſæ adverſari quiſque intelligit. Colere, & honorare voluntatis eſt; ſed colere, atque honorare non potes, quem non cognoſcas: & ἐυσέβειαν dixit Triſmegiſtus γνῶσιν eſſe Dei; quippè cognitio cultûs omnis principium eſt, & fundamentum; cognitio, & ſapientia eſt intellectus; cultus voluntatis: Quare Clemens Alexandrinus in ſecundo libro ſtrom. veri Dei cultus ſolam rationem ſcripſit eſſe magiſtram, & ſola Chriſti fides paſſim appellari ſolet vera religio; quia ſola continet, & docet verum veri Dei cultum, cujus nobis autor, atque præceptor Chriſtus, qui & Patrem nobis oſtendit, & quemadmodùm coli à nobis velit, revelavit: illud theoreticum eſt, atque ad intellectum pertinet; hoc practicum, & ad voluntatem; illud ad fidem, & ſapientiam; hoc propriè ad religionem.

Religio quid. Ergò religio præcipuè quidem ſignificat internum, & primum voluntatis affectum, quo colitur, & honoratur Deus: ſed & exteriores actus, & cæremonias, quibus colitur; & verò etiam doctrinam, quæ hoſce actus, & cæremonias docet. Nam Exod. 12. cùm egiſſet Dominus de eſu agni, & azymis, adjungit; Cùm dixerint vobis filij veſtri: Quæ eſt iſta religio? hoc eſt actio, & cæremonia, & iterùm; hæc eſt religio Phaſe; hoc eſt

cæremonia,

Digitized by Google

tæremonia, qua celebrabitis Phaſe. Et Lev. 7. & 16. Hoc facietis religione perpetua; hoc eſt cultu, & cæremonia perpetua. Et Num. 19. Iſta eſt religio victimæ, &c. hoc eſt cæremonia, qua offerenda eſt vacca rufa. Et habitus, qui ad hujuſmodi actiones ad divinum cultum pertinentes inclinat, religionis virtus eſt, cujus objectum ſunt actiones illæ omnes divini cultus: eſtque virtus ad alterum, nempè ad Deum, ſicut juſtitia ad proximum; dum aliæ virtutes morales circà edomandas perturbationes occupantur.

Itaque immediatum, & proximum hujus virtutis objectum non eſt Deus, ſed inter eam, & Deum, medius ſemper eſt actus aliquis hominis, quo Deo cultus exhibetur, & honor; ſicut & inter juſtitiam, & proximum media ſemper eſt actio, quâ illi, quod ſuum eſt, datur, proximumque religionis objectum eſt actus ille; quo tamen Deus quoque continetur, velut is, cui cultus, & honor datur. Propterea religio, etſi circà Deum verſetur, Theologica tamen virtus non eſt, ſed moralis; quia non verſatur circà Deum proximè, & immediatè, ſicut Fides, Spes, & Charitas; ſed circà actiones illas divini cultus, & honoris, quod moralium virtutum eſt proprium; verſari inquam circà perturbationes, aut actiones humanas. Et Fides, quidem Deum ſpectat velut primam veritatem; Spes velut maximum bonum noſtrum; Charitas velut ſummum bonum in ſe, & propter ſe amandum; Religio demùm velut ſupremum numen, cujus increatæ excellentiç ſupremus cultus,& honor debetur. Quocircà ſupremæ omnium virtutes ſunt tres illæ Theologicæ, quæ immediatè, & proximè Deum ſpectant; deindè cùm religio propiùs, quàm reliquæ morales attingat eundem Deum, omnibus illis præſtare cenſetur. Omnes enim referuntur quidem ad Deum, ut finem; At religio ut objectum quoque: Sed de his hoc loco non eſt ſubtiliùs diſputandum; ratio nominis potius quærenda.

Religio moralis virtus.

CAPUT II.

Religio cur dicta.

De qua ſeriò, ac multis diſputavit Lactantius in lib. de vera ſapientia c. 28. adverſùs Tullij notationem in 2. de natura Deorum libro. Hic enim religionem à relegendo dictam voluit; cùm eos ſcripſit, qui omnia, quæ ad cultum Deorum pertinerent, retractarent, & tanquam relegerent, religioſos fuiſſe dictos ex relegendo, tanquam ex eligendo elegantes, & ex diligendo diligentes, intelligendo intelligentes. His enim omnibus ineſt jus legendi eadem quæ in religioſo. Quæ nominis notatio perquam inepta viſa eſt Lactantio; mihi non item videtur, dum religionis, ac religioſi hominis officium conſidero, qui ea, quæ ad Dei cultum pertinent, ſæpiùs legere, ac cogitare debet.

Lactantius mavult à religando derivare; quaſi nos, qui à Deo conditi creationis ipſi vinculo ſumus obſtricti, obſequijs ac religionis cultu religemur arctiùs: [Hac enim, inquit, „ conditione gignimur, ut generanti nos Deo, „ juſta, & debita obſequia præbeamus, hunc „ ſolum noverimus, hunc ſequamur. Hoc vin„culo pietatis obſtricti Deo, & religati ſu„mus; undè ipſa religio nomen accepit; non „ ut Cicero interpretatus eſt à relegendo.] Et rurſum in epitome c. 10. de Platone differens; „ [Nec intellexit, ait, hominem Deo pote„ſtatis vinculis eſſe religatum, undè ipſa re„ligio nominatur.] Eandem notationem fecit Sanctus Auguſtinus in libro de vera relig. c. 55. [Ad unum, inquiens, Deum tendentes, „ & ei uni religantes animas noſtras, undè re„ligio dicta creditur, omni ſuperſtitione ca„reamus.] Et S. Bern. in libro de natura, & dignitate amoris divini c. 15. his prorſus verbis: [A religando religio dicitur; quia cùm „ vix aliquid niſi corpora, & corporalia intel„ligamus, corporalibus religamur ſacramen„tis, nè à Deo recedamus.] Eadem Sancto quoque Hieronymo placuit; ſed paulò aliter; nam non tam cum Deo, quàm inter nos religari nos religione voluit. Exponens namque illa verba Amos c. 9. Et faſciculum ſuum ſuper terram fundavit; iſte, inquit, faſciculus una Domini religione conſtrictus eſt. Undè ipſa religio à religando, & in faſcem Domini vinciendo nomen accepit.

Tertia vocis hujus notatio ab eligendo, ſeu religendo fuit Sancti Auguſtini in libro decimo de civit. Dei c. 4. [Hunc eligentes, vel „ potiùs religentes; amiſeramus enim negli„gentes, hunc ergò religentes; undè & reli„gio dicta perhibetur; ad eum dilectione ten„dimus, ut perveniendo quieſcamus; ideò bea„ti, quia illo fine perfecti.] Quare in libro primo retract. cap. 13. priorem commemorans à religando deductionem: in his, ſubjungit, verbis ratio, quæ reddita eſt, undè ſit dicta religio, plus mihi placuit. Nam non me fugit aliam hujus nominis originem expoſuiſſe latini ſermonis auctores; quòd indè ſit appellata religio, quod religat. Quod verbum compoſitum eſt à legendo, id eſt eligendo, ut ita latinum videatur religio, ſicut eligo. A quo enim peccando receſſimus, religioſo cultu religimus, ad eum revertentes, illique adhærentes. Verùm in his mihi non magnoperè laborandum videtur. Undecunque enim dictum fuerit, ac nominata religio, conſtat illius virtus & bonum.

Conſtat & altera illa religionis præceptio; quæ *Religio ſtatus.*

Digitized by Google

quæ certarum perſonarum in Eccesia ſtatum ſignificat; duabus præſertim poſterioribus acceptionibus, à religando, ſeu religendo deductis. Quippè hæ & arctiori ſtatus illius vinculo, votique obligatione religantur cum Deo, & eum religunt, cui novis legibus, majorique cultu, ac cæremonijs famulentur. De quo hominum genere jam dicam.

CAPUT III.

Religioſus ſtatus qualis.

SI universè, & generaliter loquamur, ſtare id dicimus, quod non movetur, eamque rerum conditionem ſignificat, qua res ſua natura mobilis ſtat, & quieſcit. Quare cùm de hominibus eſt ſermo; eam vitæ conditionem oſtendit, cui eſt unuſquiſque adſcriptus. In jure civili tres hominum conditiones memorantur, dum alij ſunt ingenui, alij libertini, alij ſervi. Et apud Romanos erant patricij, equites, & plebeij: triplex omninò hominum conditio, & ſtatus. Ita & in Eccleſia Dei tres nominamus in charitate ſtatus; Incipientium, Proficientium, & Perfectorum; ſtatum virginum, viduarum, & continenter viventium; Statum regularium, clericorum, & laicorum. Statum humanæ naturæ integræ antè peccatum, vitiatæ poſt peccatum; & per Chriſtum reſtauratæ; ac denique ſtatum viatorum, comprehenſorum, & damnatorum. At hæc minùs propriè dicuntur. Nam ſi accuratè loquamur, ſtatus firmitatem ſignificat, permanentiam, immobilitatem, atque obligationem in eo conſiſtendi, quantum in nobis eſt. Atque hoc modo tres ſtatus nominantur; Epiſcoporum, religioſorum, ſeu regularium, & conjugatorum. Epiſcopi divino jure præcipiente; Paſce oves meas, obligationem habent gubernandi commiſſam ſibi Eccleſiam. Et religioſi tribus votis, & illorum ſolemni profeſſione religioni per omnem ſuam vitam obligantur. Ac demùm conjugatorum vinculum eſt divino jure indiſſolubile, ut habes in priore ad Cor. epiſt. capite ſeptimo: Poteſt tamen hæc obligatio interdum ab alio relaxari, & tranſitus ad alium ſtatum concedi. Nam poteſt Epiſcopus Pontifice Summo permittente ad religioſum ſtatum migrare, & religioſus ab una ad aliam religionem tranſire, nec modò arctiorem, ſed etiam Pontifice indulgente laxiorem: & matrimonium non conſumatum per ingreſſum religionis dirimitur.

Status curdictus.

Status civilis triplex.

In Eccleſia triplex.

Statùs mutatio.

Hæ autem omnes obligationes aliqua ſolemnitate firmantur; dum Epiſcopus ſolemni ritu conſecratur, religioſus aut ſolemnibus obligatur votis, aut etiam ex parte ſua ſimplicibus; & conjugium juxtà Eccleſiæ ritum ſolemniter copulatur. Nemo quippè in ſtatu illo cujuſvis reipublicæ ſive ſæcularis, ſive Eccleſiaſticæ, ponitur; niſi qui ſe tradat reipublicæ, reſque publica in numerum illius ſtatus aſcribat. Quod in noſtri quoque ordinis ſimplicibus votis ſervatur; quibus & voventes religioſi ſe tradunt, & eos religio, ſi non in numerum profeſſorum, in corpus certè religionis, ut verum membrum aſcribit, approbante ſcilicet Pontificis autoritate. In his enim rebus permulta alijs, atque alijs temporibus mutata ſunt, & ſubindè mutantur in Eccleſia; nec ſolùm in religioſis ordinibus, ſed & in Epiſcoporum conſecratione, ut ex Sanctis Dionyſio, atque Clemente manifeſtum eſt.

Ergò religionis ſtatus tribus illis votis ſuſtentatur; paupertate, caſtitate, obedientia, quibus & perfectæ charitatis ſtudio vacamus, ſublatis omnibus illius impedimentis, & ijs abjectis, quæ mentem avocant noſtram, Deo perfectè nos conſecramus. Quæ tria debère eſſe voto firmata, ac ſtabilita, tum oſtendit ſtatûs firmitas, & immobilitas; tum confirmat cap. Cùm ad monaſterium, de ſtatu Monachorum. In quo Pontifex Innocentius Tertius de paupertate, & caſtitate ſic aſſerit eſſe annexas huic ſtatui, ut contrà eas nec Summus Pontifex poſſit licentiam indulgêre. Atque ita ſemper in Eccleſia fuiſſe factum in libro de caſtitate demonſtrabitur. Reliqua, quæ in religione fiunt, ad hæc revocantur. Ad paupertatem mendicatio, labor manuum, abjectæ veſtes, parcus cibus, & potus: ad caſtitatem jejunia, vigiliæ & cæteræ corporis caſtigationes; ad obedientiam conciones ad populum, ac cætera charitatis ergà proximos officia.

Religionis vota.

Ex quibus religionem intelligas perfectionis ſtatum eſſe; quippè non ſolùm præceptorum divinorum obſervationem, quâ charitatem Dei cuſtodiat, & proximi; ſed conſilia quoque amplectitur, quibus perfectam obtineat charitatem. Perfectionem autem noſtram in perfectione charitatis poſitam eſſe, nemo ignorat. Quod ſi quis in ſæculo remanens amplectatur, item conſilia paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ, erit is ſanè perfectionis cupidus, ac ſtudioſus; at non in perfectionis ſtatu, quòd certum hoc vitæ inſtitutum firmo, & immobili vinculo non profiteatur. Fieri enim poteſt, ut quis extrà religionem habeat charitatem, & perfectus cenſeatur, nec tamen in ſtatu ſit perfectionis: & poteſt eſſe alius regularis, & religioſus in perfectionis ſtatu, qui tamen non habeat charitatem.

Religio perfectionis ſtatus.

Epiſcopi licèt conſilia non ſectentur, in ſtatu tamen perfectionis eſſe cenſentur, immò magis, quàm religioſi: hi namque perfectionem quærunt, illique comparandæ incumbunt; illi perfectæ vitæ doctores ſunt, & magiſtri; religioſi

Epiſcopi perfectionis doctores.

Digitized by Google

religioſi diſcipuli ſunt, Epiſcopi Doctores; illi diſcunt perfectionem, hi docent; quare illorum ſtatus dicitur eſſe perfectionis acquirendæ, horum docendæ. Et S. Dionyſius Epiſcoporum officium dixit eſſe illuminare cæteros. *Clerici.* Clericos quoque, qui animarum curam habent religioſis perfectiores eſſe credideris, nec defuerunt, qui crederent; nam & ipſi docent, & erudiunt ſibi commiſſam plebem. At hoc non ex ſtatu ſuo habent, ſed velut adminiſtri, & adjutores Epiſcoporum, & in Concilio 4. Toletano cap. 49. & habetur cap. Clerici. 19. q. 1. liber illis permittitur tranſitus ad ſtatum religioſorum, quia meliorem appetunt vitam. Undè Sanctus Anſelmus in epiſtola duodecima libro 3. Goffridum Pariſienſem Epiſcopum ſeriò reprehendit, quòd clericum religionem ingreſſum ab eâ revocâſſet: quod ex ſacris litteris, Gregorio Papa, Toletano Concilio, & rationibus, fieri non debère demonſtrat, & inter cætera: Horrendum, inquit, auditu eſt, ut quod Chriſtus elegit de mundo, Epiſcopus religet in mundo; quod Chriſtus trahit ad portum de procellis, & tempeſtatibus mundi, Epiſcopus retrahat à portu, & exponat multitudini luporum.

CAPUT IV.

Quæ Religio perfectionis majoris.

EA porrò perfectior cenſetur religio, non quæ majorem corporis afflictionem elegit; *Religionis perfectio ex fine, & mediis.* ſed quæ perfectiorem ſibi finem propoſuit, mediaque ad finem obtinendum exhibuit meliora. Perfectionis enim menſura eſt charitas, tum Dei, tum proximi; & quoniam charitas, & perfectio ſumma, & omnium maxima fuit in Chriſto, virtutum omnium, & perfectionum exemplari primario; quò magis quæque religio ad Chriſti vitæ, ac perfectionis imitationem acceſſerit, eò ſanè perfectior fuerit; quare cùm triplex vitæ genus eſſe poſſit; unum in actione poſitum, aliud in contemplatione; tertium ex actione, & contemplatione mixtum. Primum eſt bonum, alterum melius, tertium omnium perfectiſſimum, quod & elegit Chriſtus Dominus, & *Vita mixta perfectiſſima.* imitati Apoſtoli ſunt. Mariæ contemplationem prætulit Dominus actioni Marthæ, Luc. 10. Sed quis dubitet Mariæ Chriſtum præponere? Sanè miſta hæc vita, & contemplationis, & actionis bonum complectitur; eſtque majoris charitatis proximorum quoque ſalutem docendo procurare; quàm ſibi ſoli vacare. Et Matth. 5. dicitur; Qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.

Sanctus Baſilius in regulis fuſiùs diſput. q. 7. multò meliorem cœnobiticam eſſe vitam, quàm ſolitariam, & Eremiticàm, multis perſequitur; & poſt eum S. Bernardus epiſt. 115. ad Sanctimonialem quamdam. Abbas Ioannes apud Caſſianum collat. 19. poſt triginta annos in cœnobij congregatione exactos, alios viginti in ſolitudine vixit, poſt quos ad priorem cœnobiticam cum alijs vitam redijt: quod cùm cæteri mirarentur, magnoperè quidem ille Anachoriticam vitam commendavit, ſed omninò cœnobiticam præferendam eſſe contendit; & apud Theodoretum in Sanctorum Patrum hiſtoria cap. 5. Publius narratur ſeriò, ac multis hortatus Monachos ſolitarios ad ſocialem, ac cœnobiticam vitam, ingentes illius utilitates commemorans: & Sanctus Joannes Chryſoſtomus in argumento ad Pauli epiſtolam ad Philemonem, monachos cupiebat plurimùm ſolitudine relicta ad inhabitandas civitates deſcendere. Ego tamen cum religioſorum in congregatione viventium duplicem videam conditionem; aliosque in operibus vitæ activæ penitùs occupari; alios docère quoque populum, & Chriſti fidem, ac religionem propagare: hos poſteriores anachoretis, & ſolitarijs contemplatoribus facilè antepono, ſed illorum contemplationem priorum actioni præferendam eſſe non dubito: quemadmodùm à Chriſto judice actioni Marthæ contemplatio Mariæ fuit prælata. Nam ut qui hæc duo conjungit, omnibus antefertur; ita ſi ſeorſim, ac ſimpliciter accipiantur, is qui contemplationem eligit, ei qui actioni ſoli vacat, anteponendus eſt. Et hæc quidem de propoſita ſibi vitæ ratione.

Quod autem attinet ad vota; in caſtitate quidem nullam ego differentiam agnoſco. *Veterum differentia, Caſtitatis Paupertatis.* Omnes enim religiones ſummam animi, & corporis puritatem debent procurare.

In paupertate, nulli permittitur quidquam proprium poſſidere; cap. Cùm ad monaſterium; de ſtatu Monachorum. Sed in communi religiones aliquæ poſſident, & multa interdum bona; aliæ nec in communi quidem quidquam habère volunt. Quæ non proptereà majoris perfectionis eſſe exiſtimantur; quoniam aliundè judicandam perfectionem eſſe jam diximus. Extat autem Joannis XXII. extravagans; Quia quorundam, de verborum ſignificat. In qua declaratur altiſſimæ paupertati nihil derogare poſſeſſionem bonorum in communi. Quippè & Dominus dicitur loculos habuiſſe, in quibus ea, quæ mittebantur, portabat Judas; & Diſcipuli Joan. 4. dicuntur in civitatem abijſſe, ut emerent cibos, & capite 6. dixit Philippo Chriſtus; Undè ememus panes, ut manducent hi; & cap. 13. quando dixit Judæ; Quod facis, fac citiùs; putárunt quidam fuiſſe dictum, quia loculos habebat: Eme ea, quæ opus ſunt ad diem feſtum, aut egenis ut aliquid daret. Negari

tamen

Digitized by Google

tamen non poteſt, majorem eſſe paupertatem, nè in communi quidem nihil habêre. Sed Chriſti paupertatem altiſſimam, & perfectiſſimam fuiſſe non negabis; & poſt eum Sanctiſſimi viri Auguſtinus, Benedictuſque religioſorum Ordinum inſtitutores; poſſeſſionem bonorum in communi permiſerunt; Quoniam non ex hoc capite, ſed ex fine religionis perfectio petitur; propter quem religio aliquid in communi poſſidens poteſt eſſe alia perfectior, quæ nihil omninò poſſideat: neque propter arctiorem paupertatem æquum erat perfectiorem illum finem impedire. Idem de aſperiori veſtitu, ac cæteris, quæ ad paupertatem pertinent, ſentiendum eſt.

Obedientia. De obedientia verò, quæ præcipuum eſt religionis votum, manifeſtum eſt, quò ea perfectior fuerit, eò perfectiorem hac quoque ex parte religionem fore. Sed de illa pòſt pluribus agendum erit.

CAPUT V.

De Religionùm origine, earumque confirmatione.

Monachiſmi antiquitas. QUI Monachorum, ac religioſorum vitam à Sancto Baſilio principium, & originem habuiſſe dixerunt, aut malè adverſùs hunc perfectionis ſtatum affecti fuêre, aut penitùs antiquitatis omnis ignari. Nam & in veteri lege non defuit ſtatûs hujuſce adumbratio quædam in Elia, & Eliſæo habitantibus in Carmelo, & in Prophetarum choris, veluti monachorum conventibus; & poſtremò in Joanne Baptiſta in deſertum, vel à teneris annis ſecedente, & in Chriſto Domino tum adumbratio, dum quadraginta diebus, & noctibus grandi jam ætate commoratus jejunans eſt; tum exhibitio, & inſtitutio, cùm Matthæi capite octavo; Veni, dixit, ſequere me, & dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos; & capite decimo; Nolite poſſidêre aurum, neque argentum; & capite decimo nono; Sunt eunuchi, qui ſeipſos caſtravêrunt propter regnum cœlorum, & rurſum; Si vis perfectus eſſe, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & ſequere me. Et Lucæ nono; Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum; & capite decimo quarto: Niſi quis renuntiaverit omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Et mox in Ægypto ſub Marco Evangeliſta plurimi vixerunt monachi; & in libro, quòd omnis probus liber, in Paleſtina, & Syria circiter quatuor millia Eſſæorum numerat Philo, quorum vitam & mores, tum eo loco deſcribit, tum in libro de vita contemplativa; & libro de ſtatu Eſſæorum; [Anaxagoram, inquit, & Democritum celebrant Græci, quod præ amore philoſophiæ prædia ſua pecori compaſcere reliquerint: at quantò præſtantiores, qui non pecoribus ſuas poſſeſſiones depaſcendas permiſerunt, ſed impenderunt ad ſublevandam egeſtatem hominum?] Et Sanctus Dionyſius in libro de Eccleſiaſtica Hierar. capite ſexto non ſolùm eorum meminit; ſed conſecrationem quoque, tonſuram, veſtiſque mutationem commemorat; qui & Therapeutæ dicebantur, & monachi; à puro ſcilicet Dei famulatu & cultu, individuaque ac ſingulari vita, quæ eos ad divinam unionem, Deoque gratam perfectionem ducit. Ideòque eos ad Eccleſiaſticam voluit Hierarchiam, velut qui perficiuntur, pertinêre; nec inter eos, qui initiantur, medij, ſed omnium ſupremi ordinis eſſe. Extat tamen epiſtola ejus octava ad Demophilum Monachum; in qua Monachos ſcribit non fuiſſe admiſſos in Sancta Sanctorum; quod eorum ordo ad populum propiùs, quàm ad Eccleſiaſtici ordinis homines accederet: Demophilumque reprehendit, qui cum eſſet monachus, in adyta, & Sancta Sanctorum eſſet ingreſſus; ut indè ſacerdotem eijceret. Monachi namque eo tempore miniſtri appellabantur, & ad portas templi jubebantur aſſiſtere, & ab ipſo miniſter fuerat ordinatus Demophilus; quod in ipſius vita Michaël Syngellus adnotavit. Sed nunc ſatis eſt nobis; quod antiquitas conſtat monachatûs, duplicemque jam eo tempore habes fuiſſe monachorum Ordinem; alterum eorum, qui ſolitarij; alterum eorum qui cum reliquis populis victitarent. *Duplex Monachorum Ordo.* Apoſtoli eundem videntur ſecuti ſtatum; quippè ſi ſtatus inſtitutio fuit, dicente Chriſto; Vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & ſequere me; eorum omnium nomine dixit Petrus; *Matth. 19.* Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te, quid ergò erit nobis? quod voto illos confirmâſſe, affirmat Sanctus Auguſtinus libro decimo ſeptimo de civitate Dei capite quarto.

Poſt ea tempora fuerunt Paulus, Antonius, Macharius, Malchus, & alij plurimi Eremitæ, in Ægypto præſertim: de quibus Hieronymus, Athanaſius, Theodoretus, Dorotheus, Palladius, & alij. *Paulus primus Eremita.* Quare ſi Paulus primus Eremita dicatur; non dicitur primus monachus, ſed primus deſertorum, atque incultorum locorum cultor; alioqui monaſtica & anachoretica vita poteſt ubique eſſe, & omni tempore fuit.

Atenim hos omnes antè Baſilium contendunt adverſarij nullis aſtrictos fuiſſe votis, vixiſſe liberos; etſi ab inſtituto placuiſſet recedere, ſolâ inconſtantiâ fuiſſe notatos. De hoc pòſt ſuo dicam loco, ubi de caſtitate diſſeram, oſtendamque horum quoque votorum originem ad Chriſtum, & Apoſtolos pertinêre, & ea ſemper in Eccleſia floruiſſe. Nunc agamus, quod agimus, vitæque monaſticæ, ac

religioſæ

Digitized by Google

religioſæ principium quærentes, nullum inveniemus, ſive in viris, ſive in fœminis: quæ verò in Eccleſia primum autorem non habent, conſtat ad Apoſtolos, & Chriſtum eſſe revocanda. Baſilio fortaſſe concedas, quòd monachos à ſolitudine primus ad civitates deduxerit, ibique cœnobia, & monaſteria extruxerit, & leges conſtituerit, in Græcia præſertim. At quod fuerit primus vitæ monaſticæ, monaſticorumve votorum autor: non item.

Baſilio quid tribuendum.

Religionum confirmatio.

Chriſti ergò, atque Apoſtolorum inſtitutione, cœpit primùm monaſtica & religioſa vita; uſuque tantùm, & conſuetudine probabatur; nulla pontificia confirmatio requirebatur: ſolius Epiſcopi ſaltem non contradicentis ſatis erat autoritas. Ita regulæ Baſilij, Auguſtini & Benedicti, uſu primùm fuerunt receptæ non à Pontifice ullo approbatæ. Pòſt verò propter Valdenſes hæreticos, qui pauperes de Lugduno dicebantur, & monaſticum quoddam inſtitutum moliebantur, cautum eſt in Lateranenſi Concilio ſub Innocentio III. cap. 13. & habetur cap. Nè nimia, de religioſis domibus, in decretalibus Gregorij, nè quis de cætero novam religionem inveniret; ſed quicumque ad religionem converti vellet, unam de approbatis aſſumeret. Itaque Sancti Dominicus, & Franciſcus eo tempore religiones novas introducturi confirmationem ab Innocentio eodem petierunt: & Carmelitani ex Oriente in Occidentem venientes confirmari ab Innocentio quarto voluerunt. Et rurſum in Conſilio Lugdunenſi Gregorius X. & habetur cap. Religionum, de religioſis domibus in 6. Lateranenſe decretum confirmavit, ac renovavit; religioneſque poſt dictum Concilium abſque Sedis Apoſtolicæ approbatione introductas extinxit.

Religio cum votis ſimplicibus.

An verò approbari poſſit religio, quæ ſolis ſimplicibus conſtaret votis; non magnoperè hoc tempore diſputandum eſt. Nam etſi communi, & antiquo jure ſolemne votum requireretur, ut quis religioſus dici poſſet; c. Religioſo, de ſententia excom. in 6. §. quamvis; atque ita veteres auctores ſemper locuti ſunt: novo tamen jure conſtat, ſimplicia vota poſſe ſufficere, ut homo religioſus dicatur. Quippè in Bulla Gregorij Decimi tertij edita anno milleſimo quingenteſimo octuageſimo ſecundo, quæ incipit: Quantò fructuoſius, & in conſtitutione, de nova inſtituti Ordinis noſtri confirmatione edita anno milleſimo quingenteſimo octuageſimo quarto, quæ incipit, Aſcendente Domino, declaratum eſt; eos, qui tria ſimplicia vota emiſerint, verè, & propriè religioſos eſſe, atque ad contrahendum matrimonium inhabiles, etſi vocationem ſuam deſerant excommunicationi, & alijs apoſtatarum pœnis eſſe ſubjectos. Quantum enim in ipſis eſt, permanêre per omnem vitam tenentur, eamque ſtabilitatem habent, quam religionis deſiderat ſtatus; etſi ſolemni voto non ſit firmata, etenim hæc ad jus poſitivum & Eccleſiaſticum pertinent; quod ad bonam Eccleſiæ gubernationem neceſſarium cùm eſſet, univerſali illius paſtori reliquit Chriſtus in terris; cùm Petro dixit; Paſce oves meas. Quocircà etſi Sanctus Thomas jus commune, & antiquum ſecutus, votum ſolemne voluerit religioſo ſtatui, atque appellationi neceſſarium eſſe; illius tamen commentator Cajetanus in ſecunda ſecundæ quæſt. 88. art. 7. fatetur, poſſe religioſum ſtatum ſimplici voto conſtare; ſecundam enim opinionem, quæ ſolemnitatem voti aſſerebat conſiſtere in exhibitione ſui, votum autem ſimplex ſolam habêre promiſſionem, hoc argumento confutat; quoniam mutatio, inquit, ſtatûs, mancipando hominem ad divinum cultum, & religioſa opera, ſtare poteſt cum voto ſimplici; ut patet, ſi Eccleſia inſtitueret, ut in ſacro ordine, & religione aliqua votum ſimplex fieret. Hoc in Ordine noſtro jam factum eſt, in quo non ſolùm profeſſos, ſed ſimplicia quoque emittentes vota declaratum eſt eſſe verè, & propriè religioſos; eodemque jure poſſet alia religio inſtitui, & approbari; quæ ſolis ſimplicibus, nullis ſolemnibus, votis conſtaret. Et Navarrus in commentario primo de regularibus, editionis ſecundæ, noſtros, qui poſt probationis biennium tria emittunt ſimplicia vota, verè & propriè religioſos eſſe confirmat; retractans ſcilicet, quod in prima editione docuerat.

Voti ſolemnitas.

Sanè in cap. Quod votum, de voto, & voti redemp. ſolemnitatem voti ex ſola Eccleſiæ inſtitutione inventam fuiſſe tradit Pontifex Bonifacius VIII. At religionis ſtatus non Eccleſiæ inſtitutum eſt, ſed Chriſti, & Apoſtolorum, quo tempore ſolemnitas voti non erat; Poteſt igitur abſque ſolemnitate conſtare. Votum namque religionis ſimplex duobus modis fieri poteſt; aut de futuro, aut de præſenti; ſi de futuro fiat, ſimplex eſt promiſſio, ſi de præſenti, non promiſſio eſt, ſed aſſumptio ſtatûs, & ſui ipſius traditio, quà ſtatus religionis verè, ac propriè aſſumitur, dum in approbata religione ſub uno capite emittuntur ſecundùm regulam, & conſtitutiones illius, peracto probationis tempore, & ut ille ſe tradit religioni, ſic religio ſuſcipit illum, & adſcribit in numerum ſuorum, & in corpus religionis velut membrum, & partem ſui; acquiritque jus ad illum regendum, & caſtigandum: quia eſt votum de præſenti, non promiſſio de futuro.

Votum ſimplex.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT VI.

De Religioſi ſtatûs bono.

MIRUM quàm multa de hoc capite veteres dixerint Patres. Plurima collegit, tribuſque libris diligenter, & eruditè propoſuit noſtri ordinis homo Hieronymus Platus, adjungam & ego nonnulla.

Populus Iudaicus, & Chriſtianus.

Tertull. in 3. adverſùs Marcionem lib. cap. 24. in Jacob, & Eſau, Chriſtianum populum, atque Judaicum conſiderans: benedictionem, quam Jacob. Gen. 27. à morituro Patre Iſaâc accepit; Det tibi Deus de rore cœli,& de pinguedine terræ; cœleſtia primùm, deindè terrena; benedictionem, ait, fuiſſe poſterioris, & prælatioris populi, hoc eſt, Chriſtiani: benedictionem autem Eſau; In pinguedine terræ, & in rore cœli deſuper erit benedictio tua, fuiſſe benedictionem Judæorum à terrenis bonis imbutam per legem, poſteà per Evangelium ad cœleſtia deductam. Dixerim &

Sæculares & religioſi.

ego, poſteriorem hanc benedictionem eorum eſſe hominum, qui viventes in ſæculo terrenis hinniant, & potiuntur bonis, quibus ſi benè; & ex lege Dei, & charitate utantur, cœleſtia quoque conſequantur: priorem verò religioſorum, velut prælatioris populi, qui cùm à ſæculo avelluntur, invitantur, ac trahuntur ad cœleſtia, & tamen terrena item poſteà inveniunt, abſque ſolicitudine, & moleſtia in religione ſuſtentati. Quod ſi aliqua amiſerunt hujus vitæ gaudia, jacturamque fecerunt eorum, quæ poſſidebant, negotiatio eſt, inquit idem in libro ad martyres capite ſecundo aliquid amittere, ut majora lucreris, & cap. 3. ,, [Vocati ſumus ad militiam Dei; nemoque ,, miles ad bellum cum delicijs venit, nec de ,, cubiculo ad aciem procedit; ſed de papilio- ,, nibus expeditis, & ſubſtrictis, ubi omnis ,, duritia, & imbonitas, & inſuavitas conſti- ,, tit. Nempè & athletæ ſegregantur ad ſtri- ,, ctiorem diſciplinam, ut robori ædificando ,, vacent: Quantò enim plus in exercitatio- ,, nibus laboraverint, tantò plus de victoria ,, ſperant.]

Vitæ mutatio.

Difficilis ſanè hæc vitæ mutatio, ſi ſenſum conſulas, & difficilis aliquando viſa eſt Sanctis Cypriano, & Auguſtino, ut ipſimet fatentur; alter in ep. ad Donatum, quæ 2. eſt libri 2. alter in ſuis confeſſionibus. At ſi Dei gratiam ſpectes; facilis, & jucunda. Nec omnes modò difficultates valet homo ſuperare, ſed fortis, & terribilis hoſtibus evadit ſuis. [Quantus hic animi potentatus eſt, ait ,, Cypr. quanta vis eſt; non tantùm ipſum eſ- ,, ſe ſubtractum pernicioſis contractibus mun- ,, di, ut expiatus, & purus nulla incurſantis ,, inimici labe capiatur! Sed adhuc majorem, ,, & fortiorem viribus fieri; út omnem adver- ,, ſarij graſſantis exercitum imperioſo jure do- ,, minetur?] Illuſtrat hoc hominis exemplo, qui in alti montis vertice poſitus, itinera indè latronibus clauſa, maria obſeſſa prædonibus, bella cruenta ubiquè ac reliqua ſpeculetur mala, à quibus ſe liberum gratuletur. Quod apud Sanctum Joannem quoque Chryſoſtomum reperies in tertio libro adverſùs vituperatores vitæ monaſt. [Reliquis, ait, procella, ,, & fluctibus in mare jactatis, religioſi ſoli in ,, tranquillo, & portu & ſecuritate ſumma in ,, monaſterijs reſidentes, veluti ex cœlo ipſo, ,, cæterorum naufragia proſpectant.] Sanctus Bernardus ſermone 60. in Cant. audiens illa verba; Vineæ florentes dederunt odorem ſuum, novitijs gratulatur ſuis. [Vitis, inquit, odor ,, ſerpentes fugat; & floreſcentibus vineis om- ,, ne reptile venenatum cedit loco, nec novo- ,, rum fert odorem florum. Cogitent novitij ,, noſtri qualem ſpiritum acceperint,cujus pri- ,, mitias dæmones non ſuſtinent. Si ſic novi- ,, tius fervor; quid erit abſoluta perfectio?] Et Sanctus Hilarius in comment. Pſal. 140. orante Propheta; Cuſtodi me à laqueo, quem ſtatuerunt mihi, & à ſcandalis operantium iniquitatem; totum mundum ratiocinatur plenum eſſe laqueis, & ſcandalis; non ſolùm à dæmonibus, ſed & à malis, perverſis hominibus. Cadent in retiaculo ejus peccatores, homines ſcilicet, qui in mundo vivunt. Singulariter ſum ego donec tranſeam; hoc eſt homo Deo deditus; ac religioſus, nullis ſæculi negotijs implicatus: hic liber evadet laqueos, retiacula, & ſcandala. Judæos notat Sanctus Chryſoſtomus homilia 60. in Joannem, abductos ab Ægyptijs in eremum ductos, ut ibi fingerentur, & erudirentur. Navis enim tempeſtatibus non agitata, ſecundo navigat vento, & anima ſæcularibus abſoluta negotijs in portu quieſcit: ita Jacob domi habitans, atque exterioribus occupationibus abſolutus, ſapientior fuit: & mulieres familiari incumbentes curæ,ſapientiores viris, ait, eſſe oportêre. Sanctus Bernardus in ſermone de tribus ordinibus Eccleſiæ, ſæculares, & conjugatos ait mare magnum, & periculoſum vado tranſire, longumque habêre iter. Quare & tam multi pereunt: continentes autem, & religioſos per pontem tranſire; quod iter brevius, facilius, & ſecurius eſt. Hic pons tribus compactus eſt lignis; tribus ſcilicit votis, paupertatis, caſtitatis & obedientiæ: Anguſtus pons, in quo tria cavenda ſint; nè aut æquare ſe alteri, aut reſpicere retrò, aut in medio ponte ſtare quis velit. Nihil enim horum patitur pontis anguſtia, & arcta via, quæ ducit ad vitam. Auguſtini eadem fermè ſententia in ſermone trigeſimo nono ad fratres in eremo. Et Hierocles in illud Pythagoræ: In primis vene-

Religionis vota.

rare

Digitized by Google

ſare Deos, &c. ſæcularium vitam ſcripſit perſimilem eſſe cilindri motui, qui partim rectus eſt, partim circularis; dum aliquid boni interdum faciunt, majori verò ex parte ab eo declinant: Religioſi hominis motus eſt rectus, dum totus in Deum tendit. Corallium, inquit Sanctus Ambroſius libro quinto exam. cap. 11. in mari herba eſt, ſi in aerem transferatur, in lapidis firmitatem ſolidatur; & homo in hujus ſæculi mari herba mollis, & abjecta; ſi ad religioſum transferatur ſtatum, & charitate rubeſcit, & ad virtutem omnem firmatur. Religionem in hoc mundo eſſe velut caſtellum, & arcem in civitate, in quam ſi hoſtes irrumpant, abſque magna difficultate diripiunt quidquid eſt extrà caſtellum, & arcem, at quæ intrà hunc locum continentur, òmninò ſine læſione ſunt. Scitè S. Anſelmus in libro de ſimilit. cap. 76. [In monachatu, ait, firmitas ,, eſt tanta, ut ſi quis illuc confugiens, monachus effectus fuerit, niſi indè pœnitendo recedierit, à diabolo lædi non poſſit.] Et cap. 185. & 186. duas viſiones commemorat, quibus in extaſi extrà ſe raptus, altera mundum vidit velut torrentem, in quem ſpurcitiæ omnes confluebant, eoque rapiebantur, & vivebant omnes illum amantes: altera magnum clauſtrum puriſſimo obductum argento, & omni abundans jucunditate, quod religionis locum ſignificabat. Et appoſitè Sanctus Bernardus in ſermone de virginibus, monaſterium voluit eſſe parvam illam civitatem, in quam Loth à Sodomæ incendio ſalvatus eſt, Gen. cap. 19. Et in ſerm. 1. de Sancto Andrea, diabolum ratiocinatur, callidiſſimum hominum venatorem, omnes jaculis malæ ſuggeſtionis appetere, & laqueis voluptatum irretire quamplurimos: nihil tamen in eo proficere, quem crux Chriſti delectat. Planè altiſsimum poſuit refugium ſuum, ubi nec muſcipula inimici timenda eſt, nec ſagitta. Paradiſum, tutiſsimum ſcilicet, & amœniſsimum locum, appellat Sanctus Anſelmus in epiſt. 137. libri tertij ad Turoldum monachum his verbis: [In viam ,, paradiſi vos direxit divina clementia: immò ,, in quendam paradiſum hujus vitæ vos introduxit, cùm vos in clauſtralem converſationem introduxit.] Et Sanctus Bernardus etſi in ſermone citato clauſuram religionis conſiderans, ſtagnis monaſteria comparârit, ubi quodammodò incarcerati piſces evagandi non habent libertatem, quo parati ſint ſemper ad epulas ſpirituales, dicentes intrà ſe: Expecto donec veniat immutatio mea; in ſermone tamen primo de dedicatione Eccleſiæ ad hunc modum ſuos affatur monachos: [Experti eſtis, ,, & ſcitis, quia verè crux noſtra inuncta eſt, ,, per gratiam ſpiritûs adjuvantis, ſuavis, & ,, delectabilis eſt pœnitentia noſtra, & amaritudo noſtra dulciſſima.] Et ſermone ſexto; in paradiſo quoque primum Adam commemorat fuiſſe poſitum, ut operaretur, & cuſtodiret illum, & ſecundùm Adam in Eccleſia Sanctorum, & congregatione ſuorum, in horto deliciarum, ut operetur, & cuſtodiat eam. Et in tractatu de vita ſolitaria, in cœlis, & regularium cellis pulchrè jocatur: [In ,, cœlis, inquit, potius, quàm in cellis: excluſo à vobis toto ſæculo, totos vos incluſiſtis ,, cum Deo. Cellæ ſiquidem, & cœli habitatio cognatæ ſunt & nomine, & pietate, quod ,, celatur in cœlis, hoc eſt in cellis, quod geritur in cœlis, hoc & in cellis. Quid hoc? ,, vacare Deo, frui Deo; quod cùm piè & ,, fideliter celebratur, Sancti Angeli Dei cellas habent pro cœlis, & æquè delectantur ,, in cellis, ac in cœlis. Et quæ ſequuntur.] Et iterùm proferens illud ex Pſalmo 54. Deſcendant in infernum viventes. Hoc modo ait: ,, [Sæpè cellarum incolæ in infernum deſcendunt. Sicut enim aſſiduè contemplando reviſere amant gaudia cœleſtia, ut ardentiùs ,, ea appetant, ſic & dolores inferni, ùt horreant, & refugiant. Moriens autem vix ,, aut numquam aliquis è cella in infernum ,, deſcendit, quia vix unquam aliquis niſi cœlo prædeſtinatus, in ea uſque ad mortem ,, perſiſtit. Filium autem gratiæ fructum ventris ſui cella fovet, nutrit, amplectitur, & ,, ad plenitudinem perfectionis perducit, & ,, colloquio Dei dignum efficit: alienum verò, ,, & ſuppoſitum abdicat à ſe citiùs, & projicit. ,, Dixit Dominus ad Moyſen Exod. 3. Solve ,, calceamenta pedum tuorum: locus enim in ,, quo ſtas, terra ſancta eſt. Morticinum mortuarum affectionum, vel hominem mortuum à corde, locus ſanctus non diu patitur. ,, Cella terra ſancta, & locus ſanctus eſt, in qua ,, Dominus, & ſervus ejus ſæpè colloquuntur, ,, ſicut vir ad amicum ſuum. In qua crebro ,, fidelis anima verbo Dei conjungitur, ſponſa ,, ſponſo ſociatur, terrenis cœleſtia, humanis ,, divina uniuntur.] Et ſerm. de quinque negotiationibus, & quinque regionibus: [Verè clauſtrum eſt paradiſus, regio vallo diſciplinæ munita, in qua pretioſarum eſt mercium fertilitas. Glorioſa res, homines unius ,, moris habitare in domo. Videas illum peccata ſua deflentem, alium in Dei laudibus exultantem, hunc hominibus miniſtrantem, illum alios erudientem, hunc orantem, illum ,, legentem: Caſtra Dei ſunt hæc.] Eadem repetit, & in ſerm. de Sancto Nicolao. Et S. Joan. Chryſ. h. 57. ad populum, monachos cœlorum cives, terræ hoſpites; ſæculares contrà, terræ cives, cœlorum hoſpites dicit. Exclamat etiam Sanctus Ambroſius in ep. ad Vercellenſem Eccleſiam; [Qualis hæc vita, in qua nihil ſit, quod timeas, & plurimum quod imiteris. Jejunij labor compenſatur mentis pla-

„ ciditate, levatur uſu, ſuſtentatur otio, aut
„ fallitur negotio, non oneratur mundi ſolici-
„ tudine, non occupatur alienis moleſtijs, non
„ urgetur urbanis diſcurſibus.] S. Greg. Papa
libro 18. moral. cap. 25. dum ſæcularium ho-
minum vitam velut mare demonſtrat eſſe, re-
ligioſorum quietem miratur plurimùm. [Quid
„ enim maris nomine, niſi ſæcularium men-
„ tium amaritudo, & inquietudo ſignificatur?
„ qui dum ſe viciſſim inimicitijs impetunt,
„ quaſi adverſantes ſe undæ collidunt. Rectè
„ mare vita ſæcularium dicitur, quia dum pro-
„ celloſis actionum motibus concitatur, ab in-
„ ternæ ſapientiæ quiete, atque ſtabilitate diſ-
„ jungitur. Quid laborioſius, quàm terrenis
„ deſiderijs æſtuare? Quid hìc quietius, quàm
„ hujus ſæculi nihil appetere? Hinc Iſraeliti-
„ cus populus cuſtodiam, ſabbathi accepit in
„ munere; & Ægyptus eſt multitudine muſ-
„ carum percuſſa. Qui enim Deum ſequitur,
„ accipit ſabbathum, id eſt quietem mentis; Æ-
„ gyptus verò, quæ hujus mundi ſpeciem tenet,
„ muſcis percutitur.] Muſca enim nimis inſo-
lens, & inquietum animal eſt. S. Bern. ſerm. 4.
in vigil. nativit. Domini, verbis Pauli ad Co-
loſſ. 1. monachos ſuos alloquitur; Gaudete in
Dominò ſemper; iterùm dico; Gaudete:
„ [Gaudete de exhibitione; iterùm Gaudete
„ de promiſſione: quoniam & res plena gau-
„ dio, & ſpes plena gaudio eſt. Gaudete quia
„ jam percepiſtis dona ſiniſtræ; Gaudete, quia
„ expectatis præmia dextræ. Læva ejus ſub
„ capite meo, & dextera illius amplexabitur
„ me, Cant. 2.] Et ſer. 46. in Cant. dum le-
ctulus ſponſæ floridus appellatur c. 1. lectum,
in quo quieſcitur, religioſorum clauſtra, &
monaſteria intelligit, in quibus quietè à cu-
ris vivitur ſæculi, & ſolicitudinibus vitæ. At-
que is lectus floridus demonſtratur, cùm ex-
emplis, & inſtitutis Patrum, tanquam qui-
buſdam benè olentibus reſperſa floribus, fra-
trum converſatio, & vita refulget. Et cùm
diceret Pſalmiſta in Pſalmo 84. Quàm dilecta
tabernacula tua Domine virtutum! Etenim
paſſer invenit ſibi domum, & turtur nidum,
ubi reponat pullos ſuos; ille in tractatu de vi-
ta ſolitaria, tabernacula Dei religioſorum do-
mos, paſſereſque ac turtures, juvenes religio-
ſos, ac maturos interpretatur: Quorum illi
ab omnibus vitijs quietem inveniunt; & hi ſe-
cretiorem receſſum conſcientiæ, ubi nutri-
ant ſanctarum affectionum fructus, & ſpiri-
tuales ſenſus contemplationis. Et Sanctus Joan.
Chryſ. hom. 56. ad populum; monachorum
vitam, quæ crucifixorum eſt, & gravis eſſe
putatur, & oneroſa; ſæcularium vita, quæ
facilis, & mollior eſſe videtur, multò dulcio-
rem, atque appetibiliorem eſſe contendit: tan-
tumque inter utramque intereſſe, quantum in-
ter portum, & pelagus, inter Adamum in
ſtatu innocentiæ collocatum in paradiſo, &
eundem è Paradiſo ejectum. Sed quod hìc
S. Pater affirmavit; monachos eſſe velut cru- *Religioſos*
cifixos, illorumque & crucifixorum vitam eſſe *velut cru-*
perſimilem; confirmat illud Apoſtoli in epiſt. *cifixos.*
ad Gal. cap. 6. Mihi mundus crucifixus eſt, &
ego mundo. Abrenuntiatio quippè, quam re-
ligioſus profitetur; ut apud Caſſianum in li-
bro de inſtitutis renuntiantium cap. 34. docuit
Abbas Pymphius, nihil eſt aliud, quàm crucis,
ac mortificationis indicium: & quo die quis
religionem ingreditur, crucifigitur, & mo-
ritur mundo, veraque illius idea, cui vitam
omnem ſuam debet conformare, eſt crucifixus.
Sic enim ille monachum inſtruxit, quem ad
ſuum admiſit monaſterium.
Atque à cæteris Patribus religioſa vita mar- *Religio*
tyrium quoddam eſſe affirmatur: ſic enim *martyrium.*
prodidit Sanctus Joan. Damaſcenus in hiſtoria
Barlaäm c. 12. & S. Hieron. & S. Bern. ſer. 2.
de Sancto Victore Confeſſore. Immò Damaſ-
cenus duas ob cauſas homines putavit ad hoc
vitæ genus impulſos, alteram, ut vitioſarum
affectionum materias non cernentes, earum cu-
piditates radicitùs evellerent ex animis, alte-
ram, ut per afflictionem corpus conficerent,
animoque & voluntate martyres fierent, mar-
tyrij gloriâ non carerent: quare in cap. 14.
religioſos affirmat nihilo martyribus inferiores
eſſe. Et Sanctus Gregorius Papa hom. 35. in
Evangelia; duplex agnoſcit martyrium, unum
in aperto opere, alterum in occulta cogitati-
one, & mente per patientiam, & tolerantiam,
tum injuriarum, tum aliarum mortificatio-
num, ſive corporis, ſive animi. Et Sanctus
Auguſtinus ſerm. 250. de tempore: [Habet
„ & pax noſtra martyres ſuos; nam iracundi-
„ am mitigare, libidinem fugere, juſtitiam
„ cuſtodire, avaritiam contemnere, ſuperbiam
„ humiliare, pars magna martyrij eſt.] Et in-
frà: [In his malis quotidiana Chriſtianis mar-
„ tyria deeſſe non poſſunt. Qui enim eis in-
„ ſidiatur, perſecutor eſt; & qui & alios de-
„ fendere, & ſe cuſtodire voluerit, martyr erit.]
S. Bern. in ſerm. 1. in feſto omnium Sancto-
rum, obſervat in prima, & octava beatitu-
dine voluntarijs pauperibus, & martyribus
idem promiſſum præmium; quia verè mar-
tyrij genus paupertas voluntaria eſt. Caſtita-
tem quoque præſertim in juventute comme-
morat in parvis ſententijs. Et S. Hieronymus
in epiſt. ad Demetriadem c. 2. [Habet & pu-
„ dicitia ſervata martyrium ſuum.] Et de obe-
dientia eſt illud Sancti Gregorij Papæ in 35.
libro moral. cap. 10. [Obedientia victimis
„ præponitur; quia per victimas aliena caro,
„ per obedientiam voluntas propria mactatur,
„ dum antè Dei oculos repreſſa arbitrij ſui ſu-
„ perbia gladio præcepti ſe immolat.] Et hom.
12. in Ezechielem, religioſos holocauſtum,
cæteros

Digitized by Google

cæteros ſacrificium, non holocauſtum, Deo affirmat offerre: ac demùm propter totius vitæ mortificationem, Sanctos Confeſſores longa, & multimoda traxiſſe martyria, dixit S. Bernardus in ſerm. de S. Benedicto; & in ſer. 1. in octava Paſchæ, hæc illius fuêre verba; „ [Eſt & martyrij genus, & quædam effuſio „ ſanguinis, in quotidiana corporis afflictio- „ ne. Sic quippè infirmis, & puſillis corde ne- „ ceſſe eſt, ùt quem ſemel pro Chriſto ponere „ non ſufficiunt, ſaltem mitiori quodam, ſed „ diuturniori martyrio ſanguinem fundant.] Et ſerm. 30. in Cant. cùm dixiſſet Chriſtus; Qui amat animam ſuam, perdet eam; [Sive, „ inquit, ponendo, ut martyr, ſive affligendo, „ ut pœnitens. Genus enim martyrij eſt, ſpi- „ ritu facta carnis mortificare; illo nimirùm, „ quo membra cæduntur ferro, horrore qui- „ dem mitiùs, ſed diuturnitate moleſtius.] Ita S. Athanaſius Antonium ſcribit Alexandriam profectum martyrij cupidum, cùm aſſequi non poſſet, ad ſuum rediiſſe monaſterium, ad quotidianum ſcilicet martyrium. Et Sanctus Hieronymus in Epitaphio Paulæ ad Euſtochium c. 14. Paulam ſcripſit longo martyrio coronatam. Et Jo. Climacus gradu 4. de monachorum differens mortificatione, & obedientia: [Hic cum martyribus, inquit, tripudia- „ bit, & Angelis parem confidentiam, & glo- „ riam merebitur, nam ad Crucifixi dexteram „ conſtituetur. Quippè, ut loquitur Paulus „ in epiſtola ad Gal. cap. 5. Qui Chriſti ſunt, „ carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs, & „ concupiſcentijs.] At in priore ad Corinth. cap. 3. idem Apoſtolus ſuprà fidei fundamentum aliquos ſcripſit ædificare aurum, argentum, lapides pretioſos; àlios lignum, fœnum, ſtipulam, ad comburendum ſcilicet aptam materiam. Priores interpretatur Sanctus Anſelmus religioſos homines, & eos, qui Chriſti conſilia ſequuntur; poſteriores, cæteros, qui nubunt, & ſæcularia tractant. Illorum enim opus non exuritur, quoniam non ea dilexerunt, quorum amiſſione crucientur: horum autem exuritur, quia ſine dolore non pereunt, quæ cum amore poſſidentur: ſed gravius multò eſt id, quod in ſermone contrà peſſimum vitium ingratitudinis Sanctus Bernardus loquitur; ſæculi vitam eſſe tanquam ſine Deo, aut etiam contrà Deum, ſæculariumque hominum laborem, aut periturum eſſe, aut etiam peremptorium; dum religioſi operantur cibum, qui non perit, ſed qui permanet in vitam æternam; Apoſtolicamque omnes vitam profitentur, dum Chriſti cum Apoſtolis conſilia tenentes, relictis omnibus illum ſecuti ſunt. Immò & pluſquam Apoſtolicam, addit in ſermone ſecundo de altitudine, & baſſitudine cordis, quia illi præſentem Chriſtum ſecuturi omnia reliquerunt; & Thomæ dictum eſt Jo. 20. Beati, qui non viderunt, & crediderunt. Quam ob cauſam religioſum vult eſſe Prophetam, dum non conſiderat, quæ videntur, ſed quæ non videntur, & ambulans in ſpiritu, ex fide vivit, & quæ ſursùm ſunt, quærit, non quæ ſuper terram: hoc enim eſt prophetare, futura aſpicere. Immò verò Sanctus Chryſoſtomus in ſerm. 56. & 57. ad populum, non homines appellat, ſed Angelos, eoſque in monaſterijs velut Angelos in cœlis vult habitare. Quòd ſi ſervum ſe Dei profiteatur; mitto quod omnes Chriſtiani ſervi Dei vocantur, *Servus Dei.* quos in epiſt. ad Horontianum, & ſervos, & liberos dixit Sanctus Ambroſius, quia ſervitus eſt voluntaria. Certè vilis non eſt, & abjecta, immò maximè honeſta ſervitus, omnibuſque mundi principatibus, & imperijs anteponenda. De qua ita loquitur Philo in libro de Cherubin, & flammeo gladio; [Servire Deo „ maxima eſt gloriatio, non modò libertate „ major, ſed & divitijs, & principatu, & om- „ nibus rebus, quas mortales mirantur, pre- „ tioſior.] Et S. Auguſtinus in libro meditat. cap. 32. & libro de diligendo Deo cap. 3. Et S. Proſper in ep. ad Demetriadem, Deo ſervire dixerunt eſſe regnare. Et S. Baſilius in or. de principatu, ac potentia; [Ille, qui dignus „ judicatus eſt, ut Deo ſerviret, aliundè laudem „ non petat; tanquam ipſi ſatis non ſit appel- „ latio Domini ad omnem gloriæ, ac claritu- „ dinis exuperantiam. Sufficit enim nobis ad „ omnem dignitatem, talis, ac tanti Domi- „ ni ſervos nos appellari.] Hoc nomine gloriabatur Paulus in epiſt. ad Rom. c. 1. Jeſu Chriſti ſervum ſe appellans; quia ut adnotavit eo loco Origenes, omni libertate nobilior eſt ſervitus Chriſti. Et Sancto Gregorio Nazianzeno in apolog. cur in Pontum fugerit, nihil fortunatius eo homine videbatur, qui clauſis, compreſſiſque corporis ſenſibus, atque extrà mundum poſitus, in ſeque collectus, nihil rerum humanarum attingens, ſecum, & cum Deo colloquens, ſuperiorem rebus in aſpectum cadentibus vitam agit. Immò in oratione in laudem Cæſarij fratris, ſublimiùs, præſtantiùſque arbitratur eſſe, infimo ordine apud Deum collocari, quàm apud terrenum Imperatorem honoris primas tenere. Sed nec parvi æſtimandum eſſe, ſi quis majorem habeat Dei, ſalutiſque ſuæ, quàm terreni ſplendoris, rationem. Et ſi in oratione in laudem Baſilij, illuſtre maximè Chriſtiani nomen appellat; quid religioſi, qui Chriſtianitatis perfectionem profitetur? Certè in conſequenti oratione Eccleſiæ ſelectiorem partem, & ſapientiorem eos eſſe affirmat. Et in epiſt. Nicobuli ad filium habet hæc verba: [Hos ego extimeſco, & velut „ Deum perhorreſco, qui longè ſuprà mor- „ tales omnes aſſurrexerint.] Et alter Greg. Nyſſenus h. 9. in Cant. hûc adfert illa verba;

Digitized by Google

Odor unguentorum tuorum ſuper omnia aro-
Cant. 4. mata : & rurſum ; Odor veſtimentorum tuo-
rum , ſicut odor thuris. Thus enim divino
honori dicatum eſt ; & eſſe Deo dicatum gra-
tiſſimus eſt odor veſtimentorum hominis reli-
gioſi , ſuper omnia cæterarum virtutum aro-
mata. Sanctus Joannes Chryſoſtomus in libro
de comparatione Regis , & Monachi , mona-
chum potiori contendit jure vocandum eſſe
Regem , quàm eum , qui purpura indutus , &
coronâ coronatus , in aureo ſedet throno , ille
namque ſuis cupiditatibus , & animi morbis
imperat , & dominatur. [Beata voluntas eſt
„ (inquit in ſermone in illud Iſaiæ ; Si volu-
„ eritis, & audieritis me, tom.1.) quæ ſervi-
„ endo comparat libertatem ; miſera ſervitus,
„ quæ generat libertatis exceſſum.] Et quid
illud , quod habet idem Sanctus Pater in hom.
11. in prior. epiſt. ad Timotheum ? Complu-
res obſcuro loco natos,& qui victum anteà ma-
nuum labore quærebant , cùm ſe ad religioſo-
rum vitam contuliſſent , illuſtriores omnibus
evaſiſſe , atq; à Regibus ipſis honoratos fuiſſe.
Videas quoque Sanctum Gregorium Papam
hom. 11. in Ezechielem magnoperè, & longa
oratione deplorantem ſe à monaſterio ad Sum-
mum Pontificatum aſſumptum , & Sanctus
Petrus Chryſologus ſer.114. [Melior eſt de-
„ vota famulatio, quàm vaga,& præſumpta li-
„ bertas. Hæc ſervitus non obligat, ſed abſol-
„ vit, non onerat, ſed honorat, abſtergit ſervi-
„ tutis maculam non inurit. Quid hîc rogo
„ non divinum eſt , ubi ſervitus pellitur ſervi-
„ tute , ubi fugatur conditione conditio , ubi
„ mors morte moritur, ubi perditio perditione
„ ſanatur , ubi tota adverſitas ipſius adverſitatis
„ mucrone proſternitur ?] Beata eſt hæc ſer-
vitus , quæ dominationem generat ſempiter-
nam. Et S. Aug. in Pſ.99. dicente Propheta ;
Servite Domino in lætitia : [Magna fœlicitas,
„ ait , eſt fratres , eſſe in iſta domo ſervum,
„ etſi cum compedibus. Noli timêre , ſerve
„ compedite, confitêre Domino : meritis tuis
„ attribue compedes tuas , confitêre in com-
„ pedibus tuis , ſi vis , ut in ornamenta ver-
„ tantur. Libera ſervitus eſt, ubi non neceſſi-
„ tas,ſed charitas ſervit.] Et S.Iren. lib.4.cap.
28. [Hæc eſt gloria hominis , perſeverare, &
„ manêre in Dei ſervitute.] Juſſit aliquando
Dominus , ut legimus apud Lucam cap. 19.
pullum alligatum ſolvi. Hujus, ut adnotavit
Origenes hom.37. in Lucam ; multi erant do-
mini antequam ſolveretur , & adduceretur ad
Dominum ; ubi verò ad illum adductus eſt,
plures Domini eſſe ceſſârunt.Qui mundo ſer-
viunt , multis ſunt paſſionibus , ac vitijs alli-
gati ; qui Deo famulatur , ſolutus, ac liber, fi-
lius Dei eſt. Et Matth. cap. 22. obſervat idem
Orig. tract. 22. in Matthæum, non dici ; Ego
ſum Deus Abraham , Iſaäc , & Jacob ; ſed
Deus Abraham , Deus Iſaäc , & Deus Jacob ;
at Exod. cap. 7. dici , Deus Hebræorum miſit
me. [Qui enim perfectiſſimè ſunt circà De-
„ um , inquit ille ; pleniùs totum Deum ha-
„ bent in ſe : ideò non communiter , ſed ſin-
„ gulariter dicitur eorum Deus. Sicut ſi dica-
„ tur , ager ille eorum eſt, oſtendimus , quod
„ unuſquiſque eorum partem modicam habet
„ de eo , & non totum ; ſi autem dicas , ager
„ ille eſt illius, oſtendis illum poſſidère totum.
„ Ita cùm dicitur Deus Hebræorum,imperfe-
„ ctio demonſtratur eorum, qui modicum ali-
„ quid de Deo habebant. Abraham autem to-
„ tum habebat , & Iſaäc totum , & Jacob to-
„ tum. Sic etiam alibi dicitur Deus Eliæ.] Et
Paulus in priore ad Corinth. cap. 1. Gratias,
inquit , ago Deo meo ſemper pro vobis ; ex
nimio affectu Deum,qui communis eſt, ſuum
appellans,ait Chryſ. Sic & ſæculares homines,
qui mundo magis ſerviunt quàm Deo , modi-
cum quid de Deo habent : religioſi, qui mun-
do renuntiantes Deo ſoli vacant , totum poſſi-
dent. Denique Sanctus Bernardus ſermone 1.
in ramis palmarum , triplex eunti Chriſto Je-
roſolymam exhibitum fuiſſe obſequium mo-
nuit ; primum à jumento , cui inſedit ; ſecun-
dum ab ijs, qui veſtimenta ſtraverunt ; tertium
ab illis, qui ramos de arboribus cædebant. Om-
nes reliqui ex eo , quod ipſis abundabat , &
quaſi ſine gravamine obſecuti ſunt Domino ;
ſolum jumentum ſemetipſum expoſuit ejus
obſequio. Expendunt ſæculares in obſequium
Domini non corpora , ſed quæ adjacent veſti-
menta , dum de terrena ſubſtantia eleëmoſy-
nas largiuntur; ſed jumentum cui inſidet Chri-
ſtus , ſunt religioſi ; juxtà præceptum Apoſto-
li ; Glorificantes, & portantes Deum in cor-
poribus ſuis.

Cæterùm hanc ſervitutem , cùm minimè
coacta ſit , ſed ſpontanea tota , & voluntaria,
manifeſtum eſt duram , & gravem non eſſe,
ſed ſuavem totam & levem , dicente Domino
Matth. cap. 11. Tollite jugum meum ſuper
vos ; jugum enim meum ſuave eſt , & onus
meum leve. Nec tam ſervitus appellari debet,
quàm amicitia. Sanctus Bernardus ſerm. 13.
inter parvos , conſiderans illa architriclini ver-
ba Jo. cap. 2. Omnis homo primùm vinum
bonum ponit , & cùm inebriati fuerint , tunc
id , quod deterius eſt ; hanc ſæcularium homi-
num conſuetudinem eſſe oſtendit ; qui cùm
honorem aliquem adipiſci volunt , cæteros ſibi
per amorem acquirunt : cùm verò adepti fue-
rint, poteſtate elati, eos ſibi per timorem ſub-
ijciunt (ita de amicis faciunt ſervos.) Chri-
ſtus contrà de ſervis facit amicos , & à timo-
re incipiens, aquam mutat in dilectionis vi-
num. Jo. cap. 15. eos alloquens Chriſtus, qui
relictis omnibus fuerant eum ſecuti , religio-
ſorum omnium velut primitiæ ; Jam non di-
cam,

cam, inquit, vos ſervos, ſed amicos; quia omnia quæcunque audivi à Patre meo, nota feci vobis. Hoc enim veræ amicitiæ argumentum eſt, ſecretorum ſcilicet communicatio. Sed & accommodatè Sanctus Chryſologus loquitur in ſermone 101. [Si amicos morum facit imitatio, morum ſimilitudo conjungit, „ convenienter eos amicos vocat Chriſtus, „ quos imitatione ſuâ mundi jacula, & ipſam „ mortis formidinem conſpicit,& prævidet cal„ caturos.] Hos maximè amicos ſuos commendavit Matth. 25. cùm dixit; Quod uni ex minimis meis,amicis ſcilicet meis,feciſtis,mihi feciſtis. Minimos namque illos interpretatur S. Auguſtinus ſerm. 35. de verbis Domini, qui omnia ſua dimiſerunt, & ſecuti ſunt eum, & quidquid habuerunt, pauperibus diſtribuerunt, ut Deo ſine ſæculari compede expediti ſervirent, & ab oneribus mundi liberatos, velut pennatos ſursùm humeros tollerent. Hi ſunt minimi, quia humiles, quia non elati, non ſuperbi. Et S. quoque Hieronymus in commentarijs in Matthæum, eadem verba dum interpretatur; [Non mihi,ait,videtur dixiſſe ge„ neraliter de pauperibus: ſed de his, qui pau„ peres ſpiritu ſunt,ad quos tendens manus di„ xerat cap. 12. Fratres mei, & mater mea hi „ ſunt, qui faciunt voluntatem Patris mei.]

Ut autem ad hanc optimam conditionem veniamus; opus eſt hominem à peccato liberari; tum verò ad bonum quoque agendum, adjuvari, juxtà illud Pſalmi 36. Declina à malo & fac bonum. Extat ſermo Sancti Bernardi de ſeptem miſericordijs; in quo ſeptem commemorat ergà religioſos Dei miſericordias, quarum priores quinque in liberando à peccato verſantur.

Religio ſecundus baptiſmus

At illud præclarum munus, quod religionis ingreſſus, & vitæ hujuſce profeſſio peccatorum omnium habet remiſsionem, quam ob cauſam ſecundus baptiſmus à Patribus appellatur: & apud eundem Bernardum habes ſermonem de duplici baptiſmo, & relinquenda propria voluntate; & antè illum Sanctus Hieronymus in epiſt. ad Demetriadem cap. 5. „ [Nunc ſæculum reliquiſti, & ſecundo poſt „ baptiſmum gradu iniſti pactum cum adver„ ſario tuo, dicens: Renuntio tibi diabole, & „ ſæculo tuo, & pompæ tuæ,& operibus tuis.] Et in epiſt. ad Paulam,de obitu Bleſillæ cap. 2. „ [Cùm antè quatuor fermè menſes, ſecundo „ propoſiti ſe baptiſmo laverit, &c.]

Cujus appellationis in tractatu de præcepto, & diſpenſatione duas rationes Bernardus expoſuit. Quarum prima eſt, ob perfectam mundi abrenuntiationem, ac ſingularem excellentiam vitæ ſpiritualis, qua præeminens univerſis vitæ humanæ generibus hujuſcemodi converſatio profeſſores ſuos Angelis ſimiles, diſſimiles hominibus facit; immò divinam in homine reformat imaginem, configurans nos Chriſto, inſtar baptiſmi. Quaſi enim ſecundò baptizamur, dum per id, quod mortificamus membra noſtra, quæ ſunt ſuper terram, rursùm Chriſtum induimus, complantati denuò ſimilitudini mortis ejus. Altera ratio eſt; quod ut in baptiſmo eruimur de poteſtate tenebrarum, & in regnum transferimur claritatis æternæ: ita & in ſancti hujus ſecunda quadam regeneratione propoſiti de tenebris æquè non unius originalis, ſed multorum actualium delictorum in lumen virtutum evadimus. Itaque in ſermone ſecundo in die Apoſtolorum Petri & Pauli, uſurpans illa Eccleſiaſtici verba cap. 44. Iſti viri miſericordiæ ſunt; [Audiſti, inquit, quam miſericordiam „ conſecuti ſunt Apoſtoli noſtri, ut jam ne„ mo ex vobis (ſuos alloquitur monachos) „ ſuper peccatis præteritis ultrà, quàm neceſ„ ſe ſit, confundatur in cubili conſcientiæ ſuæ „ compunctus. Quid enim? fortè peccâſti „ in ſæculo: nunquid ampliùs Paulo? Quod „ ſi & in ipſa religione; nunquid plus Petro? „ Attamen illi in toto corde pœnitentiam a„ gentes, non modò ſalutem, ſed & ſancti„ tatem conſecuti ſunt; etiam & ſalutis mini„ ſterium, & magiſterium adepti ſunt ſancti„ tatis.] Atque Oſbernum monachum jam mortuum revelâſſe ſibi narrat Sanctus Anſelmus in libro de ſimilitudinibus capite ultimo, ter dæmonem adversùm ſe moribundum inſurrexiſſe: Primùm propter peccata antè baptiſmum commiſſa,deindè propter peccata poſt baptiſmum antè monaſticam profeſſionem, tum verò propter peccata poſt profeſſionem. Sed prima eum inveniſſe deleta per baptiſmum; ſecunda per monaſticam profeſſionem; poſtrema per confeſſionem antè obitum.

Pater ſpiritualis.

Et quidem dum in hoc ſtatu vivimus, maximi beneficij loco habendum eſt habêre ductorem, quem ſequaris in omnibus. Hunc enim poſt mundi renuntiationem, primo ſtatim loco eligendum nobis eſſe, demonſtrant Sanctus Baſilius in ſermone de abdicatione rerum, & S. Hieronymus in epiſt. ad Ruſticum cap. 4. & in caput 3. Iſaiæ, atque eo utuntur argumento, quòd ſi ad decidendas de fortuitis, ac temporarijs rebus quæſtiones peritos eligimus judices; quantò magis procurandum eſt in ijs, quæ ad animæ ſalutem, & vitæ perfectionem ſpectant? Cùm enim ſæpè ſe in Angelum lucis transfiguret ſatanas, ut monuit Apoſtolus in poſteriore ad Cor. epiſt. cap. 11. impoſſibile eſſe ratiocinatur apud Caſſianum Abbas Joſeph collat. 16. cap. 11. quemquam, qui proprio fidat judicio, illuſionibus ejus non decipi. Sanè Abbas Moyſes in collatione ſecunda multos narrat per diſcretionis defectum perijſſe, dum ſuo ducerentur arbitrio. Et c. 14.

Digitized by Google

Samuëlem noluiſſe Deum colloquio ſuo erudire, ſed ad Heli ſenem permiſiſſe recurrere, 1. Reg. cap.3. Et Paulus Act.9. miſſus eſt ad Ananiam, & c. 10. Cornelium Angelus remiſit ad Petrum. Et Sponſam Cant. 3. obſervat Sanctus Bernardus ſerm.77. in Cant. dum dilectum quæreret, non priùs ad eum perveniſſe, quàm illi occurrerent vigiles, qui cuſtodiebant civitatem: quorum magiſterio uteretur ad cognoſcendum de dilecto. [Audiant, inquit, hoc, qui ſine duce, & præceptore vias vitæ ingredi non formidant, ſeductori dat manum, qui dare diſſimulat præceptori.] Nec modò ad bonum nos dirigit Prælatorum inſtructio, & cura; ſed & in omni exercet virtute, & removet ab omni ſpecie mali, ut omni ex parte impleamus illud; Declina à malo, & fac bonum. [Si vultis ſcire quantum in hac abſconſione, hoc eſt, in religione, lucramur (ait Bernardus idem in ſermone 4. in Pſal. Qui habitat) credo nullum hìc eſſe, qui ſi quartam partem eorum, quæ facit in ſæculo, actitaret, non adoraretur ut Sanctus, reputaretur ut Angelus. Nunc autem quotidiè tanquam negligens arguitur, & increpatur.] Nec lenem modò, ſed duriorem etiam, & acriorem increpationem adhibendam eſſe docet idem Sanctus Pater in ſermone 2. in die Apoſtolorum Petri, & Pauli, verbiſq; illis utitur, quæ de infructuoſa ficulnea dixit ille cultor vineæ Luc. 13. Dimitte illam & hoc anno, uſquè dum fodiam circà illam, & mittam ſtercora. Stercora enim ſunt oratio, meditatio, Scripturarum lectio, Superiorum adhortatio. [Sed neceſſe, inquit, habeo interdum circumfodere, quia poſuerunt me cuſtodem, & cultorem in vineis. Moleſtum eſt quidem, ſed diſſimulare non audeo; ſciens multò ampliùs ſecurim nocituram, quàm ſarculum, ignem, quàm fimum.] Itaque & arguere, & increpare, interdum neceſſe eſt.

Si plura deſideras, lege Sanctum Baſilium de laudibus eremi ſcribentem, & in conſtit. monaſt. & Sanctum Gregorium Nazianzenum ad Hellenium de Monachis; Sanctum Hieronymum in epiſtola ad Heliodorum, & ad Ruſticum, & in Pſal. 132. Et Sanctum Bernardum ſerm. ad milites templi cap. 4. & epiſtola prima ad Robertum nepotem, & epiſtola 78. ad Suggerium Abbatem, & in apologia ad Gullielmum Abbatem, & in ſerm. in illud; Ecce nos reliquimus omnia, & tract. de vita ſolitaria, & Sanctum Joannem Chryſoſtomum in libris adversùs vituperatores vitæ monaſticæ, & Platum initio citatum

CAPUT VII.

De centuplo religioſis promiſſo.

AT omni pondere gravius eſt teſtimonium Chriſti; quod aliorum quibuſvis ratiocinijs anteponendum eſt; ſcribit S. Matthæus c.19. Petrum Apoſtolorum omnium nomine quæſiviſſe aliquando ex ipſo: Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te, quid ergò erit nobis? Jeſus autem dixit illis; Amen dico vobis, quod vos ſedebitis ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim tribus Iſraël.

Deindè prævidens futuros plurimos, qui Apoſtolos imitarentur, ſubjunxit; Et omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit. Quæ promiſſio bipartita eſt, priorque pars ad præſentem vitam, poſterior ad futuram pertinet, quemadmodùm explicatè magis dixit Sanctus Marcus capite decimo. Centies tantùm nunc in tempore hoc, & in ſæculo futuro vitam æternam. Merces, ac retributio pro illis, quæ relinquuntur, non eſt centuplum, ſed vita æterna: quàm multò meliorem futuram, quàm communem aliorum beatorum oſtendit illud, quod adoleſcenti dictum fuit in eodem capite decimo nono Matthæi: Habebis theſaurum in cœlo, hoc eſt non modò vitam æternam in cœlo, quam & cæteri Beati habent, ſed & cum ingenti theſauro. Sicut enim in hoc mundo vivunt omnes, & pauperes, & divites, ſed præter vitam divites habent theſauros auri, & argenti, quos non habent pauperes: ita in futuro, qui pauperes propter Chriſtum eſſe nunc voluerint, vitam habebunt æternam, cum theſauro amplioris cujuſdam gloriæ. Quod ergò centuplum nunc pollicetur, ad alendam ſpem majoris illius boni pertinet. Sicut enim agunt homines, dum & milites conducit ad bellum princeps, quibus ad fovendam ſpem copioſioris prædæ poſt victoriam, dat ſingulis menſibus certam pecuniam, quâ vitam illi ſuſtentent. Et Eccleſiaſtici Prælati dant quidem abjectioribus ſervis menſibus ſingulis mercedem ſuam, ſed præcipuos quoſdam, quandiù famulantur, cibo ſuſtentant, pòſt verò dignitate, vel beneficio quopiam Eccleſiaſtico remunerant: qui propterea in ſpe ſervire dicuntur. Ita & Deus agit nobiſcum, dum æternæ vitæ, velut copioſioris mercedis ſpem alens centuplum nobis interim pollicetur, quo præſentis vitæ toleremus ærumnas.

Verùm mirari non parùm poſſumus hoc loco Sanctum Chryſoſtomum homiliâ 31. operis imperfecti reliquiſſe ſcriptum, ſæcularium hominum, qui benè divitijs utuntur ſuis, fructum eſſe trigeſimum; religioſorum, qui omnia reliquerunt,

Digitized by Google

reliquerunt, ſexageſimum, & verò etiam centeſimum, ſi infirmitas eis contigerit corporis, & fideliter ipſi ſuſtinuerint. Nam & Job antè tentationem trigeſimum habuit, in facultatibus juſtè vivendo; & poſt ſubſtantiæ, ac filiorum damna ſexageſimum, ac demùm poſt proprij corporis plagam centeſimum. Cæterùm non ita partitus eſt Dominus, ſed cunctis ſequentibus ſe promiſit centuplum. Ergò h. 22. ex varijs Matthæi locis, idem ipſe centuplum interpretatur non rem ipſam, quàm quiſque reliquerit, ſed tantam gloriam, tantam gratiam, tantam beatitudinem, quæ centuplum valeat. Reliquit enim patrem, & matrem, & accipit Deum, & Eccleſiam, & ſic in cæteris. Et S. Hieron. nihil carnale, ſed ſpirituales conſolationes, quæ carnales omnes centies ſuperant, intelligi voluit. Et S. Greg. Papa homiliâ 18. in Ezechielem, hoc numero perfectionem ipſam ſignificari voluit, quam ille acquirit, qui terrena, & temporalia contemnit. Ac demùm Joannes Caſſianus collat. 24. Abbatis Abrahæ cap. 26. rem tractans pluribus, charitatem præſertim intelligit, quæ inter religioſos major eſt, ac ſtabilior, quàm in ſæculo inter patrem, & filium, inter fratres, inter conjuges, & alios quoſvis homines. Atque cum charitate conjuncta eſt incredibilis animi lætitia, inæſtimabile gaudium, pro perturbationibus & moleſtijs ſæculi; virtutes pro vitijs, multitudo patrum, fratrum, ſervorum, dominorum, agrorum, & aliarum omnium rerum, vel etiam apud homines gratiæ.

Dixerim ego, horum verborum ſententiam eſſe generalem, quia in omnibus rebus, quas Chriſtum ſecuturi dimiſerimus, ſive pater ſit, ſive domus, ſive ager, ſive animi lætitia, & conſolatio, ſive aliud quidvis, centuplum à Domino promittitur. Quàm autem hoc in bono, veroque religioſo ſit verum; ita intelliges.

Quatuor omninò is reliquit, ut ſequeretur Chriſtum: primùm opes, & externa bona, vovens paupertatem; deindè licitas corporis delectationes, caſtitatis voto; tum animi voluptatem illam, quam experitur quiſque liberè vivens, nulli ſubjectus, quin alijs potiùs imperans; vovens ſcilicet obedientiam; ſpem denique omnem hujus mundi, quâ reliqua omnia continentur.

Paupertas religioſa. In primo duo velim conſideres. Alterum; quàm ſingulari providentia Deus Religionibus omnibus provideat omnia, quæcunque ſunt ad victum neceſſaria: ut licèt multæ mendicantes ſuſtententur, nullus tamen unquam religioſus fame, aut neceſſariarum rerum defectu perierit. Sancti Benedictus, Franciſcus, Dominicus, Ignatius noſter, opes reliquerunt, quæ uni fortaſſe familiæ ſatis erant; & Deus jam tot annis tot millia filiorum eorum ſuſtentavit. Alterum, quòd religioſi, qui in communi vivunt, verè ſunt omnes prædivites, nec quiſquàm egenus eſt inter illos, ut de primis Chriſtianis tempore Apoſtolorum dicitur Act. 4. Et unuſquiſque eorum in quamcumque mundi partem iverit, habet ubique paratam domum, rebuſque omnibus ſibi neceſſarijs inſtructam; & ubique habet ſuum æconomum, diſpenſatorem, coquum, ſartorem, ſervos ad menſam, medicum; confeſſarium, & omninò omnium neceſſitatum adminiſtros. Quis Princeps hæc habet in toto mundo? Et hæc quidem omnia ſine ſolicitudine ulla, & moleſtia, quæ in rebus hiſce procurandis, & conſervandis eſſe ſolet.

De ſecundo capite quid dicam? Si Deus pro delectationibus carnis tam abundè ſuppeditat animi, ſpirituſque delectationes; an non verè dat pluſquam centuplum? Lætitia enim & gaudium eſt delectatio appetentis partis, dum anima apprehendit conveniens objectum præſens. Quod dum erat abſens, cauſabat deſiderium; at ſi non ſit conveniens dolorem magis cauſat præſens, & timorem abſens. Itaque tria requirit gaudium; objectum bonum, facultatem apprehendentem, & appetentem, conjunctionemque objecti cum facultate; quòque hæc ſunt perfectiora, eò majus eſt gaudium, major delectatio; objectum ſenſus res eſt ſenſibilis, corporea, finita, & creata; immò ſolum accidens. Objectum ſpiritûs eſt res ſpiritualis, ſubſtantia, Deus ipſe infinitus, in quo bona omnia continentur. Et intelligens facultas perfectior eſt, & vivacior multò, quàm ſentiens. Conjunctio demùm major eſt: nam in rebus corporeis externæ ſolùm ſuperficies conjunguntur, nec niſi accidentia ſentiuntur; at intellectus ſubſtantiam penetrat; atque ita cum Deo unitur, ut unus fiat cum eo ſpiritus. Quantò igitur delectatio major ſpiritalis, quam ſentiens? [Noli errare, noli ſeduci, ait „ Sanctus Bernardus in ſerm. in hæc Domini „ verba, ut non magis in ſpiritualibus ſpiritum „ credas, quàm in corporalibus oblectari. Ne„ mo eo modo jumenti ſui, quo corporis ſui, „ refectione poterit delectari: placet quidem, „ & illa; ſed longè aliter iſta ſapit, aliterque „ ſentitur. Eſt autem & jumentum animæ cor„ pus.] Et ſer. 9. in Cant. Meliora ſunt ubera tua vino: [Meliora ſunt ubera ſpiritualium „ conſolationum, quibus nunc paſcimur, vino „ carnalium voluptatum, quibus anteà tan„ quam vino ebrij tenebamur.] Undè cum ſæculares homines monachis ſuis dicerent; Nimium jejunatis, nimium affligitis corpora veſtra, reſpondit aliquando idem Bernardus: Iſti vident crucem noſtram, ſed non vident unctionem noſtram. Et Sanctus Auguſtinus libro ſexto confeſſ. cap. 3. laborioſum ſibi propter eà fatetur viſum aliquando fuiſſe Ambroſij cœlibatum; quòd neſciret, quid ille ſpei gere-

Caſtitas.

Delectatio ſpiritalis quanta.

Cant 1.

Digitized by Google

ret, & quàm ſapida gaudia de divino pane in corde ſuo ruminaret. Pòſt verò ad Deum converſus, ita de ſeipſo loquitur in 9. libro cap. 1.
„ [Quàm ſuave mihi ſubitò factum eſt carêre
„ ſuavitatibus nugarum! & quas amittere me-
„ tus fuerat, jam dimittere gaudium erat: eij-
„ ciebas enim eas à me, vera tu, & ſumma ſua-
„ vitas, eijciebas, & intrabas pro eis, omni vo-
„ luptate dulcior; ſed non carni, & ſanguini,
„ &c.] Et in extremo 3. lib. de libero arbitrio,
„ [Tanta eſt, inquit, jucunditas lucis æternæ,
„ ut etiamſi non liceret ampliùs in ea manêre,
„ quàm unius diei morâ, propter hoc ſolum
„ innumerabiles anni hujus vitæ pleni delicijs,
„ & circumfluentia temporalium bonorum, re-
„ ctè, meritòque contemnerentur.] Non enim falsò, aut parvo affectu dictum eſt Pſ. 83. Melior eſt dies una in atrijs tuis, ſuper millia; & quid illud Pſ. 118. Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua? ſuper mel ori meo. Et Paulus in poſteriore ad Cor. cap. 7. Repletus ſum conſolatione, ſuperabundo gaudio in omni tribulatione noſtra; quam ob cauſam & plures viros ſanctitate præſtantes totas noctes in oratione perſeverantes legimus: Et Sanctum Antonium ſcribit Jo. Caſſianus collat. 9. Abbatis Iſaäc cap. 30. doluiſſe nimis citò ſolem oriri, quòd eum à veri luminis abſtraheret claritate. Et Iſaäc quemdam circà Spoletanam urbem ſuis propè temporibus tres integros dies, & noctes in oratione traduxiſſe, narrat S. Greg. lib. 3. Dial. cap. 14.

Obedientia. Venio ad tertium caput, quod ad obedientiæ votum pertinet, quo & libertate nos privamur, & ſponte efficimur ſervi. Sed tribus modis accipimus centuplum, dum meliorem multò conſequimur libertatem. Primum enim nos liberum damus viatoris arbitrium, & liberum accipimus (propè dixerim) Beatorum arbitrium. In ſtatu innocentiæ, ut potuit homo non mori corpore, ita & voluntate potuit non malè agere; poſt peccatum poteſt & benè, & malè agere; ſed multò faciliùs malè; & ſicut nec poteſt non mori corpore, ita nec poteſt interdum voluntate non malè agere. Beati penitùs malè non poſſunt. Et nos dum propriam abijcimus voluntatem, nec noſtro volumus arbitrio regi, regulam à Deo accipimus obedientiæ, quam ſi ſequamur, peccare, & malè agere, & non merêri non poſſumus. Dum enim nihil jubetur, quod manifeſtè ſit contrà Deum quidquid facimus, quia obedientiæ præceptum ſit; gratum eſt Deo, bonum, & meritorium. Deindè beata hac ſervitute ab omnibus illis Dominis humanorum reſpectuum, quibus cæteri homines ſerviunt, nos liberamur. Et ut illi non audent non loqui, & agere ſicut cæteri, & ſi quid boni agere volunt tenebras, & ſecretum quæritant, nè rideantur, & ſubſannentur ab omnibus: ita religioſum pudet ea loqui, & agere, quæ loquuntur, & agunt vulgares homines, ipſaque vitæ profeſſione ad modeſtiam omnem, virtutem ac pietatem cogitur. Poteſtque demùm ad tantam perfectionem venire, ut magis, & veriùs ſit mundi Rex, & Monarcha, quàm alius unquam fuerit homo. Nam qui perfectè ſe Deo per obedientiam ſubijcit, hoc aſſequitur, ut Deus illi res omnes creatas ſubijciat; dæmones, elementa, morbos, animalia, cœleſtia, & omninò omnia, quæ de Sanctis viris legimus.

Denique ſpem humanam, mundoque nixam, quam relinquimus, compenſat Deus viva ſpe æternorum, divinorumque bonorum, quæ nulla mens creata ſatis poteſt æſtimare. Aulicum hominem videas, qui ſi ſua fuiſſet ſorte contentus, ſatis honeſtè poterat, ac beatè cum ſuis vivere, incerta, ac vana ſpe raptum ad aulam, perquàm miſeram ducere vitam, portæ cuipiam cuſtodiendæ tota alligatum die, nec unam ſibi liberam reliquiſſe horam, id ſpetans quod nunquam fortaſſe conſequetur: neque hanc ille ſpem miſer magno venderet pretio. Religioſi ſpes certiſſima eſt cœleſtis regni; quod illi promittitur; Vitam æternam poſſidebitis. In libro de viris illuſtribus Ciſtercienſis Ordinis legimus Arnoldum quemdam, cùm ad vitæ ſuæ finem veniſſet, in ſummis, quibus corpore cruciabatur, doloribus clamare cæpiſſe, ac ſæpiùs repetere; Verum eſt, verum eſt. Cumque plures, qui aderant, propter dolorum magnitudinem in phrænеſim hominem actum ſuſpicarentur, & quærerent; quid eſt, Verum eſt, verum eſt? Reſpondit ille nequaquam inſanio; ſed video, & experior, verum eſſe id, quod dixit Dominus ſe daturum nobis centuplum. Fateor enim jam me accepiſſe pluſquam centuplum, tanta mihi nunc infunditur ſpes, & tam certa æternæ vitæ paulò poſt adipiſcendæ, tantaque proptereà perfundor lætitiâ, ut hoc ſolum fatear plus millies valêre, quàm omnia, quæ in mundo reliqui. Et quid pro hac ſpe moribundus quiſque non ſolveret? [Hæc verba contemp-
„ tum mundi, inquit Bernardus, in univerſo
„ mundo, & voluntariam perſuaſêre homini-
„ bus paupertatem; hæc monachis clauſtra re-
„ plent, deſerta anachoretis. Hæc Ægyptum
„ ſpoliant, & optima quæque illius vaſa diri-
„ piunt.]

Cæterum illud intelligatur, hoc centuplum illis duntaxat promitti, qui reliquerint omnia; quòd ſi non planè reliqueris, non mirum, ſi non conſolationem illam ſpiritualem, neque ſpem vivam in te ipſo experiaris.

CAPUT

CAPUT VIII.

De Religionis vocatione, vocatorumque tentationibus.

SAPIENTER omninò admonuit S. Gregorius Nazianz. or. in laudem Hæronis philoſophi certum ſibi vitæ genus conſtituere tanti momenti eſſe, ut totius vitæ, vel rectè, ac proſperè, vel malè, atque infeliciter traducendæ fundamentum in eo poſitum ſit. Religioſam vitam omnium optimam eſſe velut perfectionis profeſſionem, omnium tutiſſimam velut ab impedimentis omnibus expeditam, omnium commodiſſimam velut adjumentis omnibus inſtructam, omnium denique fructuoſiſſimam velut centuplo in præſenti, & pòſt æternâ vitâ à Domino compenſatam, quæ hactenùs dicta ſunt, ſatis ſuperque demonſtrârunt. Ad hanc omnes homines, & verbis Dominus & exemplo ſuo illius Apoſtoli invitârunt. Et Spiritus Sanctus temporibus omnibus internis inſpirationibus urſit ſemper, & urget plurimos. Undè Sanctus Chryſ. homiliâ tertiâ in Marcum; [Spiritus Sanctus expel-,, lit, inquit, monachos de domo parentum ,, ſuorum, & ducit eos in ſolitudinem; Spi-,, ritus Sanctus non libenter habitat, ubi tur-,, bæ, & frequentia, & diſſenſiones, & rixæ ,, ſunt; ſed ſedem habet ſolitudinem.] At verè ait Clemens Alexandrinus in oratione adhortatoria ad Gentes; [Lapidibus inſenſibilior eſt ,, homo ignorantiâ tinctus. Potens eſt tamen ,, Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abra-,, hæ, quippè gentes, quæ lapidaverant, & cre-,, diderant lapidibus, ad veritatem vocavit, & ,, in illis ſemen pietatis in Deum excitavit.] Et Barlaàm apud Sanctum Joannem Damaſcenum in hiſtoria cap. 15. ſolis utitur exemplo, qui radios ſuos affluenter emittit, omneſque ad percipiendum lumen cohortatur; ſed ſi oculis clauſis ſplendorem ejus intuêri nolis, & velut cæcus parietes palpes, atque in ſcrobes præceps cadas, multiſque pungaris ſpinis, tua eſt, non ſolis culpa. Non fuiſſet, inquit Orig. lib. 5. in epiſtolam ad Romanos, dictum Abrahæ Gen. 12. Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo Patris tui, & veni in terram quam monſtravero tibi, ſi in domo Patris Deo placêre potuiſſet (& confirmat S. Auguſt. libro 10. de civitate Dei cap. 32.) Neque Abraham cap. 24. nec Iſaäc cap. 28. prohibuiſſent, nè filijs ſuis acciperetur uxor de genere Chanaän; ſed in Meſopotamia ex domo Bathuel de filiabus Laban quæreretur. Hoc enim conſiderans Philo q. 99. in Geneſim; [Videns, ait, infeſtum adverſari-,, um, noli cunctari, ſed exurgens feſtinanter ,, recede: ſi longiùs ab hac beſtia receſſeris, ,, tibi melius erit.] Bathuel verò filia Dei interpretatur. Hinc ducas uxorem amatricem diſciplinæ; ex filiabus Laban, qui candorem ſignificat, lucem, & ſplendorem.

Educturus quoque Deus filios Iſraël ex Ægypto præcepit Pharaöni Ex. cap. 5. Dimitte populum meum, ut ſacrificet mihi in deſerto: quoniam, ut habet Orig. homilia 3. non vult, ut populus in Ægypto poſitus ſerviat Domino; ſed exeat in deſertum, & ibi ſerviat: quia donec quis in tenebris ſæcularibus manet, & in negotiorum obſcuritate verſatur, ſervire non poteſt Domino, nec poteſt duobus Dominis ſervire. Et promiſcuè vivere cum ijs, qui præceptorum Domini obſervationem contemnunt, addit S. Baſil. in reg. fuſ. ad ſextam interrogationem reſpondens, perincioſiſſimum eſt. Nam inter cætera damna, facta ſui cum deterioribus comparatione, de virtute tibi, neſcio quo modo, blandieris. Et S. Greg. Nyſſen. in libro de virginitate cap. 4. [Cui Sodo-,, mam incolere cordi eſt, ignis imbrem decli-,, nare non poteſt: neque ex Ægyptiorum ,, ſervitute ſe quis vindicabit, niſi Ægyptum ,, deſerat.] Fluvij exemplo, qui ſi aquis abundet, vicinis, ac propè habitantibus nocet, remotis nòn item. Itaque Orig. homiliâ quintâ in Exodum, tractans illa verba murmurantis populi in ſolitudine; Melius erat ſervire Ægyptijs, quàm mori in ſolitudine. [Falſum eſt, ,, inquit, longè enim melius eſt in eremo mo-,, ri, quàm ſervire Ægyptijs. Qui enim in ere-,, mo moritur, hoc ipſo, quòd ſeparatus eſt ,, ab Ægyptijs, & diſceſſit à rectoribus tene-,, brarum, & de poteſtate ſatanæ, habuit ali-,, quem profectum, etiamſi ad integrum per-,, venire non potuit. Melius eſt perfectam vi-,, am quærenti in itinere mori, quàm nè pro-,, ficiſci quidem ad perfectionem quærendam.] Extatque apud Sanctos Patres plurima ad religionem adhortatio in epiſtola Sancti Hieronymi ad Heliodorum, & in epiſt. ad Ruſticum, & in epiſt. ad Iulianum, & in adſcriptis ep. ad Præſidium, de cereo Paſchali, & epiſt. Sancti Auguſtini 38. ad Lætum, & ep. 70. ad Bonifacium, & in com. in Pſal. 99. & in Pſ. 117. quæ dicuntur de exitu filiorum Iſraël de Ægypto, interpretatur ille de hominis converſione, qui de mundo ad religionem egreditur. Et apud S. Anſel. eſt epiſt. 12. libri 2. ad Helinandum, & apud Sanctum Bernardum eſt ep. 1. ad Robertum nepotem ſuum, & epiſt. 103. & 104. ad magiſtrum Gualterum, & 105. ad Romanum, & 106. ad Henricum, & 107. ad Thomam, & 108. ad alium Thomam, & 109. ad Gaufridum, & 110. ad parentes illius, & 111. ad parentes Eliæ, & 112. ad alium Gaufridum, & 324. ad Leonium Abbatem, & 325. ad Aluiſium Epiſcopum.

Cum verò poſſint omnes Deo ſervire, adoleſcentes

Iuvenes ad religionem apti. leſcentes tamen, & juvenes ad ſubeundum religioſæ vitæ jugum eſſe aptiſſimos, manifeſtum eſt, tum quòd & meliorem vitæ ſuæ partem conſecrant Deo, & corporis vires integræ magis ſunt, & diutiùs poſſunt religionis tolerare labores, & animi major eſt innocentia; quippè paucioribus, minuſque confirmatis ſunt vitijs inquinati; & facilius illis eſt, & veterem exuere hominem, & induere novum, qui ſecundùm Deum creatus eſt. Confirmat hoc illud Jeremiæ dictum Thren. cap. 3. Bonum eſt homini, cùm portaverit jugum ab adoleſcentia ſua. [Non expectat frigeſcentes „ ſenectutis annos (inquit Sanctus Hilarius in „ Com. 2. in Pſal. 118.) nec emortuam jam „ per ætatem vitiorum conſuetudinem. Vult „ longi prælij militem; vult eum Chriſti ſer„vum, quem nè ipſa quidem præteritorum „ criminum recordatio polluat. Nam in his, „ qui provectioris ſunt ætatis, ineſt quidem „ per donum gratiæ præteritorum indulgen„tia, ſed non abeſt per conſcientiæ naturam „ geſtorum recordatio. Onus iſtud maturi ad „ obediendum anni ægrè ferunt: ætas tenera „ gravis oneris moleſtiam per virtutis incre„menta non ſentit.]

Majores tamen illi difficultates experiuntur, tum propter vehementiores perturbationes univerſas, tum quia majori ſpe mundi nutriuntur. Itaque quod Matth. cap. 20. ad vineam vocati dicuntur operarij horâ tertiâ, ſextâ, nonâ, & undecimâ, ætates quatuor, pueritiam, adoleſcentiam, juventutem, & ſenectutem, quibus ad ſerviendum Deo accedimus interpretati ſunt S. Hier. & S. Baſil. in reg. brev. 224. Et Euſebius Emiſſenus homilia in ſeptuageſima: qui illud etiam adfert ex Apocalypſi c. 21. Ab Oriente portæ tres, & ab Aquilone portæ tres, & ab Auſtro portæ tres, & ab Occaſu portæ tres. Namque in hanc Domini vineam, pueri per Orientis portas ingrediuntur, adoleſcentes per anguſtas, & difficiles Aquilonis portas; juvenes, & ſenes per portas Auſtrales, & Occidentis. Idcircò Iſ. cap. 21. his, qui veniunt de terra Aquilonis, voluit Deus occurrere Auſtrales homines cum pane, & aquâ: quoniam illi majores habent difficultates, ac tentationes diaboli, qui ad Aquilonem poſuit ſedem ſuam, ciboque ac potu ſpirituali egent.

Tentationes vocationis tres. Tribus autem eos video præſertim tentationibus vexari; Relinquendi parentes, & ſanguine junctos, à quibus geniti, & cum quibus educati fuerunt; Abijciendi opes & quæcumque in mundo poſſident, aut ſperant; Ac demùm perſeverantiæ atque conſtantiæ. Ita Matth. 8. rogabat ille; Domine permitte me ſepelire patrem meum. Et alius cap. 19. audiens omnia ſibi relinquenda eſſe, abijt triſtis; erat enim habens multas poſſeſſiones. Sed priori fuit dictum; Dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos. *Matth. 8.* [Neque enim pater, ait Sanctus Jo. „ Chryſ. hom. 28. inſepultus jacuiſſet, cùm „ ſepeliendi munus, etiam alius, quàm filius „ ſubire poſſet: Nec Deus, quia deſpiciendi „ parentes ſint, abire vetuit, ſed quia meliori„bus incumbendum.] Et S. Petrus Chryſologus ſerm. 19. [Non pietatis obſequium ne„gat, ſed divinam præponit humanis affectibus „ ſervitutem.] Aliam cauſam habet S. Hilarius can. 7. quia inter fidelem filium, patremque infidelem jus paterni nominis non relinquitur, nec admiſcentur memorijs Sanctorum mortui infideles. [Non enim injurioſè refutan„tur parentes, ait S. Ambr. lib. 6. in Lucam „ c. 5. ſed religioſiores copulæ mentium do„centur eſſe, quàm corporum.] Solamque cauſam, quâ non liceat obedire parentibus, Deum eſſe; ſcripſit ad Eliæ parentes Sanctus Bern. epiſt. 111. & ep. 104. etſi impium eſt contemnere matrem, contemnere tamen propter Chriſtum pijſſimum eſt. Nam qui dixit; Honora patrem, & matrem, ipſe etiam dixit; Qui amat patrem, aut matrem pluſquàm me, non eſt me dignus. Et illa fuerunt Sancti Hieronymi verba in epiſtola ad Heliodorum cap. 2. [Licèt parvulus ex collo pendeat nepos, li„cèt ſparſo crine, & ſciſſis veſtibus ubera, „ quibus te nutrierat, mater oſtendat, licèt in „ limine pater jaceat; percalcatum perge pa„trem, ſiccis oculis ad vexillum Crucis evo„la; ſolùm pietatis genus eſt, in hac re eſſe „ crudelem.] Et ad Ruſticum c. 3. [Crudeli„tas iſta, pietas eſt. Immò quid tam pium, „ quàm ſanctæ matri ſanctum filium cuſtodi„re? Anna Samuëlem non ſibi, ſed taberna„culo genuit.] Et ad Marcellam de ægrotatione Bleſillæ: [Sepultura non datur patri; & „ pietatis genus eſt, impium eſſe pro Domi„no.] Et ad Paulam, ſuper obitu Bleſillæ filiæ; [Grandis in ſuos pietas impietas in De„um eſt.] Sanè Paulus à Chriſto vocatus, gloriatur in ep. ad Gal. cap. 1. ſe non acquieviſſe carni, & ſanguini, ſed illicò ſecutum fuiſſe vocantem. Quod meliùs & ſignificantiùs in græcô habêri adnotavit idem Hier. Non contuli cum carne, & ſanguine. Et Sanctus Joannes Chryſ. homilia 18. ex varijs Matthæi locis, illa Chriſti verba c. 18. Si oculus tuus, ſi manus, ſi pes ſcandalizat te, abſcinde, & proijce abs te; de patre, & matre interpretatur, quos diſcipulorum Domini imitatione relinquere debet Chriſtum ſecuturus. [Apo„ſtolorum, inquit imitatores ſumus: non poſ„ſumus eos imitari, niſi fecerimus, quod fe„cerunt & Apoſtoli. Aut Chriſtiana eſt mater, „ aut non Chriſtiana; aut Sancta eſt, aut pecca„trix, ſi ſancta eſt, gaudet quòd ſervis domi„no; ſi peccatrix, dimitte illam, mortua eſt.] Et tandem afferens præceptum de parentibus honoran-

Digitized by Google

honorandis; reſpondet: [Intantùm honora „ parentes, inquantùm non impediant ad ſer- „ vitutem Domini.] Et homiliâ tertiâ in Marcum, Spiritum Sanctum, ait, expellere homines de domo parentum ſuorum, & ducere eos in ſolitudinem religionis. Cui qui ſtatim non acquieſcit, tenero, ac terreno parentum amore detentus, is legat epiſtolam 111. Sancti Bernardi citatam.

De amore divitiar.

Secundum vinculum, quo detinentur plutimi, atque à ſequendo Chriſto facilè abducuntur, ſunt opes, & facultates, quas in terra poſſident; ſpeſque multiplex, quàm pollicetur mundus. Hæc enim relinquere permoleſtum. S. Cyprianus in ſer. de lapſis; [De- „ cipit, inquit, multos patrimonij ſui amor „ cœcus, nec ad recedendum parati, aut ex- „ pediti eſſe potuerunt, quos facultates ſuæ „ velut compedes ligaverunt. Illa fuerant re- „ manentibus vincula, illæ catenæ, quibus & „ virtus retardata eſt, & fides preſſa, & mens „ vincta, & anima præcluſa, ut ſerpenti ter- „ ram ſecundùm Dei ſententiam devoranti „ præda, & cibus fierent, qui terreſtribus in- „ hærerent, & quæ ſeq.] [Sequere, (inquit „ Lactantius in libro de vero cultu c. 12.) ab- „ jectis oneribus, quæ te premunt, libera te- „ ipſum compedibus, & catenis, ut expeditiùs „ ad Deum curras. Magni, & excelſi animi „ eſt deſpicere, & calcare mortalia.] [Non „ enim poteſt dominari omnibus (ut habet S. „ Petrus Chryſ. ſer. 22.) niſi is, qui proprijs „ non tenetur: dejectæ mentis eſt, qui fami- „ liaris rei meminit, cùm vocatur ad regnum: „ jacens animus plebejus nummulum theſau- „ ris regalibus anteponit: pauper ſenſus parvis „ incubans perdit magna, & inhians tempora- „ libus deſerit ſempiterna.] [Et nonnè cadu- „ carum (ait S. Ambroſ. ſub finem libri primi „ de virginibus) & fragilium diſpendia facul- „ tatum, futura cœli regna compenſant? fœ- „ nerare Chriſto. Bonus depoſitæ ſpei cuſtos „ multiplicatis fidei tuæ talentum ſolvit uſu- „ ris.] [Quid cunctamur (inquiebat Auguſti- „ nus in 6. confeſſ. libro c. 11.) relicta ſpe „ ſæculi, conferre nos totos ad quærendum „ Deum, & vitam beatam?] Et libro 8. cap. 6. duos narrat milites Sancti Antonij vitam legentes reliquiſſe mundum; dum alter alteri dicit; Dic quæſo te, omnibus iſtis laboribus noſtris quò ambimus pervenire? quid quærimus? majorne eſſe poterit ſpes noſtra in palatio, quàm ut amici Imperatoris ſimus? & ibi, quid non fragile, plenumque periculis? & per quot pericula pervenitur ad grandius periculum? & quandiù iſtud erit? amicus autem Dei, ſi voluero, ecce nunc fio. Quibus adde centuplum in præſenti promiſſum tempore, & poſt æternam vitam, & theſaurum illis dandum, qui omnia propter Deum reliquerint.

Conſtantia tentatio.

Tertium denique ex puſillanimitate provenit, & ejus hominis eſt, qui humanis viribus divina metiatur. Verùm & optimè reſpondit Sanctus Chryſ. libro 3. adverſus vituper. vitæ monaſticæ, & undè tibi conſtat, quòd nòn perſeverabis? multi enim perſeverarunt, & multò plures, quàm exciderunt. Nam ut illius, qui nihil aliud, quàm virtutis propriæ perfectionem & divini numinis honorem, & gloriam quærat, vocatio non niſi divina eſſe poteſt (non enim mundus, neque diabolus, neque caro, & ſanguis, aut humanus ſenſus, ad apertum adverſum ſe bellum vocarent; aut tam alta, & perfecta moliri poſſunt) fidelis ubique & ſemper eſt Deus, qui non deſeret vocatos, ſed neceſſariâ ſemper gratiâ, & ope ſua fovebit. Hinc verè Sanctus Bernardus in ſermone 1. de circumciſ. Domini Deum ratiocinatur Iſ. cap. 9. admirabilem conſiliarium, & fortem appellatum fuiſſe, quoniam in mutatione noſtrarum voluntatum, quando ad religionem vocavit, verè admirabilis conſiliarius fuit, efficiendo, ut id reſpueremus, quod diligebamus, doleremus, undè lætabamur, amplecteremur quod timebamus, ſequeremur, quod fugiebamus, optaremus, quod contemnebamus: fortis verò in expugnando impugnantes nos, vireſque ad tentationes omnes, vitæque aſperitates ſuperandas ſuppeditando. Pertinet ad hunc locum illud, quod eſt apud Sanctum Auguſtinum in octavo libro confeſſ. cap. 11. Quod enim ille de caſtitate dixit; hoc nos de vocatione ad religioſum ſtatum dicere poſſumus: [Aperiebatur, inquit, caſta „ dignitas continentiæ, ſerena, & non diſſo- „ lutè hilaris, honeſtè blandiens, ut venirem, „ neque dubitarem, & extendens ad me ſuſ- „ cipiendum, & amplectendum pias manus „ plenas gregibus bonorum exemplorum. Ibi „ tot pueri, & puellæ, ibi juventus multa, & „ omnis ætas. Et irridebat me irriſione exhor- „ tatoria, quaſi diceret; tu non poteris, quod „ iſti, & iſtæ? an verò iſti, & iſtæ in ſemet- „ ipſis poſſunt, & non in Domino Deo ſuo? „ Quid in te ſtas, & non ſtas? Proijce te in „ eum, noli metuere: non ſe ſubtrahet ut ca- „ das: proijce te ſecurus, excipiet te, & ſalva- „ bit te.] Proptereà Cinæo prophetans Balaãm dixit Numerorum capite vigeſimo quarto: Robuſtum eſt habitaculum tuum; ſed ſi in petra, hoc eſt in Chriſto, poſueris nidum tuum, & velut aquila ad divinum præceptum, ut dicitur Job cap. 39. Elevatur, & in arduis ponit nidum ſuum; in petris, & in præruptis ſilicibus, & in acceſſis rupibus manet: & ideò hortatur Job cap. 22. Acquieſce ei, & habeto pacem, & per hæc habebis fructus optimos; ſuſcipe ex ore illius legem, & pone ſermones ejus in corde tuo, ædificaberis, & longè facies iniquitatem à tabernaculo tuo. Dabit pro

terra

Digitized by Google

terra ſilicem, & pro ſilice torrentes aureos. „[Terra enim (ut habet Sanctus Gregorius „lib. 16. c. 9.) eſt infirmitas actionis, du„ritia ſilicis fortitudo, torrentes autem aurei „doctrina intimæ claritatis. Deus namque ad „ſe converſis pro terra dat ſilicem, id eſt for„titudinem robuſti operis, & torrentes aureos „claræ prædicationis, quâ cæteris quoque „prodeſſe poſſint. Eritque omnipotens con„trà hoſtes tuos, & argentum coacervabitur „tibi.] Ferrum quippe de terra tollitur, ait idem Job c. 28. & lapis ſolutus calore in æs vertitur. Matthæum adfert Greg. lib. 18. c. 16. in terra inventum, hoc eſt terrenis negotijs implicatum, & de terra ſublatum in fortitudinem ferri convaluiſſe, dum ejus lingua quaſi acutiſſimus gladius infidelium corda transfixit. Quippè Iſ. 40. Qui confidunt in Domino, mutabunt fortitudinem. Cæterùm non eadem eſt omnium vocationis ratio, non eadem gratia: nam & S. Aug. in ſer. 39. ad fratres in eremo, electionem, ſubelectionem, & præelectionem nominavit. Et S. Bern. in ſer. 2. de Aſcenſione Domini, alios dixit trahi, alios duci, alios rapi. Et Sanctus Hieron. in caput primum Joëlis, tractans illa verba; Plange quaſi virgo accincta ſacco, ſuper virum pubertatis ſuæ; alios notat Deum vocare, & deſponſare ſibi virgines; alios velut meretrices quemadmodùm de Oſeë Propheta legitur; & in caput Zachariæ 10. dicente Deo: Sibilabo eis, & congregabo eos; [Sibilat, inquit, „Dominus his, qui in peccatis fuerunt antè „captivi, & loquitur ad eos; Venite ad me om„nes, &c. Quid hoc ſibilo clementius, quo „diſperſus populus congregatur?] Et aliquos, ait, Sanctus Gregorius lib. 5. moral. c. 29. & homilia 36. in Evang. deſpicit mundus, quos Chriſtus aſſumit; quia ipſa deſpectio hominem revocat ad ſe ipſum, & tantò celeriùs vocem Dei audit, quantò in hoc mundo non habet, ubi delectetur; ſicut primo Reg. 30. Ægyptius puer ab Amalecita ægrotus deſeritur, quem David invenit, cibo reficit, & ducem ſui itineris facit, & Amalecitam perſequens extinguit. Amator enim ſæculi peccati nigredine coöpertus, à ſæculo deſpectus relinquitur, & adverſitatibus fractus jacet. Hunc Deus ad ſe converſum trahit, verbi ſcientiâ paſcit, & ſuum prædicatorem facit, mundique lætitiam deſtruit. Atque hic ferè eſt mos Dei; quemadmodùm idem Gregor. obſervavit in libro 18. moral. cap. 7. ut dulciter primùm vocet, & poſtmodùm terribiliter increpet reſiſtentem, & ad extremum irretractabiliter damnet.

Vocationes variæ.

Quod ſi qui ſint, qui divinam vocationem ſequentes, in ea uſque ad finem non perſeverent, ſed mittentes manum ad aratrum, retrò reſpiciant, hos divina ſententia Luc. cap. 9. non eſſe aptos regno Dei pronuntiavit. Itaque Loth, & illius uxorem à Sodomorum incendio liberatos voluerunt veteres Patres duo hominum genera ad religionem vocatorum ſignificâſſe; quorum alterum perfectè & perſeveranter deſerit mundum; alterum imperfectè, & retrò aſpiciens: illorumque figuram fuiſſe Loth, horum uxorem ejus. Ita Sanctus Auguſtinus libro 10. de civitate Dei cap. 8. & libro 22. contrà Fauſtum cap. 41. & comment. in Pſ. 83. & ſer. 34. ad fratres in eremo. Et S. Hieronymus Lucinium monet, & obſervat, ut qui Sodomam reliquit, ad montana feſtinans, poſt tergum nè reſpiciat. Cæpiſſe namque multorum eſt, & ad culmen perveniſſe paucorum. Cur autem illi retrò aſpicientes deficiant, manifeſtum eſt ipſorum fieri culpâ: quod permittit Deus, ut exemplo ſuo alios perſeveraturos attendant: quemadmodùm habet S. Greg. libro 34. moral. c. 13. nam aliquos etiam tandem reprobandos permittit benè vivere, ut alios electos ad virtutem exemplo ſuo alliciant, ſicut interdum aliquos euntes ad aliquem locum ſequuntur alij; ſed aliquo caſu fit, ut illi redeant, & hi ad locum perveniant.

Gen. 19.

CAPUT IX.

De allicientibus, & retrahentibus.

PORRÒ à Deo vocandi ſunt, qui alliciant, & invitent, ſunt & qui vocatos retrahant, qui alliciunt, ſanè ad bonum trahunt: intelligant tamen non eſſe humanum opus, ſed divinum: quod ſi illi juvare, ac promovêre conentur, rem Deo gratam, atque ab hominibus laudandam operantur. Objecit aliquando Chriſtianis hominibus Celſus Judæus, ut eſt apud Origenem in 3. adverſus ipſum lib. quòd omnes ad ſuam religionem, hoc eſt ad Chriſti cognitionem, & cultum hortarentur, & traherent: ubicumque, inquiebat, vel adoleſcentuli quidam coierint, vel otioſum vulgus, eò ſe iſti proripiunt, &c. Addebat & pueros à parentum obedientia avocatos, & his ſimilia. Sed reſpondit Origenes; ſapientes quoque Philoſophos id factitâſſe, atque ad philoſophiam, ſeque ſequendos invitâſſe, induxiſſeque, & cur nobis non liceat ad veram Dei religionem, ac Chriſti ſequelam invitare volentes? Judæos quoque munuſculis, & medicamentis promiſſis fuiſſe ſolitos allicere Chriſtianos, legimus apud Sanctum Jo. Chryſoſtomum or. 5. adverſùs ipſos. Et Sanctus Baſilius in ſerm. de abdicatione rerum à Chriſto adhortante ad religionem dictum illud fuiſſe notat; Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis. Et non ſolùm Samuël ab Anna 1. Reg. 1. adductus in templum oblatus fuit

Allici poſſe juvenes.

Matth. 11.

Digitized by Google

fuit Domino; ſed & Gregorius Nazianzenus in apologia, cur in Pontum fugerit, & in oratione de funere patris, & in carmine de ſuis rebus, & in Epitaphio Gregorij materna ſe pollicitatione oblatum memorat; & in epiſtola 80. ad Aërium, & Alypium, areæ, & torcularis, & filiorum primitias, ſcribit offerendas eſſe Deo ab ijs, qui filios verè amant. Quod de Theodoreto quoque legimus in hiſtoria Sanctorum Patrum, in Macedonio, & de Stephano juniore, in ipſius vita inter opera Damaſceni. Et Paulam ſcribit ad Lætam S. Hier. priùs Chriſto conſecratam, quàm genitam. Agricolarum exemplo illuſtrat S. Joan. Chryſ. hom. de fide Annæ tom. 1. nam & illi arborem in una terra natam, non in eadem terra relinquunt, ſed in aliam transferunt, ut nova educatione fœliciùs adoleſcat; & matres in utero ſuo progenitos filios, in religionis terram debent tranſplantare, ubi ſunt irrigationes ſpirituales, &c. Et in tertio libro adversùs vituperatores vitæ monaſticæ, filios vult ad monaſterium educari; & ideò ex Monaſterio acerſiri illis pædagogum; Nam & illud Pauli in priore ad Tim. epiſt. cap. 2. Salvabitur mulier per filiorum generationem, ita interpretatur, ſi Deo, & religioni dedicaverit. Et aliquando Romanos nobiles Sancto Benedicto filios educandos dediſſe, Maurum, & Placidum, narrat Sanctus Gregorius libro ſecundo dialogorum cap. 3.

Retrahendos muſſe. Contrà retrahentes autem, & impedientes vocatos à Deo, habes tres libros à Sancto Joanne Chryſoſtomo adversùs vituperat. vitæ monaſticæ; quos non minùs jucundum, quàm fructuoſum erit perlegere. Hos verè dixeris figuratos in Pharaõne fuiſſe, qui nolebat dimittere filios Iſraël, ut egreſſi ex Ægypto ſacrificarent Domino in deſerto. Quod multis perſequitur Origenes homiliâ tertiâ in Exodum. Hos etiam verè hom. 12. in Num. ſignificatos intellexit in Sehon Amorrhæorum Rege in libro Num. cap. 21. Cùm enim vellent per terram illius tranſire filij Iſraël, nihil de rebus, ac bonis ipſius accepturi, ille concedere noluit; ſed exercitu congregato, egreſſus obviam, pugnavit contrà eos, & in ore gladij percuſſus eſt, & fugatus. Et S. Joannes Chryſoſtomus libro 1. citati operis, ſimiles facit illis, qui Judæos captivitate ſoluta templum deſtructum reædificare volentes impediebant: pejoreſque eſſe ait divite Epulone, qui dum viveret, legis monita contempſit; pejores Judæis, qui Apoſtolis Chriſtum prædicantibus reſiſtebant. Vel etiam Bernardi ſententia in ſer. 1. in converſ. Sancti Pauli, qui Chriſtum occiderunt. Inſigne eſt apud Sanctum Ambroſium in extremo libro 1. de Virginibus, exemplum tum Conſtantiæ virginis, tum divinæ ultionis in eos, qui illam retrahere conabantur. Certè S. Gregorius Papa lib. 2. regiſt. c. 78. Catellam ſervam, quæ religioſa fieri volebat, atque à Domino prohibebatur, emi juſſit, & ad monaſterium duci. Et libro ſeptimo capite 28. Adeodatam à matre impeditam Epiſcopo præcepit adjuvari, atque à vexatione liberari. Et Sanctus Anſelmus epiſt. 12. lib. 3. graviter reprehendit Joifridum Pariſienſem Epiſcopum, quòd Clericum religionem ingreſſum ab ea revocâſſet: idque fieri non debére multis oſtendit ex ſacris litteris, ex Gregorio Papa, Concilio Toletano, & rationibus. Horum linguam S. Aug. in Pſal. 119. interpretatur eſſe linguam doloſam, à qua liberari ſe David petebat, cùm diceret; Libera animam meam à labijs iniquis, & à lingua doloſa; quæ nos ſcilicet à bono retrahit. Multa habet S. Bernardus in epiſt. 2. ad Fulconem, & 111. ad Eliæ parentes, in qua non parentes eos, ſed hoſtes, ſed peremptores appellat. Et epiſt. 292. ad quemdam, qui novitium dehortatus fuerat à propoſito. Et Joſaphat apud Sanctum Joan. Damaſcenum in hiſtoria cap. 24. ad patrem à Chriſti fide revocantem hæc fuerunt verba; [Quo„nam modo pater, ac non potiùs hoſtis vocan„dus ſis? Nec ego patrem poſthac te appella„bo: verùm à te abſcedam, non ſecùs atque „is, qui ſerpentem fugit: ſiquidem te ſaluti „meæ invidêre, meque in exitium per vim „impellere perſpectum habeo.] At demùm S. Hier. in ep. ad Julianum c. 4. [Si huic conſi„lio noſtro, vel amicus, vel aſſecla, vel pro„pinquus renititur, & te ad delicias ſplenden„tis menſæ revocat: intelligito eum non de „tua anima, ſed de tuo ventre cogitare, & om„nes opes, lautaq; convivia, ſubita morte fini„ri. Fœlix & omni dignus beatitudine, quem „ſenectus Chriſto occupat ſervientem; quem „extrema dies Salvatori invenerit militantem; „Qui non confundetur, cùm loquetur inimi„cis ſuis in porta: cui in introitu paradiſi dice„tur: Recepiſti mala in vita tua, nunc autem „hìc lætare. Difficile, immò impoſſibile eſt, „ut præſentibus quis, & futuris fruatur bonis, „ut & hìc ventrem, & ibi mentem impleat; „ut de delicijs tranſeat ad delicias; ut & in cœ„lo, & in terra appareat glorioſus.] *Pſal. 126. Luc. 16.*

CAPUT X.

Non differendam eſſe vocationem.

SANCTOS Evangeliſtas, cùm Apoſtolorum vocationem ſcripſerunt, ſtatim illos vocantem Dominum relictis omnibus ſecutos fuiſſe, non ſine cauſa arbitror ego adnotâſſe. Sic enim de Petro, & Andrea Matthæus habet capite quarto. At illi continuò relictis retibus ſecuti ſunt eum: & rurſùm de Jacobo, & Joanne; Illi autem ſtatim relictis retibus, *Statim ſequendus Deus.*

Digitized by Google

& patre ſecuti ſunt eum. Et capite nono videns Dominus Matthæum ſedentem ad telonium, ait illi; Sequere me: & ſurgens ſecutus eſt eum; nimirùm ſtatim, non poſt longam deliberationem. Et Mar. c. 1. de Petro, & Andrea, de Jacobo, & Joanne, rurſùm repetitur; Protinùs, & Statim. Cauſam fuiſſe opinor, ut poſteri quoque intelligerent à Deo vocati, idem ſibi agendum eſſe, non differendum, non procraſtinandum. Illum quidem certè, qui Matthæi octavo petivit primùm ſepelire patrem ſuum, non longum tempus poſtulâſſe, quo cum patre viveret, ſed tantillum dilationis, & unius fortaſsè horæ ſpatium, quo ſepeliret mortuum, adnotavit S. Joannes Chryſoſtomus homiliâ 18. ex varijs Matthæi locis: neque fuiſſe conceſſum; quoniam & in illa hora perire poterat. Et in 3. libro adversùs vituperat. vitæ monaſt. illis, qui ad ſenectutem differre cogitant; [Quis tandem, inquit, ille ,, erit, qui polliceatur ad extremam nos pro- ,, vehendos eſſe ſenectutem, quodque cùm ad ,, illam pervenerimus, hac in voluntate, & ſen- ,, tentia perſeverabimus?] Immò verò ut habet Sanctus Ambroſius libro 7. in Lucam; quî ſcis, an nocte proxima tua à te anima repoſcatur? Verùm etſi de longa certus eſſes vita; cur tanta temporis jactura? cur mercedem, & gloriam tuam longioris temporis ſervitute, plurimiſque bonis operibus non cumulas? Stabit tibi denarius diurnus, ſed multus interim peribit gloriæ theſaurus.

Non longa opus deliberatione.

Neque verò longa opus deliberatione, multorumque conſilio in hoc peragendo negotio. Eſt enim melioris vitæ ſuſceptio, & conſilium Domini; Vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & ſequere me, & ubi habes conſilium Chriſti, quem alium adhibeas conſiliarium? In plurium religionum numero hoc tibi unum quærendum eſt, in quanam illarum magis vigeat regularis obſervatio, religioſaque diſciplina, quæque tibi magis conveniat, atque illud perpaucis, ſed probatiſsimis adhibitis conſiliarijs deliberandum, quænam illarum tibi ſit magis accommodata habita ratione virium, corporiſque totius temperationis, & verò etiam animæ perturbationum, ac propenſionum. At hoc totum brevi tempore perfici poteſt, eoque peracto, juxtà Sapientis monitum Eccleſiaſtici capite ſeptimo. Non tardes converti ad Dominum, & nè differas de die in diem. Sed urgente quoque S. Jo. Chryſ. homiliâ quinquageſimâ ſextâ ad populum: ,, [Dum eſt tibi fervens hic amor, ad ipſos ab- ,, eas Angelos illos; eum magis accende, nè ,, dicas alloquar prius parentes, & cognatos, & ,, res diſſolvam: torporis initium eſt hujuſmo- ,, di dilatio. Patrem ſepelire diſcipulus voluit, ,, & nec iſtud Chriſtus conceſsit, quoniam ,, acer inſtat diabolus ingreſſum aliquem cape- ,, re volens, ſi vel brevem arripuerit dilatio- ,, nem.] [Feſtina, quæſo te (ſcribit ad Pauli- ,, num S. Hieronymus epiſt. 103. cap. 9.) & ,, hærentis in ſalo naviculæ funem magis præ- ,, cide, quàm ſolve.] Et S. Anſel. ep. 1. [Fe- ,, ſtina ad tantum bonum, quia nullo bono ef- ,, ficaciùs pervenies ad ſummum bonum. Plu- ,, res vidi promittentes, & differentes, quos ,, ita mors tulit, ut nec id inciperent, quod pro- ,, mittebant.] Et Sanctus Bernardus epiſtola 105. ad Romanum: [Rumpe moras, fac citò, ,, quod promiſiſti; Eia feſtina, exi, recede, mo- ,, riatur anima tua morte juſtorum. Fuge quæ- ,, ſo, in via peccatorum nè ſteteris, quo modo ,, vivere potes, ubi mori non audes?] Et epiſt. 108. pluribus hoc argumentum tractat cum Thoma de Sancto Audomaro, qui terminum tranſgreſſus, quem poſuerat, annuas adhuc inducias poſtulabat: [Inter cætera, obſecro, ,, inquit, redi ad cor, & adverte hunc annuum ,, terminum, quem tu tibi indulſiſti in injuri- ,, am Dei, non eſſe annum placabilem Domi- ,, no; ſed diſcordiæ ſeminarium, iræ fomitem, ,, nutrimentum apoſtaſiæ: qui ſpiritum ex- ,, tinguat, gratiam intercludat; teporem affe- ,, rat illum, qui Deo ſolet vomitum provoca- ,, re.] Profertque alterius Thomæ exemplum, qui moras ſimiliter nectens, ſubita interim & horrenda morte fuit extinctus. Itaque in ſermone in ea verba; Ecce nos reliquimus omnia, *Matth. 19.* adversùs illos, qui diuturnam conſulunt deliberationem, ita prorsùs loquitur: [Hæc ſa- ,, pientia mundi, terrena, animalis, diabolica, ,, inimica ſalutis, ſuffocatrix vitæ, mater te- ,, piditatis, quæ ſolet Deo vomitum provoca- ,, re. Vocat magni conſilij Angelus; quid ali- ,, ena conſilia præſtolaris? Quis enim fideli- ,, or, quis ſapientior illo? ab ore putei eripier, ,, & inducias petam, & retardabor, & cun- ,, ctabor exire? Abſcondi ignem in ſinu meo; ,, & exuſto jam latere, jam nudatis viſceribus, ,, jam ſanie defluente, diù mihi deliberandum ,, eſt, an expergiſcar, an excutiam, an abijciam ,, illum?] Sanctum Auguſtinum quidem certè in 8. Confeſſionum libro cap. 5. magnoperè deplorantem legimus moram ſuam & cunctationem, contentionemque narrantem duarum in ſe voluntatum veteris, & novæ. Et cap. 6. commendat plurimùm duos illos milites; quos anteà dixi, qui ſtatim à Deo vocati reliquerunt militiam ſæcularem, ſeque Deo dicârunt, in illo ipſo loco, in quo vocati fuerant.

CAPUT XI.

De admittendis ad religionem.

Examinandi.

EOs verò, qui ad religionem admitti poſtulant etiam atque etiam eſſe examinandos, & probandos, & ratio docet, & exem-

pla

pla confirmant. Namque ad bonum, & conſervationem religionis plurimùm pertinet, ut hominum delectus habeatur, neque temerè admittantur inepti, aut qui malis, & corruptis moribus corrumpant bonos domeſticos, pravoque exemplo apud externos bonum minuant religionis nomen; aut etiam corporis infirma, vel infecta valetudine, non ſolùm non utiles, quin etiam graves, & damnoſi ſint. Neque enim ad militiam, quivis admittitur; nec ſervum, aut ancillam, multò minùs uxorem, filiorumve educatorem, ac pædagogum, abſque diligenti examine in tuam ipſe recipis domum. Quid verò ſi peſtis, aut contagioſus aliquis graſſetur morbus; an non diligenter viderit civitas, quoſnam intrà ſua recipiat mœnia, & ad cæteris convivendum admittat? Contagioſo ſanè, & quidem multiplici mundus infectus eſt morbo, & quemlibet ex mundo adventantem temerè ſuſcipiat religio? Sapienter mea quidem ſententia monuiſſe videtur S. Chryſ. religionibus perniciosum eſſe multitudinem deſiderare, homiliâ octavâ in Acta, & vigeſimâ ſextâ ad populum: [Ob „ hoc omnia ſubverſa ſunt, quia quemadmo„ dùm in ſpectaculis multitudinem deſidera„ mus, non multitudinem probatam. Quid e„ nim turba poterit prodeſſe?] Et hom. 24. in Acta utitur verbis Eccleſiaſtici cap. 15. Non concupiſcit Deus multitudinem filiorum infidelium, & inutilium: [Melior eſt corpori „ congruus cibus cum ſanitate, quàm cum mo„ leſtia deliciæ. Et in bello melius eſt decem „ eſſe peritos belli, quàm innumeros imperi„ tos: & in navi utiliores duo nautæ navigare „ ſcientes, quàm magna imperitorum multitu„ do. Hi enim & navigium ſubmergunt.] Et h. 40. ad populum. [Quænam quæſo utilitas „ multum eſſe fœnum potiùs quàm paucos la„ pides pretioſos? Non in numeri multitudi„ ne, ſed in virtutis probitate multitudo con„ ſiſtit.] Sed & Sanctus Cyprianus epiſtolâ 3. ad Cornelium, quoſdam addit admitti non poſſe ſine ſcandalo, atq; periculo plurimorum: „ [Neque enim ſic putamina quædam colli„ genda ſunt, ut quæ integra, & ſana ſunt vul„ nerentur: nec utilis, & conſultus eſt paſtor, „ qui ita morbidas, & contactas oves gregi ad„ miſcet, ut gregem totum mali cohærentis „ afflictatione contaminet.].

Probandi. Ergò accedentes, & poſtulantes in religionem admitti examinandi ſunt, & probandi juxtà illud 1. Jo. cap. 4. Nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus, ſi ex Deo ſint. Et Paulus in priore ad Tim. capite tertio, diaconos vult probari primùm, antequam miniſtrent: Et Origenes lib. 3. contrà Celſum, apud veteres Chriſtianos, teſtatur fuiſſe aliquos conſtitutos, qui ſe adeuntium & vitam, & mores ſedulo examinarent: ut qui nequiter egiſſent à communi cœtu ſecernerentur; qui verò benè, animo toto exciperentur, & in dies redderentur meliores.

Examinandam porrò primùm vocationem Sanctus Auguſtinus præcipit in ſer. 1. ad fratres in eremo; num à Deo vocatus accedat, an alio aliquo ſpiritu, ſineve humano impulſus; an etiam animi levitate. [Celeritas enim con„ verſionis (inquit Gregorius libro 4. in 1. „ Reg. cap. 4.) plerunque oritur ex præcipita„ tione conſilij, non ex incremento devotio„ nis.] Qui ergò in regularis vitæ propoſito alijs præſunt, tantò diſcretiùs debent ad eandem vitam converſos recipere, quantò & utiliùs prænoſcendum eſt, an accedentium petitio ex virtute ſit animi, an ex præcipitatione voluntatis. Nam qui in ſuis actibus faciles ſunt, ſolent tam inſtanter vitæ ſpiritualis aſperitatem appetere, ut videantur magna animi virtute, quod expetunt, deſiderare.

Quod ſi de Dei vocatione conſtiterit, ubi adſint cætera, non ſine periculo, & culpa reijcietur à nobis, monet Sanctus Baſilius in regulis fuſioribus ad interrogationem 10. Et S. Bernard. in epiſt. 324. ad Leonium Abbatem: *Probati admittendi.* „ [Quem Dominus vocavit, vide nè revoces: „ quem Deus erexit, tu inclinare noli; nec po„ nas ei offendiculum, cui Deus manum por„ rigit aſcendenti.] [Sed tamen, nec quivis il„ lotis pedibus, inquit Baſilius in Sanctuarium „ Domini admittendus eſt.] Et Chriſtus adoleſcentem illum de ſuperiore vita interrogavit, & rectè actam audiens, quod ad perfectionem deſiderabatur, adjunxit. Quare à nobis fuerit interrogandum, ut eo loco habet Baſilius & or. de inſtit. & admonitione; & quantum fieri poterit mores illius explorandi; & num ingenio ſtabili, & conſtanti ſit, an levi, & mutabili, ut intelligas, num ſtatim admitti poſſit, an longiore ſit opus probatione. Num ad omne humilitatis, & abjectionis genus, & ſordidiſſima quæque officia promptus, ac paratus accedat. Ab omni quippè vanitate, atque ambitione æquum eſt eum eſſe alienum, qui futurus eſt religioſus, ut idem Baſilius habet in conſtitutione monaſtica cap. 10. & 25. uno verbo complectar, rem optimè perficiemus, ſi Saülem imitabimur; de quo in primo Regum cap. 14. legimus: Erat autem bellum potens adverſum Philiſtæos omnibus diebus Saül. Nam quemcumque viderat Saül virum fortem; & aptum ad prælium ſociabat eum ſibi. Hic eſt delectus hominum, qui & in militibus colligendis habetur, ut paulò antè dicebam; & in admittendis ad religionem habêri oportet. Hominum, inquam, qui & fortes ſint, & apti: fortes per voluntatem, apti per ſcientiam. Sic enim interpretatur Sanctus Gregorius extremo libro 5. in primum Regum. [Fortes non „ apti repellendi ſunt, non ſociandi nobis:

Digitized by Google

„ quia per ſapientes reprobos robur noſtrum „ deſtruitur, non augetur. Fortes, & non apti ſunt, qui onera ſæculi fortiter ferunt, & „ fortitudinem ſuam in ſervitium conditoris „ transferre neſciunt. Ergò viros ad Chriſti „ militiam cum magna nobis diſcretione ſociemus; nec accedentibus antè præbeamus „ ingreſſum, quàm eos aptos per ſcientiam, & „ fortes per bonam voluntatem eſſe ſciamus.] Ita Gregorius.

Veterum monachorum probatio, & admiſſio.

Cæterùm etſi fortes, & apti judicarentur à veteribus monachis, non tamen ad monaſterium admittebantur, niſi priùs decem, aut plures dies pro foribus excubâſſent, ab omnibus rejecti, & verò injurijs, ac contumelijs probati, ut vidêre eſt apud Joannem Caſsianum in libro de inſtitutis renuntiantium capite tertio, Joannem Climachum, & alios. Mox admiſsi veſtibus ſuis ſpoliabantur, atque alijs ab Abbate induebantur, ut intelligerent, ſe omni mundano faſtu depoſito ad paupertatem Chriſti deſcendiſſe. Sæculares tamen veſtes toto probationis tempore conſervabantur. Et, ſi murmurationis, aut inobedientiæ vitium incurriſſent, monaſterij veſtibus exuti, primiſque induti dimittebantur. Sed antequam ad convictum communem admitterentur, peregrinis, atque hoſpitibus ſerviendo probabantur. Ita de veteribus monachis teſtatur Caſſianus loco citato capite quinto, ſexto, & ſeptimo. Ita in omnibus religionibus unus, aut alter annus probationis conſtituitur; quo ut in regula quoque præcipit Sanctus Auguſtinus: Probet unuſquiſque religionis inſtitutum, & viciſſim ipſe ab illius moderatoribus probetur, eſtque integrum illi hoc tempore à propoſito recedere, ſi minùs probet, aut à Prælato dimitti ſi non probetur. Quam ob cauſam Sancti Gregorius, atque Bernardus de illis interpretantur illud Cant. capite ſecundo: Vinea noſtra floruit; [Floribus namque omninò timetur, nè pereant; & dum adhuc quiſque ad „ perfectionem per exercitium diuturnum non „ convaluit, facilè ſi à dente venenoſo mordetur, ab hoc, quod nactus fuerat, evaneſcit.] Et ideò in 8. regiſtri libro cap. 23. Monachos ad monaſterium admiſſos præcipit Gregorius non niſi poſt probationis biennium tonſurari; Fortunatumque Neapolitanum Epiſcopum acriter reprehendit, quod Mauritium quemdam nondum ſatis probatum permiſiſſet tonſurari; qui pòſt cum alijs monachis ex monaſterio abiverat.

Sed & parùm prudentes, & diſcretæ interdum fuiſſe videntur probationes, quæ apud veteres leguntur monachos; qualis illa fuit Mucij apud Caſſianum in libro de inſtitutis renunt. capite ſecundo, qui cum filio 8. annorum circiter, præter conſuetudinem cœnobiorum admiſſus, non modò colaphis puerum innocentem ſubindè cædi, & lacerum, ac pannoſum dimiſſum cernebat; ſed etiam juſſus eſt eum in flumen proijcere: quod & ipſe forti perfecit animo, & particularem Dei ad majorem virtutis hominis coronam, credendum eſt fuiſſe inſtinctum.

Ætas admittendorum.

Gregorius tamen in primo Regiſtri libro cap. 48. & habetur cap. Quia autem, 20. q. 1. pueros vetuit antè 18. annos in monaſterijs recipi. Pudet me interdum in quibuſdam religioſorum familijs penè lactantes vidêre parvulos, quos puberes ſaltem eſſe oporteret. Quippè mari decimus quartus, & fœminæ duodecimus annus ad nubendum, tum homini, tum Deo conſtitutus eſt, quare quod de decimo octavo dicitur à Gregorio, aut de profeſſionis tempore accipi debet; aut de parvis quibuſdam inſulis dicitur, in quibus durior eſt vita monaſtica; aut contrario fuit uſu abrogatum. Sicut & illud, quod in libro 4. cap. 88. ſtatuit, nè clerici, niſi priùs in laico habitu benè probentur. Et quod libro octavo, cap. 23. nè milites abſque Papæ conſenſu admittantur. De quibus tamen lata lex à Mauritio Imperatore, nè ad religionem admitterentur, damnatur plurimùm in 2. libro capite 100.

De conjugatis.

De conjugatis duo habentur. Alterum in libro 6. cap. 184. ſi ſponſalia dumtaxat fuerint, poſſe alterum illorum altero invito ad meliora properare, atque in monaſterium, religionemve ſuſcipi, libero ſcilicet, & ſui juris altero remanente. Alterum in libro quinto, capite 149. ſi matrimonium fuerit conſumatum, aut etiam ratum, nequaquam alterum admittendum eſſe, niſi alter quoque religionem ſuſcipiat. [Nam dum unum, inquit Pontifex, utrorumque corpus conjugij copulati„ one ſit factum, incongruum eſt partem con„ verti, & partem in ſæculo remanêre.]

Æs alienum diſſolvendum.

Antè religionis ingreſſum ſolvenda eſſe debita, æsve alienum, ſi quod contractum fuerit, ſeriò monet Sanctus Anſelmus epiſtolâ 13. libro 1. ad Girardum. Et, ſi qui publicis rationibus ſunt implicati, eos in monaſterijs non ſuſcipi voluit S. Gregorius lib. 7. regiſtri cap. 11. niſi omnium rationibus redditis.

Novitius.

Novitium denique nuper religionem ingreſſum Sanctus Anſelmus in libro de ſimilitudinibus cap. 77. perſimilem fecit homini ægroto, qui potionem à medico accepit, quæ dum illius rimatur viſcera, membra percurrit omnia, maloſque humores colligit, miris modis hominem vexat, ſed totius corporis ſanitatem adfert. Ad eundem enim modum novitio multiplici ſæculi morbo laboranti, gravis eſt, & moleſta mortificatio crucis, & amara medicamenta, quæ ſpiritualis præſcribit Pater, ut animi ægritudines curet: ſed eæ ſalutem plurimam operantur.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT XII.

De habitu Religioſorum.

IAM in religione, ac religioſis, tria mihi præſertim conſideranda videntur; Habitus, ſeu veſtitus, Tonſura, & Regula, regulæque obſervatio. Veſtitus talaris eſt, & ad pedes uſquè productus, tum propter modeſtiam, & gravitatem, tum ut hominem moneat ſtabilitatis, & perſeverantiæ, uſquè ad vitæ finem. Figuratum in talari, & polymita tunica, quam Geneſ. capite 37. fecit Jacob filio ſuo Joſeph, quem ſuper omnes diligebat; ſcripſit Sanctus Anſelmus in libro de ſimilitudinibus capite 92. color, & forma non una, & eadem, ſed alia, atque alia, ut alia eſt, atque alia religio. Et indè cujus quiſque Ordinis ſit cognoſcitur, velut ex impreſſa figura dignoſcitur moneta, cujus Principis, aut regionis ſit; ut idem habet Anſelmus cap. 90. Clemens tamen Alexandrinus libro 2. pædag. cap. 10. trahere veſtes ad ſummos uſquè pedes demiſſas, valdè arrogans, & ſuperbum judicavit; quòd ambulandi actionem impediat, dum veſtis inſtar verriculi terræ ſordes ſecum trahit. Et omnes monent id, quod per ſe manifeſtum eſt, religioſi hominis veſtitum ſimplicem, & vilem eſſe debêre, non delicatum, ornatum, ac pretioſum. Eſt enim religio pœnitentiæ ſtatus, mortificationis, abjectionis, & contemptus mundi: Quid eſt habitus monachi, niſi contemptus mundi? inquit Sanctus Gregorius libro decimo regiſtri cap. 22. Tegat igitur nuditatem, & arceat frigus, ſed nihil habeat elegantiæ, & vanitatis. Undè in regula præcipit Sanctus Auguſtinus capite tertio. [Non ſit notabilis habitus veſter, „ nec affectetis veſtibus placêre, ſed moribus.] Et Sanctus Bernardus in modo benè vivendi ad Sororem cap. 9. [Talia debent eſſe veſtimen„ ta ſervorum Dei, in quibus nihil poſſit nota„ ri novitatis, nihil vanitatis, nihil ſuperfluita„ tis, nihil ſuperbiæ, & vanæ gloriæ.] Lege quæ de hoc pluribus collegi, cum de modeſtia agerem cap. 6. in quo de veſtitu agitur.

Triplex habitus. Hoc loco addam, triplicem eſſe religioſum habitum probationis, converſionis, & profeſſionis. Ut enim tria hominum genera religio continet, novitios, laicos homines non profeſſos, qui converſi vocitantur, & profeſſos; ita triplex à juris Canonici interpretibus habitus nominatur. Rationi quippè conſentaneum fuit ſempêr judicatum in Eccleſia, & religioſis ordinibus; ut quemadmodùm alius eſt militis habitus, alius ſenatoris, & doctoris, alius artificis, & mechanici; ſic inter religioſos exteriori veſtitu hominum gradus, & ordines eſſent diſtincti; & unuſquiſque qualis eſſet, appareret, ut omnis confuſio tolleretur. Quare in cap. Statuimus, de regularibus; ſtatuit Gregorius Nonus, ubi novitiorum habitus à profeſſorum habitu non diſtinguitur, profeſſorum habitus benedicatur; ut à novitiorum habitu diſcernatur. De converſorum autem habitu extat cap. Conſuluit; qui clerici, vel voventes, in quo Alexander Tertius declaravit eſſe velut ſimplex votum, quod matrimonium quidem impedit contrahendum, ſed non dirimit contractum, & in cap. Super eo, de regularibus; qui religionis habitum ſuſceperant, & antè profeſſionem ab auſteritate ſuſceptæ vitæ voluerant recedere, ad mitiorem religionem tranſire coacti ſunt, qui ſi dum eſſent in probatione recedere voluiſſent, ad priorem ſtatum redire potuiſſent. Profeſſorum denique habitus erat, qui dabatur profeſſis, qui & antiquo jure habitus religionis dicebatur; dum novitijs non dabatur habitus, ſed totam probationem vulgari peragebant habitu, & in profeſſione ſolùm habitum accipiebant; quarè & ipſa ſuſceptio habitus, tacita erat profeſſio. At poſteà datus eſt novitijs quoque ſive idem, ſive diverſus habitus; & tunc diſtinctus eſt habitus religionis, & habitus profeſſionis. Undè & illud, Monachum non facit habitus, ſed profeſſio; cap. Porrectum. & cap. Ex parte. de regularibus.

CAPUT XIII.

De Religioſorum tonſura.

CUR verò ſacerdotes radantur, ea placuit ratio Plutarcho in libro de Iſide, & Oſiride, quoniam excrementa omnia impura ſunt, & immunda; eſtque nefas purum, & mundum, ab impuro, & immundo tangi. Sed capitis tonſura fuit ſemper ſervorum inſigne. *Servorum tonſura.* Et nunc ijs, qui ad triremes condemnantur, ut catena vinciuntur pedes, ſic raduntur capita; & apud veteres, qui ſervos ſe profitebantur, radebant ſeſe. Monachi, & clerici tonſurâ ſe Dei ſervos profitentur; quòd ita obtinuit, ut tondêre, ac tonſurare perindè eſſet, ac quaſi voto ſe ad ſuſcipiendum monachi habitum, ordineſve aſtringere. Undè & *Prima tonſura.* prima tonſura inter ordines, non certus ordo, ſed velut præludium, & promiſſio ſuſcipiendorum ordinum. Jo. Climachus gr. 4. quendam inter monachos admitti voluit, antequàm probaretur, juſſum tondêri ſtatim, & monachis aggregati, & apud Sophronium in Prato capite ſeptuageſimo octavo, adoleſcens, qui monachus fieri voluit, tonſus illicò fuit. Et alius cap. 118. & latronum princeps cap. 143. Et Gregorius Turon. libro tertio, capite decimo octavo, Regis Francorum filium totondiſſe ſe, nè ullum reipublicæ munus ſuſciperet.

Digitized by Google

Et in Concilijs Meguntino, & Toletano 2. cautum fuit, nè pueri à parentibus monaſterijs oblati tonderentur antè decimum octavum annum, ut interrogati poſſent oſtendere, an eſſe monachi vellent; quaſi tondêri jam eſſet, quaſi monachum ſe profitêri.

Fuit etiam tonſura pœnitentiæ ſignum. Et in 3. Toletano Conc. 12. ordinatum eſt, ut qui pœnitentiam poſtulabant, priùs tonderentur. Et quis neſciat monachorum, & clericorum ſtatum pœnitentium ſtatum eſſe? Vide etiam in Toletano 4. c. 54. & in 6. c. 7.

Tonſuræ antiquitas. Neque hanc tonſuram eſſe rem novam, ſed antiquiſſimam in Eccleſia, teſtabitur Sanctus Dionyſius, qui libro de Eccleſiaſtica Hiërarchia capite ſexto ſuo tempore ſcribit eos, qui hoc vitæ genus ingrediebantur fuiſſe tonſos, ſigno crucis conſignatos, veſtemque mutâſſe. *Veſtis mutatio.* Veſtis mutatio, mutationem vitæ ſignificabat, quâ veterem exuti hominem, induebant novum. Crucis ſignum mortificationis Chriſti admonebat, & ad ſpiritualem pugnam armabat: capillus tonſus puram, nullaque figura fucatam vitam indicabat, quæ non fictarum, inquit Dionyſius, figurarum, aut colorum inductione deformitatem mentis ornet; ſed in ſeipſa, non humana pulchritudine, verùm ſingulari, & unica ad Dei exactiſſimam ſimilitudinem excitaretur. *Monialium habitus & tonſura.* Monialium item habitum, & capillum tonſum habes apud Athanaſium in libro de virginitate, & apud Hieronymum legis in epiſtola ad Sabinianum capite tertio. „[Moris eſt in Ægypti, & Syriæ monaſte„rijs, ut tam virgo, quàm vidua, quæ ſe Deo „voverint, & ſæculo renuntiantes omnes de„licias ſæculi conculcârint, crinem monaſte„riorum matribus offerant deſecandum.] *Monachorum, & clericorum tonſura.* Quod quia ab omnibus fit, penè ſcitur ab omnibus. Et apud Nazianzenum oratione primâ de pace, monachorum habes tonſuram convenientem. Et Anicetus vetutiſſimus Papa, ſtatuit, nè clerici comam nutrirent. Et Beda libro quinto hiſt. alijque probati autores, Petrum Apoſtolum affirmant fuiſſe tonſum. Et quidem in Scotia refert aliquos Beda non rotundam, ſed longam geſtâſſe tonſuram, à fronte, non occiput: nec qui rotundam, ſummum verticem, ſed totum detondebant caput, quemadmodùm nunc monachi antiquam retinentes diſciplinam. In Concilio 4. Tolet. c. 40. illi reprehenduntur, qui ſummum tonderent verticem; Quod hæreticorum in Hiſpania fuiſſe traditur: omneſque clerici totum jubentur tondêre caput, inferiùs ſolùm circuli corona relicta; Sanctus Auguſtinus in 2. retract. libro capite vigeſimo primo, & de opere monachorum cap. 31. monachos refert crinitos, & non crinitos; hoc eſt crines, & comam nutrientes, & non nutrientes; crinitoſque veluti volucres, quæ depilari timeant, nè volare non poſſint, reprehendit: quaſi contrà Apoſtoli præcepta operantes, ac timentes, nè vilior habeatur tonſa ſanctitas, quàm comata. In priore ad Cor. 11. Mulier orans non velato capite, deturpat caput ſuum; & vir orans velato capite, deturpat caput ſuum. Perindè autem eſt velatum, & comatum caput; quare ſubjungit; Nam ſi non velatur mulier, tondeatur: Si verò turpe eſt tondêri, velet caput ſuum. Effœminati ergò hominis eſt comam muliebri imitatione nutrire. Religioſus virilem animum gerens, & ab omni mollitudine, ac vanitate alienus comam tondet, velamen abijcit; & mulier quoque tondetur, ſi mundo renuntians monaſterium ingrediatur: retinet tamen modeſtia velamen. Sunt qui monachos, & clericos quandam Chriſti coronæ ſimilitudinem geſtare dicant in capite; quâ illius mortificationis ſemper admoneantur. Sed Sanctus Anſelmus libro de ſimilitudinibus capite nonageſimo tertio, corona illa capitis ſignificari voluit, nos & Sacerdotes eſſe, & Reges; quia & nos Deo vivam hoſtiam ſacrificamus, & affectibus, rebuſque cunctis creatis dominamur. Sacerdotes verò in lege caput tegebant mitra, & Reges coronis coronantur; mitræque, & coronæ formam tonſura refert. Capillum etiam capitis tum cogitationem mentis, tum ſuperflua quæque ſignificare ſcimus: & cùm tondetur capillus inanes cogitationes, & mundanarum omnium rerum curæ projciuntur. Job capite primo, audita filiorum morte, tonſo capite in terram corruit. Quid enim, ait Gregorius libro ſecundo, capite 27. per capillos, niſi defluentes animi cogitationes accipimus? Caput ergò tondêre, eſt cogitationes ſuperfluas à mente reſecare.

Duas adhuc rationes addit Sanctus Auguſtinus in libro de contemptu mundi capite tertio, tom. 9. Si modo eſt Auguſtini, ut & à laicis ſeparentur Clerici, & religioſi, & quia cerebrum, ſapientiæ ſedes, in capite reſidet, & Chriſtus Dei ſapientia caput eſt noſtrum, ideò pilos radimus, ut inter nos, & Chriſtum nullum eſſe obſtaculum oſtendamus. Nazaræus Num. cap. 6. capillos nutriebat ejuſdem interpretatione; quia per vitam magnæ continentiæ præſumptionum cogitationes creſcunt. Sed devotione completa, radere caput, & in ignem ſacrificij capillos proijcere jubetur; quia tunc ad perfectionem pertingimus, cùm etiam cogitationes ſuperfluas à mente reſecamus. Sed & in capite undecimo veterum fuiſſe morem obſervat, ut qui ſpeciem ſui corporis capillos nutriendo ſervaret, eos tempore afflictionis abſcinderet; & qui tranquillitatis tempore capillos abſcinderet, eos in oſtenſione afflictionis nutriret. Sicut igitur Job ſervatos in tranquillitate, pòſt ad doloris uſum totondit: ſic religioſo, qui in mundi delicijs nutrierat,

Digitized by Google

rat, ad pœnitentiæ lamenta venienti abſcinduntur. Clericos tonſuram ſpernentes ab Eccleſiæ ingreſſu arcêri voluit S. Anſel ep. 62. libri 3. ad Vuillelmum Archidiaconum.

CAPUT XIV.

De regulari diſciplina.

TERTIUM, quod in religioſis viris conſiderandum propoſueram, regula erat, ſeu vivendi ratio, & forma, quæ religionis legibus continetur. Patriam dixit Clemens Alexandrinus in quarto ſtrom. libro, eſſe homini matrem, ac nutricem, leges autem patrem: quippè Græcus homo Τὸν νόμον maſculini generis eſſe vidit. At veriùs dicam ego, religionem nobis eſſe matrem, quæ & Deo peperit, ac nutrit; leges autem, atque ordinationes majorum eſſe patrem, qui & procreandi vim adfert, & genitos fovet, gubernatque. Niſi enim regularis vigeret diſciplina, neque nos ad religionem veniſſemus, neque in ea conſervaremur.

De Eccleſia paſſim legimus apud Sanctos Patres, eam eſſe velut navim, quæ tempeſtatibus plurimis in hoc mundo jactatur, illiuſque figuram arcam Noë diluvij tempore fuiſſe. Et nos in religione nonnè inter mundi, vitæque præſentis procellas navigamus ad patriam, in eaque à diluvio ſalvamur? Apud Sanctum Cyprianum in ep. 7. libri 2. presbyteri, atque diaconi Romani ad illum ſcribentes; Eccleſiaſticam diſciplinam, legumque obſervationem, gubernaculum hujuſce navis appellant, tum in pace, tum in tempeſtatum bello. Nos Eccleſiæ mutantes vocem, de religione dicamus. Quid magis aut in pace aptum, aut in bellis perſecutionis neceſſarium, quàm debitam ſeveritatem divini vigoris tenêre? Quàm qui remiſerit, inſtabili rerum curſu erret, neceſſe eſt, & hûc, atque illûc varijs, & incertis negotiorum tempeſtatibus diſſipetur; & quaſi extorto de manu conſiliorum gubernaculo navem Eccleſiaſticæ ſalutis (aut religioſæ perfectionis) allidat in ſcopulos, appareat, non aliter ſaluti Eccleſiaſticæ (aut religioſæ) conſuli poſſe: niſi, ſi qui contrà ipſam faciunt, quaſi quidam adverſi fluctus repellantur; & diſciplinæ ſemper cuſtodita ratio, quaſi ſalutare aliquod gubernaculum in tempeſtate ſervetur. Et in tractatu de habitu Virginum; Diſciplinam vocat cuſtodem ſpei, retinaculum fidei, ducem itineris ſalutaris, fomitem, & nutrimentum bonæ indolis, magiſtram virtutis: quæ & in Chriſto faciat ſemper manêre, & jugiter in Deo vivere, atque ad cœleſtia promiſſa, & divina præmia pervenire. Sanè velut hortus Dei eſt Eccleſia, in quo religionis complures; quaſi aromatum areolæ Cant. 6. hoc eſt florum, qui & virtutis odorem habeant ſuaviſſimum, & medendi vim, ac ſanandi morbos omnes cæterorum hominum, qui in ſæculo vivunt. Hujus porrò horti maceria, & muri ſunt regulæ. Si diruatur maceria, & cadant muri, diſſipabitur hortus, & conculcabitur: & Prov. c. 24. dixit Sapiens; Tranſivi per hortum pigri, & repleverant eum urticæ, & ſpinæ, quid ita? quia maceria lapidum deſtructa erat. Nam ut Sanctus Gregorius Magnus loquitur in 20. libro moral. c. 20. [Quaſi rupto muro hoſtis ingreditur, cùm diſciplinæ munimenta diſſipantur.] Contrà verò Sanctus Anſelmus epiſtola 49. libri 3. ad Ceſtrenſes monachos ſcribit, in monaſterio, ubi minima diſtrictè cuſtodiuntur, ibi rigorem ordinis permanêre, pacem inter fratres conſervari, proclamationes in capitulo ceſſare: ubi verò minimi exceſſus negliguntur, ibi totum ordinem paulatim diſſipari, & deſtrui. Sunt leges, & regulæ, velut habenæ, & lora, quibus voluntas noſtra, ceu indomitus equus, frænatur, & regitur. Job cap. 39. Numquid alligabis Rhinocerota ad arandum loco tuo? aut confringet glebas vallium poſt te? Quod exponens Sanctus Gregorius lib. 31. c. 3. [Præcepta, inquit, diciplinæ lora ſunt Eccleſiæ, quibus Rhinoceros ſuperbus ligatur, & à præſepi ad arandum ducitur.] In eandem ſententiam de veteri lege ſcripſit Sanctus Hieronymus in epiſtola ad Algaſiam q. 8. [Lex data eſt, ut hominem malè libertate ſua abutentem, qui per præcipitia improvidus ferebatur, fræno legis retineat, & compoſitis doceat incedere greſſibus.] Sunt etiam velut ſcutica quâ petulans caſtigatur equus, & gubernatur. [Ut enim equi fræno morigeri (ait Sanctus Chryſ. in Com. capitis 5. epiſtolæ ad Gal.) non egent ſcutica: ſic anima, quæ impulſu ſpiritûs geritur, non eget admonitrice lege. Undè & Paulus dicebat, adversùs hujuſmodi non eſt lex, quoniam juſtus ipſemet ſibi eſt lex.] Et verè habes in Pſal. 1. Beatus vir, cujus eſt in lege Domini voluntas, non legis timor, ſed voluntas, quia ut habet Sanctus Hilarius, timoris eſt non audêre timenda negligere, perfectæ verò religionis velle præſcriptis parêre. Itaque quod de divinis præceptis dictum eſt à S. Leone Papa in ſermone undecimo de quadrageſima, ea lancem eſſe, in qua juſto ſe debet quiſque trutinare examine, & lucidiſſimum ſpeculum, in quo faciem ſuæ mentis agnoſcat; dum præcipiunt, quæ agenda ſint, quæ non agenda; & quiſque intelligit, quàm ſit conformis imagini Dei; idem prorsùs de religioſis legibus, ac regulis eſt cogitandum.

De quodam dictum eſt Dan. capite ſexto; Appenſus es in ſtatera, & inventus es minus habens; ſed & cuilibet dicitur religioſo. Appenditur

tur enim in ſtatera regularum ſibi præſcriptarum, & ſi minùs ſit illarum obſervans, minùs habêre deprehenditur, ſunt veſtis nuptialis, cum quâ religioſus ad cœleſtes nuptias intrare debet, atque in his terrenis interim converſari. Et S. Jo. Chryſ. h. 41. operis imperfecti, tractans illa verba Matth. c. 22. Amice quomodò hûc intraſti; non habens veſtem nuptialem? „[Qui non habet, inquit, opera Chriſtiani, injuriam facit Chriſtianitati, dum inter Chriſtianos verſatur. Aut ergò locum eligat ſecundùm veſtem, aut ſecundùm locum induat veſtem.] Quod & religioſis hominibus accommodatè dicitur, ſi minùs religioſè agere deprehendantur. Et S. Greg. Papa in 2. regiſtri libro cap. 9. [Si canones non cuſtoditis, & majorum vultis ſtatuta convellere, non cognoſco qui ſitis.] Nam etſi religionis veſtem, atque habitum geſtemus, operibus tamen religioſos nos minùs probamus. In epiſtola ad Rom. cap. 2. dicebat Paulus; Circumciſio quidem prodeſt, ſi legem obſerves: ſi autem prævaricator legis ſis, circumciſio tua præputium facta eſt: Quo loco Sanctus Anſelmus. „[Ita etiam, inquit, Chriſtiano, ſi prævaricator es Evangelij, baptiſmus tuus nihil tibi proderit.] Et monachœ [Prævaricator es regulæ, cuculla tua inutilis facta eſt.]

Quod ſi quæ prætendantur excuſationes, audi quid S. Hier. ad Euſtochium ſcribat, de cuſtodia virginitatis cap. 5. [Si volueris, ait, reſpondêre te nobili ſtirpe generatam, ſemper in delicijs, ſemper in plumis, non poſſe à vino, & eſculentioribus cibis abſtinêre, nec his legibus vivere: diſtrictiùs reſpondebo: Vive ergò lege tua, quâ Dei non potes.]

Quod verò leges interdùm graves, & oneroſæ videantur nobis, non natura ipſarum eſt, ſed pigritia noſtra, Sancti Joannis Chryſoſtomi ſententia homiliâ 8. de pœnitentia. Quoniam, ut eſt apud Clementem Alexandrinum libro 2. ſtrom. ijs, qui ſunt remiſſi, id, quod eſt moderatum, videtur nimis intenſum, & tonum excedere, & id quod eſt æquum, videtur eſſe ſummum jus. Et Orig. homiliâ 11. in Jerem. exponens illa verba capitis 15. Non ſedi in concilio ludentium; concilium diſtinguit ſolicitorum hominum, & ludentium; ſoliciti ſunt; qui omnia cum diligentia, & accurata peragunt diſciplina: ludentes autem, qui relicto religionis ſtudio luſibus mundi hujus vacant. Propheta; Non ſedi, inquit, in concilio ludentium; ſed timebam à facie manus tuæ; quoniam comminatione replêſti me. Antequam Deus promulgaret legem, Ex. 19. audita ſunt tonitrua, & micârunt fulgura, & denſiſſima nubes operuit montem, clangorque buccinæ vehementiùs perſtrepebat, & totus mons Sinaï fumabat: & timuit omnis populus, qui erat in caſtris. Ut videlicet ad obſervantiam, & cuſtodiam legis timor induceret. Et Academiam Plato ad tradendam ſapientiam elegit, quia ut Polybius, & alij probati autores tradunt, is locus frequenti collidebatur terræmotu, & auditores timore admoniti abſtinebant à malis, & ſapientiæ capaciores fiebant. Plura, quæ de Religione, ac religioſis dici poſſent, aut minuta nimis ſunt, & particularia, aut ad hunc locum non pertinent. Quare hic ſit mihi dicendi finis.

DE PAUPERTATE

LIBER XLV.

CAPUT I.

Paupertas multiplex.

Paupertas multiplex.

SANCTUS Gregorius Nyſſenus in libro de beatitudinibus, dum de prima loqueretur; Beati pauperes ſpiritu, &c. duplices agnovit divitias, & duplicem item paupertatem, alteram virtutum, alteram temporalium rerum, pecuniarum, facultatum, & opum. De virtutibus nunc non eſt propoſitum dicere; ſed de temporali ſolùm paupertate, quam item in quinque genera partitus eſt homiliâ quadrageſimâ Autor ſermonum ad fratres in eremo. [Prima eſt infœlicitatis, ſecunda cupiditatis, tertia ſuperfluitatis, quarta doloſitatis, quinta voluntatis. Primam habet mendicus, ſecundam avarus, tertiam prodigus, quarta eſt paries dealbatus, quintam habet vir compeditus. Prima eſt flagellum, ſecunda venenum, tertia ventilabrum, quarta umbraculum, quinta ædificium. Prima eſt miſeria, quia cruciat; ſecunda venenoſa, quia necat, tertia ventoſa, quia inflat, quarta doloſa, quia

Digitized by Google

„ diſſimulat, quinta glorioſa, quia coronat.] Hæc ille. Omnes verò duplicem novimus; unam neceſſitatis, quæ illorum eſt, qui pauperes aut nati ſunt, aut caſu facti; alteram liberæ voluntatis; illorum ſcilicet, qui cùm divites eſſent, ac locupletes, majoris alicujus boni cupidi, facultates omnes abjecerunt ſuas. Priorem Sanctus Joannes Chryſoſtomus lib. 3. de ſacerdotio, malum dixit eſſe inſatiabile, querimonia ſemper, atque ingratitudine plenum. Et Euſebius Emiſſenus h. 4. ad Monachos; „ [Niſi, inquit, ex corde, & affectu pauper „ ſis, paupertas ipſa non virtus, ſed miſeria ju„ dicanda eſt.] Et omninò S. Bernardus epiſt. 100. [Non paupertas virtus reputatur, ſed pau„ pertatis amor.] Quam ob cauſam S. Aug. in qq. ex novo teſtamento q. 27. Zachæum ſcripſit, & Cornelium Centurionem, etſi divites, diſcipulos tamen Chriſti fuiſſe dictos, quia non habebant affectum, & erant tanquam non habentes.

CAPUT II.

De veterum Philoſophorum paupertate.

NON eſt nobis nunc de priore illa neceſſitatis paupertate inſtitutus ſermo: ſed de altera poſteriore hac, quæ ſpontanea eſt, electa, & libera. De qua ita Sanctus Baſilius loquitur in ea Pſalmi 33. verba; Iſte pauper clamavit, & Dominus exaudivit eum: [Non eſt „ ſemper laudabilis paupertas; ſed quæ juxtà „ conſilium Evangelicum libera voluntate ſuſ„ cepta perficitur. Quàm multis non ſuppetit „ opulentia facultatum, qui animi deſtinatio„ ne, ac propoſito ſunt avariſſimi? Tales ad „ ſalutem non inopia rerum provehit, ſed con„ demnat voluntas.]

Hanc à veteribus quoque Philoſophis quæſitam fuiſſe ſcimus, & affectatam. [Crates „ Thebanus (ſcribit S. Hier. ep. ad Paulinum, „ de inſtitutione Monachi c. 1.) homo ditiſſi„ mus, cùm ad philoſophandum Athenas per„ geret, magnum auri pondus abjecit: nec pu„ tavit ſe ſimul poſſe & virtutes, & divitias „ poſſidêre. Nos ſuffarcinati auro Chriſtum „ pauperem ſequimur.] Et rursùm ep. ad Julianum cap. 3. [E Philoſophis unus multarum „ poſſeſſionum pretium projecit in pelagus; „ Abite, dicens, in profundum malæ cupidita„ tes; ego vos mergam, nè ipſe mergar à vo„ bis.] Quem item fuiſſe Cratem Thebanum nominat in 2. libro adverſus Jovinianum cap. 7. eandem ad verbum ſententiam repetens. Et mox cap. 9. Antiſteten adjungit, qui cùm Socratem audiſſet de paupertate diſputantem, venditis omnibus; nihil ſibi niſi palliolum reſervavit. De Socratis autem paupertate ita teſtatur S. Chryſ. lib. 2. adverſus vituperat. vitæ monaſticæ. [Socrates nudis ſemper pedi„ bus incedens, & ſine cibo tota die perſeve„ rans, panemque tantummodò in cibum ſu„ mens &c.] Zenonem quoque refert S. Nazian. or. 1. in Julianum, cùm navis tempeſtate jactaretur, atque omnia in mare projicerentur; Gratiam, dixiſſe, fortunæ habeo ad philoſophicum palliolum me redigenti. Mitto cæteros. Demetrium Cynicum teſtatur in libro de vita beata Seneca, cùm ſibi interdixiſſet habêre, interdixiſſe & petere.

Verùm in his nihil fuit virtutis: ſed aut impenſum philoſophandi ſtudium, aut ſtultitia, & inſipientia multa, quemadmodùm loquitur Sanctus Chryſoſtomus homiliâ ſeptimâ in Acta: [Philoſophorum, inquit, aliqui reliquc„ runt terram, alij multum auri in mare pro„ jecerunt: id, quod non erat opum contemp„ tus, ſed ſtultitia, & inſipientia.] Et homil. 35. in priorem ad Cor. epiſtolam: [Crates ſua „ omnia in mare demerſit homines amentes, & „ inſanos imitatus.]

Verè namque parùm prudentes fuerunt, dum propter ſolum philoſophiæ ſtudium, aut inanem quamdam apud homines gloriolam id egerunt, & abſque ulla utilitate, & commodo illis ſe ſpoliârunt bonis, quæ & ſibi, & alijs uſui potuiſſent eſſe. Quibus omninò ſpoliare ſe non debuerunt, niſi aliquod aliud majus adcepturi bonum, hoc eſt, virtutis perfectionem. Hoc enim eſt id, ad quod adoleſcentem illum perfectæ ſtudioſum vitæ Dominus adhortatur noſter dicens; Si vis perfectus eſſe, vende omnia, quæ habes, & ſequere me. Illi verò, ut ait Sanctus Bernardus ſermone primo in feſto omnium Sanctorum, relinquentes omnia, noluerunt cenſu abundare terreno, ut abundarent magis in ſenſu ſuo. Et cùm tria Dominus conſuluerit; vendere omnia, dare pauperibus, & ipſum ſequi; illi primum dumtaxat fecerunt, in quo virtutis nihil eſt, ſed amentiæ multum, ſi ſolum accipiatur. Neque enim Petrus pro ſe, ac diſcipulis cæteris poſtulavit à Domino præmium, propterea quòd omnia reliquiſſent (non enim hoc ſufficit, ut Sanctus Hieronymus adnotavit) ſed quòd ſecuti fuiſſent Chriſtum. Ita accipias illud, quod Sanctus Bernardus ſcribit epiſtolâ vigeſimâ quartâ ad Gilbertum Epiſcopum Londinenſem; [Paupe„ riem æquo animo ferre virtus patientiæ eſt; „ ſpontè appetere ſapientiæ laus eſt.] Si nempè appetas, ut Chriſtum ſequaris. Et illud Baſilij in reg. brev. 205. Pauperes ſpiritu eos vocari, qui non aliam ob cauſam ad paupertatem devenerunt, quàm ob doctrinam Domini, qui dixit; Vade, vende, & ſequere me. Eo inquam intellectu, ut primum illud non ſit ſatis, ſed tertium maximè requiratur. Undè & addit, Lazarum quoque & alium quemcumque, qui paupertatem quovis adventantem modo ad Dei voluntatem

Amentes Philoſophi.

luntatem moderetur, pauperem ſpiritu appellandum eſſe. Quod ſanè illi philoſophi non fecerunt.

CAPUT III.

Paupertatem Iudais inauditam fuiſſe.

IN veteri quoque Hebræorum Synagoga inviſum fuit, atque inauditum paupertatis nomen, cui abundantia frumenti, vini, & olei, terrenaque bona promiſſa fuerant. [Eventila „(inquit Sanctus Hieronymus in caput 3. Iſaiæ) omnes Judæorum Synagogas, & nullum poteris invenire doctorem, qui ſancta „præcipiat, & contemptis divitijs ſectandam „doceat paupertatem.] Itaque appoſitè Sanctus Ambr. lib. 1. epiſtolarum ep. 1. ad Juſtum; „[Judæus, inquit, jubebatur ſolvere dimidium „didrachmi; & Chriſtiano dicitur; Vende omnia, quæ habes. Dimidium autem à Judæo „exigebatur, quia relinquebatur alterum dimidium pro cura ſæculari, & uſu domeſtico, „& vix in Judæo, vel portio devotionis poterat inveniri.] Sanctus autem Bernardus ſer. in ea verba; Ecce nos reliquimus omnia, veteres illos Patres affirmavit per lutoſas ambulâſſe aquas, nos verò greſſibus calcâſſe undam: ſoloque ſpiritu, non item corpore; ſpiritum Domini ſecutos illos fuiſſe, atque cum Patriarcha Jacob velut altero fœmore claudicâſſe: nos autem & ſpiritu, & corpore, atque utroque veſtigio rectà Dominum ſequi. [Non „multos, inquit, legiſſe me recolo, aut non „afflictos graviter, aut non graviter in ipſa ſæculi hujus proſperitate tentatos, fortè & periclitatos. Nimirùm longè aliud eſt in luto „aquarum multarum diviſi fundo maris iter „carpere, terrena licitè poſſidendo: aliud ipſam, quoque novis greſſibus undam calcare, „omnia relinquendo; ſed tempori gratiæ prærogativa hæc debebatur. Antiqui Patres ſpiritum Domini ſolo ſpiritu ſequebantur. „At ubi Verbum caro factum eſt, in eo nobis „tradita eſt imago vitæ, & converſationis exemplar; quod oporteat etiam corporaliter „imitari: ut utroque ſequentes veſtigio, non „ulteriùs cum Patriarcha Jacob altero fœmore claudicemus.]

CAPUT IV.

Paupertatem voluntariam Evangelicum conſilium eſſe.

ERGÒ Evangelicum planè conſilium eſt hoc, & in epiſtola ad Demetriadem cap. 7. ſcribit Sanctus Hieronymus, Apoſtolici faſtigij eſt, perfectæque virtutis, vendere omnia, & pauperibus diſtribuere: & ſic levem, atque expeditum cum Chriſto ad cœleſtia ſubvolare. [Non cogo, non impero, ſed propono „palmam, oſtendo præmia; Tuum eſt eligere, ſi volueris in agone, atque certamine coronari.]

De veteribus illis, & primis Chriſtianis ſcimus, quid in Apoſtolorum Actis teſtetur S. Lucas: omnia, inquam, illis fuiſſe communia, ſolitoſque fuiſſe omnes vendere omnia, quæ habebant, atque ad Apoſtolorum pedes ponere pretium, quod in communes egentium uſus diſtribueretur. Ponebant autem ad pedes Apoſtolorum pretia, tanquam pedibus conculcanda; quia indigna reputabant manibus contrectari, ut loquitur Sanctus Auguſtinus ſermone vigeſimo primo ad fratres in eremo, & in regula monachorum Sanctus Hieronymus: ſed & in lib. de ſtatu Eſſæorum ad hunc modum de Chriſtianis ſui temporis tradit Philo Judæus: [Pro amore immortalis, & beatiſſimæ vitæ jam ſe defunctos exiſtimantes, „omiſsâ temporali glebâ, dimisêre ſubſtantias filijs, alijſque cognatis ſpontanea voluntate „antè tempus præ hæreditati, quibus autem „parentelæ non ſunt, proximis, vel amicis „admittunt. Oportuit enim occultas divitias „diligentes, cæcum relinquere ſenſum his, „qui adhuc mente caligant.] Solicitudo enim rerum domeſticarum injurias parturire conſuevit, ipſamque iniquitatem generare ſolet ἄβιοι id eſt ſine vita, eos appellat Homerus, qui his incumbunt.

Paupertas veterum Chriſtianorum.

Act. 4.

Idem etiam multò veriùs de ſui temporis Chriſtianis confirmat Tertullianus in apologetico adversùs Gentes cap. 39. [Ex ſubſtantia, inquit, familiari fratres ſumus, quæ penes vos ferè dirimit fraternitatem. Itaque „quia animo, animaque miſcemur, nihil de „rei communicatione dubitamus: Omnia indiſcreta ſunt apud nos præter uxores: in iſto „loco conſortium ſolvimus, in quo ſolo cæteri homines conſortium exercent: & quæ „ſequ.] Major enim eſt fraternitas Chriſti, ut loquitur Sanctus Ambroſius ſermone 24. dominica in quinquageſima, quàm ſanguinis. „[Sanguinis enim fraternitas ſimilitudinem „tantùm corporis refert; Chriſti autem fraternitas unanimitatem cordis, animæque demonſtrat.] Et adfert illud Act. 4. Credentium erat cor unum, & anima una. Propterea erant eis omnia communia. [Ut qui eodem „conſortio religionis tenebantur (ait Sanctus „Maximus Taurinenſis hom. 1. de avaritia) „eodem conſortio foverentur & vitæ. Et quibus erat una fides, eſſet & una ſubſtantia, & „quibus erat communis Chriſtus, communis „eſſet & ſumptus.]

Divinum hoc conſilium durius exiſtimans Evangelicus adoleſcens, abijt triſtis. Nos hilari, ac læto amplexi ſumus, ac retinemus animo.

Paupertas chriſtiana.

[Affatim

Digitized by Google

„ [Affatim dives eſt (ſcribit ad Heliodorum S. „ Hier. cap. 1.) qui cum Chriſto pauper eſt.] „ [Et tamen (cap. 4) perfectus ſervus Chriſti „ nihil præter Chriſtum habet; & ſi quid ha- „ bet, perfectus non eſt. Et, ſi perfectus non „ eſt, cùm ſe perfectum fore pollicitus ſit, an- „ tè Deum mentitus eſt: os autem, quod men- „ titur, occidit animam.] Petrus cum Chriſto pauper factus argentum, & aurum non habebat, ſed ſanitates conferebat. Atque ut extremo libro 3. de virginibus S. Ambroſius loquitur; [Lembum deſeruit, Deum reperit; ſcal- „ mum reliquit, Verbum invenit; lina laxavit, „ fidem vinxit; plicavit retia, homines eleva- „ vit; mare ſprevit, cœlum acquiſivit.] Itaque ſapienter S. Aug. libro 5. de civit. Dei c. 18. non putat poſſe Chriſtianum de voluntaria paupertate magnum aliquid ſe feciſſe putare, quod omnia propter Chriſtum reliquit, ſi cœleſtia, quæ acquiſivit, bona conſideret; ſi præſertim veterum Romanorum paupertatem attendat, aliaque multò duriora, quæ pro terrena patria pertulerunt: [Quomodo, inquit, „ ſe audebit extollere de voluntaria paupertate „ Chriſtianus, ut in hujus vitæ peregrinatione „ expeditior ambulet viam, quæ perducit ad „ patriam, ubi veræ divitiæ ipſe Deus eſt; cùm „ audiat, vel legat Lucium Valerium, qui in „ ſuo defunctus eſt conſulatu, uſque adeò fuiſ- „ ſe pauperem, ut nummis à populo collatis „ ejus ſepultura curaretur?] Addit Q. Cincinnatum, & alios plures, de quibus tamen neſcio an eandem, quam de philoſophis anteà diximus, poſſimus pronuntiare ſententiam. Sed audi Sanctum Bernardum ſermone quarto in vigilia Nativitatis Domini: [Pretioſiores pan- „ ni Salvatoris omni purpura, & glorioſius hoc „ præſepe auratis Regum ſolijs, ditior deni- „ que Chriſti paupertas cunctis opibus, cun- „ ctiſque theſauris ſæculi.] [Quærat ergò „ divitias paganus (ait idem Sanctus Pater „ ſermone primo in feſto omnium Sancto- „ rum) qui ſine Deo vivit: quærat Judæus, „ qui terrenas poſſeſſiones accepit. Sed qua „ fronte magis, aut qua mente Chriſtianus di- „ vitias quærit, poſtquam Chriſtus beatos eſ- „ ſe pauperes prædicavit?] Certè Origenes homiliâ decimâ ſextâ in Gen. Pharaönem monuit Sacerdotes ſuos divites, Chriſtum pauperes voluiſſe: [Obſervate, inquit, nè fortè qui „ partem habent in terra, & terrenis cultibus, „ & ſtudijs vacant, non tam Domini, quàm „ Pharaönis Sacerdotes eſſe videantur, ille „ vult ſacerdotes ſuos habêre poſſeſſiones ter- „ rarum, & exercêre agri, nôn animæ cultu- „ ram, ruri, non legi, operam dare: Chriſtus „ autem Sacerdotibus ſuis præcipit; Qui non „ renuntiat omnibus, quæ poſſidet, non po- „ teſt meus eſſe diſcipulus.] At ſi terrarum poſſeſſionibus eos ſpoliavit, virtutum, ac miraculorum poſſeſſione ditavit; quemadmodùm inter cæteros adnotavit S. Aug. ſermone 28. de verbis Apoſtoli. Quo loco de Petro loquens in ingreſſu templi paraliticum ſanante; Argentum, & aurum, inquit non eſt mihi: quod autem habeo, hoc tibi do: [Non mira- *Act. 3.* „ ris poſſeſſorem virtutum: anteà profeſſus „ eſt abrenuntiatorem divitiarum. Juſtè nam- „ que ſequebatur, ut largiretur ſigna, qui opes „ contempſerat.]

CAPUT V.

Quàm utile conſilium.

Atenim ſi conſilij utilitatem conſiderare velis; occurret primùm Domini adhortatio illa Matth. 7. & Luc. 13. Contendite intrare per anguſtam portam. At quàm difficile eſt intrare illum, qui divitijs multis, ac terrenis ſarcinis onuſtus ſit? Idem ipſe Dominus pronuntiavit Matth. 19. facilius eſſe camelum per foramen acûs tranſire, quàm divitem intrare in regnum cœlorum. Quæ verba Sanctus Gregorius conſiderans lib. 4. moral. c. 3. [Rarum valdè eſt, inquit, ut qui aurum „ poſſident, ád requiem tendant; dum per ſe- „ metipſum veritas dicat; difficilè, qui pecu- „ nias habent, intrabunt in regnum cœlorum.] Quod ut ex ſolo miraculo evenire poſſe monſtraret; apud homines, inquit, hoc impoſſibile eſt, apud Deum autem poſſibilia omnia ſunt. Et Sanctus Maximus Taurinenſis ſermone de Sancto Michaële Archangelo; [Qui honori- „ bus inflatus fuerit, & auri theſauris dilatatus, „ tanquam onuſtum, & impeditum animal, „ anguſtum regni iter tranſire non poterit; etſi „ ſe exiſtimet perveniſſe, ſarcinam ejus exigua „ porta non capiens repercuſſo limine retror- „ ſum redire cogetur.] Et acriùs monet Sanctus Bernardus ſermone in ea verba; Ecce nos reliquimus omnia. [Quid tu camele gibbum, „ quid tu pecunioſe proditoris loculos tollis? „ Non ſic impie, non ſic ingredieris: foramen „ acûs hujuſmodi ſarcinas non admittit.] Et quoniam reſpondêre quis poterat; veteres Patriarchas, perquàm divites fuiſſe: [Abra- „ ham (ſubjungit idem Bernardus) Iſaäc, „ & Jacob, inquiunt terrenas habuiſſe divi- „ tias, & tamen tantam à Deo gratiam obti- „ nuiſſe. Imponant ergò vitulos ſuper alta- „ re, mactent ariëtes, hircos immolent: quia „ & hoc Abraham fecit; & hic ritus Patrum. „ Quid ſi & ipſas Patrum divitias umbram „ fuiſſe dixerim futurorum? in figura enim „ eis omnia contingebant. Deindè divitias „ poſſederunt, cùm ſola adhuc terrena pro- „ mitterentur à Deo. Sicut enim ſacrificijs „ illis, ſic & divitijs carnalibus adhuc popu- „ lis diſpenſatio divina morem gerebat, ut tanquam

Digitized by Google

„ tanquam parvuli paulatim à gentilium ſece-
„ derent ritu, eadem, quæ dæmonijs, Domi-
„ no immolantes, eademque, quæ & illi, ſed à
„ Domino, non à dæmonijs, expectantes.] Sed & S. Petrus Chryſologus ſer. 28. divites quoque, ſi divitijs benè utantur, ſanctos eſſe poſſe, demonſtrat illorum exemplo, Abraham, Job, Davidis, & aliorum, qui fuêre prædivites. At hoc quàm difficile? S. quidem certè Greg. libro 27. moral. cap. 7. filios Ruben notat, & Gad, & dimidiam tribum Manaſſe, quia multa pecora, & jumenta poſſidebant, petijſſe à Moyſe Joſ. 3. nè Jordanem tranſirent: nolueruntque habêre hæreditatem in terra promiſſionis, ſed in campeſtribus morari. „ [Quia, inquit Greg. quos multa mundi
„ implicamenta occupant habitationem cœle-
„ ſtis patriæ non requirunt.]

Non abſimile argumentum eſt illud, quod ex avium pennis, & volatu ſumitur. Si namque avium alæ ſive humore quopiam madidæ fuerint, ſive gravatæ pondere, volare, atque in altum levare ſeſe nequeunt: ita neque animæ noſtræ alæ terrenarum mole rerum, & ſolicitudine oppreſſæ ad cœleſtia poſſunt elevari. Hæc fuit adhortatio Sancti Hieronymi ad Exuperantium epiſt. 35. [Nudus, & le-
„ vis ad Cœlum evola: nè alas virtutum tua-
„ rum auri deprimant pondera.] Itaque in com. ad Pſalm. 143. religioſos homines, qui relictis omnibus paupertatem ſectantur; aves ait, & volatilia cœli nominari, cùm dicitur; Reſpicite volatilia cœli. Non enim habent, inquit, cellaria & promptuaria, reliquamque domeſticam ſuppellectilem, undè ſuſtententur. Et Sanctus Bernardus ſermone 4. de adventu Domini, audiens illa Chriſti verba;
Matth. 5. Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum, reliquis obſervavit ferè promitti præmium in futurum; pauperibus non promitti, ſed dari: [Magna enim penna eſt
„ paupertatis, quâ tam citò volatur in reg-
„ num cœlorum. Nam in alijs virtutibus,
„ quæ ſequuntur, promiſſio futuro tempore
„ indicatur; paupertati non tam promittitur,
„ quàm datur; Ipſorum eſt Regnum cœlo-
„ rum.]

Naves quoque magnopere oneratas in aquis mergi, ac perire, deoneratas enatare, admonuit S. Gregorius lib. 21. moral. cap. 17.
„ [Sublevata, inquit, navis enatat, quæ mer-
„ gebatur onerata: quia curæ, quæ in hac vita
„ deprimunt, mentem in profundum trahunt.] Hinc de paupertate, ac temporalium bonorum contemptu interpretatur illa Job verba c. 31. Quaſi tumentes ſuper me fluctus timui Deum: [Fluctus enim cùm tumentes immi-
„ nent, & minantur mortem, nulla tempora-
„ lium cura ad mentem reducitur, omnia deſpi-
„ ciuntur, omnia in mare proijciuntur amore
„ vivendi. Quaſi ergò ſuper ſe fluctûs tumen-
„ tes Deum metuit, qui dum veram vitam de-
„ ſiderat, omnia deſpicit, quæ hic poſſidens
„ portat.] Ac demùm S. Nilus in libro de octo vitioſis cogitationibus cap. de avaritia; [Mo-
„ nachus, ait, dives onuſta navis eſt, atque in
„ tempeſtate facilè peſſum iens. Cui nullæ ſunt
„ opes, is levis, & expeditus viator eſt: levis
„ curſu ad ſupernæ vocationis bravium: aqui-
„ la denique ſublime volans, ac tum demùm
„ ad cibum devolans, cùm neceſſitas cogit.] Neque verò terrena hæc bona, onera ſolùm ſunt, & pondera, quæ animam deorſum premunt, nec modò ad cœleſtia volatum prohibent; ſed illam quoque planè ſubmergunt. Verùm etiam implicamenta, ut paulò antè loquebatur Sanctus Gregorius, & vincula, quæ illam detinent, & laquei, quibus ab aſtutiſſimo venatore diabolo capitur. [Divitiæ (inquit S.
„ Bernardus ſerm. 3. in Pſal. 90.) ſunt laque-
„ us diaboli, ſicut Apoſtolus loquitur 1. Tim.
„ 6. Qui volunt divites fieri, incidunt in ten-
„ tationem, & in laqueum diaboli, quo pluri-
„ mos tenet irretitos. Vos, qui reliquiſtis om-
„ nia, & ſecuti eſtis non habentem ubi caput
„ reclinaret, exultate, & dicite; Quoniam ip- Pſal. 90.
„ ſe liberavit me de laqueo venantium.] Atque hoc eſt, quod magnoperè idem autor deplorat in ſerm. 2. in vigilia Nativitatis Domini, his planè verbis; [Quid ſpiritui veſtro cum
„ terrenis? Cur non ſpiritualia deſiderat, ſpi-
„ ritualia quærit, ſpiritualia ſapit? O ſpiritus!
„ qui deſurſum eſtis, quid vobis cum infimis?
„ Quæ ſurſum ſunt quærite, ubi Chriſtus eſt
„ in dextera Dei ſedens: quæ ſurſum ſunt ſa-
„ pite, non quæ ſuper terram. Sed corpus, quod
„ corrumpitur, aggravat animam, & depri-
„ mit terrena inhabitatio ſenſum multa cogi-
„ tantem. Neceſſitates multæ miſeri hujus cor-
„ poris detinent nos. Viſcus quidam pravi de-
„ ſiderij, & delectationis terrenæ volare non
„ patitur, & citiùs retrahit mentem, ſi fortè
„ aliquando ſublevetur.]

Venit mihi in mentem illud, quod Geneſis 3. dixit Deus ſerpenti maledicens; Super pectus tuum gradieris, & terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ. Sic enim in divitijs dixerim latitare ſerpentem diabolum, indèque nobis perpetuò inſidiari, tendere laqueos, & veluti ex inferiori loco inſidioſè nos aggredi. Ergò ab his recedere, atque in ſuperiori regione verſari, optimè nobis conſultum fuerit. Ad hunc ferè modum ratiocinantem Sanctum Joannem Chryſoſtomum video in ſermone de laude Dei, tom. 5. [Dæmon, inquit,
„ de loco inferiori bellum nobis infert. Neque
„ enim illi licet magnum in modum efferri;
„ quia humi ſerpit; cujus figuram vel anguis
„ præfert. Bellum autem de loco inferiori ge-
„ rere, eſt à rebus infimis nos impugnare à vo-
luptatibus

„ luptatibus, à divitijs, & præſentibus hujus „ vitæ bonis. Si quem viderit ſubvolantem ad „ cœlum, & ad ſuperiora tendentem; primùm „ hunc ſubſequi ſursùm ſaliendo non poterit: „ deindè ſi id facere fuerit eniſus, celerrimè „ caſurus eſt. Caret enim pedibus, caret alis, „ humi reptat, terrenis in rebus verſatur, in „ quibus ſi nihil erit tibi cum illo commune, „ eris ſanè labore vacuus. Nec enim novit ille „ in aperto, vel in faciem pugnare: non ſe- „ cùs, atque anguis latitans, divitiarum ſe „ illecebris occulit. Itaque deſectis dumetis, „ timore perculſus dilabetur; ferietùrque ſta- „ ſtim, ſi divinis fueris illi carminibus im- „ precatus.]

At qui ſursùm elevari vult, à materia liber, & ſolutus ſit oportet, alioqui pondere ſuo deorsùm trahetur. [Levis res quædam, & ſub- „ lime petens eſt virtus (ſcribit Sanctus Gre- „ gorius Nyſſenus in libro de beatitudinibus) „ nullaque ratione fieri poteſt, ut levis ſit is, „ qui ſeſe ponderi materiæ affixit. Si igitur ad „ ſuperiora nos accedere oportet, ab ijs, quæ „ deorsùm trahunt, inopes, & egeni ſimus.] Præclarè autem Sanctus Cyprianus de vinculis hiſce loquitur ad hunc modum in ſermone de mortalitate: [Diſſimulanda, inquit, veritas „ non eſt, nec vulneris noſtri materia, & cau- „ ſa reticenda. Decipit multos patrimonij ſui „ amor cœcus; nec ad recedendum parati, aut „ expediti eſſe potuerunt, quos facultates ſuæ, „ velut compedes ligaverunt. Illa fuerunt re- „ manentibus vincula, illæ catenæ, quibus & „ virtus retardata eſt, & fides preſſa, & mens „ vincta, & anima præcluſa: ut ſerpenti ter- „ ram ſecundùm Dei ſententiam devoranti „ præda, & cibus fierent, qui terreſtribus in- „ hærerent.] Et rursùm; [Sequi Chriſtum „ quomodo poſſunt, qui patrimonij vinculo „ detinentur? aut quomodò cœlum petunt, & „ ad ſublimia, & alta conſcendunt; qui terre- „ nis cupiditatibus degravantur? Poſſidère ſe „ credunt, qui potiùs poſſidentur; cenſus ſui „ ſervi, nec ad pecuniam ſuam domini, ſed ma- „ gis pecuniæ mancipati.]

Ex athletis quoque magnum petitur argumentum, hi enim nudi in arenam deſcendunt: nè ſcilicet veſtibus apprehenſi deijciantur in terram. Ita Sanctus Chryſoſtomus homiliâ ſeptimâ in Acta: [Athletæ certamen ingreſſi „ veſtes exuunt; nos inſanientes cum veſti- „ bus certare volumus. Propter hoc antagoni- „ ſta noſter laboribus non habet opus, ſed im- „ pliciti in nobis ipſis ſæpè deijcimur.] Et iterùm: [Qui talis eſt, non impeditur ſolùm, „ ſed omnem curam habet, nè inquinetur, & „ diſrumpatur veſtis. Undè in primo ingreſſu „ cadit.] Et rursùm urget: [Tempus, in- „ quit, adeſt certaminis, tu autem ſericis in- „ dueris: tempus eſt exercitationis, tempus „ ſtadij, tu autem quaſi ad pompam teipſum „ ornas, & quomodo vinces?] Hoc ipſum Sanctus Gregorius admonet homiliâ 32. in Evangelia. [Si veſtitus quiſpiam cum nudo lu- „ ctetur, citiùs ad terram deijcitur, quia ha- „ bet undè teneatur, qui ergò contrà diabolum „ ad certamen properat, veſtimenta abijciat, „ nè ſuccùmbat.]

Eandem prorsùs ſententiam habet Sanctus Anſelmus in caput 9. prioris epiſt. ad Corinth. „ [Sicut illi, qui in arena luctantur, nudi ſunt, „ ita & nos à mundanis rebus ſpoliati eſſe de- „ bemus; quia nec maligni ſpiritus, contrà „ quos eſt nobis lucta, quidquam poſsident. „ Nudi ergò cum nudis luctari debemus, ſi eis „ ſuccumbere nolumus.] Et Sanctus Bernardus ſerm. 4. in die Natalis Domini; utilior in conflictu lignea furca, quàm ſtola linea; licèt oneri illa ſit, hæc honori, & ſerm. 2. de cœna Domini; [Voluntaria, inquit, paupertas, quan- „ tò expeditior, tantò ſecurior eſt: cuſtos, & „ magiſtra virtutum. Expedit eſſe nudos cum „ diabolo, qui nudus eſt, luctaturos. Nudus „ athleta fortiùs dimicat.]

Ad exempla veniamus: Joſephum cum Ægyptia muliere dimicantem, Joannem Apoſtolum amictum ſyndone, & Eliam raptum ad cœlum, proponit nobis Sanctus Hieronymus ad Lucinium ſcribens: [Joſeph cum tu- „ nica Ægyptiam fugere non potuit; adoleſ- „ cens ille, qui opertus ſyndone ſequebatur Je- „ ſum, qui tentus erat à miniſtris, terrenum „ abijciens operimentum nudus evaſit. Elias „ igneo curru raptus ad cœlum, melotem reli- „ quit in terris.] Et iterùm epiſt. ad Fabiolam, de veſtitu Sacerdotum: [Si quid habemus „ de Ægypto, quod princeps hujus mundi ſuum „ poſsit agnoſcere, tenenti Ægyptiæ cum pal- „ lio relinquamus. Syndone opertus adoleſ- „ cens vinctum Dominum ſequebatur: incur- „ riſſet in laqueos niſi expeditus, & nudus per- „ ſequentium declinâſſet impetum.]

Neque ſolùm ex athletis, ſed ex pluribus alijs ratiocinantur, nobiſque paupertatem ſuadent. Inter quos Sanctus Petrus Chryſologus ſermone 28. [Athleta, inquit, ad luctamen „ nudus accedit, confligit cum fluctibus nauta „ nudus, miles in acie non niſi expeditus aſſi- „ ſtit, qui tendit ad philoſophiam totum id, „ quod in rebus eſt, antè contemnit. Eſt er- „ gò virtutibus cognata paupertas.] Et Sanctus Bernardus ſermone 2. paulò antè indicato; „ [Nudus Athleta fortiùs dimicat, natator ex- „ uitur, ut fluvium tranſeat, viator rejectis „ ſarcinulis benè curſitat.] Sic ijs, qui veraciter Deum quærunt, ut Sanctus Gregorius loquitur lib. 22. moral. c. 2. ipſa ſua abundantia fit vehementer oneroſa: quia hoc ipſum graviter tolerant, quod feſtinantes ad patriam in itinere multa portant. Addit Sanctus Ambro-

Digitized by Google

ſius ſermone in feſto Sancti Michaëlis Archangeli nudos nos naſci, nudos baptizari, nudoſque debêre ad cœlum tendere; ideòque æquum eſſe, ut nudi item hìc vivamus: [Nudi, inquit ille, in ſæculo naſcimur, nudi etiam accedimus ad lavacrum, ut nudi etiam, & expediti ad cœli januam properemus. Uſqueadeò nuda virtus apta eſt cœlo, ut quamvis juſtus, quamvis ſanctus, aurum vel divitias poſſidens non poſſit eſſe perfectus. Talem enim voluit adoleſcentem illum Dominus ad paradiſum redire, qualis Adam fuerat de paradiſi ſublimitate dejectus.] Quam eandem prorsùs ſententiam repetit, & inculcat Sanctus Maximus Taurinenſis homiliâ de S. Michaële Archangelo; [Nudi, inquit, in ſæculo naſcimur, nudi ad lavacrum accedimus, ut nudi quoque, & expediti ad cœli januam properemus. Quam autem abſurdum eſt, ut quem nudum mater genuit, nudum ſuſcepit Eccleſia, dives intrare velit in cœlum?]

CAPUT VI.

Quantum paupertas bonum.

Paupertas animæ theſaurus. MULTIS prætereà modis, quantum inſit in paupertate bonum, declarârunt. Primùm enim animæ theſaurum, ac divitias eam eſſe confirmârunt. Ita locutus eſt Sanctus Baſilius orat. 22. de anima: [Animæ, inquit, theſaurus corporis egeſtas eſt. Eo enim diteſcente, illam ſummâ penuriâ laborare oportet.] Cujus rei accommodatum ponit exemplum in commentario ad caput quintum Iſaiæ: [Sicut enim, quæ ab radice vitis quadantenùs recedit terra, alimentum fit plantæ; quæ autem radici adjacet proximè, eam comprimit, & degravat: ita & ambitus opum, ſi quando diteſcere cupientibus ingruerit, animas eorum in imum tartari demergit. Alienata autem ea ſubſtantia à ſuis detentoribus, & diſtributa in indigentium uſum, tunc eorum propria fit poſſeſſio.] Et Sanctus Chryſ. homil. 2. ad Populum; [Magna poſſeſſio paupertas ſapienter eam ferentibus: theſaurus, qui nequeat auferri; baculus firmiſsimus, inculpabilis poſſeſsio, diverſorium ab inſidijs tutum.] Et homiliâ 18. in epiſtolam ad Hebræos. [Nihil opulentius eo, qui paupertatem ſpontè diligit, & cum alacritate ſuſcipit.]

Appetitum habendi ſedat. Secundò eam dixerunt ſedare appetitum illum habendi inſatiabilem, quo homines ferè ſolicitantur, ideoque paupertatem divites nos facere, quippè quibus nihil deſit, nihil deſideretur. Clemens Alexandrinus libro ſecundo ſtrom. [Non eſt paupertas, ait, pecuniæ paucitas, ſed inſatiabilitas, quæ ſi receſſerit, qui bonus eſt, dives quoque fuerit.] Et paulò poſt; [Vir bonus paucis indiget; ut qui ſit in confinio naturæ mortalis, & immortalis: egenus quidem propter corpus; paucis autem propter ſuſceptam ratione continentiam.] Et Sanctus Chryſoſtomus in Pſalmum 111. [Hæ ſunt maximæ divitiæ, non egêre divitijs.] Et h. 64. in Matth. [Nunquàm magna voce prædicare ceſſabo, acceſſione pecuniarum cupiditatem habendi magis ac magis adeò inflammari, ut rerum copia creſcente, paupertas quoque augeatur. Nam qui majori deſiderio ardent, egêre ſe magis ſentiunt.] Duobus id planè confirmat exemplis, quæ dum de avaritia ageretur, protulimus c. 3. Verè igitur Sanctus Ambroſius epiſt. 44. ad Conſtantium; [Paupertas, & opes inopiæ, & ſatietatis vocabula ſunt: nec dives eſt, qui indiget aliquo, nec pauper, qui non indiget.]

Tertiò paupertatem affirmârunt interiorem animi pacem, & quietem adferre. Sanctus Chryſ. hom. 33. in Matth. [Nulla res tranquillitatem animi, gaudiumque ſolet efficere, quàm ſi omnem ſolicitam curam, & languorem animi depoſueris.] Et Sanctus Hieronymus epiſtola ad Geruntij filias, de contemnenda hæreditate, pecuniarum contemptu quietem hanc comparari tradit exemplo Abraham, qui in aliena terra emit ſibi ſepulchrum à filijs Heth. Sepulchrum enim locus quietis eſt, ubi defunctorum corpora collocantur; locus ergò requietionis contemptu pecuniæ comparatur. Lege Senecam in primo de vitæ tranquillitate libro. *Animi pacem adfert.* *Gen. 25.*

Quartò paupertatem dixerunt tollere lites, diſcordias, contentioneſque cum alijs, tuerique pacem, & unionem cum omnibus. Tollit enim meum, & tuum, quæ verè Sanctus Gregorius Nyſſenus h. 6. in Eccleſiaſten, verba vocat perniciosa. Namque litium, & diſcordiarum penè omnium ſunt ſeminarium. Veterum autem Chriſtianorum erat cor unum, & anima una; quia nullus eorum dicebat aliquid eſſe ſuum, ſed erant illis omnia communia, ut legimus Act. 4. Et Sanctus Chryſ. homiliâ 33. in Gen. [Ubi meum, & tuum, illic omne litium genus, & contentionis occaſio: ubi autem hæc non ſunt, ibi ſecura verſatur pax, & concordia.] Et h. 73. in Matth. & 58. & 59. ad populum, & libro tertio adversùs vituperatores vitæ monaſt. de monachis hoc loquitur; [Abeſt indè meum, & tuum, ejectum indè omninò id verbum eſt, quod multorum cauſa bellorum.] Et hom. 7. in Acta, & orat. de Sancto Philogonio; [Frigidum illud verbum, meum, & tuum, innumera gignens bella.] Et h. in dictum Pauli: Oportet hæreſes eſſe; [Frivola illa verba, meum & tuum; quæ tot bella mundo invexerunt, ex ſancta illa Eccleſia erant exterminata.] *Lites tollit & contentiones.* *Meum, & tuum.*

Propterea

Propterea homilia vigeſima in epiſtolam ad Epheſ. maritum inſtituens quemadmodùm uxorem ſuam regere debeat, ut domeſtica inter ipſos conſervetur pax, inter cætera prohibet, nè illa quidquam dicat ſuum. [Dices, hæc „ mea ſunt ? execrandum hoc verbum ac ſce- „ leſtum à diabolo invectum eſt. Omnia Deus „ nobis communia fecit. Doce illam, ut num- „ quam dicat meum, & tuum.] Sed audi quid tandem de verbis hiſce idem ipſe Chryſ. ſenſerit homilia decimâ in priorem ad Corinthios epiſtolam: [Meum, inquit, & tuum verba tan- „ tùm inania ſunt, re autem non exiſtunt; li- „ cèt domum tuam dixeris eſſe, inaniter loque- „ ris: omnia enim conditoris ſunt; & tu ipſe. „ Quod ſi uſus tuus eſt, incertus tamen eſt, „ non tantùm in morte, ſed antè mortem quo- „ que propter rerum inſtabilitatem.]

Duas verò omninò ob cauſas meritò religioſis viris Sanctus Baſilius prohibuit horum verborum uſum: tum quod proprietatem paupertati inimicam ſapiant, cùm paupertas nihil permittat cuiquam proprium. Tum quòd plurimarum diſcordiarum, & contentionum cauſa eſſe poſſint, & ſoleant. In regulis fuſioribus 32. [Verba hæc, inquit, meum & tuum „ à fratribus uſurpari ratio vetat. Nam legi- „ mus; Erat credentium cor unum, & anima „ una, nec quiſquam eorum, quæ poſſidebat, „ aliquid ſuum eſſe dicebat.] Et ſermone de inſtitutionibus monachorum: [Apotheca com- „ munis omnium ſit, nec proprium alicujus „ quidquam nominetur, non veſtimentum, „ non calceamentum, non aliud quidquam „ eorum, quæ ad neceſſarium corporis uſum „ ſpectant. Sed Antiſtes ex ijs, quæ in com- „ muni poſita fuerint, ut quodque cuique ap- „ tum eſſe ad uſum judicaverit, ita illi pro tem- „ pore aſſignet.] Idem & Sanctus Auguſtinus præcepit in epiſt. 109. ad Monachas, quibus ſeverè injungit, ut quæ offeruntur, vel donantur ſingulis, in commune accipiantur: quod ſi cœlaverit, furti condemnetur. Denique Sanctus Bernardus ſerm. 4. parvorum, Paupertatem voluntariam liberam eſſe dixit ab invidia & propria, & aliena. Dum enim putatur miſera, aliena caret invidia, & quia voluntaria, nemini quidquam invidet.

A Deo paſcitur. Quintò paupertatis maximum illud privilegium eſt, quòd cùm nihil habeant pauperes in hoc mundo, à Deo ipſo paſcuntur, & ſuſtentantur. Ita loquebatur David Pſal. 9. Tibi derelictus eſt pauper, orphano tu eris adjutor. De religioſis loquens Sanctus Chryſ. hom. 11. in Acta; [In monaſterijs, inquit, quis mortuus „ eſt fame ? quis non liberaliter educatus eſt?] Fortaſsè, ut eſt apud S. Nazianzenum in orat. de moderatione in diſputationibus ſervanda hoc nomine meliori conditione pauperes ſunt, quod pro his beneficijs uberiores Deo gratias agant, jucundiuſque ipſi communibus, quàm potentiores ſuperfluis, minimèque ad vitam neceſſarijs fruantur. Pulchrè Joan. Caſſianus collat. 10. Abbatis Iſaäc cap. 11. ſcriptum illud reliquit. [Re vera, quæ major, aut ſanctior „ poteſt eſſe paupertas, quam illius, qui ni- „ hil in ſe præſidij, nihil virium habere cogno- „ ſcens, de aliena largitate quotidianum poſcit „ auxilium, & vitam ſuam, atque ſubſtantiam „ ſingulis quibuſque momentis divina ope in- „ telligens ſuſtentari, verum ſe mendicum Do- „ mini non immeritò profitetur.]

A multis tentationibus liberat. Sextò paupertas hominem liberat à multis tentationibus, & periculis, quibus illi expoſiti ſunt, qui divitias ſectantur. Hos Sanctus Chryſoſtomus comment. in Pſal. 9. pueris facit perſimiles: qui terribilium nullam ducunt rationem; ſed ſæpè etiam in ignem immittunt manus, perſonas autem inanes videndo pertimeſcunt. Sic enim illi paupertatem quidem verentur, quod non eſt terribile, ſed fundamentum ſecuritatis; injuſtas autem divitias, & alienorum bonorum invaſionem nihili faciunt, quod eſt quovis igne terribilius. Et rursùm in Pſal. 10. tractans illa verba; Quomodò dicitis animæ meæ; tranſmigra in montem ſicut paſſer ? [Qui in rebus, inquit, ter- „ renis confidunt, nihilò meliùs afficiuntur, „ quàm paſſer, qui fidens ſolitudini facilè capi „ poteſt ab omnibus. Talis eſt, qui ſperat in „ pecunijs, quemadmodùm paſſer, & à pueris, „ & à viſco capitur, & à laqueis, & ab alijs in- „ numerabilibus: ita & dives, &c.] Hinc eſt, quod paupertas ſecurum animæ præſidium eſſe dicitur. Sanctus Chryſoſtomus hom. 5. ad populum; [Quando, ait, dives erat Job, undè „ accuſaret eum diabolus habuit, mendaciter „ quidem; Num te gratis colit Job ? Poſt- „ quàm verò ipſum ſpoliavit, & fecit paupe- „ rem, nè hiſcere quidem uſus eſt. Et cùm „ dives quidem eſſet, cum ipſo pugnare para- „ bat, & ſupplantare minabatur: poſtquàm „ verò pauperem fecit, & omnia abſtulit, tunc „ repulſus eſt.] Et homilia decimâ tertiâ in Acta; [Dives nihil mihi aliud videtur eſſe, „ quàm civitas abſque muris in agro poſita, & „ undique inſidiantibus expoſita: paupertas „ verò ſecurum præſidium Æreis muris, & ex- „ pugnatu difficile.] Et h. de Avaritia tom. 5. „ [Paupertas eſt tutum aſylum, portus tran- „ quillus, perpetua ſecuritas, deliciæ periculo- „ rum expertes, voluptas ſyncera, vita turbati- „ onum neſcia, vita fluctuum ignara, copia in- „ expugnabilis, philoſophiæ parens, frænum „ intemperantiæ, ſupplicij ſublatio, radix mo- „ deſtiæ.] Quod ſi quæ in divitijs voluptas ineſſe videtur, aptè idem Chryſ. h. 13. notata, divites affirmat ſcabioſis eſſe perſimiles. [Si di- „ vites, inquit, habent aliquid voluptatis, haud „ mirum eſt. Nam & qui ſcabie pleni ſunt, ſunt

 in

Digitized by Google

„ in magna voluptate.] Quem locum illuſtra-
vit Socrates apud Platonem in Phædone. Nam
is in lecto ſedens, contraxit ad ſe crus, ma-
nuque perfricuit; atque inter fricandum ſic
inquit: Quàm mira videtur hæc res eſſe, quam
nominant homines voluptatem: quamque mi-
ro naturaliter ſe habet modo ad dolorem ipſum,
qui ejus contrarius eſſe videtur. Quippè cùm
ſimul hìc adeſſe velint. Attamen ſi quis pro-
ſequitur, capitque alterum, ſemper fermè al-
terum quoque accipere cogitur; quaſi ex eo-
dem vertice ſint ambo connexa. Quod enim
Socrates gravatus compedibus, & vinculis ex-
pertus eſt tunc fricando crus, experiuntur &
ſcabioſi quotidiè dolorem ſimul, & volup-
tatem ſentientes, experiuntur & divites, au-
ctas ſcilicet ſpinarum, ac ſolicitudinum plu-
rimarum puncturas, & nonnullam opulentiæ,
atque commodorum ſuorum oblectationem.
„ [Sudat pauper, inquit Sanctus Bernardus
„ ſermone de obedientia, patientia, & ſapi-
„ entia, in opere foris; ſed non minùs anxiè
„ dives intùs in ipſa ſua cogitatione laborat.
„ Aperit iſte os ſuum in oſcitatione, aperit il-
„ le in eructatione: & interdum ille graviùs fa-
„ ſtidio, quàm iſte inedia cruciatur.]

Excitat æternorum deſiderium.

Septimò excitat in nobis paupertas, & nu-
trit ſpiritualium bonorum, & æternorum af-
fectum, & deſiderium. [Impoſſibile nam-
„ que eſt, ut loquitur Sanctus Chryſ. homiliâ
„ 35. in Gen. ut qui præſentibus eſt mancipa-
„ tus, ineffabilium bonorum deſiderium acci-
„ piat unquam. Contrà non eſt poſſibile, ut
„ qui ſolida, & immobilia illa bona ament,
„ momentanea hæc, & quæ antequam appare-
„ ant, marceſcunt, concupiſcant.] Proptereà
pronuntiavit Sanctus Leo ſerm. in Feſto om-
nium Sanctorum; [Beata illa Paupertas, quæ
„ rerum temporalium amore non capitur, nec
„ mundi opibus augêri appetit; ſed cœleſtibus
„ bonis diteſcere concupiſcit.]

Virtutis eſt adjumentum.

Octavò maximum eſt ad virtutem omnem
comparandam adjumentum, & inſtrumentum
ſingulare. Sanctus Nazianzenus in exhortato-
rio carmine ad Hellanum, commodiſſimum
virtutis organum appellavit: & Sanctus Baſi-
lius in caput ſecundum Iſaiæ, Pædagogum ad
colendam pietatem. Sanctus verò Chryſoſto-
mus in Pſal. 4. [Divitiæ, inquit, ijs, qui non
„ attendunt, ſunt vitiorum miniſtræ: paupertas
„ autem mater philoſophiæ. Quot pauperes
„ ſunt divitibus prudentiores, & ſapientiæ a-
„ matores, & corpore ſaniores (Sanitatis ma-
„ trem appellat h. 12. in poſteriorem ad Cor.
„ epiſt.) cùm paupertas & carnem, & animam
„ corrigat?] [Quæcunque ſunt feræ gentes
„ (mox ſubjungit) non tam atrox bellum ge-
„ runt, quàm improba, & nefaria cogitatio, quæ
„ verſatur in penetralibus animi, & quæ non
„ caſtigatur intemperans libido, & amor pecu-
„ niæ, & potentiæ vehemens deſiderium: &
„ in res, quæ ad hanc vitam pertinent, affectio;
„ & quæ ſequuntur.] Et rursùm hom. 64. in
Matth. [Tam atrox eſt pecuniarum cupidi-
„ tas, ut licèt alioqui virtutis ſimus alumni, ni-
„ hil tamen divitiarum appetitione impediti
„ proficere poſſimus.] Et hom. 19. in epiſto-
lam ad Rom. [Qui multa poſſidet, majore de-
„ tinetur vel arrogantia, vel cupiditate, quàm
„ ea ſint, quæ habet. Qui verò parùm habet,
„ ab utraque iſta tirannide liber eſt. Undè &
„ plures invenit benefaciendi occaſiones. Is
„ enim & in carcerem ad captivos facilè ingre-
„ ditur, & ægrotos viſitat, & potum aquæ
„ frigidæ præſtat. Dives verò nihil horum
„ amplectitur, divitijs ſuis inflatus.] Et hom.
in illud; Salutate Priſcam, & Aquilam; [Ec-
„ cleſijs non tantùm prodeſſe valent divites
„ pompatici, ut pauperes magnanimi. Qui
„ enim multorum eſt dominus, idem multo-
„ rum ſervus eſſe cogitur. Pauper autem curis
„ omnibus carens, leo eſt, ignem ſpirat, forti
„ animo adversùs omnes inſurgit.] Et h. 29.
in priorem ad Cor. [Juſtus nullum ex pauper-
„ tate damnum accipit, ſed majus incremen-
„ tum ex probatione: & malus ſupplicij via-
„ ticum divitias habet.] Et rursùm h. 35. [Ut
„ corporibus infirmis quælibet res facilè no-
„ cet; ſic dejecti animi, nec adversùs pauper-
„ tatem, nec adversùs opes conſiſtunt: Æquè
„ triſtitia, & gaudio ſuccumbunt, adeoque ſe-
„ cundis magis, quàm adverſis periclitantur.
„ Cogit enim paupertas moderatiorem eſſe,
„ vel invitum; divitiæ in magnum malum ſæ-
„ pè abducunt.] Undè h. 13. in poſteriorem
epiſtolam. [Pauper non ſic deſiderat neceſſaria,
„ ut dives ſuperflua: Neque tantum robur ha-
„ bet ad perficiendam malitiam, ſicut ille.] Et
hom. 2. in ep. ad Phil. [Ego, inquit, pauper
„ dignus ſum, qui deplorer, non ille, qui dives
„ eſt. Dignus planè es lachrymis, & tu quoq;
„ non ideò quòd eges, ſed quòd teipſum pro
„ miſero habes. Paupertatis enim gratia bea-
„ tiſsimus etiam es.] Et homilia 65. ad popu-
lum; [Invides quod ille dives eſt? at potiùs
„ miſericordia dignus eſt, & lachrymis. Sed
„ ſtatim ridens dices; Ego lachrymis dignus,
„ non ille. Lachrymis dignus es tu, non quo-
„ niam pauper es, ſed quoniam te miſerabi-
„ lem exiſtimas.] Itaque appoſito exemplo u-
titur in homilia decima in eandem ad Philip.
epiſtolam. [Ut enim artifex, ſive ferream,
„ ſive auream ſecurim habeat, æquè in ligno
„ operatur, immò magis per ferream: ita &
„ per paupertatem multò faciliùs paratur vir-
„ tus.] Et hom. 21. ad populùm. Cùm pau-
pertatem divitijs affirmaſſet eſſe ad pietatem
magis opportunam, immò divitias non adver-
tentibus impedimento eſſe; Eadem id rursùs
ferri, & auri comparatione confirmat. [Si
quis,

Digitized by Google

,, quis, inquit, diligenter inquireret, multò ,, magis auro ferrum neceſſarium. Illud namque nullum vitæ confert uſum, hoc autem ,, neceſsitatis plurimum nobis comparavit, in- ,, numeris artificibus ſerviens.] Addit ex lapidibus idem argumentum. [Et quid dico auri, ,, & ferri comparationem? Pretioſis enim la- ,, pidibus hi vulgares magis neceſſarij. Ex illis ,, enim nihil utile fieri poſſet: ex his verò do- ,, mus, muri, & urbes conſtructæ ſunt.] Immò verò homiliâ 12. in priorem epiſtolam ad Timoth. divitias omninò contendit non eſſe per ſe bonas. [Bonus, inquit, eſſe non po- ,, teſt, qui divitias poſſidet ſolus. Sed tunc bo- ,, nus efficitur, ſi eas alijs quoque communicet. ,, Si illas non habet, bonus erit; ſi & alijs tri- ,, buat, erit itidem bonus. Cæterùm quamdiù ,, eas habuerit ſolus, bonus profectò non erit. ,, Hoc igitur bonum dicendum, quod dum ,, tenetur, malos oſtendit, dum deponitur, ,, bonos?] Et ut plurima mittam in eandem ſententiam à Chryſoſtomo alijs in locis in paupertatis commendationem, ac divitiarum condemnationem dicta, homiliâ decimâ octavâ in epiſt. ad Hebr. [Paupertas, inquit, eſt manu- ,, ductrix quædam in via, quæ ducit ad cœ- ,, lum; unctio athletica, exercitatio quædam ,, magna, & admirabilis, portus tranquillus.] Theodoretus quoque libro 6. de providentia, divitias virtutis hoſtes, & paupertatem virtutis coadjutricem eſſe diſputat. [Divitiarum nam- ,, que affluentia, inquit ille, avaritiæ faci mate- ,, riam miniſtrat; & malitia, ſi opes adjutrices ,, nacta fuerit, ingentem flammam incendit, ,, dumque voluntati vires accedunt, malitiam ,, reddunt intolerabilem.] Hinc divitias non eſſe ſummum bonum oſtendit: [Quomodo ,, enim fœlicitatis auctor erit divitiarum the- ,, ſaurus, qui iniquitatis coöperarius eſt? Ex ,, diametro enim inter ſe pugnant opum abun- ,, dantia, & virtutis egregiè geſtorum ſuppel- ,, lex.] Et S. Hier. ad cap. 3. Ionæ; [Difficilè, ,, ait, homines potentes, & nobiles, & divites, ,, & multò difficiliùs eloquentes, credunt Deo; ,, obcœcatur enim mens eorum divitijs, & opi- ,, bus, atque luxuria, & circumdati vitijs non ,, poſſunt vidêre virtutes; Simplicitatemque ,, ſcripturæ ſanctæ non ex majeſtate ſenſuum, ,, ſed ex verborum judicant vilitate.] Et omninò verum eſt, & re ipſa teſtatum id, quod habet Lactantius libro 7. divinarum inſtitutionum cap. 1. [Nemo virtuti favet, niſi qui ſequi ,, poteſt: ſequi autem non facile eſt omnibus. ,, Ij poſſunt, quos paupertas, & rerum indigen- ,, tia exercuit, & capaces virtutis effecit. Nam ,, ſi virtus tolerantia malorum eſt; non capi- ,, unt ergò virtutem, qui ſemper in bonis fue- ,, runt. Eò fit, ut pauperes, & humiles Deo ,, credant faciliùs, quia ſunt expediti, quàm di- ,, vites, qui ſunt impedimentis plurimis impli- ,, cati; immò catenati, & compediti ſerviunt ,, ad nutum dominæ cupiditatis.] Et mox alludens ad illa Chriſti verba; Arcta eſt via, quæ ducit ad vitam, hæc ſubjungit: [Virtutis via ,, non capit magna onera portantes. Anguſtus ,, admodùm trames eſt, per quem juſtitia ho- ,, minem deducit ad cœlum. Hunc tenêre ,, non poteſt, niſi qui fuerit expeditus, & ,, nudus. Nam iſti locupletes multis, & ingen- ,, tibus ſarcinis onerati per viam mortis ince- ,, dunt, quæ latiſſima eſt, quoniam latè perdi- ,, tio dominatur.]

Salomon paupertatis amans.

Nonò nec minima fuerit paupertatis commendatio, quòd in veteri quoque lege, quo tempore divitijs maximè affluebant homines, neque nominabatur paupertas; Sapientiſſimus homo Salomon, & Deo chariſſimus, eo tempore non divitias, & temporalia bona à Deo petierit, ſed magis paupertatem, dum neceſſaria tantùm victui poſtulavit: Divitias, inquit, & paupertatem nè dederis mihi, ſed tantùm victui meo neceſſaria. Quem ſtatum multò optabiliorem eſſe, vel ijs, quoque, qui de virtutis perfectione non cogitant; confirmabit Sanctus Auguſtinus libro quarto de civitate Dei cap. 3. quo loco agens de imperio, & divitijs Romanorum oſtendit meliorem omninò eſſe illius conditionem, qui tenuibus opibus ſit contentus, quàm illius, qui plurimis abundet: [Duos, inquit, homines, pau- ,, perem unum, vel potiùs mediocrem, alte- ,, rum prædivitem cogitemus: ſed divitem ti- ,, moribus anxium, mœroribus tabeſcentem, ,, cupiditate flagrantem, numquam ſecurum, ,, ſemper inquietum, perpetuis inimicitiarum ,, contentionibus anhelantem, augentem ſanè ,, his miſerijs patrimonium ſuum in immenſum ,, modum, atque illis augmentis curas quoque ,, amariſſimas aggerantem: Mediocrem verò ,, illum re familiari parva, atque ſuccincta ſibi ,, ſufficientem, chariſſimum ſuis cognatis, vi- ,, cinis, amicis, dulciſſima pace gaudentem, ,, piëtate religioſum, benignum mente, ſanum ,, corpore, vita parcum, moribus caſtum, con- ,, ſcientia ſecurum. Neſcio utrùm quiſquam ita ,, deſipiat, ut audeat dubitare quem præferat.]

Divitiæ ſtatua, Paupertas fornax.

Sed decimò Sanctus Joannes Chryſoſtomus hom. 4. in Matthæum, præclarè, & multis ratiocinatur, divitias, & opes eſſe velut ingentem illam ſtatuam, quam Dan. 3. juſſit Nabuchodonoſor ab omnibus adorari, quamque adorant plerique hominum; pauperiem autem eſſe Babylonicam fornacem, in quam injecti fuerunt Sancti illi pueri, atque in ea à Deo ſuaviſsima excitata aura cuſtoditi ab igne illæſi. Sic enim & nos in medio flammarum blanda circumdabit roris aſperſio, efficietque fornax clariores. Lege locum.

Paupertas nobilis.

Undecimò ad extremum nobiliſsima, & eximia prorsùs res eſt paupertas. S. Chryſoſtomus

 hom.

Digitized by Google

hom. 7. in Acta, de primitiva illa, in qua vigebat plurimùm, loquens Eccleſia; Angelica, inquit, reſpublica nihil dicere ſibi proprium eſſe. Et ſermone de eleëmoſyna, & collatione in Sanctos; pauperes notat in ſacris litteris Sanctos vocari. Ut meritò poſſit Sanctus Bernardus epiſtolâ 23. ad Aitonem Trecenſem Epiſcopum, paupertatem titulum nobilem appellare. [Nobilis, inquit, re vera titulus paupertatis, quam ipſe Deus ore commendat prophetico: Ego ſum, ait, vir videns paupertatem meam: ſuper omnes regios theſauros, hic vos titulus nobilitat, ampliùs reddit illuſtrem.] Et Thren. 3. Recordare paupertatis meæ, abſynthij, & fellis. S. Chryſ. in Pſal. 40. exponens illa verba; Beatus, qui intelligit ſuper egenum, & pauperem; hunc interpretatur Chriſtum intelligi oportêre, qui ut Apoſtolus loquitur 2. Cor. 8. Propter nos egenus factus eſt, cùm eſſet dives, ut illius inopia nos divites eſſemus. [Inveni, inquit, in nonnullis exemplaribus τὸν πένητα, id eſt, pauperem cum articulo. Egenum autem vocat Dominum univerſorum, qui propter nos pauper factus eſt, ut nos illius paupertate divites eſſemus: &, Qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens: & qui eſt Dominus tam eorum, quæ videntur, quàm quæ non videntur, non habuit, ubi caput reclinaret: Et natus ex Virgine, propterea quòd lecto careret, in præſepi poſitus eſt. Beatum ergò dicit Propheta eum, qui hanc paupertatem poteſt intelligere, & in memoriam revocare eum, qui illam ſuſcepit.] Qua de re ſapienter ratiocinatur Sanctus Bernardus ſermone 3. in Natali Domini. [Aut enim Chriſtus fallitur, aut mundus errat: ſed divinam ſapientiam falli impoſſibile eſt. Chriſtus autem, qui non fallitur, elegit, quod carni moleſtius eſt: id ergò meliùs, id utilius eſt, id potiùs eligendum; & quiſquis aliud doceat, vel ſuadeat, ab eo tanquam à ſeductore cavendum.]

Origenes tractatu 8. in Matthæum: Eum, qui omnia ſua dederit pauperibus, dici affirmat à Chriſto fore perfectum: quia quaſi receptaculum Dei factus ſuſcipit omnes virtutes. Secundò quia pauperum orationibus adjuvatur, accipiens ad ſuam ſpiritualem inopiam, ſpiritualem abundantiam eorum, qui patiuntur inopiam carnalem, Deo exaudiente tantorum pauperum refrigeratorum preces. Tertiò quia hic, qui mutavit pro divitijs paupertatem, credens ſermonibus Chriſti adjuvabitur ſtatim ſicut Apoſtoli Chriſti, ut fiat ſapiens in Chriſto, magnanimus, caſtus, &c. Glorioſa igitur, & nobilis paupertas, in filij Dei membris dedicata. Propterea S. Gregorius lib. 19. moral. cap. 16. juſtorum vitam palmæ vult eſſe perſimilem, palmæque comparari. Quoniam palma inferiùs tactu aſpera eſt, & quaſi aridis corticibus obvoluta, ſuperiùs verò & viſu, & fructibus pulchra: Inferiùs corticum ſuarum involutionibus anguſtatur; ſed ſuperiùs amplitudine pulchræ viriditatis expanditur; Sic electorum vita &c. Item cæteræ arbores juxtà terram craſſæ ſunt, & creſcendo anguſtiantur, contrà palma, &c. Homines ſæculi in terrenis rebus fortes, in cœleſtibus debiles; contrà electi, & pauperes, &c. *Iuſtus palmæ ſimilis.*

CAPUT VII.

Paupertatem divitijs meliorem eſſe.

SANÈ ſapientem quoque divitias admittere, ac poſſidêre poſſe; ita tamen, ut apud illum in ſervitute ſint, quæ apud ſtultum ſunt in imperio, multis in libro de vita beata diſputavit Seneca. Sed verè paupertas dicitur divitijs melior eſſe, & optabilior, quod ex hactenùs dictis ſatis ſuperque cognoſcitur, & plurimis in locis Sancti Patres diſputârunt. Itaque dormitavit planè Vigilantius, cùm dixit melius eſſe nos uti rebus, atque opibus noſtris, retinereque poſſeſſiones, ac prædia, & eorum fructus paulatim pauperibus diſtribuere, quàm illis venditis ſimul largiri omnia, teſtis eſt S. Hieronymus in libro adverſùs ipſum cap. 5. Hoc enim manifeſtè contrà Chriſti conſilium eſt, Matth. 19. Vende omnia quæ habes, & da pauperibus. [Non dixit: Da filijs, inquit Hieronymus in epiſtola ad Hedibiam q. 1. da fratribus, da propinquis: quos etiamſi homines, jure ijs Dominus præferret, ſed da pauperibus.] Et S. Auguſtinus libro de Eccleſiaſticis dogmatibus cap. 71. [Bonum eſt facultates pauperibus erogare; ſed melius pro intentione ſequendi Dominum ſimul donare, & cum Chriſto egere.]

Inter eos autem, qui paupertatem divitijs potiorem eſſe aliquando diſputârunt, lege Sanctum Joannem Chryſoſtomum homiliâ 13. & 35. in priorem epiſt. ad Cor. & h. 2. in epiſt. ad Phil. & h. 6. in ep. ad Titum, & h. 2. & 18. in ep. ad Hebræos, & libro 2. adverſus vitup. vitæ monaſticæ. Affirmârunt etiam, pauperem maximè divitem eſſe, & divitem eſſe maximè pauperem, quod cognoverunt quoque Philoſophi, inter quos Seneca epiſt. 119. Numquam parum eſſe ſcripſit, quod ſatis eſt; numquam ſatis quod multum. Neminem enim pecunia divitem fecit, quia nulli non majorem ſui cupiditatem injecit, quippè qui eam habet, non aliter habere dicitur, quàm habere dicamur febrem, cùm illa verè nos habeat. Sed noſtros audiamus Patres. S. Greg. h. 18. in Ezechielem: [Ille pauper eſt, qui eget eo, quod non habet, qui verò non habens habere non appetit,

Digitized by Google

,, petit, dives eſt. Paupertas quippè in inopia ,, mentis eſt, non in quantitate poſſeſſionis. ,, Nam, cui in paupertate benè convenit, non ,, eſt pauper.] Et S. Chryſ. h. 81. in Matth. ,, [Dives, & qui maximè pecuniam amat, eſt ,, maximè pauper, quia qui magis amat, magis ,, concupiſcit, & qui magis concupiſcit, pau- ,, perior eſt. Illud enim maximè cupimus, quo ,, maximè indigemus.] Et concione 2. de Lazaro. [Dives non eſt, qui multis opibus a- ,, bundat, ſed qui non eget multis: neque is ,, pauper, qui nihil poſſidet, ſed qui multa con- ,, cupiſcit. Nam mentis affectu, non faculta- ,, tum modo paupertatem, & opulentiam æſti- ,, mare conſuevimus.] Et homilia 14. in priorem epiſt. ad Cor. [Quò quis ditior, eò pau- ,, perior; quia plura ſemper, & plura deſide- ,, rat; & qui plura deſiderat, is pauperior eſt.] Et homilia 15. [Paupertatem appellat divitia- ,, rum matrem, Pauli teſtimonio; Nihil ha- ,, bentes, inquit, & omnia poſſidentes.] Et hom. 21. in ep. ad Epheſ. [Non eſt dives, qui ,, multis pecunijs non eget, & ſumptuosè ve- ,, ſtitur: ſed qui nulla re opus habet.] Et h. 2. in ep. ad Phil. & 65. ad populum; [Non eſt ,, pauper, qui nihil habet; ſed qui multa con- ,, cupiſcit: Viciſsim non eſt dives, qui multa ,, poſſidet; ſed qui nullius eget. Voluntates ,, hominum, & divites faciant, & pauperes; ,, non pecuniarum vel abundantia, vel defe- ,, ctus.] Et h. 11. in priorem ad Tim. [Non ,, poſſidere plurima, ſed plurimis non indige- ,, re, divitem facit. Quippè indigere alijs, ea ,, tandem paupertas eſt. Itaque neque Reges ,, ipſi paupertatis nomen effugiunt: quia ſubdi- ,, tis indigent.] Et homilia 65. ad populum. ,, [Hic eſt dives, qui dives eſſe non vult; qui ,, pauper eſſe renuit, hic eſt, qui pauper eſt.] Et Sanctus Ioannes Damaſcenus in hiſtoria Barlaäm cap. 18. [Opibus opes ſemper adjun- ,, gere, nec cupiditatem tanquam fræno co- ,, ercere; verùm ſine ulla ſatietate plura ap- ,, petere, extremæ paupertatis argumentum ,, eſt: contrà qui ſempiternarum rerum cupi- ,, ditate præſentia omnia contemnunt, hos ego ,, optimo jure quovis terreno Rege locuple- ,, tiores dixerim.]

CAPUT VIII.

Veteres Patres, quid de Paupertate.

SANÈ S. Hier. ſi ei dominus optionem dediſſet, multò magis Pauli primi Eremitæ, tunicam cum ejus meritis elegiſſet, quàm Regnum purpuram cum ſuis pœnis, ſcribit ipſemet in vita Pauli. Et rurſum in Hilarionis vita morituri hominis teſtamentum fuiſſe teſtatur nihil aliud, quàm Evangelium, ſacceam tunicam, cucullam, & palliolum. Deque Sancti Baſilij paupertate extat illud Sancti Nazianzeni teſtimonium or. in ipſius laudem; ,, [Bonorum proſcriptionem minitanti præfe- ,, cto reſpondit Baſilius: Bonorum proſcriptio- ,, ni obnoxius non ſum, quippè qui nihil ha- ,, beam, niſi fortè lanois, ac detritis hiſce pan- ,, nis indiges, & paucis libellis, in quibus om- ,, nis mihi vita ſita eſt.] De Thaumaturgo S. Gregorio in or. de illius vita narrat S. Nyſſenus; cum morientem nè in proprio quidem loco, ſeu ſepulchro ſepeliri voluiſſe. Sanctum Auguſtinum Chriſti conſilium ſecutum dimiſiſſe omnia ſcribit ipſemet epiſt. 89. ad Hilarium, atque in Epiſcopatu quoque perpetuò ſervaſſe; Et ſer. 21. ad fratres in eremo. [Li- ,, cèt, inquit, in Epiſcopali cathedra me videa- ,, tis, paupertatem tamen mihi charam ſpon- ,, ſam tenere congratulor; quia ipſa etiam Chri- ,, ſti ſponſa, Sanctorum poſſeſſio, beatorum ,, vita, fidelium ſecuritas, clericorum orna- ,, mentum, monachorum vita, nobilium pul- ,, chritudo.] Jacob Patriarcham obſervat Sanctus Chryſoſtomus hom. 54. in Geneſim non divitias, non abundantiam quamdam à Deo petijſſe; ſed panem, & veſtem, & hanc ad contegendum corpus, illum verò in neceſſarium alimentum. Si dederit mihi, inquit, panem ad edendum, & veſtem ad tegendum. Habentes enim victum, & veſtitum, his contenti ſimus, dixit pòſt Apoſtolus Paulus. S. Nazianz. in exhortatione ad virginem, inter cætera ita præcipit; Neceſſitas tua cibario pane, coque perexiguo, & parvo tecto definiatur. Namque ut habet Sanctus Hier. in epiſtola ad Paulinum cap. 9. [Victus, & veſtitus divitiæ ,, Chriſtianorum ſunt.] Et Io. Chryſ. h. 79. in Io. [Vera libertas eſt, nulla re indigere. Secun- ,, do loco minimis.] Ego omninò paupertatem dixerim in tribus conſiſtere; Ut & nullam rem habeamus, ut propriam; & quò ad uſum pauciſſimis contenti ſimus; & verò viliſſimis. Quam ob rem S. Baſilius in regulis fuſioribus 19. de religioſorum cibo præcepit. Eas nobis præferendas eſſe epulas, quæ viles ſint, quæ ubique & facilè haberi poſſint, & quibus populus utatur. Et inter. 20. cibaria ejuſmodi ſint, quæ cùm vili pretio, tum parvo negotio comparentur. Adhibenda tamen in menſa ubique munditia eſt, & elegantia; ſed ita, ut nuſquam extrà fines noſtros egrediamur, hoc eſt, non ſit nimis exquiſita, & affectata. *Paupertas quæ.*

Quo ad veſtitum autem in inter. 22. contrà paupertatis inſtitutum eſſe demonſtrat, ſi alio veſtitu domi, alio foris utaris, alio die, alio nocte: ſed uno, & eodem ſemper, & ubique utendum eſſe. Et universè tam in cibo, quàm in veſtitu addit inter. 35. ſummè in hoc debemus adniti, ut neceſſarias ad victum copias, quàm maximè in anguſtum deducamus. Et rurſum in regulis brev. 70. ad inevitabilem

Digitized by Google

ſolùm nos neceſſitatem compellit. Cùm enim quæſiſſet, quid agendum ſit cum eo, qui veſtimentis, calceamentiſve abuti animadvertitur; Reſpondet: [Uſus modum ipſa inevitabili neceſſitate rerum definiri: qui autem ultrà neceſſitatem progreditur, is aut intemperantis habendi cupiditatis, aut voluptatis, libidinis, aut inanis gloriæ morbum habet. Hæ namque omninò cauſæ ſunt, quibus violari paupertas ſolet.] Sanctus quoque Auguſtinus epiſtola 109. ad monachas, cùm illis primo loco unanimitatem,& paupertatem præcepiſſet, hæc omninò de paupertate conſtituit: [Primò; Non quærant in monaſterio, quæ nec foris habêre potuerunt. Secundò; Non ſit notabilis habitus veſter, nec affectetis veſtibus placêre, ſed moribus.] Diſcat denique Chriſtianus,& verò religioſus homo ab ethnicis paupertatis affectum. Ulyſſem namque refert Clemens Alexandrinus libro ſecundo pædag. cap. 9. lectum ſponſæ claudicantem ſuppoſito lapide correxiſſe, tanta, inquit, frugalitas, & nativa non ſolùm apud privatos,ſed etiam apud veterum Græcorum præfectos exercebatur.

CAPUT IX.

Proprietatem eſſe tollendam in religioſis.

ILLUD autem primum, ac præcipuum in paupertate eſt, ùt nihil tanquam proprium habeas. Et quoniam hoc paupertatis conſilium in religioſis perſonis nunc maximè retinetur, qui relictis omnibus Chriſtum ſequuntur; ſi quid illi vel relictum repetant, vel quoquo modo acquiſitum velut ſibi proprium retineant, graviter reprehenduntur, & tanquam fures,& ſacrilegi caſtigantur. Ita Sanctus Chryſ. homilia 12. in Acta, Ananiam, & Saphiram ſacrilegos fuiſſe affirmat, dum pecuniæ jam ſacræ, Deoque donatæ, aut promiſſæ, partem retinuerunt ſibi: [Oportebat, inquit, initio habere,& non promittere: nunc autem poſtquam conſecraſti, majus ſacrilegium commiſiſti.] Si autem, qui de ſuis accepit, ſacrilegus, multò magis, qui de alienis. Idem intelligas de religioſo quovis, qui ſive ſua jam relicta repetat, ſive uſurpet aliena.

Proprietas ſacrilegium.

Propterea communis apud illos apotheca: nec eorum ullus dicit, hoc meum eſt, illud tuum, ut in ſuperioribus monſtratum eſt. S. Baſilius in regulis brev. 85. cùm quæſiſſet; Num privatim aliquid haberi poſſit in ſocietate fratrum: Reſpondet: [Act. 4. Nemo aliquid ſuum eſſe dicebat, quare qui dicit ſuum aliquid eſſe, is ſeipſum alienum reddit ab Eccleſia Dei, & charitate Domini.] Et 87. quærens, an liceat cuique vetus veſtimentum, vel calceamentum dare cui velit; Reſpondet: [Dare, aut accipere, non eſt cujuſlibet; ſed ejus, cui delatum eſt munus diſpenſandi.] Et 91. addit; [Etiamſi nudus petat, non licêre dare.] Et 93. quærens, qua mente uti debeat rebus ad victum neceſſarijs is, qui omnium poſſeſſione ſe ſpoliavit, profeſſuſque eſt nihil ſe habere proprium: Reſpondet; Ea, ut meminerit Deum eſſe, qui dat eſcam omni carni, curetque ut tanquam Dei operarius dignus ſit cibo ſuo: qui tamen cibus non ſit poſitus in ipſius poteſtate; ſed ab eo miniſtretur, cui ſubminiſtrandi datum negotium ſit. Et rurſum 100. quærens, an mendicantibus panem, aut aliud dare quiſque poſſit, Reſpondet; Eum, cui diſpenſandi munus aſſignatum eſt, diligenter illud exequi debere; qui verò præter illius ſententiam aliquid facit, is tanquam everſor diſciplinæ habeatur. Et 142. Nùm conveniat religioſos opifices opus aliquod aliundè faciendum ſuſcipere ſine Præpoſiti ſententia, omninò definit, judicio furis utrumque obnoxium eſſe, & qui dat, & qui ſuſcipit. Et 143. & 144. hos ipſos opifices curam habere debere inſtrumentorum, quibus utuntur, ut eorum, quæ Deo dicata, & conſecrata ſint; quæ ſi ex incuria amiſerint, aut illis abuſi fuerint, tanquam ſacrilegi judicentur; cùm omnia Domino ſint dedicata. Et 187. Eum, qui cœnobio ſe dedit, debere quidem, ait, à propinquis accipere ea, quæ ad illum pertinent: verùm hæc non pro illo conſumenda eſſe, ſed in eos, qui egent, à Superiore diſpenſanda; Magnoperè autem obſervanda ſunt illa verba in conſtit. monaſt. cap. 21. [Quæ ad eorum uſus ſervantur, qui Deo ſe dedicârunt, ea ſacra, & in eorum numero, quæ Deo conſecrata ſunt, eſſe judicantur; quare, qui ex his quidpiam tibi ſurripit, is ſinè dubio ex ijs eſt, qui auſu temerario ſacrilegia deſignârunt.] Et c. 35. cùm de hoc ipſo argumento copioſè diſſereret, inter cætera ſic loquitur: [Qui proprium aliquid habere ſtudet, is ſine dubio diſiunctionem, & defectionem à cæteris meditatur: & alter Judas efficitur, qui à furto exorditur (furtum eſt enim privata poſſeſſio) & in perditionem deſinit.] Addit: [Societatis expilatio eſt, rei cujuſcumque,& undecumque in privatum uſum ſevocatio.] Pluribus hæc ex Baſilio collegi, quòd hic graviſſimus Pater in monachorum, ac religioſorum inſtitutione acuratiſſimus fuerit, & oculatiſſimus.

Sed & Sanctus Auguſtinus habet non pauca, in regula apertè præceptum legimus; [Nemo ſibi proprium vendicet quidquam.] Et iterùm: [Religioſus nihil dare poteſt vel accipere ſine licentia Superioris.] Et in ep. 109. ad monachas, omnia vult illis eſſe communia,nihil proprium: Victum,& veſtitum diſtribui

Digitized by Google

bui omnibus à Præpoſita, non æqualiter, ſed pro ſingularum indigentia. Veſtes in uno loco omnes ſervari ſub uno cuſtode: ut ſicut paſcuntur ex uno cellario, ſic induantur ex uno veſtiario, quæ offeruntur, vel donantur ſingulis, in commune accipi omnia, quod ſi quæ celaverit quidpiam, furti condemnari, & id genus alia. Quin etiam de ſui temporis Eſſæis in Paleſtina, & Syria magno numero religioſè victitantibus ita commemorat Philo Iudæus in libro, cui titulum fecit, Quod omnis probus liber. [Omnibus unum eſt promptuarium, undè veſtitus, & menſa communis ſumitur: quidquid lucrantur è quotidianis operæ mercedibus, non ſibi quiſque ſervat, ſed in medium conferendo cuicunque volenti fruendi poteſtatem faciunt.] Et Sanctus Chryſ. homilia 58. & 59. ad populum; [Una menſa, & miniſtrum ſuſcipientibus, & exhibentibus eadem fercula, eadem indumenta, habitacula eadem, eadem vita: non eſt ibi meum, & tuum.]

Quam vivendi formam avium argumento commendat nobis S. Ambr. libro 7. in Luc. cap. 18. [Volatilibus, inquit, cœli idcircò inelaborati pabuli uſus exuberat, quod fructus ſibi communes ad eſcam datos, ſpeciali neſciunt vendicare dominatu. Nos communia amiſimus, cùm propria vendicamus.] Et præclarè S. Hieron. in cap. 17. Matth. illud de Chriſto Domino obſervavit. [Cùm ſolvendum fuit tributum, Chriſtus miſit ad mare, & invento ſtatere in ore piſcis, ſolvit. Nam & Iudas in loculis portabat pecuniam, rem tamen pauperum in uſus ſuos convertere nefas putavit.] S. Benedictus in ſua regula cap. 33. ſeverè cavit, nè quis præſumat aliquid dare, vel accipere, niſi juſſione Abbatis: neque aliquid habere proprium; nullam omninò rem, neque codicem, neque tabulam, neque graphium: ſed nihil omninò, quod Abbas non dederit, aut permiſerit, quippè quibus neque corpora ſua, neque voluntatem liceat habere in poteſtate propria. Itaque cap. 55. [Lecta, addit, ab Abbate frequenter viſitanda ſunt. Si cui inventum fuerit, quod ab Abbate non acceperit, graviſſimæ diſciplinæ ſubjaceat.] S. verò Dorotheus diſcipulum ſuum Doſitheum nulli omninò rei ſinebat affici. Si veſte indigebat, dabat illi, moxque illum jubebat alteri dare, & illi alteram providebat. Itaque cùm illi donatus fuiſſet culter valdè pulcher, iſque retinere illum percuperet ad uſum valetudinarij, cujus ipſe habebat curam; dixit illi Dorotheus: [Vis nè fieri hujus gladioli ſervus, an ſervus Chriſti? Non erubeſcis appetere, ut hic gladiolus dominetur tibi, & non potiùs Deus.] Itaque nunquam eſt auſus illum tangere, etſi omnes alij eo uterentur. Legimus hoc in ipſius vita. Cæterùm Joannes Caſſianus libro 4. de inſtitutis renuntiantium c. 3. cum ſcribit, qui admitti ad monaſterium petebat, ſolitos fuiſſe veteres illos monachos interrogare; Num de ſuis facultatibus vel unum nummum retineret. Non enim poſſet, inquit, diu perſeverare in monaſterio, atque humilitatis, & obedientiæ virtutem apprehendere, &c. Et c. 13. [Nulli ciſtellam, aut peculiarem ſportellam, aut quidvis aliud velut proprium ſuo permittebatur ſignare ſignaculo.] Et cap. 18. In horto aliquid tangere ſacrilegium habebatur: & cap. 20. Cùm coquo lavanti tria lenticulæ grana cecidiſſent in terram; ſuſpenſus is ab oratione fuit, velùt ſacri peculij neglector.

Proprietatis gradus. Verùm de hoc proprietatis malo copioſè idem autor diſſerit lib. 7. treſque illius partes facit; Appetere illa, quæ habebantur in ſæculo; Reſumere ea, quæ jam abjecerat; Et non ſine re ſe ſpoliari omnibus. Primi exemplum fuit Giezi. Secundi Iudas. Tertij Ananias, & Saphira. Adfert c. 19. Baſilij ſententiam de quodam, qui non omnia reliquerat, ſed aliquid ſibi reſervaverat. [Et ſenatorem, inquit, Syncletum perdidiſti, & monachum non feciſti.] Multa reperies apud Humbertum in epiſtola de tribus votis cap. 17. & ſequentibus; & in regulam Sancti Auguſtini c. 14. 15. 16. 17. 18. 22. 23.

Proprietarij Pœna. Denique proprietarium monachum defunctum deplorat magnoperè Sanctus Hieron. in epiſtola ad Ruſticum, de vivendi forma cap. 4. [Vidimus, inquit, nuper, & planximus Crœſi opes unius monachi morte deprehenſas, urbiſque ſtipes, quaſi in uſus pauperum congregatas, ſtirpi, & poſteris derelictas.] Neque Sanctum Auguſtinum voluiſſe ſecum habere proprietarios monachos, teſtatur ipſius ſerm. 52. ad fratres in eremo, de vita clericorum, & cùm quidam Ianuarius monachus profeſſus, & proprietarius teſtamentum in morte feciſſet, quo Eccleſiam inſtituebat hæredem, noluit Auguſtinus acceptare. Sed & ſeveriùs hoc peccatum fuiſſe punitum ſcimus ex Sancto Hieronymo in epiſtola ad Euſtochium, de cuſtodia virginitatis cap. 14. [In Nitria, inquit, centum ſolidos reliquit moriens quidam monachus. Inito conſilio, decretum eſt, ut cum eo ſepelirentur, dicendo; Pecunia tua tecum ſit in perditionem.] Et Sanctus Greg. lib. 4. dial. c. 55. & in illius vita Ioan. Diaconus libro primo cap. 15. Juſtum quemdam nomine, re autem injuſtum monachum ſcribunt tres aureos occultatos habuiſſe. Quod cùm moribundus aperuiſſet fratri; audiens id Gregorius nullum morienti aſſiſtere juſſit; mortuumque non in communi ſepulchro cum alijs, ſed in ſterquilinio ſimul cum ſua pecunia ſepeliri, clamantibus omnibus; Pecunia tua tecum ſit in perditionem. Quod poſteà confirma-

Digitized by Google

confirmavit, & agendum ſanxit Innocentius III. in cap. Cùm ad monaſterium, de ſtatu monachorum, diſtrictè prohibens in virtute obedientiæ ſub obteſtatione divini judicij, nè quis monachorum proprium aliquo modo poſſideat, affirmans tandem proprietatis abdicationem, ſicut & cuſtodiam caſtitatis adeò eſſe annexa regulæ monachali, ut contrà eam nec Summus Pontifex poſſit licentiam indulgêre.

DE CASTITATE

LIBER XLVI.

CAPUT I.

Caſtitas quid.

CASTITATEM ampliori omninò acceptione uſurpavit S. Aug. in libro de beata vita diſput. 2. cùm caſtum eum dici pronuntiavit, qui non ſolùm ab illicito concubitu, ſed ab omnibus peccatis abſtinet, & Deum ſolum attendit. Nunc enim de caſtitate ſermo eſt, quatenùs ſpecialis virtus eſt turpiſſimo luxuriæ vitio contraria, & inimica, quæ libidinis omnes motus, & actus frænat, & cohibet. *Angelica virtus.* Angelica prorsùs virtus, & Angelica caſti hominis vita. In carne enim vivere, & carnis motus non ſentire, atque ita in carne eſſe, acſi in carne non eſſes; Angelicum eſt, non humanum. Et benè Angelum ad Mariam Virginem miſſum ſcribit Sanctus Hieronymus in epiſtola ad Paulam, & Euſtochium, de aſſumptione Beatæ Mariæ Virginis (quæ tamen Sophronij eſſe creditur) quia eſt ſemper Angelis cognata Virginitas. Nec dubitavit S. Bernardus epiſtolâ 42. ad Henricum Sennonenſem Archiepiſcopum, affirmare; Differre quidem hominem pudicum, & Angelum, ſed fœlicitate, non virtute. Et quamvis illius caſtitas felicior, hujus tamen fortior eſſe cognoſcitur. Sola eſt caſtitas, quæ in hoc mortalitatis & loco, & tempore ſtatum quemdam immortalis gloriæ repræſentat. Eſt enim caſtitas inſtar odoriferi balſami, quo condita cadavera incorrupta ſervantur; ſenſus noſtros, & artus continet, & conſtringit, nè carnis voluptatibus computreſcant. Et ſer. 2. de altitudine, & baſſitudine cordis; [Vita cœlebs vita cœleſtis, & Ange-,, lica. Incorruptio facit proximum eſſe Deo.] Et Joannes Caſſianus libro de ſpiritu fornicationis cap. 6. [Nulla, inquit, virtute tam pro-,, priè homines æquantur Angelis, quàm ca-,, ſtitate;] Per quam adhuc in terra degentes habent ſecundùm Apoſtolum Phil. 3. municipatum in Cœlis. Origenes homiliâ ſextâ in librum Iudicum, exponens illud; Qui aſcenditis ſuper nitentes aſinas; [Hæc, inquit, eſt ,, caro, quæ tunc refulgere, ſeu nitere dicitur, ,, cùm caſtitatis, & pudicitiæ fuerit ſplendore ,, decorata.] Et in libro Canticorum cap. 1. Pulchræ ſunt genæ tuæ, ſicut turturis. [Vul-,, tus enim, ait Sanctus Ambroſius ſermone ,, tertio in Pſalm. 118. liberior eſt, ubi eſt ,, caſtitatis conſcientia. Nam & turtur Sym-,, bolum caſtitatis eſt.]

CAPUT II.

Caſtitatis conſilium Dei eſſe.

OMNINÒ conſilium hoc de ſervanda caſtitate caro, & ſanguis non revelavit nobis. Quantoperè enim reluctentur caro, & ſenſus, experitur, & ſentit unuſquiſque, qui carnem habet, & ſenſum. Eam enim rebellantem ſentit, atque ad libidinem incitantem. Undè illud Pauli Gal. 5. Caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & Rom. 7. Condelector legi ſecundùm interiorem hominem: Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis. Quare exclamans quærit; Quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei, &c. Hæc eſt illa Dei maledictio poſt peccatum, Geneſis tertio; Spinas, & tribulos germinabit tibi; quibus miſer homo ad peccatum horis omnibus ſolicitatur. Itaque interpretatur Sanctus Ambroſius ſermone in feria tertia poſt Dominicam 2. quadrag. [Germinat, inquit, mihi ,, terra mea ſpinas, ſi corporalis libidinis titillatione compungit. Generat mihi tribulos, cùm me

Digitized by Google

„ me divitiarum ſæcularium cupiditate diſcru-„ ciat.] Hoc graviſſimum bellum in ſe ipſo ſentiens Sanctus Auguſtinus antequam ad Deum converteretur, mirabatur Ambroſij cœlibatum, & perquàm laborioſum judicabat, ut ipſemet fatetur libro ſexto confeſſionum capite tertio, & licèt adoleſcens à Deo petijſſet caſtitatem, ita tamen petierat, ut libidinis morbo detentus cuperet non exaudiri. Sic enim fatetur capite ſeptimo: [Ego adoleſcens „ miſer in exordio ipſius adoleſcentiæ petieram „ à te caſtitatem, & dixeram; Da mihi caſti-„ tatem, & continentiam, ſed noli modò. Ti-„ mebam enim, nè me citò exaudires, & ci-„ tò ſanares à morbo concupiſcentiæ, quam „ malebam expleri, quàm extingui.] Veriſſimum autem eſt id, quod idem habet in ſermone 250. de tempore. [Inter omnia Chri-„ ſtianorum certamina ſola duriora ſunt prælia „ caſtitatis, ubi quotidiana eſt pugna, & rara „ victoria. Gravem caſtitas ſortita eſt inimi-„ cum, qui quotidiè vincitur, & timetur.] Hæcque prælia verè ratiocinatur Tertullianus in libro de virginibus velandis cap. 10. vehementiora in viris eſſe, quàm in fœminis: quod illi natura calidiores ſint, frigidiores fœminæ. „ [Maſculorum, inquit, quantò ſexus avidi-„ or, & calidior in fœminas, tantò continen-„ tia majoris ardoris laboratior.] Et Sanctus Hieronymus in epiſtola de vitando ſuſpecto contubernio c.3. majorem in virginibus. [Li-„ bido majorem in virginibus patitur famem, „ dum dulcius putat eſſe, quod neſcit.] Sed & ſpinæ hæ acriùs multò urgent, ac vehementiùs pungunt, quàm tribuli. [Neque enim „ par eſt, inquit Sanctus Chryſ. homiliâ 36. „ ad populum, corporum vincere cupiditatem, „ & pecuniarum: ſed major eſt illic labor. „ Quoniam voluptas naturalis eſt, & corpori „ noſtro inſita, & ingenita: pecuniarum au-„ tem cura nequaquam.]Et rurſum homiliâ 7. in poſteriorem ep. ad Cor. [Acrior eſt & ve-„ hementior corporum amor, quàm pecunia-„ rum.] Et S. Hier. epiſtola ad Pammachium de obitu Paulinæ uxoris cap. 5. [Majus con-„ tinentiæ, quàm nummorum certamen eſt. „ Facilè abijcitur, quod hæret extrinſecùs, in-„ teſtinum bellum periculoſius eſt; ſi quæ fo-„ ris ſunt, offeramus Deo, quæ intùs ſunt, „ diabolo, non eſt æqua partitio.]

Caſtitatis tentatio.

Si ergò caſtitatis conſilium caro, & ſanguis non revelârunt nobis, negari non poteſt divinum planè fuiſſe conſilium, divinamque cogitationem immiſſam nobis cœlitùs. Ita Sanctus Cyrillus Hieroſolymitanus catech. 16. à Spiritu Sancto eam eſſe dixit,& S.Greg.Nyſſenus libro de virginitate cap. 11. Cur Spiritus Sanctus aſſimiletur columbæ duas expoſuit cauſas. [Spiritus, inquit, Sanctus, columbæ „ aſſimilatur, ſive quòd avis hæc felle caret, „ ſive quòd eſt inimica fœtori. Qui ergò ab „ omni acerbitate, & carnis fœtore longè re-„ fugit &c.] Sanè Sanctus Nazianzenus in expoſitione viſionis Ezechiëlis, Moyſen ſcribit poſt audita Dei miracula numquam cum uxore conſuetudinem habuiſſe, nec liberos procreaſſe. Et Sanctus Ambroſius in libro de Paradiſo c.3. Cùm fluvius Gion à Deo factus, dicitur circuire terram Ægypti; In eo ait figuram caſtitatis fuiſſe, ut abluat corpus abjectum, & carnis viliſſimæ reſtinguat incendium; & cap. 4. ubi nos legimus apprehendiſſe Deum hominem, quem fecit, & poſuiſſe in paradiſo: [Apprehendit, inquit, eum virtus „ Dei, ſpirans proceſſus, & incrementa virtu-„ tis.]

Caſtitatis divinum conſilium.

Spiritus Sanctus columba cur.

CAPUT III.

Caſtitatem novæ legis conſilium eſſe.

Quod aliquandò dixit Eccleſiaſtes cap.3. Omnia tempus habent; &, Eſt tempus amplexandi, & tempus longè fieri ab amplexibus; ita video à Sancto Auguſtino acceptum in primo libro de nuptijs, & concup. cap. decimo tertio, ut tempus amplexandi fuerit tempus veteris legis, & tempus longè fieri ab amplexibus ſit tempus gratiæ.Nam anteà dictum eſt; Creſcite, & multiplicamini, nec ullus erat virginitatis honor, & cultus. Sed ut loquitur Auguſtinus idem in libro de bono viduitatis cap. 7. Antiquæ fœminæ non concupiſcentia, ſed obedientia compellebantur, ut propagaretur populus Dei, in quo præmitterentur Prophetæ Chriſti, & ipſe Chriſtus naſceretur. Ideò & mortuo primo viro nubebant alteri, & viris plures uxores concedebantur. Anna tamen relicta vidua ſine filijs, alterum non quæſivit virum, quia prævidit Chriſtum ex Virgine proximè eſſe venturum, cui continentiæ ſtudio meliùs ſerviretur. At poſt Chriſtum ex Virgine natum continentiæ jam tempus eſt, non generandi. Iam coli cœpta caſtitas eſt, & prodierunt eunuchi, qui ſeipſos caſtraverunt propter regnum cœlorum.

Caſtitas evangelica.

In veteri lege præceptum Hebræis fuit Ex. 12. ut paſchalem comedentes agnum renes præcingerent ſuos; Renes veſtros præcingetis. At Angelus, quem Apoc. cap. 1. Ioannes vidit, zona aurea præcinctus ad mamillas erat. Namque illis caſtitas carnis in conjugio ſatis erat: nobis cordis quoque munditia præcipitur. Sic enim loquitur Chriſtus Matth. 5. Audiſtis, quia dictum eſt antiquis: Non mœchaberis; ego autem dico vobis, quia qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo. [Per Moyſen, in-„ quit Sanctus Gregorius libro vigeſimo pri-„ mo cap. 2. luxuria perpetrata, per auctorem munditiæ

Digitized by Google

,, munditiæ luxuria cogitata damnatur. Ideò ,, primaPet. 1. Succincti lumbos mentis veſtrę. ,, Lumbos enim carnis ſuccingere, eſt luxuriam ,, ab affectu refrænare: lumbos verò mentis ſuc- ,, cingere, eſt hanc etiam à cogitatione reſtrin- ,, gere. Hinc Angelus, qui Ioannem alloqui- ,, tur, zona aurea ſuper mammillas cinctus eſſe ,, perhibetur: quia teſtamenti novi munditia ,, cordis etiam luxuriam frænat. Et benè zo- ,, na aurea; quia qui ſupernæ patriæ civis eſt, ,, non jam timore ſupplicij, ſed amore chari- ,, tatis immunditiam deſerit.]

Nec omittendum eſt illud, quod Gen. 3. maledicens Deus ſerpenti dixit; Super pectus tuum gradieris, & terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ. Quæ verba eodem in loco Gregorius ita interpretatur. [Callidus hoſtis ,, cùm ab affectu operis expellitur, ſecreta pol- ,, luere cogitationis molitur. Undè dicitur illi; ,, Pectore, & ventre repes. Ventre repit, quan- ,, dò per humana membra ventri ſubdita uſquè ,, ad expletionem operis luxuriam exercet. ,, Repit autem pectore, quandò eos, quos in ,, opere non valet, polluit in cogitatione. Sed ,, quia per cogitationem ad explenda opera ,, pervenitur, rectè ſerpens prius pectore, poſt ,, ventre repere dicitur.]

Quod de forti, ac prudenti muliere dixit Salomon Proverb. 31. Quæſivit lanam, & linum ſerm. 217. de tempore, ita interpretatur Sanctus Auguſt. ut lana carnale aliquid ſignificet, linum ſpirituale quidpiam. [Interiora ,, enim ſunt linea veſtimenta, exteriora lanea. ,, Et lana de commiſtione animalium naſcitur; ,, linum ſine carnis voluptate de terra procrea- ,, tur.] Ideò caſtitatem præferre videtur: Et Sacerdotes Ex. 28. lineis fœmoralibus utebantur. Caſtitas ergò carnis eſt veſtis lanea; caſtitas mentis veſtis linea. Utramque prudens mulier quæſivit.

Idem quoque in ſermone 255. de tempore; In templo Salomonis 3. Reg. 6. admonet duo fuiſſe altaria conſtituta, unum foris, aliud intùs. In illo animalium celebrabatur ſacrificium, in hoc thymiamatis offerebatur incenſum: Sic in nobis quoque duo voluit Deus altaria, corporis, & cordis noſtri. Duplex enim à nobis ſacrificium requirit, caſtitatem corporis, & munditiam cordis. [Nulla enim (inquit in ,, libro de mendacio c. 7. idem Aug.) eſt pu- ,, dicitia corporis, niſi ab integritate animi pen- ,, deat: Qua dirupta, cadat neceſſe eſt, etiam- ,, ſi intacta videatur.] Cùm ergò integra caſtitas, & carnis & mentis puritate conſtet, rectè Sanctus Gregorius. libro tertio in primum Regum cap. 5. Eos, qui carnis continentiam habent abſquè mentis puritate, non integrum, ſed dimidiatum agnum dixit offerre Deo. [Ve- ,, lut enim agni partem ſacrificio ſubripit, qui ,, puritatem cordis, corporis continentiæ non ,, conjungit.] Affert & fatuas virgines, quæ oleum in lampadibus non habuerunt. [Lam- ,, pades enim paratas habent, qui pudicitiam ,, ſervant in corpore; & oleum quoque habent, ,, qui nitorem puritatis tenent in mentis ſuæ ,, circumſpectione.] Et Ioannes Caſſianus collatione 12. cap. 2. [Ad perfectionem puri- ,, tatis, caſtimonia continentiæ corporalis ſo- ,, la non ſufficit, niſi ei etiam mentis addatur ,, integritas.]

CAPUT IV.

Quid ſit lumbos præcingere.

SINT ergò lumbi præcincti. Nam de diabolo dicitur Iob 40. Virtus ejus in lumbis ejus. [Nos verò lumbos præcingimus, ait S. ,, Greg. h. 13. in Evang. cùm carnis luxuriam ,, per continentiam coarctamus.] Deque Eccleſia notat Euſebius Emiſſenus h. 2. in natali confeſſorum, dictum fuiſſe; Accinxit fortitudine lumbos ſuos: & iterùm; Syndonem fecit, & vendidit, & tradidit Chananæo. Namque & in veteri lege Sacerdotes baltheos, & fœmoralia jubebantur habere, ſine quibus ad altare non accederent, neque tabernaculum ingrederentur. Atque à mulieribus abſtinebant, priuſquàm ad offerendum ſacrificium accederent; & ut loquitur Sanctus Auguſtinus quæſtione 85. in Levit. poſt coitum conjugalem immundi erant uſquè ad veſperum, nec poterant illo die offerre incenſum. [Præcepit Do- ,, minus, inquit Orig. homiliâ 4. in Levit. ut ,, campeſtri lineo præcingatur Sacerdos; & in ,, Evangelio; Sint lumbi veſtri præcincti. Cam- *Luc. 12.* ,, peſtri lineo præcingitur, vel fœmoralibus ,, utitur, qui luxuriam fluxæ libidinis cingulo ,, reſtrinxerit caſtitatis. Antè omnia enim Sa- ,, cerdos, qui divinis aſſiſtit altaribus, caſtita- ,, te debet accingi.] Sed & poſt hæc adjungit, propterea Levit. 6. juſſiſſe Deum Sacerdotis ſacrificium ex ſartagine offerri. Quod diſtrictum, & multa continentia aridum, & torridum vult eſſe ſacerdotem, in quo nihil remiſſum haberi ad luxuriam nihil fluitans ad libidinem poſſit. Et verò Deus, addit Sanctus Io. Damaſcenus libro 4. de fide cap. 25. ſui vivendi copiam Iſraëlitis facturus, hoc idem eis imperavit, ut corpus ab omni libidine purum continerent. Hinc caſtitatis cingulum ſervitutis indicium, ut habet Petrus Chryſologus ſermone 24. [Quòd & ad diſcurſum expeditos ,, reddat, & faciat obſequentes.] & [Con- ,, ſtringenda eſt caro continentiæ cingulo, nè ,, effuſa vitijs, ac toto peccatorum gravata pon- ,, dere, ſupernis, ac cœleſtibus inſiſtere non ,, poſſit inceſſibus.]

Sed & Apoſtolus Paulus Eph. 6. non ſolùm carnis lumbos, ſed & mentis, præcinctos poſtulabat

Digitized by Google

ſtulabat: Succincti, inquit, lumbos mentis veſtræ, & calceati pedes in præparationem Evangelij pacis. [Succinxit enim lumbos bal-
„ theo caſtitatis, ait S. Leo Papa ſermone 1. de
„ quadrag. & calceavit pedes vinculis pacis;
„ quia & diſcinctus miles citò ab impudentiæ
„ incentore vincitur, & non calceatus, facilè
„ à ſerpente mordetur.] Quod ſi quempiam diabolus ad luxuriam pertrahit, lumbos illius ferit, quemadmodùm adnotavit S. Gregorius libro 13. moral. c. 6. dicatque cum Iob cap. 16. Convulneravit lumbos meos, effudit in terram viſcera mea: [Verùm non ait, vulneravit, ſed
„ convulneravit. Sicut enim loqui unius eſt,
„ colloquij plurium; ita hoſtis nos ad culpam
„ non trahit ſine noſtra voluntate.]

CAPUT V.

Mulieres vitandas eſſe.

Luxuriæ materia. PORRÒ nos multis modis in hoc peccare poſſumus, & volentes, aut nolentes hoſtem noſtrum adversùm nos ipſos adjuvare. Maximè autem frequenti converſatione cum fœminis, attentoque illarum aſpectu, nimio cibo, & potu, eoque calidiore, cogitationibus impudicis, otio, levioribus moribus, & ſimilibus. Quibus omnibus magnoperè invigilandum eſt illi, qui caſtitatem ſuam, cordiſque puritatem tueri voluerit. Et quoniam ſcita eſt turturis caſtitas apud ſanctos Patres Ambroſium lib. 5. exam. cap. 19. & ſerm. 19. in Pſalm. 118. & Hieronymum libro primo adversùs Jovinianum cap. 17. & comment. in Pſal. 83. & Gregorium in caput primum Cant. & Anſelmum in Evangelium Lucæ cap. 2. Poſtquàm impleti ſunt dies purgationis Mariæ &c. Et Bernardum ſerm. 40. & 59. in Cant. & libro de modo benè vivendi ad ſororem cap. 10. & 61. quæ avis & compare vivo, & mortuo indiſſolubilem fidem conſervans, alteri concubitui indulgere non novit. Proptereà turturis ſacrificio propoſito, explicare placet hoc loco, quemadmodùm caſtitatis ſacrificium Deo ſit immolandum. *Caſtitas turturis.*

Turturis ergò ſacrificandæ ritum propoſuit per Moyſen Deus Levit. 1. Hæc immolanda primùm erat retorto ad collum capite. Idem & in caſtitate ſervare oportet, nec fœminas oculis noſtris curioſiùs contemplando, nec cum illis converſando: quoniam non pugnando, ſed fugiendo ſervatur caſtitas, juxtà illud Pauli 1. Cor. 6. Fugite fornicationem. Hoc quippè inimici genus non luctando, & pugnando, ſed fugiendo ſuperatur. Origenes homiliâ octavâ in Ioſue, cùm hæc Pauli verba pronuntiâſſet; [Illa, inquit, fuga eſt,
„ quæ habet ſalutem, iſta fuga virtutis eſt,
„ iſta fuga beatitudinem confert.] [Non di-
„ xit; Reſiſtite, ait Sanctus Auguſtinus ſer-
„ mone 250. de tempore, ſed; Fugite fornica-
„ tionem, quia contrà reliqua vitia debemus
„ reſiſtere, libidinem verò fugiendo ſuperare.
„ Sicut Joſeph, ut impudicam dominam poſſet
„ evadere, pallium, quo apprehenſus fuerat,
„ reliquit, & fugit.] Et libro de honeſtate mulierum cap. 1. [Contrà libidinis impetum ap-
„ prehende fugam, ſi vis obtinere victoriam.]
Et S. Hieronymus adversùs Vigilantium c. 6.
„ [Nolo ſpe pugnare victoriæ, nè perdam ali-
„ quando victoriam. Si fugero, gladium devi-
„ tavi; ſi ſtetero, aut vincendum mihi eſt, aut
„ cadendum; quid autem neceſſe eſt certa di-
„ mittere, & incerta ſectari?] Joan. Caſſianus collatione 5. Abbatis Serapionis capite 4. duplici diſtincto vitiorum genere, altero carnali, altero ſpirituali, duplicem item illorum curationem facit. [Nam priori ſubtrahenda eſt
„ illiciens materia, & ſolitudo quærenda, nè
„ concupiſcentia in effectum tentet prorum-
„ pere: poſteriori autem humana conſortia ni-
„ hil obſunt, quin etiam plurimùm conferunt:
„ quia frequentiâ hominum magis arguimur.]
Et rurſùm collat. 19. Abbatis Io. cap. 16. [Re-
„ medijs aliorum vitiorum, non ſolùm nihil
„ officiunt, verùm etiam multum conferunt
„ humana conſortia. Contrà fornicationis ve-
„ rò ſpiritum diverſa ratio, & diſpar eſt cauſa.
„ Ut enim corpori uſus libidinis, carniſque vi-
„ cinitas, ita etiam menti memoria ejus eſt pe-
„ nitùs ſubſtrahenda. Nam perniciosum eſt
„ infirmis adhuc, ægriſque pectoribus vel te-
„ nuiſſimam recordationem hujus paſſionis ad-
„ mittere.] Cujus cauſa ſeniores noſtri fœminarum hiſtorias, vel etiam Sacras, ſub præſentia juniorum ſolent conſultiſſimè præterire. Et Sanctus Anſelmus in caput ſextum prioris epiſtolæ ad Corinth. exponens illa ipſa verba; Fugite fornicationem: [Non dico, ait, Pu-
„ gnate adversùs eam, ſed; Fugite illam. Quia
„ cum alijs vitijs expectari poteſt conflictus;
„ hæc autem fugienda eſt, quia non aliter me-
„ liùs vinci poteſt.]

Ideò viri longè debent eſſe à fœminis remoti, nec etiam mente huic vitio propinquare, ſi cupiunt victores fieri. Proptereà in Eccleſijs factam ſemper fuiſſe pariete interjecto ſeparationem virorum, & mulierum ſcimus ex Sancto Ambroſio lib. ad virg. lapſam cap. 6. & S. Auguſt. libro ſecundo de civitate Dei cap. 28. & lib. 22. cap. 8. & alijs, & de primis illis Chriſtianis teſtatur Philo in libro de vita contemplativa. Immò & apud Judæos factum fuiſſe, ut aſcendentes ad diem feſtum ſeorsìm viri, & mulieres incederent; obſervavit Sanctus Bernardus hom. in ea verba Luc. 2. Cùm factus eſſet Jeſus annorum duodecim. Sed præclarè omninò ratiocinatur Sanctus Cyprianus in ſer. de jejunio, & tentationibus Chriſti: [Ho- *Virorum, & mulierum ſeparatio in Eccleſia.*

Digitized by Google

,, neſtiùs, inquit, cum ſpiritu, quàm cum car-
,, ne luctamur; quia carnis complexus, fœdas
,, exhalans nebulas; Eum, qui ſibi adhæſerit,
,, aliqua ex parte contaminat: nec libidinum
,, morſus quiſquam evaſit illæſus. Flatus ille
,, peſtilens, etiam longè poſitos inficit; & hoc
,, tentationis genus fugam potiùs, quàm aſſul-
,, tum requirit.] Caſtiſſimus Joſeph, ut pau-
lò antè dicebat Sanctus Auguſtinus ab impudi-
ca tentatus Ægyptia; non alio modo, quàm fu-
gâ, ſibi conſuluit, & nec veſtes à fœmina ta-
ctas voluit retinere: quòd illas ipſas quoque
periculoſas ſibi, & mortiferas judicavit. Quod
ſapienter obſervavit Sanctus Ambroſius in li-
bro de Joſeph cap. 5. [Joſeph, inquit, reliquit
,, veſtimenta in manu dominæ. Reliquit tan-
,, quam non ſua, quæ adultera ſuis manibus
,, detinebat: & aliena judicavit, quæ tactu
,, impudicæ potuerant comprehendi. Conta-
,, gium judicavit, ſi diutiùs moraretur, nè per
,, manus adulteræ libidinis incentiva tranſi-
,, rent.] Et S. Cyprianus in libro de bono pu-
dicitiæ: [Cùm retentus eſſet veſtibus, eò quòd
,, moliretur fugam, propter tanti facinoris au-
,, daciam ipſas veſtes relinquit, corporis nudi
,, ſinceritatem habiturus innocentiæ teſtem.]
Sed venio ad alterum fugæ caput.

CAPUT VI.

De oculorum cuſtodia.

RETORTO ad collum capite immolan-
da turtur eſt, hoc eſt, avertendo à fœmi-
narum aſpectu oculos caſtitas cuſtodienda. Ali-
oqui maximo noſtro damno veriſſimum illud
eſſe experiemur; Mors aſcendit per feneſtras,
Jerem. 9. & illud; Oculus meus deprædatus
eſt animam meam, Thren. 3. dixi de hoc in li-
bro decimo ſeptimo de Mulierum converſati-
one, dicam & nunc, quò major caſtitati paretur
cuſtodia. Tertullianus in libro de corona mili-
tis cap. 10. adferens illa Jo. verba in 1. epiſt.
cap. 5. Filioli cuſtodite vos ab idolis, non de
idolorum adoratione, aut immolatione idolo-
latriæ, ſed de ſolo idolorum aſpectu interpre-
tatur, ut nè ipſam quidem illorum effigiem
intueri nos velit. [Draco enim, etiam terre-
,, nus, inquit, non minùs ſpiritu abſorbet ali-
,, tes.] Idipſum dixerim ego de fœminarum,
ceu idolorum aſpectu. Et in libro de velandis
virginibus cap. 2. [Invicem ſe eadem oculo-
,, rum genera deſiderant: Ejuſdem libidinis eſt
,, videri, & videre.] Et cap. 7. Cùm Ange-
los putaret à Deo, & Cœlo excidiſſe ob fœmi-
narum concupiſcentiam; [Debent, inquit, ve-
,, lari capita mulierum, & obumbrari facies
,, tam periculoſa, quæ uſquè ad cœlum ſcan-
,, dala jaculata eſt, & malam illam libertatem
,, capitis ſui comprimat, jam nec hominum
,, oculis offerendam.] Et Sanctus Baſilius in
hom. cui titulus eſt; Non adhærendum rebus
ſæcularibus; [Certantibus in paleſtris, in-
,, quit, coronas ita capiti aptabant; nè eos per-
,, mitterent illuſtres contueri formas: veluti
,, lex continentiæ: quod certanti riſum adfe-
,, rat incontinentia, non coronam.] Et homi-
liâ de legendis libris gentilium; & or. item de
temperantia, & incontinentia; Alexandrum
Magnum refert filias captivas admirabili for-
ma nè videre quidem dignatum eſſe, quòd
turpe exiſtimaret, victores ijs, quas ipſi ſu-
peraſſent, ſuccumbere; & in ſermone de ab-
dicatione rerum, ità præcipit: [Cave curio-
,, ſus ſis, neque videre omnia volueris, nè ex
,, ea viſione poſteà in animum tuum libidinum
,, ſanies redundet.] Et in libro de vera virgi-
nitate. [Oculorum acies ad omnia paſſim in-
,, ſpicienda pandenda non eſt, nè omnem fi-
,, gurarum ſpeciem ſine diſcretionis examine
,, hauriens, ad earum poſteà turbetur imagi-
,, nes.] Namque ut idem ratiocinatur, ja-
ctis luminum radijs, velut incorporeis mani-
bus quæcunque voluerit, eminùs tangit. Et
quæ corporeis manibus attingere non poteſt,
oculorum jactibus complectens, per eas, quas
impreſſit animo, formas corpus omne ad in-
vectas imagines voluptatis æſtibus jactat. Et
iterùm poſt aliqua; [Non ſit mollis obtutus,
,, nec intuentibus voluptatis contrà ſe emittat
,, indicia: neque emiſſum forinſecùs oculi ja-
,, ctum ſe patiatur attingere: nè hoc velut igni-
,, to jaculo in corde percuſſa ad voluptatis in-
,, flammetur imagines.] Et mox appoſito uti-
tur ad hoc declarandum exemplo lapidis in a-
quam injecti. Quocircà proferens illud; Mors *Ier. 9.*
aſcendit per feneſtras. [Verè, inquit, ſenſus
,, feneſtræ animæ ſunt; quas velut pudica mu-
,, lier modicè, caſtèque aperimus ad rerum
,, utilium conſiderationem, velut impudica
,, meretrix ad noxia quæque curioſè pandimus
,, ad oblectamenta luxuriæ.] Sic etiam San-
ctus Gregorius Nazianz. orat. in laudem Cy-
priani; Res quoque non attrectandas laſcivi
oculi, atque procaces pertingunt. Organum
nempè omnium promptiſſimum, atque inex-
plebilis aviditatis. Et orat. in Sanctum Baptiſ-
ma; [Illuſtrentur oculi, ut recta cernamus,
,, nec meretricium ullum, & obſcœnum ſimu-
,, lacrum ex accurato, & ſupervacaneo aſpe-
,, ctu conflatum in nobis circumferamus. Alio-
,, qui enim etſi libido à nobis adorata non fue-
,, rit, anima tamen ipſa ſordes contraxerit.]
Et rurſùm or. in Sanctum Pentecoſten; [Suf-
,, ficit corpori malitia ſua. Quid flammæ ma-
,, teria uberiore opus eſt, aut belluæ copioſio-
,, re alimento, ut inſolentiùs, efferaciùsq; fera-
,, tur, rationemq; viribus ſuperet?] Et iterùm
adverſùs mulieres ſcribens ambitioſiùs ſe or-
nantes; [Impudentis, inquit, amoris origo
impudens

Digitized by Google

„ impudens aſpectus eſt, quem ſi quis fugerit, „ idem procùl dubio ſcelus quoque fugiet.]

Sanctus autem Joannes Chryſoſt. non ſolùm hanc ob cauſam h. 3. de David, & Saüle, & pluribus alijs in locis tam acriter invehitur in ſpectacula: ſed etiam ita loquitur in comment. Pſal. 43. [Cur de vultu non tuo curioſè ſcru- „ taris? cùr retibus teipſum illaqueas? oppone „ murum tuis oculis, tuos oculos obſtrue. Quid „ te juvat voluptas, quando ea vermem parit, „ quando metum perpetuum, quando immor- „ tale ei, qui fecerit, ſupplicium?] Et h. 17. in Matthæum: [Qui ſtudet, inquit, elegan- „ tes facies inſpicere, ipſe fornacem ſibi iſtius „ paſſionis accendit, & captivam faciens ani- „ mam, ad opus quoque celeriter adducit.] Et illa Chriſti verba tractans; Qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam &c. hoc appoſitè utitur exemplo. [Sicut nos, cùm gla- „ dium videmus teneri à puero, etiamſi non- „ dum eum vulneratum indè eſſe cernamus, „ verberamus tamen, ac ſæpè minantes de- „ nuntiamus, nè quando illum rursùs attin- „ gat: ita etiam Deus inverecundum coercet „ aſpectum, nè quandoque in ipſam quoque „ incidat actionem.] Et h. 1. de Reſur. to. 3. Neque ex formoſo mulierum aſpectu voluptas capienda. Nam & ob talem contemplationem extremum ſupplicium irrogabitur, & homiliâ 22. in priorem epiſt. ad Corinth. oculos probat à Deo nobis fuiſſe datos, non ut impudicè aſpiciamus, ſed ut opera ejus admirati, opificem adoremus. Quoniam ſolis, & cœli pulchritudinem ex infinita videmus diſtantia, ex qua nemo mulieris pulchritudinem deprehenderet. Et homiliâ ſeptimâ in poſteriorem: „ [Cùm videris mulierem formoſam, non hùc „ intenderis animum, quomodo potiaris cu- „ piditate; ſed quomodò liber eris à concupi- „ ſcentia.] Et h. 10. in epiſt. ad Philipp. [Ab- „ ſurdum fuerit, ſi qui à Deo facti ſumus, alijs „ iſta utenda dederimus, & non magis ei, qui „ nos fecit. Oculum tibi fecit, oculum illi uten- „ dum exhibe, non diabolo.] Et h. 5. in priorem ad Theſſ. omninò demonſtrat caſtitatem plurimùm ex aſpectu lædi. [Ipſi, inquit, nos „ ipſos in flammam, & incendium impelli- „ mus.] Et h. 11. [Oculi, velut foramen, per „ quòd malitiæ flatus ingreditur: obtura fora- „ men timore Dei.] Et ſer. de nequitia depulſa, & virtute inducta tom. 5. [Nihil erit nobis de- „ certandum, ſi nec portas ipſi hoſtibus patefe- „ cerimus, aut admiſerimus vitiorum ſemina. „ Quid enim opus eſt fruſtrà nobis ipſis exhi- „ bere negotium, & manus cum hoſte confere- „ re, cùm liceat palmam ſine certamine com- „ parare, & præripi queat antè inceptum bel- „ lum victoria?] Quo loco plura ſubjungit de mulierum aſpectu. Sed audiamus cæteros.

Euſebius Emiſſenus hom. 4. de Epiphania; „ [Quàm facilè, inquit, poteſt in puncto tem- „ poris evagari velocitas oculi, tam ſolicitè „ præcavenda eſt irruentis noxa delicti.] Et S. Epiph. hær. 9. cadaveris mortui utitur argumento. [Si præterierit mortuus, claudite „ fores, & feneſtras veſtras, ut non inquine- „ tur domus. Hoc eſt, ſi audieris vocem pec- „ cati, aut ſpeciem delicti videris, claude ocu- „ los tuos à concupiſcentia, nè mortificetur „ domus tota, hoc eſt, anima, & corpus.]

Veriſſimum enim eſt illud S. Nili in libro de octo vitioſis cogitationibus cap. de fornicatione; [Florida facies telum venenatum eſt: „ animum ſauciat, ac in ipſo venenum infigit, „ quoque diutiùs immoratur, eò majorem ſa- „ niem efficit. Præſtat domi quieſcere, quàm „ ut quis dum feſta colere ſibi videtur, dæmo- „ ni in prædam cedat.] Meritò gloriabatur Job cap. 31. Si ſecutus eſt oculus meus cor meum. Quo loco S. Gregor. libro 21. moral. cap. 6. „ [Sicut, inquit, tentatio ſæpè per oculos „ trahitur, ſic nonnunquam concepta intrin- „ ſecùs, compellit ſibi extrinſecùs oculos de- „ ſervire.] Joan. Caſſianus libro de ſpiritu fornicationis cap. 2. exemplo utitur ægrotantium corpore, atque ex illis de hac animæ ægritudine ratiocinatur; [Sicut enim plerumque certa „ ægritudine laborantibus utile eſt, ut cibi no- „ xij, nè oculorum quidem ipſorum obtuti- „ bus offerantur, nè quod aſpectus occaſione „ deſiderium eis lethale gignatur: ita pluri- „ mùm confert ad depellendum hunc morbum „ quies, & ſolitudo.] Et S. Bernardus in tract. de ordine vitæ, & morum inſtitutione; [Eſt „ in oculis verecundia, quâ prohibetur boni „ adoleſcentis anima intuêri fœminas; non ut „ execretur ſexum, ſed ut fugiat vitium. Plu- „ rimùm autem proficit ad tuitionem caſtitatis „ cuſtodia oculorum.] Novi ego quemdam ex meis ſocijs primarium, & generis nobilitate, & religioſa virtute virum: qui conſanguineos ſuos viſitans, inter quos erant & fœminæ ſorores, oculos is ſemper demiſſos in terram tenebat, nec earum aſpiciebat vultus; atque à fratre ſuo, qui fortè aderat, benignè admonitus, ut ſorores aſpiceret; placidè reſpondit; Etſi iſtæ ſint ſorores meæ, fœminæ tamen ſunt. Et 3. Regum 7. ad ſuſtentandum unum lilium duæ à Deo columnæ Æneæ præceptæ fuerunt: quoniam ad conſervandum caſtitatis lilium non eſt ſatis una columna ſive ſanctitatis Davidis, ſive ſapientia Salomonis, ſive fortitudinis Sampſonis: ſed hi omnes propter defectum alterius columnæ, prudentiæ, & cuſtodiæ ſui ipſius, ceciderunt.

Propterea quoque Evam proponunt Sancti Patres, Dinam, Sampſonem, Davidem, & alios, qui propter minùs benè cuſtoditos oculos lapſi ſunt. Eva curioſè aſpiciens interdictam arborem, univerſum genus huma-

num perdidit. Si continuiſſet oculos, ruinæ
noſtræ cauſa non fuiſſet. Itaque S. Nazianze-
nus or. in nonam dominicam; [Pulcher, in-
,, quit, erat aſpectu, & bonus ad eſum fructus
,, ille, qui mihi mortem intulit: proindè colo-
,, rum nitorem fugiamus; ad nos ipſos oculos
,, convertamus. Cave nè te pulchræ,atque ex-
,, imiæ formæ cupiditas ſuperet,ac nè ad levem
,, quidem, ſi fieri poteſt, fortuitumque aſpe-
,, ctum palpebræ te tranſverſum agant. Quod
,, quidem aſſequeris,ſi Evam tibi animo propo-
,, ſueris, dulcem illam illecebram, charum ve-
,, nenum.] Et S.Gregorius lib.21. mor. c.2.
,, [Præceps omnia, dum incautè non providet,
,, nè incautè videat, quod concupiſcat, cœca
,, pòſt incipit deſiderare, quod vidit.] Et ad-
fert Davidis exemplum, qui mulierem ſpe-
ctans in ſolario lavantem, illicò concupivit,
& rapuit. Et Eva non concupiſſet lignum, ni-
ſi hoc priùs incautè conſpiceret. Et S. Ambro-
ſius in Apologia David poſteriore cap.3. [Non
,, adulterâſſet David, niſi nudam, & lavan-
,, tem mulierem vidiſſet. Nihil de continen-
,, tia tua, & virtute præſumas. Nemo enim
,, diù fortis eſt. Vilis videtur mulier ad pre-
,, tium, ſed fortis eſt ad vitium; quia virorum
,, pretioſas animas rapit.]

Dinam quoque & Sampſonem memorat S.
Bernardus libro de modo benè vivendi cap.23.
& de Sampſone præclarè ſcripſit S.Ambr.libro
1. Apologiæ David c.4. [Validiſſimus omni-
,, um Sampſon legitur, qui leonem etiam ſuis
,, manibus ſtrangulavit; ſed utinam amorem
,, ſuum ſuffocare potuiſſet. Meſſes incendit
,, Allophylorum, & ipſe mulieris unius arſit
,, igniculo.] Et lib. 2. c.3. [Sampſon validus,
,, & fortis Leonem ſuffocavit: ſed amorem
,, ſuum ſuffocare non potuit. Vincula ſolvit
,, hoſtium; ſed ſuarum non ſolvit nexus cupi-
,, ditatum. Meſſes incendit alienas, & unius
,, ipſe mulieris accenſus igniculo meſſem ſuæ
,, virtutis amiſit.] At undè tantum malum?
Ex unius mulierculæ aſpectu: vidit enim in
Thamnatha mulierem, & adamavit eam; Ju-
dicum 14.

Plurima alia poſſent hoc loco commemo-
rari. Sed nè longum faciam, illud unum ad-
notabo, quod habet S.Chryſ.hom.43. in Gen.
Sodomitas ab Angelis oculorum cœcitate fu-
iſſe percuſſos, Gen. 19. quod illis fuiſſent ab-
uſi, nihilque proſunt corporales oculi, ſi ocu-
li mentis fuerint excœcati.

Ergò hæc ſit clauſula, caſtitatis ſacrificium
immolandum eſſe retorto ad collum capite,
hoc eſt, fœminarum converſatione, colloquio,
& aſpectu vitatis. Subjiciam Sancti Petri
Chryſologi verba in ſermone 139. [Oculus,
,, inquit, prævaricationis autor, mortis ja-
,, nua, toto cupiditatis incendio velociùs per
,, aliena percurrit, quàm currit ignis arida, &
,, terrena per gramina. Dei eſt, quod oculus in
,, orbem ſic apertus arctatur anguſtiſsimus in
,, pupillam quatenùs moderatè viſum videat,
,, prævideat, non proripiat. Oculus ſit animæ
,, feneſtra, ſpeculum mentis, lumen corpo-
,, ris, membrorum dux, non introitus vitio-
,, rum.] Cyrenaicos philoſophos teſtatur Plu-
tarchus in libro cui titulus eſt: Non poſſe ſua-
viter vivi ſecundùm Epicurum, in tenebris vo-
luiſſe rem veneream exercêri, nè deinceps
actionum viſarum ſimulacris crebriùs ſolicita-
retur animus.

CAPUT VII.

Cibi, potuſque moderatio.

SECUNDUS in ſacrificanda turture ritus
erat; Veſiculam gutturis projiciendo. Hoc
& in caſtitatis ſacrificio ſervare oportet. Gut-
turis veſicula avibus venter eſt, & ciborum
receptaculum. Projiciatur ergò venter, hoc
eſt, mortificetur, & vincatur gula; jejunetur,
atque à cibo, & potu abſtineatur; neque diffi-
cilis, & laborioſa caſtitas erit. Dixi de hoc co-
pioſè in libro octavo. Indè petantur, quæ ad
hunc quoque locum pertinent.

CAPUT VIII.

Immunda cogitationes, & levitas omnis abigenda.

TERTIUS ritus erat; Projiciet plumas.
Plumæ ſunt obſcœnæ,& immundæ cogi-
tationes, quæ pulſant, & ſolicitant animam,
carnemque ad libidinem provocant. Hæ ſunt
volucres, quæ ſuper Abrahæ ſacrificium deſ-
cendebant, Gen. 15. quas diligenter, & ſoli-
citè bonus abigebat Patriarcha, nè devorarent
illud. Quare optimum fuit Philonis conſili-
um, qui in ſecundo libro Allegoriarum legis,
conſiderans Jacob fugientem à Laban noluiſſe
indicare illi, Geneſ. 31. ita interpretatur: Si
pulchritudine conſpecta captus periclitaris, nè
offendas ad eam: fuge clàm ab ejus imagina-
tione, nihil ampliùs menti renuntians; hoc
eſt, cave mediteris eam, & cogitatione repe-
tas. Nam continuæ reminiſcentiæ veras for-
mas imprimendo lædunt mentem, & invitam
concitant. Et Tertullianus in lib. de cultu fœ-
minarum capite primo, propterea pudicitiam
ponit velut æditUam, & antiſtiten templi ani-
mæ noſtræ, quæ cogitationes haſce ingredi
non permittat. [Salus, inquit, non fœmina-
,, rum modò, quarum propria, & maxima
,, virtus eſt hæc (ut habet etiam Sanctus Hie-
,, ronymus libro 1. adversùs Jovin. c. 30.) ſed
,, & virorum, in exhibitione pudicitiæ ſtatuta
,, eſt. Nam cùm omnes templum ſimus Dei,
illato

Digitized by Google

„ illato in nos, & conſecrato Spiritu Sancto, „ ejus templi æditua, & antiſtes pudicitia eſt, „ quæ nihil immundum, nec prophanum inferri ſinat, nè Deus ille, qui inhabitat, inquinatam ſedem offenſus derelinquat.]

Extat de pudicitia, & illius bono integer Sancti Cypriani tractatus. At Sanctus Chryſ. homiliâ 63. in Matthæum, cogitationes haſce immundas verum, & legitimum libidinis omnis fontem eſſe affirmat. [Quidam, ait ille, „ à cerebro, quidam à lumbis illum inquietiſſimum aſylum proficiſci contendunt. Ego „ verò non aliundè dixerim, quàm à laſcivia „ mentis, & cogitationis neglectû: quippè „ modeſtia mentis facit, ut naturales motus „ nullum adferant detrimentum.] Et confirmat S. Gregorius libro 6. in primum Regum cap. 2. interiorem aſſerens cogitationem, eſſe carni velut flatum, quo accenditur ignis. [Caro, inquit, eò fortiùs commovetur, quò cauſæ commotionis intùs impreſſæ per cogitationem tenentur. More enim ignis quò attentiùs inſufflatur, eò magis accenditur; „ quia ſi flatus immundæ cogitationis deeſt, „ ardor libidinoſæ commotionis adeſſe non poteſt:] Itaque confeſſarium Sacerdotem addit, qui turpia meditatur, quæ in confeſſione accepit, Regem Amalec ſervare vivum (Amalec enim fornicationis ſpiritum ſignificat) & ad ſcelera ipſum propter eà inardeſcere. Et Joannes Caſſianus libro de ſpiritu fornicationis capite decimo tertio, cogitationem hanc voluit eſſe caput ſerpentis; quo per compagem intromiſſo totum corpus facilè ſequitur. Sic enim admiſſa in anima turpi cogitatione, haud magno negotio delectatio, conſenſus, & operatio accedunt. [Tentationis, inquit, „ principium obſervandum eſt, velut ſerpentis caput: nè ſi caput per negligentiam penetraverit cor noſtrum, reliquum ejus corpus, id eſt, oblectationis aſſenſus illabatur, qui ſi fuerit intromiſſus, morſu virulento mentem interimat captivatam.]

Emergentes peccatores terræ noſtræ, id eſt, ſenſus carnales, in matutinis ſui ortus oportet extinguere; Pſalm. 136. Et dum adhuc parvuli ſunt, allidere filios Babylonis ad petram. Eandem ſententiam habet Sanctus Nilus, & addit; omni cuſtodia cor noſtrum ab obſcœnis cogitationibus ſervemus, nè earum aliqua animum ſubiens, eum infringat, & enervet, atque ad voluptatem illiciat. Ideò præcepit Dominus Matthæi vigeſimo tertio priùs mundare id, quod intùs eſt, calicis; ut fiat etiam id, quod deforis eſt, mundum. Et rursùm ex navibus ſumit argumentum. Ut enim fluctuum impetus navem, ſic libidinoſa cogitatio intemperantem mentem peſſumdat: Hæc Caſſianus.

Denique Sanctus Bernardus libro de Paſſione Domini ſuper; Ego ſum vitis vera cap. 31. Charitate Dei cogitationes haſce cohibendas eſſe voluit. Adfert enim illud Cant. 4. Sicut vitta coccinea labia tua; [Quæ ſemper verbis, inquit, ardentis charitatis abundant, „ quibus motus, & cogitationes carnales reſtringuntur. Per coccineum enim colorem „ charitas; per vittam, quâ crines reſtringuntur, reſtrictio cogitationum carnalium, quæ „ per crines figurantur, accipitur.] Atque hoc eſt; Proijciet plumas.

Quamquàm plumarum nomine juvenilem quoque, ac laſcivientem levitatem omnem intelligere licet. Ut enim hæc plurimùm obeſt, ſic gravitas omnis, & modeſtia pudorque magnoperè prodeſt caſtitati. Teſtis erit Tertullianus, qui in libro de cultu fœminarum capite octavo ita prorsùs reliquit ſcriptum; „ [Ubi Deus, ibi pudicitia, ibi gravitas adjutrix, & ſocia ejus. Quo ergò pacto pudicitiam ſine inſtrumento ejus, id eſt, ſine gravitate tractabimus? Quomodò autem gravitatem adminiſtrandæ pudicitiæ adhibebimus, niſi & in facie, & in vultu, & totius hominis contemplatione ſeveritas circumferatur?] Et rursùm in libro de virginibus velandis capite decimo quinto. Quicumque malus cogitatus ipſa ſeveritate frangetur. Et Sanctus Bernardus tractatu de ordine vitæ, & morum inſtitutione, nomine utens verecundiæ; [Tenenda eſt in omnibus verecundia „ pudicitiæ comes, cujus ſocietate caſtitas ipſa „ tutior erit. Pudor enim ſi repellat prima pericula, pudicitiam vulnerari non ſinit.] Nec abſimile eſt illud Sancti Hieronymi in epiſtola ad Pammachium interpretatio Pſalmi 44. in ea verba; Accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime. Pudicitiam enim caſtitatis gladium eſſe interpretatur, eaque ſemper illam armatam vult eſſe oportêre: [Ut ſcias, „ inquit, virginitatem gladium ſemper habere pudicitiæ, per quam truncat opera carnis, & ſuperat voluptates. Gentilis quoque „ error Deas virgines finxit armatas.]

Morum levitas cavenda.

CAPUT IX.

Chriſti, & Dei memoria.

QUARTUS ritus continet locum, in quem tum gutturis veſicula, tum plumæ ſint proijciendæ. Proijciet, inquit, propè altare ad orientalem plagam; in loco, in quo cineres effundi ſolent. Chriſtus altare noſtrum eſt, & orientalis plaga, qui nobis datus, nobis natus eſt in ſalutem. Undè & Oriens nomen eſt illi Zachar. 6. In hunc proijciendæ ſunt cogitationes, quæ ad libidinem ſtimulant: cogitando puritatem illius, & ortum ex virgine. Quid enim tandem filio Virginis

cum filio Veneris? Et illud Thren. 3. Recordare paupertatis meæ, abſynthij, & fellis: quàm ſcilicet aſperè, & durè puriſſimam carnem ſuam in omni vita ſua tractaverit, & quàm gravia tum in vita, tum in morte pro nobis perpeſſus fuerit: Hûc etiam ſpectat conſilium Sancti Chryſoſtomi homiliâ octavâ de pœnitentia: Præſentiam Dei, & Chriſti recolendam eſſe, ſic autem loquitur: [Cùm „ mulierem videris formoſam, reſpice deſu„ per ſtantem coronam, quo tale ſpectacu„ lum prætereas. Vidiſti conſervum? Domi„ num conſidera, atque omninò morbum cu„ rabis. Sic enim qui pædagogum ſequuntur, „ non flectuntur circùm; non variè inhiant, „ non ſtudio deſiſtunt: multò magis tibi, qui „ Chriſtum quaſi præſentem cogitationibus „ intueris, nihil horum fuerit.] Et ſermone de excludenda vitiorum memoria; eam docet Dei memoria excludendam eſſe. [Quonam, „ inquit, pacto aſſequi hanc nequitiæ oblivi„ onem poterimus? nempè ex divinorum bo„ norum repetita memoria. Si Deum conti„ nuò meminerimus, non licebit prava recor„ datione repetere.] Et homiliâ octavâ in epiſtolam ad Philippenſes, quærens quomodò timorem comparabimus, quo ſcilicet à peccato frænemur? Reſpondet; [Si cogitaverimus, „ Deum ubique præſentem eſſe, omnia au„ dire, omnia videre, non ſolùm quæ opere „ fiunt, & quæ dicuntur; ſed etiam quæ in „ corde ſunt omnia, & quæ in profundo ſunt „ animi. Judex enim eſt conſiliorum, & cogi„ tationum cordis. Si ita nos ipſos diſpoſueri„ mus, nihil mali faciemus, nihil mali dice„ mus, nihil cogitabimus. Si tibi ſemper pro„ pè principem ſtandum eſſet, non cum timo„ re adſtares?] Sanctus quoque Ambroſius ſermone primo in Pſalm. 118. [Hominem ve„ reris præſentem, Dei Patris, & Filij non „ vereris præſentiam? Sicut cœcus, aut ſurdus, „ qui non videt præſentes, ſolum ſe eſſe cre„ dit, in plurimorum cœtu aggreditur, quod „ putat eſſe ſecretum; ita & tu mentis oculis „ cœcatus, putas quòd ſine teſte delinquas, „ quia hominis præſentiam declinare potuiſti.] Ora Deum, ut aperiat oculos tuos ſicut pueri Eliſæi 4. Reg. 6.

Dei præſentia.

Ac demùm Philo Judæus in libro de gigantibus, profert illa Dei verba, quibus ſæpè utitur in Sacris litteris, cùm aliquid præcipit; Ego Dominus; [Quaſi diceret; Ego prin„ ceps, rex & dominus. Nec ſubditis in Prin„ cipum præſentia, nec ſervis coram heris tu„ tum eſt iniquè agere. Cùm enim præſtò „ ſunt caſtigatores, timor continet in officio, „ quos non admonet ſuum ingenium.]

CAPUT X.

Noviſſimorum recordatio.

IN loco, in quo cineres effundi ſolent. Hoc eſt illud Sapientis conſilium Eccleſiaſtici ſeptimo. Memorare noviſſima tua; & in æternum non peccabis. Mortis enim, ſepulchri, ac cæterorum noviſſimorum noſtrorum memoria plurimùm poteſt ad caſtitatis cuſtodiam, frænumque concupiſcentiæ. Et Senecæ quoque ſententia in libro de moribus, libidinis initia continebit, qui exitum cogitabit.

Sanctus Bernardus in libro de modo benè vivendi cap. 23. [Tentationis carnis remedi„ um, cogitare mortem, infernum, futurum „ judicium.] Et Sanctus Chryſoſtomus epiſtolâ ſextâ ad Theodorum lapſum; [Reme„ dium ignis concupiſcentiæ, cogitare ignem „ inferni;] Et com. in Pſal. 140. [Quænam „ fuerit cuſtodia, niſi cogitatio, quæ urget ter„ ribiliter, habens præ manibus ignem illum „ nos uſturum? Eum adhibe cuſtodem inten„ tantem minas conſcientiæ.] Et Sanctus Baſilius in caput primum Iſaiæ; [Attenta cogi„ tatio formidabilium, quæ in tremendo judi„ cio ſe offerent, pædagogus eſt ad exercendam „ pietatem.] Sanctus Cyrillus Hieroſolymitanus catech. 1. [Judicij memoria remedium „ contrà turpes cogitationes.] Origenes lib. 8. contrà Celſum; [Cùm de futuris ſupplicijs „ nonnumquam diſſerimus commonefacien„ do, permultos à pravis facinoribus ad rectio„ ra convertimus.] Et homiliâ nonâ in Exodum; tintinnabula, quæ in extrema veſte geſtabat veteris legis Pontifex, de noviſſimis hiſce interpretatur, quæ perpetuò debent in auribus noſtris ſonare: [Hæc, inquit, tintin„ nabula, quæ ſemper ſonare debent, in ex„ tremo veſtimenti ſunt poſita, ut de extre„ mis temporibus, & fine mundi nunquam ſi„ leas, ſed indè ſemper ſones, indè diſputes, „ & loquaris ſecundùm eum, qui dixit; Me„ morare noviſſima tua, & in æternum non „ peccabis.] Hoc eſt illud, quod à Deo petebat David Pſalm. 118. Confige timore tuo carnes meas: [Quid enim eſt (ait S. Leo Papa „ ſerm. 18. de Paſſione Domini) clavis timo„ ris Dei carnes habere confixas, niſi corpo„ reos ſenſus ab illecebra illiciti deſiderij ſub „ metu divini continere judicij?] Veriſſimum namque eſt illud Sancti Cypriani in tractatu de ſimplicitate Prælatorum; [Ventura ſuppli„ cia, & ſtatuta perfidis æterna tormenta ne„ mo conſiderat, quæ metueret conſcientia „ noſtra, ſi crederet: quia non credit, omni„ nò non metuit; ſi autem crederet, & cave„ ret, ſi caveret, evaderet.]

Audi

Audi confeſſionem ingenuam Sancti Auguſtini lib. 6. ſuarum confeſſionum cap. 16. „ [Nec me revocabit, inquit, à profundiore „ voluptatum carnalium gurgite, niſi metus „ mortis, & futuri judicij tui: Et Epicurus acceptuturus fuiſſet palmam in animo meo, niſi „ ego credidiſſem poſt mortem reſtare animæ „ vitam, & tractus meritorum, quod Epicurus credere noluit.] Et libro ſecundo de Geneſi contrà Manichæos cap. 28. [Nihil ſic „ revocat homines à peccato, quemadmodùm „ imminentis mortis cogitatio.] Hinc eſt, quòd interdum etiam provocat nos ad inſpicienda ſepulchra mortuorum. Sanè Ægyptios quidam ſapiens apud Plutarchum in convivio ſeptem ſapientum, dum de modo ageretur, quo ad convivium ſit accedendum, conſueviſſe narrat ſceletum in convivium inferre, atque hortari convivas, ut ſe tales non multò poſt futuros meminiſſent.

Quintus ritus eſt; Confringetque aſcellas. Hoc mortificationem carnis admonet, de qua pluribus ſeorſìm dicitur ſuo loco.

CAPUT XI.

Orationi incumbendum.

Sextus; Et adolebit ſuper altare. Notum eſt, thus, quod adoletur Deo, orationem ſignificare, quâ non ſolùm divinam opem, & gratiam poſtulamus, & impetramus, quâ & carnis tentationes ſuperare, & caſtitatem retinêre valeamus (quippè ſine Dei auxilio, & ope nos non poſſe, anteà dictum eſt) verùm etiam guſtato ſpiritu, ac ſpiritualibus conſolationibus deſipiat nobis, immò, & fœteat caro, & quidquid carnale eſt. Sanctus Auguſtinus qui anteà timuerat, nè petens à Deo caſtitatem, citò exaudiretur, ut ipſemet ſcribit libro octavo confeſſ. cap. 7. audi quemadmodùm mox loquatur libro nono cap. 1. [Quàm ſuave, inquit, ſubitò mihi factum „ eſt carêre ſuavitatibus nugarum: & quas a„ mittere metus fuerat, jam dimittere gaudium „ erat.] S. verò Greg. lib. 6. in primum Reg. c. 1. Moyſen adnotavit adverſus cæteros omnes armis dumtaxat conſueviſſe pugnare: at contrà Amalec, qui fornicationis ſignificat ſpiritum, non ſolis armis, ſed & orationis virtute pugnâſſe, Ex. 17. [Magnum, inquit, „ certamen fornicationis oſtenditur, quod tan„ ta virtute, tanta difficultate ſuperatur, levet „ manus ſuas, levet mentem, ut opere bono, „ & devotione reſplendeat, qui abſcindere per„ fectè à ſe libidinis bellum tentat.] Sed quoniam deponente manus Moyſe, vincebat Amalec; propterea: [Inter opera, addit, & labo„ res ſpirituales, contrà ſtimulos carnis ſumus. „ Sed ſi quaſi feſſi à ſolitæ converſationis rigo„ re torpeſcimus, vel molleſcimus, dum paulatìm negligimus, aculei carnis inſurgunt, „ qui quaſi depoſitis Moyſi manibus Iſraëlem „ vincunt.] Et Jo. Caſſianus in libro de ſpiritu gaſtrimargiæ cap. 14. [Carnis tentatio, for„ nax corporis noſtri, quæ Rege Babyloniæ „ occaſiones peccatorum, & vitia nobis jugi„ ter ſubminiſtrante ſuccenditur, quæ uber„ tate lachrymarum, & fletu cordis extinguen„ da eſt, donec Dei gratia ſpiritu roris ſui in „ cordibus noſtris inſibilante penitùs valeat „ conſopiri.] Et in libro de ſpiritu fornicationis c. 1. [Spiritus fornicationis & carnis ten„ tatio gemino armata vitio conſurgit ad præ„ lium, morbo carnis, & animæ: ideò gemi„ na eſt ei acie reſiſtendum. Nec enim ſufficit „ ſolùm corporale jejunium ad conquirendam „ perfectæ caſtimoniæ puritatem, niſi præceſ„ ſerit contritio ſpiritûs, & oratio perſeverans, „ continua meditatio Scripturarum, &c.]

CAPUT XII.

Alia caſtitatis adjumenta.

Septimus, & ultimus ritus eſt; Lignis igne ſuppoſito. Charitate ſcilicet, & amore Dei. Hac enim accedente, carnis omnis ardor abſumitur, & evaneſcit in fumum. Verè namque Joannes Caſſianus pronuntiavit collatione 12. quæ eſt de caſtitate c. 1. charitatem, & caſtitatem ita eſſe conjunctas, ut una ſine altera habêri non poſſit. Nam & in cap. 14. præcedentis collationis, charitatem quoque dixerat, ſine caſtitatis perfectione ſubſiſtere omninò non poſſe. Et Sanctus Leo Papa ſermone quarto de Paſſione Domini; charitatem, & caſtitatis puritatem, quaſi duas alas eſſe dixit, quæ nos elevant, & de terrenis cœleſtes faciunt. Hoc etiam Abiſag Sunamitis 3. Reg. 1. ad calefaciendum frigidum ſenem introducta ſignificat Sancti Proſperi quoque ſententia libro promiſſionum, & prædictionum Dei p. 2. cap. 27. ſenile quippè frigus caſtitatem; & juvenilis calor charitatem nobis repræſentant. *Charitas.*

Humilitatem quoque adjungit Sanctus Bernardus epiſtolâ quadrageſimâ ſecundâ ad Henricum Senonenſem Archiepiſcopum; [Humi„ litas, inquit, meretur, ut detur caſtitas, & „ charitas ſervat acceptas, & ſervatas conſumat. „ Sola propugnaculum eſt, turriſque virtu„ tum.] Et tract. de ordine vitæ, & morum inſtitutione, cùm verecundiam, taciturnitatem, & obedientiam cuſtodiendæ caſtitati præfeciſſet, omnium tamen maximè neceſſariam, ait, eſſe humilitatem. [Caſtitas, inquit, niſi aliarum „ virtutum ope fulciatur, facilè labitur. Prima „ namque tela ſunt oculorum; ſecunda ver„ borum. Ideò ſuffragatur illi plurimùm vere- *Humilitas.* *Verecundia.*

 cundia,

Digitized by Google

„ cundia, quæ cuſtodit oculos, & taciturnitas, quæ retinet linguam, & obedientia, „ quæ mentem occupat, corpuſque fatigat, ſed „ neceſſariam præ omnibus habet humilitatem, quâ conſervantur habita uſquè in finem; „ multi enim in ipſa ſenectute per ſuperbiam „ in luxuriam ceciderunt.]

Caſſianus quoque in libro de ſpiritu gaſtrimargiæ cap. 10. abſtinentiam ciborum putavit non ſufficere, niſi & aliæ adjungantur virtutes, & primo loco humilitatem ponit, & obedientiam, & libro de ſpiritu fornicationis cap. 1. [Antè omnia, inquit, fundata fuerit „ humilitas vera, ſine qua nullius vitij poterit unquam triumphus acquiri.] Et rurſum c. 18. [Caſtitas habêri non poteſt, niſi priùs „ humilitatis in corde fundamenta fuerint collocata, nec vera ſcientia habêri poteſt ſine „ caſtitate.] Et Sanctus Nilus; [Ciborum abſtinentia caſtitatem præſtat, dummodò humilitatem quoque ſociam aſciſcat. Nam qui „ eam per ſolam continentiam conſequi conatur, ei non diſſimilis eſt, qui una dumtaxat „ manu natat.]

Denique Sanctus Gregorius libro vigeſimo ſexto moral. cap. 13. [Superbia luxuriæ ſeminarium eſt; quia dum ſpiritus in altum erigit, caro in infimis mergit, ut qui ſe ſuperbiendo hominibus præferunt, luxuriando uſque ad jumentorum ſimilitudinem devolvantur.] Et citat Paulum Rom. 1. Evanuerunt in cogitationibus ſuis; ideò tradidit eos Deus in immunditiam, &c. [Mentis ergò, inquit, „ humilitas ſervetur, ut carnis caſtimonia teneatur: quia alterum cuſtoditur ab altero. „ Si enim piè ſpiritus ſub Deo premitur, caro „ illicitè ſuper ſpiritum non levatur. Habet „ quippè ſpiritus commiſſum ſibi dominium „ carnis; ſi tamen ſub Deo recognoſcit jura „ legitimæ ſervitutis. Nam ſi autorem ſuum „ ſuperbiendo contemnit, jure, & à ſubjecta „ carne prælium ſuſcipit. Undè & ille primus „ inobediens, mox ut ſuperbiendo peccavit, „ pudenda contexit; quia enim contumeliam „ ſpiritus Deo intulit, mox contumeliam carnis invenit. Et quia autori ſuo eſſe ſubditus „ noluit, jus carnis ſubditæ, quam gerebat, amiſit, & quæ ſequuntur.]

Huc ſpectant illa Job verba cap. 12. Baltheum Regum diſſolvit, & præcingit fune renes eorum; quæ conſiderans idem Gregorius lib. 11. mor. cap. 8. [Qui membrorum „ ſuorum, inquit, motus benè regere ſciunt, „ meritò reges vocantur; ſed cùm ipsâ continentiâ in elationem incidunt, caſtitatis in eis „ cingulum deſtruit, & in operis immunditiam cadere permittit. Et ideò ſubditur; Et „ præcingit fune renes eorum. Ut ſcilicet peccati delectatio renibus eorum dominetur, „ juxtà illud Prov. 5. Et funibus peccatorum „ ſuorum conſtringetur.] Sed Sanctus Joannes Chryſ. hom. in illud Zachar. 6. Ecce vir Oriens nomen ejus, tom. 1. vitia omnia viſus eſt à caſtitate removêre, virtuteſque omnes adjungere; ubi dixit: [Caſtitas diſcordiæ non „ convenit, ebrietati, impudicitiæ, iracundiæ, „ malitiæ, adulationi, ſubdolæ menti, laudibus humanis inhærenti, voluptatibus inſiſtenti, cupiditati, avaritiæ, diſſentioni, zelo, livori, invidiæ, contentioni.] His vitijs non conjungitur caſtitas.

CAPUT XIII.

Otium vitandum.

ADDUNT & Patres laborem caſtitatis amicum eſſe, otium inimicum. S. Hier. in ep. ad Rusticum c. 5. [Facito aliquid operis, ut te ſemper diabolus occupatum inveniat.] Et ep. ad Demetriadem c. 5. [Nè dormiente patrefamilias, qui eſt νοῦς, id eſt, „ animus Deo ſemper adhærens, inimicus homo ſuperſeminet zizania.] Et in ep. ad Innocentium, de muliere ſepties icta, & com. ad caput 10. Eccleſiaſtis otium affirmat rubiginem eſſe ingeniorum, & ſapientiæ. Et Sanctus Baſilius or. 5. de jejunio, improbitatis magiſtrum. S. Chryſ. h. 5. de patientia Job; „ [Quæ otio, & licentia victitat anima, facilè à paſſionibus vincitur: quæ verò continuo in agone pro pietate verſatur, robuſta, „ invictaque perſeverare conſuevit.] Et h. 19. in priorem ep. ad Cor. [Si libidine incenderis, „ laboribus te, & ſudoribus libera, nè quando „ decidas.] Sed & homiliâ ſeptimâ in poſteriorem epiſtolam exemplo utitur terræ, quæ aratro, & ligone non exculta, & fatigata, inutiles, ac noxias progignit herbas; juxtà veterem Dei maledictionem Gen. 3. Spinas, & tribulos germinabit tibi: [Corporis ſegnities, inquit, alit amorem, quodque non „ curas ea, quæ decent, nec in neceſſarijs negotijs occuparis. Talis velut erro quiſpiam „ obambulans in quodvis incidit malum: & „ tanquam puerum ſolutum, quicumque voluerit in ſervitutem abducit talem animam. „ Quoniam enim illi mos eſt aliquid agere, „ ubi ceſſant in bonis occupatus eſſe, cogitur alia quædam gignere: non aliter, quàm „ terra, ſi non occupata ſemente, aut conſitione, quamlibet herbam producit; ſic „ & anima quoties non habet quod agat rerum neceſſariarum, cùm omninò cupiat aliquid agere, pravis actionibus ſemet tradit: „ & quemadmodum oculus, quando non deſinit cernere, atque ob hoc cernit mala, ſi „ quando bona non ſint obedientia: ſic & cogitatio, quoties ſe abducit à neceſſarijs, circà inutilia jam verſatur. Nam undequaque per-

Otij damna.

Digitized by Google

„ perſpicuum eſt; quòd occupatio, ac ſolicitudo valet primum incurſum repellere, & „ cætera.]

CAPUT XIV.

Caſtitatis Symbola in natura.

Turtur. NEQUE verò caſtitatis deſunt in natura exempla, ſeu ſymbola complura. Et quidem ex animalium genere, de turture dictum jam eſt.

Elephas. De Elephante quoque multa ſcribit Sanctus Ambroſius libro ſexto exam. capite quinto. At ille caſtitatem ſignificat: frigidæ namque naturæ eſt. Undè quod dicitur Cantic. 5. Venter tuus eburneus, caſtum interpretatur Sanctus Anſelmus. Ebur namque adeò frigidæ temperationis eſt, ut ſuperpoſitus pannus carbone non uratur. Et Elephanti propter ebur inſidias parari ſcribit Sanctus Ambroſius. At quàm multæ, & graves caſtitati parantur inſidiæ?

Salicis flos. Ex plantarum autem genere, ſalicis florem profert Sanctus Hieronymus ad caput decimum quartum Zachariæ: [Si quis, inquit, „ florem ſalicis, ſive populi, miſtum aquâ biberit, omnis in eo frigeſcit calor, & libidinis vena ſiccatur, ultraque filios generare „ non poteſt.] Et Sanctus Ambroſius in libro *Vitium putatio.* de viduis, vitium putationem commemorat: „ [Agricultura enim caſtitatem docet in vitibus putandis, ut juveneſcentem luxuriam „ reprimat, & adoleſcentem laſciviam ſuccidat.] Certè Cant. 2. cùm dixiſſet tempus putationis advenit, adjunxit ſtatim, turturis vocem auditam eſſe, quæ avis ſymbolum caſtitatis eſt. Nimirùm ſignificat vitium quoque putationem ejuſdem caſtitatis indicium eſſe. *Caſtitatis amor.* Quàm egregia verò, nec unquam ſatis laudata putatio illa linguæ fuit, quam in Pauli Eremitæ vita narrat Sanctus Hieron. dum juvenis quiſpiam à meretrice ſolicitatus ad facinus, ut caſtitatem tueretur ſuam, præciſam morſu linguam in eam expuit?

CAPUT XV.

Caſtitatem martyrij genus eſſe.

UT mirum jam videri non debeat, ſi caſtitatem ſervare martyrij genus eſſe legamus. Multa enim omninò toleranda ſunt illi, qui caſtitatem ſuam conſervare voluerit; immò ut eam retinerent, plurimi, plurimæque ultrò mentem ſubierunt. Certè inter ſacrificia Deo gratiſſima numeravit Tertullianus in libro de reſurrectione carnis capite octavo. [Sacrificia, inquit, Deo grata conflictationes „ animæ, feræ, & aridæ eſcæ, & appendices „ hujus officij ſordes. Caro de ſuo proprio in„ commodo inſtauratur. Virginitas quoque, „ & viduitas, & modeſta in occulto matri„ monij diſſimulatio, de bonis carnis Deo a„ dolentur.]

Immò verò majus quiddam eſſe, quàm martyrium, non dubitavit affirmare in libro de exhortatione caſtitatis cap. 13. cùm dixit; Majus eſſe in carne vivere, quàm pro ea mori. Et de Lucretia Romana loquens, eam ſcribit *Lucretia Romana.* ſanguine ſuo maculatam carnem abluiſſe, cùm ſcilicet violata ſeipſam occidit Sanctus Hieronymus in epiſtola ad Demetriadem cap. 2. & in vita Malchi; [Habet & pudicitia ſervata „ martyrium ſuum.] Et Sanctus Cyprianus in libro de duplici martyrio: [Si deeſt tyrannus, „ ſi tortor, ſi ſpoliator, non deerit concupiſ„ centia martyrij, materiam nobis quotidianam „ exhibens.] Et paulò poſt; [Etſi Eccleſia „ martyres appellet eos, qui violenta morte de„ ceſſerunt, apud Deum tamen quicumque „ carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs, & „ concupiſcentijs, martyres ſunt, nec marty„ rum coronâ fraudabuntur.]

Neque apud Cyprianum modò, ſed & apud *Caſtitatis corona.* alios caſtitatis coronam legimus. S. Cyrillus Hieroſol. catech. 5. [Caſtitatis, inquit, in„ corrupta corona.] Et catech. 12. [Caſti„ tas corona Angelica, & ſuprà hominem hæc „ perfectio.] Et catech. 15. [Caſtitatis præ„ cipua corona, cujus gratia lucebis ſicut An„ gelus.] Et S. Ambr. in libro de Joſeph c. 5. „ [Bonum munus pudicitia, ſed minoris me„ riti, cùm periculum abeſt: ubi verò etiam „ ſalutis periculo defenditur, ibi pleniùs coro„ natur.] Et S. Hier. epiſt. ad Celantiam Matronam c. 9. [Arduum eſt iter caſtitatis, ſed „ magna ſunt præmia.]

CAPUT XVI.

Caſtitas violata.

NEQUE violata caſtitas coronam amittit ſuam. Ita pluribus in locis confirmat Sanctus Auguſtinus, nam in epiſtola 122. ad Victorianum, de Sanctimonialibus à Barbaris captivis abductis, ad hunc loquitur modum: [Nihil in earum caſtiſſimis membris „ libidine hoſtili perpetrari permittet Deus, „ aut ſi permittet, cùm earum animus nulla „ conſenſionis turpitudine maculatur, etiam „ carnem ſuam defendet à crimine. Et quid„ quid in ea nec commiſit, nec permiſit libido patientis, ſolius erit culpa facientis, „ omniſque illa violentia non pro corruptio„ nis turpitudine, ſed pro paſſionis vulnere de„ putabitur. Tantum enim in mente valet inte„ gritas caſtitatis, ut illa inviolata nec corpo„ re poſſit pudicitia violari, cujus membra potuerint

Digitized by Google

„ tuerint ſuperari.] Et rurſum epiſt. 180. ad Honoratum Epiſcopum; [Violentiâ non vio- „ latur pudicitia, ſi mente ſervatur: quoniam „ nec in carne violatur, quando voluntas pa- „ tientis ſua turpiter carne non utitur, ſed ſine „ conſenſione tolerat, quod alius operatur.] Et in lib. de mendacio c.7. [Quod violenter non „ præcedente libidine patitur corpus, vexatio „ potiùs, quàm corruptio nominanda eſt. Ve- „ rùm nec omnis corruptio turpis eſt, ſed quam „ libido procuraverit, aut cui libido conſenſe- „ rit.] Et c.19. [Pudicitiam corporis, non con- „ ſentiente, aut permittente anima, nemo vio- „ lat.] Et iterùm lib. 1. de civ. Dei c.15. [Vo- „ luntas ſanctum corpus facit, quâ inconcuſsâ, „ & ſtabili permanente, quidquid alius de cor- „ pore, vel in corpore fecerit, quod ſine pec- „ cato proprio non valeat evitari, præter cul- „ pam eſt peccantis.] Et cap. 18. [Pudicitia „ virtus eſt animi, nec oppreſſa carne ſua perit, „ ſi in ea expleatur libido non ſua.] Ubi copio- sè omninò tractat hunc locum.

CAPUT XVII.

Caſtitatem virtutes omnes comitantur.

VIDEO etiam Patres cum caſtitate virtutes omnes conjunxiſſe, vitia univerſa ab ea removiſſe; inter quos Sanctus Hier. lib. 1. adverſus Jovin. c. 23. adducens illud Pauli ad Gal. 5. Fructus autem ſpiritus charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas: omnium virtutum ſpiritus velut fundamentum ſolidiſſimum, & ſublime culmen, continentiam adnotavit ſuſtentare, & protegere. Et cùm Job dixiſſet cap. 31. Pepigi fœdus cum oculis meis, ut nè cogitarem quidem de virgine, ſtatim ſubjunxit; Quam enim partem haberet in me Deus deſuper, & hæreditatem omnipotens de excelſis? Quo loco Sanctus Gregorius lib. 21. moral. c. 3. [Nul- „ la bona ſunt cætera, ſi caſtitatis teſtimonia „ non approbantur.] Itaque verè libro quinto in primum Regum c. 4. exponens illa verba Cant. 8. Quæ habitas in hortis, fac me audire vocem tuam; ſponſi hortum vult eſſe cor noſtrum illiuſque florem, & cuſtodem caſtitatem, fornicationis ſpiritum vaſtatorem: [Qui „ ſunt, inquit, horti ſuperni ſponſi, niſi cor- „ da Sanctorum per cuſtodiam munita, & per „ caſtitatis odorem florida? Nam dum nullos „ motus turpes recipiunt, albo pudoris flore „ decorantur.] Et rurſum: Hortus concluſus ſoror mea ſponſa. [Hortus quidem; quia vir- „ tute eximiæ caſtitatis floridus: concluſus „ autem; quia per continentiam munitus.] De vaſtatore autem ſic loquitur: [Vaſtator, „ quippè fornicationis ſpiritus dicitur, quia „ quem invaſerit, ei nimirùm nulla virtutum „ dona derelinquit.]

CAPUT XVIII.

Caſtitatis triplex gradus.

OMNES verò tripartitam caſtitatem nôrunt, virginum, viduorum, conjugum. Viduorum appellatione illi quoque continentur, qui quovis modo virginitatis fecêre jacturam. Bona eſt conjugalis caſtitas, melior vidualis continentia, optima omnium virginalis integritas. Tricenarius nuptarum fructus, ſexagenarius viduarum, centenarius virginum. Ità partiuntur Patres, ſed ſola virginalis (inquit Sanctus Bernardus in libro de Paſſione Domini, ſuper; Ego ſum vitis vera cap. 18.) flos lilij appellatur, reliquæ florem amiſerunt, & defloratæ ſunt. Undè Sanctus Ambroſius in libro de Viduis: [Ita virginitatem prædica- „ mus, ut viduas non reijciamus; ita viduas „ honoramus, ut ſuus honor conjugio reſer- „ vetur. Suſanna nupta reperta eſt in Paradiſo, „ Anna vidua in templo, Maria Virgo in ſe- „ creto. Illam ſenectus probat, virginitas laus „ eſt ætatis, nec adjumenta quærit annorum, „ quæ omnium eſt fructus ætatum.]

Sanctus Cyrillus Hieroſolymitanus Catech. 12. Chriſtum appellat caſtitatis Deum; quòd ex virgine naſci voluerit. Sic enim habet: [Ca- „ ſtitatis alumni, & diſcipuli temperantiæ na- „ tum ex Virgine Deum caſtitatis plenis labijs „ celebremus.] In quam eandem ſententiam Tertullianus in libro de pudicitia cap. 6. [Ser- „ mo Dei deſcendit in carnem nè nuptijs qui- „ dem reſignatam: & ſermo caro factus eſt, „ nè nuptijs quidem reſignanda, quæ ad lig- „ num non incontinentiæ, ſed tolerantiæ acce- „ deret, quæ non dulce aliquid, ſed amarum „ indè guſtaret, quæ non laſciviæ frondibus, ſed „ ſanctimoniæ floribus præcingeretur.]

Chriſtus caſtitatis Deus.

Quamquam eo ipſo loco aliam etiam cauſam inſinuat, cur caſtitatis Deus nominetur, quia Chriſti lex, & Evangelium origines quoque delictorum, id eſt, concupiſcentias & voluntates non minùs, quàm facta, condemnat. S. Leo Papa ſerm. 1. de Epiphania Domini; Chriſtum non virginis, ſed virginitatis filium appellavit. [Diligite, inquit, caſtimoniæ pu- „ ritatem, quia Chriſtus virginitatis eſt filius.]

Tertiam addunt alij: quoniam ipſe primus caſtitatem prædicavit. Tertullianus in libro de monogamia cap. 3. [Etiamſi totam, & ſoli- „ dam virginitatem, ſeu continentiam Para- „ cletus hodiè determinâſſet, nihil novi indu- „ cere videretur, ipſo Domino ſpadonibus ape- „ riente regna cœlorum.]

Sanctus Cyprianus in tract. de habitu virgi- „ num: [Prima ſententia creſcere, & generare præcepit,

,, præcepit, ſecunda ad continentiam ſuaſit.] Et S. Bern. ſerm. 59. in Cant. tractans illud; Cant. 2. Vox turturis audita eſt in terra noſtra: [Vox ,, turturis, ait, prædicatio eſt caſtitatis. Ne- ,, que enim à principio vox iſta in terris audi- ,, ta eſt: ſed magis illa; Creſcite, & multipli- ,, camini, & replete terram. Tunè voci illi ,, tempus fuiſſe tunc dicas, cùm maledicto ,, omnis ſubjacebat ſterilis; cùm Patriarchæ ,, ipſi plures habebant uxores, cùm frater fra- ,, tris defuncti ſemen ſuſcitare compellebatur? ,, At ubi inſonuit ex ore cœleſtis turturis com- ,, mendatio illa ſpadonum; Qui ſe caſtrave- ,, runt propter regnum Dei; tunc primùm ve- ,, raciter dici potuit, quia vox turturis audita ,, eſt in terra noſtra.] Viduas Clemens lib. 2. conſt. cap. 30. inſtar altaris eſſe ſcripſit in Eccleſia: Virgines velut thuribulum, & incenſum, altare viduas dixit; ſive ut propoſiti firmitatem ſignificaret: ſive propter labores illarum, quibus velut victimæ Deo ſacratæ ſunt. Virgines autem thuribulum, & incenſum propter virginitatis fragrantiam, & puriſſimos odores, qui & Eccleſiam complent, & Deum, & cœleſtes ſpiritus delectant. Sed cùm duplex viduarum genus, ut eſt in 4. Tolet. Conc. c. 55. diſtinguatur; ſæcularium, quæ de ſecundis cogitant nuptijs: & ſanctimonialium, quæ mutato habitu continentiam voverunt; de his & Clemens loquebatur.

CAPUT XIX.

Caſtitas, & continentia quid differant.

INTELLIGERE tamen oportet, non eſſe, idem continentem eſſe, & caſtum. Nam continens, ut habet S. Bern. ſerm. de verbis ſapientiæ, ſapientia vincit malitiam, ſentit motus, ſed motibus non conſentit: caſtus nec ſentit, nec conſentit; luxurioſus & ſentit, & conſentit. Itaque caſtus duobus pedibus incedit ad bonum, & luxurioſus ad malum; continens in medio eſt, & nolens dimittere Angelum magni conſilij incipiente aurorà novæ lucis, ſed petens obnixè benedictionem perſeverantiæ; etſi non omninò privari, claudicare tamen meretur altero pede, quemadmodùm de Jacob legitur Gen. c. 32. Enervatur enim pes conſenſus, quatenùs, etſi ipſe trahat, ipſi tamen inniti non poſſit. Et Sanctus Anſelmus in caput 5. epiſtolæ ad Gal. [Continentia eſt, ubi ,, ab illicitis actibus carnis temperatur: caſtitas ,, autem, cùm jam caro ſedata fuerit; conti- ,, nentia enim in luctamine eſt, caſtitas autem ,, in pace.] Et Jo. Caſſianus in libro de ſpiritu fornicationis cap. 4. [Aliud eſt continentem ,, eſſe, ὀύκρατῆν aliud caſtum ἄκιον quod affe- ,, ctum integritatis ſignificat. In congregatio- ,, ne fratrum facile eſt invenire continentes; ,, at caſtos difficillimum, qui aculeos carnis, ,, non impugnatione concupiſcentiæ turpis, ſed ,, naturæ ſolùm motu ſentiant.] Et collat. 12. cap. 10. [Non caſtitas, ſed continentia dici- ,, tur, ubi adhuc ei aliqua reſiſtit adverſitas ,, voluptatis.] Et iterùm: [Donec pulſari nos ,, carnis commotione ſentimus, noverimus nos ,, ad caſtitatis necdum perveniſſe faſtigia, ſed ,, adhuc ſub infirmitate continentiæ conſtitu- ,, tos prælijs fatigari, in quibus neceſſe eſt du- ,, bios ſemper eſſe eventus.] Et rurſum capite undecimo. [Hæc eſt veræ conſummatio ca- ,, ſtitatis; quæ non impugnans carnalis concu- ,, piſcentiæ motus, ſed toto horrore deteſtans, ,, jugem, atque inviolabilem ſui retinet purita- ,, tem, nec poteſt aliud quid eſſe, quàm ſan- ,, ctitas; & quæ ſequuntur.] Et proponit Jacob Geneſ. 27. & 32. qui ab illa continentiæ colluctatione, ac ſupplantatione vitiorum obſtupefacto fœmoris nervo, ad Iſraëlis meritum perpetua cordis directione conſcender. Et illud Pſal. 75. Notus in Judæa Deus, id eſt anima, quæ adhuc ſub peccatorum confuſione tenetur; In Iſraël, id eſt, in eo, qui videt Deum; Magnum nomen ejus, & alia plura.

Itaque puritatis, & acquiſitæ caſtitatis indicium eſſe tradit in libro priùs ſignificato, capite 10. 20. & 22. non habêre impura ſomnia, nec motus concupiſcentiæ ſentire. Quod in collatione ſeptima capite primo de Abbate Sereno teſtatur; ita ut vel in ipſo vultu caſtitas refulgeret. Et in collatione decimâ nonâ Abbatis Joannis cap. 16. [Cùm ad illecebram, ,, inquit, cogitationum blandientium, nullum ,, mentis aſſenſum, nullam commotionem in ,, ſe deprehenderit excitari, certiſſima purita- ,, tis ſuæ capiet documenta.] Ac demùm collat. 12. Abbatis Cheremonis cap. 7. ſex omninò colligit argumenta caſtitatis, quæ caſtitatis gradus nominat: Primum, nè vigilans impugnatione carnis elidatur; ſecundum, nè nimis voluptarijs cogitationibus immoretur; tertium, nè fœmineo aſpectu ad concupiſcentiam moveatur; quartum, nè vigilans carnis perferat motum, quintum, nè memoria, vel lectione harum rerum ſubtiliſſimus mentem voluptariæ actionis perſtringat aſſenſus, velut ſi operationem laterum conciperet; ſextum, nè illecebroſis fœminarum phantaſmatibus, vel dormiens illudatur. *Caſtitatis indicia.*

CAPUT XX.

Caſtitatis argumenta.

POSTREMÒ ad caſtitatem colendam, illo vel maximè argumento hortatur nos Sanctus Ambroſius in tract. in Symbolum Apoſtolorum capite 21. Quod noſtram carnem Chriſtus

Digitized by Google

Chriſtus aſſumpſit, & in ea natus, & paſſus, in ea regnat in cœlis: [Non contemnamus, „ inquit, carnem noſtram, malè, & luxurioſè „ vivendo, in qua Dominus noſter Chriſtus, „ & natus, & paſſus eſt, & reſurrexit. Non „ deſpiciamus lutum carnis noſtræ, quod in „ Domini Chriſti Deitate, quæ ignis eſt, ex- „ cœtum in teſta, puriſſimum regnat in cœ- „ lis.]

Alio argumento utitur Origenes hom. 20. in Num. quod caſtitas invictum hominem faciat contrà diabolum; fornicatio autem, & luxuria ſtatim proſternat. Argumentum ſumitur ex verbis Balaäm de Judæis reſpondentis Regi Balac; Populus hic non proprijs viribus, ſed Deum colendo vincit, & pudicitiam conſervando. Si vis eum vincere, primò eorum pudicitiam deijce, & ſponte vincentur. Sanè Joſephum propter caſtimoniam, & pudicitiam pluſquàm cæteros fratres à parentibus fuiſſe amatum, teſtatur Sanctus Ambroſius in libro de Joſeph cap. 1. Et Joannem præ cæteris Apoſtolis à Chriſto dilectum, Sanctus Hieronymus epiſtolâ ad Principiam, & libro 1. adversùm Jovinianum c. 14. Et Sanctus Chryſoſtomus homiliâ ſeptimâ in Marcum, & Caſſianus collatione 16. Abbatis Joſeph cap. 14. & Sanctus Cyrillus Alexandrinus libro 9. in Joannem, capite decimo quinto, & libro duodecimo, capite ſexageſimo tertio, & ideò eum ſuprà pectus Domini recubuiſſe, quia virgo erat, affirmat Sanctus Chryſoſtomus homiliâ in illud Zachariæ ſexto: Ecce vir oriens nomen ejus, tomo primo, & homiliâ vigeſimâ ſecundâ ad populum: eandemque ob cauſam fuiſſe illi præſertim Beatam Virginem Matrem à Chriſto commendatam, Sanctus Epiphanius hær. 28. & Sanctus Hieronymus epiſtolâ citatâ ad Principiam. Ac demùm revelata illi fuiſſe ea, quæ futura erant in Eccleſia, quia præcellebat omnibus privilegio caſtitatis, confirmat Sanctus Anſelmus in præfatione in Apocalypſim.

Joannis caſtitas.

CAPUT XXI.

Caſtitatem voto quoque fuiſſe ſemper in Eccleſia conſecratam.

CÆTERÙM caſtitatem in Eccleſia non ſolùm cultam, ſed voto etiam Deo temporibus omnibus conſecratam fuiſſe, ita conſtat, ut qui contrà hiſcere audeat, non ſolùm temerarius ſit, ſed planè ſtultus. Nam S. Clemens lib. 4. conſtit. cap. ultimo virgines monet, nè temerè voveant. Mos igitur erat virginitatem vovêre, atque hortatu Sancti Matthæi Apoſtoli Iphigeniam regiam filiam virginitatem voviſſe, Abdias narrat. Idem feciſſe Valeriam per Sancti Martialis prædicationem, teſtatur ipſemet in epiſt. ad Toloſanos cap. 8. & virginum in perpetua virginitate degentium congregationem Deo dicatam ſalutat Sanctus Ignatius in epiſt. ad Smyrnenſes. Tertullianus non multò poſt librum de virginibus velandis ſcripſit, in quo, & virgines ſanctas; hoc eſt, Deo dicatas appellat, & ſacrilegas manus, quæ dicatum Deo habitum detrahere potuerunt. Et cap. 16. [Nupſiſti Chriſto, illi tradidiſti car- „ nem tuam, illi ſponsâſti maturitatem tuam.] Et quidem ab ea ætate velandas eas eſſe ille putavit, quâ libidinis ſenſum habêre incipiunt. Sed à Pio Primo decretum fuit, nè antè vigeſimum quintum annum velarentur, ut eſt in primo conciliorum tomo, & apud Gratianum 20. q. 1. can. Virgines. Et à Sotere, ut autor eſt Damaſus, & ex epiſtola ejus 2. cognoſcitur, nè ulla virgo ſacrata tractaret vaſa ſacra. Et Tertullianus, virgines, quæ non velabantur, virgines hominum vocat, quia non caſtitatis voto, ſed neceſſitate virgines erant: velatas verò, Dei virgines nominat, quòd Deo virginitatem conſecrent ſuam: [Ambiunt, in- „ quit, virgines hominum adversùs virgines „ Dei nuda planè fronte audacia excitatæ.] Ancillas item ſolius Chriſti appellat, quæ ſoli Chriſto nubant. Et cùm de trahendis nuptui virginibus definiret; de cæteris, ait, cap. 11. viderit parentum procraſtinatio: de his viderit & ipſum continentiæ votum, an, inquam, liceat nubere; ſi enim per votum nupſerunt Chriſto, alteri non licet. Et in libro de exhortatione caſtitatis cap. 13. [Quid ſibi vo- „ lunt illa verba? quantæ igitur, & quæ in „ Eccleſia ordinari ſolent, quæ Deo nubere „ maluerunt? Nubere Deo eſt illi facere vo- „ tum; ordinari in Eccleſia, eſt Deo conſe- „ crari.]

Virgines ſacræ, & velatæ.

Virgines hominum, & virgines Dei.

Clemens Alexandrinus ad initium ferè libri 3. ſtromat. continentiam definivit eſſe corporis deſpicientiam, convenienter pactis conventis cum Deo initis: at quænam ſunt hæc pacta, niſi continentiæ votum? Et multò poſt verſus libri finem; [Dominus, inquit, di- „ cit: Qui uxorem duxit, nè expellat, & „ qui non duxit, nè ducat: qui ex propoſi- „ to caſtitatis profeſſus eſt uxorem non duce- „ re, maneat cœlebs.] Origenes homiliâ tertiâ in Levit. [Et nos, inquit, cùm veni- „ mus ad Deum, & vovemus ei nos in caſti- „ tate ſervire, pronuntiamus labijs noſtris, „ & juramus nos caſtigare carnem noſtram, „ atque in ſervitutem eam redigere, ut ſpiri- „ tum facere poſſimus.] Et in caput undecimum epiſtolæ ad Romanos. [Virgo conſe- „ crata Deo non illuſtrat miniſterium virgini- „ tatis ſuæ.] At quomodò conſecratur Deo, niſi vovendo?

Sanctus Epiphanius verò hær. 48. non ſolùm Eccleſiam ſcripſit virginitatem glorificare,

Digitized by Google

care, & ſolitudinem, & caſtitatem, ac virginitatem laudare: ſed etiam caſtitatis votum illis, quæ voverunt, magnoperè ſubjungit eſſe ſervandum. [Quæ enim, inquit, promiſe-
„ runt, & reprobaverunt, judicium habent;
„ quæ verò non promiſerunt; ſed conjunctæ
„ ſunt propter debilitatem, non habent.] Atque hær. 61. illud Pauli 1. Cor. 7. Si nubat, non peccat; intelligendum ait, de illis, quæ non fecerunt votum virginitatis, & cùm ageret de Apoſtolicis traditionibus non ſcriptis, velut notiſſimam omnibus traditionem affert virginitatis votum, quod & ſervandum inculcat: [Si enim, inquit, ea, quæ poſt mun-
„ di experientiam vidua fuit, & Deo dicata,
„ & poſteà nupſit, condemnationem habe-
„ bit; quantò magis quæ citrà mundi experi-
„ entiam Deo dicata virgo fuit, & nupſit?] Et hær. 69. ſeptuaginta memorat virginitatem profeſſas.

Sancti Athanaſij quoque calumniam ab Arianis paſſam, quòd mulierculam virginitatem profeſſam violâſſet, legimus apud Theodoretum libro primo hiſtoriarum capite trigeſimo, & pueros nondum maturos legum diſciplinæ, virginitatem, quæ ſuprà leges eſt, profitêri ſuo tempore ſolitos fuiſſe, virgineſque Deo conſecratas fuiſſe, teſtatur Sanctus Athanaſius in libro de Incarnatione Verbi. tam antiquus Pater, ut in oratione tertia contrà Arianos, ipſemet vidiſſe affirmet viventes adhuc mortuos à Chriſto reſurgente excitatos; & in libro de Paſſione, & Cruce Domini; virginem quidem, ait, virginitatem, quam promiſit, præſtare oportet; continentem autem continentiam. Et in Apologia pro fuga ſua, virgines ſacras deplorat ab Arianis ex monaſterijs per vim eductas, nudatas, cæſas. Qua de re etiam Theodoretus libro ſecundo hiſtoriarum capite 14. & libro tertio capite 19. & alij plures.

Sed & Conſtantinum ſcribit Euſebius libro quarto de ipſius vita, legem illam Romanorum, quâ prohibebantur eſſe parentum ſuorum hæredes illi, qui carebant liberis, abrogâſſe propterea ſcribit, nè qui virginitatem ſuam Deo conſecraverant, cùm digni eſſent laude, injuſtè punirentur. Illius autem tempore fuiſſe Hieroſolymis monaſterium ſacrarum virginum, prodidit Ruffinus libro decimo hiſtoriarum capite tertio.

Apud Sanctum Baſilium in libro de vera virginitate, non ſolùm ita reperies verba; Virginitati, quam profitetur: & illa; Alia eſt via nubentium, alia ſemita virginitatem profitentium, & illa; Virginitatis profeſſione præventa. Quæ verò eſt iſta profeſſio, niſi votum, ut quod eſt in cæteris matrimonium, hoc in hiſce ſit votum? verùm etiam illa poſt hæc; [Plurimæ blando charitatis nomine ad
„ carnis delapſæ vitia, non ſolùm à fœdere
„ ſponſi cœleſtis, ſed & à legitimo mortali-
„ um thoro alienæ deprehenſæ ſunt. Cùm e-
„ nim virginitatem Domino profeſſæ ſint, car-
„ nali voluptate delinitæ, ſtupri ſcelus ho-
„ neſto conjugij nomine obtegere cupiunt.] Et iterùm: [Quod ſolemne, legitimumque
„ connubium ſponſus ille (Chriſtus) occu-
„ pârit; & virginitatis habitus, & fœdera, &
„ conventa cum illo, & prætereà proceſſus
„ ipſe teſtatur. Hoc enim nobilitata viro pro-
„ ceſſit in publicum. Et quæ ſequuntur.] Undè intelligitur, & votum publicum virginitatis velut deſponſatio, & matrimonium cum Chriſto; & poſt illud proprius virginum habitus, quo indutæ prodibant in publicum, ut & cæteræ ſolent ſponſæ. Et poſt hæc addit: [Verùm virginitatem quoque, quam *Virginum habitus.*
„ anteà profeſſæ ſunt, abnegant: nec Domi-
„ num metuunt, cum quo fœdera caſtitatis
„ inierunt.] Quæ etiam ſæpiùs repetit. Tempus etiam profeſſionis conſtituit in epiſtola ad Amphilochium canone decimo octavo. Quo ætas complementum rationis habuerit, ſuprà ſexdecim, vel ſeptemdecim annos. Satis ſuperque inſtituto meo ſunt, quæ commemoravi; perſequar cæteros Patres, ut continuatam omnibus temporibus videas Eccleſiæ traditionem. *Profeſſionis tempus.*

Sanctus Joannes Chryſoſtomus homiliâ decimâ nonâ in priorem epiſtolam ad Corinthios, virginitatis, & viduitatis vota commemorat:
„ [Quæ, inquit, ſibi virginitatem elegit, pec-
„ cat, ſi nubat: & vidua item ſi ſecundis ſe
„ nuptijs alligavit.] Quæ verba manifeſtum eſt accipienda ita eſſe, ut adſit votum: alioqui & virgini integrum eſt nubere, & viduæ ad ſecundas tranſire nuptias, ut ex Paulo compertum eſt. Denique ex Eccleſia Græca extant illa verba apud Euſebium Emiſſenum homiliâ de initio quadrageſimæ. [Videmus etiam
„ animas illas pœnitentiam petere, quæ ab in-
„ eunte adoleſcentia conſecratæ pretioſum
„ Deo theſaurum devoverunt.]

In Eccleſia quoque latina S. Cypr. in epiſtola 11. libri 1. ad Pomponium; [Si ſe ex fide
„ Chriſto dicaverunt, pudicè, & caſtè perſe-
„ verent; ita fortes, & ſtabiles præmium vir-
„ ginitatis expectent.] Et in libro de habitu virginum: [Neque inanis cautio eſt, & for-
„ mido vana, quæ ad ſalutis viam conſulit,
„ quæ dominica præcepta cuſtodit, ut quæ ſe
„ Chriſto dicârint, & à carnali concupiſcen-
„ tia recedentes, tam carne, quàm mente ſe
„ Deo devoverint, opus ſuum conſument,
„ magno præmio deſtinatum, nec ornari jam,
„ aut placêre cuiquam, niſi Domino ſuo vir-
„ gines ſtudeant, à quo, & mercedem virgi-
„ nitatis expectant.] Et iterùm: [Dum libe-
„ riùs evagari virgines volunt, eſſe virgines

Zz deſinunt;

,, deſinunt; furtivo dedecore corruptæ, viduæ ,, antequam nuptæ, non mariti, ſed Chriſti ,, adulteræ.] Quid ita? Quia Chriſto virginitatem voverant. Nam ideò eas ſubjungit fuiſſe præmijs ingentibus virgines deſtinatas, hoc eſt, Chriſto conſecratas, quas propterea in extremo ſermone hortatur, ut monita obſervent; quia, inquit, Deo, & Chriſto vos dicâſtis, hoc eſt, voto conſecrâſtis.

Sanctus Hilarius comment. in Pſ. 64. [Deo, ,, ait, vovenda ſunt, contemptus corporis, caſtitatis cuſtodia, jejunij tolerantia.] Et Sanctus Hieronymus lib. 1. adversùs Jovin. cap. 7. Cùm diceret Paulus 1. Cor. 7. Si nupſerit virgo, non peccavit: [Non, inquit, illa virgo, ,, quæ ſemel Dei cultui dedicavit; harum enim ,, ſi quæ nupſerit, habebit damnationem, quia ,, primam fidem irritam fecit.] Et rursùm; ,, [Virgines, quæ poſt conſecrationem nupſerint, non tam adulteræ ſunt, quàm inceſtæ.] Et autor epiſtolæ ad Demetriadem, quæ inter opera Hieronymi habetur; [Per ,, baptiſmum in Dei filiam renata es, per conſecrationem virginitatis ſponſa Chriſti eſſe ,, cœpiſti.] Et poſt; [Per virginitatis profeſ- ,, ſionem Domino conſecrata es.] S. Ambroſius libro primo de virginibus, de Placentino, de Bononienſi, de Mauritania, dicit veniſſe ad ipſum virgines, ut ab illo conſecrationem, & velum acciperent. Et libro tertio Marcellinam ſororem ſuam teſtatur in manibus Liberij Papæ virginitatis profeſſionem feciſſe; veſtis quoque mutatione, atque adſtantibus compluribus puellis, quæ de illius ſocietate certarent. Et in libro de inſtit. virginis capite ultimo extat deprecatio, quam ille ſuper velandam virginem fecit, quæ ſacris aſſiſtebat altaribus, ut ille loquitur, non rutilanti cæſarie flavum deferens crinem flammeo nuptiali dicatum; ſed ſacro velamine conſecrandum. Extat & tractatus, ſeu liber ad virginem lapſam, poſt virginitatis ſcilicet votum. Nam & dicatam Chriſto appellat capite primo, & capite quarto. [Membra dicata Chriſto ſceleſto mœcho ,, tribuiſti.] Et [Nec pater compulit, nec ,, mater coegit, ut virginitatem profitereris; ,, quam ultro, & propria voluntate profeſſa ,, es; & non ſervaſti, quod promiſiſti.] Et cap. 9. violatorem vocat ſacrilegum, quia violavit templum Dei, & vas Deo oblatum, & dedicatum, conſecratum Chriſto, ſanctificatum Spiritu Sancto ſacrilegè polluit. Et capite decimo: [Horribilis impietas polluere virgini- ,, tatem, & caſtitatem profeſſam publicè.] Et in precatione 2. antè miſſam; Needum caſtitatem profeſſo, juxtà Apoſtolum melius eſt nubere, quàm uri. Et in ſermone nono de Sanctis, qui eſt de vita Sancti Joannis Baptiſtæ: [Sed & ille iter Domino facit, qui pro- ,, feſſionis ſuæ exhibet ei fidele ſervitium; & ,, caſtitatem, quam promiſit, cuſtodit tam ,, mente, quàm corpore.]

Ex Sancti quoque Auguſtini epiſtola 45. ad Armentarium, & Paulinam conjuges intelligimus eos ex conſenſu continentiam voviſſe, magnoperèque illos hortatur, ut Deo reddant, quod voverunt. Et in epiſtola 143. ad Julianam viduam, loquens de illius filia Demetriade; cùm poſt paululum, inquit, profeſſa fuiſſet ſanctimoniam virginalem, ingens Dei donum, &c. & epiſtola 179. Probæ, & eidem Julianæ magnoperè gratulatur, quòd virginitatis velum Demetrias accepiſſet; & in libro de fide ad Petrum capite quarto. [Qui ,, caſtitatem vovit, peccat, ſi uxorem acceperit, quia primam fidem irritam fecit.] Et cap. 42. continentiæ votum ſervandum, &c. Et libro de bono viduitatis cap. 5. [Ab illici- ,, tis longè eſt valdè, quæ voti libertate ſe ob- ,, ſtrinxit, & ſibi etiam licita nè licerent, non ,, imperio legis, ſed conſilio charitatis effe- ,, cit.] Et cap. 8. [Quæ ſe non continent, nu- ,, bant, antequam continentiam profiteantur, ,, antequam Deo voveant: quod niſi reddant, ,, jure damnentur.] Ita rursùm interpretatur illud; Qui primam fidem irritam fecerunt. Et capite nono conjugali continentiæ hoc præſtare oſtendit virginalem, & vidualem, quòd in his voti debito oblatis, etiamſi non nubatur, velle nubere damnabile eſt. Et capite decimo nono. [Si nondum voviſſes continentiam, ex- ,, hortaremur profectò ut voveres, quia verò ,, jam voviſti exhortamur, ut perſeveres.] Et cap. 20. [Lapſus à caſtitate poſt votum, ſacri- ,, legium.] Et ſerm. 164. de tempore: [Vos, ,, qui continentiam Deo voviſtis, nolite retrò ,, reſpicere.] Et libro de adulterinis conjugijs cap. 15. & 24. [Quæ voverunt continentiam, ,, nec licet, nec expedit nubere: nulla condi- ,, tione rumpenda ſunt, quæ ſine ulla conditi- ,, one voverunt.]

Sed nè omnia perſequar, verba Prophetæ fuerunt illa in Pſalm. 75. Vovete, & reddite Domino Deo veſtro. Quo loco & in Pſalmum 83. idem Sanctus Auguſtinus & votum ſuadet virginitatis, & hoſpitalitatis, & paupertatis. Et S. Leo in epiſt. 90. ad Ruſticum cap. 13. & 14. magnum hoc crimen eſſe declaravit, ſi poſt virginitatis propoſitum, hoc eſt, votum, eligantur nuptiæ; etiamſi conſecratio non acceſſerit, & adfertur 20. q. 1. Puellæ, quæ non. Ac demùm Sanctus Gregorius Papa in tertia parte paſtor. curæ admonit. 28. [Sine ,, culpa ad conjugium veniunt, ſi tamen nec- ,, dum meliora voverunt. Nam qui bonum ,, majus ſubire propoſuit, bonum minus, quod ,, licuit, illicitum facit.] Et h. 20. in Ezech. ,, [Sunt qui ſe in magnis actionibus Domino ,, devoverunt, atque ad tantam perfectionem ,, perveniunt, ut ab eis nulla unquam difficultate

„ tate flectantur, quatenùs à deliberatione caſtitatis nequaquam caro in pravæ cogitationis delectatione animum ſternat.] Et infrà; „ [Ecce Deo devovimus caſtitatem noſtram; „ ſi adhuc immunda cogitatio mentem inquinat, redeamus ad lachrymas, lavemus holocauſtum.]

Conciliorum decreta. Neque verò habemus ſolùm ſingularia hæc, & alia plura Patrum antiquorum teſtimonia, quibus traditionem hanc voti caſtitatis oſtendamus, ſed conciliorum quoque communia decreta, quibus quæ poſt votum nupſerint, ſeverè puniuntur. Nam antè Nicenum in vetuſtiſſimo Ancyrano Conventu decimum octavum decretum eſt: ut inter bigamos cenſeantur. Et poſt in Romano Concilio à Sylveſtro Papa convocato in capite decimo, ut nullus Epiſcoporum, ſi nubere velint, benedicere illas attentet. Et in Arelatenſi 2. c. 33. ut ſimul cum ipſarum ſponſis communione priventur.

Hæreticorum caſtitas, & ethnicorum. Sed & hæreticos quoque fictè, & ſimulatè caſtitatis votum celebrâſſe teſtatur Sanctus Bernardus ſermone 66. in Cant. [In operimentum, ait, turpitudinis ſe inſegnière voto.] Immò & inter Ethnicos ſine uxoribus multos caſtitatem ſervâſſe, proponit Sanctus Chryſ. hom. 13. in epiſt. ad Hebræos, ut quod illi ob inanem quamdam gloriam, nos virtutis amore agamus, neque maritatis dubitavit perpetuam conſulere continentiam in homilia 10. in Matthæum. Sanè hominis eam ſervantis nè præſentiam quidem potuiſſe dæmonem tolerare, memorat Joannes Caſſianus collatione 14. Abbatis Neſterotis.

CAPUT XXII.

Ex ſacris litteris idem oſtenditur.

At enim majoris multò ponderis ſunt ſacrarum litterarum teſtimonia, quæ nobis in hac cauſa non deſunt. Et ut mittam
1. illud Pſalm. 75. Vovete, & reddite Domino Deo veſtro omnes, qui in circuitu ejus affertis munera; quod ab Auguſtino de caſtitatis voto intellectum fuiſſe jam diximus; Quid
2. ſibi vult triplex ille Eunuchorum gradus, quem diſtinxit Dominus Matthæi capite decimo nono? tertius enim eorum, qui ſeipſos caſtraverunt, de ſimplici propoſito non poteſt intelligi. Nam & Eunuchi, & caſtrandi voces ineptitudinem, & impoſſibilitatem ſignificant generandi; qui verò ſolùm habet propoſitum, aptus eſt, & potens: & ut qui ſic nati ſunt, & qui ab hominibus facti ſunt, inepti, & impotentes ſunt; ita & eſſe oportet eos, qui ſeipſos caſtraverunt. Neque hoc alio modo fieri poteſt, quàm per votum, tanquam per ſacrum ferrum, quod vim omnem amputat genitalem.

Tertius locus peti poteſt ex exemplo Beatæ 3. *B. Mariæ votum.*
Virginis Mariæ Dei Matris, quam feciſſe Virginitatis votum ex illis verbis cognoſcitur Lucæ primo. Quomodò fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? Non enim ſolùm ſignificant propoſitum, ſeu conſuetudinem non cognoſcendi; quoniam facilè hoc eluſiſſet Angelus, ſi dixiſſet; ſi propoſuiſti, vel non conſueviſti cognoſcere, muta propoſitum, & nunc cognoſce; quia cognoſcendo minimè peccabis. Sed oportet ea ſignificare impoſſibilitatem aliquam, & impedimentum, quod tolli non poſſet, neque aliud eſſe potuit, quàm Deo nuncupatum votum, virginitaſque promiſſa, & conſecrata. Atque ita intellexerunt Sanctus Gregorius Nyſſenus in oratione in diem Natalis Chriſti, ubi reſpondentem illam facit; [Interdixi mihi conſuetudinem viri.] Et pòſt; [Carnem Deo conſecratam tanquam „ ſanctum aliquod oblatum munus oportebat „ intactam, integramque præſtare.] Et Sanctus Auguſtinus in libro de ſancta virginitate cap. 4. [Chriſtus priuſquam conciperetur, jam „ Deo dicatam, de qua naſceretur, elegit. „ Hoc indicant verba, quæ ſibi fœtum annuntianti Angelo Maria reddidit. Quomodò, „ inquit, fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? quod profectò non diceret, niſi „ Deo Virginem ſe antè voviſſet.] Et Sanctus Anſelmus in libro, qui ſpeculum Evangelici ſermonis inſcribitur cap. 3. Puellam dicit primò virginalis continentiæ voto alligatam. Et Sanctus Bernardus hom. 2. ſuper: Miſſus eſt; „ [Dedit Virgini pattum, qui ei jam anteà virginitatis inſpiraverat votum.] Et pòſt; [Virginem mente, virginem profeſſione.] & h. 4. exponens illa verba: Quomodò fiet iſtud, &c. [Cùm ſciat, inquit, Dominus meus votum eſſe ancillæ ſuæ non cognoſcere virum, „ quo ordine placebit ei, ut fiat iſtud? Si oportuerit me frangere votum, ut pariam talem „ filium, & gaudeo de filio, & doleo de propoſito. Fiat tamen voluntas ejus.] Et in ſermone de verbis Apoſtoli Joannis; Signum magnum apparavit in cœlo &c. propter hoc votum turbatam fuiſſe ait: [Illibatam Deo „ corporis ſimul, & ſpiritus ſanctimoniam „ vovit. Undè illud; Quomodò fiet iſtud, „ &c. proptereà enim turbata eſt, quòd benedictam ſe audiſſet in mulieribus, quæ benedici in virginibus ſemper optabat.] Et in ſermone de paſſione qui incipit, Jeſum Nazarenum (ſi modò eſt Bernardi) [Veniſti in humilem puellam pro virginalis continentiæ „ voto ſigillatam.] & in libro de Paſſione Domini, ſuper: Ego ſum vitis vera, cap. 17. Primam votum virginitatis voviſſe affirmat, eamque in confinio utriuſque legis votum

 conſe-

Digitized by Google

conſecrâſſe perpetuæ, & integerrimæ virginitatis.

4. Quartus locus fuerit ex Apoſtolo Paulo, cujus illa ſunt verba in priore ad Corinthios epiſtola, capite ſeptimo: Qui ſtatuit in corde ſuo firmus, non habens neceſſitatem, poteſtatem autem habens ſuæ voluntatis, & hoc judicavit in corde ſuo ſervare virginem ſuam, benè facit. Quo loco firmum illud propoſitum, virginitatem perpetuam manifeſtè ſignificat: Et cùm ſit liberè factum, indicare videtur votum.

5. Sed quintus locus erit magis illuſtris. Is eſt in priore epiſtola ad Tim. capite quinto. Adoleſcentiores, ait, viduas devita. Cùm enim luxuriatæ fuerint in Chriſto, nubere volunt: habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Quem locum veteres Patres, Epiphanium, Hieronymum, Auguſtinum de caſtitatis voto intellexiſſe, jam diximus: & intellexerunt etiam Ambroſius & Anſelmus in commentario loci, & Baſilius in libro de vera virginitate, & Clemens libro tertio conſt. c. 1. & Tertullianus lib. de monogamia, & alij omnes. Monuit enim Timotheum Paulus, adoleſcentiores haſce non eſſe facilè ad votum admittendas; quia poſtquam voverint, non reddunt; ſed delicatiùs viventes, carniſque ſentientes ſtimulos, ad nuptias, ſi non re, animo certè, ac voluntate redeunt. Sed in primis verba illa conſideres, ἔχουσαι κρῖμα, damnationem habentes; nam indè quid ſit prima fides intelligitur. Solet autem ea voce damnationem gravis peccati ſignificare Paulus, ut ad Romanos capite tertio ajunt quidam nos dicere; Faciamus mala, ut veniant bona; quorum κρῖμα, id eſt damnatio, juſta eſt; Et capite decimo tertio: Qui Dei ordinationi reſiſtunt, ipſi ſibi κρῖμα λήψονται damnationem acquirunt. Et Jo. eodem modo utitur voce judicij, & judicandi κρίσεως, & κρίνειν dum ait cap. 3. Qui credit in ipſum non judicatur, οὐ κρίνεται; qui autem non credit, jam judicatus eſt ἤδη κέκριται. Hoc eſt autem judicium ἡ κρίσις. Et cap. 16. Princeps hujus mundi jam judicatus eſt κέκριται, hoc eſt condemnatus. Sit igitur cùm damnationem eas habêre dicit Paulus, quæ primam fidem irritam fecerunt, violationem hanc neceſſe eſt grave peccatum eſſe. At violatio ſolius propoſiti caſtitatis inconſtantia quidem eſt, quâ mox appetierunt nuptias; ſed non eſt peccatum, quia integrum eſt illis ad ſecundas ſine peccato tranſire nuptias.

Neque fides prima violata dici poteſt fides prioris matrimonij; quia nulla fuit priori marito data fides non nubendi alteri, niſi quamdiù ille viveret, quo moriente ſolvitur uxor à lege viri, ut nubat, cui voluerit, tantùm in Domino, ut ait Paulus.

Scio hæreticum quempiam conatum fuiſſe interpretari de fide in Baptiſmo data: at quam ineptè, & inſulsè? non erat ſermo de Baptiſmo, nec ulla illius mentio. Et quæ conjunctio, ut nubens damnetur, quia fidem in Baptiſmo datam violavit? nulla in baptiſmo fides datur, quæ ad nuptias pertineat, nec ulla unquam ibi promiſit ſe non nupturam, aut certè ſecundò non nupturam. Ita conficitur, primam fidem, quæ damnationem habet, ſi vel voluntate violetur, appellari votum caſtitatis, ſpiritualeque matrimonium cum Chriſto contractum, quæ fides, ſi alteri nubat, cum ſummo ſacrilegio violatur, & irrita fit. Calvinus.

CAPUT XXIII.

De Monachorum Caſtitate.

SI liberam hominis voluntatem ſpectes, ad omnes homines caſtitatis votum pertinet, quoniam omnes eam eligere, & amplecti poſſunt; Si vitæ genus conditionem, & ſtatum; fuit ſemper cum religione, hoc eſt, cum religioſorum hominum ſtatu conjunctum, ut illius quaſi fuerit fundamentum, cujus eſt ſoli vacare Deo, atque Evangelica ſectari conſilia; quod illi præſtare non poſſunt, qui & uxorem ducunt, & diviſi ſunt, & liberos procreant, & rei familiaris curam habent. Itaque ut ſacræ virgines Deo voverunt omni tempore virginitatem ſuam, ita & viri caſtitatem, celebriſque fuit ſemper in Eccleſia caſtitas monachorum. Eadem enim eſt utriuſque ſexus ratio.

Philo Judæus Apoſtoli Petri contemporaneus, in libro cui titulum fecit; Quod omnis probus liber, in Paleſtina, & Syria circiter quatuor millia Eſſæorum fuiſſe tradit, quorum vitam, & mores monachis noſtris planè perſimiles deſcribit, illorumque caſtitatem in tota vita perpetuam fuiſſe teſtatur. Et Marcellus Papa jam antè Nicænum concilium ſtatuit, ut pueri in monaſterijs educati, cùm ad decimum quintum ætatis annum perveniſſent, interrogati an vellent in religione permanêre, facerent profeſſionem; habetur 21. q. 1. can. Illud autem. Sanctus Cyrillus Hieroſolymitanus catech. 12. caſtitatem appellat monachorum gloriam. Et Origenes homiliâ vigeſimâ tertiâ in Num. conjugatos affirmat homines haud poſſe offerre Deo ſacrificium juge, & indeſinens manè, & veſperè; quia ſi ad tempus orationi vacant, iterùm ad conjugem redire coguntur. Illius id ſolius eſſe, qui indeſinenti, & perpetuæ ſe devovet caſtitati. Sanctus Baſilius in conſtit. monaſt. c. 1. proferens Pauli ſententiam in priore ad Cor. ep. cap. 7. Qui cum uxore eſt, ſolicitus eſt, quæ ſunt mundi. Eum, conficit, qui à mundi vinculis vult eſſe liber,

Digitized by Google

liber, caſtitatem profitêri, ſeque totum Deo conſecrare debêre; itaque monachos omnes ſui temporis id feciſſe teſtatur; & in regulis fuſioribus 15. ſapienter diſſerens de admittendis, & inſtituendis illis, qui ad religionem accedunt, probari eos jubet, & pòſt coram teſtibus caſtitatem profitêri, aut ſi profitêri noluerint, ex monaſterio eijci. Sanctus Ambroſius in comment. Pſal. 36. dum illa verba tractat; Apud Dominum greſſus hominis dirigentur, & viam ejus volet; adferens illud Pſalmi ſeptuageſimi ſecundi. Mei autem penè moti ſunt pedes, penè effuſi ſunt greſſus mei, & apoſtatam proferens monachum: „[Nonnè, inquit, etiam pulchrè de his dicitur, quia effuſi ſunt proceſſus eorum, „quorum vota ſunt deſtituta? Conſidera aliquem per aliquot annos habuiſſe ſtudium „probitatis, caſtitatis cuſtodiam, vitæ attentionis affectum, piæ propoſitum ſervitutis, ſedulæ obſervationis officium; ſubitoque eum eſſe mutatum, diſceſſiſſe de monaſterio, valedixiſſe jejunijs, continentiæ „renuntiâſſe, indulgêre delicijs, ſtudêre luxuriæ.] Et in ſermone in Domin. 22. poſt Pentec. dum loquitur de illis verbis Domini; Reddite, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo; [Quid ſibi vult illud; Milites cùm ob errorem aliquem arguuntur, ſtatim reſpondent; quid habeam facere homo „ſæcularis, aut miles? numquid monachum „ſum profeſſus, aut clericum?] Nimirùm ſignificans, Monachos, & clericos eo tempore votorum, & ſtatus ſui ſolitos fuiſſe publicam facere profeſſionem. Quid enim eſt illud, Non ſum monachum profeſſus, aut clericum? S. Auguſtinus in com. Pſal. 75. [Nemo poſitus in Monaſterio frater dicat, recedo de „monaſterio, neque enim ſoli, qui ſunt in „monaſterio, perventuri ſunt ad regnum cœlorum. Reſpondetur ei; Sed illi non voverunt, tu voviſti. &c.] Et ſermone 250. de tempore; [Poſt adventum Domini innumerabilia monaſteria & clerici, & laici caſtitatem ſervantes.] Apud Sanctum Joannem Chryſoſtomum extat epiſtola ſexta ad Theodorum monachum poſt caſtitatis profeſſionem lapſum, in qua hæc reperies verba: [Nunc „in te nihil penitùs tui juris eſt: quippè qui „tanto Imperatori militare cœpiſti. Nam ſi „mulier proprij corporis poteſtatem non habet, ſed vir; multò magis hi, qui Chriſto „potiùs, quàm ſibi vivunt, conditionem „corporis ſui habêre non poſſunt:] Et Theodoretus in commentario ad caput decimum tertium epiſtolæ Pauli ad Romanos. [Omnis „anima, inquit, ſive eſt Sacerdos aliquis, ſive „Antiſtes, ſive monaſticam vitam profeſſus.] Et h. 69. 70. & 71. in Matth. Monachorum cœlibem, ac cœleſtem vitam mirè commendat. Et apud S. Leonem Papam illud eſt in ep. 90. ad Ruſticum Narbonenſem Epiſcopum c. 12. Votum, & profeſſionem Monachorum retinendam eſſe, & apud S. Anſelmum ep. 52. lib. 2. ad Ernulfum, Profeſſionem à monacho factam non eſſe ab illo iterùm exigendam. Et S. Greg. libro 4 in 1. Regum c. 4. dicente ſcriptura; Audivit Samuël omnia verba populi, & locutus eſt ea in auribus Domini; [Hoc, inquit, audiant Novitiorum noſtrorum mentes, „& expaveſcant; quia quod nobis dicunt, in „auribus Domini loquimur. Et quod coram „nobis promittunt, Deo offerimus, ut ipſe de „manibus noſtris teneat, quod exquirat. Et „cùm ea, quæ promittunt, Deo offerimus, quaſi chyrographum, quod nobis faciunt, illi damus.] Et libro 5. moral. c. 24. Levitas quoque veteris legis obſervat Num. 8. fuiſſe juſſos pilos omnes carnis ſuæ radere: quia qui in divinis obſequijs aſſumitur, à cunctis carnis cogitationibus debet mundus apparêre. Monachos verò, & religioſos ad obſequia divina aſſumi, quis neſcit? Cum quo illud quoque conſentit, quod idem ipſe adnotavit in 2. libro in primum Regum c. 2. Samuëlem dici accinctum Ephod lineo miniſtrâſſe Domino. Quia divina obſequia tunc benè exhibentur, cùm exhibentis perſona carnalis voluptatis ſordibus non fœdatur; & acceptum Deo tunc eſt munus miniſterij, cùm per Sanctæ converſationis munditiam Deo placita eſt perſona miniſtri. Non ignoro hoc de Sacerdotibus univerſis à Gregorio dici: ſed & de religioſis divino nuncupatos ſervitio accipienda ſunt. Undè & in primo regiſtri libro cap. 40. Monachorum matrimonia, qui uxores duxerant, velut minimè rata, legimus fuiſſe ſoluta. Adferri hùc etiam poſſunt omnia illa loca, in quibus etſi voti non fiat mentio, monachorum tamen caſtitas, & cœlibatus commendatur; ut apud Sanctum Nazianzenum in Apologetico; Cur in Pontum fugerit, & or. 1. de pace, & or. de funere patris, & alijs in locis. Quare Chalcedonenſis Concilij canon 16. fuit ille; Virgini, quæ ſe Deo conſecravit, & monacho, non licêre nuptialia jura contrahere.

CAPUT XXIV.

De clericorum cœlibatu.

HACTENUS & virginum Deo ſacratarum, & monachorum caſtitas eſt antiquitate, & continuata ſemper Eccleſiæ traditione ſtabilita. Tertium hominum genus in caſtitate viventium Clerici ſunt. Sed duo priora publico, & ſolemni voto caſtitatem ſuam profitentur, tertium hoc non item. Sed tamen quia bona Eccleſiæ Dei gubernatio non patitur rem tantam in cujuſque libertate po-

ſitam eſſe, neque explicitum, ac manifeſtum apparet votum, communis Theologorum opinio eſt; eos, qui ad ſacros ordines promoventur, implicitè, & tacitè caſtitatem vovêre. Cùm enim ad matrimonium contrahendum reddantur inepti, & fornicatio divina prohibeatur lege, tacita intelligitur caſtitatis profeſſio. Immò & Sanctus Gregorius Papa libro primo regiſtri capite 42. omnibus Epiſcopis præcepit, ut nullum ſubdiaconum faciant, hoc eſt, ad ſacros admittant ordines; niſi qui ſe victurum caſtè promiſerit. Quòd ſi uxorem jam habeat, ſi ſe ab illa continêre noluerit, ad alium ordinem non vult promovêri: [Quia nullus, ,, inquit, debet ad miniſterium altaris accede- ,, re, niſi cujus caſtitas antè ſuſceptum mini- ,, ſterium fuerit approbata.] Quamquam hoc non ignoramus ubique ab Epiſcopis omnibus non obſervatum, quibuſdam exigentibus votum, alijs non exigentibus.

Sanctus Hieronymus adversùs Vigilantium ſcribens cap. 1. tanquam nefas Epiſcopos memorat non ordinantes diaconos, niſi priùs uxores duxiſſent, nulli cœlibi credentes pudicitiam. Vidi, & ipſe hunc errorem in Syria apud Maronitas, qui Libani montem incolunt, ad quos cùm à Clemente VIII. Pontifice Summo fuiſſem miſſus anno Domini 1596. Sacerdotes reperi uxoratos indulgente ſcilicet illis Gregorio XIII. ut uxorati poſſent conſecrari, & cum uxoribus vivere. At indulgentiam illi in neceſſitatem converterant, nec niſi uxoratos ordinabant. Correxi errorem, voluique me præſente non uxoratum ordinari, qui nubere nolens ordines flagitabat. [Eccleſia ,, Chriſti, aut virgines clericos accipit, ait ,, Sanctus Hieronymus, aut continentes, aut ,, ſi uxores habuerint mariti eſſe deſiſtunt.] Ita nimirùm à Chriſto edocta, qui Apoſtolos etiam uxoratos vocavit, & Sacerdotes, atque Epiſcopos ordinavit, ſed abjecerunt illi uxores. In libro priore adversùs Jovinianum cap. 14. Petrus, & ſi qui alij Apoſtoli habuerunt uxores antè Evangelium; aſſumpti ad Apoſtolatum eas reliquerunt, ſcribit idem Hieronymus, & apud eum in libro de viris illuſtribus, Polycrates Philippum quoque tres filias habuiſſe ſcribit, & confirmat Clemens Alexandrinus libro 3. ſtrom. ſed in Actis Apoſtolicis cap. 21. de Philippo Diacono id narratur; quatuor, inquam, filias illi fuiſſe. Et S. Ambroſius in com. ad caput 11. poſter. epiſt. ad Cor. Apoſtolos omnes, exceptis Joanne, & Paulo, uxores habuiſſe affirmat quidquid ſit, non moror. Satis mihi eſt, quòd mariti eſſe deſiêrunt, quotquot eas habuerunt, ut cœlibes, caſtique deinceps viverent. Quod S. Epiphanius item confirmat hær. 25. quare id, quod de Eunuchis, dixit Dominus ſeipſos caſtrantibus; ille hær. 59. de Apoſtolis monaſticam degentibus vitam deincepſque virginibus interpretatur. [Adhuc ,, enim liberos gignentem non ſuſcipit Eccle- ,, ſia. Sed eum, qui ſe ab illa vivente conti- ,, neat, aut in viduitate vivat. Quod ſi in qui- ,, buſdam locis liberos gignant, id non eſt jux- ,, tà canones, ſed aut ex hominum licentia, ,, aut miniſtrorum paucitate.] Hæc Epiphanius. In Æthiopia ſcribit S. Auguſtinus ſerm. 37. ad fratres in eremo ſe reperiſſe uxoratos ſacerdotes, ſed nunquam niſi ſemel in anno uxores tangentes.

Porrò ex epiſtola Sancti Gregorij paulò antè ſignificata, & epiſt. 34. libri 3. ſatis cognoſcitur à Pelagio Gregorij prædeceſſore antè tres annos fuiſſe decretum, ut omnes Siciliæ Subdiaconi (multò magis Diaconi, & Sacerdotes) more Romanæ Eccleſiæ ſuis uxoribus non miſcerentur, quas ſcilicet antè ordinem duxiſſent; ſed poſt à Gregorio retractatum eſt, & permiſſum, ut illis uterentur: ſed ad alios ordines non promoverentur.

Multò antè igitur in Romana Eccleſia fuerat inſtitutum, ut ab uxoribus abſtinerent, ſi qui fortè uxorati fuiſſent ordinati; dum Eccleſia recens nata cogebatur eos ordinare, qui paulò antè fuerant gentiles, & uxorati, & ſine dubio Apoſtolica fuit traditio.

Apoſtolicam etiam traditionem fuiſſe non dubito, nè omninò uxores haberent, ubi ad majorem veniſſet Eccleſia numerum. Sed interim nondum fuerat apertè decretum. Immò Sanctus Leo multo poſterior tempore, ad Narbonenſem Epiſcopum ſcribens c. 3. ſtatuit, nè qui habebant uxores domo illas pellerent, ſed de carnali fieret ſpirituale conjugium, & Urficium narrat Gregorius lib. 4. dialog. cap. 11. presbyteram, id eſt, uxorem ſuam habuiſſe ſecum, & ut ſororem dilexiſſe, ſed quaſi hoſtem caviſſe, nec ad ſe propiùs accedere ſiviſſe.

Hoc igitur ſemper ſervatum eſt; nè poſt ſuſceptum ordinem uxorem ducerent; nevè uxoribus, quas antè ſacerdotium duxerant, uterentur. Quod confirmant Epiphanij verba paulò antè recitata. Nam cùm poſt ſecundas nuptias ab Eccleſia non ſuſcipi dixiſſet, propter excellentem Sacerdotij honorem, ac dignitatem ſtatim ſubjungit; [Sed & adhuc viven- ,, tem, & liberos gignentem unius uxoris ,, virum non ſuſcipit; ſed eum qui ſe ab una ,, continuit, aut in viduitate vixit.] Quòd ſi habentes uxores. illis uti non debeant, facilè obtentum fuit, nè omninò uxores ducerent. Atq; his tribus capitibus noſtrorum clericorum cœlibatus abſolvitur.

Aſſeritur autem à tota Patrum antiquitate. Tertull. non ſolùm in libro de exhortatione caſtitatis capite duodecimo. Cœlibum familias nominat; ſed etiam in libro de Monog. c. 8. ,, [Si Chriſtus, ait, reprobat ſcribas, & phari- ,, ſæos ſedentes in cathedra Moyſi, nec facien- tes,

Digitized by Google

;; tes, quæ docerent, quale eſt, ut & ipſe ſu-
,, per cathedram ſuam collocaret, qui ſancti-
,, tatem carnis præcipere magis, non etiam ob-
,, ire meminiſſent, quàm illis omnibus modis
,, inſinuârat & docendam, & agendam?] Et
Sanctus Cyprianus ſub finem ſermone de Spi-
ritu Sancto: [Hic Spiritus Sanctus in pudicis
;; mentibus ſibi ſtatuit manſionem, hic humi-
,, les, & cœlibes habet domeſticos.] Epipha-
nium etiam audiſti. Ambroſius in exhortatio-
ne ad virgines, Julianæ maritum narrat poſt
ex ea ſuſceptum unum filium, & tres filias, eâ
relictâ factum Epiſcopum; lege Baſilium epi-
ſtolâ ad Paregorium presbyterum, cui propte-
reà cohabitationem fœminæ prohibet. Et San-
ctus Anſelmus ad caput ſeptimum epiſtolæ ad
Hebræos; Melchiſedec vult ab Apoſtolo dici
ſine genealogia, quia Sacerdotes, & miniſtri al-
taris uxores habêre non poſſunt: ut ſi habêre
voluerint, profiteantur, ſe eſſe Sacerdotes Ju-
daicæ inſtitutionis, non Chriſtianæ. Et in e-
lucidario; illicitum eſſe ſacerdotibus uxores
ducere, & filios procreare; Et epiſtolâ ſexa-
geſimâ ſecundâ libri tertij ad Vuillelmum,
Presbyteris fœminam tenentibus prohibitum
fuiſſe ſcribit in Concilio Londinenſi celebrare
miſſas, & ſi celebrent, audiri. Et epiſtolâ
110. ad Ernulfum, Eccleſijs, & omni Ec-
cleſiaſtico beneficio privari.

Sanctus Auguſtinus in ſexto libro confeſ-
ſionum capite tertio, Ambroſium fœlicem ſanè
hominem opinabatur, cœlibatus tantùm labo-
rioſus videbatur. Et in capite duodecimo ex-
tat inter ipſum, & Alipium, qui continentiſ-
ſimè vivebat de cœlibatu diſputatio, & in libro
de fide ad Petrum capite tertio: [Servi Chriſti,
,, qui cupiunt Domino ſuo ſine impedimento
,, ſervire, conjugia omninò non appetunt: non
,, quòd peccatum ſit habêre conjugem, ſed
,, continentiam jugem bonis nuptijs meliorem
,, eſſe non dubitant.] Verùm in qq. ex utro-
que teſtamento miſtim ex inſtituto quæſtio-
nem proponens, reſpondet: Bonas eſſe nup-
tias, non licêre tamen ſacerdotibus habêre uxo-
res: quia eſt, quod omnibus generaliter non
licet, ut fornicari, & eſt, quod aliquando li-
cet, & aliquando non licet, ut negotiari, &
eſt quod alijs licet, alijs non licet, ut nubere.
Sacerdotem enim puriorem cæteris eſſe opor-
tet; Chriſti enim perſonam habêre videtur, &
illius vicarius eſt, & orare debet pro populo,
& offerre, & tingere. Et ut cæteris mundæ
ſint nuptiæ, ad Dei tamen dignitatem quaſi
immundæ ſunt, neque Dei perſonæ compe-
tunt. Nam & medicris tunica, quamvis mun-
da Imperatori ſordida eſt, & illicita. Neque
Imperatori miniſtrat quiſquam, niſi claris,
& mundis veſtimentis indutus. Ita Dei mini-
ſtros conficit mundiores cæteris eſſe oportêre.
Et in ſecundo libro de adulterinis conjugijs
cap. ult. ad cohibendam intemperantiam con-
jugatorum, ſolitum ſe fuiſſe teſtatur propo-
nere illis continentiam clericorum, quam uſ-
què ad mortem Domino adjuvante perducunt.
Et ſermone 37. ad fratres in eremo, ex eo,
quod conjugium Sacerdotibus prohibetur, for-
nicationem argumentatur multò magis prohi-
bêri, Profertque ex primo libro Reg. c. 21.
Achimelech ſacerdotem, ut panes propoſitio-
nis Davidi fameſcenti porrigeret; interrogâſſe,
an pueri à mulieribus eſſent mundi. Quid enim
facere debent Sacerdotes noſtri, ut Chriſti
Corpus quotidiè accipiant? Siricius Papa epi-
ſtolâ primâ ad Himerium capite ſeptimo eum,
qui ſecùs ſentiat, ſectatorem libidinum, præ-
ceptoremque vitiorum appellat: atque ex ve-
teri argumentatur lege, in qua Sacerdotes anno
vicis ſuæ procul à domibus, & uxoribus ſuis
habitabant in templo, ut mundi Domino mini-
ſtrarent. Et Sanctus Leo epiſtolâ octogeſi-
mâ ſecundâ ad Anaſtaſium, laicis hominibus
ſcribit liberum eſſe nuptijs, & filiorum pro-
creationi ſtudêre: ſed ad exhibendam conti-
nentiæ puritatem nè ſubdiaconis quidem car-
nale connubium concedi.

Et antiquior Sanctus Cyrillus Hiëroſoly-
mitanus catech. 12. ex hoc Chriſtum probat ex
virgine fuiſſe natum: [Si enim qui apud Je-
ſum benè fungitur Sacerdotio, abſtinet à mu-
liere: ipſe Jeſus quomodo ex viro, & mu-
liere proditurus eſſet?] Et Orig. homiliâ ſextâ
& nonâ in Lev. caſtitatis hujuſce Chriſtiano-
rum ſacerdotum voluit fuiſſe figuram femora-
lia, quibus, & operiebantur femora, & con-
ſtringebantur renes, & lumbi veteris Sacer-
dotis; & Jeremiæ item zonam, & Joannis
Baptiſtæ, &c. & homiliâ in librum Regno-
rum, ex eo, quòd dixit Apoſtolus; Bonum
eſt homini mulierem non tangere, Chriſtia-
nam maximè pudicitiam confirmat. Et homi-
liâ ſecundâ poſterioris commentarij in Cant.
genas ſponſæ vult dici pulchras propter hos
Eccleſiæ miniſtros, qui caſtitatem, & pudici-
tiam colunt; pulchritudo enim in genis præ-
ſertim elucet. Et libro ſecundo & tertio contrà
Celſum inter præclara, & ſummæ, ac divinæ
virtutis opera, quibus excellit Chriſtiana re-
ligio, hoc ſanè commemorat; quòd homi-
nes ad continentiam, & cœlibatum adducit,
at quibuſnam id magis, quàm Sacerdotibus,
& clericis convenit? ipſemet in libro ſeptimo
ſatis declarat.

Sanctus Gregorius Nazianzenus in apolog.
pro fuga ſua, cœlibatum monachorum no-
minat, & eorum, qui aliorum conſortio, &
ſocietate gaudent; & in or. in laudem Baſilij
cœlibatum illius mirè commendat; & in or. in
ſanctum baptiſma, & altera oratione in laudem
Gorgoniæ ſororis, & in exhortatione ad vir-
ginem; ſtatum cœlibum, & conjugatorum

 diſtinguit;

Digitized by Google

diſtinguit; ac demùm in libello de calamitatibus animæ ſuæ, cœlibatum elegiſſe ſe affirmat, divinum, & angelicum ſtatum, ut à conjugij perturbationibus ſe liberaret. Et or. 1. de pace, in cœlibatu, ait, non deeſſe prolem; quippè meliores ſunt, & præſtantiores fœtus, qui ſecundùm Deum exiſtunt, quàm qui à carne trahunt originem. Quibus omnibus ſubijciam id, quod de ſeipſo carmine ſcripſit in carmine de ſuis rebus. Sic enim habet:

Meque pudicitia obvinxit; carnique catenam
Injecit, ſophiaque ardenti aſſlavit amore
Cœleſtis, vitaque hujus, quæ conjugis expers
Ducitur, æterni referens præludia ſæcli:
Nec coſtam quærit (proprium, quæ corpus amore
Cingit, & illecebris damnoſum ducit ad eſum)
Sed Regi ſupero ſanctum tranſmittit amorem.

Denique Theodor. in duodecimo libro de curandis Græcorum affectionibus, ſacras, ait, litteras cœlibatum vehementer laudare. Quem ex veteri quoque lege confirmare licet; tum ex eo, quod afferebat Sanctus Auguſtinus de Davide, & Achimelech; tum ex Samuële, qui Domino miniſtrabat accinctus Ephod lineo, ut eſt in primo Regum capite 2. In Evangelico enim Sacerdotio ſubtiliora, & perfectiora fore omnia, quàm in legali; figuratum fuit in Samuële, ut interpretatur Sanctus Gregorius libro ſecundo in primum Regum cap. 2. qui Ephod lineo accinctus miniſtrabat. Linea quippè veſtis ſubtilior eſt, quàm lanea: & illic ſacerdotes carnaliter generant; hìc fructum ſpiritalis propaginis tantò copioſiùs afferunt, quantò per conjugale bonum, pudicitiæ detrimenta ſentire non poſſunt.

Incontinentiæ pæna. Quod quàm ſeverè ſervandum ſit, intelliges ex eodem Gregorio, qui lib. 3. regiſtri c. 26. ita decrevit: [Qui poſt acceptum ſacrum or„ dinem lapſus in peccatum carnis fuerit, ſacro „ ordine ita careat, ut ad altaris miniſterium ul„ teriùs non accedat.] Et antè illum Clementis Romani illa fuerunt verba in epiſtola ſecunda ad Jacobum fratrem Domini: [Si poſt „ ordinationem, miniſtrum altaris contigerit „ proprium invadere cubile uxoris, ſacrarij „ non intret limina, nec ſacrificij portitor fiat, „ & quæ ſeq.] Et Sanctus Auguſtinus q. 85. in Levit. quoniam poſt coitum conjugalem legalis Sacerdos immundus erat uſquè ad veſperum, colligit ſacerdotum continentiam perpetuam: quippè Sacerdos ille bis in die incenſum debebat imponere, manè, & veſperè. Quid igitur ſacerdos Evangelicus, qui Corpus Chriſti debet offerre? Proptereà lex vetus Sacerdotem anno vicis ſuæ habitare præcipiebat in templo, ut purus eſſet, & ab uxore ſeparatus miniſtrare Domino poſſet. Quod ſanè obſervârunt Syricius Papa, & poſt eum Innocentius epiſtolâ tertiâ c. 1. & habetur diſt. 81. ſapienſque omninò eſt S. Hieronymi ratiocinatio in 1. adversùs Jovin. lib. c. 19. [Si „ laicus, & quicunque fidelis orare non poteſt, „ niſi careat officio conjugali (abſtinebant e„ nim, ut in libro de oratione diximus) ſacer„ doti, cui ſemper pro populo offerenda ſunt „ ſacrificia, ſemper orandum eſt. Si ſemper o„ randum eſt, erit ſemper carendum matri„ monio. Nam & in veteri lege purificaban„ tur ad tempus ab uxoribus ſeparati.]

Cæterùm præter hæc duo Sacerdotum officia, orare pro populo, & ſacrificium Corporis Chriſti offerre, alia etiam ſunt, quæ liberos ab uxoribus poſtulant. Debet namque Sacerdos, & Epiſcopus vigilare: quod ſanè ſatis benè non faciet is, qui cum uxore dormit, & curam filiorum habet. Jubet etiam Paulus in poſteriore ad Tim. cap. 2. nè ſe implicet negotijs ſæcularibus; at qui habet uxorem, & liberos, cogitur implicari. Jubetur præeſſe, in ſolicitudine ad Rom. cap. 12. at qui eſt ſolicitus, quæ ſunt mundi, quomodo id præſtabit? Volo vos ſine ſolicitudine eſſe inquiebat 1. Cor. 7. ideò & ſine uxore: qui enim cum uxore eſt, ſolicitus eſt quæ ſunt mundi, & diviſus eſt: qui autem ſine uxore eſt, ſolicitus eſt, quæ Domini ſunt. *Sacerdotis officium.*

Ad extremum ſi tanta eſt nunc in cœlibatu avaritia Sacerdotum, ut nulla major Eccleſiæ pernicies; quanta fuiſſet, ſi uxores habuiſſent, & filios procreaſſent? Si nunc malè conferuntur Eccleſiaſtica beneficia, quantò pejus conferrentur, ſi filios habuiſſent legitimos, quibus ea deſtinâſſent, antequam naſcerentur?

CAPUT XXV.

Idem ex Sacris Concilijs demonſtratur.

ITA ferè ex continuata, & perpetua ab Apoſtolorum temporibus Eccleſiæ Patrum traditione, Sacerdotum noſtrorum cœlibatus ſtabilitur. Altera huic perſimilis ex ſacris Concilijs, ſive generalibus, ſive provincialibus, omni tempore per totum mundum congregatis probatio ducitur. Quorſum enim decretum illud toties inculcatum ſpectat; Nè Presbyteris, & Sacerdotibus, atque omninò clericis in eadem domo, & ſub eodem tecto mulieres ullæ habitent, niſi fortè ſit mater, ſoror, filia, amita, neptis? nimirùm ut impuritatis omnis, & incontinentiæ tum occaſio, tum verò etiam ſuſpicio tolleretur. Ita decretum fuit in Concilio Niceno c. tertio, Arelatenſi 2. c. 3. Carthaginenſi 4. c. 46. Agathenſi c. decimo, Illerdenſi c. 15. Toletano ſecundo c. tertio, Aureliano tertio c. quarto, Arvernenſi c. 16. Turonico 2. c. 10. & 11. Aureliano 5. c. tertio, Hiſpalenſi 1. c. 3. Matiſconenſi 1. c. 1. Toletano

Digitized by Google

letano 4. c. 41. & 42. Bracarenſi 1. c. 15. in Græcis Synodis à Martino Bracarenſi collectis c. 32. Cabilonenſi c. 3. Bracarenſi 3. c. 4. Neque inter conceſſas mulieres ulla eſt ullibi uxoris mentio. Quoniam ſi eam antè ſacram ordinationem habuiſſent, ſeparari ab ea, & maritos eſſe deſinere eos oportebat, omni conjugij actu interdicto; Alioqui ut eſt in Elibertino Concilio c. 33. Carthaginenſi 5. c. 3. 4. Aphricano c. 37. & Arauſicano primo c. 22. & Aureliano 3. c. 2. & Arvernenſi c. 12. & Aureliano 5. c. 4. ab Eccleſiaſtico removebantur officio. Sed & in Aureliano 4. c. 17. & Toletano tertio c. 5. & Antiſiodorenſi c. 21. propterea cavetur, nè ſub eodem conclavi, & in eodem lecto, ſed in diverſis planè domibus maneant. Et in Turonico 2. c. 20. ſi ad villam exeant, comitem ſecum ducant clericum, qui in eadem cella lectum habeat pro teſtimonio.

Cæterùm nè ulla fieret uxori injuria, voluit Agathenſe Concilium c. decimo ſexto, dum erat vir ſacris initiandus ordinibus, uxoris item voluntatem, & conſenſum requiri. Deinceps verò ſi quis uxorem cognoviſſet ſuam, nec diaconus ordinabatur presbyter, nec presbyter Epiſcopus conſecrabatur, primi Toletani Concilij decreto c. primo. Qui autem antè ordinationem non duxiſſent uxorem, ijs poſt ordinationem ducere nullo unquam tempore fuit permiſſum: & ſi quis duxiſſet, in Aureliano 3. c. 7. conjux uterque fuit excommunicatus.

His porrò perquàm conſentaneum eſt id, quod in Agathenſi c. trigeſimo nono & Venetico primo c. undecimò legitur; Nè presbyteri, diaconi, cæterive clerici, quibus ducendi uxores licentia non eſt, alienarum nuptiarum adeant convivia: neque cœtibus illis miſceantur, ubi amatoria cantantur, aut obſcœni corporum motus choreis, & ſaltationibus offeruntur: nè videlicet ad ea fortaſſe, quæ illis interdicta ſunt, ſolicitentur.

Sanè in Apoſtolorum canone 25. ex his, qui cœlibes in Clerum admittuntur, ſolis lectoribus, & cantoribus permittitur contrahere nuptias; ſuperioribus ordinibus nullo modo. Atque de presbyteris quidem Neocæſarienſis Concilij canon primus eſt ille; Presbyter ſi uxorem duxerit ab ordine ſuo deponi debet: ſi verò fornicatus fuerit, vel adulterium commiſerit, extrà Eccleſiam abijci, & ad pœnitentiam inter laicos redigi. Et in Toletano quarto canon 20. Sacerdotes caſtè viventes ſint, & immaculati: & canon 26. Presbyteri, & diaconi profeſſionem caſtitatis Epiſcopo faciant. Quam antiquiſſimum Ancyranum c. 5. de diaconis loquens, tacitam ſaltem intelligi voluit. Quicumque, inquit tacuerint, & ſuſceperint manus impoſitionem, profeſſi continentiam & poſteà nuptijs obligati ſunt, à miniſterio ceſſare debebunt. In Græcis quoque ſynodis c. trigeſimo nono, diaconus qui non poteſt in caſtitate vivere, non ordinatur. Et de ſubdiaconis (multò magis de diaconis) in Romano Concilio ſub Sylveſtro c. octavo. Nullum ſubdiaconorum ad nuptias tranſire præcipimus. Et in Elibertino circà eadem tempora c. trigeſimo. Subdiaconus ille ordinari non debet, qui in adoleſcentia ſua fuerit mœchatus. Quòd ſi Epiſcopus, presbyter, diaconus, in illud inciderint crimen, nè in fine quidem vitæ conceditur illis communio c. 18. ejuſdem Concilij. Et in Arelatenſi ſecundo item ſub Sylveſtro c. 2. & Arauſicano 2. ſub Leone primo c. 22. aſſumi conjugatum aliquem ad Sacerdotium prohibitum eſt, niſi caſtitatem promiſerit. Quod ex Apoſtolorum doctrina, totiuſque antiquitatis uſu confirmârunt Carthaginenſis tertij Concilij Patres c. ſecundo. Minimè namque decêre viſum eſt, eos, qui divinis Sacramentis inſerviunt, continentès in omnibus non eſſe.

Immò de lectoribus quoque, quibus anteà videbatur indultum, pronuntiatum fuit c. decimo nono, eos cùm ad annos pubertatis veniſſent cogendos eſſe aut uxorem ducere, aut continentiam profitêri, ſi in clero voluiſſent permanêre. Et in Tarraconenſi Concilio c. 9. aut mulierem relinquant, à Clero habeantur extranei.

Universè autem omnes, qui à primis infantiæ annis clero à parentibus offerebantur, decimo octavo ætatis anno voluit Toletanum ſecundum c. primo, coram toto clero, & plebe de conjugio interrogari ab Epiſcopo; & ſi caſtitatem promiſerint, mox vigeſimo primo anno ſubdiaconos ordinari. Ac demùm in Lateranenſi ſub Innocentio Tertio c. decimo quarto, clerici omnes caſtè vivere præcipiuntur.

Ita cœlibatum conſtat temporibus omnibus Eccleſiam Dei coluiſſe. At quid mirum? fuit in veteri Eccleſia Diaconiſſarum quoque ordo, qui nihil ad ſacrificium pertinebat; ſed quemadmodùm Sanctus Epiphanius hær. 79. teſtatur, ad muliebris ſexus honorem, propter horam balnei, ſive baptiſmi, aut infirmitatis, & mortis, nè nudatum mulieris corpus à viris conſpiceretur, vel tractaretur; & tamen de Diaconiſſis quoque hiſce, ſi poſt ordinationem nupſiſſent, decrevit generale Chalcedonenſe Concilium ſeſſ. decimâ quintâ c. decimo quinto, & poſt confirmavit Aurelianenſe 2. c. 16. anathema illas eſſe, & eum, qui in illarum nuptijs conveniſſet. Nunquid igitur illis, qui divina, & ſacroſancta myſteria tractant, hoc permiſſum fuiſſe credendum eſt?

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT XXVI.

Caſtitatem omnes ſervare poſſe.

ITA cœlibatus noſter ſatis ſuperque confirmatus eſt,ac ſtabilitus in Eccleſia. Sed quoniam noſtri temporis hæreticos reclamantes audio, & obſtrepentes; quid tandem illi objiciant audiamus.

Hæretici quid.

Omninò ſenſus, & carnis patrocinium ſuſcipiunt; atque ut ſpiritus regnum evertant, libidinem ubique graſſari permittunt. Votum caſtitatis tollunt, quod ſervari poſſe negant; nec ullus divinum poſſit ſibi auxilium ad id neceſſarium polliceri. Hoc ipſum eſt, quod aliquando Sanctum quoque Auguſtinum afflixit: [Putabam, inquit ille in ſexto confeſſionum libro capite undecimo, me miſerum ,, fore nimis, ſi fœminæ privarer amplexibus, ,, & medicinam miſericordiæ tuæ ad eandem ,, infirmitatem ſanandam non cogitabam: quia ,, expertus non eram, & propriarum virium ,, credebam eſſe continentiam, quarum mihi ,, non eram conſcius; cùm tam ſtultus eſſem ,, ut neſcirem, ſicut ſcriptum eſt; Neminem ,, poſſe eſſe continentem, niſi tu dederis. Utique dares, ſi gemitu interno pulſarem aures tuas, & fide ſolida in te jactarem curam ,, meam.] Deindè permittunt illi fieri caſtitatis votum ad aliquod tempus. At nec per illud tempus, vel etiam unius horæ de divino auxilio ullus eſt certus.

Fatentur etiam nos in Baptiſmo promittere, & vovêre ſervaturos veram fidem, & religionem Dei: quod non minùs, quàm caſtitas, auxilio indiget Dei. Et cùm illi ipſi, dum de prædeſtinatione diſputatur, Deum dicant, non omnibus dare neceſſariam gratiam, nè à fide deficiant, & religione, & Deum iniquum faciunt, qui exigat votum; & nos temerarios, qui reddamus.

Illud verò abſurdum magis & impium, ſed conſequens; quòd caſtitatis votum factum poſſe ſolvi dicunt, & violari, ſi libidine ſtimuleris. Cùm & lex naturæ, & Dei reddi jubeat, quæ promiſimus. Et verbum Dei ſit illud Pſalm. 75. Vovete, & reddite: Et Eccleſiaſtis 3. Si quid voviſti Deo, nè moreris reddere; diſplicet enim ei infidelis, & ſtulta promiſſio; & quid magis ſtultum, quàm putare,, tamdiù ſervandum votum, quamdiù non ureris, hoc eſt, quamdiù libidini, & carni placuerit?

Caſtitatem ſervari poſſe.

Jam ergò caſtitatem omnes ſervare poſſe, ſi velint, contendit Sanctus Joannes Chryſ. homiliâ ſexageſimâ tertiâ in Matth. [Omnes, ,, inquit, ad optandam, eligendamque virginitatem inducit. Poſſibile namque id eſſe ,, hominibus hoc ferè modo confirmat. Cogita, ſi aut à natura Eunuchus eſſes, aut injuriâ hominum ſic effectus, quid faceres, ,, cùm & ejuſmodi voluptate careres, & nullam carendo mercedem conſequereris? Gratias igitur Deo agas, quòd cum mercede, atque coronis idem ſuſtines, quod illi ſine coronis, & præmio tolerant.] Et homiliâ trigeſimâ ſecundâ operis imperfecti; cum diceret Dominus; Non omnes capiunt verbum iſtud: ,, [Omnes quidem, addit, capere poſſunt; ſed ,, non omnes capere volunt.] Et homiliâ quintâ in priorem ep. ad Theſſ. [Niſi & alij juvenes vobis plures fuiſſent in caſtitate, & temperantia viventes, & olim, & nunc; fortaſſè ,, quamdam haberetis excuſationem; ſi autem ,, ſunt, undè poteritis dicere, concupiſcentiæ ,, flammam cohibêre vos non potuiſſe? Nam ,, illi vos arguunt, qui potuêre, cùm ejuſdem ,, vobiſcum ſint naturæ.] Et S. Leo Papa in ſer. de martyribus (vel quiſquis fuit autor, nam Sancto quoque Auguſtino tribuitur,& eſt 47. de Sanctis) omnibus affirmavit datum eſſe ſervare caſtitatem, ſi velint.

Quamquam addendum eſt id, quod illi ipſi addunt Patres, divinam gratiam, atque opem neceſſariam eſſe, neque ſine illa ſervari à nobis poſſe. Eam tamen liberaliter omnibus dari, qui faciunt id, quod ipſi poſſunt. Sanctus Chryſ. homiliâ 63. indicata; [Superiore,inquit, auxilio nobis opus eſt. Quod quidem omnibus paratum eſt, ſi voluerimus. ,, in hac luctatione ſuperiores evadere.] Et h. item 32. notata, cùm dixit Dominus; Non omnes capiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt: [Non hoc, ait, ſignificat, quibuſdam dari, & quibuſdam non dari; ſed illud ,, oſtendit, quod niſi auxilium gratiæ acceperimus, nihil ex nobis valemus.]

Et Joannes Caſſianus in libro de ſpiritu gaſtrimargiæ capite quinto tamdiù affirmat hoc vitio animam impugnari, donec ſe bellum gerere ſuprà vires ſuas agnoſcat: nec labore, vel ſtudio proprio victoriam obtinêre ſe poſſe, niſi Domini fuerit auxilio, ac protectione ſuffulta. Et capite ſexto: [In omnium expugnatione vitiorum Domini eſt gratia neceſſaria; ſed maximè in hoc: & ultrà naturam ,, eſt, fragili carne circumdatum carnis aculeos non ſentire.] Quamobrem in collatione duodecima Abbatis Cheremonis, non ſatis eſſe affirmat corporis, & paſſionum animæ mortificationem ad caſtitatem comparandam; quoniam ea donum eſt Dei. [Corporis pœnitentiæ, & labores, ait cap. 4. non ,, ſunt ſatis ad obtinendam caſtitatem, niſi ,, Dei gratia acceſſerit. Et ob id exercitia illa ,, adhibentur ſolùm, ut per ea miſericordiam ,, Domini conſequamur, qua ab impugnatione carnis, & vitiorum liberemur.] Et capite 15. [Quiſquis, inquit, extractus à cunctis

contabula-

Digitized by Google

,, confabulationibus otioſis, & mortificatus ab ,, omni ira, & ſolicitudine mundana, duobus ,, paximacijs fuerit quotidiana refectione con- ,, tentus; & aquæ ſatietate ſubtracta quietem ,, ſomni trium, vel quatuor horarum ſpatio ter- ,, minaverit: nec tamen continentiæ hujus me- ,, rito, ſed miſeratione Domini eam ſe cre- ,, diderit adepturum, non ampliùs, quàm ſex ,, menſibus perfectionem iſtius non impoſſi- ,, bilem ſibi eſſe cognoſcet. Caſtitas enim eſt ,, donum Dei.] Et S. Nylus in lib. de octo vitioſis cogitationibus; [Fieri nequit, ut homo ,, ſuiſmet pennis ad caſtitatis verticem convo- ,, let; niſi divina quoque gratia cum à pertur- ,, bationum animi fovea in altum ſubduxerit.]

S. Auguſt. confeſſionem paulò antè audivimus ex lib. 6. confeſſ. etenim per divinam miſericordiam confeſſus eſt fieri poſſe id, quod viribus proprijs nequaquam poterat. Et lib. 8. c. 11. commemorantem quemadmodùm à Deo invitaretur ad caſtitatem, & cœlibatum.

Hinc & illæ ad Deum voces mox in lib. 10. c. 29. [Continentiam jubes: da quod jubes, & ,, jube quod vis.] Eam enim agnoſcit eſſe donum Dei, & inculcat in epiſt. 143. ad Julianam viduam, & in lib. de continentia c. 1. & alibi ſæpiùs: & ideò ab eo petendum, & expectandum: [Ad habendum enim continentiæ ,, bonum plus, inquit in lib. de bono viduitatis ,, c. 18. proficietis orationibus veſtris, quàm ,, exhortationibus noſtris.] [Quid verò ſuper- ,, bius, vel ingratius, ſcribit ep. 130. ad Cir- ,, cenſes, cogitare poteſt humana vecordia, ſi ,, putaverit, cùm carne pulchrum faciat Deus ,, hominem, animo caſtum ab homine fieri?] Et libro ſecundo de adulterinis conjugijs c. 13. ,, [Non confidendum eſt de noſtris viribus: ,, ſed oratio adjungenda conatibus; ut impleat ,, bonis, qui deterret à malis.] Et c. 19. [Non ,, deterreat ſarcina continentiæ. Levis erit, ſi ,, Chriſti erit, Chriſti erit, ſi fides aderit, quæ ,, impetrat à jubente, quod juſſerit.] Noſtrarum erit partium ea diligenter exequi, quæ anteà præcepta ſunt c. 4. & deinceps uſquè ad 14.

CAPUT XXVII.

Quo intellectu quædam Patrum verba accipienda ſint.

LEGUNTUR tamen quædam interdum apud veteres Patres, quæ adverſarijs noſtris favêre videantur, ſi minùs verè intelligantur. Quale illud eſt apud Sanctum Cyprianum in epiſtola undecima libri primi, in qua à Pomponio conſultus de quibuſdam virginibus, quæ
1. poſt virginitatis votum deprehenſæ fuerant in eodem lecto pariter manſiſſe cum maſculis, ex quibus unus erat diaconus. Reſpondet primùm, permittendum non eſſe virgines ſimul cum maſculis habitare; hoc eſt in eadem domo, & ſub eodem tecto vivere. Nemo enim diù tutus eſt periculo proximus. Deindè ſubjungit hæc verba: [Si autem perſeverare no- ,, lunt, vel non poſſunt; melius eſt, ut nubant, ,, quàm in ignem delicijs ſuis cadant.] Verùm non dixit ille, ſi continêre nolunt, aut non poſſunt, nubant: ſed melius eſt, ut nubant; hoc eſt, minus malum. Non enim ſi melius eſt, continuò ſequitur, abſolutè bonum eſſe, ſicut & nos diceremus, melius eſſe fornicari, quàm adulterare; melius habêre unam concubinam, quàm plures: non quòd illud ſit bonum, ſed quòd minus malum, ſic namque ille oſtendere volens turpitudinem illarum virginum, gravius eſſe peccatum affirmat, ſub nomine, & pallio virginitatis habêre multos adulteros, & ſacrilegos, quàm ſub nomine, & habitu uxoris unum habêre maritum. Sanè cùm dixiſſet, eas, quæ ſe Chriſto dicaverant, pudicè, & caſtè ſine ulla fabula, hoc eſt, ſine ulla excuſatione, atque imbecillitatis prætextu debêre perſeverare, & ſtabiles præmium virginitatis expectare, apertè ſibi contradiceret, ſi ſtatim illis concederet, ut nuberent. Quod autem ait, ſi perſeverare nolunt, aut non poſſunt, non arguit eum ſenſiſſe, caſtitatem ſervari non poſſe: quoniam in propoſitione disjunctiva ſcimus ſatis eſſe, ſi altera pars ſit vera: & cùm non eſſet locus diſputandi, an poſſint, ſatis illi fuit, quod nolint.

Eodem modo intelligenda ſunt verba San- 2.
cti Auguſtini in libro de Sancta virginitate c. 34. ubi verba illa tractans in 1. Tim. 5. Adoleſcentiores viduas devita: cùm enim luxuriatæ fuerint in Chriſto nubere volunt: [Hæ, ,, inquit, quæ nubere volunt, & ideò non nu- ,, bunt, quia impunè non poſſunt; quæ me- ,, liùs nuberent, quàm urerentur, & cætera.] Nam ſi impunè non poſſunt nubere, non ergò licet poſt votum nubere, & tamen ſi liceret, meliùs nuberent, quàm urerentur, hoc eſt, aut melius fuiſſet antè votum (quomodo etiam loquitur Sanctus Baſilius libro de vera virginitate; præſtare ait virgini, quæ virginitati, quam profitetur, probro futura eſt, nubere) aut poſt votum minùs malum eſſet, quàm uri perpetuò, & contrà votum appetere nuptias, ut loquitur Baſilius, & animam improbis cogitationibus, & corpus laſcivis motibus inquinare.

Univerſè affirmare hoc loco licet, quæcum- 3.
que apud Patres in hæc, aut his ſimilia verba leguntur, aut dici de virginibus antè votum (quod fatemur omnes, & Paulus pronuntiavit 1. Corinth. ſeptimo. Melius eſſe nubere, quàm uri) aut ſi poſt votum, eo, quem diximus, intellectu accipienda eſſe.

Quod autem ad Sacerdotum cœlibatum attinet;

Digitized by Google

attinet; obijciat fortaſſe mihi quiſpiam Sanctum Hieronymum in priore adversùs Jovinianum libro cap. 13. adverſario obijcienti Samuëlem nutritum in tabernaculo duxiſſe uxorem. Reſpondiſſe, hodie quoque plurimi ſacerdotes habent matrimonia; & Apoſtolus Epiſcopum deſcribit unius uxoris virum, habentem filios cum omni caſtitate. Et Sanctus Gregorius libro ſexto in primum Regum capite primo aliquos refert abuſos fuiſſe verbis illis 1. Corinth. 7. Unuſquiſque ſuam uxorem habeat; ut ſine ulla diſcretione perſonarum omnes includerent, & ſacrorum ordinum viros conjugali copula uti poſſe contenderent. Verùm is intelligat id, quod in ſuperioribus dictum eſt; in principio Eccleſiæ propter hominum penuriam neceſſitatis fuiſſe ad Eccleſiæ miniſterium uxoratos accipere homines; ſed maritos eos eſſe deſijſſe, nec rei ulterius uxoriæ vacâſſe. Poſt verò creſcente fidelium numero, nec habuerunt quidem uxores, ut jam Eccleſia, aut virgines clericos accipiat, aut continentes, aut ſi uxores habuerint, mariti eſſe deſiſtant; quemadmodùm in libro adversùs Vigilantium capite primo idem ipſe loquitur.

CAPUT XXVIII.

Quomodo Apoſtolus Epiſcopum dixerit unius uxoris virum.

SUPERSUNT illa Apoſtoli verba 1. Tim. 3. Oportet Epiſcopum eſſe unius uxoris virum; quæ verba dixerunt ex adverſarijs noſtris aliqui continêre præceptum, quo Sacerdotes, & Epiſcopi cogantur nubere, carniſque tribulationem ſentire, qui ad ſerviendum ſpiritui vocati ſunt. Inter quos & illi fuêre veteres, quos non ordinâſſe diaconos, niſi prius uxores ducerent, Sanctus Hieronymus memorat in libro adversùs Vigilantium capite primo, alij conſilium eſſe voluerunt; ut dum gubernat uxorem, exerceat ſeſe ad gubernandam Eccleſiam; ſicut & Plato voluit Reges eſſe paſtores, & milites venatores, ut illi regere populos, & hi expugnare hoſtes diſcerent. Qua de re Philo in libro de Joſeph, & libro primo de vita Moyſis.

At Apoſtolos Chriſtus, & Timotheum Paulus ſine uxore ordinârunt. Nam de ſolo Petro certum eſſe eum habuiſſe uxorem, ſcribit Hier. libro 1. contrà Jovin. cap. 14. quam tamen & ipſe vocatus reliquit. Neque ſolùm Epiſcopos, ſed & omnes Sacerdotes voluit in priore ad Cor. 7. abſque uxoris ſolicitudine eſſe; & omnibus, qui ſine uxore eſſent, conſuluit eam non quærere: Solutus, inquit, es ab uxore, noli quærere uxorem. Monſtrum planè judicâſſet Epiſcopum uxori alligatum cernere.

Alij ergò interpretati ſunt, Epiſcopum debêre eſſe unius uxoris virum, hoc eſt, non adulterum, ſed ſua uxore contentum. At non conſuevit Paulus adulteros ita compellare; ſed ubique adulteros nominat, fornicatores, molles, maſculorum concubitores. Quid ni ergò hìc quoque nominâſſet? Immò & in epiſtola ad Titum capite primo de Presbyteris eodem modo loquitur; Si quis, inquit, ſine crimine eſt, unius uxoris vir; Horum alterum & adulterium, & omnia ſcelera comprehendit, alterum aliquid aliud ſignificat. Quin etiam de viduis in Eccleſia ordinandis eodem modo loquitur 1. Tim. 5. Vidua eligatur, quæ fuerit unius viri uxor. Ut manifeſtum ſit, his verbis non damnari peccatum aliquod, aut crimen vitæ; ſed aliquid, quod ordinationi adferat impedimentum, indicari. Quis quæſo dubitâſſet unquam, eligendum Epiſcopum non debêre eſſe peſſimum, & notæ turpitudinis hominem, adulterum, homicidam, latronem, & alijs ſimilibus notatum vitijs? ſi irreprehenſibilem quærit, ſi pudicum, ſi caſtum; admitteturnè adulter? & unius uxoris virum, & unius viri uxorem dicit, hoc eſt, qui unico matrimonio caſtitatem ſuam teſtati fuerint, neque ſecundo incontinentiam oſtenderint.

Sanctus Chryſ. illa exponens verba homiliâ decimâ, duo habet, quæ magnopere velim adverſarios noſtros conſiderare. Alterum; non id dixiſſe Paulum ſanciendo; quaſi non liceat abſque uxore Epiſcopum fieri. Alterum; cum Judæis licitum eſſet, & ſecundo matrimonio jungi, & duas ſimul habêre uxores; hunc eum conſtituiſſe modum, ut is ad Epiſcopatum aſſumatur, qui fuerit unius uxoris vir. Qui fuerit, inquam, non qui ſit; hoc eſt, qui uxorem quidem habuerit, ſed non habeat.

Sunt, qui unius uxoris virum accipiant eum, qui non duas ſimul, ut olim Judæi, ſed unam tantùm habeat. Meminit hujus ſententiæ Chryſ. & poſt eum Theophilactus, ſed & Hieronymus in epiſt. 83. ad Oceanum cap. 2. At hi oſtendere priùs debuiſſent, Judæos temporibus Pauli plures habuiſſe uxores; aut apud Chriſtianos hoc aliquando factum, ut propterea opus fuiſſet monêre, nè Epiſcopus talis crearetur. Potuiſſentque conſiderare eadem verba de viduis quoque ordinandis dicta fuiſſe; neque has intelligi poſſe unius viri uxores dici, quæ duos ſimul viros non habuerint; quando enim id auditum fuit?

Sanctus Hieronymus in eadem epiſtola, aliam quoque commemorat quorundam interpretationem, qui Epiſcopi uxorem intelligentes Eccleſiam, Apoſtolum voluiſſe dixerunt eſſe unius uxoris virum, hoc eſt, unius Eccleſiæ, neque de una ad pinguiorem aliam tranſire.

Interpre-

Digitized by Google

Interpretatio allegorica ſanè, & moralis; at ſi litteræ ſenſum quæras, minimè accommodata: Dum Apoſtolus non de jam ordinato, ſed de ordinando agit, traditque qualis eligendus, atque ad Epiſcopatum ſit promovendus.

Bigamia irregularitas. Ergò Catholicorum omnium ſtet ſententia, qui Epiſcopum debêre eſſe unius uxoris virum, temporibus omnibus interpretati ſunt debêre eſſe monogamum. Quod in Eccleſia ſemper ſervatum eſt, ut bigami numquam ad ſacros ordines promoverentur, & velut irregulares haberentur. Extat Canon 17. Apoſtolorum, quem in epiſtola ad Amphilochium citat Sanctus Baſilius can. 11. & in libro de monogamia confirmat Tertullianus, & in libro de exhortatione caſtitatis c. 7. [Apud nos, „ inquit, pleniùs præſcribitur, unius matri- „ monij eſſe oportêre, quos eligi liceat in or- „ dinem ſacerdotalem. Uſquè adeò memini „ quoſdam bigamos loco dejectos.] Et iterùm. „ [Presbyter eſſe non alius poteſt, quàm lai- „ cus, qui ſemel fuerit maritatus.] Et Origenes homiliâ decimâ ſeptimâ in Lucam, bigamum, ait, non poſſe Epiſcopum eſſe, nec presbyterum, nec diaconum, nec viduam; ſed omninò de cœtu primitivorum, immaculatorumque Eccleſiæ, quæ non habet maculam, neque rugam eijci bigamum; non quò in æternum mittatur incendium, ſed quò non habeat partem in regno Dei, hoc eſt in Eccleſia. Monogamum enim putat, & virginem, & eum, qui in caſtimonia perſeverat, eſſe de Eccleſia Dei; bigamum autem, etſi virtutibus polleat, non eſſe de Eccleſia, aut de numero eorum, qui non habent rugam, aut maculam; ſed eſſe de ſecundo gradu eorum, qui invocant nomen Domini, & ſalvantur quidem, nequaquam tamen coronantur ab eo. Sanctus Epiphanius quoque hær. 59. [Non „ ſuſcipit ſancta Dei prædicatio poſt Chriſti „ adventum eos, qui à nuptijs mortua ipſo- „ rum uxore ſecundis nuptijs conjuncti ſunt; „ propter excellentem Sacerdotij honorem, „ & dignitatem.] Et in epitome: [Eum qui „ ſecundas nuptias contraxit, non licet ad Sa- „ cerdotium ſuſcipere.]

Immò verò non defuerunt, qui dicerent, ita Epiſcopum debêre eſſe unius uxoris virum, ut non ſolùm unam habuerit antè Epiſcopatum, ſed etiam ut poſtquam factus eſt Epiſcopus, ab illa abſtineat. Quod ego non video quemadmodùm ex Apoſtoli illo colligatur; Epiſcopus ſit unius uxoris vir; quo ſolùm prohibetur, nè ſit bigamus. Factum tamen fateor, & contendo in Eccleſia; ut anteà dictum eſt, & Epiphanij verba confirmant c. 24. recitata; & illa Hieronymi adverſùs Vigilantium c. 1. Eccleſia aut virgines Clericos accipit, aut continentes, aut ſi uxores habuerint, mariti eſſe deſiſtunt. Cùm autem clericos dicit, perindè eſſe ſignificat, ſive de eligendo Epiſcopo agatur, ſive de Presbytero, ſive de alio inferioris ordinis. Ergò libertatis quidem fuerit eligere, ſive unam, ſive nullam uxorem habuerit. Non enim voluit Paulus cogere, ut uxorem habuerit, ſed prohibêre, nè plures: neceſſitatis tamen & præceptis, ut ſi habuerit, non niſi unam habuerit.

DE OBEDIENTIA.

LIBER XLVII.

SAnè in omnibus rebus à Deo conditis obedientiæ veſtigium aliquod apparet, dum illi obediunt univerſa, & id præſtant, propter quod fuerunt condita, ut in elucidario Sanctus adnotavit Anſelmus. At nunc de hominis obedientia nobis eſt ſermo, in quo etſi libertas vigeat, alterius tamen imperio ſubijcitur, illiuſque ductum ſectatur.

CAPUT I.

Obedientia quotuplex, & quàm bona.

HAnc verò triplicem fecit Sanctus Baſilius in libro de Spiritu Sancto ad Amphilochium cap. 20. [Nullus, inquit, eſt na- „ turâ ſervus, ſed aut viribus ab alio preſſus, ut „ in bello captus; aut ob paupertatem in ſervi- „ tutem redactus, ut Ægyptij Pharaoni; aut „ quod Sapientia deſtitueretur, alteri ſubje- „ ctus eſt, quod beneficij loco æſtimandum eſt.

Obedientiæ bonum.

„ Nam qui ob ſenſûs inopiam non habet in ſe „ id, quod natura imperat, huic expedit in al-„ terius eſſe poteſtate, ſicut currus aurigæ, „ & navis gubernatori. Ita Jacob Eſau Do-„ minus factus eſt benedictione Patris, & „ Chanaâm ſervus fratribus ſuis, quòd indo-„ cilis eſſet ad virtutem, quia imprudentem „ habebat Patrem Cham.] Et quamvis nulla harum obedientia ſpeciem virtutis habeat, quòd voluntaria non ſit, & libertatis, ſed coacta: in hac tamen poſtrema veteres Patres video, non pœnam, ſed magnum ſemper beneficium agnoviſſe, ut & agnovit Baſilius; dum is, qui ſeipſum benè, ac ſapienter gubernare non poteſt, ſapientiori alteri traditur gubernandus. Ita ſenſiſſe Origenem quoque reperies homiliâ tertiâ in Joſue, & Philonem Judæum quæſtione 74. in Geneſim; quo loco audiens Iſaäc dicentem Jacob filio ſuo, eſto dominus fratris tui; [Utile, inquit, non arbi-„ tratur inſipienti libertatem deſtinare; quam „ judicat dominum ſtudioſum, & prudentem „ virum, qui eum tanquam medicus bonus, „ ut his arceat infirmitates, curando reficiat.] Addit in anima quoque imperare debêre, & dominari rationalem partem, ſubeſſe irrationalem. Sic enim meliorem ſtatum obtinebit. Animam verò ſine rectore pejorem eſſe, quàm navim ſine gubernatore, currum ſine auriga, exercitum ſine duce, civitatem ſine magiſtratu.

S. quoq; Chryſ. h. 17. in Gen. de Eva ſubjecta viro, & h. 29. de Chanaâm facto fratrum ſuorum ſervo ita loquitur; [Abuſus es „ honore, cùm par eſſes dignitate; propterea „ ſubjectione emendari te volo, hoc ab initio „ & mulieri contigit. Quoniam enim par erat „ viro, dignitate, & honore abuſa eſt; ablata „ eſt ab illa poteſtas, & dictum eſt ad illam; „ Ad virum tuum converſio tua, & ipſe do-„ minabitur tui.] Et Sanctus Ambroſius in libro de Paradiſo cap. 14. [Miſericordia Dei „ fuit, ut Eva poſt peccatum ſub viri poteſtate „ poneretur; nè facilè erraret, & ſub fortiore „ vaſe locata, non traduceret virum, ſed ma-„ gis viri conſilio & ipſa regeretur.] Hæc igitur ſervitus donum Dei eſt.

Sed & optimè adnotavit hanc ſervitutem fuiſſe datam Eſau à Patre velut ſingularem benedictionem. Cùm enim is vehementiùs urgeret; Num unam tantùm benedictionem habes pater? ſubjunxit ille; Vives in gladio, & fratri tuo ſervies.

Hinc & illud eſt ejuſdem Sancti Patris in libro ſecundo de Abel, & Cain c. 9. [Grave eſt, „ præſertim inſipientibus, non habêre recto-„ rem. Serpit malitia, vulnus augetur, ubi me-„ dicina defuerit.] Et rurſùm in Com. ad Pſal. 104. [Iſaäc pater pius duobus filijs ſuis divi-„ ſit; alteri gratiam, alteri miſericordiam; ſa-„ pienti gratiam, inſipienti miſericordiam; „ quia ad virtutem proprijs viribus erigere ſe „ non poterat, nec ſpontaneum greſſum attol-„ lere; benedixit eum, ut ſerviret fratri ſuo: „ oſtendens ita inſipientiæ remedium eſſe ſer-„ vitutem; quia ſtultus regere ſe non poteſt, „ & niſi moderatorem habeat, præcipitatur „ proprijs voluntatibus. Diligens ergò pater, „ & conſulens, ſervum eum fratris ſui fecit, ut „ ejus regeretur conſilio. Ideò inconſultis po-„ pulis ſapientes quique adhibentur rectores, „ qui plebeiam inſipientiam vigore proprio re-„ gant, quo vel invitos auctoritate poteſtatis „ ſubjiciant ad obediendum prudentioribus, & „ obſequendum legibus.] Quam eandem ſententiam totidem verbis repetit in epiſtola 7. ad Simplicianum, quæ eſt 1. lib. 2. & item epiſt. 2. ad Horontianum, quæ eſt 3. libri 5. [Con-„ tulit Iſaäc benedictionem Jacob, ſed ſerva-„ vit & Eſau benedictionem, ut eum ſervum „ faceret fratris ſui; quia is, qui regere ſe non „ poteſt, & gubernare, ſervire debet, & ſub-„ ditus eſſe prudentiori, ut ejùs regatur con-„ ſilio, nè ſuâ ſtultitiâ præcipitetur, & laba-„ tur temeritate.] Denique Sanctus Auguſtinus in libro de utilitate credendi cap. 12. generalem pronuntiat ſententiam: [Si omnibus „ hominibus non peccare, quàm peccare, me-„ lius eſt; meliùs profectò ſtulti omnes vive-„ rent, ſi ſervi poſſent eſſe ſapientium.]

Itaque quod bovem, & aſinum jungere prohibuit olim Deus; ita is interpretatur in libro ſexto contrà Fauſtum, ſapientem, & ſtultum jungendos non eſſe cum æquali poteſtate; ſed ita ut unus præcipiat, & alter obtemperet. In libro autem octavo de Gen. ad litteram c. 11. Deum obſervat in eo libro non dici Dominum Deum, ſed tantùm Deum, uſquè ad illum locum, in quo homo ponitur in Paradiſo, ut cuſtodiat eum Deus: non quòd ſupradictarum creaturarum non ſit Dominus: ſed ut admoneretur homo, quantum ei expediat habêre Dominum Deum, & ſub ejus dominatione obedienter vivere, quàm licentiosè abuti propria poteſtate.

Obedientia voluntaria.

Cæterùm ſi tantum bonum eſt ſervilis, & coacta obedientia, quantum demùm eſt illa, quæ ſpontanea eſt, & liberæ voluntatis? quâ quis conſilia Chriſti ſecutus propriam abnegat voluntatem, ſeque totum alteri, quem Dei loco agnoſcit, gubernandum, ac regendum tradit: ita ut nihil niſi ex illius præſcripto, ac nutu agere velit? Hanc verè Sanctus Baſilius in conſtit. monaſt. c. 20. totius religioſæ vitæ caput eſſe; & Caſſianus libro de inſtitutis renuntiantium c. 30. inter virtutes cæteras tenêre primatum aſſerunt. Et Sanctus Ambroſius libro de Abraham cap. 2. primam virtutem, & cæterarum fundamentum nominat. Et Sanctus Auguſt. lib. 1. contrà adverſarium legis, & prophe-

prophetarum cap. 14. omnium originem, matremque virtutum; nec ſolùm in libro de bono conjugali cap. 23. obedientiam dixit meliorem, quàm caſtitatem: & libro de ſancta virginitate cap. 44. obedientem mulierem inobedienti virgini præferendam eſſe: ſed etiam in ſermone de obedientia, & humilitate tom. 9. Unam obedientiam affirmavit plus valêre, quàm omnes virtutes. Et ſermone ſeptimo ad fratres in eremo, obedientiam maximè placare Deum de peccatis commiſſis. Tantò enim citiùs placat homo Deum, quantò repreſſâ arbitrij ſui ſuperbiâ gladio præcepti ſe immolat. Et Sanctus Gregorius lib. 35. moral. cap. 10. ſolam virtutem prædicat, quæ virtutes cæteràs menti inſerit, inſertaſque cuſtodit. Quæ victimis jure præponitur: quia per victimas aliena caro, per obedientiam verò propria voluntas mactatur. Quæ Auguſtini quoque ratio fuit in ſermone ſeptimo ad fratres in eremo. Sicut, & illud, quod ſubjungit Greg. [Ideo-„ que tantò quiſque Deum citiùs placat, quan-„ tò antè ejus oculos repreſſâ arbitrij ſui ſu-„ perbiâ, gladio præcepti ſe immolat;] Ab Auguſtino quoque in eodem ſermone ſeptimo pronuntiatum fuit. [Nec enim (ut idèm Gre-„ gorius loquitur libro 2. in primum Regum „ cap. 4.) magna lucra jejunij, nec aſperæ vi-„ tæ ſtudia, devotis Chriſti militibus in majo-„ rum præcepto valdè penſanda ſunt: Majoris „ enim eſt menti charitatis injuncta refectio „ jejunio propria deliberatione ſuſcepto.]

Itaque jure optimo S. Auguſtinus com. in Pſal. 99. dum exponit illa verba; Servite Domino in lætitia, ſuis Monachis, & verò religioſis omnibus gratulatur his verbis: [Magna „ fœlicitas eſt, fratres, eſſe in iſta domo ma-„ gna ſervum, etſi cum compedibus. Noli ti-„ mêre ſerve, compedite, confitêre Domi-„ no. Meritis tuis attribue compedes tuos: „ confitêre in compedibus tuis, ſi vis, ut in „ ornamenta vertantur. Non fruſtrà, nec ſine „ exauditione dictum eſt; Intret in conſpectu „ tuo gemitus compeditorum; libera ſervitus „ eſt apud Dominum; libera ſervitus, ubi non „ neceſſitas, ſed claritas ſervit. Vos, inquit, „ in libertatem vocati eſtis fratres; tantùm nè „ libertatem in occaſionem carnis detis, ſed „ per charitatem ſpiritûs ſervite invicem. Ser-„ vum te charitas faciat, quia liberum te ve-„ ritas fecit. Noli ſervire cum murmure; non „ enim id agunt murmura tua, ut non ſervias, „ ſed ut malus ſervus ſervias. Servus es Do-„ mini, libertus es Domini, non ſic te quæras „ manumitti, ut recedas de domo manumiſſ-„ ſoris tuî.]

CAPUT II.

In quibus verſetur obedientia, & cur arbor Adamo prohibita.

TRIA porrò ſunt rerum, ſeu actionum genera. In quibuſdam notum eſt nobis, & certum, quid Deus nos velit agere: ut in ijs, quæ illius præceptis tum affirmantibus, tum negantibus, continentur. In alijs præceptum non habemus, ſed conſilium: quæ item grata illi ſunt, & placita. In cæteris autem pleriſque, quæ indifferentia ſunt, ancipites ſumus, ac de divina voluntate incerti, ac dubij. In his confugere oportet ad eum, qui nos velut Dei vicarius regit; atque id, quod ille reſponderit, divinam eſſe voluntatem exiſtimandum eſt. In primo rerum genere. obedientia ſanè divina eſt, ſed neceſſaria: quia ita Deo immediatè obedimus, ut aliter abſque ſalutis noſtræ diſpendio agere nobis non liceat. *Obedientiæ objectum.*

Conſilia verò divinam quidem obedientiam habent; ſed liberam, non coactam: quoniam ad illa nos Deus non cogit, ſed invitat. Supereſt tertium indifferentium genus; quod liberam, & humanam obedientiam continet; dum non Deo immediatè, ſed homini, qui nos Dei loco dirigit, propter Deum obtemperamus. Ita ferè Sanctus Bernardus tradidit in ſermone de virtute obedientiæ; tametſi ille primum genus in duo partitus eſt, & ſecundum omninò prætermiſit. [Quædam, inquit, ſunt „ per ſe bona, quædam per ſe mala, alia me-„ dia. In duobus primis obedire oportet Deo, „ neque obedientia hominis eſt temperanda „ arbitrio. In tertio ſubditi eſſe debemus ad „ nutum Præpoſitorum.] S. quidem certè Dionyſius Areopag. & Sanctus Ignatius Martyr in veteri Eccleſia ſic ab omnibus Chriſtianis factitatum teſtantur. Nam Dion. in libro de Eccleſiaſtica Hierarchia c. 2. ad hunc modum ſcriptum reliquit: [Qui eorum quæ cœ-„ leſtia ſunt, particeps fieri cupit, rectâ Pon-„ tificem adit, ſeque omninò ſecuturum ea, „ quæ tradentur pollicetur.] Et Ignatius in epiſtola ad Trallianos; [Qui his non obedit, „ Atheus prorsùs, & impius eſt, & Chriſtum „ contemnit.] Et in epiſtola ad Magneſianos, docet nos obedire Epiſcopo, & in nullo illi refragari. Terribile namque eſt tali contradicere; nam ſi id fit, non ad hominem, ſed ad Deum redit contumelia: & adfert ex Scriptura; Qui vos audit, me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit: & illud; Quid me vocatis, Domine, Domine; & non facitis, quæ dico? Itaque quod dicit Superior, dicit Chriſtus; & qui Superiori obedit, vel eum contemnit, obedit Chriſto, vel eum contemnit.

Digitized by Google

In primo libro Regum capite tertio, Samuël dicitur miniſtrâſſe Domino, non abſolutè, ſed coram Heli. [Ille namque (ait Sanctus Gregorius lib. 2. in primum Regum cap. 3.) ante præceptoris ſui faciem Domino miniſtrat, qui in exhibitione miniſterij ſui, proprij arbitrij rationem non ſequitur; ſed eo operis ſui itinere graditur, quod ei magiſtri cognitione prævidetur. Filij autem Heli filij Belial dicuntur; quia ſpirituali Patri ad eruditionem non ſubijciebantur.]

Gen. 25. Rebeccam legimus, cùm duos parvulos in utero ſuo collidentes ſentiret, perrexiſſe, ut conſuleret Dominum, quidnam hoc eſſet. [Cucurrit, inquit S. Chryſ. hom. 50. in Gen. ad veram ſcientiam, & feſtinavit ad Sacerdotem Dei miniſtrum, per quem latentium ſcientiam volebat diſcere, & enarrans omnia, quæ ſibi contigerant, didicit diligenter omnia: miſericorde Deo per Sacerdotis linguam detegente ei omnia manifeſtè.] Ita & nobis evenit, cùm in noſtris actionibus pergimus, ut Superiorem noſtrum conſulamus.

Poſtremò Sanctus Baſilius ad caput 9. Iſaiæ, cùm apud Prophetam legiſſet; Populus, qui ſedebat in tenebris; & apud Matthæum c. 4. Populus, qui ambulabat in tenebris; nihil intereſſe dixit; quia perindè eſt ambulare in tenebris, & ſedêre; quoniam ambo propoſito ſibi fine privantur; alter dum non movetur loco; alter, dum errans temerè ambulat, Superioris ſcilicet ductum non ſequens.

Sed omninò totum hunc locum egregiè tractat S. Bernardus in ſermone. Quomodo voluntas noſtra divinæ voluntati ſubijci debeat: ad hunc enim modum loquitur: [Ita ſubijci voluntas noſtra debet voluntati divinæ, ut quod certum eſt eum velle, id nos velimus omninò, & quod certum eſt nolle, ſimiliter execremur & nos: quod autem incertum eſt, utrùm velit, an nolit, neque velimus ex toto, neque penitùs non velimus. In hoc medio totum periculum eſt religioſorum, dum blandimur nobis, & noſtram quærimus facere voluntatem. Quis enim eſt tam infœlix Monachus, qui id nolle audeat, quod certus eſt Deum velle, aut quod certus eſt eum nolle, id velle præſumat? Sed in medio periculum eſt his, qui jam egreſſi de ſæculo habitant in Paradiſo voluptatis; ſicut in medio Paradiſi lignum transgreſſionis poſitum erat, in quo prævaricati ſunt parentes primi, lignum ſcientiæ boni, & mali; non tantùm boni, vel mali ſolius; ſed boni, & mali.]

Arbor ſcientiæ cur prohibita. Porrò hanc arborem, alioqui homini non damnoſam, propterea fuiſſe homini prohibitam, ut obedientiam diſceremus, pluribus in locis ratiocinatur S. Auguſtinus, nam in libro 8. de Gen. ad litteram cap. 6. ſic habet: [Non fuit arbor illa cibo noxia; ſed malum fuit homini tranſgreſſio præcepti; oportebat autem, ut homo ſub Domino Deo poſitus, alicundè prohiberetur, ut ei promerendi Dominum ſuum virtus eſſet obedientia, quam poſſum dicere ſolam eſſe virtutem omni creaturæ rationali agenti ſub Dei poteſtate. Primumque, & maximum vitium tumoris, ad ruinam ſua poteſtate velle uti, cujus vitij nomen eſt inobedientia.] Et rursùm c. 13. [Arbor prohibita non erat homini damnoſa: quare ergò prohibita eſt, niſi quia non potuit melius commendari, quantum malum ſit ſola inobedientia? cùm ideò reus iniquitatis factus eſt homo, qui eam rem tetigit contrà prohibitionem, quam ſi non prohibitus tetigiſſet, non utiquè peccâſſet.] Et lib. 14. de civit. Dei c. 12. [Eſca illa non fuit mala, nec noxia, niſi quia prohibita; ſed obedientia commendata eſt in præcepto: quæ virtus in creatura rationali mater quodammodò eſt omnium, cuſtoſque virtutum: quandoquidem ſic facta eſt, ut ei ſubditam eſſe ſit utile; pernicioſum autem ſuam, non ejus, à quo creata eſt, facere voluntatem.] Et libro de natura boni c. 35. [In Paradiſo omnis arbor erat bona, nulla mala. Unam ergò Deus prohibuit, non quia mala, ſed ut oſtenderet, animam rationalem non in ſua poteſtate, ſed Deo ſubjectam eſſe debêre, & ordinem ſuæ ſalutis per obedientiam cuſtodire, per inobedientiam corrumpere. Hinc & arborem illam appellavit dignoſcentiæ boni, & mali.] Quod etiam totidem verbis repetit libro 1. contrà adverſarium legis, & Prophetarum c. 14. Sed rursùm lib. 2. de peccatorum meritis, & remiſſione cap. 21. [Arbor, inquit, vetita non erat mala; vetita tamen, ut oſtenderetur homini, quàm utilis illi eſſet obedientia ſub tali Domino, quantumque eſſet ſolius obedientiæ bonum, non propter aliud commodum, vel damnum. Ideò prohibuit id, quo ſi uteretur non prohibito, nihil mali pateretur.] Et conc. 2. in Pſal. 70. [Arbor ſi non eſſet bona, non eſſet in Paradiſo. Sed ſi eſt bona, quare non tango? quia obedientem te volo, non contradicentem ſervum. Dominus ſum, & ſervus es, quid autem tibi expedit, niſi eſſe ſub Domino, & ſub præcepto? Non potuit Deus perfectiùs demonſtrare, quantum ſit bonum obedientiæ, niſi cùm prohibuit ab ea re, quæ non erat mala. Sola ibi obedientia tenet palmam, ſola ibi inobedientia invenit pœnam. Bona eſt arbor, ſed obedientia melior. Ideò arbor vocata eſt ſcientia boni, & mali: quia homo, qui nollet bonum à malo diſcernere per præceptum, diſceturus erat per experimentum, ut tangendo vetitum inveniret ſupplicium:] Et ſermone 34. de verbis Domini; [Bona eſt arbor, ſed nolo tangas, quia

„ quia Dominus ſum, tu ſervus; obedientem „ te volo, non contradicentem.]

Sanctus Gregorius verò lib. 35. moral: cap. 10. ad obedientiæ potiùs meritum refert. Nunquam, inquit, per obedientiam malum fieri; aliquando autem debet per obedientiam bonum, quod agitur, intermitti: [Mala non „ erat arbor in Paradiſo; ſed ut meliùs per ob„ edientiæ meritum homo creſceret, dignum „ erat, ut etiam à bono prohiberetur: ſed unam „ prohibuit, multas conceſſit, nè obedientis „ mens funditùs interiret:]

Utramque & obedientiam, & inobedientiam complexus eſt S. Joan. Damaſcenus lib. 2. de fide c. 11. [In medio, inquit, Paradiſi „ plantavit Deus arborem ſcientiæ boni, & „ mali; ut obedientiæ, & inobedientiæ ho„ minis periculum fieret, eſſetque aliquid, quo „ utraque explorari, atque exercêri poſſet.]

Hæc veluti per digreſſionem de prohibita arbore dicta ſint. Quæ tamen ad obedientiam pertinent, illuſtrantque magnoperè id, quod Sanctus Bernardus dicebat; obedientiam circà indifferentia verſari, quæ ſuâ naturâ nec bona ſunt, nec mala. Subjungit ergò idem autor: [In his rebus, de quibus nihil certi poſ„ ſumus invenire, nihil certum definiat noſtra „ voluntas: pendeat inter utrumque, aut ſal„ tem neutri parti nimis inhæreat: cogitans „ ſemper, nè fortè altera pars Deo magis pla„ ceat; & parati ſimus voluntatem ejus ſequi, „ in quamcumque partem eam cognoverimus „ inclinari. Undè enim ſunt ſcandala, undè tur„ batio? niſi quòd propriam ſequimur volun„ tatem? Et, ſi quomodò prohibêri contingat, „ aut impediri, continuò in impatientiam, in „ murmurationem, in ſcandalum proni ſumus: „ Pax multa diligentibus legem tuam, & non „ eſt illis ſcandalum.] Pſ. 88. Domine, in lumine vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt tota die. Ita & nos fratres ambulemus, & exultabimus. [Alius enim, inquit Ber„ nardus in lumine vultus ſui ambulat, ſolicitus „ facere ſuam voluntatem; alius in lumine „ vultus humani, in eo ſemper intentus. Quid „ hominibus placeat, quid mundus judicet: „ Contritio, & infœlicitas in vijs eorum, & „ viam pacis non cognoverunt.]

Voluntas propria.

Pſal. 118.

Sed & in hoc maxima eſt animæ ruina, exemplo ſint primi Parentes noſtri, de quibus S. Auguſt. loco antè citato c. 14. [Fieri non „ poteſt, ut voluntas propria non grandi rui„ næ pondere ſuper hominem cadat; ſi eam vo„ luntati Superioris extollendo præponat. Hoc „ expertus homo contemnens præceptum Dei, „ & hoc experimento didicit, quid intereſt in„ ter bonum, & malum bonum ſcilicet obedi„ entiæ, & malum inobedientiæ.]

Per obedientiam verò ſtatum illum innocentiæ recuperari, obſervat Chryſ. hom. 25. in Gen. [Adam per inobedientiam amiſit impe„ rium, quod habebat in beſtias; ut ſcilicet illi „ obedirent. Noë obediens Deo in fabricati„ one arcæ recuperavit, & ad illum priſtinum „ honorem rediijt: ut in arca verſaretur inter „ beſtias, leones, pardos, &c. quod etiam „ Danieli accidit in medio leonum.]

CAPUT III.

Majoribus ſuis obediendum eſſe.

De Saüle Rege, licèt malo, & reprobo, dixit David in ſpelunca primo Regum 24. Propitius ſit mihi Dominus, nè mittam manum meam in eum, quia Chriſtus Domini eſt. Quæ verba conſiderans Sanctus Chryſ. homiliâ primâ de David, & Saüle, ita loquebatur: [Contemnis conſervum tuum, reve„ rere Dominum; aſpernaris electum, metue „ eum, qui elegit. Etenim ſi vulgares iſtos „ Principes ab Imperatore deſignatos, etiamſi „ ſint improbi, ſi fures, ſi prædones, ſi in„ juſti, ſi denique quodcumque aliud fuerint, „ timemus cum horrore, non propter malitiam „ deſpicientes eos; ſed propter dignitatem il„ lius, à quo electi ſunt, reverentes: multò „ ampliùs id facere convenit in his, quos ele„ git Deus.] [Subijciamur (ait Sanctus Na„ zianzenus oratione ad cives Nazianzenos) „ tum Deo, tum alij alijs; tum ijs, qui impe„ rium in terra gerunt. Deo quidem omnibus „ de cauſis; alij autem alijs propter charitatis „ fœdus: Principibus denique, propter ordi„ nem, publicæque diſciplinæ rationem; idque „ tantò etiam magis, quantò clementioribus, „ moderatioribuſque illis utimur.]

Majores honorandi.

Ab illis verò, qui Chriſti conſilia ſecuti religioſæ vitæ inſtitutum arripuerunt, tantam animi firmitatem requirit Sanctus Baſilius in conſtit. monaſt. c. 20. ut ad mortem uſquè martyrum conſtantiam præſeferant, tum divinis præceptis retinendis, tum obedientia adversùs Magiſtros ſuos conſervanda. Ut enim Deus omnium Pater ſummam à nobis obedientiam requirit. Sic qui ſpiritualis in hominibus eſt pater, cùm præſcripta ſua ad divinarum legum exemplum accommodet, perfectiſſimam ipſe quoque obedientiam requirit. Exemplo utitur eorum, qui artem quampiam addiſcere volunt: [Si enim qui ſe ali„ cui artium mechanicarum dediderit, arti„ fici ſuo quacunque ratione parendum pu„ tat; quantò magis parêre ſuo ſuperiori de„ bet, qui hanc difficillimam omnium, & „ plurimis periculis expoſitam artem perdiſce„ re cupit?]

Obedientia Prælatorum.

Quam ob cauſam in ſermone de abdicatione rerum, eum, qui velit diſcipulus Chriſti fieri, ſtatim jubet aliquem ſibi virum invenire,

Digitized by Google

quem in omnibus delectæ vitæ ducem ſequatur: [Quem ubi inveneris, voluntatem omnem ,, tuam exuito, ac te illi tradas, velut vas, in ,, quod virtutes omnes infundantur, infuſæque ,, conſerventur.] Et in epiſt. ad Canonicam: ,, [Oportet unumquemque nequaquam ſui ju- ,, ris eſſe exiſtimare: ſed perindè ac ſi in ſervi- ,, tutem à Deo fratribus addictus ſit, ita, & ,, ſentire, & facere omnia; unumquemque ,, tamen ſervato ordine ſuo.] Et iterùm; [O- ,, portet unumquemque in eo, in quo voca- ,, tus eſt manêre, neque aſſignatos ſibi fines ,, tranſilire, aut ulteriùs, quàm quantum ſibi ,, præfinitum eſt, progredi, niſi ad quos hæc ,, pertinent, aliter judicaverint.] Et S. Hieronymus in epiſt. ad Oceanum, de vita Clericorum: [Nihil ſtultius, nihil intolerabilius, quàm ,, peregrinos, & advenas præcipere civibus, & ,, in loco non ſolito ſe oſtendere directorem iti- ,, neris, & de ſemitis, ac ſecuritate itineris, ,, & de brevitate tramitis, juxtà voluntatis li- ,, bitum, velle docêre. Monſtraretur quippè ,, portentum navigatoribus, nec unquam ve- ,, niretur ad portum, ſi de directione, & gu- ,, bernatione navigij quicumque navigator or- ,, dinaret ad votum.]

Sanctus Nazianzenus quoque in Apologia; Cur in Pontum fugerit, rurſumque Nazianzum redierit, argumentum adfert ex noſtri corporis membris, in quibus cor, & caput veluti præſident, ac totam animalis vitam adminiſtrant, cætera ſubſunt, & propemodùm gubernantur. Atque ut ſine corde, aut capite non conſiſteret vita; ſic prorsùs ſe habet in hac ſpirituali vita. [Et in corpore, inquit ille, ,, aliud membrum principatum tenet, ac ve- ,, lut præſidet, aliud ſubeſt, & ſequitur: Ita ,, Deus, qui meritum cujuſque perpendit, in ,, Eccleſijs conſtituit, ut alij paſcantur, impe- ,, riumque accipiant, ac tum ſermone, tum ,, opere, ad officium dirigantur. Alij paſto- ,, rum, magiſtrorumque munere fungantur, ,, qui nimirùm virtute, neceſſitudineque ad ,, Deum, & familiaritate vulgus antecedunt, ,, rationem animæ ad corpus, aut mentis ad ,, animam ſuſtinentes.]

Itaque aptè Sanctus Chryſ. pronuntiavit homiliâ 34. in epiſtolam ad Hebræos. Non debêre Principem, ſeu Superiorem ſubverſionis eſſe argumentum. Adfertque exemplum chori, exercitûs, & navis, quæ niſi ab aliquo dirigantur, prorsùs pereunt. Philo Judæus in libro, quod deteriùs potiori inſidietur; [Navis ,, ſine gubernatore, quadrigæ ſine auriga, ci- ,, vitas ſine magiſtratu, & legibus pereunt.] Apud Sanctum Dorotheum extat ſermo 5. de hac re totus, ubi inter cætera; Nihil ait eſſe miſerabilius, nihil quod facilius decipi, & expugnari queat his, qui nullum habent ducem, nullumque in via Dei moderatorem, & inſtitutorem quærunt. Moxque adducens illud; Ij, quibus non eſt gubernatio, decidunt ut folia; [Folium, inquit, in principio ſem- ,, per eſt viride, floridum, jucundum, & ,, delectabile, pòſt verò paulatim languet, & ,, areſcit, ac mox decidit, indè contemnitur, ,, & conculcatur. Ita homo, qui à nemine ,, gubernatur, & regitur, principiò fervorem ,, habet; deindè fervore illo ſenſim extincto, ,, ſi nullum habeat, qui fervorem excitet, & ,, foveat, ceu areſactus, & ſiccatus cadit in ,, multos errores, & peccata, fitque captivus ,, hoſtium ſuorum, ſuſque, decuſque raptatur, ,, & ludibrio exponitur.] Denique Abbatis Paſtoris addit ſententiam veriſſimam: Voluntas propria murus ferreus, qui hominem à Deo ſeparat. Item Petra repercutiens, hoc eſt, divinæ voluntati repugnans. *Voluntas propria.*

Sed quid iniquius, ait S. Auguſtinus in libro de opere Monachorum c. 31. quàm velle ſibi obtemperari à minoribus, & nolle obtemperare majoribus? Hoc modo ipſe idem in ſermone 61. ad Fratres in eremo interpretatur illud; Tollite jugum meum ſuper vos: [Quid ,, enim eſt jugum Dei ſuper ſe tollere, niſi ,, ſanctæ obedientiæ præcepto ſeipſum propter ,, Deum ſubijcere?]

Optimum igitur fuit Sancti Hieronymi conſilium in epiſtola ad Demetriadem, de ſervanda virginitate cap. 10. [Bonum eſt obedire ma- ,, joribus, parêre præfectis, & poſt regulas ,, ſcripturarum, vitæ ſuæ tramitem ab alijs ,, diſcere, nec præceptore uti peſſimo, præ- ,, ſumptione ſua.] Quod conſilium eò magis opportunum videtur, quòd eo loco affertur, ubi de ſervanda virginitate tractatur. Namque ad hoc ipſum non parum obedientiam conferre, virtutum magiſtri crediderunt. Inter quos Sanctus Bernardus ſermone 1. in feſto omnium Sanctorum, ita interpretatur illud; Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram: [Hanc ,, ego, inquit, terram corpus noſtrum intelli- ,, go: quod ſi poſſidêre vult anima, ſi regnare ,, deſiderat ſuper membra ſua, neceſſe eſt, ut ,, ſit ipſa mitis, & Superiori ſuo ſubjecta: quo- ,, niam tale inveniet inferius ſuum, qualem ſe ,, exhibuerit ſuperiori. Armatur enim creatu- ,, ra ad ulciſcendam ſui injuriam Creatoris. Et ,, ideò noverit anima, quæ rebellem ſibi in- ,, venit carnem ſuam, ſe quoque minùs, quàm ,, oporteat, ſuperioribus poteſtatibus eſſe ſub- ,, jectam. Manſueſcat ipſa, & humilietur ſub ,, potenti manu Dei; ſubjecta ſit Deo, & his ,, pariter, quibus vice ejus habet obedire Præ- ,, latis, & continuò corpus ſuum inveniet obe- ,, diens, & ſubjectum.] *Obedientia, & caſtitas.*

Sed ad Hieronymum revertamur. Is obedientiæ maximum commendans bonum, ità ſcribit in comment. ad Sophoniam Prophetam cap. 2. [Multò melius eſt ſtulto ſervire ſapienti,

„ ti, & fatuitatem ejus Domini ſapientiâ cor-
„ rigi, quàm ſuæ eum ſtultitiæ derelinqui.] Multa de hoc in principio diximus; Et nunc adſtipulatur S. Ber. ep. 87. ad Ogerium Canonicum regularem: [Qui ſe ſibi magiſtrum
„ conſtituit, ſtulto ſe diſcipulum ſubdit; Ego
„ & faciliùs imperare, & ſecuriùs poſſum præ-
„ eſſe alijs multis, quàm ſoli mihi.] Quocircà in regula Monachorum ita præcipit idem ipſe S. Hieronymus: [Præpoſitum Monaſterij ti-
„ meas, ut Dominum, diligas ut parentem,
„ credas tibi ſalutare, quidquid ille præceperit:
„ nec de majoris ſententia judices, cujus offi-
„ cij eſt obedire, & implêre, quæ juſſa ſunt,
„ dicente Moyſe; Audi Iſraël, & tace. Neque
„ ipſe te doceas. Nulla res abſque magiſtro diſ-
„ citur. Etiam muta animalia, & ferarum gre-
„ ges ductores ſequuntur ſuos, in apibus Prin-
„ cipes ſunt; Grues quoque unam ſequuntur
„ ordine litterato. Imperator unus. Judex unus
„ Provinciæ. In navi unus gubernator. In do-
„ mo unus Dominus. In quamvis grandi ex-
„ ercitu unius ſignum expectatur.]

Et Joannes Caſſianus in libro de habitu Monachorum capite duodecimo, in hac virtute viſus eſt totum ſpiritualem profectum agnoſcere. Sic enim locutus eſt: [Tantò ferventior
„ circà ſpiritualem profectum, ac divinarum
„ rerum ſcientiam cordis puritate probabitur;
„ quantò fuerit ergà obedientiæ ſtudium, ope-
„ riſque devotior.]

Voluntas propria. Durum fortaſſe alteri ſubeſſe videatur; at durior ſervitus nulla quàm propriæ voluntatis.
„ [Miſera ſervitus, ait Sanctus Ambroſius li-
„ bro nono in Lucam capite primo, cui vagum
„ jus eſt; plures dominos habet, qui unum
„ non habet.] Grave etiam quis reputet homini libero habêre legiſlatorem ſuper ſe, & illud: Impoſuiſti homines ſuper capita noſtra. At grave non videbitur illi; qui Superiorem reputet velut pædagogum, aut conſpicuum Angelum à Deo nobis conſtitutum, qui nos ad bonum dirigat, atque à malo revocet, ad æternam patriam ducat, ſempiterna ſupplicia removeat. Dixit quidem Paulus Rom. 13. de Principibus loquens; Dei miniſter eſt vindex in iram ei, qui malum agit. Sed verè etiam Sanctus Ambroſius interpretatur: [Quo-
„ niam enim futurum judicium Deus ſtatuit,
„ & nullum perire vult, hoc in ſæculo rectores
„ ordinavit, ut terrore interpoſito, omnibus ve-
„ lut pædagogi ſint, nè in pœnam incidant fu-
„ turi judicij.] Itaque hoc ipſum ſpectat ad bonum noſtrum; Dei enim miniſter eſt tibi in bonum, inquit Paulus. Quòd ſi gladium portat, & puniendi poteſtatem habet: Vis non timêre poteſtatem? Bonum fac, & habebis laudem ex illa.

Sed & periculi plurimum eſt, ſi abſque magna diſcretione per ſpiritualem viam curras, indiſcretoque fervore, aut furore rapiaris. Multis hoc tractat Abbas Moyſes apud Caſſianum collat 2. [At quia, inquit Sanctus Bern. ſer.
„ 3. de Circumciſione Domini, virtus diſcre-
„ tionis rara eſt avis in terris: Ejus locum in
„ nobis ſuppleat virtus obedientiæ, ut nihil
„ plùs, nihil minùs, nihil aliter, quàm impe-
„ ratum ſit, faciamus.]

Scitum eſt illud: Nemo bonus Judex in propria cauſa. Excæcant enim perturbationes, & quemadmodùm agitatâ aquâ ſolem non repræſentat aſpicientibus, ſic animus perturbatione quapiam hûc, atque illûc incitatus, minùs ſincerè poteſt quid rectum ſit, quidve agere oporteat, judicare. Alius vir prudens & diſcretus, Deique ſpiritu ductus, videbit optimè.

Jam anteà dictum eſt, nihil tam expedire ſtulto, quàm ſervire, aut certè ſubeſſe ſapienti, ex quo ratiocinatur Sanctus Bernardus in tract. de vita ſolitaria ad Fratres de Monte Dei: Itaque ſe homini propter Deum ſubijciens, ipſam ei bonam voluntatem committat formandam in ſenſu, & ſpiritu humili: & per juſtitiam deferat majori, per prudentiam non credat ſe ſibi, per temperantiam refugiat diſcernere, per fortitudinem totum ſe obedientiæ ſubijciat, non diſcernendæ, ſed adimplendæ. Hæc enim uxor eſt, cui præcipitur; Et ad virum converſio tua, Gen. 3. id eſt, obedientia perfecta. Et rursùm multò pòſt; [Bona
„ cuſtos voluntatis eſt obedientia; ſive impe-
„ rij illa ſit, ſive conſilij, ſive ſubjectionis, ſi-
„ ve ſolius charitatis. Puriùs enim, ac dulciùs
„ ſecundùm Apoſtolum Petrum ad pares, ſeu
„ etiam ad minores ſuos filij obedientiæ caſti-
„ ficant corda ſua in obedientia charitatis,
„ quàm ad majores ſubigant per obedientiam
„ neceſſitatis. In illa enim ſola vel præcipit,
„ vel conſulit, & obedit charitas. Hic autem
„ pœnam timet, vel minatur imperioſa neceſ-
„ ſitas.] [Sanè inter ſæculares homines (ut
„ epiſtolâ centeſimâ quinquageſimâ primâ li-
„ bri tertij ad Joannem Priorem, & totam con-
„ gregationem Betenſem ſcribit Sanctus An-
„ ſelmus) eſt contentio de propria ſingulorum
„ voluntate, ut unuſquiſque dicat: Non ſicut
„ tu vis, ſed ſicut ego volo. Contentio verò
„ Monachorum eſt; Non ſecundùm meam
„ voluntatem fiat, ſed ſecundùm tuam.]

CAPUT IV.

Prælatis omnibus obediendum eſſe.

EX his omnibus, quæ hactenùs tradita ſunt, multa facilè intelligentur.

Primùm de obedientia veriſſimè uſurpari poſſe id, quod Joannes Caſſianus ſcriptum reliquit libro 7. de Incarnatione c. 1. verè liberum eſſe eum, qui Deo cæperit eſſe captivus. *Vera libertas.*

Digitized by Google

Omni enim cura, & ſolicitudine liberatur is, qui propria voluntate depoſita, alteri ſe totum regendum tradit.

Prælatus quilibet.

Secundum; cuicumque Superiori obediendum eſſe, ſive is doctus ſit, ſive indoctus, ſive nobilis genere, ſive ignobilis, &c. Eum enim ut Dei Vicarium ſuſcipimus, noſque à Deo per illum credimus gubernari. Ita Sanctus Ignatius ep. 11. ad Epheſios: [Quemcumque, inquit, Paterfamilias mittit ad gubernandam familiam, hunc ita accipere debetis, ut ipſum, qui mittit.] Et S. Baſilius in ſermone de inſtitutionibus Monachorum; „[Sibi perſuaſiſſe fratres reliqui omnes debent, „non fortuitò, neque caſu, ſed Dei voluntate hujuſmodi poteſtatem Antiſtiti ſuo fuiſſe delatam.] Et in regulis brev. 114. cùm hoc ipſum quæſiſſet: An cuivis imperanti obediendum ſit, apertè reſpondet: [Si quod imperatur, cum mandato Domini convenit, „adjuvatque illud, tanquam voluntas Dei ſtudioſiùs à nobis ſuſcipi debet. Quod ſi repugnet, aut vitiet, uſurpandum eſt illud; „Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus.] Et illud Jo. 10. Alienum autem non ſequuntur, ſed fugiunt ab eo, & Gal. 10. Licèt nos aut Angelus de cœlo, &c.

Atque hûc ſpectat illa Pauli admonitio Eph. 5. Nolite fieri imprudentes &c. qui item Rom. 12. rursùm monet: Nolite fieri prudentes apud voſmetipſos. Meritò enim quærit Sanctus Baſilius in regulis brevior. 260. fierine poteſt, ut quis non ſit prudens apud ſeipſum, qui tamen imprudens non ſit. Et reſpondet; cùm dicitur: Nolite fieri imprudentes, addi, ſed intelligentes, quæ ſit voluntas Dei. Et cùm dicitur Prov. 3. Nè ſis prudens apud temetipſum, addi, ſed time Deum. Quare imprudens eſt qui voluntatem Dei non intelligit; prudens verò apud ſeipſum, qui ſuis conſilijs nititur, nec ſecundùm verba Dei ambulat. Qui ergò nec imprudens vult eſſe; nec prudens apud ſeipſum, intelligere debet voluntatem Dei cum fide in ipſum, & imitari illud 2. Cor. 10. Conſilia deſtruentes, & omnem altitudinem extollentem ſe.

Adde & illud Pauli ejuſdem Rom. 13. Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, non eſt enim poteſtas niſi à Deo; quæ autem ſunt, à Deo ordinata ſunt. Itaque qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit: qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt. Nam ut præclarè ponderat Sanctus Baſilius in conſtit. monaſt. cap. 23. [Si poteſtatibus ſæcularibus, quæ ex lege humana „imperandi poteſtatem habent, & ijs, quorum tota vita tunc erat impietas, pietatis „cultores voluit eſſe ſubjectos: quanta obedientia debebitur ei, qui à Deo conſtitutus „eſt præſes, & imperandi poteſtatem à legibus illius accepit?] Undè Hebr. 13. dicitur; Obedite præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis &c. Et Matth. 10. Qui vos recipit, me recipit, & Luc. 10. Qui vos audit, me audit. Addit exemplum Abrahæ, qui juſſus relinquere domum ſuam, patriam, & quidquid habebat, & peregrinari; quin etiam unicum ſuum immolare filium, obedivit ſtatim. Et Chriſti diſcipulos, qui Chriſtum jamjam regnaturum ſperantes, cùm ad illum hac ſpe acceſſiſſent; cùm tamen prædicentem pericula, labores, & mortem audirent, ſubmiſſa mentis cervice acquieverunt.

Hanc obedientiam, inquit Baſilius, is, qui ſecundùm Deum verè eſt monachus, Antiſtiti ſuo præſtet, oportet: [Nihil enim eſt aliud „Antiſtes, quàm is, qui perſonam Chriſti „ſuſtinet, & ſequeſter eſt inter Deum, & homines. Ita Chriſtus Petrum paſtorem Eccleſiæ ſuæ conſtituit, & omnibus paſtoribus, ac „magiſtris eandem tribuit poteſtatem. Sicut „igitur paſtori obtemperant, & viam quamcunque ille vult, ingrediuntur; ſic pietatis „cultores moderatoribus ſuis obſequi debent; „nihil omninò illorum juſſa curioſiùs perſcrutantes (quando libera ſunt à peccato) eaque „ſumma animi alacritate, ſummoque ſtudio „conficere. Ut enim faber, ædificatorque ſingulis artis inſtrumentis pro arbitrio utitur „ſuo; nec ullum unquam inventum eſt inſtrumentum, quod ad quemcunque uſum non ſe „facilè tractandum præbuerit, &c. & ut inſtrumentum non ſibi ipſi deligit, quod facto „opus ſit, &c. Quocircà nullo modo eſt ejus „ſtatutis adverſandum; ſed illud firmiſſimum „tenendum; rem omnium eſſe difficillimam „ſeipſum cognoſcere; & curare, propterea „quòd naturaliter ſeipſum quiſque amat; & „quilibet propterea, quod in ſeipſos propenſi „ſunt, in veritatis ſtudio falluntur.] Hæc Baſilius. Sed & S. Jo. Damaſcenus lib. 2. de fide c. 7. lunam commemorans à ſole mutuantem lumen: Hoc, inquit, ordine voluiſſe Deum concinnitatem rebus conditis imponere, alijs ſcilicet imperantibus, alijs parentibus, neque ſciſcitari nos debere: Cur hic præſit, ego non; ſed omnia, quæ divinitùs contingunt, grato, & æquo animo excipere.

Prælatus malus.

Atenim, inquies, quid ſi malus ſuperior ſit? Reſpondebit tibi S. Jo. Chryſ. h. 34. in epiſtolam ad Hebr. [Quomodo malum dicis? ſi „in cauſa fidei, fuge eum, & evita, etſi Angelus de cœlo deſcenderit. Si in vitæ moribus malignum dicis, noli curioſus eſſe. Dictum eſt enim Matth. 25. Super cathedram „Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi. Omnia „quæcunque dixerint vobis, ſervate, & facite; ſecundùm autem opera illorum nolite facere.] [Attende non ſedentem, inquit S. Bernardus ſer. de Sancto Andrea Apoſtolo, ſed ſedem;

Digitized by Google

„ ſedem; cathedram, non perſonam. Quid „ ſi minùs ſufficiens videtur ejus inſtructio? „ patet ad libertatem via, ut coram alio litterato, atque diſcreto effundas cor tuum, reſervato illi privilegio ſuo, cui tu tuam animam commendâſti.] Denique S. Greg. ſic habet libro 2. in primum Regum c. 4. [Majorum imperia tunc etiam veneranda ſunt, „ cùm ipſi laudabilem non habent vitam: quia „ eorum doctrina, quæ prava operatione poteſt ſuperbis vileſcere, humiles auditores facit ad divinæ familiaritatis celſitudinem pervenire.] Et S. Aug. in libro de conflictu vitiorum, & virtutum cap. 5. [Quales debeant eſſe, qui imperant, non eſt à ſubditis „ diſcutiendum.]

CAPUT V.

Quatenùs obediendum ſit.

TERTIUM, quatenùs obediendum ſit. Obediendum enim eſt in omnibus, quæ Deo non adverſantur, & præceptis illius, ubi Deo contraria non præcipit homo. In his enim Dei voluntas eſſe non poteſt, in cæteris omnibus eſt. Sancti Baſilij in ſerm. de inſtitutionibus Monachorum, hæc fuêre verba: „ [Unus totius illorum diſciplinæ moderator „ ſit: cujus poteſtas ea ſit, ut ejus voluntati nemini liceat adverſari, in his, quæ ad ſuſceptæ „ vitæ honeſtatem, & exactiorem quemdam „ cultum facienda ille ſuadeat.] Et rursùm ſer. 2. de eadem materia: [Vera, perfectaque „ obedientia in eo cernitur, ſi quis ex moderatoris conſilio, non à rebus modò flagitioſis „ abſtineat; ſed ſi nè ea quidem, quæ laudabilia ſunt, ſine ſcientia ipſius faciat; alioqui ſi „ propriæ obſequatur voluntati, plus erit, quod „ faciet mali, quàm quod boni.] Sanctus Bernardus epiſt. 7. ad Adam Monachum; [Prava imperantibus non eſt parendum, præſertim dum Deo, qui omne, quod perperam „ agitur, interdixit, inobedientem te exhibes.] Et iterùm; [Quædam ſunt pura bona, quædam pura mala; & in his nulla debetur hominibus obedientia: quoniam nec „ illa omittenda ſunt, etiam cùm prohibentur; nec iſta, vel cùm jubentur, committenda. Porrò inter hæc ſunt media quædam, „ quæ re, loco, tempore, vel perſona, & mala poſſunt eſſe, & bona. Et in his lex poſita „ eſt obedientiæ, tanquam in ligno ſcientiæ „ boni, & mali, quod erat in medio Paradiſi. „ In his omninò Prælatorum nec juſſio, nec „ prohibitio contemnenda.] Et in tractatu de præcepto, & diſpenſatione. [Quidquid vice Dei præcipit homo, quod non ſit tamen „ certum diſplicêre Deo, haud ſecus omninò „ accipiendum eſt, quàm ſi præcipiat Deus.

Vbi non ſit peccatum.

„ Quid enim intereſt, utrùm per ſe, an per „ ſuos miniſtros, ſive homines, ſive Angelos „ hominibus innoteſcat ſuum placitum Deus?] Et infrà; [Toties Deo inobediens eſſe convincitur, quoties ejus, qui pro Deo ſibi præ„ eſt hominis mandatum, quod quidem juſtitiæ non repugnat, prætergreditur.]

Id verò quomodò obſervari poſſit, & debeat, paucis verbis complectitur in tract. de ordine vitæ, & morum inſtitutione: [Rectores, inquit, Monaſterij, dilige, ut parentes, „ time ut dominos: crede eſſe ſalutare, quod „ injungunt. Sed hæc cuſtodire non poteris, „ niſi te ſtultum facias, ut ſis ſapiens: nihil diſcernens, nihil dijudicans ex his, quæ tibi „ fuerint imperata: ſed cum omni ſimplicitate, ac fide ſemper obedientiam exhibens. Illud tantummodò ſanctum, illud utile, illud „ ſapiens judicans, quod tibi vel lex Dei, vel „ ſenioris examen indixerit.]

De antiquis Monachis teſtatur S. Jo. Damaſcenus in hiſtoria Barlaàm, & Joſaphat, his verbis: [Unius Præfecti, atque Antiſtitis, qui „ omnibus virtute præſtat, imperio ſeipſos ſubdunt, ac voluntatem ſuam obedientiæ mucrone prorsùs truncantes, ſeque velut emptitia mancipia ultrò reputantes, non jam ſibi „ ipſis vivunt, ſed ei, cui ob Chriſti amorem ſe „ ſubmiſerunt: vel ut aptiùs loquar, vivunt „ jam non ſibi ipſis, vivit autem in his Chriſtus, „ quem rebus omnibus abjuratis ſecuti ſunt.]

Hinc etiam eſt illud, quod de obedientia præcipitur, quam parentibus filij, Dominis ſervi, Principibus ſubditi debent. Ad hunc enim modum de filijs tradit S. Cyrillus Hieroſolymitanus catech. 7. [Quando parentes „ nihil nos à pietate impediunt, obedientia illis præſtanda eſt: contrà ſi cœleſti Patri ſentiunt contraria.] Et S. Chryſ. h. 36. in Matth. „ [In omnibus obtemperandum parentibus eſt, „ præterquam in his, quæ pietatis veritatem „ ſpectant. Ita cùm ſanctum ſit omnem honorem parentibus adferre, cùm pluſquàm „ oporteat, quærunt veritati reluctantes, reſiliendum eſt.] Et h. 84. in Jo. [Cùm ſpiritualia impediunt parentes, nè cognoſcendi „ quidem ſunt; cùm nihil impediunt, meritò „ omnia his ſunt tribuenda, & omnibus præferendi; quia genuerunt, quia educârunt, „ quia innumeras pro ipſis moleſtias ſubierunt.] Et rurſum h. 21. in ep. ad Eph. cùm diceret Paulus; Filij obedite parentibus veſtris in Domino; interpretatur, id eſt ſecundùm Dominum: [Quid ergò, addit, ſi abſurda „ præcipiant? Hoc etiam cavit, dicens; In Domino, hoc eſt in illis, in quibus Deum non „ offendes.] Et S. Aug. conſentit; qui conc. 1. in Pſalm. 70. [In ea, inquit, re ſola filius „ non debet obedire patri ſuo; ſi aliquid juſſerit contrà Deum. Neque enim debet iraſci

Obedientia filiorum.

Eph. 6.

ſci

Digitized by Google

,, ſci pater, quando ſic ei præponitur Deus.] Et iterùm in Pſalmum 127. [Defer patri, ,, quia pater eſt; defer Deo, quia Deus eſt. ,, Generavit pater te accommodando carnem ,, ſuam, creavit te Deus adhibendo potentiam ,, ſuam. Nè iraſcatur pater, cùm Deus illi præ- ,, ponitur: immò gaudeat ſibi tantum deferri; ,, ut illi inventus eſſet, qui ei deberet præponi.] Et ſer. 6. de verbis Domini. [Primi tibi ſunt ,, pater, & mater; ſi rectè educantes, & in ,, Chriſtum nutrientes, audiendi in omnibus, ,, obtemperandum eis in omni juſſione, con- ,, trà majorem ſi nihil jubeant.]

Obedientia ſervorum. De ſervis autem cùm dixiſſet Apoſtolus ad Titum 2. Servi ſubditi ſint Dominis ſuis in omnibus. In omnibus; interpretatur S. Hier. quæ non ſunt contraria Deo, & juſta ſunt. Et S. Chryſ. h. 19. in priorem ad Cor. [Cùm ,, dominus, inquit, nihil imperat, quod con- ,, trà divinum ſit præceptum, id exequi opus ,, eſt ſervo, & obedire; præterea minimè.]

Obedientia ſubditorum. Poſtremò de ſubditis, aperta eſt Chriſti ſententia; Reddite, quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo; quæ verba exponens idem S.Chryſ. h.71. in Matth.[Reddite, ,, inquit, quæ ſunt Cæſaris Cæſari, illa ſcilicet ,, ſola, quæ pietati, ac religioni, nihil officiunt. ,, Nam quod fidei, ac virtuti obeſt, non Cæ- ,, ſaris, ſed diaboli tributum, ac vectigal eſt.]

Ad obedientiam adhortatio. Sanè ſi rem ipſam per ſe conſideremus, velle obedire in una re, & non in alia, magnus eſt error; dare Superiori, & Deo unam voluntatis partem, & ſibi alteram reſervare, non eſt hominis perfectionis ſtudioſi. Deus 4. Regum 17. Samaritanos caſtigavit, quia ſimul cum vero Deo idolum quoque ſuum adorare volebant: Unaquæque gens, ait divina Scriptura, fabricata eſt Deum ſuum; & cùm Dominum colerent, Dijs quoque ſuis ſerviebant, juxtà conſuetudinem gentium. Non licet ſimul cum obedientia ſuam propriam colere voluntatem, velut idolum ſuum. Anania, & Saphira Act. 5. pretij partem ad pedes Apoſtolorum ponentes, & partem alteram ſibi reſervantes, ſubitanea morte à Deo mulctati ſunt. Non benè ſtant ſimul Arca Dei, & idolum Dagon. Qui partim obediunt, & partim ſuam faciunt voluntatem, perſimiles ſunt Michæ Judic. 17. qui domi habebat Idolum, & ſimul etiam Sacerdotem Dei; Nunc, inquit, ſcio, quòd benefaciat Dominus mihi, habenti Sacerdotem Levitici generis. Simus oportet in omnibus obedientes. De parentibus Joannis Baptiſtæ dixit Lucas cap. 1. Incedentes erant in omnibus mandatis Dei. Et de ſeipſo David Pſalm. 118. Ad omnia mandata tua dirigebar. Religioſus non perfectè in omnibus obediens quietam non poteſt agere vitam, obediens quietiſſimam; dormit in utramque aurem, degit vitam, quæ in terra eſt, velut Paradiſus; & ut de humili ſolemus dicere, eum facere vitam quietam, & abſque ſolicitudine, vel moleſtia; quia ſi contemnitur, hoc ille deſiderat; ſi ponitur ſub pedibus omnium, hoc ipſe quærit; ità etiam verus obediens &c. Etenim magna quies eſt à Deo gubernari; propterea Deut. 12. promiſit Deus populo Iſraël, tamquam ſingulare beneficium, eos in terra promiſſionis habituros quietem, & tranquillitatem magnam; quoniam ibi debebant à Deo gubernari. Non facietis ibi, ſicut nos hìc facimus hodiè, ſinguli, quod rectum ſibi videtur: non enim veniſtis uſquè ad præſens tempus ad requiem, & poſſeſſionem, quam Dominus Deus veſter daturus eſt vobis. Ecce pro quiete, & tranquillitate ponit gubernari à Deo, & non facere ſuam voluntatem. Deberemus eſſe tam obedientes in religione, ut voluntas noſtra non eſſet aliud, quàm voluntas Dei. Sic Iſ. 62. loquens Deus de gente futura tempore Meſſiæ dixit; Et vocabitur voluntas mea in ea. Deberemus eſſe tam obedientes, ut dici poſſet, nos eſſe ipſam obedientiam, ſicut loquitur Eccleſiaſticus capite tertio; Filij ſapientiæ Eccleſiæ juſtorum, & natio illorum obedientia, & dilectio. Ad minimum Superioris nutum deberemus dicere; Domine, quid me vis facere? Ideò Cant. 1. Sponſus animam juſtam comparat equis currûs Salomonis, qui erant tam manſueti, & tractabiles, ut ad minimum aurigæ nutum, aut habenarum motum moverentur quocumque vellet auriga: Equitatui meo in curribus Pharaönis aſſimilavi te amica mea. Deberemus eſſe tam obedientes, ut via Dei eſſet via noſtra; ita 3. Regum 2. dixit Deus Davidi; Si cuſtodierint filij tui vias meas; ut oſtenderet, id quod Deus, aut Superior vult, debêre eſſe voluntatem noſtram. Deberemus eſſe ut rotæ, quæ moventur ad motum currûs quocumque vult auriga. Et Sanctus Gregorius in Myſticis illis animalibus, quæ vidit Ezechiël, rotas, ait, eſſe ſubditos. Deberemus eſſe, ut mollis cera, in quam facilè imprimuntur omnes figuræ. Quadrata, ſeu cuba figura in quodlibet latus projecta æque conſiſtit: ità deberet eſſe religioſus, &c. Ut jumentum factus ſum apud te Pſalm. 72. Si tales eſſent ſubditi, facilis foret gubernatio: Iſ. 11. Puer parvulus minabit eos; quilibet eſſet bonus Superior.

Sed heu, quàm ſeverè caſtigat Deus illos, qui in una re obediunt, & non in alia! Ex. 4. Miſit Deus Moyſen in Ægyptum, & in quodam hoſpitio voluit eum occidere; quia non circumcidebat filium. O Domine, cur vis occidere hominem, qui tuo juſſu, & ex obedientia pergit in Ægyptum? quia in una re obedivit, & non in alia; nè diſpliceret uxori gentili, quæ filium nolebat circumcidi.

In

Digitized by Google

In omnibus oportet ſe divinæ voluntati accommodare: Judic. ſexto, Achan furatus eſt de anathemate regulam auream: & nos de obedientia, quæ eſt regula aurea noſtrarum actionum, nihil furemur. Non illos imitemur, qui regula Lesbiâ, & plumbea utebantur; quæ petris, & lignis ſeſe accommodabat; cùm petræ potiùs, & ligna deberent accommodari regulæ. Voluntatem Dei regulam auream non faciamus Lesbiam, & plumbeam, accommodantes illam voluntati noſtræ. Sanctus Paulus in epiſtola ad Romanos decimo tertio. Induimini Dominum Jeſum Chriſtum, accommodantes vos illi. Quando ſartor capit menſuram veſtis, hanc accommodat perſonæ hominis veſtiendi; quia hæc eſt regula: at nobis contrà agendum eſt, quia voluntas Dei eſt regula noſtra, neque erit ulla difficultas.

CAPUT VI.

Nihil inſcio Prælato agendum eſſe.

QUARTUM; abſque obedientia, ſcituque Superioris nihil penitùs agendum eſſe, etſi bonum illud opus, & laudabile videatur. Majoris enim meriti eſt ex obedientia, quàm ex propria electione, facere. Deindè ſi propriam voluntatem ſequaris, res eſt plena periculi, & facilè potes errare; ſi Superioris obedientiam, omnia tibi ſunt tuta. Audi ſententiam Patrum.

Sanctus Baſilius in ſerm. de abdicatione rerum: [Nihil omninò præter illius ſententiam „ facias, quidquid enim eo inſciente feceris, „ id furtum, ac ſacrilegium eſt, tibique exitium „ non utilitatem ullam, apportat.] Et ſer. 2. de inſtitutione Monachorum: [Vera, perfe„ ctaque obedientia in eo cernitur, ſi quis ex „ moderatoris conſilio, non à rebus modò fla„ gitioſis abſtineat; ſed ſi nè ea quidem, quæ „ laudabilia ſunt, ſine ſententia illius faciat: „ Alioqui ſi propriæ obſequatur voluntati, „ plus erit, quod faciet mali, quàm quod bo„ ni.] Et in regulis fuſiùs diſput. 48. [Cùm illi „ animas noſtras gubernandas commiſimus, „ prorsùs abſurdiſſimè facimus, ſi huic fidem „ in rebus contemptiſſimis abrogemus.] Et in regulis brev. cùm primò ſtatim quæſiſſet, An liceat, vel conducat ſpontè facere, vel dicere, quæ quiſque recta exiſtimat; reſpondet: vel etiam de Spiritu Sancto dici Jo. 16. Non enim loquetur à ſeipſo; ſed quæcumque audiet, loquetur. Et de Chriſto Jo. 5. Non poteſt Filius à ſe facere quidquam. Et; A meipſo non ſum locutus, ſed qui miſit me Pater, ille, &c. Et Jo. 2. Quæ ego loquor, ſicut dixit mihi Pater, ſic loquor. Et ad inter. 60. cùm Apoſtolus dicat; Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis. Et Dominus; Non poſſum à meipſo facere quidquam: [Culpam ſuam, „ inquit, agnoſcere debet, qui ſua ſponte con„ ſtituere aliquid auſus fuerit, cujuſcumque „ generis illud ſit. Neque enim ipſa etiam, quæ „ ſuo genere bona ſunt, ex proprio arbitrio „ geri convenit.] Et inter. 65. quærens ex Apoſtoli verbis; Quomodo veritatem in injuſtitia quis detinet? reſpondet: Quoties datis ſibi à Deo bonis ad proprias voluntates abutitur. Et 74. [Sine dubio quidquid ex propria „ voluntate concupiſcitur, id alienum eſt à „ pietatis cultoribus.] Et 120. [In univer„ ſum, quòd quis eſſe ſui juris velit, culpabi„ le eſt.] Et 123. quærens, quid ſi quis ægrè ferat non permitti ſibi, ut ea faciat, ad quæ aptus non eſt? reſpondet: [In univerſum uti „ propria voluntate, alienum eſt à recta ratio„ ne: & majoris partis judicio non ſtare, con„ tumaciæ, & pertinaciæ.] Hinc inter. 128. non in abſtinentia ciborum ratione carentium poſitam temperantiam eſſe tradit; ſed in eo, ut quis voluntates ſuas omnes penitùs ab ſe ſegreget. Et 129. [Jejunij tempus idoneum „ non eſt voluntas cujuſque; ſed uſus eorum, „ quæ pertinent ad cultum Dei.] Et 137. „ [In quacumque re voluntatis ſuo arbitrio „ ſtare, periculoſum eſt.] Et 138. [Quid„ quid ex propria voluntate fit, cùm facientis „ proprium ſit, alienum eſt à cultu pietatis.] Et cùm quæſiſſet; Num in Fratrum familia permitti debeat, ut quis plus quàm cæteri jejunet, aut vigilet, ex propria ipſius voluntate; ſubjungit: Contentionis vitium eſſe ex appetitione inanis gloriæ profectum, ſi in rebus etiam bonis velis excellere. Quòd ſi acriore jejunio, aut vigilia egêre te putes, aperias ijs, qui communis diſciplinæ curam habent; &, quod illi ſtatuerint, obſerves, Nam tuæ neceſſitati meliùs fortaſſe alio modo conſuletur. Et 227. [Non debet quiſque ſuum ju„ dicium ſequi, etiamſi id gratum Deo fore „ ſibi perſuaſerit: ſed neceſſarium eſt cum alijs „ communicare, ut deliberatio, ſi mala ſit, „ corrigatur, ſi bona, confirmetur.] Iſ. 5. Veh. qui ſapientes eſtis in oculis veſtris. Et Paulus Rom. 12. rationale voluit eſſe obſequium noſtrum. Quod exponens idem Sanctus Baſilius inter. 230. [Obſequium, inquit, eſt perennis, „ & aſſidua ſine ulla diſtractione cultura. Qui „ verò temerè quoquo modo ducitur, hujus ir„ rationale obſequium eſt. At qui rectam ra„ tionem, & conſilium ſequitur, eaque facit, „ quæ ex Dei voluntate ſunt, rationale obſe„ quium præſtat.] Præterea in conſtit. monaſt. ita præcipit c. 28. [Poteſtatem ſui ipſius nè „ ad punctum quidem temporis habêre Mo„ nachus debet, per quam in privatis negotijs „ ſuis verſetur. Ut enim abſente artifice in„ ſtrumentum non movetur, neque membrum ſine

„ ſine totius corporis moderatrice voluntate: „ ità nec religionis obſervanti aliquid agere ſi- „ ne Antiſtitis ſui ſententia licet.] Et in epiſt. ad Chilonem; [Maximè omnium cave, nè „ tuo unius conſilio imprudenter innixus, ti- „ bi uni permittas plus æquo fiduciæ.] Et in or. de principatu, & potentia; [Vera, & per- „ fecta obedientia ex eo cognoſcitur, ſi non „ ſolùm à rebus abſurdis de ſententia præfecti „ abſtinuerint; ſed ſi neque ea, quæ laude „ digna ſunt, abſque illius conſilio fecerint.] Et iterùm: [Continentia, & omnis corporis „ afflictio multas ad res perutilis eſt: verùm ſi „ quis proprios impetus ſecutus, quod ſibi li- „ buerit, fecerit, nec conſulenti Præfecto mo- „ rem geſſerit, majus peccatum erit, quàm „ rectè factum. Qui enim magiſtratui reſiſtit, „ Dei ordinationi reſiſtit. Prætereà obedientiæ „ major merces eſt, quàm rectè facti, quod ex „ continentia deſcendit.] Hactenùs Baſilius; vide quàm multa, & quàm aperta.

Pueri autem accommodato exemplo utitur S. Greg. Nyſſenus in or. adversùs eos, qui ægrè ferunt reprehenſiones: [Qui enim ex- „ ercetur in pietate, debet eſſe puer. Puer au- „ tem non egreditur lineas, quas illi ſignave- „ rit Magiſter, nec innovat elementa, ſed imi- „ tatur præceptoris traditionem. Si ſcutica va- „ pulaverit, non fit inſolentior, nec fractis ta- „ bulis recedit.] Narrat de ſuo Doſitheo in ipſius vita Sanctus Dorotheus; [Nunquam „ propriam voluntatem in re aliqua fecit: & „ cùm ſanguinem ſpuiſſet, dixit illi quidam, „ ova ſorbilia multum conferre, & prodeſſe „ illi morbo. Acceſſit ad Abbatem Doſitheus, „ & dixit: Vellem dicere aliquid, quod pro- „ futurum mihi audivi, ſed nollem mihi con- „ cederes: nec voluit priùs dicere, quàm illi „ promitteret.]

In libro Exodi legimus c. 21. juſſiſſe Deum perforari aurem ſervi, qui libertatem recuſaſ- ſet: [Signum enim illud (inquit Theodore- „ tus quæſt. 45. in Exodum) auditùs organo „ appoſitum, ſervum indicat obedientiam om- „ nem præſtare debêre. Quod autem applica- „ batur ad oſtium, ſignificat, nec foras quidem „ egredi licêre illi injuſſu Domini.] Tam e- nim perniciosum eſt ire poſt voluntates ſuas, ut quemadmodùm obſervavit Euſebius Emiſſ. h. 3. ad Monachos, hoc Dominus Deus iratus pro peccati damnatione irroget, dicens; Et di- miſi eos ſecundùm deſideria cordis eorum.

Sanctus Greg. item Papa tanti obedientiam fecit, ut opera quoque à Deo inſpirata, non ſine Superioris obedientia fieri permittat. Sic enim habet libro 2. in primum Regum cap. 4. „ [Opus ſubjecti divinitùs inſpiratum, tunc „ Deo gratum eſſe cognoſcitur, ſi majoris præ- „ cepto, aut permiſſione peragatur.] Et lib. 6. cap. 2. dum Saulem conſiderat 1. Reg. 15. juſſum demoliri omnia, quæ Amalecitarum erant, reſervâſſe oves, & boves, ut immola- ret Domino. Perindè, ait, faciunt illi, qui præter ea, quæ conſueta ſunt in Monaſterio, quædam alia ex propria voluntate abſque ma- jorum ſcientia facere volunt, Gregorij verba ſunt hæc: [In Monaſterijs cùm minùs reli- „ gioſus ſubditus Prælatorum imperijs adijce- „ re præſumit, cùm regularem vitam commu- „ nem deſpicit, & propriæ ſequitur arbitrium „ voluntatis: dum meliorare vitam eligendo, „ quàm obediendo nititur, quid aliud, quàm „ apertam inobedientiam intentione virtutis „ colorare monſtratur? Saul Deo diſplicuit; „ quòd juſſus demoliri omnia, quæ erant A- „ malec, oves, & boves reſervavit, ut immo- „ laret Deo.] Moxque ſubjungit; [Opera „ bona electorum victimæ ſunt, & holocau- „ ſta: ſed quæ præter obedientiam fiunt, ho- „ locauſta, & victimæ non ſunt. Tunc bona „ ſunt bona opera, quando à præpoſitorum „ conſcientia non diſcordant. Qui ſequi pro- „ priam voluntatem eligunt, Deo placêre ſe „ putant: ſed Deus eorum opera, cùm ma- „ gna, & ingentia ſunt, nequaquam probat. „ Melior eſt obedientia, quàm victimæ, quia „ longè altioris meriti eſt propriam volunta- „ tem alienæ ſemper voluntati ſubijcere, quàm „ magnis jejunijs corpus atterere, aut ſe per „ compunctionem in ſecretiori ſacrificio ma- „ ctare.] Denique inobedienti Sauli dicitur; Abjecit te Dominus, nè ſis Rex. [Quia, in- „ quit Gregorius, dum ſuperbi proprium arbi- „ trium ſequuntur, à Domino longè fiunt. „ Qui verò aliorum ducatum dignè ſuſcipiunt, „ non ſolùm per obedientiam Deo vicini ſunt; „ ſed etiam eos illi vicinos faciunt, qui per vi- „ tia, & ſcelera ab eo longè ſunt.]

Joan. Caſſianus in libro de inſtitutis renun- tiantium cap. 10. tantam fuiſſe teſtatur vete- rum illorum Monachorum obedientiam; ut ſine ſenioris permiſſu nec de cella egrederen- tur, nec naturali neceſſitati ſatisfacerent. Et Sanctus Anſelmus epiſt. 50. libri 3. ad Ber- nardum Monachum; certum eſſe ſcripſit majo- ris meriti eſſe unam vapulationem toleratam per obedientiam, quàm innumerabiles accep- tas per propriam ſententiam.

Et S. Bernardus ſermone 1. in converſione Sancti Pauli perpendens illa proſtrati perſecu- toris verba; Domine quid me vis facere? „ [Hæc planè, inquit, perfectæ converſionis „ eſt forma.] Deplorat autem multorum infir- mitatem nimiam, cùm ſubjungit; [Heu plures „ habemus Evangelici illius cœci, quàm novi „ Apoſtoli, imitatores. Quid vis, ait Domi- „ nus, ut faciam tibi? Siccinè Dominus ſervi „ quærit, ut faciat voluntatem? Sed cœcus il- „ le. Sed & multorum hodiè puſillanimitas, „ & perverſitas exigit, ut ab eis quæri oporteat,

quid

„ quid vis, ut faciam tibi? Et quæ ſeq.] At bonus, & obediens religioſus Jonathæ armigerum imitatur, Reg. 14. ac ſuo Superiori reſpondet; Fac & jube omnia, quæ placent animo tuo; perge, quò cupis, & ero tecum ubicumque volueris: [In hujus enim armi„ geri voce (inquit Sanctus Gregorius libro „ 5. in primum Regum c. 4.) nobis oſten„ ditur, quia relinquenda eſt Præpoſitis diſ„ poſitio libera; tenenda eſt ſubditis virtus ob„ edientiæ non remiſſa.]

CAPUT VII.

De ſeniorum, aut doctiorum virorum obedientia.

CÆTERÙM de ſenioribus quibusdam, & doctioribus viris dubitari fortaſsè poſſit; nùm illis permitti queat, & verò etiam debeat, vivendi, & agendi libertas: an autem ijsdem cum cæteris obedientiæ legibus teneantur. Scimus enim inflare ſcientiam, atque altos procreare ſpiritus, qui non facilè alteri ſe ſubmittant; ſed ſe putent potiùs cæteris omnibus leges poſſe, & debêre præſcribere. Seniores quoque ſive ætas, ſive uſus, & experientia rerum, & fortaſsè etiam alios anteà gubernâſſe, ſolet ad obediendum reddere moroſiores.

De Doctioribus. De primo hominum genere, quod ſcientia, & doctrina polleat, extat Sancti Nazianzeni expoſtulatio in or. de moderatione in diſputationibus ſervanda: [At nos, inquit, ſi exi„ guam quamdam gloriam, nominiſque ſplen„ dorem aſſecuti fuerimus, ac nè id quidem „ perſæpè; verùm ſi temerè duo, aut tria Scrip„ turæ verba, eaque imperitè, & conciſè perdi„ diſcerimus; jam & furioſi adversùs Moyſen „ inſurgendum eſt, & importuna Dathami, & „ Abironis contumelia, & impietas imitanda.]

De Senioribus item. Et de utroque accipere licet illud, quod adnotavit S. Gregorius Papa libro 1. in primum Regum c. 4. Agar, quando concepiſſe ſe vidit, deſpexiſſe Saram dominam ſuam, ut legimus Gen. 16. Sic enim aliqui in principio ſubſunt, & obediunt Superioribus; at ubi profeciſſe ſe aliquantulum vident, in eadem obedientiæ humilitate non perſiſtunt.

Atque hûc ſpectat id, quod de Pelagianis loquens, ſcribit Sanctus Ambroſius, ſive Proſper in epiſtola ad Demetriadem: [In Paradiſo „ Eccleſiæ conſtitutos, & virtutum delicijs ab„ undantes, ad confidentiam liberi incitavit ar„ bitrij, ut profectus ſuos in ſe conſtituerent, „ & ad arborem propriæ voluntatis manum „ præſumptionis extenderent.] Hoc enim ipſum de doctioribus, ſeu ſenioribus quibusdam dici poteſt.

At Moyſes, ut ratiocinatur Origenes h. 11. in Exodum, etſi cum Deo facie ad faciem loqueretur, audivit tamen vocem Jethro Sacerdotis Madian, & Gentilis. Quo exemplo etſi is utatur ad ſuadendum libris quoque, ac ſapientia Gentilium nos ad rem noſtram uti poſſe: Illud tamen intelligimus quoque, nos etſi docti, ac ſcioli nobis ipſis videamur, majorum tamen noſtrorum debêre ſemper audire vocem, ut Domini vocem. [Quantò ſenior „ eſt (inquit Emiſſenus homiliâ 3. ad mona„ chos) tantò plus debet ſtudêre ædificationi, „ & perfectioni. Nullum ſibi finem faciat pro„ ficiendi, nullumque terminum conſtituat ac„ quirendi. Nullus ſenior tam doctus, quem „ non deceat obedientia, quæ Deum decuit. „ Humilitas, & obedientia in junioribus ad„ huc neceſſitas; in ſenioribus verò dignitas. „ Ille enim benè proficit, ille benè conſummat, „ qui quotidiè ſic agit, quaſi ſemper incipiat; „ quare augmenta meritorum incitamenta de„ bent eſſe profectuum. Quantò plus profici„ mus, tantò plus humiliemur: quia quantò plus „ humiliati fuerimus, tantò plus proficiemus.]

Moyſes dux erat totius populi, Aäron Summus Sacerdos; & tamen alter alterum audiebat; quod adnotavit S. Ambroſius epiſt. 3. libri primi, in qua decimum Levitici caput ad Simplicianum ſcribens interpretatur, quoniam in cauſa prophetiæ, inquit, præfertur Moyſes ſicut Propheta: ubi verò cauſa, & munus, & officium eſt Sacerdotij, præfertur Aäron, ſicut Sacerdos. Ergò & ſubditus doctrinâ, & religioſæ vitæ antiquitate præferatur Superiori; ſed ubi cauſa eſt, & munus, & officium Sacerdotis, & Prælati, præferendus ſemper eſt is, qui Superioris, & Prælati locum tenet.

Sanctus Gregorius autem Papa in loco paulò antè ſignificato, prudenter omninò conficit, nec ſimplicioribus ſubditis, nec eruditis, & doctis vivendi licentiam eſſe permittendam: *Nulli libertas concedenda.* „ [Nec ſimplicioribus, inquit, ſubditis, & be„ nè viventibus, nec eruditis, & infirmis vi„ vendi libertas rectè conceditur. Illi enim à „ callido adverſario decipi tantò faciliùs poſ„ ſunt, quantò & deprehendere ejus inſidias „ per ſpiritualem eruditionem nequaquàm di„ dicerunt. Iſti verò eò difficiliùs ſervant bo„ num eruditionis, quò tentationis laqueos „ eruditi conſpiciunt, & eorum vincula devi„ tare eruditi non poſſunt.]

Si autem docti, & probati viri fuerint, multæque virtutis, erunt & humiles, & obedientes, quibus multa permitti poterunt: nec tamen illorum ipſorum curam Superior deponet. Optimum namque fuit Philiſtinorum in remittenda Dei arca conſilium 1. Regum 6. Et aſpicietis: Et ſiquidem per viam finium ſuorum aſcenderit, &c. Debet enim Superior ſemper aſpicere, & conſiderare diligenter, quâ viâ unuſquiſque eorum, qui illius curæ commiſſi ſunt, incedat. [Dimiſſam arcam,

 ſcribit

„ ſcribit Gregor. prædicatores aſpiciunt, utrùm „ recto itinere contrà Bethſames gradiatur: „ quia & cum proprio arbitrio admittuntur „ ſubditi, explorare Prælati debent, an bonum „ libertatis ad profectum convertant cœleſtis „ itineris. Tunc autem rectè aſcendit arca, „ cùm confinium viam gradiendo non deſerit: „ confines noſtri ſunt electi, priores, &c.]

Seniorum exemplum. Seniorum porrò, ac doctiorum exemplum poteſt plurimùm ad excitandam, & confirmandam juniorum obedientiam. Sanctus Gregorius Nyſſenus à juniore quopiam rogatus, ut aliquid de perfecta ſcriberet vita, librum ſcripſit de Moyſeos vita, ad cujus initium ſtatim oſtendit, debêre ſeniores obedientiæ exemplum præbêre: [Qui tam multarum, inquit, „ animarum curam, ut patres gerimus, oportêre duximus, ut hæc ſenectus modeſtiæ tuæ „ mandata ſuſcipiat: majores obedientia in te „ profectò vires habebit, cùm ætas tuo noſtra exemplo magis roborata fuerit.]

CAPUT VIII.

Obedientia ſit prompta.

IAM verò obedientiam promptam eſſe oportet, ad omnem Superioris nutum, abſque mora ulla, & contradictione. Hoc ſæpiſſimè monuerunt Patres. Sanctus Baſilius in ſermone de abdicatione rerum; [Aures, inquit, ſemper ad audienda ea, quæ imperantur, attentas habeto, manuſque ad ea, quæ juſſa ſint, „ exequenda expromptas.] Petrus in pedum lotione minùs promptus, immò reſiſtens, audivit illa Domini verba; Niſi lavero te, non habebis partem mecum: [Quodnam vel duriſſimum cor (ait idem Baſilius in proœmio „ ad librum Ethicorum) metu, horroreque „ non contremiſcat? præſertim cùm nullius „ flagitij, nulliuſve contumaciæ ſignificationem ullam dediſſet; ſed eximio potiùs honore Dominum affeciſſet: ſed minùs promptam obedientiam oſtendit.] Et in regulis brevioribus 166, cùm quæſiſſet, quâ animi affectione obediendum ſit. Reſpondet; Eâ, quâ parvulus vehementer eſuriens vocanti ſe ad refectionem nutrici auſcultat: & quilibet, cui cara vita ſit, ei, qui neceſſaria ad vivendum largiatur. Immò multò majore; quia hâc nobilior eſt vita æterna: Mandatum enim Dei, inquit Chriſtus Jo. 12. vita æterna eſt. Quod autem in pane eſt commeſtio, id in mandato eſt operis executio; Jo. 4. Meus cibus eſt, ut faciam voluntatem ejus, qui miſit me. Et 225. adducens illud Matthæi decimo octavo. Ubi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo. &c. [Qui, inquit, in alicujus nomine „ congregati ſunt, animi illius propoſitum ſcire debent, à quo congregati ſunt, atque ad ipſum ſeſe accommodare, quò gratiam ab illo „ inveniant. Si metere vult, ad metendum ſe parant; ſi ædificare, ad ædificandum, ſic qui vocati à Domino ſunt, &c.] Et 280. Eum interpretatur mundo corde appellari Matthæi 5. qui ſeipſum non reprehendit, quòd Dei mandatum aut ſpreverit, aut planè executus non ſit, aut neglexerit: hoc eſt, qui in obediendo promptus non fuerit. Hinc in animadverſionibus adversùs Canonicos delinquentes illa eſt animadverſio 4. [Qui quæ facere poſſit juſſus, non cum omni lætitia obtemperet velut abundans in ſuo ſenſu, hebdomadam unam ſegregetur.] Et in ſcholio ad Pſalmum 4. cùm diceret Deo Propheta; In tribulatione dilatâſti mihi: [Dupliciter, inquit, eum dilatavit: Primùm quòd eum exaudivit: deindè quòd velociter exaudivit. „ Sicut enim non velociter exaudiri, anguſtia „ eſt, & ſemigratia, ita illicò exaudiri latitudo „ eſt, & dupla gratia.] Idem prorsùs de obedientia dixerim, quæ ſi prompta fuerit, plena gratia eſt, plena obedientia; ſi minùs prompta, ſemigratia eſt, ſemiobedientia.

Prov. 6. ad formicam Sapiens miſit pigrum, & cunctabundum hominem; Vade ad formicam, ô piger, & conſidera vias ejus, & diſce ſapientiam. Formicam credidit Celſus Judæus ratione uti, & ſermone, ut Origenes narrat libro 4. adversùs eum; ſed veriùs multò hic: [Bruta non utuntur ratione: ſed pleriſque in rebus voluit Deus ea ratione præditos imitari, ut multis ratione utentibus perſpicuum eſſet exemplar, ut formicarum intenti operibus, & rem ipſi gerendam aggrediantur, & parta conſervent: & apum ubi „ mores cognoverint, & ducibus pareant, & potiantur optima recipi forma &c.] Ex utroque ſanè animalium genere obedientiam, & promptitudinem perdiſcere licet.

Veriſſimum enim eſt illud, quod admonet Sanctus Nazianzenus in Apolog. Cur in Pontum fugerit. Sic enim habet; [Quod neceſſitate extorquetur, præterquàm quod tyrannicum eſt, & improbandum, nè firmum quidem, ac ſtabile eſt. Quidquid enim violenter cogitur, non ſecùs ac planta per vim manibus inflexa, ſimul ut miſſum factum eſt, „ rursùs ad ſe redire conſuevit. Quod à libera „ voluntate proficiſcitur, æquiſſimum ſimul, „ & certiſſimum eſſe ſolet; utpotè benevolentiæ vinculis adſtrictum, atque ſervatum.]

David Pſal. 72. dicebat Deo; Ut jumentum factus ſum apud te, & ego ſemper tecum, in exequendis ſcilicet mandatis tuis. Et Canticorum primo, collum ſponſæ monilibus ſimile eſſe dicitur; Collum tuum ſicut monilia. Cujus ſi cauſam quæras, reſpondebit Theodoretus; quia ferreum illi collum non eſt, quod propter ſuperbiam flecti nequeat: ſed propter mode-

Digitized by Google

modeſtiam ; atque obedientiam facilè in om-
nem partem vertitur , ut monilia ex auro ela-
borata. Ideoque laudatur , quòd pietatis ju-
gum rectè ferat , nec ullo extrinſecùs eget or-
namento,aut adjectitio decore. Origenes quo-
que eum locum exponens homiliâ 2. in Cant.
collum ſponſæ affirmat dici pulchrum propter
obedientiam , quâ Chriſti jugum portet. Ad
quod eleganter nos hortatur S. Ambr. ſerm.3.
in Pſal. 118. [Portare, inquit, Chriſti jugum
,, ſuave eſt,ſi ornamenta cervicis tuæ putes eſ-
,, ſe, non onera. Erige cervicem; monilia,non
,, vincula geris. Leve eſt enim jugum Chriſti,
,, & cervix eo non premitur , ſed levatur.]

Et S. Bernardus ſerm. in feſto Sancti Marti-
ni , ad promptam nos , & perſeverantem obe-
dientiam provocat Angelorum , & cœleſtium
córporum exemplo : [Conſidera , inquit , u-
,, niverſam hanc cœleſtium gloriam corporum
,, inceſſanter legibus obtemperare divinis , nec
,, unquam poſitas in tam continuis motibus
,, metas extendere temporum , aut locorum
,, terminos tranſgredi conſtitutos. Sed & ip-
,, ſos ſpiritus tam ſublimes audi omnes admi-
,, niſtratorios eſſe , & in miniſterium mitti
,, dignantiſſimum, uti nè indignum dicam,mi-
,, nimè tamen reperies in ſcripturis aliquando
,, quemquam illorum vel contradixiſſe mit-
,, tenti,vel ergà ipſos tam inferiores ſe,propter
,, quos in miniſterium mittebantur , ſaltem te-
,, nuiter fuiſſe commotum.Exempla ſunt obe-
,, dientiæ; eò ſanè acceptabiliora,quò in mate-
,, ria digniori.] Hùc ſpectant illa Davidis ver-
ba Pſ. 107. Paratum cor meum Deus, paratum
cor meum ; ad omnia , ſcilicet , quæ manda-
veris , promptè exequenda. [Si opera Dei
,, es (inquit S. Irenæus libro 4. adversùs hæ-
,, reſes c.76.) manum artificis tui expecta,op-
,, portunè omnia facientem. Præſta ei autem
,, cor tuum molle , & tractabile, & cuſtodi fi-
,, guram , quâ te figuravit artifex : nè indura-
,, tus amittas veſtigia digitorum ejus.] Sed
quoniam Propheta , non ſemel , ſed bis pa-
ratum dixit,Bernardus in parvis ſermonibus ſer.
43. [Invenire , inquit , eſt hominem ſemel
,, paratum , qui opera carnis reliquerit ; Eijce
,, ancillam , & filium ejus. Sed non ſecundò
,, ſi dixerit ; Immola mihi filium tuum. Hoc
,, planè audire non poteſt , ut fraternæ utili-
,, tatis , aut unitatis gratia ſpirituali jucundi-
,, tate fraudetur ; quando aut obedientia co-
,, git , aut fraternæ charitatis ratio poſtulat.]
Et iterùm in libro meditat. cap. 4. [Omnis
,, bonus obediens dat ſuum velle , & ſuum
,, nolle , ut poſſit dicere ; Paratum cor meum
,, Deus , paratum cor meum ; paratum quod-
,, cumque præceperis facere ; paratum ad nu-
,, tum nutu citiùs obedire.]

Verè enim in morte Sancti Hieronymi ſcrip-
ſit Euſebius ; [Non eſt obediens , ſed negli-
,, gens , qui ſecundum expectat mandatum.]
De veteribus Monachis narrat Caſſianus libro
de inſtitutis renuntiantium c. 12. Eos litteram
etiam inchoatam reliquiſſe , nec auſos fuiſſe
finire. Sanctus Baſilius autem in regulis brevi-
oribus 119. cùm quæſiſset; Nùm liceat aſſigna-
tum ſibi opus recuſare , & aliud quærere , mul-
ta reſpondet : Primò , cùm obedientiam uſ-
que ad mortem ſervare oporteat , qui id facit,
obedientiam omninò violat , & apertè decla-
rat , nequaquàm ſeipſum abnegâſſe : Secun-
dò , januam reliquis ad contumaciam , & con-
tradictionem aperit , ipſeque ad eam ſe aſſue-
facit : Tertiò , quia non poteſt quiſque ſta-
tuere quid ſibi expediat , quid obſit ; ſæpè eli-
git , quod obſit : Quartò , pravas in animis
fratrum adversùm ſe ſuſpiciones movet , ve-
luti qui aut opus , quod quærit , aut eos qui-
buſcum illud adminiſtrandum ſit , nimio plus
amat : [Si tamen , ſubjungit , cauſam ſe ali-
,, quam habêre putet , cur opus recuſet ; hanc
,, magiſtris indicato , eamque illis diſceptan-
,, dam relinquito.] Et universè , quòd quis
eſſe ſui juris velit , culpabile eſſe definit in reſ-
ponſione 120. Et uti propria voluntate , alie-
num eſſe à recta ratione , & aliorum judicio
non ſtare , contumaciæ, & pertinaciæ, 123.

Quin etiam expectandam non eſſe vocem,
aut imperium ; ſed ad nutum obtemperandum
eſſe , dixit paulò antè Sanctus Bernardus. Im-
mò nec nutum , ſi voluntatem eſſe conijcere
liceat ; addit Sanctus Anſelmus ep. 42. libri 2.
ad Lanfrancum Monachum,his verbis : [Non
,, debet Monachus expectare oris imperium, ſi
,, novit voluntatem Abbatis ſui , aut conſili-
,, um.] Ac demùm S.Aug. ſer.40.ad fratres in
eremo ad hunc modum definivit : [Sicut obe-
,, diendum eſt libenter , ſic hilariter, ſic & ve-
,, lociter. Obedientia enim ſine mora eſſe de-
,, bet. Non placet Deo moroſa,& diſceptatrix
,, obedientia : quæ cùm præcipitur,quærit cur,
,, quare , quamobrem præcipiatur.] Et infrà
proferens verba Dei ad Abraham; Tolle filium
tuum unigenitum , quem diligis Iſaäc. [Tu, *Gen. 22.*
,, inquit , qui Monachus es, tolle filium tuum
,, Iſaäc , qui interpretatur riſus , hoc eſt, tuam
,, propriam voluntatem , in cujus executione
,, homo ridet , & delectatur.] Et rursùm in
ſermone 61. pluribus agens de obedientia, hoc
inter cætera monet : [Debet obedientia eſſe
,, ſine mora , non cum murmure , neque cum
,, triſtitia animi ; ſed cum gaudio , & hilarita-
,, te ; & debet eſſe uſquè ad mortem.]

CAPUT IX.

Obedientia ſit cæca.

SED de hoc jam pluribus dicendum eſt , at-
que oſtendendum , perfectam obedientiam

Digitized by Google

cœcam eſſe oportêre. Hoc naturali rationi perquàm conſentaneum eſt, quæ prudentiam, cujus eſt ordinare, diſponere, & imperare propriam eſſe oſtendit ordinantis, diſponentis, & imperantis Superioris; obedientiam autem exequentis ſubditi. Adferuntur exempla equitis & equi, aurigæ & currus, gubernatoris & navis, aliorumque ſimiliûm. Nullum reperias Dominum, qui ſervum velit hærentem in ſingulis, & diſputantem, nùm benè præcipiatur, & an is obedire debeat nec nè. Oportet ergò ſubditum ponere Superiorem eſſe prudentem, deque re agenda benè deliberâſſe, ac rerum cauſas optimè noſſe.

Prudentia Sup.rioris eſt.

Ariſtoteles in 1. Polit. libro c. ult. quærit, an eadem ſit virtus ejus, qui imperat, & ejus, qui obedit, actumque imperandi, & actum obediendi vult eſſe ſpecie diverſos; ſervoque præeſſe liberum hominem, fœminæ marem, & puero virum: ac ſervum quidem non habêre deliberandi arbitrium, mulierem autem, & puerum habêre quidem; ſed illam invalidum, hunc imperfectum. Habet etiam in c. 3. ejuſdem libri, in quolibet toto ex pluribus conſtante partibus unam partem debêre habêre imperium in aliam, hancque debêre illi obedire: ſic animus imperat corpori, & ratio appetitui: ſic in communitate Princeps, aut magiſtratus populo. Et Plato libro ſexto de legibus, adfert ex Homeri Odyſſea; ſervis Jovem mediam intellectûs partem abſtuliſſe. Prætereà qui de re quapiam litigant, judicem adeunt, velut animatam legem, ejuſque judicio, ac ſententiæ ſtant: neque diſcuſſionem permittit juſtitia, ſed executionem exigit. Eadem debet eſſe cujuſvis Superioris conditio ergà ſuos ſubditos. Eccleſiaſtici 33. Cibaria, & virga, & onus aſino; panis, & diſciplina, & opus ſervo. Et iterùm: In opera conſtitue eum; Sic enim condecet illum: quòd ſi non obaudiverit, curva illum compedibus. Et Apoſtolus Eph. 6. & Col. 3. ſervis præcipit, ut in ſimplicitate cordis obediant ſuis dominis.

Niſi ergò ſit manifeſtum peccatum, non eſt diſcutiendum, aut examinandum Superioris præceptum; ſed ſimpliciter obediendum, vel etiam in dubijs; quia Superiori deferendum eſt, & credendum illum benè jubêre. Et Jo. Climachus in gr. 4. obedientiam definivit inexaminatum, & indiſcuſſum motum: Et Sancti Ignatij verba antè protulimus. Sancti autem Baſilij hæc ſunt in conſtitutione monaſtica cap. 23. [In omnibus parendum eſt „ Præpoſitis ſpiritualibus.] Si in omnibus, nihil ergò diſcutiendum, nihil examinandum. Deindè ita vult nos obedire, ſicut obedivit Abraham: omni ſcilicet abjecta cunctatione, & diſcuſſione præcepti. Tum verò quemadmodùm oves paſtori obtemperant ſuo, & viam quamcumque ille vult, ingrediuntur: [Sic, „ inquit, pietatis cultores moderatoribus ſuis „ obſequi debent, nihil omninò illorum juſſa „ curioſiùs perſcrutantes; quando libera ſunt „ à peccato.]

Et quoniam ex Scriptura adfert illud; Qui vos audit, me audit; doctrinam hanc ſignificat ex ſcriptura derivatam, atque illi maximè conſentaneam eſse. Porrò in regulis brevioribus 217. Cùm audiſſet à Domino; Niſi efficiamini ſicut parvuli quærens quomodo accipiemus regnum Dei ut parvulus; reſpondet, ſi tales nos præbuerimus, qualis eſt parvulus in percipiendis diſciplinis, qui non contradicit, ſed tradita ſibi præcepta cum fide, & obedientia ſuſcipit. *Matt. 18.*

S. Joannes Chryſoſtomus hom. 16. in Gen. Dæmonis inventum fuiſſe conſiderat, eumque primum docuiſſe homines examinare Superiorum præcepta, quando Evæ dixit; Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis ex omni ligno Paradiſi? atque indè peccatum, & perditio hominis. Et hom. 10. in ep. ad Coloſſ. dum exponit illud Apoſtoli, Servi obedite per omnia dominis carnalibus; in obedientia Superioribus debita ſubjectionem animi, ac promptitudinem ait requiri. Neutra verò fuerit; ſi adhibito examine velis tui Superioris fieri judex. Pſal. 72. dixit Propheta: Ut jumentum factus ſum apud te. [Propterea non „ curioſè conquiram, inquit in eum locum „ Theodoretus, quæ à tua ſapientia adminiſtra„ ta ſunt: verùm inſtar jumenti tuos nutus ſe„ quar, ſicut jumentum ducentem ſequitur, nec „ curioſè quærit, quò trahatur.] S. Cæſarius Arelatenſis h. 8. ad monachos monaſterij Lirinenſis: [Quidquid à ſenioribus fuerit impera„ tum, accipe tanquam de cœlo; ſicut de ore „ Dei prolatum: nihil reprehendas, nihil diſcu„ tias, in nullo penitùs murmurare præſumas: „ totum juſtum, totum ſanctum, & utile judi„ ca, quidquid à Prælato videris imperari.] Et S. Hier. in ep. ad Ruſticum c. 7. [Credas tibi „ ſalutare quidquid Præpoſitus præceperit, nec „ de majorum ſententia judices, cujus officij „ eſt obedire, & implêre, quæ juſſa ſunt; dicen„ te Moyſe; Audi Iſraël, & tace.] S. Aug. lib. qq. in Exodum q. 6. de ſpolijs Ægypti ab Hebræis aſportatis loquens; [Mandatum, in„ quit, Dei eſt, de quo non judicandum, ſed „ obtemperandum fuit. Ille enim novit, quàm „ juſtè mandaverit: ad ſervum autem pertinet „ obedienter facere, quod mandavit.] Et libro 5. de civit. Dei cap. 32. [Divino intonan„ te præcepto obediendum eſt, non diſputan„ dum.] Et ſerm. de obedientia, & humilitate tom. 9. [Non eſt filiorum judicare de patribus. „ Nemo vadit ad magiſtrum, & docet magi„ ſtrum ſuum. Veniſti ad me, ut docerem te „ litteras: ſi tibi ſcripſero, & dixero tibi; Scribe,

Gen. 3.

Digitized by Google

„ Scribe, quomodo ego ſcribo; utique imitari „ debes quem magiſtrum elegiſti.] Et deinceps oſtendit, non obedire præceptis majorum ex ſuperbia proficiſci, quæ virtutes alias omnes deſtruit. Et concione 31. in Pſ. 118. propterea dictum exponit; Pax multa diligentibus legem tuam, quia qui diligit Dei legem, etiam quod in ea non intelligit, honorat; & quod ſonare videtur abſurdè, ſe potiùs non intelligere, & aliquid magnum latêre judicat. Idem de hominum dicas obedientia. Ex ſermone etiam 40. ad fratres in eremo, anteà prolata ſunt illa verba; [Non placet Deo moroſa, & „ diſceptatrix obedientia, quæ cùm præcipi„ tur, quærit, cur, quare, quamobrem præ„ cipiatur.] S. Proſper in præfatione ad librum ſecundum de vita contemplativa, obedientiæ, & patientiæ virtute fundati majorum ſuorum non diſcutiunt mandata, ſed faciunt. Sancti Cypriani verba citat Pighius controverſia 16. Tu ovis es, noli diſcutere paſtorem: neque te judicem Dei conſtituere, & Chriſti, qui dicit ad Apoſtolos, & per hos ad omnes Præpoſitos, qui vicaria ejus ordinatione ſuccedunt; Qui vos audit, me audit, & qui me audit, audit eum, qui me miſit. S. Gregorius Papa libro 2. in primum Regum c. 4. [Vera „ obedientia, nec Præpoſitorum intentionem „ diſcutit, nec præcepta diſcernit; quia qui „ omne vitæ ſuæ judicium majori ſubdidit, in „ hoc ſolo gaudet, ſi quod ſibi præcipitur, ope„ ratur. Neſcit enim judicare, quiſquis per„ fectè didicerit obedire: quia hoc tantum bo„ num putat, ſi præceptis obediat. Præceptum „ autem in hoc ſolo penſari debet, quòd ma„ joris præceptum eſt, & qui obedientiæ bo„ num exequitur, non injunctum opus debet „ conſiderare, ſed fructum; quia ad promeren„ da æternæ vitæ gaudia non exquiritur qua„ litas operis, ſed mortificatio propriæ, & exe„ cutio alienæ voluntatis.] Joannes Caſſianus libro de inſtitutis renuntiantium c. 10. de antiquis Ægypti monachis ita teſtatur; [Injun„ cta omnia, vel etiam interdum impoſſibilia „ aggrediebantur tanquam à Deo edita ſine „ ulla diſcuſſione.] Et c. 41. [Hoc præ omnibus „ excole, ut ſtultum te ſecundùm Apoſtoli ſen„ tentiam facias in hoc mundo, ut ſis ſapiens. „ Nihil dijudicans, nihil diſcernens ex his, quæ „ fuerint imperata, in omni ſimplicitate, ac fide „ obedientiam ſemper exhibeas: illud tantum„ modò ſanctum, illud utile, illud ſapiens eſſe „ judicans, quid quid tibi vel lex Dei, vel ſeni„ oris examen indixerit.] Et libro de ſpiritu ſuperbiæ capite 32. [Præter Abbatis mandatum „ nulla penitùs voluntas vivat in nobis. Quod „ non obſervabitur, niſi ab eo, qui non ſolùm „ ſe mortuum huic mundo, verùm etiam inſi„ pientem judicaverit, ac ſtultum, univerſa, quæ „ ſibi fuerint imperata, ſine ulla diſcuſſione per„ ficiens, ſacroſancta ea credens, ac divinitùs „ promulgata.] Sanctus Bernardus in tractatu de præcepto, & diſpenſatione ita præcipit; [Sive Deus, ſive homo vicarius Dei „ mandatum quodcumque tradiderit, pari pro„ fectò obſequendum eſt curâ, pari reverentiâ „ deferendum; ubi tamen Deo contraria non „ præcipit homo.] Sicut ergò ſi Deus ipſe mandaret, nullus auderet mandatum diſcutere, aut examinare, ſed obediret illicò; ità & cum homine Dei vicario agendum eſt: „ [Quidquid enim (mox ſubjungit) vice „ Dei præcipit homo, quod non ſit tamen „ certum diſplicêre Deo, haud ſecùs omninò „ accipiendum eſt, quàm ſi præcipiat Deus: „ quid enim intereſt, utrùm per ſe, an per „ ſuos miniſtros, ſive homines, ſive Angelos, „ hominibus innoteſcat ſuum beneplacitum „ Deus?] Et iterùm: [Imperfecti cordis, & „ infirmæ prorsùs voluntatis indicium eſt, ſta„ tuta ſeniorum ſtudioſiùs diſcutere, hærêre „ ad ſingula, quæ injunguntur, exigere de qui„ buſque rationem, & malè ſuſpicari de omni „ præcepto, cujus cauſa latuerit, nec unquam „ libenter obedire, niſi cum audire contigerit, „ quod fortè libuerit, aut quod non aliter licê„ re, ſeu expedire monſtraverit vel aperta ra„ tio, vel indubitata authoritas. Delicata ſatis, „ immò nimis moleſta eſt hujuſcemodi obedi„ entia. Non planè hæc illa eſt, quæ ex re„ gula traditur; Obedientia ſine mora. Diſ„ putare profectò hoc eſt in aſtu cordis, non „ in auditu auris obedire. Carnalem animam, „ non modò premi, ſed & opprimi pondere „ præſumptæ perfectionis neceſſe eſt. Solus „ ſpiritus promptus experitur jugum eſſe ſua„ ve, & onus leve.] Hinc in tractatu de vita ſolitaria ad fratres de Monte Dei, perfectam obedientiam dixit eſſe indiſcretam, hoc eſt, non diſcernentem quid, vel quale præcipiatur; ſed ad hoc tantùm niti, ut fideliter, & humiliter fiat, quod à majore præcipitur. Lignum enim ſcientiæ boni, & mali in Paradiſo cenſura diſcretionis eſt in converſatione religionis penes patrem ſpiritualem, qui dijudicat omnia, ipſe verò à nemine judicatur; ipſius eſt diſcernere, aliorum obedire. Et in ſermone tertio de Circumciſione Domini: [In „ ipſa obedientiæ via, aliqua dura, & aſpera „ occurrere poſſunt, ut accipias interdum præ„ cepta, quæ licèt ſalubria ſint, minùs tamen „ ſuavia videantur. Hæc ſi moleſtè cœperis „ ſuſtinêre, ſi dijudicare Prælatum, ſi murmu„ rare in corde, etiamſi exteriùs impleas quod „ jubetur, non eſt hæc virtus patientiæ, ſed ve„ lamentum malitiæ.] Et in ſerm. 1. de Sancto Andrea, Deum ponit velut nummularium, qui à nobis obedientiæ nummum exigat, cumque integrum, & perfectum: [Sapiens, in„ quit, nummularius eſt, immò ipſa ſapientia,

Digitized by Google

„ cui neceſſe habemus reddere hunc obedien-
„ tiæ nummum; nec ſuſcipiet eum, niſi & in-
„ teger inveniatur, & ſine aliqua falſitate.
„ Nam ſi diſcutimus, ſi dijudicamus, & in hoc
„ quidem præcepto obedimus, ſed non in illo,
„ fractus eſt nummus: non ſuſcipiet eum Chri-
„ ſtus, à quo tenemur nummi integri debito-
„ res. Omnes enim obedientiam ſimpliciter,
„ & ſine ulla exceptione promiſimus. Quòd ſi
„ quis obediat quidem, ſed ſimulatoriè, & ad
„ oculum, murmuret autem in abſcondito,
„ falſus eſt nummus ejus, plumbum habet,
„ non argentum, & iniquitas ſedet ſuper ta-
„ lentum plumbi.] Ac demùm in ſermone de
virtute obedientiæ, primum obedientiæ gra-
dum ponit obedire libenter: quem conſcen-
dere non poteſt, qui propriam non reliquerit
voluntatem, & voluntatem præcipientis ſuam
non fecerit. Secundum hunc, de quo nunc agi-
mus, obtemperare ſimpliciter: [Nam multos,
„ inquit, videmus poſt præcipientis imperium,
„ multas facere quæſtiones, cur, quare, quam-
„ obrem, quare hoc præcipit, undè hoc venit,
„ quis hoc adinvenit conſilium? Indè murmu-
„ ratio, indè frequens excuſatio, ſimulatio im-
„ poſſibilitatis, advocatio amicorum.] Ter-
tium hilariter obedire, &c. Quartum veloci-
ter: Velociter currit ſermo Dei, & velocem
deſiderat habêre obſequentem. Fidelis obedi-
ens neſcit moras, fugit craſtinum, ignorat tar-
ditatem, præripit præcipientem, parat oculos
viſui, aures auditui, manus operi, pedes iti-
neri; totum ſe colligit, ut imperantis colligat
voluntatem. Quintum viriliter. Sextum hu-
militer. Septimum indeſinenter.

Obedientiæ gradus.

Verùm in obedientia cœca perſiſtamus. San-
ctus Benedictus c. 5. ſuæ regulæ, quæ teſti-
monio Sancti Gregorij lib. 2. dialog. cap. 36.
diſcretionis, & ſapientiæ plena eſt, verum
obedientem his verbis deſcribit: [Mox ut im-
„ peratum à majore fuerit, acſi divinitùs im-
„ peretur, moram pati neſciunt in faciendo.]
Nullum ergò eſt examini tempus. Eodem mo-
do Climacus conſulit in gradu 4. ſuæ ſcalæ;
„ [Cùm tibi cogitatio ſuggeſſerit, ut Præla-
„ tum aut dijudices, aut damnes; ab ea, non ſe-
„ cùs quàm à fornicatione, diſcede. Loque-
„ re ad ſerpentem; O ſeductor maligne, non
„ ego ducem meum judicandum ſuſcepi, ſed il-
„ le me, non ego illius, ſed ille mei dux eſt.]
Sanctus Thomas prima ſecundæ q. 13. art. 5.
ad 3 exponit Sanctum Benedictum in impoſ-
ſibilibus quoque dixiſſe obediendum eſſe: quia
an aliquid ſit impoſſibile, non debet ſubditus
ſuo judicio definire, ſed judicio Superioris ſta-
re. Et 3. p. q. 47. art. 2. ad 2. obedientia im-
portat neceſſitatem reſpectu ejus, quod præ-
cipitur; at de neceſſarijs conſultandum non
eſt. Et ſecunda ſecundæ quæſt. 104. art. 3. ad
1. obedientia procedit ex reverentia, quæ Su-
periori debetur; at quæ reverentia, ſi exami-
netur an obediendum? Et 2. ſent. d. 44. q. 2.
art. 1. ad 2. obedientia reſpicit præceptum ſub
ratione debiti reſpectu Superioris: at, ſi eſt de-
bitum, quomodo conſultandum? Sanctus Bo-
naventura quoque in ſpeculo diſciplinæ p. 1.
c. 4. ita loquitur: [Illum dixerim optimum
„ obedientiæ gradum, cùm eo animo opus in-
„ junctum recipitur, quo & præcipitur; cùm
„ ex voluntate jubentis pendeat intentio exe-
„ quentis: nunquam de majorum ſententia ju-
„ dicent, quorum officium eſt obedire, & im-
„ plêre, quæ juſſa ſunt.] Et in opuſc. octo col-
lationum c. 3. [Ut obedientia ſit acceptabilis
„ Deo, debet eſſe prompta ſine dilatione, ſim-
„ plex ſine diſcuſſione.] Eandem ſententiam
totidem verbis inculcat Humbertus in ep. de
tribus votis c. 5. & addit: Ordinata ſine devi-
atione, jucunda ſine turbatione, ſtrenua ſine pu-
ſillanimitate, univerſalis ſine exceptione, per-
ſeverans ſine ceſſatione, &c. 9. Tam ſim-
plex ſit obedientia veſtra, ut injuncta ſine diſ-
cuſſione faciatis; qui enim cauſas mandatorum,
quas ignorat, diſcutit, in laberinthum erro-
neum ſe ponit; certè per hoc obedientiæ bo-
num minùs purum redditur; cùm quis Præla-
tum irrationabilia jubêre præſumptionis oculo
intuetur. Et rursùm. [Obedientiæ faſtigium
„ in hoc eſt, quod quaſi ſtultum ſe quis fa-
„ ciat in hoc mundo: nihil ſcilicet diſcernens,
„ nihil judicans ex his, quæ fuerint imperata:
„ ſed omni ſimplicitate, & fide illud utile,
„ illud ſapiens eſſe judicans, quod ſibi lex
„ Dei, vel examen Superioris indixerit.] Ac
demùm c. 12. [Obedientiæ diſcretio eſt, ut
„ ſit aliqualiter indiſcreta, ut ea pro bono quis
„ aggrediatur obedientiæ, quæ interdum vi-
„ deantur carêre (ſecundùm mundi ſapien-
„ tiam) ratione.]

CAPUT X.

Obedientiæ cœcæ Exempla.

LEGIMUS quoque apud Sanctos viros per-
multa cœcæ hujus obedientiæ exempla; &
verò à Deo interdum miraculis confirmata. De
S. Joanne Damaſceno legimus in ipſius vita;
eum ut in obedientia exerceretur, Damaſcum
fuiſſe miſſum ad vendendas ſportas, duplo ma-
jori injuncto pretio, quàm valerent: qua in re
ab omnibus irridebatur. Et de Stephano Mo-
nacho juniore (habetur inter opera Damaſce-
ni) eum cane fuiſſe uſum ad mittendas litteras,
& petenda ſibi neceſſaria; quod fuit obedientiæ
fructus, quo ipſe quotidiè ex longinquiſſimo
loco aquam ad Monaſterium portabat. S. Do-
rotheus ſer. 1. de obedientia, exemplum refert
Monachi, qui à ſuo Abbate miſſus ad aliud Mo-
naſterium, ut nocte rediret; etiamſi maxima eſ-

ſet

ſet pluvia, quæ inundaverat omnia, nullis precibus retinêri potuit, & maximum torrentem natavit incolumis: Joannem Abbatem narrat Caſſianus libro de inſtitutis renuntiantium c. 23. propter hanc obedientiæ virtutem, uſquè ad prophetiæ gratiam ſublimatum. Et c. 24. Joannem à Superiore juſſum, quotidiè per totum annum lignum aridum irrigâſſe, per duo penè paſſuum millia portando aquam. Idem olei ampullam per feneſtram juſſus projecit: ſaxumque immane ſolus movêre conabatur juſſus, c.25.& 26. Sed & Mutius c. 27.cum filio annorum octo in Monaſterium ſuſceptus, eum mox in flumen juſſus projecit; perindè acſi à Deo imperatum fuiſſet. Et libro de Spiritu Gaſtrimargiæ c. 40. duos commemorat adoleſcentes, qui miſſi ad portandas ficus cuidam ſeni procul habitanti, errantes in ſolitudine confecti inedia perierunt; eligentes animam magis, quàm depoſiti fidem perdere, vitámque potiùs amittere temporalem, quàm ſenioris violare mandatum. Maurum Sancti Benedicti diſcipulum ſuper aquas juſſu Abbatis ambulantem, narrat Sanctus Gregorius lib. 2. dialog. cap. 7. vaſque olei ex feneſtra per obedientiam projectum, nec eſt fractum, nec effuſum oleum, cap. 28. apud Sulpitium Severum primo dialogo de miraculis Eremitarum orientis, Monachum quemdam ſimplicem reperies juſſum portare quotidiè aquam à tribus milliaribus ad aridum lignum irrigandum, quouſque floreret, promptè obediviſſe, ac demùm Deo volente floruiſſe lignum, atque in arborem creviſſe, quæ obedientiæ arbor vocata eſt. Aliumque quoque refert idem autor juſſum intrare in ardentem fornacem, abſque diſcuſſione ulla intrâſſe, illæſumque tum in perſona, tum in veſtibus exiviſſe. Aliqua tamen ex his non facilè erunt imitanda, niſi particulari Dei ſpiritu impellaris; ſicut & hoſce impulſos fuiſſe credendum eſt.

Subditus ergò cœcus ſit, & indiſcretus, hoc eſt minimè diſcernens, aut examinans Superioris juſſa, ſed ſtatim exequens. At Superior oculatus maximè & diſcretus, prudenter conſiderans, & examinans ſingula, diſcretêque præcipiens, quæcumque viderit ſubdito convenire. Audiat Sancti Baſilij conſilium in conſtitutionibus Monaſt. cap. 32. [Obſervare „ Antiſtes debet, nè imponendis gravioribus, „ quàm ſuſtinêre fratrum corporis vires poſ„ ſint, eos ad abjiciendam obedientiam per „ contradictionem inſtiget.] Hoc ſanè ad Superioris prudentiam, & diſcretionem maximè pertinet.

CAPUT XI.

Quæ facilem obedientiam faciant.

SUBDITIS verò multa ſunt, quæ facilem, ac ſuavem obedientiam faciant.

1. Primum; ſi cogitent ea, quæ ſuperiùs dicta ſunt, neceſſitatem, inquam, & utilitatem obedientiæ, Superioriſque voluntatem eſſe voluntatem Dei, qui non immediatè ipſe, ſed per ſecundas cauſas gubernat omnia; & ut cœleſtia corpora per Angelos movet, & inferiora cætera per ſuperiora corpora adminiſtrat: ſic homines quoque per alios homines, ſive ſæculares Principes, ſive Eccleſiaſticos, & Religioſos Prælatos. Itaque Superioris vox velut loquentis Dei vox audienda eſt; atque ut ſi Deum ipſum audires, nè hiſcere quidem, nedum contradicere, aut murmurare auderes: ità & dum Superiorem audis. Sanctus Chryſ. in ſermone de levium peccatorum periculis; „ [Non debet homo quid jubeatur expende„ re, ſed magis quis juſſerit cogitare.] Hoc ille de levibus peccatis vitandis, licet & in rem noſtram uſurpare.

2. Secundum erit Humilitas. Superbia namque & tumor cordis, ſuique ipſius æſtimatio, difficilem obedientiam faciunt: [Superbus obe„ diens eſſe non poteſt, inquit S.Aug. ſer. 61. „ ad fratres in eremo, quia cæteros deſpicit.] Et ideò lib. 14. de civit. Dei c.13. monet nos, ut ſursùm ad Deum habeamus cor, non ad noſipſos: [Bonum eſt ſursùm habêre cor, non ad „ ſeipſum, quod eſt ſuperbiæ; ſed ad Domi„ num, quod eſt obedientiæ, quæ niſi humi„ lium eſſe non poteſt.] Et Jo. Caſſianus lib. de nocturnarum orationum modo c. 3. [Obe„ dire ſeniori nullus poteſt, niſi qui conſum„ matus timore Dei, & humilitatis fuerit vir„ tute perfectus.] Et S. Greg. in præfatione ad libros moralium c. 8. obſervat, Job pro amicis ſuis obtuliſſe Deo tauros, & arietes. [In „ tauro quippè cervix ſuperbiæ, in ariete au„ tem ducatus gregum ſequentium deſigna„ tur, utrumque animal ſuperbum eſt. Offe„ rat ea vir obedientiæ amans, & ſtudioſus.] Et rurſum lib. 5. in primum Regum c. 3. [Ex „ radice, inquit, ſuperbiæ culpa inobedientiæ „ naſcitur.] Et S.Leo Papa ſer. 5. de Epiphania: [Hic labor pijs filijs, & bonis ſervis, non „ ſolùm non aſper, nec oneroſus; ſed & ſua„ vis, & levis eſt, dicente Domino; Jugum „ meum ſuave eſt, & onus leve. Nihil arduum „ eſt humilibus, nihil aſperum mitibus. Et fa„ cilè omnia præcepta veniunt in effectum; „ quando & gratia prætendit auxilium, & o„ bedientia mollit imperium.]

3. Tertium Patientia. Multa enim toleranda ſunt. In ſuperioribus dictum eſt ex Sancto

cto Chryſoſtomo obedientiam in aſino ſignificatam in ſacris litteris fuiſſe, quòd hoc animal patiens ſit, & laboris tolerans. Origenes autem tract. 14. in Matthæum, cùm diceret Evangeliſta; Cùm appropinquaret Jeſus Betphage. Marcum notat Betaniam dixiſſe, & Lucam Betphage, & Betaniam: [Betphage „ autem, inquit, domus maxillarum interpre- „ tatur, & erat villa Sacerdotum: quoniam „ maxilla pars eſt Sacerdotum ex lege. Quod „ myſterium eſt patientiæ fidelium, quibus „ Dominus dicit: Si percuſſerit te in maxil- „ lam unam, præbe illi & alteram. Betania „ autem domus eſt obedientiæ. In domum er- „ gò obedientiæ, & patientiæ adducuntur om- „ nes, qui ſolvuntur à vinculo peccatorum „ ſuorum, ut indè ſuper eos aſcendat Chri- „ ſtus.] Sicut aſcendit ibi ſuper aſinum, quem diximus obedientiæ typum fuiſſe. Verùm, ut hæc obedientia, & patientia tolerari poſſint, ſapienter monuit Sanctus Bernardus ſermone de obedientia, patientia, & ſapientia, eas comitem habêre debêre ſapientiam: [Obedien- „ tia, inquit, & patientia comitem habêre de- „ bent ſapientiam; alioquin duriſſimus cibus, „ & mors in olla. Et nulli ſacrificio ſal deeſſe „ jubetur & ignis in altari ſemper ardêre. Hæc „ autem ſapientia in tribus conſiſtit; ut juſti- „ tia ſit in intentione, hilaritas in operatione, „ humilitas in reputatione.]

4. Quartum. Charitas, & Amor, tum ergà Deum, tum ergà Superiorem, & religionem ſeu communitatem. Amor enim omnia ſuperat impedimenta, ut loquitur Sanctus Chryſ. de ſacrificio Abrahæ loquens homiliâ trigeſimâ primâ in Gen. totuſque fit ejus, quod amat, & à nullo, quod in medio appareat difficile, remorari ſe patitur: ſed omnia præterit, nec ſubſiſtit priùs, quàm re deſiderata potiatur. Scitum eſt illud; Omnia vincit amor, & Volenti nihil difficile. Sanctus Ambroſius in caput primum ep. ad Eph. [Nemo meliùs ali- „ cui obtemperat, quàm qui ex charitate obſe- „ quitur.] Et Sanctus Leo Papa ſermone quarto de jejunio ſeptimi menſis: [Obedientia mol- „ lit imperium: nec dura ibi neceſſitate ſervi- „ tur, ubi diligitur, quod jubetur. Sed & vi- „ ciſſim charitas Superioris facilem reddit o- „ bedientiam, ſi ſubditus amari ſe à Superiore „ intelligat.] Sanctus Auguſtinus epiſt. 131. ad Memorium Epiſcopum; [Ubi ſuccumbo, „ inquit, quia oneror, ibi etiam, quia diligor, „ ſublevor.]

5. Quintum. Simplicitas, & animi candor, ac innocentia. Job cap. 42. legimus, omnes amicos, & cognatos, qui poſt ſuperatas tentationes, deviςtumque Diabolum venerunt ad Job, obtuliſſe illi unumquemque ovem unam, & inaurem auream unam. Quid ſibi vult hæc copulatio ovis, & inauris? quid inauri cum ove? Præclarè interpretatur Sanctus Gregorius libro trigeſimo quinto mor. cap. 10. Nam ovis ſimplicitatem, & innocentiam ſignificat; ejuſmodi enim animal eſt ovis. Et inauris obedientiam; Pſalm. 17. In auditu auris obedivit mihi, cum ove ergò inauris offertur; quia innocuis mentibus ornamentum ſemper obedientiæ jungitur. Et inaurem auream obtulerunt: quia obedientia non ſervili metu, ſed charitatis affectu ſervanda eſt; non timore pœnæ, ſed amore juſtitiæ. Obedientiam igitur ſimplicitas, & charitas comitentur; nec ulla erit inobediendo difficultas, ſed jucunditas ſumma. De Sancto Dorotheo legimus apud ipſum ſermone quinto cum tanta animi quiete, & conſolatione frui ſolitum propterea fuiſſe, ut aliquando doleret quòd audiſſet; Per multas tribulationes oportet intrare in Regnum Dei: Et Superior dixit illi: Nè ſolicitus, & anxius ſis fili, nec mœrore graveris, quoniam quicumque ſe tradiderit obedientiæ ſuorum patrum, & illorum arbitrio regendum ſe dederit, iſtac profectò quiete, & animi tranquillitate fruetur.

Sextum adjumentum ſumi poteſt ex aliorum exemplis, quæ ſuprà commemorata ſunt. 6.
Maximè verò ex obedientia Chriſti, quam omnes imitari debemus. Sanctus Gregorius Nyſſenus or. in illud Pauli; Tunc ipſe filius ſubjicietur &c. Subjectionem illam conſiderans, qua in infantili ætate ſubditus fuiſſe parentibus dicitur Luc. 2. hoc illum ſcripſit ad noſtrum exemplum feciſſe. Ut oſtenderet, quòd id, quod per perfectum perficitur, priuſquàm perveniat ad finem, rectè ſuſcipit ſubjectionem. Ideò Jo. 2. maternum conſilium, ut quòd minimè in tempore adhiberetur, rejecit, dicens; Quid mihi, & tibi eſt mulier? Viſne me antè ætatem præeſſe, & imperare? Nondum venit hora mea; quæ præbet ætati, ut imperet, & ſit ſui juris. Hoc igitur, & nos intelligamus; ſubjectionis, & obedientiæ tempus eſſe, non ut alijs imperemus, aut juris noſtri ſimus, propriaque voluntate vivamus: „ [Diſce (inquit Sanctus Bern. hom. 1. ſuper „ Miſſus eſt) homo obedire, diſce terra ſubji- „ ci, & diſce pulvis obtemperare. De autore „ tuo dicitur, & erat ſubditus illis, Mariæ, & „ Joſeph. Erubeſce ſuperbe cinis. Deus ſe hu- „ miliat, & tu te exaltas? Deus hominibus ſub- „ ditur, & tu dominari geſtiens hominibus, „ tuo te præponis autori? Utinam mihi ta- „ le aliquid cogitanti Deus reſpondêre digne- „ tur; Vade poſt me Satana, non ſapis quæ „ Dei ſunt, ſed quæ hominùm; Si hominis ô „ homo imitari dedignaris exemplum, certè „ non erit tibi indignum ſequi autorem tuum.] Cæterùm non ſolùm in infantia, ſed & in tota vita obediens fuit, nec ſuam, ſed patris fecit voluntatem. Quamobrem Sanctus Gregorius

Obedientia Chriſti.

lib.

Digitized by Google

lib. 35. mor. c. 10. [Quoniam primus homo, „ quia ſuam facere voluntatem voluit, à Paradiſi gaudio exivit; ſecundus ad redemptio„nem hominum veniens, voluntatem patris, „ non ſuam fecit. Ideò dicebat; Non poſſum „ à meipſo facere quidquam: ſed ſicut audio, „ judico. Si, ſicut audit, judicat; tunc quoque „ obedit, quando judex venit.] Meritò ergò David Pſal. 61: ſeipſum quaſi reprehendens interrogat; Nonnè Deo ſubjecta erit anima mea? Quæ verba exponens S. Amb. [Quia, „ inquit, per inobedientiam culpa irrepſerat, „ dum mandata divina temerantur; obedien„tiam præ cæteris debuit Chriſtus reformare, „ ut ſeminarium erroris excluderet, ſicut bonus „ medicus radices priùs ulceris debet amputa„re. Fruſtrà cicatricem curaveris, ſi ſerpant „ interiora contagia.] Peccatum, & ruina ex inobedientia, & propriæ voluntatis abuſu fuit, curanda per obedientiam, & ſubjectionem fuit. Denique Paulus Phil. 2. verbis illis obedientiam Chriſti commendavit, ita ut ampliùs commendari non poſſet: Humiliavit ſeipſum factus obediens uſquè ad mortem, mortem autem Crucis; hoc eſt, fuit obedientia diuturna, & perſeverans per totam vitam & obedientia fortis, & duriſſima ſuſtinens vel etiam mortem, & acerbiſſimam mortem. De qua Sanctus Bernardus in ſerm. ad milites templi cap. 13. [Tantam habuit obedientiam, ut vitam, „ quàm ipſam, perdere maluerit.] Et ep. 42. ad Henricum Sennonenſem Archiepiſcopum; „ [Chriſtus dedit vitam, nè perderet obedien„tiam: quâ iſti ut careant, totum ferè ſuum, „ ſuorumque victum expendunt.] Et ſer. in ea verba; Ecce nos reliquimus omnia; [Fa„miliaris, & amica, ſalutis obedientia eſt; „ ſed obedientia firma, & ſtabilis, quæ fun„data eſt ſuprà petram. Undè & vitæ Salva„tor prætulit hanc virtutem, eligens magis „ animam ponere, quàm obedientiam non im„plêre. Et ipſum nomen Jeſu, quod eſt ſu„per omne nomen, & in quo flectitur omne „ genu, Apoſtolo teſte, obedientiæ remune„ratio eſt.] Itaque in ſer. 2. de cœna Domini, obedientiam hanc Chriſti uſquè ad mortem dixit fuiſſe talarem tunicam, quam Joſeph, hoc eſt perfectus quilibet induit; & hom. de duobus diſcipulis euntibus in Emaus, Chriſtum ita loquentem facit; [Nè timeas fili obedien„tiæ, nè timeas. Intuere manus propter obe„dientiam Cruci affixas: conſidera pedes ex„poſitos fixuris clavorum, & latus lanceâ per„foratum. Attende quòd propter obedientiam „ mortuus ſum; &, ſi propter fragilitatem „ humanæ conditionis obedientia tua ſit mi„nùs aliquid perfectum habens, volo ut ple„nitudo meæ obedientiæ ſit tuæ ſupplemen„tum.]

CAPUT XII.

De Inobedientia.

SEPTIMUM ad obediendum incitamentum fuerit inobedientium pœna. Sanctus Ignatius in ep. ad Trallianos hanc adversùs eos pronuntiavit ſententiam: [Qui his non obe„dit, Atheus prorſus, & impius eſt, & Chri„ſtum contemnit.] Mitiùs locutus eſt S. Anſelmus ad caput 12. epiſt. ad Hebr. Dixit tamen, obedientiam conciliare nos Deo; tumorem, & inobedientiam longè ab eo ſeparare. Confirmat Emiſſenus homiliâ 3. ad monachos, dum ita ſcribit: [Niſi cum aviditate, „ niſi cum bona voluntate, cum lætitia, Dei „ opera egerimus, Deo nos perire noverimus. „ Putamus quod dignè quærat illa anima; & „ ita pulſet, ut ei aperiatur, quæ ad leve præ„ceptum ſenioris reſpondêre præſumit, & di„cere; Nunquid ſervi veſtri ſumus? Jam feci „ vicem meam, & ille faciat ſuam. Quomo„dò hoc dicit, cui præceptum eſt; Nolitè „ quærere quæ veſtra ſunt.] Et iterùm; [Non „ quæ ſua ſunt, ſinguli conſiderantes, à quo „ non hoc ſolùm expetitur, ut mercedem ſuam „ impleat; ſed ut alienas invadat, occupet, „ rapiat.] Sanè S. Baſilius in regulis fuſiùs diſput. 28. inobedientiam agnoſcit velut indicium multorum, & graviium vitiorum: [An„tiſtitis, inquit, imperium detrectare, & ver„bis adversùs juſſa ipſius litigare, magno in„dicio eſt, eum, qui ita faciat, multis vitijs „ laborare; fidei debilitate, ſpei ambiguitate, „ arrogantia morum, atque ſuperbia.] Semper in perniciem inobedientia ſolet exire, dixit S. Cyrillus Alexandrinus libro 4. in Jo. c. 3. Nempè ut ratiocinatur Emiſſenus, ſociam ſibi aſciſcens infidelitatem, in apoſtaſiam tandem deſinit, ſic enim habet: [Diabolus, quia non „ poteſt aliquem abſolutè de loco ſalutis excu„tere, immittit inobedientiæ paſſionem, quam „ ſemper ſociam infidelitas comitatur, quæ „ cum captivam illaqueaverit mentem, ſtatim „ intoleranda, atque impoſſibilia facit etiam „ illa, quæ parva, & levia ſunt.]

Inobedientia pœna.

Et ſanè dubium non eſt, quòd vires inobedientibus divinitùs ſubtrahuntur, ſicut & ille, qui non habebat in ſe neceſſariam fidei devotionem, etiam quod habebat, auferebatur ab eo. Ita inobedientia obdurat animum, quem ſemel cœperit: ut ad ſuſcipienda præcepta; nec autoritate, nec ratione flectatur; ſed quod peſſimum eſt, ſibi ſoli credat, & pro omni ratione intentiones ſuas ſequatur. Et hoc ſolum rectum putet, quod obdurato corde conceperit. Poſtremò eveniet ejuſmodi animabus, quod domui, quæ ſuprà arenam ædificata eſt. S. Baſilius quoque ep. 64. [Plerumque, inquit,

Digitized by Google

„ inquit, propter filios inobedientiæ operatio „ mittitur erroris, & ſpiritus mendax eſt, qui „ cùm in pſeudoprophetis eſſet, Achab Regem decepit.]

Aäron Ex. 32. quando voluit vitulum conflare populo adorandum, inaures primùm ab auribus uxorum juſſit tolli, ut inobedientiâ ipſorum oſtenderetur ad cultum idolorum eſſe perventum. [Idcircò ſtatim ad primum pec- „ candi aditum inaures auferuntur; hoc eſt, „ obedientia præceptorum ab aure ſubdito- „ rum.] Ità obſervavit Sanctus Gregorius Nyſſenus, cujus hæc ipſa ſunt verba in libro de vita Moyſeos: *Obedientiâ ergò ſublatâ, patet ad peccatum, & verò ad idololatriam aditus.*

Petivit aliquando Moyſes à Deo Exodi 33. Oſtende mihi faciem tuam: ſed reſponſum eſt illi; Facies mea præcedet te, & videbis poſteriora mea; faciem meam non videbis. „ [Noli ad faciem ducentis Dei occurrere, in- „ quit idem Nyſſenus, nè in oppoſitùm curſus „ fiat; qui ducentis faciem videt, ducenti op- „ poſitus eſt.] Sed Moyſes poſteriora Dei videt, ut vivat: Non enim videbit me homo, & vivet. Vide quantum eſt, ut aliquis diſcat Deum ſequi. Nihil illi mali officere poteſt, qui poſt Deum hoc modo conſtitutus eſt.

Huic perſimile eſt illud, quod de Petro legimus Matth. 16. nam cùm Dominus paſſionem ſuam prædiceret, Petrus cœpit illum increpare, dicens; Abſit à te Domine, non erit tibi hoc; & Dominus dixit illi; Vade poſt me Satana &c. [Quia malum, inquit „ S. Auguſt. in Pſ. 39. dabat conſilium Chri- „ ſto; præcedere volebat Dominum, & con- „ ſilium dare Magiſtro. Dominus autem ut „ eum faceret, non præcedentem, ſed ſequen- „ tem, ait; Vade retrò Satana. Si retrò fue- „ ris, & ſecutus fueris, jam non eris Satanas.] Eandem ſententiam & expoſitionem habet in Pſ. 55. & 62. & 69. & 126. & tract. 49. in Jo. Sequamur ergò & nos Superioris ductum, nec præire velimus, aut vidêre faciem; opponendo nos illius voluntati: ſed poſteriora præcedentis aſpiciamus, ſi vivere volumus; alioqui peribimus.

Aſpiciant inobedientes, ait S. Greg. lib. 2. in primum Regum c. 4. quòd primus humani generis parens à Paradiſi gaudijs non furto, nec rapina, nec adulterio, nec homicidio; ſed pomi vetiti inobedientiâ corruit. Quamquam Humbertus in epiſt. de tribus votis cap. 3. ſpirituale quoque furtum, & rapinam voluit eſſe inobedientiam. Nam ſi occultè contrariamur obedientiæ, furtum; ſi manifeſtè, rapina eſt. Voluntatem enim, quam pro Chriſto reliquimus, contrà juſtitiam uſurpamus. Et Sanctus Auſelmus in libro de ſimilitudinibus cap. 89. inobedientem hominem latronem eſſe affirmat. Cùm enim triplicem in ſubditis voluntatem poſuiſſet, obedientiam, licentiam, inobedientiam: licentiam, ait, eſſe mediam inter obedientiam, & inobedientiam. Atque ſub obedientia viventes, eſſe velut matronas regalis filiæ, licentias velut ancillas, inobedientiam latronem.

Inobedientia rapina & furtum.

Sed audiatur S. Bern. quomodo de inobedientia loquatur in epiſtola 42. jam indicata: „ [Dum hominis obedientiam, & ſubjectio- „ nem refugis, in diaboli duram tyrannidem „ incidis. Si mei quandoque Pontificis, in- „ quit ille, à proprijs cervicibus excutere ju- „ gum tentavero; Satanæ mox tyrannidi me- „ ipſum ſubijcio. Advertens enim ille, qui ve- „ nit, quærens quem devoret, elongatam cu- „ ſtodiam, ſtatim inſilit in præſumptorem. Me- „ ritò enim non cunctatur præſidêre ſuperbo, „ qui ſe Regem gloriatur ſuper omnes filios ſu- „ perbiæ. Quis dabit mihi centum in mei cu- „ ſtodiam deputari paſtores? Quantò plures „ ſentio mei curam gerere, tantò ſecurior exeo „ in paſcua. Stupenda inſania: animarum non „ cunctor turbas mihi cuſtodiendas colligere, „ & unum ſuper propriam gravor habêre cu- „ ſtodem? Subjecti me de reddenda pro ſe ra- „ tione ſolicitant: qui autem præſunt mihi, ip- „ ſi potius pervigilant, tanquam rationem pro „ me reddituri. Illi etſi honorant, onerant: hi „ non tam premunt, quàm protegunt.]

CAPUT XIII.

Inobedientium pœna.

EX his, quæ hactenùs dicta ſunt, ſatis intelligi poteſt, quàm gravis ſit inobedientiæ culpa, quippè quæ non ſolùm ſit peccatum, ſed & pœna peccati, ſuperbiæ ſcilicet, arrogantiæ, præſumptionis, & infidelitatis; & præterea etiam cauſa peccati, apoſtaſiæ, & aliorum, quæ inobedientiam comitantur. Obſervavit Emiſſenus hom. antè notata, eam eſſe graviſſimam peccati pœnam: [Ire, inquit, poſt „ voluntates proprias, tam pernicioſum eſt, „ ut hoc Dominus iratus pro damnatione pec- „ cati irroget; dicens & Dimiſi eos ſecundùm „ deſideria cordis eorum.]

Inobedientia peccatum, pœna, & cauſa peccati.

Propterea veteres morum magiſtros legimus vitium hoc graviſſimè ſemper caſtigâſſe. S. Baſilius ita præcepit in conſt. mon. c. 32. „ [Graviſſimè plectantur ij, qui quas à Deo „ corporis vires acceperunt, malitiosè celant, „ & adverſum Antiſtitem petulanti impuden- „ tia ſe gerunt, & illius juſſis non obtempe- „ rant.] Et in reg. fuſiùs diſput. 29. Horum opus nequaquam permiſcêri permittit cum illorum operibus, qui humiles ſunt, & obedientes, neque ullo modo in uſus Monaſterij erogari. Si quidem quod altum eſt hominibus,

Digitized by Google

bus, abominabile eſt apud Deum, & ingratum eſt hujuſmodi hominum opus, velut ſacrificium immundum; neque fas eſt miſtum aliorum inferri pijs operibus. Et alibi eijciendos eos conſtituit, & ſeparandos, velut peſte infectos, à communi aliorum cœtu. In regulis fuſioribus 47. [Clam queruli, & contumaces, velut rebellionis, & inobedientiæ „ magiſtri, prorsùs à reliqua fratrum familia „ exigantur. Eijce enim è conſilio peſtilentem, „ inquit Sapiens Prov. 22. & exibit cum eo „ jurgium.] Et rurſum in regulis brev. 281. quærens, an qui pſallere nolit, cogendus ſit, Reſpondet; [Niſi alacriter accedat, aut corrigitur, aut de medio tollitur, nè modicum „ fermentum totam maſſam corrumpat.] Et in animadverſionibus adversùs Canonicos delinquentes num. 4. [Qui quæ facere, poſſit „ juſſus, non cum omni lætitia obtemperet, „ velut abundans in ſuo ſenſu, hebdomadam „ unam ſegregetur.] Idemque repetit adverſus Canonicas, quæ Superiorum imperio adverſentur num. 12.

Sanctus Benedictus, ut narrat Sanctus Gregorius libro ſecundo dialog. capite vigeſimo octavo, oleum, quod juſſerat petenti dari, & non fuerat datum, juſſit cum vaſe ex feneſtra proijci, nè in cella aliquid per inobedientiam remaneret. Sed gravius eſt, quod Joannes Caſſianus ſcribit in libro de inſtitutis renuntiantium c. 6. veteres illos monachos toto probationis tempore conſueviſſe conſervare veſtes illorum, quos in cœnobium admittebant; quòd ſi murmurationis, vel inobedientiæ vitium quis incurriſſet, monaſterij veſtibus exutum, & priſtinis indutum dimittebant.

Denique Sanctus Chryſ. homiliâ quintâ ad populum, inobedientiam profert Jonæ Prophetæ maris tempeſtate à Deo punitam. [Poſtquam, inquit, Jonas navigium intravit, ſtatim Deus excitavit mare: ut diſcas, quòd „ ubi peccatum, ibi procella, ubi inobedientia, ibi fluctuatio. Pòſt verò in mare projectus, & peccatum per ſupplicium deponens; „ in incompoſitum deductus eſt navigium, „ cœti ſcilicet ventrem, ubi multa potiebatur „ libertate: ut diſcas, quod ſicut in peccatis „ viventi, neque navigium prodeſt; ſic peccato exutum, neque mare perdit, neque „ beſtiæ conſumunt.]

CAPUT XIV.

Non murmurandum contrà Prælatos.

QUONIAM tamen multi ſunt, qui obediunt quidem, ſed ægrè, & interiùs murmurant, & iraſcuntur adversùs Superiorem, quòd aut injungat, quæ nollent ipſi, aut non permittat, quæ vellent. De his etiam dicendum eſt, quid Patres ſenſerint. Quid S. Baſilius caverit in fuſioribus regulis 29. quid item de querulis, hoc eſt murmurantibus, 49. paulò antè dictum eſt. In brevior. verò 123. [Si „ quis ægrè ferat non permitti ſibi, ut ea faciat, „ ad quæ aptus non eſt, alienum eſt à recta ratione, uti propria voluntate; & aliorum judicio non ſtare contumeliæ eſt, & pertinaciæ.] In ſecundo libro Regum cap. 6. dum arca Dei reduceretur de domo Aminadab, calcitrabant boves; & extendit manum Oza, ut ſuſtineret arcam. Calcitrant interdum ſubditi contrà juſſa majorum, & obedientiæ, ac virtutis arca periclitatur. Et Sanctus Gregorius libro quinto moral. capite decimo, rem benè conſiderans; [Sæpè, inquit, aliquid à majoribus diſpenſatoriè agitur, vel præcipitur, „ quod à minoribus error putatur. Sæpè multa à fortioribus dicuntur, quæ infirmi idcircò dijudicant, quia ignorant. Quod benè „ bobus calcitrantibus inclinata teſtamenti arca ſignavit, quam quia caſuram credens „ Levites erigere voluit, mox ſententiam „ mortis accepit. Quid eſt namque mens juſti, niſi arca teſtamenti, quæ bobus calcitrantibus inclinatur: quia nonnumquam „ dum ſubditorum confuſione concutitur, ad „ diſpenſationis condeſcenſionem ex ſola dilectione promovetur, & nonnulli ſubditi „ contrà hanc manum reprehenſionis mittunt. „ Sed Oza robuſtus Domini interpretatur; „ quia præſumptores quique niſi audaci mente robuſtos ſe in Domino crederent, meliorum dicta vel facta, velut infirma non judicarent.]

Severè monet Sanctus Bernardus ſermone tertio de Circumciſione (ut attuli ſuprà in capite nono hujus libri) ubi affirmat, non eſſe virtutem patientiæ, ſed malitiæ velamentum, ſi aliquis Superioris præcepta moleſtè cœperit ſuſtinêre, ſi dijudicare Prælatum, ſi murmurare in corde, etiamſi exteriùs mandata impleverit. Propterea in doctrina, quæ eidem Bernardo adſcribitur, de modo benè vivendi in monaſterio, ſapienter conſulitur ſubditis; [Cùm aliquid à Priore rogaturus veneris, præpara te ad repulſam ſemper: etſi „ contingat negari, dic apud te: Quid decebat aſellum, niſi frænum, & ſtimulus? Ego „ nihil propriè vendicare poſſum in domô iſta, „ niſi cilicium, & crucem.] [Qui verò „ Prælati judices fiunt (ſcribit Sanctus Anſelmus epiſtolâ trigeſimâ nonâ libri tertij ad „ Beccenſes monachos) apertè Dei ordinationi, cujus diſpoſitione ſibi Prælatus eſt, „ detrahunt, & contradicunt, quibus Deus, & „ ſuæ gubernationis ſubtrahit auxilium. & eos „ in proprij erroris præcipitari permittit conſilium. Ubi verò Prælatus cum veneratione „ tamquam Chriſtus ſuſcipitur, ibi tota domus Chriſti

„ Chriſti regitur conſilio, & protegitur, & „ ſuſtentatur auxilio.]

CAPUT XV.

De abjectioribus officijs domeſticis.

ET quoniam in officijs quibuſdam domeſticis repugnat interdum ſenſus, & propria reluctatur æſtimatio, audiamus Sanctum Baſilium in conſtit. monaſt. cap. 24. [Debet, „ inquit, pietatis cultor viliora etiam mune- „ ra magno cum ſtudio, magnaque animi ala- „ critate ſuſcipere. Sciens nihil minutum eſſe, „ quod Dei causâ fiat, ſed grande, & ſpiritua- „ le, & ejuſmodi, quod cœlum nobis, & præ- „ mia cœleſtia conciliat.] Undè ſequenda etiam eſſe jumenta ſarcinaria, exemplo Apoſtolorum oſtendit, qui Domino paruerunt jubenti, ut ad ſe pullum adducerent aſinæ, Chriſtum quoque addit diſcipulis miniſtrâſſe, & abjectiora opera non recuſâſſe, magnumque homini eſſe, ſi Dei imitator exiſtat. Et rursùm capite vigeſimo ſeptimo. [Nemo in ad- „ juvandis communibus, aliorum corporis ne- „ ceſſitatibus operam denegare ſuam debet. „ Si enim priorum exemplo munus hoc omnes „ detrectârint, quis fuerit tandem, qui neceſ- „ ſarijs officijs ſatisfaciat?]

Suſcipienda eſſe.

Exemplum adjungit militis, qui in ordinem modò adſcriptus ſit, non curat reliquos ad conſuetudinem ſuam traducere; ſed ipſe ad ordinis diſciplinam ſe accommodat. Sic enim &c. Proptereà in regulis brevioribus 148. & 149. eos, quibus cellarij, vel alterius officij cura commiſſa ſit, vult omninò ſervare eum modum, qui à Superiore fuerit illis deſignatus: quod ſi ad gratiam, vel ſimultatem eo fungantur munere; ij, ut alieni ab Eccleſia Dei habeantur, quouſquè ſe emendaverint. Et reg. centeſimâ quinquageſimâ ſecundâ, Superiorem quidem vult in officiorum diſtributione habêre rationem habilitatis, & virium cujuſque: cum tamen, cui imponitur, etſi ſuprà vires ſuas officium ſit, repugnare non debêre, cùm obedientiam retinêre perpetuò uſque ad mortem conveniat.

Sanctus Greg. lib. 35. mor. c. 10. in operibus ex obedientia injunctis debêre nos tradit interdum habêre aliquid de noſtro, & interdum non habêre, hoc eſt, opera interdum eſſe juxtà naturalem inclinationem, & voluntatem, & interdum non item: [Obedientia, in- „ quit, aliquando ſi de ſuo aliquid habeat, nul- „ la eſt, ut ſi proſpera vel locus Superior præ- „ cipiatur; aliquando autem ſi de ſuo aliquid „ non habeat, minima, ut cùm probra, vel „ mundi deſpectus jubentur. Debet ergò, & „ in adverſis aliquid de ſuo habêre, & in proſ- „ peris omninò aliquid non habêre.] In proſperis eſt exemplum Moyſis Exodi 4. Et in adverſis exemplum Pauli Gal. 2. & Act. vigeſimo primo. Itaque lib. 4. in primum Regum c. 5. obedientiam dixit eſſe velut rotam, & rotam obedientium vitam ſignificare: [Ro- „ ta enim volvendo graditur, & modò alta pe- „ tit, modò inferiora. Sic obediens inferiùs „ agit, quod ſurſum pertrahit; & ſurſum vi- „ det, quod inferiùs exhibet. Nam quod in- „ feriùs agit, ſurſum tollitur; quia quando Præ- „ latorum juſſis obedit, terrena ſunt, quæ ope- „ ratur; ſed de terrenis, quæ facit, ſuperna „ præmia præſtolatur. Item, quod ſurſum ha- „ bet ad terram flectit; quia ut benè terrena „ agat, cœleſtia contemplatur; & illud ſolùm „ operatur, quod ſummæ fœlicitati convenire „ conſpicit.]

Obedientia rota.

CAPUT XVI.

De Abrahæ obedientia.

CELEBRATUR maximè apud Sanctos Patres obedientia Abrahæ. Primùm quòd juſſus exire de terra ſua, & relinquere quæcunque habebat, & longam peregrinationem ſuſcipere, ut legimus Gen. 12. illicò, & abſque mora obedivit, & exijt neſciens, quò iret, ut loquitur Paulus Hebr. 11. Deindè, quod juſſus immolare unicum filium, quem maximè diligebat, & in quo Deus promiſerat ſe facturum illum in gentem magnam, irripuit ſtatim gladium, ut trucidaret illum Gen. 22. Verè dixit Sanctus Auguſtinus ſermone 40. ad fratres in eremo; Abraham exquiſitum obedientiæ exemplum: Abraham & prima obedientiæ norma, & forma veræ obedientiæ. [Conſi- „ dera mihi Abraham (inquit S. Baſilius in „ conſtit. monaſt. cap. 23.) qui jubetur re- „ linquere domum, patriam, ſupellectilem do- „ meſticam, poſſeſſionem, cognatos, amicos, „ & omnia, quæ contraria his ſunt, conſe- „ ctari, peregrinationem, obſcuritatem no- „ minis, vitæ incompertæ errores, paupertа- „ tem, metus, pericula, & incommoda. Et vi- „ debis eum ſublata omni cunctatione dicto „ eſſe audientem, &c. Qui enim ſemel in eo „ animum obfirmaverat ſuum, ut obediret „ Deo, nihil amplius ſpectabat, quid de ſe diſ- „ poneret Deus: ſed totus in eo erat defixus, „ quomodo perfectiſſimam illi obedientiam „ præſtaret. Verùm & filium Iſaâc diuturni „ ſui voti, diuturnæque fidei præmium, jam „ ætatis flori propinquum, qui parentibus ſe- „ cuturæ prolis, & poſteritatis ſtabilimenti „ ſpem bonam adferret, jubetur à Deo in præ- „ altum montem educere, ipſique illum im- „ molare. Et ille duriſſima hac voce accepta, mu- „ nereque horrore pleniſſimo, ejuſmodique, ut „ tantummodò auditum, nè dum imperatum,

ipſam

Digitized by Google

,, ipſam poſſet naturam proſternere; hæc omnia ut moderatè tulit, ut mente nihil eſt conſternatus, ut non concidit animo: ſed perindè ut ſi agnum eſſet aliquem mactaturus; ſic ,, leni, tranquilloque animo, ſublato obedientiæ jugo, ibat unà cum filio, quod juſſus ,, erat expleturus: nihil neque in hoc curiosè ,, judicium Dei pervestigans, aut ſecum dequerens: ſed tota in officij ſui conſervatione ,, mente defixa, nè ulla in re obedientiam minueret ſuam, luculentam hoc modo coronam reportavit: nempè qui cunctis deinceps mortalibus fidei, obedientiæque veluti ,, columna quædam erectus ſit.] Paucioribus verbis S. Gregorius Nazianzenus in or. ad cives Nazianzenos: [Abraham unicum filium divinitùs promiſſum, immò ad quem ipſa promiſſio referebatur, Deo libentiùs obtulit, ,, quàm à Deo primùm acceperat.]

Sed de priore exeuntis Abrahæ de terra ſua loquens S. Chryſ. hom. 31. in Gen. [Anima, ,, inquit, vigilans, & ſobria cuncta diſſecat ,, impedimenta, totaque fit ejus, quod amat, ,, & à nullo, quod in medio apparet difficile, ,, remorari ſe patitur: ſed omnia præterit, nec ,, ſubſiſtit, priuſquàm re deſiderata potiatur. ,, Propterea & juſtus iſte, neque ſenectute, neque alijs majoribus annis prohibêri potuit, ,, quin omnibus diſruptis vinculis, quaſi juvenis, & juveneſcens, ac à nullo prohibitus, ,, feſtinabat, & anhelabat Domini præceptum perficere. Neque enim poſſibile eſt, ut ,, rem fortem, & egregiam quis unquam aliter faciat, niſi anteà adversùs omnia, quæ ,, obſiſtere poſſunt, ſe armet, & inſtruat.] Et infrà: [Nos verò, qui non de terra in terram vocamur, ſed de terra ad cœlum; non ,, eandem, quam ille juſtus, alacritatem obediendo exhibemus; ſed frigidas plerumque, ,, & inutiles præteximus cauſas.] Omninò grave illud fuit, quod dixit Paulus, quòd exiens de terra ſua, neſciebat quò iret. Quod perpendens idem S. Chryſ. in 2. libro de providentia, ita ſcribit: [Qui grave aliquid, & ,, oneroſum toleraturus eſt, multò feret leviùs, ,, ſi apertè ſciat, quid ſibi ſuſtinendum ſit, & ,, ad quid ſe præparare debeat, quàm ſi per ,, omnia cogitationibus jactetur ambiguis, & ,, nunc læta, nunc triſtia expectet.]

De altera verò obedientia Abrahæ immolantis filium, hæc habet in ſermone de fide Abraham, & immolatione Iſaac, tom. 1. [Fuit ,, lætus, cùm eum acciperet; lætior, cùm eum ,, immolandum Dominus poſtularet; oſtendit ,, Abraham chariſſimum quidem ſibi eſſe filium, ſed multò chariorem filio exiſtere Dominum: nec dulcedinem, aut affectus pignoris reſpiciebat, qui juſſionem, ut perficeret, cogitabat; totos affectùs convertit in ,, Deum, cui jam ſe noverat mancipatum.]

Sanctus Ambroſius utramque Abrahæ obedientiam eleganter exaggerat in primo libro de Abraham c. 2. & 8. Sed hìc ſatis ſit de poſteriore, hæc pauca adſcribere, quibus ſingula jubentis Dei verba perpendit: ſic autem ipſe legit: [Tolle filium tuum dilectiſſimum, ,, quem dilexiſti, Iſaac &c. Non ſinit, inquit, ,, otioſum eſſe affectum patris; ſtimulat, & ,, pungit pietatis aculeis, & filij nomen addit ,, ad vim neceſſitudinis, & amoris. Adjungit; ,, Dilectiſsimum, quem dilexiſti, id eſt non recenti amoris impulſu, ſed inolito diu, & probato amore dilectum. Deindè etiam, quia ,, morituros plùs diligimus filios. Addit nomen ,, Iſaäc; hoc eſt eum, quem ſuſcepiſti de uxore unicum, ſuſcepiſti in ſenectute, ſuſcepiſti ,, tamquam fidei tuæ præmium, remunerationem operum tuorum, ſuſcepiſti ex promiſſione Dei, non conjugis fœcunditate, ex qua ,, alium ſperare poſsis.]

Sanctus Auguſtinus autem ep. 65. ad Paulinum: [Non malum fuit Abrahæ nutrire, ,, & educare filium uſquè ad finem vitæ: ſed ,, repente juſſus occidere, mutavit utique non ,, priùs malam ſententiam; ſed quæ mala eſſet, ,, ſi potioribus mutata non eſſet.] Et quod maximè conſiderandum eſt, adnotavit idem Auguſtinus in qq. ex utroque teſtamento miſtim, q. 117. Abrahamum uxori Saræ non indicâſſe Dei juſsionem de immolando filio, nè ab illa fortaſſe impediretur. Porrò in immolando, tam prompto animo unico illo filio, in quo promiſerat illi Deus; In Iſaac vocabitur tibi ſemen; arbitratum fuiſſe Abraham, Deum à mortuis ſuſcitaturum occiſum; & ſcripſit Paulus ad Hebræos 11. & habet Auguſtinus libro 2. retr. cap. 22. & lib. qq. in Joſue q. 49. ,, [Propterea immolare juſſus (inquit in libro ,, de bono conjugali c. 18.) filium, quem de ,, tanta deſperatione ſuſceperat, intrepidus, ac ,, devotus unico non pepercit; niſi eo prohibente manum deponere, quo jubente levaverat.] Itaque & obediens fuit levando, & obediens deponendo. Poſtremò hanc Abrahæ obedientiam pulchrè idem autor cum Adæ inobedientia comparat, in libro 14. de civitate Dei cap. 15.

CAPUT XVII.

De Moyſe, & Iſaia.

De Moyſe, & Iſaia difficultas nonnulla; etenim Moyſes cùm vellet eum Deus ad Pharaönem mittere, ut educeret filios Iſraël de Ægypto, minùs fuit ad obediendum promptus. Immò verò bis mittenti reſtitit; dicens Ex. 3. Quis ſum ego ut vadam ad Pharaonem, & educam filios Iſraël de Ægypto? & rursùm c. 4. Obſecro Domine, non ſum eloquens ab

heri, & nudius tertius: Et ex quo locutus es ad ſervum tuum, impeditioris, & tardioris linguæ ſum. At contrà Iſaias cap.6. cùm quæſiſſet Deus; Quem mittam,& quis ibit nobis? ſtatim promptum ſeſe exhibuit, dicens; Ecce ego, mitte me. Itaque duo mirari poſſumus. Primùm minorem illam Moyſis promptitudinem; deindè voluntatum hanc in Moyſe, & Iſaia diverſitatem. Addit & tertium Sanctus Baſilius in commentario ad caput ſextum Iſaiæ. Namque Moyſes non interrogatur, ſed quaſi jam paratus mittitur; Veni mittam te ad Pharaönem. At Iſaiam interrogat; Quem mittam, & quis ibit nobis? [Quia, ,, inquit, alter mittebatur ad beneficium po-,, pulo conferendum: alter verò ad nuntian-,, dum res moleſtas. Quare illi mandatum præ-,, ſcribitur; huic libertas relinquitur. Ita enim ,, natura comparati ſumus, ut quæ elegerimus ,, ipſi, etſi moleſta ſint, eam tamen opero-,, ſam moleſtiam devoremus. Neque reſpon-,, dit Iſaias; Ego ibo, ſed ſolùm, Ecce ego, ,, mitte me. Quia ſuſceptio hujus Apoſtolicæ ,, legationis à noſtro pendet arbitrio: confir-,, mare autem ad perfectionem, ejus eſt, qui ,, infuſione gratiæ nos corroborat; hocque ipſe ,, reliquit Deo.] Hæc Baſilius.

Sed Origenes hom.6. in Iſaiam, priores duas difficultates conſiderans; [Neſcio, inquit, an ,, contrarietate negotiorum conſiderata, dici ,, poſſit; quia idipſum fecerit Moyſes, quod ,, Iſaias: ſed verecundiùs fecit Moyſes; ma-,, gnitudinem conſiderans, præeſſe populo, ,, repugnare Ægyptiorum incantationibus &c. ,, Iſaias verò non expectans quid juberetur, & ,, ignorans, obtulit ſe &c. Et fortaſsè temeri-,, tatis, & audaciæ mercedem accepit; juſſus ,, prophetare populo, quæ noluiſſet. Nam & ,, Jonas juſſus prophetare Ninivitis detrecta-,, vit.] Itaque graviſſimi hujus viri ſententia, promptitudo obedientiæ non defuit Moyſi; nec contrariam Iſaiæ habuit voluntatem; ſed modeſtiæ, ac verecundiæ fuit, quidquid Deo contradicere viſus eſt.

Sanctus Hieronymus autem in epiſtola 142. ad Damaſum, in qua totam illam Iſaiæ viſionem interpretatur; Moyſen ſcripſit detrectâſſe ire ad Pharaönem, quia ſæcularibus eruditus fuerat diſciplinis, & interfecto Ægyptio, conſcientia ejus aliqua ex parte ſorduerat. Iſaias verò poſt circumciſa labia in Dei ſe obtulit miniſterium.

Gen. 49. Jacob benedicens Judæ filio ſuo, inter cætera dixit; Ligans ad vineam pullum ſuum, & ad vitem, ô fili mi, aſinam ſuam. Et S. Jo. Chryſ. h. 67. in Gen. aſinum interpretatur ſignificare gentes, quia immundum eſt animal: putatque ſignificari gentium obedientiam. Magnæ enim manſuetudinis eſt, quod aſinus ſuſtinet ſe ad palmitem vitis ligari. Talis omninò eſt quicumque obedientiæ ſibi virtutem comparavit.

DE PRÆLATIS, ET ALIORUM RECTORIBUS.

LIBER XLVIII.

De ſubditorum obedientia Superioribus, ſeu Prælatis ſuis præſtanda dictum eſt; dicendum quoque de Prælatis, ac Superioribus, qui regere illos, & gubernare debent.

CAPUT I.

Prælatorum appellationes, & munera.

Hos multis modis à Patribus video nominatos: ut vel ipſa appellatione, quid illorum muneris eſſet, quoquo modo adumbrarent. Si enim univerſa hominum congregatio velut familia quæpiam conſideretur; Prælatus velut cæterorum ceu filiorum Pater agnoſcitur, velut magiſter diſcipulorum, velut Paſtor ovium, & gregis, velut medicus infirmorum, velut totius domeſticæ familiæ cuſtos.

Patrem nominavit Sanctus Auguſtinus in ſua regula; [Præpoſito, inquit, obediatur ,, tanquam Patri.] *Pater.*

Magiſtrum S. Gregorius lib. 2. in primum Regum c. 3. Et S.Baſilius in conſt.monaſt. c. 20. [Obedientia adversùs magiſtros ſuos con-,, ſervanda.] Et Sanctus Hieronymus in caput 33. Ezech. [Dominus pedes diſcipulo-,, rum lavit, ut oſtenderet omnes ſordes, & vi- *Magiſter.*

tia

„ tia à magiſtris in diſcipulis debêre dilui, & „ purgari.]

Paſtor. Paſtorem idem Hieron. in caput 37. ſuperbum nomen imperij paſtoris vocabulo mitiget: extatque præclarum Gregorij opus de paſtorali cura. Agamemnona ποιμένα λαῶν appellare conſuevit Homerus. Et Philo Judæus in libro de Joſeph; [Poëtæ, inquit, reges „ vocant paſtores; nam qui ſummus eſt in arte „ pecuaria, facilè bonus rex evadet, pulcher- „ rimo gregi hominum præpoſitus; approba- „ ta induſtria in minori negotio.] Et omninò paſtoris artem præludium quoddam ait eſſe magiſtratuum. Propterea Jacobum Patriarcham vult, cùm Joſeph filij generoſum cognoſceret animum, & majorem, quàm pro privata fortuna, præfeciſſe illum ſtatim paſcendis gregibus, cùm 17. eſſet annorum, ut ita regendæ toti Ægypto præpararetur. Ac rursùm in libro primo de vita Moyſeos, idem affirmat de Moyſe. [Moyſes, inquit, primùm „ præfuit gregibus, ad principatum ſe præ- „ parans. Nam paſtoralis ars ad regnum eſt „ præludium, hoc eſt, ad regimen homi- „ num, gregis manſuetiſſimi; & ſolus poteſt „ eſſe rex undequaque perfectus, qui benè „ callet artem paſtoritiam, & curando minora „ animalia didicit, quomodò debeat præeſſe „ præſtantioribus.] Paſtorem item, & magiſtrum appellârunt Sanctus Baſilius cap. 23. conſtit. [Chriſtus, inquit, Petrum Paſtorem „ Eccleſiæ ſuæ conſtituit, & omnibus paſtori- „ bus, ac magiſtris eandem tribuit poteſtatem.] Et S. Nazianzenus in Apologetico, Cur in Pontum fugerit: [Alij in Eccleſijs paſcuntur, „ imperiumque accipiunt; alij paſtorum, ma- „ giſtrorumque munere funguntur.]

Medicus. Velut medicum propoſuit Philo in libro de Joſeph; dum inter medicum, & coquum hoc docuit intereſſe; quòd ille quidquid ad ſanitatem conducit, etiamſi ægroto ingratum videatur, magno apparat ſtudio; hic verò ſuavia curat, utilia negligit. Ergò medicis ſimiles in civitate leges, & magiſtratus legitimi, ſenatores, judiceſque providentes communi ſaluti, ac ſecuritati, &c. Sed de hoc poſteà.

Cuſtos. Denique velut cuſtodes agnoverunt alij complures, inter quos Sanctus Bernardus in modo benè vivendi ad ſororem capite decimo nono adfert illud Cant. 3. Lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt; Salomon enim Chriſtus eſt; Lectulus congregatio fidelium; ſexaginta fortes, Prælati, qui congregationem cuſtodiunt.

Caput, Oculus, Os. Si verò, ut myſticum corpus ex pluribus coagmentatum membris ſpectetur, velut caput, velut oculus, velut oſſa in corporibus noſtris Prælatus agnoſcitur. Audi S. Dorotheum ſermone 6. [Omnes ſumus unum corpus, „ alter alterius membra. Qui gubernant, ca- „ pitis loco habentur; qui ſpeculantur, & cor- „ riguntur, oculi; qui ſermone præſunt, oris; „ qui obediunt, aurium; qui opera exercent, „ manuum; qui hùc, illùcque ad miniſteria di- „ riguntur, pedum. Caput igitur es? guberna; „ oculus es? attende, mentemque exhibe, & „ conſidera: os es? quæ recta ſunt, loquere, & „ adjuva: auris es? ſimpliciter obtempera: ma- „ nus es? operare, & viriliter te exerce: pes es? „ obſequere, & miniſterium tuum exple. Unus „ quiſque demùm veſtrum communi corpori „ deſerviat, & munus ſuum non ſegniter, ſed „ pro viribus ſuis exequatur.] Et Sanctus Nazianzenus in epiſt. ad Baſilium, quæ apud Baſilium eſt 30. [Corporis lucerna eſt oculus, „ non corporalis tantùm, ſed & qui ſpirituali- „ ter conſiderat, & conſideratur. Eccleſiæ „ verò oculus eſt Epiſcopus (nos Prælatum „ dicamus, & Superiorem quemvis) neceſſe „ eſt igitur, ut ſicut rectè agitur corpus, ſi ocu- „ lus ſit purus, & perversè, ſi ſit impurus: ita „ cum Eccleſiæ præfecto, utrolibet modo diſ- „ poſito omninò ſimul, vel periclitetur, vel „ ſervetur Eccleſia.]

Et Origenes tract. 5. in Matthæum; [Sa- „ cerdotes oculus Eccleſiæ, quia ſpeculatores „ habentur: Diaconi, cæterique miniſtri ma- „ nus, quoniam per eos opera univerſa ſpiritua- „ lia geruntur; populus pes.] S. Chryſ. h. 10. in epiſtolam ad Eph. in ea verba; Multi unum corpus ſumus; [Quidam, inquit, in ſublime „ capitis inſtar evecti ſunt; cœleſtia quidam ve- „ lut in capite oculi contemplantur, multum „ à terrenis diſtantes: alij verò in pedum ſunt „ ordine terram calcantes. Neque illi adver- „ sùm pedes ſuperbiant, neque hi quidquam „ invideant illis. Et quæ ſeq.]

Porrò velut oſſa eſſe, pulchrè Baſilius explicavit interpretationem faciens Pſalmi 33. Oſſa. Nam cùm dixiſſet David; Diſſipata ſunt oſſa mea ſecùs infernum; [Ut oſſa, inquit ille, „ præ teneram carnis mollitiem ſuffulciunt; ſic „ quidam ſunt in Eccleſia, qui ſua conſtanti fir- „ mitudine debilium ſuffulcire, ac ferre imbe- „ cillitatem poſſunt. Et ut oſſa inter ſe conne- „ ctuntur commiſſuris articulorum, nerviſque „ firmantur, & ligamentis: ita contigerit, ſi „ charitatis, paciſque colligatio, in Eccleſia Dei „ velut cognationem quamdam conficiet ſpiri- „ tualium oſſium, & in unum conſpirantem. „ De his à concordi harmonia ſemotis, ſolutiſ- „ que, & quaſi luxatis dicitur; Diſſipata ſunt „ oſſa mea ſecùs infernum.]

Si velut ædificium, aut domum quampiam contemplati ſunt, Prælatos, ac moderatores, ceu columnas ſuſtentantes, & lignorum contignationes colligantes parietes, eſſe judicârunt inter cæteros Sancti Chryſ. & Bern. Columnæ, & contignationes. Joannes Chryſoſtomus ſic habet hom. 10. paulò antè citatâ. [Epiſcopi, & Superiores velut

Digitized by Google

„ columnæ in Eccleſia. His cadentibus omnia „ concidunt.] Et hom.6.ad populum: [Quod „ in domibus faciunt lignorum contignatio„ nes, hoc Principes in civitatibus; ſi illas ſu„ ſtuleris, diſſoluti parietes per ſe corruunt: & „ ſi ex mundo Principes tollas, & horum me„ tum, & domus, & civitates corruent, nemine „ exiſtente, qui contineat & repellat & pœnæ „ timore quieſcere perſuadeat.] Et Ber. h.46. in Cant. tractans illa verba; Tigna domorum noſtrorum cedrina, laquearia cypreſſina: „ [Domos populares, inquit, conventus intel„ lige Chriſtianorum, quos hi, qui in ſublimi„ tate poſiti ſunt, utriuſque ordinis Principes, „ quaſi tigna parietes, juſtis impoſitis legibus, „ fortiter ſtringunt, nè ſua quiſque lege, vel „ voluntate viventes, tanquam parietes incli„ nati, & maceriæ depulſæ, diſſideant à ſeip„ ſis, & ſic omnis ædificij ſtructura corruens „ diſſipetur. Laquearia verò quæ à tignis fir„ miter pendent, & domos inſigniter ornant, „ puto benè inſtituti Cleri manſuetos, & diſci„ plinatos mores, ritèque adminiſtrata officia „ deſignare. Quod autem tigna cedrina, & „ laquearia cypreſſina deſcribuntur, natura eſt „ horum lignorum congruens præfatis ordini„ bus. Cedrus imputribile, odoriferum, & „ altæ proceritatis lignum oſtendit validos, & „ conſtantes debêre eſſe, qui ſuprà alios ordi„ nantur; nec non & longanimes in ſpe, & ad „ ſuperna mentis verticem attollentes, qui & „ fidei, & converſationis bonum ubiq; odorem „ ſpargant. Cypreſſus item boni odoris, & „ imputribile lignum incorruptæ vitæ, & fidei „ quemvis de Clero debêre eſſe demonſtrat; „ Pſal. 92. Domum tuam decet ſanctitudo „ &c.]

Cant. 1.

Deus quiſpiam.

Denique non dubitârunt interdum univerſam hanc mundi totius machinam contemplantes, Prælatum affirmare Deum quemdam eſſe; cum in ſua peculiari adminiſtratione inquientes Dei locum tenêre, atque idipſum propemodùm eſſe, quod in toto mundo eſt Deus. Ita Sanctus Baſilius ſermone de inſtitutionibus monachorum, ſibi perſuaſiſſe, ait, reliqui omnes fratres debent, non fortuitò, neque caſu, ſed Dei voluntate hujuſmodi poteſtatem Antiſtiti ſuo fuiſſe delatam. Et Sanctus Nazian. in apologetico; affirmare non eſt veritus, Epiſcopum, & Superiorem Deum eſſe, atque alios efficere Deos. Et S. Nyſſenus in lib. de vita Moyſeos juxtà illa Dei ad Moyſen verba; Faciem meam non videbis; [Noli, „ inquit, ad faciem ducentis Dei occurrere, „ hoc eſt, Superioris, qui te velut alter Deus „ ducit.] Et Sanctus Aug. in libro 65. quæſtionum q. ult. [A Deo miſſus cenſetur, quem „ vita & mores commendant, & qui univerſo„ rum populorum judicio comprobatur, qui „ non appetit præeſſe.] Pluribus de hoc dictum eſt, cùm de ſubditorum obedientia diceretur.

CAPUT II.

Prælaturas eſſe fugiendas.

ETSI verò Paulus ſcripſerit in priore ad Tim. epiſt. capite tertio; Si quis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat; opus tamen interpretatur Sanctus Hieronymus tum eo loco, tum epiſtola 83. ad Oceanum; non honorem, non gloriam, non dignitatem, non delicias; ſed laborem; quo humilitate decreſcat, non intumeſcat faſtigio. Qui hoc deſiderat, opus ſanè bonum deſiderat, vel certè, ut Sancto Ambroſio placuit; tum in commentario, tum in libro de dignitate Sacerdotali, capite quarto, bonum opus, hoc eſt, bonam vitam dixit. Oportet enim Epiſcopum bonæ vitæ eſſe, & quæ ſtatim ſubjungit Apoſtolus. Si ergò Epiſcopatum cupiens, bonam vitam cupit, opus certè bonum cupit.

Addit Sanctus Gregorius prima parte paſt. curæ cap. 8. illo tempore illud fuiſſe dictum, quo quiſquis plebibus præerat, primus ad martyrij tormenta ducebatur. Tunc ergò laudabile fuit Epiſcopatum quærere, quando per hunc quemquam dubium non erat ad ſupplicia graviora pervenire.

Sanctus Auguſtinus libro 19. de Civitate Dei capite decimo nono, cum Hieronymo ferè conſentit. Bonum, inquit, opus deſiderat, quia Epiſcopus nomen eſt operis, non honoris. Quia ille, qui præficitur, eis, quibus præficitur, ſuperintendit, curam illorum gerens: ἐπὶ enim ſuper, σκοπὸς intentio eſt; ergò ἐπισκοπεῖν ſuperintendere eſt: ut intelligat, ſe non eſſe Epiſcopum, qui præeſſe dilexerit, non prodeſſe. Hoc, etiamſi de Epiſcopis propriè dictum, omnibus tamen Prælatis, & Superioribus convenit. Proptereà, qui alioqui præeſſe appetunt, ac cæteris dominari, & imperare, damnati ſemper fuerunt, atque ambitioſi judicati; quemadmodùm Adonias ille, qui ſecundo Regum primo, vivente adhuc, & regnante patre elevabatur dicens; Ego regnabo.

Contrà fugerunt ſemper optimi quique exemplum Chriſti ſecuti, qui Jo. 6. cùm cognoviſſet, quia venturi eſſent, ut raperent eum, & facerent eum Regem, fugit in montem ipſe ſolus.

Moyſes autem Exodi 4. electus à Deo dux populi, ut cum educeret ex Ægypto, dixit illi; Provide alium, quem mittas. Quod Origenes adnotavit hom. 6. in Iſaiam. Et rursùm Num. 11. poſt commiſſam ſibi à Deo totius populi curam, clamabat ad Dominum; Cur afflixiſti ſervum tuum? quare non invenio gra-

Digitized by Google

gratiam coram te, & cur impoſuiſti pondus univerſi populi hujus ſuper me? Non poſſum ſolus ſuſtinere omnem hunc populum, quia gravis eſt mihi.

Ecce gigantes gemunt ſub aquis, inquiebat Job cap. 26. hoc eſt, vel etiam fortiſſimi quique ſub tanto gemunt onere. [Nam, inquit S. „ Gregorius lib. 17. cap. 12. quantò quis altiùs erigitur, tantò curis gravioribus oneratur, eiſque ipſis populis mente, & cogitatione „ ſupponitur, quibus ſuperponitur dignitate.]

Vel etiam de ethnico homine legimus, cùm illi oblata aliquando fuiſſet imperialis veſtis, & corona; is illam reſpiciens, reſpondit illicò: O pannum magis nobilem, quàm fœlicem; quem ſi quis attendat quantis ſolicitudinibus, periculis, & miſerijs ſit plenus, nec jacentem in luto tolleret. In quodam religioſorum hominum cœtu cum Sancti Auguſtini regula legeretur, ubi dicitur: Undè & vos non ſolùm noſtri, ſed & ipſius errando miſerrimi: & lector legeret; Miſerrimi; correctorque lectorem emendaret quiſpiam; Superior dixit: Frater dimitte illum dicere; Miſerrimi. Autor eſt Humbertus in ſuis commentarijs in regulam Sancti Auguſtini c. 165.

Valer. Max. l. 7 cap. 2. de Antigono Rege.

CAPUT III.

Veteres ſemper Patres declinâſſe.

Veteres ſanè Patres ſcimus dignitates haſce declinâſſe ſemper, & verò etiam magnoperè fugiſſe, fugiendaſque monuiſſe. Sanctus Baſilius in ſermone de abdicatione rerum: [Noli, inquit, in eo properare, ut fratri- „ bus præſis, nè alienorum peccatorum onere „ cervices aggraves tuas.] Et in conſt. monaſt. c. 25. [Prorsùs ab omni ambitione alienum „ habêre animum Monachus debet; nam ſi in „ hac vita laborum ſuorum præmium vult, mi- „ ſera illius mercedis conditio eſt; ſi verò in „ cœlo recipere; non modò honores ſectari de- „ bet, ſed neque oblatos admittere, nè ſequen- „ tis vitæ gloriam præſentis honore imminu- „ at.] Si habes in animo in futurum regnare, hìc noli honorem conſectari.

Et Origenes h. 5. in Ezech. [Quid mihi „ prodeſt, quia prior ſedeo in cathedra reſupi- „ nus, honorem Majoris accipio, nec poſſum „ habêre dignitate mea opera condigna? Non- „ nè majori pœna cruciabor; quia honor juſti „ mihi ab omnibus defertur, cùm peccator „ ſim?] Et lib. 2. in epiſtolam ad Romanos: „ [Omnis penitùs adeundi honoris Eccleſia- „ ſtici abſcinderetur ambitio; ſi ſe judicandos „ potiùs, quàm judicaturos hi, qui præeſſe vo- „ lunt populis, cogitarent.]

S. Gregorius verò Nazianzenus Epiſcopatu repudiato aufugit in Pontum, quam ob cauſam ſcripſit apologiam, ejus rei rationem reddens. Et inter cætera; [Melius eſt, in- „ quit, alijs, qui artis peritiâ præſtent, habe- „ nas noſtri concedere, quàm indoctos, & im- „ peritos aliorum aurigas eſſe: præſtatque can- „ didam aurem ſubmittere, quàm ſtolidam lin- „ guam movêre: laudabilius eſt ea, quæ dicen- „ da, & facienda ſint addiſcere, quàm quæ ne- „ ſcimus, docêre.] Et in or. de moderatione in diſputationibus ſervanda; [Magnum, & „ illuſtre eſt doctorem ſe profitêri: at diſcere „ periculo vacat: Quid paſtoris munus tibi ovis „ arrogas? quid pes caput fieri contendis? „ quid exercitum ducere aggrederis in militum „ ordine adſcriptus? quid magna quidem illa, „ cæterùm incerta, & periculoſa maris lucra „ conſectaris; cùm terram tuto colere, atque „ exercêre liceat, etiamſi minori quæſtu?] Et rursùm or. in Maximum; [Præfecturam fu- „ gere, ut mihi quidem videtur, primariæ, & „ ſingularis eſt prudentiæ.]

Immò verò eò devenit hic Sanctus Pater, ut nullam omninò eſſe præfecturam, nullum ſuperiorem gradum optaret. Sic enim mox ſubjungit eodem loco: [Utinam nulla eſſet „ throni prærogativa, nec prælatio, ut ex ſo- „ la virtute cognoſceremur. Nunc autem dex- „ trum hoc latus, & ſiniſtrum, & medium, ſub- „ limior item, & inferior ſedes; ac rursùm il- „ la præeundi, vel eodem gradu incedendi in- „ vecta conſuetudo, nos in multas partes con- „ fregerunt, multoſq; in foveam impulerunt.] Et or. ad 150. Epiſcopos: [Non Dei jactu- „ ram facient, qui thronis ceſſerint: ſed ſu- „ pernam cathedram habebunt, his multò ſub- „ limiorem, & tutiorem.] Et or. 1. in Paſcha, loquens de ſeipſo, qui Epiſcopatum recuſaverat; [Apud Deum, inquit, melior fortaſ- „ ſe eſt, & præſtantior tarditas in admittenda „ dignitate, quàm nonnullorum aliorum cele- „ ritas.] In carmine autem ad Epiſcopos; ambitioſis iſtis magnoperè illud precatur, quod 1. Reg. 5. Gethæis legitur accidiſſe. [Uti- „ nam eodem, quo Gethæi, cruciatu dolo- „ ris angerentur, ſedentariaque pœna affice- „ rentur, ut inſana eorum præſidendi cupidi- „ tas congruenti ſupplicio vindicaretur.]

Theodoretus quoque in ſermone 7. de providentia, ſervilem conditionem herili aſſerit jucundiorem eſſe: herilemque triſtitiæ, ſervi- „ lem utilitatis plenam: omninoque ſatiùs eſſe ſubeſſe, quàm præeſſe demonſtrat. Sanctus Joan. Chryſ. pluribus in locis eandem explicavit ſententiam. Namque hom. 41. in Matth. „ [Valdè, inquit, magno animo, ſublimique „ opus ingenio eſt, ut dignitate uti, non abuti „ poſſis: qui verò eâ caret, volens, nolenſque „ philoſophatur.] Adfert hominis exemplum, qui cum formoſa puella cohabitans, legem, atque præceptum ſuſcepit, nè unquam laſcivientibus

vientibus oculis eam aſpiciat &c. Et h. 47. tractans illa verba ; Dum autem dormirent homines &c. [Non parvum , inquit, periculum
,, prærupti præcipitij Præſulibus hinc immi-
,, nêre videtur, quibus agrorum cuſtodia com-
,, miſſa eſt.] Et h. 3. in Acta : [Si noviſſes,
,, quòd Epiſcopus (& omnes item aliorum re-
,, ctores) debeat omnium onera geſtare ; quòd
,, alijs iraſcentibus datur venia , ipſi verò ne-
,, quaquam: quòd alijs peccantibus ſupereſt ex-
,, cuſatio,ipſi verò minimè,haud quaquam fe-
,, ſtinâſſes ad primatum,haud quaquam accur-
,, riſſes. Hic enim omnium linguis expoſitus
,, eſt,omnium judicijs objectus,& ſapientium,
,, & inſipientium ; curis perpetuis obtunditur,
,, tum diurnis, tum nocturnis;multoſq; habet,
,, quibus eſt inviſus , multos habet invidentes
,, &c. Pauperes triobolares convitia jaculantur
,, in illum in foro,& quæ ſeq.] Tandemq; ſubjungit id,quod omnium graviſſimum eſt:[Non
,, temerè dico ; ſed ut affectus ſum,& ſentio :
,, Non arbitror inter Sacerdotes (hoc eſt inter
,, Epiſcopos,& Prælatos) multos eſſe,qui ſalvi
,, fiant : ſed multò plures , qui pereant : quo-
,, niam res excelſum requirit animum. Multas
,, enim habet cauſas , quæ depellant ipſum à
,, ſuis moribus,& innumeris oculis illi opus eſt
,, undique,& quæ ſeq.] Et h. 1. in epiſt. ad Titum ; [Magna me tenet admiratio eorum,qui
,, ejuſmodi onera appetunt. Infœliciſſime ho-
,, minum,atque miſerrime non aſpicis,cujus rei
,, deſiderio teneris ? Nam ſi ſolus , ac privatus
,, ſis, quantumlibet multa peccaveris,unius abs
,, te animæ ratio exigenda erit : at ſi ad hujuſ-
,, modi regimen promovearis , conſidera quot
,, capitum tibi pœna debetur.] In eandem ſententiam loquitur h. 34. in ep. ad Hebr. [Quid
,, dicemus infœlicibus illis, & miſeris,qui ſeip-
,, ſos ad alios regendos præcipitant ? omnium,
,, quos regis, tu rationem redditurus es ; tanto
,, igni tuum ſubijcis caput. Miror ſi poteſt ſal-
,, vari aliquis rectorum;] Et iterùm: [Opor-
,, tet ergò timêre , ac tremere propter conſci-
,, entiam,& propter molem,ac magnitudinem
,, curæ. Et neque dum quis ad principatum tra-
,, hitur , ſemel recuſare , neque dum non tra-
,, hitur , ſeipſum præcipitare , ſed conſideran-
,, tes tantæ dignitatis amplitudinem , oportet
,, effugere : comprehenſos autem obſequium,
,, & reverentiam oportet oſtendere.] Et libro tertio de ſacerdotio ; [Si horremus , dum in
,, nobis judicium ſubeundum eſt,quo peccato-
,, rum propriorum rationem reddituri ſumus ;
,, quid illi expectandum eſt,qui tam multorum
,, nomine cauſas ſit ducturus?] Ad extremum lib. 4. ejuſdem operis ad hunc modum loquitur:
,, [Decêre arbitror , ſi te eò ſexcenti vocent,
,, atque adeò cogant ; non illos ſpectare ; ſed
,, animi tui dotes priùs examinare,vireſq; tuas
,, omnes exactè perſcrutari , atque ita demùm
,, cogentibus cedere. Domum ſe aliquam ædi-
,, ficaturum pollicêri nemo audeat , qui idem
,, architectus non ſit ; neque ægrotantia con-
,, tingere corpora, qui medicinam non didice-
,, rit.] S. Cyprianus in ſer. de jejunio , & tentationibus Chriſti : [Sicut peremptoria eſt al-
,, titudo quæſita , ita & periculoſa eſt oblata :
,, non quòd poteſtas, quæ ex Deo eſt,ſit dam-
,, nabilis , aut ordinatio divina peccatorum ſit
,, obſtetrix ; ſed quòd excellentiam , cujus
,, Spiritus Sanctus eſt autor, ita debet comple-
,, cti humilitas, ut qui vocatus eſt ſuperiùs,ne-
,, ſciat ſe ſublimem , & per omnia agnoſcat
,, conditio conditorem , & gratiæ largito-
,, rem.]

In vita Sancti Auguſtini teſtatur Poſſidonius c. 4. cum flentem ordinatum fuiſſe Presbyterum, quòd Eccleſiæ timeret regimen ; quod & ipſe fatetur ſerm. 5. ad fratres in eremo. Et ipſemet Auguſtinus in epiſt. 148. ad Valerium Epiſcopum ; [Nihil hoc tempore facilius , &
,, lætius , & hominibus acceptabilius Epiſco-
,, pi , aut Presbyteri , aut Diaconi officio ; ſi
,, perfunctoriè , aut adulatoriè res agatur : ſed
,, nihil apud Deum miſerius,& triſtius,& dam-
,, nabilius.] Et iterùm: [Secundus locus gu-
,, bernaculorum mihi traditur , qui remum
,, tenêre non noveram. Sed arbitror Domi-
,, num meum propterea me ſic emendare vo-
,, luiſſe, quòd multorum peccata nautarum,
,, antequam expertus eſſem , quid illic agere-
,, tur . quaſi doctior , & melior reprehendere
,, audebam. Itaque poſtquàm in medium miſ-
,, ſus ſum , ſentire cœpi temeritates reprehen-
,, ſionum mearum.] Et ep. 204. ad Donatum Donatiſtam Presbyterum , ita ſcribit : [Ne-
,, minem exiſtimas cogendum eſſe ad bonum.
,, Attende quid Apoſtolus dixerit ; Qui Epiſ-
,, copatum deſiderat, bonum opus deſiderat;&
,, tamen tam multi, ut Epiſcopatum ſuſcipiant,
,, tenentur inviti,perducuntur,includuntur,cu-
,, ſtodiuntur, patiuntur tanta, quæ volunt, do-
,, nec eis adſit voluntas ſuſcipiendi operis bo-
,, ni.] Quod teſtimonium ideò adſcripſi libentiùs , ut videas verum eſſe id, quod anteà dixi, veteres Sanctos viros haſce ſuperioritates declinâſſe ſemper , & quantum in ipſis fuit , fugiſſe. Idem Aug. lib. 19. de civit. Dei cap. 19.
,, [Locus ſuperior , ſine quo regi populus non
,, poteſt,etſi ita teneatur, atque adminiſtretur,
,, ut decet, tamen indecenter appetitur.] Sed & in Pſal. 106. multa diſſerit de periculis , & anguſtijs eorum , qui gubernant. Undè in libro 50. homiliarum h. 7. [Si pro ſe , inquit,
,, unuſquiſque vix poterit in die judicij ratio-
,, nem reddere ; quid de Sacerdotibus futurum
,, eſt, à quibus ſunt omnium animæ requiren-
,, dæ ?] Et h. 49. [Miſera eſt conditio mea,
,, quia plerumque cogor adulteros noſſe , ca-
,, ſtos noſſe non poſſum. In occulto eſt undè

gau-

Digitized by Google

„ gaudeam, in publico eſt undè torqueat.] Eadem eſt Superiorum omnium conditio; vitia enim, & ſcandala coguntur noſſe; & corrigere; virtutes occultas; undè lætarentur, noſſe non poſſunt.

De Gregorio Magno ſcitum eſt, & confirmat Jo. Diaconus in ipſius vita, libro primo c. 44. cum fugientem Papatum ſe ceſſiſſe in montem Soractem, columbæque indicio fuiſſe deprehenſum. Sed & idem ipſe libro primo regiſtri c. 5. 6. 7. 24. 25. 26. 29. 30. 41. Et libro ſecundo cap. 39. & 102. mirum in modum promotionem ſuam, priſtinamque quietem amiſſam deplorat. Et capite quinto adfert illud Pſalmi ſeptuageſimi ſecundi: Dejeciſti eos dum allevarentur. [Quia, inquit, „ pravi quique, dum temporali honore ſuffulti foris videntur ſurgere, intùs cadunt, & elevatio ipſa ruina eſt.] Et illud Pſalmi trigeſimi ſexti: Quemadmodùm fumus deficient. Fumus quippè aſcendendo deficit, & ſe dilatando evaneſcit. Et illud Pſalmi octogeſimi ſecundi: Pone illos ut rotam. Rota enim ex poſteriori parte attollitur, & in anterioribus cadit. Poſteriora autem nobis ſunt bona præſentis mundi, quæ relinquimus; anteriora verò æterna, ad quæ vocamur. Philip. 3. Quæ retrò ſunt, obliviſcens ad ea, quæ ſunt priora, extendens meipſum, &c. Et libro quarto in primum Regum cap. 5. conſiderat illa verba, quæ de Saule dicta fuerunt 1. Reg. 10. Ecce abſconditus eſt domi: [Quia enim diſplicêre „ Deo electi viri nolunt, Prælationis officium „ ſuſcipere vocati refugiunt. Videat autem „ Sacerdos, qua mente fugiendum ſit culmen „ Sanctæ Eccleſiæ; ſi culmen ſæculi conſcendere tam cautè Reges fugerunt.]

Sanctus Anſelmus in caput 5. epiſtolæ ad Hebræos: [Qui ſe ingerit, inquit, & propriam gloriam quærit, non ſumit honorem, „ ſi Pontifex, aut Prælatus in Eccleſia fuerit „ factus: ſed gratiæ Dei rapinam faciens, jus „ alienum uſurpat.]

Ac demùm Sanctus Bernardus Epiſt. 8. ad Brunonem Colonienſem electum; petenti conſilium, an debeat oblatum Epiſcopatum acceptare, reſpondet eſſe difficilè reſpondere, neque ſe velle conſilium dare. Et ep. 151. ad Philippum Turonenſem electum, omni lachrymarum fonte plangendum eſſe aſſerit, vehementerque deplorat hominem; & ep. 237. ad Eugenium Papam: [A facie, inquit Pſalmiſta Pſ. 101. iræ & indignationis tuæ elevans „ alliſiſti me. Altiorem quippè locum ſortitus „ es, ſed non tutiorem, ſublimiorem, ſed non „ ſecuriorem. Terribilis prorſus, terribilis eſt „ locus iſte. Locus, inquam, in quo ſtas, terra „ Sancta eſt; locus Petri eſt, locus Principis „ Apoſtolorum; locus illius, quem conſtituit „ Dominus dominum domus ſuæ, & Principem omnis poſſeſſionis ſuæ.] Deniq; in vita S. Malachiæ, cum refert, etſi viſione anteà præmonitum, Metropolitanam Eccleſiam acceptare noluiſſe, niſi ea conditione ut Dei cultum introduceret, & pòſt liceret ſibi ad ſuam paupertatem redire, quod & intrà triennium fecit. Atque hic idem Bernardus ſermone trigeſimo in Cant. magnoperè ſe Abbatem factum deplorat; poſitumque cuſtodem in vineis, qui ſuam non cuſtodiſſet. Et addit: [Miror audaciam plurimorum, quos vidémus de „ ſuis vineis non colligere niſi ſpinas, & tribulos; vineis tamen Dominicis etiam ſe ingerere non vereri. Fures ſunt, & latrones, „ non cuſtodes, neque cultores.]

Alios etiam legimus, cum detrectare munus non poſſent, ad orandum Deum confugiſſe, ut eos à regendis alijs liberaret: morteque liberatos fuiſſe. Lege Sophronium capite ſeptimo.

CAPUT IV.

Quatenùs admittendæ ſint.

SI quando tamen quis abſque arte ulla, vel procuratione ſua ad id munus vocetur non recuſandum illud eſſe, ſed admittendum cenſuerunt. Sanè de magiſtratibus, qui in Republica, vel civitate ſolent diſtribui, Plutarchus in Politicis ita pronuntiavit: Non ſunt, inquit, Magiſtratus ſtudioſè nimis affectandi; quia pulchrum non eſt potentiam affectare. At nec civile eſt publicè decretos repudiare, & vocantis munera patriæ detrectare.

De prælaturis autem, ac dignitatibus Eccleſiaſticis, ita locutus eſt Orig. h. 9. in Num. „ [Nè quis præſumptione ſuperbi ſpiritus non „ ſibi à Deo datum munus Pontificatûs invadat; ſed illi cedat, quem non ambitio humana, non favor corruptus aſciverit, nec largitio condemnanda ſubrogaverit; ſed meritorum conſcientia, & Dei voluntas aſſumpſerit.] Et lib. 8. contrà Celſum; [Eos, inquit, qui cùm verbo ſunt fortiores, tum vitæ integritate utuntur, ut præſidêre Eccleſijs „ velint, hortamur: cum eos intereà minùs ſuſcipiamus, qui dominandi ſtudio detinentur. „ Illos verò enixè rogamus, ut Eccleſiæ Dei „ curam capeſſant, qui hanc promptiùs nolint, „ & petulanter. Et ſanè, qui optimè inter nos „ præſunt, vel inviti coguntur, rege illo, & „ ſummo inſtante, quem & Dei filium ſcimus, „ & Deum Verbum eſſe cognoſcimus.]

Extat Sancti Athanaſij epiſtola ad Dracontium, quâ totâ hortatur illum, ut Epiſcopatum accipiat; quamvis ſe non accepturum juràſſet, aitque non vacare culpâ, quòd fugeret; [Non enim, inquit, fas eſt, eum, qui hanc „ gratiam accepit, in occultum abdi, neque

Digitized by Google

„ prudentis eſt ſuppeditare alijs occaſionem „ fugiendi.]

Sancti Nazianzeni autem illa ſunt verba ſub finem indicatæ apologiæ; [Nec minimè oblata præfectura cupidè appetatur, nec oblata „ repudietur. Illud enim temerariorum eſt hominum, hoc præfractorum, & contumacium, utrumque verò ineptorum.] Et in or. ad Arianos, & de ſeipſo; ita ſe accepiſſe Epiſcopatum teſtatur: [Non ultrò meipſum „ offerens, ut moris eſt pleriſque; qui ad Eccleſiæ gubernacula temerè proſiliunt: ſed „ accitus, ac vi impulſus, ac timori, ſpirituique obſecutus, ad vos acceſſi.] Ac rurſum de ſeipſo loquens, qui reſtiterat; [Apud Deum, inquit in or. 1. in Paſcha, melior fortaſſe eſt, & præſtantior tarditas, quàm nonnullorum aliorum celeritas. Bonum eſt, & „ Dei imperium aliquantiſper detrectare, ut „ olim Moyſes; & poſteà Jeremias; & rurſum „ advocantem promptè, atque impigrè occurrere, quemadmodùm Aäron, & Iſaias: modò utrumque pio animo fiat: alterum ob „ propriam infirmitatem; alterum ob vocantis „ potentiam.]

S. Chryſ. item h. 1. in priorem epiſtolam ad Tim. [Quemadmodùm is, qui non traditum ſibi à Deo honorem uſurpare præſumit, „ culpari digniſſimus eſt: ita & qui traditum „ ſibi repellere, & à ſe arcêre molitur, aliorum eſt criminum reus, infidelitatis ſcilicet, „ & inobedientiæ.] Et h. 35. operis imperfecti in Matth. [Primatus fugientem ſe deſiderat, deſiderantem ſe odit.]

Quam eandem ſententiam repetit S. Greg. Papa lib. 6. regiſtri c. 169. [Sicut, inquit, locus regiminis deſiderantibus negandus eſt, ità „ fugientibus offerendus eſt.] Quod ſi oblatus non acceptetur, id ex charitatis defectu proficiſci argumentatur ex verbis illis Domini ad Petrum; Petre amas me? paſce oves meas; ex quibus colligitur; quia is, qui valdè omnipotentis Dei oves renuit paſcere, oſtendit ſe paſtorem ſummum non amare.

Quòd ſi quietem prætendas propriam, quam aliorum curâ turbare nolis: horum utrumque ſic conjungendum eſſe, ait Sanctus Gregorius ut quies appetatur ex corde, & tamen pro multorum lucro aliquando poſtponatur. Quod ex duobus Prophetis oſtendit, quorum alter renuit, Jerem. 1. alter ſe ultrò obtulit ad prædicandum: Iſa. 6.

Quin etiam eos, qui ſe ſubtrahunt, contrà juſtitiam peccare, his verbis affirmavit Sanctus Proſper lib. 3. de vita contemplativa cap. 28.

Contrà juſtitiam renuunt.

„ [Contrà juſtitiam faciunt, qui merito ſuæ „ converſationis, vel eruditionis electi, otioſum ſtudium fructuoſæ utilitati regendæ „ multitudinis anteponunt: & cùm poſſint laboranti Eccleſiæ ſubvenire, operoſæ adminiſtrationis laborem fruendæ quietis contemplatione refugiunt.] Itaque Eccleſiaſticam dignitatem concludit nec ambiendam eſſe, nec vitandam. Sanè unuſquiſque homo non ſolùm privata perſona eſt; ſed etiam pars, & membrum Communitatis, aut Congregationis; huic ergò injuriam facit, ſi ſuam cùm poſſit, illi operam neget; nolitque eam juvare, illique prodeſſe.

Sanctus Bern. in ep. 79. ad Abbatem Lucenſem ſcribens, non eſt veritus affirmare, cogitationem hanc recuſandi, aut deponendi Superioris munus eſſe à Dæmone. Et ep. 87. ad Ogerium Canonicum Regularem, ità ſcribit: „ [Non licet Chriſtiano injunctam ſibi dimittere obedientiam (de ſuperioritate loquitur) „ antè mortem: cùm Chriſtus factus ſit obediens uſquè ad mortem. Etiam, inquis, per „ licentiam: non accepiſti licentiam, ſed extorſiſti. Extorta autem, ſeu coacta licentia, „ non eſt licentia, ſed violentia.] Extat etiam in eandem ſententiam ejuſdem epiſt. 141. ad Humbertum Abbatem, qui Abbatiam ſuam dimiſerat. Et epiſt. Martini Papæ primi ad Amandum Epiſcopum, qui munus deponere cogitabat. Romanum Clementem deſtinaverat ſibi Petrus Apoſtolus in regenda Eccleſia ſucceſſorem, reluctantemque hominem hoc argumento convicit, ut ipſemet in epiſtola prima ad Jacobum refert: quòd ampliùs peccet is, qui impoſitum cathedræ onus refugit, quàm ſi populum Dei in fluctibus periclitantem cùm juvare poſſit, contemnat, ſubmergique patiatur.

CAPUT V.

Divina Ope nitantur, qui præſunt.

ETSI verò nos ad illud munus minùs apti nobis ipſis videamur eſſe, de Divina tamen ope confidere plurimùm debemus. Ità nos hortatur Sanctus Baſilius in conſtitutione monaſt. capite decimo. Quòd ſi aliquem, inquit, Deus ad res hujuſmodi (ut ſcilicet alijs præſit) eligat, probè novit (quæ ſolertiſſima ejus ſapientia eſt) quemadmodùm etiam idoneum præbeat. Et Theodoretus oratione ſexta in Daniëlem, cùm diceret Scriptura Divina; Spiritus Dei amplior erat in illo, hoc eſt in Daniële; cauſam ſubjungit: [Nam ijs, quibus ad vitam civium inſtituendam Magiſtratus mandatur, etiamſi pietatis expertes fuerint, quoddam tamen ſapientiæ munus, ad „ ſubjectum ſibi populum gubernandum divinitùs conceditur.] Et Sanctus Nazianzenus ſub finem apologetici ſæpiùs nominati; ei, qui gubernandi gregis curam ſuſcipere metuit, lex quoque ipſa obedientiæ opem tulerit, Deo benignitate ſua fidem remunerante;

cumque

Digitized by Google

cumque in modis omnibus abſolutum antiſtitem componente, qui ipſius præſidio nititur, omneſque in eo ſpes ſuas poſitas habet.

Job c. 39. legimus; Tu forſitan in pulvere calefacies ea? Ineptum hominem homo aptum non poteſt facere: [At Deus (inquit S. Greg. ,, lib. 31. c. 6.) ova in pulvere derelicta calefacit, quando parvulos à doctoribus derelictos fovet, & in medio malorum conſervat, & fervêre facit.] Idem de Superioribus dicas.

S. Leo quoque Papa, nuper ad Pontificatum aſſumptus, hoc nomine ſeipſum conſolatur ſerm. 1. de ſui aſſumptione: [Qui mihi ,, honoris eſt autor, ipſe mihi fiet adminiſtrationis adjutor: & nè ſub magnitudine gratiæ ſuccumbat infirmitas, dabit virtutem, qui contulit dignitatem. Tunc evidentiùs Dei miſericordia præeminet, quando peccator ſanctificatur, & abjectus erigitur.]

Alio etiam nomine conſolatur Eugenium Ber. lib. 4. de conſideratione: [Noli, inquit, diffidere; curam exigeris non curationem. Audiſti; Curam illius habe: & non cura, vel ſana illum. Non eſt in Medico, ſemper relevetur ut æger. Et Paulus; Plus omnibus laboravi. Non ait, plus omnibus profui, aut plus omnibus fructificavi. Unuſquiſque ſecundùm ſuum laborem accipiet, non ſecundùm proventum. Et ob hoc in laboribus potiùs, quàm in profectibus, gloriandum putavit: In laboribus plurimis. Planta, riga, fer curam, & tuas explevisti partes; incrementum ubi voluerit, dabit Deus, non tu. Ubi fortè noluerit, tibi deperit nihil, dicente ſcriptura; Reddet Deus mercedem laborum Sanctorum ſuorum.]

CAPUT VI.

Prælatorum electionem à Deo petendam eſſe.

PORRÒ Origenes h. 22. in Num. Superiorum electionem à Deo petendam, & expectandam eſſe, ſapienter admonuit. Is enim optimè novit, quis muneri tanto futurus ſit idoneus. Adducto ſcilicet exemplo morituri Moyſis, Moyſes enim moriturus, etiamſi filios haberet ipſe, & filios fratris ſui, non tamen oravit Deum, ut eos conſtitueret populo duces; ſed ut ipſe provideret populo ducem. [Diſcant Eccleſiarum Principes, ſucceſſores ſibi non eos, qui conſanguinitate generis juncti ſunt, nec qui carnis propinquitate ſociantur, teſtamento ſignificare, neque hæreditarium tradere Eccleſiæ Principatum: ſed referre ad judicium Dei; & non eligere illum, quem humanus commendat affectus; ſed Dei judicio totum de ſucceſſoris electione permittere. Propinquis agrorum, & prædiorum relinquatur hæreditas; gubernatio populi tradatur illi, quem Deus elegerit.]

Quibus Prælatura danda.

Et S. Cypr. lib. 1. epiſt. 3. ad Cornelium; [Nemo eſt tam ſacrilegæ temeritatis ac perfidæ mentis, ut putet ſine Dei judicio fieri Sacerdotem, cùm Dominus dicat; Nonnè duo paſſeres aſſe veneunt, & unus ex illis non eſt in oblivione coram Patre veſtro?] Theodoretus autem in caput 13. epiſtolæ ad Rom. ex Apoſtolo demonſtrat, magiſtratum gerere à Divina pendêre providentia: quæ & bonos dat, & malos permittit, cùm caſtigare vult populos. Nam & Iſ. 3. dicitur; Dabo pueros Principes eorum, & effœminati dominabuntur eis. Et Job 34. Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi. [Ita ſibi invicem (ratiocinatur S. Greg. lib. 25. mor. c. 14.) & rectorum vita connectuntur, & plebium: ut ſæpè ex culpa paſtorum deterior fiat vita plebium, & ſæpè ex plebium merito mutetur vita paſtorum.]

Quocircà libro 4. in primum Reg. cap. 3. cùm Saul diceretur electus, & bonus; qui tamen malus, & à Deo reprobatus fuit: [Paſtor, inquit, reprobus, quia ut ſit, Dei indignatione decernitur, dicatur electus; & quia juſtè permittitur, dicatur bonus.] Et c. 4. paſtorem, ait, in Eccleſia aliquando ordinari pro ſe, & pro populo; aliquando nec pro populo, nec pro ſe; aliquando pro ſe, non pro populo; aliquando pro populo, non pro ſe: Primum fit, cùm bonus paſtor bonis ſubditis datur; ſecundum, cùm reprobus reprobis; Tertium; cùm bonus malis; Quartum, cùm malus bonis. Et lib. 6. regiſtri cap. 171. [Ità ſibi regentium merita connectuntur, & plebium; ut ſæpè ex culpa præcedentium deterior fiat vita ſubjectorum: & ſæpè ex merito plebium delinquat vita paſtorum.] Legimus ſecundo Regum 24. peccante Davide totus populus afflictus eſt.

CAPUT VII.

Alijs præeſſe, quàm periculoſum.

DUO tamen ſunt, quæ publicum hoc Prælaturæ, & gubernationis munus formidandum faciunt, vitandumq; ſuadent. Alterum, quia periculoſum; alterum, quia difficillimum. De periculis ſatis eſſet Horatianum illud;

Prælaturæ pericula.

.... Feriuntque ſummos
Fulmina montes. — *Lib. 4. ode 10.*

Et illud Hetruſci Poëtæ;

A cader va, chi troppo in alto ſale. — *Petrarca.*

Sed primum, & communiſſimum eſt; quod honores, & dignitates in ſuperbiam elevant, arrogantiamque, & aliorum deſpectum procreant; Et quis neſciat ſuperbiam malorum omnium, ac vitiorum fœcundiſſimam radicem eſſe? Propterea Sanctus Chryſ. hom. 52. in Matth.

Digitized by Google

Matth. nequiores ait Judæis cæteris Hieroſolymitanos fuiſſe; quia cùm majores honores conſequerentur, plurimùm ſibi arrogabant. Et hom. 63. [Nihil ita in ſuperbiam evehit, ſicut „ principatus, & primi conſeſſus.] Et hom. 30. operis imperfecti. [Paupertas ſemper ſe„ cura eſt : ſumma autem poteſtas ſine timore „ periculi nunquam eſt.]

Accedit & poteſtas, quæ magnam libertatem, & licentiam, & ideò periculi plurimum adfert. Idem Sanctus Chryſ. homiliâ primâ in epiſtolam ad Titum ita loquitur : [Qui in „ ordine privato parùm religioſus erat, multò „ profectò magis id patitur, cùm Eccleſiæ gu„ bernacula regenda ſuſceperit. Nam & ina„ nis gloria vehementiùs imminet, & pecu„ niarum amor, & faſtus : cùm Principatus „ ipſe præſtet licentiam offenſionis, & con„ tumeliæ, atque maledicta, & alia prorsùs „ innumera.] Si quis igitur parùm religioſus fuerat, multò erit irreligioſior, hujuſmodi adminiculis nixus.

Quam ob cauſam ſapienter admonet Sanctus Ambroſius ſermone vigeſimo in Pſalmum 118. Judicem, ac Superiorem; nihil ut pro poteſtate, ſed pro æquitate, & juſtitia agat omnia. Chriſtus enim Jo. 5. dixit; Non poſſum à me facere quidquam : [Bonus quippè judex, inquit ille, nihil ex arbitrio ſuo „ facit, ſed juxtà leges, & jura pronuntiat.] At contrà malus Judex poteſtate abutitur. Sic Pilatus Jo. 19 dixit Chriſto; Neſcis, quia poteſtatem habeo crucifigere te, & poteſtatem habeo dimittere te? [Audite, inquit Am„ broſ. quid Judex iniquitatis loquatur. Tua „ Pilate voce conſtringeris, tuâ damnaris ſen„ tentiâ. Pro poteſtate igitur, non pro æqui„ tate crucifigendum Dominum tradidiſti: pro „ poteſtate abſolviſti latronem, autorem verò „ vitæ interfeciſti.]

Hæc per digreſſionem fortaſſe dicta videantur : Sed eò ſpectant, ut intelligas, muneris poteſtatem ſæpè in periculum adducere homines. Et ideò S. Ber. lib. 3. de conſideratione, admonet Eugenium Papam his verbis : [Spi„ ritualis homo, qui omnia dijudicat, omne o„ pus ſuum trina conſideratione prævenit. Pri„ mùm an liceat; deindè an deceat; poſtremò „ an expediat. Quomodo enim non indecens, „ voluntate pro lege uti. & quia non eſt apud „ quem appelleris, poteſtatem exercere, negli„ gere rationem? non minùs dejecti, quàm e„ lati animi eſt, veluti rationis expertem, non „ pro ratione, ſed pro libitu agere, nec judicio „ agi, ſed appetitu. Quid tam beſtiale?]

Sed & cum poteſtate, atque in alios authoritate conjuncta eſt etiam libertas, & licentia ergà ſeipſum. Cæteri namque dum alterius imperio, ac voluntate reguntur, habent veluti frænum Superioris ſui voluntatem, & obedientiam, quâ continentur in officio, atque à multis periculis liberantur. Hoc fræno ſolutus Superior eſt, qui non alterius, ſed ſua propria ducitur voluntate, liberèque poteſt exequi quidquid ab illo fuerit concupitum. Et quantam demùm oportet eſſe hominis virtutem, quæ non ſuperetur interdum, atque blandientibus cupiditatibus nunquam vincatur?

Accedunt difficultates plurimæ, quas ſubditorum adfert cura. Etenim ad illum unum confugiunt univerſi; illius omnes implorant opem; difficultatibus cunctorum, tentationibus, atque periculis providère illum oportet. Quemadmodùm, & magnus ille, & optimus paſtor de ſeipſo loquitur Oſ. 11. Ego quaſi nutritius Ephraim portabam eos in brachijs meis, & ero quaſi exaltans jugum ſuper maxillas eorum. Et Iſaiæ quadrageſimo, ſicut Paſtor gregem ſuum paſcit in brachio ſuo : congregabit agnos, & in ſinu ſuo levabit, fœtas ipſe portabit. Infirmos enim omnes portare ipſum neceſſe eſt. Nam quos ad fortia trahere nitimur, inquit Sanctus Gregorius homiliâ ſeptimâ moral. capite ſexto eorum, neceſſe eſt, ut infirma toleremus : quia nec jacentem erigit, niſi qui ſtatus ſui rectitudinem per compaſſionem flectit. Quocircà libro nono capite decimo. [Tantorum pondera unuſquiſque „ ſuſtinère compellitur, quantis in hoc mun„ do principatur.] Nam & terræ Princeps, græcè βασιλεὺς dicitur, quaſi βάσιλαος, baſis populi; quia ſuper ſe populum ſuſtinet. Et in expoſitione Pſalmi quinti Pœnitentialium rectores, ait, aliorum oſſa nuncupari : [Per oſſa „ enim fortiores, qui ſunt in Eccleſia accipi„ mus, quibus infirmiores velut caro ſuſten„ tantur.] Sanctus Baſilius or. de inſtitutione, & admonitione dixit eſſe velut ſcopulos in mari, ad quos undæ omnes, fluctus, & tempeſtates alliduntur, & franguntur: [Omnes, „ inquit, qui alijs præſunt, velut ſcopuli qui„ dam in mari præeminentes ſunt : qui impe„ tum contrariorum fluctuum recipiunt, ut „ circà ipſos rupti, eos, qui pòſt ſequuntur, „ non inundant.]

Prælaturæ difficultates.

Prælati oſſa.

Scopuli in mari.

Veriſſimum eſt illud Sancti Bernardi ep. 42. ad Henricum Sennonenſem Archiepiſcopum : [Si tentatio eſt vita cujuſque hominis „ ſuper terram, quantis periculis patet vita „ Pontificis, cui omnium neceſſe eſt ferre ten„ tationes?] S. Chryſ. h. 29. in ep. ad Rom. Superiorem non eſt veritus affirmare eſſe pluſquàm martyrem : [Bonus, inquit, Paſtor, & „ talis, qualem Chriſtus vult, cum innumeris „ componi poteſt martyribus. Siquidem mar„ tyr ſemel propter ipſum moritur; hic verò „ millies propter gregem; ſi modo talis eſt pa„ ſtor, qualem eſſe oportet.]

Martyres.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT VIII.

Prælatos graviùs à Dæmone impugnari.

NEQUE ſolùm difficultates adſunt à ſubditis plurimæ, verùm etiam à Dæmone; qui tentationibus ſuis illos præcipuè aggreditur. Cæteros minùs curat; Ut quos, ait Sanctus Bern. in Pſalmum 90. faciliùs capiendos eſſe non dubitat. His autem, qui tanquam prudentiores cervi ſerpentes necant, ſubtiliores occultat laqueos, & callidiora fraudis ſuæ argumenta conquirit, hos magnifacit Dæmon. Dictum eſt de ſimili argumento ſæpiùs in ſuperioribus lib. 28. c. 3. & 4. & lib. 29. c. 3. & lib. 37. c. 4. & 5. dicendum & nunc. Nam & olim Philiſthæi 1. Reg. 31. non magni fecerunt cæteros, quos occiderunt: ſolius Saülis amputàrunt caput, & aſportârunt in terram ſuam. Et Herodias illa ſaltatrix Mar. 6. etſi regni dimidium petere poſſet, contempſit tamen, neque aliud quidquam petijt, quàm caput Joannis Baptiſtæ.

Si hujus rei rationem quæras, ea eſt; quoniam ex bono Superiore bonum pendet, & ſalus ſubditorum omnium, eoque ſuperato cæteri facilè ſuperantur. Contrà ex malo, & diſcolo pernicies, & ruina illorum. Iſ. c. 42. Ipſe autem populus direptus eſt, & vaſtatus. Quid ita? Laqueus juvenum vos eſtis. Subditi vocantur juvenes; quoniam velut juvenes conſilio, & prudentia, & exemplo Superiorum ſuorum, velut ſeniorum reguntur. Origenes h. 7. in Ezech. [Mihi ipſi, inquit, qui Eccleſia prædico, laqueos ſæpè tendit, ut totam Eccleſiam ex meâ converſatione confundat.] Et rurſum ſubjungit: [Plus hi, qui ſunt in medio oppugnantur ab inimico, ut per ruinam unius hominis, qui cælari non poteſt, omnibus ſcandalum fiat.] Quando quis eſt in angulo, ſi cadat, non videtur, non eſt magnum ſcandalum: at quando eſt in medio omnes illum vident. Subditus eſt in angulo, Prælatus in medio: ſi hic ceciderit, publicum eſt omnium ſcandalum. S. Jo. Chryſ. h. 3. de verbis Iſaiæ; Vidi Dominum, &c. [In principio lapſis venia datur ab omnibus ob imperitiam. Sed eum, qui poſt multos curſus conciderit, nemo veniâ dignum judicaverit; eò quòd tum cadere non tribuitur imperitiæ, ſed negligentiæ. Accedit quòd complures talium ruinis offenduntur, & ad lapſum ſolicitantur.] Et libro 3. de Sacerdotio. [Non poſſunt Epiſcoporum vitia diſſimulari; ſed vel parva, atque exigua confeſtim manifeſta fiunt. Nam & athleta dum domi ſe continet, imbecillitatem ſuam alijs occultare poteſt: ubi verò nudato corpore in arenam deſcenderit, facilè apparet, quid ille poſſit. Ita qui privatam vitam vivunt, ſolitudinem ſuorum vitiorum tanquam velamen habent: ubi verò in medium prodierint, ſolitudinem illam veluti veſtem exuere, ac per externos, & adventitios motus; ſuos animos omnibus nudos exhibêre coguntur.] Et iterùm: [Vulgariùm hominum delicta, veluti in tenebris commiſſa, autores ſuos ſolos produnt: at hominis illuſtris, & vulgò cogniti delictum, commune omnibus damnum affert. Propterea ignobilium delicta, ſi in medium proferantur, neminem inſigniter vulnerant: at qui in dignitatis faſtigio poſiti ſunt, primùm nemini non noti, manifeſtique ſunt; tum verò ſi vel tantillum peccaverint, parva eorum peccata alijs magna videntur; neque enim peccati magnitudine, ſed peccantis potiùs dignitate, peccatum plerique omnes metiuntur.] Ac demùm lib. 6. ejuſdem operis; [Epiſcopo (& cuivis Superiori) non licet imperitiam excuſare, neque ad ignorantiam confugere, neque aut neceſſitatis, aut violentiæ ſpeciem obtendere.]

Sanctus Auguſtinus quoque in qq. ex utroque teſtamento miſtim quæſtione centeſimâ ſecundâ contrà Novaſianos differens de pœnitentia, & Davidis pœnitentiam proferens, quæ veniam obtinuit. Sed fortè, inquit, Regi ignoſci oportuit, humilibus autem ignoſci non debet. [Immò verò reſpondet, potentioribus difficiliùs ignoſcendum videtur. Deus enim perſonam hominis non accipit, & quantò quis ſublimior, tantò magis, licèt leve peccatum ejus, grave eſt crimen.] Quod pluribus deindè perſequitur.

Itaque Prælatorum peccata ex pluribus capitibus graviora cenſentur, & propterea dæmonis tentationibus plurimùm impetuntur rectores aliorum; ùt non ipſi ſoli cadant, ſed & alijs cadendi cauſa ſint, qui eorum exempla ſequuntur. Quippè & in bello, adverſum ducem maximè, & Imperatorem diriguntur adverſariorum tela, quoniam eo proſtrato exercitus univerſus diſſipatur, & fugatur. Ita ratiocinatur Sanctus Chryſ. homiliâ quartâ in poſteriorem epiſtolam ad Theſſ. [Contrà nos, inquit, vehementiùs armatur hoſtis. Nam in bellis antè omnes conatur ducem proſternere, qui contrarius eſt.] Et homiliâ 1. in priorem ad Tim. adfert illud; Percutiam Paſtorem, & diſpergentur oves gregis. Propterea diabolus vehementiùs adverſùs eos armatur; quia ex eorum cæde, gregis quoque detrimenta ſequuntur.

In Pſalmo 90. dixit David; Cadent à latere tuo mille, & à dextris tuis decem millia. Quod Sanctus Bernardus de perfectorum hominum tentationibus interpretatur, qui ſunt à dextris, atque imperfectorum, qui à ſiniſtris; Superiorum, inquam, & ſubditorum. Omnes enim tentat dæmon: ſed quoniam magis, ac

ac vehementiùs impugnantur Superiores; proptereà; Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis. Job cap. 40. Abſorbebit fluvium, & non mirabitur; & habet fiduciam, quod influat Jordanis in os ejus. Sic etiam 1. Regum 18. Percuſſit Saül mille, & David decem millia.

Adduntur & negotia plurima, tum ſpiritualia, tum temporalia, ſive commiſſæ ſibi familiæ, ſive aliorum hominum, qui aut ad ipſum aut ad ipſius ſubditos confugiunt, neque ſine ipſo expediri poſſunt: [Quantalibet, inquit „ S. Chryſ. h. 1. in poſteriorem ep. ad Tim. „ quiſque animi virtute polleat, cùm tamen „ clavum, & Eccleſiæ gubernacula ſuſcipit, in- „ ſperatis fluctibus quatitur, & varijs undique „ negotijs actus penè ſubmergitur.]

Ergò ſubditi compati magnoperè ſuis Prælatis, eoſque quantum poſſunt ſublevare debent: nam etſi majoris, quàm cæteri, virtutis eos eſſe oporteat; homines tamen ſunt, ut & cæteri. Ita loquitur S. Aug. inter cæteros ep. 75. ad Auſtilium Epiſcopum: [Nec arbitre- „ ris, inquit, ideò nobis non poſſe irrepere „ injuſtam commotionem, quia Epiſcopi ſu- „ mus: ſed potiùs cogitemus inter laqueos ten- „ tationum nos periculoſiſſimos vivere, quia „ homines ſumus.] Neque ullo modo debêre nos movêri, aut ſcandalum pati, ſi Prælatos, Superioreſve interdum peccantes viderimus; longa oratione diſputat in ep. ad Feliciam virginem, quæ eſt ſeptima inter viginti, & unam adjectas. Ac demùm in libro 50. homiliarum, hom. 50. c. 13. [Qui Superiorum, inquit, „ aut doctorum exemplo ſcandalizati non fa- „ ciunt, quod docent; perindè faciunt, acſi „ viator remanêre vellet in itinere, cum videt „ milliaria lapidea viam docêre, & non am- „ bulare.]

CAPUT IX.

Prælatis reddendam Deo rationem eſſe pro ſubditis.

CÆTERÙM maximum omnium, maximèque formidandum eſt illud, quod cum omnibus meritò terrorem incutiat, neceſſitas, inquam, reddendi rationem juſtiſſimo Judici Deo de omnibus, quæ quiſque egit: rector non ſolùm pro ſe, ſed pro omnibus, qui curæ illius commiſſi fuerint, reddere debet. Aliqua de hoc dicta ſunt c. 3. Sed nunc audi Paulum ad Hebr. 13. Ipſi pervigilant, quaſi rationem reddituri pro animabus veſtris. Quæ verba perpendens Sanctus Greg. lib. 24. mor. c. 16. „ [Penſet ergò, inquit, qui ad ſatisfaciendum „ diſtricto Judici de ſua tantummodò anima „ fortaſſe vix ſufficit; quia quot regendis ſub- „ ditis præeſt, reddendæ apud eum rationis „ tempore, ut ita dicam, tot ſolus animas ha- „ bet.] In lib. Num. c. 25. cùm fornicatus eſſet populus Iſrael cum filiabus Moab, & illæ vocâſſent eos ad ſacrificia ſua, iratus Dominus dixit ad Moyſen; Tolle cunctos Principes populi, & ſuſpende eos contrà ſolem in patibulis. Quia ſcilicet ipſi fuerunt cauſa peccati populi, cùm ſaltem impedire, ac prohibêre debuiſſent. [Populus (inquit Origenes h. „ 20. in Num.) peccat, & Principes oſten- „ tantur contrà ſolem; ijdem ad examinandum „ producuntur, ut arguantur à luce. Vide, „ quæ ſit conditio Principum populi, non ſo- „ lùm pro ſuis proprijs arguuntur delictis; ſed „ & pro populi peccatis coguntur reddere ra- „ tionem, nè ipſorum ſit culpa, quòd popu- „ lus deliquit. Hæc ſi cogitarent homines, „ nunquam cuperent, nec ambirent ad populi „ Principatum.]

Et rurſum hom. 6. in Jeremiam: [Plus à me „ exigitur, quàm à Diacono (erat enim Preſ- „ byter Origenes) plus à Diacono, quàm à „ Laico; qui verò totius Eccleſiæ arcem obti- „ net, pro omni Eccleſia reddet rationem.] Et S. Cyrillus Alexandrinus epiſt. 6. [Laicorum „ quidem pro ſua quiſque vita rationem red- „ det: Nos verò, quibus Sacerdotalium mu- „ nerum onus incumbit, non pro nobis ipſis „ dumtaxat; ſed ſimul etiam pro univerſis in „ Chriſtum credentibus cauſam dicemus.]

Hoc etiam, atque etiam cogitabat S. Auguſtinus, ut ipſemet teſtatur in ep. 203. ad Maximinum Donatiſtam Epiſcopum: [Non co- „ gito, inquit, in Eccleſiaſticis honoribus tem- „ pora ventoſa tranſigere: ſed cogito me Prin- „ cipi paſtorum omnium rationem de commiſ- „ ſis ovibus redditurum;] Et ſermone 62. de verbis Domini; [Et nos, qui vobis videmur „ de ſuperiore loqui loco, cum timore ſub pe- „ dibus veſtris ſumus, quoniam novimus, quàm „ periculoſa ratio de iſta quaſi ſublimi ſede red- „ datur.]

Hinc lamentatio illa Sancti Bernardi ſerm. 3. de adventu. [Quid ego infœlix, quò me „ vertam: ſi tantum theſaurum, ſi pretioſum „ depoſitum iſtud, quod ſibi Chriſtus ſanguine „ proprio pretioſius judicavit, contigerit ne- „ gligentiùs cuſtodire? Si ſtillantem in Cruce „ Domini ſanguinem collegiſſem, eſſetque re- „ poſitus penes me in vaſe vitreo, quod & por- „ tari ſæpiùs oporteret: quid animi habiturus „ eſſem in diſcrimine tanto? Et certè id ſer- „ vandum accepi, pro quo mercator non inſi- „ piens, immò utique ſapientia, ſanguinem il- „ lum dedit. Sed & habeo theſaurum iſtum in „ vaſis fictilibus; & quibus multò plura, quàm „ vitreis, imminêre pericula videantur. Accedit „ ad ſolicitudinis cumulum, & pondus timoris. „ Quod cùm & meam, & proximi conſcien- „ tiam ſervare neceſſe ſit, neutra mihi ſatis eſt

Digitized by Google

„ eſt nota. Utraque abyſſus eſt imperſcruta-„ bilis, utraque mihi nox eſt. Et tamen exigi-„ tur à me utriuſque cuſtodia, & clamatur: „ Cuſtos, quid de nocte? cuſtos, quid de no-„ cte? Non eſt mihi dicere cum Cain. Nun-„ quit cuſtos fratris mei ſum ego? Sed & fatêri „ humiliter cum Propheta; Niſi Dominus cu-„ ſtodierit civitatem, fruſtrà vigilat, qui cuſto-„ dit eam. In eo tamen excuſabilis ego videor, „ ſi debitam exhibeo cuſtodiam pariter, & diſ-„ ciplinam.] Hæc ille.

Concludam univerſum hoc periculorum caput ejuſdem Bernardi verbis in epiſtola nona ad Brunonem Colonienſem Archiepiſcopum: „ [Si cunctos, inquit ille, qui vocantur ad mi-„ niſterium, conſtat eligi, & ad regnum, ſecu-„ rus eſt Colonienſis Archiepiſcopus. Quod „ ſi etiam Saulem in regno, & Judam in Sacer-„ dotio legitur elegiſſe non alius, quàm ipſe „ Deus, timeat neceſſe eſt & Colonienſis Ar-„ chiepiſcopus. Si verò & illa ſententia viget; „ Quia non multos nobiles, non multos po-„ tentes elegit Deus: nunquid non triplicem „ habet timendi cauſam Colonienſis Archie-„ piſcopus?]

CAPUT X.

Alijs præeſſe difficillimum.

At non ſolùm periculoſum eſt hoc regendi munus, ſed & difficillimum: quòd à nobis multa poſtulet; & quidem interdùm pugnantia, quæ vix poſſint obtinêri.

Sanctus Nazianzenus in apologetico Cur in Pontum fugerit, artem artium, & ſcientiam ſcientiarum dixit eſſe hominem regere, animal omnium maximè varium, ac multiplex. Quod longa, & eleganti oratione demonſtrat per comparationem medicæ artis, quâ curantur corpora, tot tamque diverſis, ac difficilibus afflictata morbis. Etenim multò plures, magiſque varij, ac curatu magis difficiles ſunt animi morbi, quos ille curandos ſuſcipit, qui aliorum gubernationi præficitur. Sanctus Chryſ. quoque homiliâ 15. in poſteriorem epiſtolam ad Cor. [Imperare ars eſt, & non „ ſolùm dignitas. Immò ars eſt artium om-„ nium ſumma. Nam ſi imperium in his, quæ „ extrà homines ſunt, ars, & ſcientia omnium „ melior eſt; multò magis illud.] Et Sanctus Gregorius Papa prima parte paſtor. c. 1. [Nulla „ ars docetur, quæ non anteà diſcatur. Ab „ imperitis ergò paſtoribus magiſterium pa-„ ſtorale ſuſcipitur in magna temeritate; quo-„ niam ars eſt artium regimen animarum.]

Poſt hæc ita loquitur Nazianzenus: [Hoc „ munus obire majus eſt, quàm ut ipſi præſtare „ poſſimus; nimirùm animarum imperium, & „ præfecturam accipere: cumque nè rectè qui-„ dem paſci adhuc ſciamus, nec animo quan-„ tum par eſt purgati ſimus, gregi moderando „ præfici. Præclarè ac tempeſtate cum eo agi-„ tur, qui alios ſursùm, deorsùmque jactari, „ ac perturbari conſpiciens, effuſiſſimo curſu „ de medio fugiat, & ſub locum aliquem à pe-„ riculo tutum ſecedens, impuri ſpiritus turbi-„ nem, & caliginem fallat.] Sanè S. Chryſ. & universè pronuntiavit in expoſitione Pſalmi 143. Non minus eſſe ſuos benè regere, quàm inimicos vincere, & difficultatem interdùm conatus eſt indicare. Namque h. 10. in priorem epiſt. ad Theſſ. ſignificavit illam ſanè maximam; quòd liberis, aut voluntarijs præſit: „ [Medicus, inquit, etſi ægroto inviſus, & ex-„ oſus ſit, ergà cognatos tamen ejus amicè ha-„ bet. Et pater tam naturalibus, quàm exter-„ nis legibus munitus multa libertate ergà fi-„ lium utitur. Sacerdotem verò multa gravat „ difficultas. Voluntarijs enim præeſt, & à „ quibus Principatus ſui gratiam referat.] Et libro 2. de Sacerdotio, tum adverſarios commemorat, tum morborum genera, tum conditionem eorum, qui curantur; tum morborum naturam, qui curantur. Sunt enim interiores, neque cogniti; quare nec curari poſſunt, niſi ipſi velint: at nos paulò accuratiùs, & diſtinctiùs perſequamur.

CAPUT XI.

De Prælatorum vigilantia.

Primùm maxima opus eſt vigilantia. Teſtantur illa Pauli verba ſuperiùs citata; Ipſi pervigilant, quaſi rationem reddituri pro animabus veſtris. Undè Sanctus Auguſtinus in ſermone 39. ad fratres in eremo, diſtinctis quatuor hominum poſitionibus; jacêre, ſedêre, ſtare, & ambulare; quatuor in his hominum gradus agnoſcit; jacent enim homines mali, qui toti in mundo, & rebus temporalibus quieſcunt; Sedent boni conjugati, qui, ut dicit Apoſtolus, diviſi ſunt; & ut ille, qui ſedet, quieſcit inferioribus partibus, & laborat ſuperioribus; ſic iſti partim cogitant, quæ Domini ſunt, partim, quæ ad uxorem, & rem domeſticam pertinent, ſtant autem contemplativi viri, & religioſi, quorum converſatio in cœlis eſt, contemptis terrenis omnibus. Denique ambulant Prælati, & Superiores, quibus incumbit vidêre quid agatur in domo Domini, atque hùc, illùcque diſcurrere, & nunc exhortari, nunc increpare, nunc minari, nunc docêre, nunc conſolari, & omninò omnes in virtute promovêre, omnibus providêre.

Verùm hanc vigilantiam multis modis video explicatam. Primùm exemplo vigilum, *Vigiles.* qui civitates, arces, locaque ſuſpecta cuſtodiunt.

diunt. Ità S. Bernardus ſerm. 76. in Cant. de Prælatis, & Rectoribus interpretatur verba ſponſæ circumeuntis civitatem, ſponſumque quæritantis, Cant. 3. Invenerunt me vigiles, qui cuſtodiunt civitatem: [Qui enim, inquit, „ ſunt vigiles iſti? Nempè illi, quos Salvator „ in Evangelio Beatos pronuntiat, ſi cùm „ venerit, invenerit vigilantes. Quàm boni „ vigiles; qui nobis dormientibus ipſi pervigi- „ lant, quaſi rationem reddituri pro animabus „ noſtris? quàm boni cuſtodes, qui vigilan- „ tes animo, atque in orationibus pernoctan- „ tes, hoſtium inſidias ſagaciter explorant, „ anticipant conſilia malignantium, depre- „ hendunt laqueos, eludunt tendiculas, retia- „ cula diſſipant, machinamenta fruſtrantur.] De his item adfert illud Eccleſiaſtici 39. Cor ſuum tradidit ad vigilandum diluculo, & in conſpectu ejus deprecabitur: [Vigilant, in- „ quit, & deprecantur, ſcientes ſufficientiam „ in cuſtodienda civitate; & quia: Niſi Do- „ minus cuſtodierit civitatem, fruſtrà vigilat, „ qui cuſtodit eam.] Dominus quoque Apoſtolis ſuis præcepit; Vigilate, & orate.

Speculatores. Secundo exemplo ſpeculatorum. Ezech. 44. Speculatorem dedi te domui Iſraël. Speculatorem autem vigilare oportet, & proſpicere omnia. Quocircà S. Gregorius lib. 5. in primum Regum cap. 2. [Vitæ innocentiam, „ dixit, pro nobis habemus; ſed prælationis „ culmen pro alijs, non pro nobis aſcendimus. „ Per innocentiæ bonum ad æternam patriam „ contendimus; per altitudinem prælationis „ in aliorum cuſtodia vigilamus.]

Eccleſiæ oculi. Propterea Prælati, Eccleſiæ oculi vocitantur; quòd proſpicere illi debeant, & quid agatur, quidque periculi ab hoſtibus immineat, conſiderare. Sed ſint oculi columbæ, quales erant oculi ſponſæ Cant. 4. Oculi tui columbarum. [Oculi namque Eccleſiæ (in- „ quit S. Nyſſenus h. 7. in Cant.) ſunt magi- „ ſtri, doctores, & qui præſunt, & dirigunt „ alios. Hi debent eſſe oculi columbæ, ſicut „ oculi ſponſæ, id eſt ſimplices, & innocentes „ moribus: velut imagines rerum, quas vident, „ pures in pupillam ſuſcipiant; nec ad ullam „ rem craſſam, & corpoream reſpiciant.] Et rursùm h. 13. [Qui ad cernendum, & inſpi- „ ciendum ordinati ſunt, oculi Eccleſiæ dicun- „ tur: debent autem eſſe oculi, ſicut columbæ, „ id eſt ſimplices, expertes malitiæ. Quæ ſim- „ plicitas eorum eſt, qui nondum à vita carna- „ li polluti ſunt, ſed vivunt, & ambulant ſpiri- „ tu. Ideò oculi tui columbæ ſuper rivos aqua- „ rum; & à Joanne Spiritus Sanctus in colum- „ bæ ſpecie viſus eſt ſuper aquam volare. Qua- „ re ſi purè inſpectoris munere fungi velit, om- „ nem vitioſitatis lippitudinem abluere aqua „ convenit, hoc eſt virtute.] Minimè ergò ſit ſuſpicioſus, quod etiam adnotavit Sanctus Anſelmus libro tertio epiſt. 91. ad Antonium Suppriorem. Nam & Sanctus Baſilius in regulis brevioribus 19. cùm quæſiſſet; Num his, qui ſuſpectus eſt de aliquo peccato, obſervari debeat: reſpondet; omnes ſuſpiciones à malevolo animo profectas culpari ab Apoſtolo; diligentiam autem in omnibus obſervandis adhibêre in Charitate Chriſti; hoc illius eſſe, qui ei præfectus eſt officio, ut cunctos gubernet.

Lucerna Eccleſiæ. Oculus etiam, & lucerna Eccleſiæ vocatur Epiſcopus, & quilibet rector à Nazianz. epiſt. 22. ad Cæſarienſes, patris nomine ſcripta; & epiſt. 13. ad Baſilium; atque ab alijs pluribus. Quam ob cauſam ſicut rectè agitur corpus, ſi oculus ſit purus, & perverſè, ſi impurus (quod & Matthæi ſexto Chriſtus docuit) ita Eccleſiæ præfecto utrolibet modo diſpoſito omninò ſimul vel periclitatur, vel ſervatur Eccleſia.

Paſtor. Tertio exemplo Paſtorum; qui vigilant ſuper gregem ſuum, nè aut à latronibus rapiatur, aut devoretur à lupis. Sic Angeli, qui naſcente Domino miſſi ſunt ad paſtores, vigilantes eos invenerunt, & cuſtodientes vigilias noctis ſuper gregem ſuum, Lucæ ſecundo: Paſtores autem illi perſonam gerebant Prælatorum, & paſtorum Eccleſiæ, quos ſuper commiſſos ſibi ſubditos vigilare oportet, ut ſapienter eo loco Sanctus Ambroſius adnotavit.

Sed eleganter hoc caput tractat Sanctus Chryſoſtomus homiliâ 57. in Gen. exemplo uſus Jacob ſuper oves Laban vigilantis; ſic enim ipſemet Jacob loquitur cap. 31. Viginti annis fui tecum; oves tuæ, & capræ ſteriles non fuerunt; arietes gregis tui non comedi, nec captum à beſtia oſtendi tibi: ego damnum omne reddebam: die, noctuque æſtu urgebar, & gelu, fugiebatque ſomnus ab oculis meis, &c. [Et illic quidem, inquit Chryſ. ſi inju- „ ria quædam accidiſſet, nullum damnum: „ hìc autem, ſi ovis rationalis perierit, vel à „ beſtia fuerit capta, grave damnum, maxi- „ mum detrimentum, ineffabilis pœna.] Et rursùm hom. 3. ad populum; [Si Patriarcha „ Jacob pecudibus præſidens, & oves irratio- „ nales paſcens, & homini rationes redditurus, „ noctes ducebat inſomnes; & æſtum, & gelu, „ & omnem aeris inæqualitatem ferebat, ut „ nulla illarum pecudum periret: multò magis „ nos, non irrationalibus, ſed ſpiritualibus ovi- „ bus præpoſitos, & non homini, ſed Deo præ- „ ſidentiæ hujus rationes reddituros; ad nihil „ torpére, & retrahi oportet eorum, quæ gre- „ gem juvare poſſint.] Et S. Greg. lib. 2. regiſtri c. 33. [Studeamus, inquit, cor noſtrum „ terrenorum paſtorum imitatione ſuccendere: „ qui hyemales noctes imbribus, geluque con- „ ſtricti ducunt pervigiles, nè vel una ovis, & „ non fortè utilis, pereat. Quam ſi inſidia-

tor

Digitized by Google

„ tor ore voraci momorderit; quomodo ſata-„ gunt?] Et lib. 7. c. 47. de Jacob loquens. „ [Si ſic laborat, ac vigilat, qui paſcit oves La-„ ban; quanto labori, quantiſque vigilijs de-„ bet intendere, qui paſcit oves Dei?]

Opportunum eſt illud, quod habet S. Aug. in lib. de Paſtoribus c. 1. [Nos, inquit, qui Præ-„ poſiti ſumus, duo habemus. Unum, quòd „ Chriſtiani ſumus; alterum, quòd Præpoſiti „ ſumus. Quòd Chriſtiani ſumus, propter „ nos eſt: quòd autem Præpoſiti ſumus, prop-„ ter vos eſt. Quiſquis in eo, quòd Præpoſitus „ eſt, gaudet, & honorem ſuum quærit, & com-„ moda ſua reſpicit, ſe paſcit, non oves.] Et ſerm. 62. de verbis Domini; [Ad Paſtores per-„ tinet cura, ad oves obedientia; ad illos vigi-„ lantia paſtoralis, ad has humilitas gregis.]

Quarto exemplo gubernatorum navium.

Gubernator navis. Nam & Eccleſia navis eſt, cujus gubernator Epiſcopus, Prælatus, & Rector. Audi Philonem Judæum in libro de legatione ad Caium: quemadmodùm ſæcularem Principem alloquatur: [In puppi celſa collocatus ad gu-„ bernacula, rege navem, quâ generis huma-„ ni ſalus vehitur, non aliundè magis volupta-„ tem capiendo, quàm è ſubditis per te adjutis „ aliquo beneficio.] Quantò hæc meliùs Eccleſiaſtico, & ſpirituali Prælato dicerentur? Tota die, & nocte ſtat ad pyxidem gubernator in puppi, ſydera ſpectans, & omnes cœli plagas conſiderans, ventoſque examinans: ut onuſtam mercibus navem, à ſcopulis tueatur, & ſaxis, tutamque in portum dirigat: & dormitabit animarum Rector, dum innumerabiles inſectantur eas pyratæ, quas ad æternæ ſalutis portum perducendas accepit? vide quid Sanctus Gregorius ſcribat libro 6. regiſtri cap. 169. [Qui regendam navem ſuſcepit, „ tantò ampliùs neceſſe eſt, vigilet, quantò „ ampliùs littus relinquit, ut aliquando futuras „ procellas ex ſigno prævideat; aliquandò ve-„ nientes aut directo clavo, ſi parvæ ſint, ſupe-„ ret; aut ſi vehementer intumeſcant, dato in „ obliquum latere irruentes declinet. Et ſæpè „ ſolus vigilat, cùm cuncti illi, quibus nulla „ navis cura commiſſa eſt, quieſcant.]

Job cap. 26. Ecce gigantes gemunt ſub aquis; Prælati videlicet ſub onere regendorum populorum. Dum interim Exod. cap. 15. Filij Iſraël, hoc eſt privati quique, & ſubditi, ambulant per ſiccum in medio mari. Et Iſ. 43. Cùm tranſieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te.

Quàm vigilans ſive paſtor, ſive gubernator, Chryſoſtomus; qui homiliâ 4. operis imperfecti in Matthæum, ad hunc modum loquitur de ſeipſo: [Si contigerit veſtrum pecca-„ re quempiam, dormienti obverſamini: emo-„ rior; niſi videor ſimilis dolore exanimatis, ni-„ ſi attonitus, & ut verbis propheticis utar, et-„ iam Ipſum lumen oculorum meorum non „ eſt mecum. Nam quæ ſpes nobis, ſi vos non „ proficiatis?] Rursùm: [Quantum animi ſo-„ latium, ſi vos probati ſitis? Geſtire mihi vide-„ or, quoties boni quidpiam audio de vobis: „ Implete gaudium meum. Hoc ſolum adfero „ ad votum, quoniam deſidero profectum ve-„ ſtrum.] Quàm verò præcipuam eſſe oporteat hanc vigilantiam, idem ipſe exponit h. 8. ejuſdem operis: ſic enim habet: [Nos, qui ſumus „ Paſtores, ſingulas ſpecies paſſionum populi „ conſiderare debemus, id eſt diligenter atten-„ dere, qui ſunt in populo, qui avaritiæ mor-„ bo laborant, ut aliquem ſermonem de avari-„ tiæ morbo faciamus, ad medicamentum ſanitatis illius, qui avaritię ſtimulis agitatur, idem „ de libidine, ac cæteris vitijs. Et ut paterfa-„ milias ſtudioſus, ſcit in domo ſua, quid unuſ-„ quiſque neceſſarium habet; ita & Sacerdos „ ſingulorum mores, & actus in converſatio-„ ne debet indiſcere: ut quale, quibuſque me-„ dicamentum neceſſarium fuerit, ſubmini-„ ſtret; cui conſolationem, conſolationem, cui „ increpationem, increpationem.]

Hæc debet eſſe Superioris cura, hoc ſtudium, in hoc totis eum viribus oportet incumbere. Alioqui verendum eſt illud Eccleſiaſtis 10. In pigritijs humiliabitur contignatio, & in infirmitate manuum perſtillabit domus. Hoc enim de Principum, ac Prælatorum negligentia interpretatur Sanctus Hieronymus, per quam omnis corruit altitudo Eccleſiæ: Dum enim dormirent homines, hoc eſt Prælati, inimicus homo ſuperſeminavit zizania.

CAPUT XII.

Prælatum debêre totum utilitati ſubditorum ſervire.

OMNINÒ muneris hujus ratio poſtulat, ut qui illud ſuſtinet, totus ſubditorum ſuorum utilitati ſerviat. Ut de Superiore quovis dici poſſit illud, quod de Cæſare dixit aliquando Seneca in lib. de brevit. vitæ: Cæſari, cui omnia licent, propter hoc ipſum multa non licent, ex quo ſe orbi terrarum dedicavit, ſibi eripuit. Immò verò S. Joan. Chryſ. h. 35. operis imperfecti in Matth. hanc inter ſæculares Principes, & Eccleſiaſticos Prælatos, ac paſtores differentiam agnovit: [Nam Principes, inquit, mundi ideò „ fiunt, ut dominentur minoribus ſuis, ut ſervi-„ ficent eos, ut ſpolient, & comedant, & uſquè „ ad mortem abutantur vita eorum ad ſuas uti-„ litates, & glorias (pace tanti viri dixerim; hoc non eſt Principis, ſed tyranni, qui per vim, & injuriam ſummam hoc ſibi uſurpat: alioqui bonus Princeps quoque utilitatem, ac bonum ſui ſpectat populi: neque enim populus eſt propter Principem; ſed Princeps propter populum, id ergò de Tyranno intelligatur.)

,, Principes autem Eccleſiæ fiunt, ut ſerviant
,, minoribus ſuis, & miniſtrent eis quæcumq;
,, acceperunt à Chriſto;ut ſuas utilitates negli-
,, gant, atque illorum procurent, neque mo-
,, ri recuſent pro ſalute ſubditorum ſuorum,ſi-
,, cut Apoſtolus dicit; Ego autem impendar,
,, & ſuperimpendar ipſe pro animabus veſtris.]
Et hom.8. in epiſtolam ad Epheſ. [Præcepto-
,, ris virtus eſt, nihil honoris, nihil gloriæ à
,, ſubditis, ſed ſalutem ipſorum quærere; &
,, hujus rei gratiâ nihil non facere: ita qui non
,, iſtud, ſed gloriam ſuam quærit, non præ-
,, ceptor, ſed tyrannus eſt.]

Alibi hoc idem per differentiam inter Pa-
ſtorem, & mercenarium proponit. Namque
hom.59. in Joannem ſic loquitur: [Magnum
,, quiddam eſt Eccleſiæ prælatio, & quæ mul-
,, tâ indiget ſapientiâ, ut numquam oves deſe-
,, ramus, & lupo generosè reſiſtamus. Hæc e-
,, nim inter Paſtorem, & mercenarium diffe-
,, rentia: Alter propriæ contemptis ovibus, al-
,, ter ſua contempta ovium ſemper ſaluti invi-
,, gilat.] Itaque hom.4. in poſter.ep.ad Theſſ.
Ita populum ſuum alloquitur: [Ad veſtram
,, utilitatem poſiti ſumus, & quæ veſtra ſunt,
,, curamus.] Et paulò poſt; [Si noſtra fuerint
,, celebria, erunt & veſtra illuſtriora. Si nobis
,, doctrina abundè affluxerit, in vos iſtæ divi-
,, tiæ redundabunt.] Denique h.26. ad popu-
lum, ita de ſeipſo teſtatur: [Hanc aſcendere
,, cathedram non tolero, niſi magna præſta-
,, turus. Nam ſi quid tale fieri non poteſt,me-
,, lius in imo ſtare. Principe namque, qui ſub-
,, ditis nihil proſit, miſerius nihil.]

Sanctus Athanaſius in epiſtola ad Dracon-
tium in eandem ſententiam ſcribit: [Id ſcire
,, te oportet, te priuſquàm ordinabaris,tibi vi-
,, xiſſe, ordinatum autem illis vivere, quibus
,, ordinatus es. Et antequam acciperes Epiſco-
,, pi gratiam, nullus te cognoſcebat: ex quo
,, Epiſcopus factus es, populi expectant, ut
,, cibum illis feras ex doctrina Scripturarum.]
Idem de quovis Prælato, & rectore aliorum
accipiendum eſt.

Sanctus verò Gregorius Nazianzenus in
apologetico ſæpiùs ſignificato, Pauli in paſ-
cendo grege induſtriam admirabilem, & la-
bores plurimos diligenter perſequitur, eum-
que verum fuiſſe Superiorum omnium, ac
Prælatorum exemplar oſtendit, tandemque ita
concludit: [Hic ſpiritualis omnis præfecturæ
,, finis eſt; privata utilitate contempta, com-
,, modis aliorum inſervire.] Et mox cùm do-
cuiſſet, quales eſſe oporteat animarum præ-
fectos; [In his ergò, inquit, cogitationibus
,, dies, noctesque verſor; hæc medullas ipſas
,, abſumunt, & carnes abrodunt, nec me auda-
,, cem eſſe ſinunt, altaque cervice incedere.
,, Hæc animam meam deijciunt, & men-
,, tem contrahunt, & linguam vinculo co-
,, ercent, faciuntque, ut non de præfecturâ,
,, nec de corrigendis, & alijs gubernandis co-
,, gitem; id quod exuberantis cujuſdam fa-
,, cultatis eſt: ſed quomodo ipſe venientem
,, iram effugere queam.]

Poſteà tamen Epiſcopatu ſuſcepto, ita lo-
quitur in oratione ad Julianum, de ſuis ſermo-
nibus: [Niſi gregem meum beneficijs meis
,, ornare ſtuderem, iniquiſſimè facerem.] Et
præclarè ſanè argumentatur in oratione in Ma-
ximum: [Si vel bubulcus ob vitulum unum
,, ab armento aberrantem, vel paſtor ob pecu-
,, dem in decadis grege deſideratam, vel avis
,, ad nidulum, quem ad breve tempus reliquit,
,, uſquè adeò diſcruciari ſolent;ut & illi arrep-
,, tis fiſtulis in ſpeculam quamdam evecti cala-
,, mos omnes mœrore impleant, atque palan-
,, tia animalia, quaſi ratione prædita evocent,
,, acſi paruerint, majorem ex illis, quàm ex
,, reliquis ſimul omnibus, delectationem per-
,, cipiant. Hæc autem ſtridens ad nidum con-
,, volet, pulliſque ſtridentibus advolvatur,eoſ-
,, que pennis foveat; quò tandem chariores
,, par eſt eſſe apud bonum,egregiumque paſto-
,, rem oves rationis participes?] Ac demùm
in epiſt.46. ad Africanum ita de rectore pro-
nuntiat: [Mihi præfectus nihil aliud eſſe vi-
,, detur, quàm virtutis adjutor, & vitij adver-
,, ſarius; ſive incruentam præfecturam gerat,
,, ut nos, ſive eam, quæ gladium, & lorum ad-
,, junctum habet.] Hæc planè oſtendunt,
quantam oporteat eſſe Præſulis ſolicitudi-
nem, atque induſtriam in ſubditorum cu-
randis morbis, eiſque ad virtutem omnem in-
formandis.

Quam ob cauſam Sanctus Gregorius in ſe-
cunda parte paſtoralis curæ capite quinto,& li-
bro primo regiſtri cap. 24. cum vult ſingulis
eſſe compaſſione proximum (ſic enim ipſe lo-
quitur) & præ cunctis contemplatione ſuſ-
penſum. Nam & Paulus in Paradiſum duci-
tur, & ad cubile carnalium deſcendit; ſcri-
bens 2. Cor. 10. Propter fornicationem, u-
nuſquiſque ſuam uxorem habeat; Uxori vir
debitum reddat; Nolite fraudare invicem,&c.
Et Jacob Geneſeos vigeſimo octavo Domino
deſuper innitente, & uncto deorſum lapide,
Angelos vidit aſcendentes, & deſcendentes,
&c. Et Moyſes crebrò tabernaculum intrat,&
exit. Et Chriſtus in monte orat, & miracula
facit in urbibus, &c. At hæc duo jungere,
contemplationem, & actionem, cum Deo
jugiter per contemplationem tractare, & per
actionem cum hominibus verſari, quantam de-
mùm habet difficultatem?

In libro Proverbiorum capite ſexto dicitur;
Si ſpoponderis pro amico tuo, defixiſti apud
extraneum manum tuam, illaqueatus es ver-
bis oris tui. Ita quiſquis Superioris occupat
locum, ſpopondit pro cunctis ſubditis ſuis,
illa-

Digitized by Google

illaqueatus eſt verbis oris ſui: Fac, quod dico, fili mi, & temetipſum libera. Diſcurre, feſtina, ſuſcita amicum tuum, nè dederis ſomnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ. „[Quiſquis (inquit Sanctus Gregorius tertia parte paſtoralis curæ, admonit. 5.) ad „vivendum alijs exemplum proponitur, non „ſolùm ipſe ut vigilet, ſed etiam ut amicum „ſuſcitet, admonetur. Ei namque vigilare „benè vivendo non ſufficit, ſi non & illum, „cui præeſt, à peccati torpore disjungit. Palpebræ porrò dormitant, cùm ea, quæ in ſubditis arguenda ſunt, diſſimulat. Plenè autem dormire, eſt commiſſorum acta nec ſcire, nec corrigere.]

Ergò qui præſunt, cœli animalia fieri ſtudeant, quæ intùs, & in circuitu plena ſunt oculis; interno judici in ſeipſis placêre ſtudeant, & exempla vitæ exteriùs præbentes, quæ etiam in alijs corrigenda ſunt, deprehendant.

Sanctus quoque Auguſtinus non ſemel hunc locum illuſtravit, ſerioque eos, qui alijs præſunt, officij admonuit ſui. Namque in libro 19. de civitate Dei c. 14. [In domo, inquit, „juſti adhuc à cœleſti civitate peregrinantis, „& qui imperant, ſerviunt eis, quibus videntur imperare. Neque enim dominandi cupiditate imperant, ſed officio conſulendi; nec „principandi ſuperbiâ, ſed providendi miſericordiâ.] Et rursùm tractatu 123. in Joan. „[Qui hoc animo paſcunt oves Chriſti, ut „ſuas velint eſſe, non Chriſti, ſe convincuntur amare, non Chriſtum: vel gloriandi, vel „dominandi, vel acquirendi cupiditate, non „obediendi, & ſubveniendi, & Deo placendi charitate.] Atque hùc vult ſpectare trinam illam Petri interrogationem, Petre amas me? Paſce oves meas; quæ omninò oſtendit, gubernationem totam charitate, & bono ovium moderandam eſſe. Poſtremò ex libro de Paſtoribus præclara item ſententia in Superioribus propoſita fuit, ubi de Paſtorum vigilantia dictum eſt.

Et quoniam de hac re ſapienter omninò locutus eſt Sanctus Bernardus erit ille quoque audiendus. Pluribus ergò in locis Prælatos monuit, eos in eo loco fuiſſe poſitos, non tam ut præſint, quàm ut proſint, nec dominos eſſe, ſed patres, aut etiam matres. Ita in ſermone in Pſalmum 44. [Prælati, inquit, magis ſtudeant prodeſſe, quàm præeſſe, quoniam ipſos „maximè decet ſanctitudo.] Et Jer. 1. dicitur Prophetæ à Domino; Ecce conſtitui te ſuper gentes, & ſuper regna, ut evellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & ædifices, & plantes. „[Non eſt, quod blandiatur celſitudo (loquitur in 2. libro de conſideratione ad Eugenium „Papam) ſolicitudo major. Factum Superiorem diſſimulare nequimus, ſed ad quid attendendum. Non enim ad dominandum opinor: „ſed ut evellas, & deſtruas; ut diſperdas, & „diſſipes, & ædifices, & plantes. Quid horum „faſtum ſonat? Ruſticani mágis ſudoris ſchemate quodam labor ſpiritalis expreſſus eſt: „& nos igitur impoſitum ſenſerimus miniſterium, non dominium datum. Diſce ſarculo tibi opus eſſe, non ſceptro. Multò minùs „inveniri oportet, aut delicijs reſolutum, aut „reſupinum pompis. Nihil horum tibi tabulæ teſtatoris aſſignant. Sonat tibi Epiſcopi „nomine, non dominium, ſed officium: & „quæ ſeq.] Et iterùm libro tertio. [Præes, „ad quid? nunquid ut de ſubditis creſcas? nequaquam; ſed ipſi de te. Principem te conſtituerunt; ſed ſibi, non tibi: alioquin quo „pacto te reputas Superiorem his, à quibus „beneficium mendicas. Audi Dominum: Qui „poteſtatem habent ſuper eos, benefici vocantur. Tu id mendaciter diceris, ſi non „tam beneficus eſſe, quàm beneficis præeſſe „intendas. Parvi, dejectique animi eſt, de „ſubditis non profectum quærere ſubditorum, „ſed lucrum proprium.]

Hinc eſt, quòd in ſermone 10. in Cant. in omni Superiore duo requirit ubera ſponſæ, congratulationem, & compaſſionem, juxtà illud Rom. 12. Gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus. Alioquin ſi parvula eſt, & nondum nobilis, nondum miſit ubera, talis ſi ad regimen animarum aſſumitur, alijs non prodeſt, ſed ſibi plurimùm obeſt. Duo autem ubera, congratulatio exhortationis, & compaſsio conſolationis lac fundunt; & utramque ubertim cœlitùs irrorari pectori ſuo ſpiritualis mater ſentit, quoties oſculum ſumit. Moxque plenis uberibus parvulis incumbat lactandis; ex uno conſolatoria, ex altero exhortatoria miniſtrans, prout ſingulis convenire viderit.

CAPUT XIII.

De Prælati Charitate.

SED hoc magnam in Rectoris pectore, ardentemque poſtulat charitatem. Et ideò Bernardus ſermone 23. in Cant. neminem vult Prælati munus ſuſcipere, qui non anteà fuerit in vinariam ſponſi cellam introductus, & charitatis vino benè potatus, juxtà illud Cant. 2. Introduxit me in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem: [Non debet omninò; inquit ille, præeſſe alijs, qui in cellam vinariam nec dum meruit introduci (hoc eſt, zelum in charitate ferventi non habet) oportet hoc vino æſtuet, qui alijs præſidet. Alioqui improbè ſatis præeſſe affectas, quibus „prodeſſe non curas: & quorum non zelas „ſalutem, ſubjectionem nimis ambitiosè vendicas tibi.] Non ſine cauſa Petrus, ut & anteà

Digitized by Google

anteà dictum eſt, à Domino conſtituendus univerſalis Eccleſiæ paſtor, ter priùs de charitate interrogatur; Petre amas me? [Congruè (inquit idem Bernardus in ſermone de diligendo Deo) Petrus de dilectione requiritur, qui paſcendo præponitur gregi. Ille enim præeſſe debet alijs, qui vino charitatis ebriatus æſtuat, immemor ſui, ut non quærat quæ ſua ſunt, ſed magis quæ Jeſu Chriſti.] Et ſerm. in ea verba; Ecce nos reliquimus omnia; [Petro dictum eſt tertiò; Amas me? paſce oves meas. Dictum eſt, Paſce; nec mulge, nec tonde. Speret ergò diſcipuli locum, qui dominicum paſcere gregem ſatagit, non tondere. Paſcere verò tripliciter, exemplo converſationis, verbo prædicationis, fructu orationis. Et paſcere ad mandatum Chriſti: ut nemo ſibi hunc ſumat honorem; ſed qui vocatus fuerit à Deo tanquàm Aäron.] Joan. 21.

Ad hanc etiam charitatem, & ſolicitudinem ergà ſubditos pertinet illud, quod idem Bernardus habet in ſermone de tribus ordinibus Eccleſiæ: Cæteros per pontem, ſeu vadum incedere, Prælatos per altum mare deſcendere, periclitantibus ſubditis opitulaturos: [Prælati, inquit ille, nec pontis, nec vadi ſemitâ coarctantur; ſed deſcendunt mare in navibus, ut liberè poſſint uſquequaque diſcurrere; & occurrere ſingulis, ut oportet, ac dirigere pontis ſemitam, ſeu vadi ordinare gradientes, pericula inveſtigare, ac declinare, excitare tepidos, puſillanimes ſuſtentare, &c. Charitas autem eſt navis, in tot periculis eos ſecuros portans, tribus compacta lateribus, ut ſit de corde puro, conſcientia bona, & fide non ficta. Puritas cordis, ut prodeſſe magis velit, quàm præeſſe, nec commodum ſuum quærat, ſed animarum ſalutem. Conſcientia bona eſt irreprehenſibilis converſatio, ut forma gregis factus incipiat facere, & docère. Fides non ficta, ut qualis apparet in converſatione, ſit etiam interiùs in cogitatione.] Et rursùm in ſermone 49. in Cant. tractans illa verba; Ordinavit in me charitatem; hanc obnixè à Domino poſtulat: [Utinam, ait, & in me Dominus Jeſus tantillum ordinet charitatis: ut ſic mihi ſint curæ univerſa, quæ ſunt ipſius, ut tamen quod mei potiſſimum propoſiti, ſeu officij eſſe conſtiterit, antè omnia curem. Quod enim veritas judicat præponendum, id chariùs amplectendum ordo poſtulat charitatis. Nonnè ex injuncto incumbit mihi cura omnium veſtrum? Jam quidquid huic prætulero operi, ut minùs ipſi invigilem, dignè, & utiliter pro viribus exequendo; etſi ex charitate fortaſſis id facere videar, ordinis tamen ratio non conſentit.]

Sanctus autem Chryſ. hom. 15. in poſteriorem epiſtolam ad Cor. Hanc inter omnes virtutes præcipuam, & quæ Superiorem maximè commendabilem reddat, eſſe affirmat: [Nihil, inquit, ita clarum facit gerentem magiſtratum, atque dilectionis ſtudium ergà ſubditos.] & h. 9. in ep. ad Philip. [Nihil ita diſcipulum allicere poterit, ut ſi perſuaſus ſit curæ eſſe præpoſito, illumque ſui gratiâ anxium eſſe: quod quidem excellentis eſt dilectionis.] Et h. 10. in ep. ad Coloſſ. à ſubditis obedientiam, à Superiore charitatem exigit: [Quando, inquit, qui præeſt, ſubditum ſuum diligit, tunc omnia benè compacta ſunt. Non ita ſubditi quæritur dilectio, atque principantis ergà ſubditum; nam ab iſto quæritur obedientia.] Et libro 1. de Sacerdotio; [Oportet Prælatum ergà ſubditos ſuos affici, ut ſi pater ergà liberos ſuos admodùm infantes afficeretur. Ac quemadmodùm illis, neque inſoleſcentibus, neque cædentibus, neque lugentibus, admodùm laboramus: ac nè cùm nobis quidem arriſerint, criſtam tollimus; ſic nos oportet neque vulgaribus laudibus intumeſcere, neque probris animum deſpondère, ſi quandò ea intempeſtivè erumpere videris.] Omninò charitas patiens eſt, & omnia ſuffert; ut ſcripſit Paulus.

CAPUT XIV.

Ab externis abſtineat negotijs.

VERùM ut tanto, tamque neceſſario, ac multiplici muneri curandarum animarum ſibi commiſſarum vacare poſſit Prælatus; eum neceſſe eſt ab externis negotijs, rerumve temporalium procuratione magnoperè abſtinère. Quantum enim hiſce tribuetur, tantum de priore, ac potiore muneris parte detrahetur. Ita Origenes monuit libro 9. commentariorum ad caput 12. epiſtolæ ad Rom. [Humanarum, inquit, cauſarum, & ſæcularium rerum ſolicitudo aliena debet eſſe ab his, qui Eccleſiæ præſunt. Sed talem recipiant ſolicitudinem, qualem Apoſtolus dicit; Concurſus in me quotidianus, ſolicitudo omnium Eccleſiarum.] Adſtipulatur Sanctus Bernardus libro 4. de conſideratione, his omninò verbis: [Vacuum prorsùs à ſolicitudine rerum minorum, & vilium oportet eſſe animum tam magnis, & tam multis intentum rebus. Oportet liberum, quem nulla ſibi vendicet violenta occupatio; oportet ingenuum, quem nulla deorsùm trahat indigna affectio: oportet rectum, quem nulla ſubeat furtiva ſuſpicio: oportet vigilem, quem nulla à ſe abducat peregrina, & curioſa cogitatio: oportet firmum, quem nulla concutiat repentina turbatio: oportet invictum, quem nulla fatiget vel continua tribulatio: oportet amplum, quem

Digitized by Google

,, quem nulla coarctet rei temporalis amiſſio.] Et iterùm non multò poſt; eum non vult habêre temporalem curam ſuæ domus; ſed eam alteri quamvis parùm idoneo committere. Nam & Salvator Judam œconomum habuit; & Ægyptius ille Joſepho traditis omnibus neſciebat, quid haberet in domo ſua Gen. 39. ,, [Mira res, inquit Bern. ſatis ſuperque Epiſ- ,, copi ad manum habent, quibus animas cre- ,, dant; & cui ſuas committant facultates, non ,, inveniunt. Optimi videlicet æſtimatores re- ,, rum, qui magnam de minimis, parvam, aut ,, nullam de maximis curam gerunt.]

Corinthios aliquando reprehendit Paulus in priore epiſtola capite ſexto, quòd ad Ethnicos judices in temporalibus controverſijs confugerent: Sæcularia igitur judicia ſi habueritis; contemptibiles, qui ſunt in Eccleſia, illos conſtituite ad judicandum. Omninò ſæcularium, & temporalium cura nimiùm occupat, atque à ſpiritualibus avocat animum. [Rivus, ad- ,, dit Bern. quà fluit, cavat terram: ſic diſcur- ,, ſus temporalium conſcientiam rodit. Si po- ,, teſt torrens excurrere in agros ſine læſione ,, ſatorum, & tu te iſta ſine vulnere mentis ,, tractare poſſe confidito. Mores quorum- ,, cumque, & ſtudia ignorare te nolim (hæc ,, nimirùm propria eſt Prælati, & rectoris cu- ,, ra, quæ alteri committi non poteſt) non ,, oportet ut vitia domus tuæ ultimus ſcias. ,, Alius alia diſpenſet; de diſciplina tu provi- ,, de, illud nemini credas.]

Sed audi quid homiliâ quartâ ſuper Miſſus eſt, de hac ipſa re hominibus religioſis loquatur: [Video, inquit, & alios poſt aggreſſam ,, Chriſti militiam, rurſùs ſæcularibus impli- ,, cari negotijs, rurſùs cupiditatibus terrenis ,, immergi; cum magna cura erigere muros, ,, & negligere mores; ſub prætextu quoque ,, communis utilitatis verba vendere divitibus, ,, & matronis ſalutationes; ſed & contrà impe- ,, ratoris ſui edicta concupiſcere aliena, & ſua ,, cum lite repetere, non audientes Apoſto- ,, lum: Hoc ipſum, inquit, in vobis delictum ,, eſt, quòd cauſas habetis; quare non magis ,, fraudem patimini? Itanè ſibi mundum, & ,, ſe mundo crucifixerunt, ut qui anteà vix in ,, ſuo vico, vel oppido cogniti fuerant, modò ,, circumeuntes provincias, & curias frequen- ,, tantes, Regum notitias, Principumque fa- ,, miliaritates aſſecuti ſint?] Multa quoque de hac re diſſerit in ſer. 7. in Pſalm. 90. Et inter cætera Chriſtum monet dextrum ſibi latus voluiſſe fodi, quòd in ſiniſtro ſæcularis militia clypeum portat; nobis verò non niſi de dextro propinare vellet, non niſi in dextro locum parare refugij.

Aperta fuit ab Apoſtolo pronuntiata ſententia in poſteriore ad Tim. epiſtola c. 2. Nemo militans Deo implicat ſe negotijs ſæcularibus. Et in libro de charitate Philo Judæus Moyſen notat morientem noluiſſe hæredes ſibi relinquere filios fratris, quoniam impoſſibile eſſe cogitabat, eundem hominem rectè curare ſimul regnum, & Sacerdotium. Job verò cap. 31. gloriabatur, ſe ita ſubditos gubernâſſe ſuos, ut numquam potuerint ulla in re operam illius deſiderare: Si adverſum me, inquiebat, terra mea clamat? [Ad hoc enim ,, (interpretatur Sanctus Gregorius libro vi- ,, geſimo tertio cap. 15.) divina diſpenſatio- ,, ne cæteris unuſquiſque præponitur, ut ſub- ,, jectorum animus quaſi ſubacta terra prædi- ,, cationis ſemine fœcundetur. Sed terra con- ,, trà poſſeſſorem clamat, ſi contrà eum, qui ,, ſibi præeſt, aliquid murmurat. Clamare quip- ,, pè terram, eſt contrà regentis injuſtitiam ,, rationabiliter ſubjectos dolére.]

Perſimilis locus eſt Iob 34. Ut pervenire facerent ad eum clamorem egeni, & audiret vocem pauperum: eodemque modo interpretatur idem Greg. lib. 25. c. 12. [Cùm enim, ,, inquit, ipſi curis ſæcularibus occupati præ- ,, dicationis officium deſerunt, gregem ſub- ,, ditum in querelarum prorumpere clamorem ,, compellunt, ut quaſi jure unuſquiſque de ,, vita ficti paſtoris immurmuret; cùr teneat ,, magiſtri locum, qui non exercet officium.] Ab Iſidoro aſſimilatur dormienti, de cujus manu cadit baculus paſtoralis: vel homini picto dormienti, & accubanti ſuper cubitum, cui dicitur? Simon dormis? Aut etiam magiſtratui, antè quem portatur gladius, nec tamen is eo utitur: & ideò Zachar. 11. O paſtor, & idolum derelinquens gregem. Aliam hujus rei cauſam expoſuerunt Chalcedonenſis Concilij Patres, Act. 15. can. 26. ut Eccleſiæ diſpenſatio præter teſtimonium non ſit. Propterea enim Epiſcopum noluerunt Eccleſiæ facultates tractare; ſed habêre œconomum de Clero proprio, qui eas curet, atque ex Epiſcopi ſententia diſtribuat.

Quatenùs ea tractet.

Negari tamen non poteſt ab hac temporali cura liberari omninò Superiorem non poſſe. Nam & ſubditos paſcere illum, & ſuſtentare oportet, & Eccleſiæ, ſeu religionis bona conſervare. At quanta in his duobus conjungendis difficultas? Propterea ſic agendum erit, ut hæc temporalia non ipſe immediatè, & per ſe, ſed per alios procuret, qui & ab illo dirigantur, & ad eum referant quidquid fuerit actum. Atque is moderatè omninò agat, nè curis hiſce oppreſſus, non valeat animas paſcere; nimium videlicet paſcendis corporibus occupatus.

Ita præſcripſit Sanctus Greg. libro primo regiſtri c. 24. [Quia, inquit, hoc in loco quiſ- ,, quis Paſtor dicitur, curis exterioribus gravi- ,, ter occupatur, ita ut ſæpè incertum fiat, u- ,, trùm Paſtoris officium, an terreni Proceris

„ agat, magnoperè curandum eſt, nè ab his „ immoderatè deprimatur. Undè Ezech. 44. „ Sacerdotes caput ſuum non radent, neque „ comam nutrient. Capilli enim in capite ex„ teriores cogitationes ſignificant.] Et rurſum libro ſexto regiſtri cap. 169. [Curan„ dum eſt, ut perturbatio cogitationum, non „ exuperet animum: nam repelli funditùs „ nullatenùs poteſt. Quiſquis enim eſt in lo„ co regiminis, aliquando neceſſe eſt, habeat „ etiam terrena cogitare, & exteriorum quo„ que curam gerere, ut grex commiſſus va„ leat ad ea, quæ ſibi ſunt exequenda, ſubſi„ ſtere. Sed magnoperè ſemper providendum „ eſt, nè hæc eadem cura modum tranſeat, & „ cùm ad cor licenter admittitur, nimis ex„ creſcere non permittatur.] Et iterùm addit illud Ezechiëlis; Sacerdotes caput ſuum non radent, neque comam nutrient. Euripides Deum quoque voluit res magnas curare, exiguas fortunæ dimittere. Et homo cordatus, inquit Plutarchus libro de cohibenda ira, nihil debet fortunæ mandare, ſed quædam alijs committere. Ut enim exiles litteræ viſum, ita leviuſculæ res animum magis intendentem offendunt, & turbant, aut certè diſtrahunt, atque à majoribus avocant.

Et quoniam ſunt nonnulli, qui dum Prælatos ſuos vident temporalibus hiſce curis occupari, offenduntur magnoperè: eos affirmat idem Gregorius libro vigeſimo quinto moral. cap. 16. hac in re Deum ipſum reprehendere: „ [Quia enim poteſtas regiminis miniſtrari „ non poteſt ſine ſtudio curæ temporalis, ali„ quando omnipotens Deus, ut teneræ ſpi„ ritualium mentes à terrena cura disjunctæ „ ſint, onus regiminis duris, ac laborioſis cor„ dibus injungit, ut tantò illæ ab hoc mundo „ ſecuriùs lateant, quantò hæc in terrenis ſo„ licitudinibus valenter elaborant (hoc eſt, ut „ teneræ ſubditorum mentes in his cum peri„ culo non occupentur, fortiores Prælatorum „ animæ curam ſuſcipiunt) ſic & paterfami„ lias ad eum laborem ſervos dirigit, à quo „ ſubtiliùs filios ſuſpendit: Et indè filij ſine „ vexatione decori ſunt, undè ſervi in pulvere „ fœdantur.] Ex. 25. præceptum fuit Moyſi, ut ad tegenda interiùs ſancta ſanctorum, ex byſſo, cocco, atque hyacintho vela texerentur, & ad protegendum tabernaculum, vela cilicina, & pelles extenderet, quæ nimirùm vel pluvias, vel ventos, vel pulverem tolerarent. Sic enim in Eccleſia occulto Dei judicio fortiores homines præferuntur, qui ſervire curis temporalibus non timent, atque tentationum ventos, & pluvias portant, ut alij ſub cilicijs abſcondantur, ſuamque integram pulchritudinem ſervent. Ut enim in interiore tabernaculi byſſus fulgeat, coccus corruſcet, hyacinthus cæruleo colore reſplendeat, deſuper pelles, & cilicia imbres, & ventos, & pulverem portant.

CAPUT XV.

Prælatus virtutum omnium ſit exemplum.

PRÆLATUM oportet virtutibus cunctis ornatum eſſe, omniumque ſubditis ſui præbêre exemplum. Eliſæus quamdiù fuit Eliæ diſcipulus ſatis habuit uno, ac ſimplici ſpiritu: at abeunte illo, cùm ipſe deberet fieri aliorum doctor, duplicem ſpiritum poſtulavit: Oro, ut in me fiat duplex ſpiritus tuus.

Et turbæ, quibus expugnanda erat Hiericho, debebant geſtari manibus, poſteà apponi ori ad clangendum; quoniam & aliorum rectorem oportet habêre prius in manibus ſuis, & opere, quidquid eſt alios docturus, aut illis juſſurus. Et Chriſtus Dominus cœpit facere; & docêre, priùs facere, deindè docêre.

Milites quoque Gedeonis expugnaturos Madianitas, manu priùs ſumere aquam voluit Deus, & ſic eam ori apponere, rurſumque altera manu lumen, altera tubam geſtare: & aliorum rectorem, æquum eſt habêre priùs opera, & bonæ vitæ lumen, atque exemplum, & ſic docêre alios, aut dirigere. *Iud. 7.*

Nam & Numerorum quarto, & nono legimus ſcriptum; Juxtà imperium Domini per manum Moyſi, cur non per os, aut linguam? quia Superior, & dux aliorum exemplo operis debet præcedere, nec ſolùm docêre aut jubêre. Undè in Pſalmo quinquageſimo quarto dicitur; Vide iniquitatem, & contradictionem in civitate, hoc eſt in populo, & ſubditis. Quare? Quoniam die, ac nocte circumdabit eam ſuper muros ejus, id eſt Superiores, & Magiſtratus, iniquitas; & ideò in medio ejus, hoc eſt in populo, uſura, & dolus.

Propterea ſcripſit Sanctus Baſilius in caput tertium Iſaiæ; [Quiſquis præſidentia cathe„ dræ dignus cenſetur, par eſt eum vel maxi„ mè eſſe irreprehenſibilis vitæ.] Et in ſermone de inſtitutione Monachorum; [Unus „ totius illorum diſciplinæ moderator ſit, qui „ propter vitæ, ac morum probitatem cæte„ ris antelatus ſit.] Et rurſum. [Neceſſariò „ talis aliquis deligi debet, in cujus vitam qui„ cumque intueantur, omnium virtutum ex„ emplar antè oculos propoſitum habeant.] Et in regulis fuſiùs diſputatis, regula quadrageſima tertia. [Convenit, ut qui alijs præeſt illud Apo„ ſtoli teneat; Exemplum eſto fidelium; vitam„ que ſuam exercendorum Domini mandato„ rum exemplum præbeat evidentiſſimum.] Et or. de Principatu, & potentia; Neceſſe eſt, ijs mandare magiſtratus, & eos aliorum conſtituere duces; qui cæteros omnes prudentia, conſtantia, ac vitæ ſanctitate longè anteeant: ut

ut virtutes, quibus prædìti ſunt, communes
fiant eorum omnium, qui eos imitantur: [Si-
,, cut, inquit, ſi plures pictores unius faciei
,, formam effingerent, omnes imagines ſimi-
,, litudinem quamdam inter ſe haberent; eò
,, quòd ad exempla unius pictæ ſint. Sic etiam
,, multi mores, ſi ad unius imitationem reſpe-
,, xerint, in omnibus æquè bonus vitæ chara-
,, cter eluceſcet.]

Et Cyrus quoque Perſarum rex, ut eſt in-
ter Plutarchi apophtegmata, imperium inquie-
bat nemini convenire, qui illis, quibus impe-
rat, melior non ſit. Et Philo Judæus in libro
de Judice; [Abſurdum, inquit, fuerit eos in
,, culpa hærêre, qui jura præſcribunt alijs:
,, quandoquidem ab his potiſſimùm exem-
,, plum vitæ petendum eſt.] Adfert ignis, ac
nivis exemplum. [Ut enim ignis quæcumque
,, admoventur calefaciens, ipſe primùm inna-
,, ta ſibi vi calet: nix contrà ſuapte natura fri-
,, gida infrigidat & alia. Sic judex ipſe debet
,, eſſe plenus juſtitia, ſi alijs jus adminiſtratu-
,, rus eſt.] Idem de virtutibus cæteris dixeris.
Sanctum Baſilium teſtatur S. Nazianzenus in
oratione funebri in laudem ipſius, facilè Epiſ-
copatum gubernâſſe hanc maximè ob cau-
ſam, quòd omnes ſcirent ſe illius virtute ſupe-
rari; atque impoſſibile eſſe, ut illi ejus imita-
rentur virtutes.

In libro Levitici c. 13. Leproſus jubebatur
habêre os veſte contectum, quod conſiderans
Origenes h. 8. in eum librum; [Quid eſt
,, hoc, inquit, quòd omnes corporis partes
,, nudas habêre præcipitur, & os ſolùm operi-
,, re jubetur? nonnè palam eſt, quòd ei, qui
,, in lepra peccati eſt, clauditur ſermo, & os,
,, ut fiducia ſermonis, & docendi autoritas ex-
,, cludatur? quia qui ſeipſum non docuit, do-
,, cêre alium non poteſt.] Et libro 10. in epi-
ſtolam ad Romanos tractans illud cap. 15. San-
ctificans Evangelium Dei; ſanctificare inter-
pretatur eſſe annuntiare Evangelium: [Sed
,, ut Pontifex, inquit, cùm offerebatur hoſtia,
,, proſpicere debebat, nùm aliquam haberet
,, maculam: ita qui verbum Dei annuntiat,
,, curare omninò debet, nè qua in eo macula,
,, nè qua in magiſterio culpa naſcatur: Sed ſe-
,, metipſum primò immolet, ſe primùm vitijs
,, jugulet, & ſua priùs peccato membra mor-
,, tificet, ut non ſolùm doctrina; ſed & vitæ
,, exemplo diſcipulorum ſalutem oblationem
,, acceptam faciat Deo.] [Faciliùs enim ut
,, pòſt ſubjungit, devotæ mentes ad benefa-
,, ciendum exemplis, quàm ſermonibus, inci-
,, tantur.] Quam ob cauſam ſub finem libri
8. contrà Celſum magnoperè rogat, ut illi Ec-
cleſijs præficiantur, qui majore vitæ integrita-
te, ac virtute præditi ſunt.

Sanctus Nazianzenus de Epiſcopis loquens
in Cygneis carminibus; [Odi, inquit, doctri-
,, nas, vita quibus adverſatur. Colores, ac pi-
,, cturas ſepulchri laudans, odorem internum
,, membrorum, quæ jam putruerunt, abomi-
,, nor.] Et in apologetico plures adfert ratio-
nes, cur is Epiſcopatu repudiato fugiſſet in
Pontum, quarum illa eſt tertia: [Aliorum,
,, inquit, me puduit, qui cùm plebeis homini-
,, bus nihilo meliores ſint, atque utinam non
,, multò pejores, illotis, ut dici ſolet, manibus,
,, prophaniſque animis in Sanctiſſima myſteria
,, ſe inferunt. Tanquam non virtutum exem-
,, plum, ſed vitæ adjumentum, atque ſubſi-
,, dium, hunc ordinem eſſe judicantes.] Tum
verò hoc præclarè ſubjungit: [Providendum
,, eſt, nè eximiæ, admirandæque virtutis mali
,, pictores appareamus: aut non mali fortaſſe
,, pictores; ſed malum plebis exemplar &c.
,, Vitæ integritate magis, quàm dignitate, at-
,, que autoritate præſtet. Siquidem futurum
,, eſt, ut virtutis ſuæ præſtantia multos ad me-
,, diocritatem trahat; ac non per vim coerceat,
,, ſed perſuaſione alliciat.] Et in oratione de
funere patris, hoc maximè nomine commen-
dat hominem, quòd ſe velut ſpiritualem quam-
dam ſtatuam ad excellentiſſimæ cujuſvis actio-
nis pulchritudinem expolitam ad imitandum
proponeret. Et rurſum in or. in laudem Baſi-
lij: [Sic, inquit, exiſtimabat Baſilius; pri-
,, vati quidem hominis, & plebeij virtutem in
,, eo conſiſtere, ut vitio careat, aut quoquo
,, modo probitatem colat: Principi verò, ac
,, præfecto turpe, ac ignominioſum eſſe, non
,, multum reliquis antecellere, nec meliorem
,, in dies exiſtere, nec parem dignitati ſuæ, ac
,, throno virtutem adferre.] Et in or. de ſeip-
ſo, & de cathed. Conſtantinop. affert: [Pri-
,, mi dignitate ita vos gerite, ut primi non ſce-
,, lere, ſed virtute; non morum diſſolutione,
,, & mollitie, ſed optimis legibus ſitis.
,, *Nam qui alios gravibus morbis purgare laborat,*
,, *Non decet hunc hominem gravibus langueſcere*
morbis.]
Inquit idem in carmine de ſuis calamitatibus.
Ac demùm in ſententijs tetraſticis; [Aut à do-
,, cendi munere abſtine, aut moribus, vitæque
,, probitate doce: Nec alioqui diſcipulos altera
,, manu trahas, altera repellas. Minùs tibi ſer-
,, mone opus erit, quæ facto opus ſunt facien-
,, ti. Pictor non tam ſermone, quàm penicil-
,, lo, atque exemplo docet. Mutum opus otio-
,, ſo, atque inerti ſermone præſtantius eſt.]

S. Dorotheus ſer. 17. ad eos qui monaſte-
rio præſunt; [Verbo, & opere, quæ agenda
,, ſunt, illos inſtrue; magiſque opere, & ex-
,, emplo. Si viribus corporis polles; operibus
,, corporis illos informa: ſi debilis fueris, in-
,, ſtitue illos dotibus, & virtutibus animæ.]

S. Greg. Nyſſenus homiliâ 13. in Cant. res
humidas notat ad ſimilitudinem ſpeculorum
inſpicientium in ſe ſimilitudinem referre. In
ſolo

ſolo lacte id locum non habêre. Oculorum verò Eccleſiæ, hoc eſt Prælatorum, hanc eſſe laudem perfectiſſimam; quòd nihil erroneum, nihil vanum repræſentent. Et ideò Cant. 5. dici; Quæ lacte ſunt lotæ. S. Chryſ. h. 73. in Matth. Prælatum vult tantùm virtutibus cæteris omnibus antecellere, quantùm homo cæteris animantibus præſtat: [Ut homo, in-„ quit, ubicumque fuerit, cæteris animanti-„ bus præſtat; ita doctorem decet, ſive loqua-„ tur, ſive ſileat, ſive in convivio, ſive alibi „ ſit; cæteris omnibus antecellere adeò, ut in „ inceſſu, & aſpectu, & habitu, omnibus ſim-„ pliciter alijs præſtantior eſſe videatur.] Et h. 3. operis imperfecti. [Verè talis dicitur eſſe „ Princeps in populo; ut totus populus ſem-„ per aliquid novi inveniat, quod imitetur in „ eo.] Sanè de Joanne Baptiſta loquens; Teſtimonium, inquit, verborum ejus nequaquam fuiſſet idoneum, niſi eum mirabilis vitæ inſtitutio commendâſſet. Et quod idem ipſe autor h. 40. de Sacerdotibus, & Eccleſiaſticis viris universè loquitur; multò magis de Prælatis, & rectoribus aliorum dici poteſt: [Sacerdotes, „ & Eccleſiaſtici, foranei lapides ſunt in facie „ Eccleſiæ poſiti, cæteri in medio Eccleſiæ „ ſeu ædificij. Sicut ergò foranei lapides nul-„ lum debent habêre nodum; nec eſſe alter in-„ tùs, alter foris; quia totum ædificium detur-„ patent: Sic clerici nullam debent habêre ma-„ culam, neque in verbo, neque in cogitatu, „ neque in facto, neque in opinione, quia ip-„ ſi ſunt pulchritudo Eccleſiæ: & ſi mali fue-„ rint, totam deturpant Eccleſiam. Sicut lapi-„ des, qui ſunt intùs, nemo aſpicit; ſed eos, „ qui foris ſunt, conſiderat: ſic ſæcularium „ hominum vita, neque ſic conſideratur, ne-„ que ſic nocet Eccleſiæ. Nam quamvis Po-„ pulus ſæcularis, ſit & indiſciplinatus; tamen „ ſi iſti boni fuerint, tota Eccleſia ſpecioſa vi-„ detur. Nam ſicut foranei lapides intraneos „ intrà ſe tenent, & conſtringunt; ſic totus po-„ pulus iſtorum meritis, & ſanctitate ſalva-„ tur.] Omninò quod hìc de Eccleſiaſticis, & ſæcularibus dicitur, de Prælatis quoque, & ſubditis, affirmare licet.

Matth. 5. Sed idem Sanctus Chryſ. cùm audiſſet dicentem Dominum; Vos eſtis ſal terræ; Doctorem oſtendit virtutibus omnibus ornatum eſſe debêre: [Tunc enim eſt optimum ſal, „ & populus totus conditur, magis videndo „ eum, quàm audiendo. Nam prima doctri-„ na eſt vidêre bonum; ſecunda autem audire. „ Bona Sacerdotis converſatio conditura po-„ puli eſt. Propter verbum autem doctrinæ „ lux eſt; quoniam verbum ignorantiæ lumen „ eſt. Priùs autem dixit; Vos eſtis ſal terræ, „ poſteà autem lux; quia prius eſt benè vive-„ re; ſecundum autem benè docêre.] Immò in h. 22. in Acta, propter hoc putat dignitates, & prælaturas fuiſſe inſtitutas, ut major pietas oſtendatur. Mirabilius etenim, quando quis in divitijs & potentia agens talis fuerit. Et hom. 15. in poſteriorem epiſtolam ad Cor. „ [Non eſt principatus iſte ejus, qui plures „ provincias dederit; ſed qui maximas virtutes „ declaraverit.] Et homiliâ 5. in poſteriorem ad Theſſ. de patrefamilias loquens; [Princi-„ pem, inquit, oportet non honoribus, ſed „ virtutibus excellere. Nam hoc Principis eſt: „ ſi multo fueris honore, nihil ad te; etenim „ ab alijs accepiſti: ſi multa virtute illuſtris ſis, „ illud planè tuum eſt.] Et homiliâ decimâ in priorem ad Timotheum eum, qui regendos alios ſuſcipit, decet gloria virtutis excellere, ut inſtar Solis cæteros, veluti ſtellarum igniculos, ſuo fulgore obſcuret. Debet hujuſmodi habêre vitam immaculatam, atque compoſitam, ut omnes in illum, & in ejus vitam, veluti in exemplar aliquod excellens, intueantur. Et rurſum: [Idcircò nos Deus „ elegit, ut ſimus quaſi luminaria, ut velut „ fermentum evadamus, ut magiſtri cætero-„ rum efficiamur, veluti Angeli cum homi-„ nibus verſemur in terris, ut tanquam viri „ cum infantibus pueris, quaſi ſpirituales cum „ animalibus, ut ex contubernio noſtro ma-„ gna illi lucra conquirant, ut ſemina ſimus, „ ut fructum lætiſſimum afferamus. Nihil o-„ pus eſſet verbis, ſi in hunc modum vita no-„ ſtra ſanctitatis luce fulgeret.] [Diſcipuli, „ mox ſubjungit, ſemper doctorum vitam in-„ tuentur: ac ſi viderint nos quoque eadem ſe-„ cum appetere, eadem concupiſcere; quan-„ do illi Chriſtianam religionem poterunt ad-„ mirari?]

Et S. Proſper libro 1. de vita contemplativa cap. 17. [Plus fideles, inquit, bonis exem-„ plis, quàm luculentis verbis, ſolent profice-„ re. Eaque eſt ſumma, perfectaque doctrina, „ quam converſatio ſpiritualis oſtenderit, non „ quam inanis ſermo jactârit: nec à nobis in „ die judicij verba quærenda, ſed opera: nec „ facilè perſuadetur; quod docet lingua, ſi à „ lingua vita diſſentiat.]

Saul à Deo primus populi rex electus 1. libro Reg. c. 10. ſtetit in medio populi, & altior fuit univerſo populo ab humero, & ſurſum, nec fuit illi ſimilis in omni populo. Sed quod de primi Regis corpore proditum eſt: de Prælati cuivis, ac rectoris animo & viribus accipias. Eum enim magnoperè oportet cæteros omnes virtutibus ſuperare, ut non ſit illi ſimilis in omni populo. Qua de re ita loquitur Sanctus Chryſoſtomus libro ſecundo de Sacerdotio: [Cùm de Eccleſiæ præfectura, „ de credenda huic, vel illi animarum cura „ agitur, univerſa muliebris natura functionis „ iſtius moli, ac magnitudini cedat, oportet: „ itemque & bona virorum pars. Prodeant autem

,, tem in medium, qui longè omnibus præ-,, ſtant, quique animi virtute tantùm reliquos ,, excellunt, quantùm corporis magnitudine. ,, Saul Hebræorum gentem univerſam excel-,, luit, ſeu potiùs etiam magis. Quanta inter ,, ſe differentia homines rationis uſum haben-,, tes, & bruta ratione carentia diſſident; tan-,, tum ſanè diſcrimen inter eum, qui paſcit, & ,, eos qui paſcuntur, eſſe velim.] Et S. Greg. Papa lib. 4. in 1. Regum capite quarto: [Ab ,, humero, inquit, & ſurſum. Hac ſpecie cor-,, poris in perſona ordinandi Antiſtitis præſig-,, nantur acta virtutis. In humero fortitudo ,, deſignatur, collo, & capite altitudinem om-,, nium ſuperabat: & qui altior erat in populo, ,, ad humerum Regis pertingebat. Capita ſunt ,, ſubjectæ plebis mentes, quæ cùm valdè ten-,, duntur uſquè ad humerum Regis pertin-,, gunt. Quia qui ad regendum quæritur, tan-,, tæ debet eſſe perfectionis, ut quidquid po-,, pulus de bono opere ſibi proponit, in ſua ,, converſatione demonſtret. Sed rex præcel-,, lit collo, & capite; id eſt locutione, & men-,, tis contemplatione 1. Cor. 12. Veniam au-,, tem ad viſiones, & revelationes Domini; en ,, caput; Audivit arcana verba &c. en collum ,, &c.] Et rurſum poſt multa: [Saul electus ,, rex in triclinium fuit à Samuële introductus, ,, id eſt in latitudinem charitatis. Et dedit ei ,, locum in capite eorum, qui fuerant invitati: ,, quia rector per vim magni amoris ſupernæ ,, vitæ ſingulare propoſitum accipit, & præ ,, cæteris virtutem ſublimem, & dedit illi ar-,, mum pectoris, ſcilicet fortitudinem actionis. ,, Debet enim infirmis compati, ſed non ipſe ,, infirmus fieri. Debet aſcendere in ſolarium, ,, & ibi dormire; hoc eſt in ſublimi conſidera-,, tione diſponere, qualiter ſubditorum onera ,, portare debeat. Dormire debet, ut ſæcula-,, ria nulla cogitet; quia ſpiritualia diſponere ,, oppreſſus ſæcularibus non poteſt.] Et ite-rùm c. 5. exponens illa verba; Qui noverant eum, heri, & nudius tertius, illis voluit ſigni-ficari ſingularem, & eximiam virtutem in Su-periore requiſitam: [Tres, inquit, dies ſunt ,, tres gradus perfectionis in eo, qui alijs præ-,, ficitur: Primus, quando Prælatis ſuis obedi-,, vit, ſecundus, quando meliorum coadjutor ,, eſſe jam cœpit, tertius, in quo Superior ,, factus ſublimitatem dignitatis ſuæ adæquat ,, ſplendore converſationis.]

Illud etiam quod Prælatis dicitur Ezech. 3. Speculatorem dedi te domui Iſraël; idem S. Greg. h. 11. in Ezech. non ſolùm de vigilan-tia interpretatus eſt; ſed multò magis de vir-tute, ac vitæ perfectione; ſic enim habet: ,, [Speculator ſemper in altitudine ſtat, ut ,, quidquid venturum eſt, longè proſpiciat ,, (hoc ad vigilantiam pertinet, ad virtutem ,, verò id, quod ſequitur) & quiſquis populi ,, ſpeculator ponitur, in altum debet ſtare per ,, vitam, ut poſſit prodeſſe per providentiam.] Et rurſum poſt aliqua; [Speculatoris vita, & ,, alta ſemper debet eſſe, & circumſpecta. Nè ,, enim terrenarum rerum amore ſuccumbat, ,, alta ſit, nè occulti hoſtis jaculis feriatur, ex ,, omni latere circumſpecta. Neque enim ſpe-,, culatori ſufficit, ut altè vivat, niſi & loquendo ,, aſſiduè ad alta auditores ſuos pertrahat, eo-,, rumque mentes ad amorem cœleſtis patriæ ,, loquendo ſuccendat; quod tunc rectè agit, ,, cùm lingua ejus ex vita arſerit. Nam lucer-,, na, quæ in ſe non ardet, eam rem, cui ſup-,, ponitur, non accendit.] Hinc de Joanne dicitur; Erat lucerna ardens, & lucens; ardens per cœleſte deſiderium; lucens, per verbum, & exemplum. *Ioan. 5.*

Quantò autem major fuerit virtus Prælati, tantò magis ex illius converſatione, aut etiam prædicatione, proficient illius ſubditi. [Quan-,, tò ſanctior eſt vita doctoris (inquit idem ,, Gregorius homiliâ decimâ octavâ) tantò ,, fit humilior ſenſus audientis: & ſeipſum de-,, ſpicit, dum prædicatoris ſui vitam in magna ,, ſurgere altitudine perpendit.] [Et ille (in-,, quit idem libro 6. mor. c. 16.) uberes fru-,, ctus prædicationis colligit, qui ſemina bonæ ,, operationis præmittit. Iſ. 60. Qui ſunt hi, ,, qui ut nubes volant? quia à gravedine culpæ ,, ſunt leves, & gratia Sancti Spiritus in bono ,, opere veloces.] Interpretatur idem lib. 5. in primum Regum c. 4. Et quaſi columbæ ad feneſtras ſuas, quia ad exemplum per bona o-pera ſe nobis, quaſi per foramina porrigunt: ſed de oſtenſa vitæ munditia laudis appetitu ne-quaquam capiuntur.

Jonathas quoque 2. Regum c. 14. manibus reptans aſcendiſſe dicitur ad ſtationem Phili-ſthinorum: [Manibus autem reptat paſtor ,, (inquit eodem loco Gregorius) quando ſub-,, ditus viam, quam tenêre debeant, exemplo ,, converſationis præfert. Et quia manibus ,, reptare eſt etiam corpus omne curvare, ille ,, ad deſtruenda peccatorum vitia poteſt per-,, venire, qui ipſos peccatores magna humili-,, tatis oſtenſione, & magna charitatis affe-,, ctione demulcet.] Si ſecùs agatur; eveniet illud, quod malè ſibi ominans Job c. 31. dice-bat; Seram, & alius comedat. [Doctor quip-,, pè (inquit S. Greg. lib. 21. c. 8.) qui à ſuis ,, vocibus moribus diſcrepat, jejunus ſerit, quod ,, alius manducet; quia ſuo ſemine ipſe non ,, paſcitur, quando à verbi ſui rectitudine pra-,, va actione vacuatur. Et progenies mea era-,, dicetur. Doctoris enim progenies eradica-,, tur, quando is, qui per verbum naſcitur, per ,, exemplum necatur; ſic 3. Regum 3. mulier ,, filium, quem vigilans lactare conſueverat, ,, dormiens interemit.]

Et omninò verum eſt illud; Neceſſe eſt, ut cujus

cujus vita deſpicitur, illius etiam prædicatio contemnatur. Contrà verò, ut eſt in 2. parte paſtoralis curæ capite tertio. [Illa vox libentiùs auditorum corda penetrat, quam dicentis vita commendat: quia quod loquendo imperat, oſtendendo adjuvat, ut fiat.] Et lib. 7. regiſtri c. 32. [Lux gregis flamma eſt paſtoris; decet enim Dominicum Sacerdotem motibus, & vita clareſcere: quatenùs in eo tamquam in vitæ ſuæ ſpeculo plebs commiſſa & eligere, quod ſequatur, & vidêre poſſit, quod corrigat.] Et lib. 24. mor. c. 15. [Is qui præeſt, quæ exempla ſubditis præbeat, ſolerter attendat, & tantis ſe ſciat vivere, quantis præeſt; ac vigilanter inſpiciat, nè in eo, quod Prælatus eſt, intumeſcat, nè jura debitæ poteſtatis immoderatiùs exigat, nè diſciplinæ jus mutetur in rigorem ſuperbiæ: & undè à perverſitate ſubditos reſtringere poterat, indè magis intuentium corda pervertat.] Et iterùm; [Non debet ducatum hominum ſuſcipere, qui neſcit homines benè vivendo præire: nè qui ad hoc eligitur, ut aliorum culpas corrigat, quod reſecare debuit, ipſe committat.] Quod ſanè magnoperè impedit ſubditorum bonum, quod ipſe promovêre debuerat. Undè S. Greg. h. 31. in Evangelia; [Prælatus ſi fructum non habet operationis bonæ, etiam impedimentum præſtat cæteris. Quia qui ſub ipſo ſunt, exemplo pravitatis illius, quaſi umbra perverſitatis ejus premuntur. Deſuper umbra denſatur, & ſolis radius ad terram deſcendere nequaquam permittitur.] S. Bernardus ſer. 76. in Cant. [Boni, ſolicitique Paſtores impinguare pecus non ceſſant bonis, lætiſque exemplis; & ſuis magis, quàm alienis. Nam ſi alienis, & non ſuis, ignominia eſt illis, & pecus ita non proficit. Si enim ego appoſuero vobis Moyſis manſuetudinem, patientiam Job, miſericordiam Samuëlis, David Sanctitatem, immitis ipſe, impatiens, immiſericors, & minimè ſanctus, ſermo minùs ſapidè eveniet, & vos minùs avidè capietis.] Ac demùm in ſer. 2. de reſur. & epiſt. 201. ad Balduinum Abbatem; [Sermo vivus, & efficax, exemplum eſt operis, facilè faciens ſuadibile, quod dicitur, dum monſtrat factibile, quod ſuadetur. In his duobus mandatis, verbi, & exempli, ſummam tui officij pendêre intellige.]

Rationem hujus rei, paucis verbis expoſuit Sanctus Anſelmus in caput 6. poſterioris epiſt. ad Cor. [Etenim infimus quiſque plus attendit facta Prælati ſui, quàm verba; & putat ſibi licêre quidquid illum viderit agere.] Quam ob cauſam verè admonuit S. Cypr. in ep. ad Presbyteros, & Diaconos Romæ conſiſtentes, quæ eſt 21. libri 3. [Quantum pernicioſa eſt ad ſequentium lapſum ruina præpoſiti; in tantum contrà utile eſt, ac ſalutare, cùm ſe fratribus præbet imitandum.] Sed jam de ruina quoque dicendum eſt.

CAPUT XVI.

Prælati malum exemplum.

Quivis Prælatorum lapſus; ſeu ſcandalum communitati toti plurimùm obeſt. Dictum eſt de hoc aliquid c. 8. & nunc poſtremis verbis adſcripta fuit Cypriani ſententia. S. Hier. in com. ad caput 44. Ezech. [Grandis, inquit, dignitas Sacerdotum; ſed grandis ruina, ſi peccant. Lætamur ad aſcenſum; ſed timeamus ad lapſum. Non eſt tanti gaudij excelſa tenuiſſe, quanti mœroris de ſublimioribus corruiſſe.] Et S. Amb. in lib. de dignitate Sacerdotali c. 3. de Epiſcopis loquitur ad hunc modum: [Sicut nihil eſt de Epiſcopo excellentius, ſic nihil eſt miſerabilius, ſi de ſancta vita periclitetur Epiſcopus, ſi Sacerdos in crimine teneatur. Et ut levius eſt de plano corruere; ſic gravius eſt, qui de ſublimi ceciderit dignitate; quia ruina, quæ de alto eſt, graviori caſu colliditur.] Et cap. 6. [Sacerdos qui malè agit, dignè perit, inſuper & alios ſecum indignè perdit.] Et S. Greg. lib. 2. mor. c. 9. magnoperè ponderat illud, quod filios Job legimus in majoris fratris domo ſolitos fuiſſe convivari: [Filij enim Job in majoris fratris domo convivantur, cùm pereunt; quia omne quod à minoribus voluptuosè agitur majorum diſciplinâ cohibetur: cùm verò majores ipſi voluptati deſerviunt, nimirùm minoribus luxuriæ fræna laxantur. Tuncque contrà nos vehementiùs hoſtis vires accipit, quando & ipſos, qui pro cuſtodia diſciplinæ Prælati ſunt, ventri ſervire cognoſcit. Tantò enim licentiùs ad feriendum occupat ſubditos; quando & hi, qui intercedere pro culpis poterant, voluptati vacant.] Et libro 22. cap. 17. [Qui præſunt, & mali operis exempla ſubjectis præbent, eorum vitam gladio ſuæ pravitatis extinguunt.] Et rurſum; [Paſtores aquis turbidis oves potant, dum malæ vitæ exemplo doctrinam ſuam turbant.] Undè Ezech. 34. Oves meæ his, quæ conculcata pedibus veſtris fuerant, paſcebantur, & quæ pedes veſtri turbaverant, hæc bibebant. Oves enim turbata pedibus bibunt, cùm ſubjecti ea ad exemplum vivendi appetunt, quæ Prælati quique pravo opere pervertunt. Cùm puriſſimam aquam biberetis, inquit Propheta, reliquam pedibus veſtris turbabatis. [Aquam puriſſimam paſtores bibunt (interpretatur idem Gregorius 1. parte paſtor. curæ cap. 2.) cùm veritatem rectè intelligunt: ſed eandem aquam pedibus conculcare, eſt ſcientiam

Iob. 1.

tiam

,, tiam malè vivendo corrumpere; quam turbatam oves bibunt, cùm ſubditi non verba, quæ audiunt, ſed quæ conſpiciunt opera pravitatis imitantur.] Et adjungit; [Nemo amplius in Eccleſia nocet, quàm qui perversè agens, nomen, & ordinem ſanctitatis habet. Delinquentem enim nemo redarguere præſumit, & in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reverentia ordinis peccator honoratur.] Et par. 3. admonit. 5. [Prælati ſi perverſa unquam perpetrant, tot mortibus digni ſunt, quot ad ſubditos ſuos perditionis exempla transmittunt.] Porrò Sanctus Bernardus in epiſtola 127. ad Guillielmum comitem: [Si quis, inquit, de populo deviat, ſolus perit. Verùm Principis error multos involvit, & tantis obeſt, quantis præeſt ipſe. Nec præſumus, ut perdamus, ſed ut regamus ſubjectos.] Atque ut loquitur Origenes hom. 12. in Ezech. [Superior juſtus conſervat ſubditos à diaboli laqueis: quòd ſi ipſe peccat, intrat diabolus, & captivos facit & ipſum, & ſubditos.] Exemplo oſtendit Nabuchodonoſor.

Itaque ſapienter mihi videtur Chriſtianis omnibus locutus Sanctus Chryſoſtomus homiliâ quadrageſimâ primâ operis imperfecti in Matthæum: ſic enim habet: [Qui opera habet tenebroſa, & inter Chriſtianos quaſi unus ex eis converſatur, Chriſtianitati facit injuriam. Homo itaque aut ſecundùm locum eligat veſtem, aut ſecundùm veſtem eligat locum; id eſt, aut ſecundùm opera eligat profeſſionem, aut ſecundùm profeſſionem faciat opera. Alioqui audiet in die judicij; Amice quomodo hùc intrâſti non habens veſtem nuptialem?] Hoc ipſum prorsùs monêri Prælati omnes, & Superiores poſſunt: Aut elige mores, & actiones ſecundùm locum, quem tenes; aut ſi virtutem tantam non habes, deſcende inferiùs, atque in ſubditorum loco conſiſtens locum illum meliori alteri cede, teque illi gubernandum committe.

Obſervat Sanctus Auguſtinus libro primo quæſtionum veteris, & novi teſtamenti q. 16. Angelum voluiſſe interficere Moyſen Ex. 4. proficiſcentem in Ægyptum, & à Deo miſſum ad filios Iſraël, & ſignum juſtitiæ non ferentem; non enim circumciderat filium ſuum. Prælatos enim maximè oportet juſtitiæ formam omnem præſeferre, nè aut impoſtores, aut certè à Deo non miſſi credantur.

Subditos autem monet Sanctus Cyrillus Alexandrinus libro quinto in Joannem capite 12. [Nullus ſe præcipitem agere vellet in fluvium, aut puteum; quia alium oculis captum videt ſeſe demergentem. Itaque nullus ab ijs, qui in altiore ſunt dignitatis gradu conſtituti; peccandi ſumat patrocinium: quoniam non præſtabunt illi ſuis ſectatoribus gravium pœnarum refrigerium, aut levamen.] Et Origenes hom. 7. in Ezech. [Prælatorum, & doctorum tenenda eſt doctrina bona, non imitanda mala vita.] [Quid enim ſi Epiſcopus, ſi diaconus, ſi vidua, ſi virgo, ſi doctor, ſi etiam martyr (inquit Tertullianus in libro de præſcriptionibus adversùs hæreticos c. 3.) lapſus à regula fuerit? Ex perſonis probamus fidem, an ex fide perſonas?]

CAPUT XVII.

Prælatus fortis ſit, & ſuavis.

PRÆLATUM prætereà, & Rectorem aliorum oportet duo hæc conjungere, diſciplinam, & miſericordiam; fortitudinem, ac ſuavitatem. Exigat à ſubditis diſciplinam, atque obſervationem legum, at cum ſuavitate multa. Nam & in monte Thabor Chriſtus viſus eſt inter mitiſſimum Moyſen, & Eliam ſeverum, ac fortem medius. [Sunt enim, inquit Sanctus Gregorius libro 19. mor. c. 12. nonnulli ita diſtricti, ut omnem manſuetudinis benignitatem amittant. Et ſunt nonnulli ita manſueti, ut perdant diſtricti curam regiminis. Undè cunctis rectoribus utraque ſummoperè ſunt tenenda, ut nec in diſciplinæ vigore benignitatem manſuetudinis, nec in manſuetudine diſtrictionem deſerant diſciplinæ; & quæ ſeq.] Et libro 20. c. 3. exemplum nobis proponit ad imitandum. Nam cùm dixiſſet Job cap. 29. Si quando ridebam ad eos, non credebant: [Vir, inquit, ſanctus talem ſe exhibuit ſubditis, ut etiam ridens timeretur. Et tamen cùm ſe patrem pauperum, & conſolatorem viduarum dicat, in tanto rigore regiminis neceſſe eſt magna quoque adfuerit lenitas. & manſuetudo pietatis. Talis ergò debet eſſe diſpenſatio regiminis, ut is, qui præeſt, eâ ſe circà ſubditos menſurâ moderetur, quatenùs etiam arridens timêri debeat, & iratus amari, ut eum nec nimia lætitia vilem reddat, nec immoderata ſeveritas odioſum.]

Verùm de ſeipſo idem ipſe Job dicebat; Cùm ſederem quaſi rex circumſtante exercitu (ecce diſciplinam, quæ in exercitu, & militibus maxima eſt) Eram tamen mœrentium conſolator (ecce miſericordiam, & manſuetudinem.) Quo loco Sanctus Gregorius libro 20. capite 8. [In bonis rectoribus, inquit, miſta ſunt, & regendi authoritas, & benignitas conſolandi. Diſciplina enim, vel miſericordia multum deſtituitur, ſi una ſine altera teneatur. Sed circà ſubditos ſuos ineſſe rectoribus debet, & juſtè conſolans miſericordia, & piè ſæviens diſciplina.]

Adfert autem, & illud Luc. 10. ſemivivi illius vulneribus, qui incidit in latrones, & vinum

num fuiſſe adhibitum, & oleum: [Sic enim & animarum rectori agendum eſt. Ut per vinum mordeantur vulnera, per oleum foveantur, per vinum mundentur putrida, per oleum ſananda foveantur.] Miſcenda eſt ergò lenitas cum ſeveritate, faciendumque quoddam ex utraque temperamentum, ut neque multa aſperitate exulcerentur ſubditi, neque nimia benignitate ſolvantur.

Adfert ſecundò tabernaculi arcam, in qua cum tabulis legis virga quoque ſimul erat, & manna. Quia in boni Rectoris pectore, cum Scripturæ Sacræ ſcientia ſi eſt virga diſtrictionis, ſit & manna dulcedinis. Pſal. 22. dicitur; Virga tua, & baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt: [Virgà enim percutimur, & baculo ſuſtentamur. Si eſt diſtrictio virgæ, quæ feriat, ſit & conſolatio baculi, quæ ſuſtentet. Sit amor, ſed non emolliens; ſit rigor, ſed non exaſperans, ſit zelus, ſed non immoderatè ſæviens; ſit pietas, ſed non plùs, quàm expediat, parcens.]

Tertio loco adfert Moyſis exemplum ex libro Exodi cap. 32. [Intuêri, inquit, libet in Moyſis pectore miſericordiam cum ſeveritate ſociatam. Nam cùm vellet Deus delêre populum, is obicem ſe ad impetum Dei iraſcentis opponens, ait; Aut dimitte illis hanc noxam, aut dele me de libro, quem ſcripſiſti. Quibus viſceribus populum eum amavit, pro cujus vita de libro vitæ delêri ſe petit? Sed tamen contrà ejuſdem culpas quanto zelo rectitudinis accenditur? Mox enim ad eundem populum veniens, ait; Ponat vir gladium ſuum ſuper femur ſuum, &c. cecideruntque in illa die 23. millia hominum.]

Eandem & cæteri Patres ſententiam tradiderunt. Namque Sanctus Dorotheus in ſermone 17. ad eos, qui monaſterio præſunt; [Si fratrum, inquit, fueris præfectus, & rector da operam, ut in rigiditate, ſeveritateque cordis, & in viſceribus miſericordiæ curam hanc exercêre velis.] Et S. Baſilius in regulis fuſiùs diſputatis 35. ad hunc modum præſcribit. [Abſoluta ſeveræ diſciplinæ ratio moderatorem conventûs providum, nec parùm eloquentem requirit: & præterea vigilantem, & mitem & hujuſmodi, qui perfecto corde Dei juſtificationes exquirat.] Et Orig. h. 4. in librum Judicum; Aioth obſervat pugnâſſe in gladio, Semegad verò in aratro proſtraviſſe Allophylos: [Fieri ergò, inquit, poteſt, ut Eccleſiæ Judex non ſemper gladium proferat, non ſemper auſteritate verbi, & acumine correptionis utatur, ſed aliquando etiam imitetur agricolam, & velut aratro ſulcans animæ terram, & ſæpiùs eam clementi commonitione ſcindens, aptam eam ſuſcipiendis ſeminibus paret.]

De Sancto Baſilio in orat. in ejus laudem ità loquitur Sanctus Gregorius Nazianzenus; [Cùm mollitiem diſſolutos, & enervatos homines, aſperitatem feros, & contumaces reddere perſpiceret, utrique malo ab altero opem paravit: rigiditatem nimirùm humanitate, mollitiem ſeveritate temperans. Nec calliditate homines ſibi inſervire cogens, ſed benevolentiâ devinciens, nec imperij poteſtate utens, ſed poteſtatis repreſſione, atque ignoſcendi facilitate pelliciens.] Sancti Chryſoſtomi autem homilia decima ſeptima in priorem epiſtolam ad Tim. fuit illa ſententia: [Non ſolùm autoritate doctori opus eſt, ſed etiam lenitate multa: ſicut non ſola lenitate, ſed autoritate ſumma indiget.] Et libro 3. de Sacerdotio ita loquitur: [Gravem illum, ſed minimè faſtuoſum, & terrificum, ſed humanum, & viſenda majeſtate principem; omnibus tamen comem, eundemque integrum, officioſum, humilem, ſed minimè ſervilem: acrem quoque, ac vehementem eſſe convenit; ſed tamen & manſuetum: ut contrà omnia depugnare, & eum, qui idoneus viſus fuerit, magna cum autoritate, & libertate, quamquàm omnibus reclamantibus, promovêre poſſit, nihilque in cujusquam, vel gratiam, vel odium facere conatus; Eccleſiæ unius ædificationis decus, commodumque ſpectet.] Et rursùm libro 6. [Sacerdotem varium eſſe convenit. Varium autem dico, non ſubdolum, non adulatorem, non diſſimulatorem, ſed magna libertate, ac fiducia plenum: & qui ex re ſeſe ſubmittere, atque obſecundare ſciat quoties negotiorum uſus poſtulet. Quique idem benignus ſit, & auſterus. Neque enim unum dumtaxat in modum ſubditis uti debet, quando neque ægrotos omnes uno, eodemque modo tractant, neque gubernator unam tantùm artem callet, quâ adverſùs ventos depugnet.]

Proptereà in hom. 15. in poſteriorem epiſtolam ad Corinth. Principes, atque omninò rectores aliorum vinitoribus aſſerit comparari: [Scriptura, inquit ille, Principes vinitoribus comparat: quia vinitor alia amputat, & prohibet; alia fovet, & creſcere facit. Sic & optimi principes malos quidem, & multis damnoſos plectunt, & puniunt, bonos verò, & frugi ad meliora provehunt.]

Verùm hæc jam ad prudentiam quoque pertinent. Sicut & illud quod Aurelium Epiſcopum Sanctus Auguſtinus monet ep. 64. inſtruens hominem, quâ poſſit arte vitia quædam tollere: [Non aſperè, inquit, non duriter, non modo imperioſo, iſta tolluntur: magis docendo, quàm jubendo, magis monendo quàm minando, ſic enim agendum eſt cum multitudine peccantium. Severitas autem exercenda eſt in peccata paucorum. Et, ſi quid minamur, cum dolore fiat, de ſcripturis com-

Digitized by Google

„ comminando vindictam futuram, nè nos ipſi „ in noſtra poteſtate, ſed Deus in noſtro ſermone timeatur.] Et libro 2. de ordine cap. 8. [Magnoperè obſervent, dum vindicant, „ nè nimium ſit; cùm ignoſcunt, nè parum. „ Nihil puniant, quod non valeat ad melius; „ nihil indulgeant, quod vertatur in pejus. „ Suos putent omnes, in quos ſibi poteſtas data fuerit. Ita ſerviant, ut eis dominari pudeat; ita dominentur, ut eis ſervire delectet.] Et libro 3. de doctrina Chriſtiana c. 17. Non omnia ab omnibus exigenda, nec æqualem perfectionem quærendam eſſe demonſtrat.

Meminerit etiam Rector hominum ſe paſtorem eſſe: Nam & Dominus dixit: Ego ſum paſtor bonus: & veteres Reges populorum paſtores vocabantur. Et ut S. Hieronymus loquitur in caput 37. Ezechiëlis ſuperbum nomen imperij paſtoris vocabulo mitigetur. Sciat, ut idem monet in com. ad cap. 1. epiſt. ad Titum, ſibi populum commiſſum conſervum eſſe, non ſervum. [Nihil eſſe fœdius præceptore furioſo, qui cùm debeat eſſe manſuetus, ille torvo vultu, trementibus labijs, rugata fronte, effrænatis convitijs, facie in pallorem, ruboremque variata, clamore perſtrepat, & errantes non tam ad bonum retrahat, quàm ad malum ſuâ ſævitiâ præcipitet.] Et S. Auguſtinus hom. 36. ad fratres in eremo; [Nihil fœtidius, nihil damnoſius, nihil levius, nihil turpius in paſtore furioſitate.] [Familiam tuam ita rege (præcipit Celantiæ S. Hier. epiſt. 14. c. 7.) ut te matrem magis tuorum, quàm dominam vidêri velis: à quibus benignitate potiùs, quàm ſeveritate exige reverentiam.] Etenim, ut idem habet in epiſt. 62. ad Theophilum, nemo plus impetrat à libero, quàm qui ſervire non cogit: [Qui ſcorpionibus cædit, & lumbis patris habêre ſe putat digitos groſſiores, citò regnum manſueti Davidis diſſipat, Romanus populus nè in rege quidem ſuperbiam tulit.] Paſtores, & amatores eiſdem litteris apud Hebræos ſcribi, res, ain, iod, mem; obſervavit idem Hier. ep. 125. ad Damaſum, & in c. 3. & 6. Jeremiæ. Undè cum Jeremiæ 3. Hieruſalem arguitur, quòd cum amatoribus ſuis fornicata eſſet: [In noſtris, inquit, codicibus pro amatoribus paſtorum nomen eſt immutatum.]

Sed & Sanctus Ambroſius lib. 2. offic. c. 18. non ſummo ſemper jure agendum eſſe; ſed æquitatis rationem habendam in gubernando; oſtendit exemplo Roboàm, qui propterea amiſit regnum 2. Regum 12. Et c. 19. benevolentiam, & affabilitatem confirmare dixit imperia: eam tamen debere ſynceram eſſe, & ſobriam, abſque adulatione ulla. Et libro primo de pœnitentia, cap. 1. ita loquitur: [Qui „ ſtudet humanæ infirmitatis emendare vitia, „ ipſam infirmitatem ſuis debet ſuſtinêre, & „ quodam modo penſare humeris; non abijcere. Nam paſtor ille laxam ovem vexiſſe „ legitur, non abjeciſſe. Quare illi non ſunt „ inter Chriſti diſcipulos habendi, qui dura „ pro mitibus, ſuperba pro humilibus ſequenda opinantur; & cùm ipſi quærant Domini miſericordiam, alijs eam denegant.]

Job cap. 39. Num parturientes, inquit, cervas obſervâſti? quæ verba cùm legiſſet Sanctus Gregorius lib. 30. mor. c. 9. [Veri, inquit, „ Paſtores ſunt, qui cùm per vigorem diſciplinæ patres ſunt, per pietatis viſcera eſſe matres „ noverunt.] Nam propterea Job non cervos, ſed cervas dixiſſe arbitratur. Nec prætermittam id, quod in unctione primi Regis Saül hic idem adnotavit Gregorius, cùm enim Sacra dicat hiſtoria; Tulit Samuël cornu olei, & unxit eum; is libro 6. in primum Regum c. 3. autoritatem, & diſciplinam in cornu, & miſericordiam, ac lenitatem agnoſcit in oleo: „ [Autoritas, inquit, cùm ſine miſericordia „ eſt, nulla eſt; quia tunc ſpiritualis eſt rigor „ diſciplinæ, cùm à lenimento non vacat miſericordiæ: cornu ergò, & oleum ſimul „ oſtenditur, ut diſciplina ſemper cum miſericordia teneatur. Cornu foris cernitur, intùs plenitudo olei occultatur. Plerumque „ ſubditorum duritia meretur, ut paſtoris increpationem ſentiat; ſed miſericordiæ ejus „ aliquid non attendat: & quæ ſeq.]

Hinc eſt, quòd in ſecunda parte paſtoralis curæ capite ſexto. Superiorem velit ſimul eſſe ſubditorum patrem, & matrem; patrem per diſciplinam, matrem per pietatem: [Superior, inquit, ſic jura diſciplinæ contrà delinquentes exerceat, ut pietatis viſcera non „ amittat. Curandum quippè eſt, ut rectorem ſubditis & matrem pietas, & patrem exhibeat diſciplina; nè aut diſtrictio rigida, aut „ pietas ſit remiſſa. Nam diſciplina, vel miſericordia multùm deſtruitur, ſi una ſine altera teneatur.] Quod ſi in hoc quoque naturalem corporis habitum, ac temperationem ſpectes; manſuetos naturâ, ac lenes homines vigorem diſciplinæ emollire plerumque; contrà iracundos, rigidiores, ac duriores eſſe ſolere, admonet in tertia parte admonitione decima ſeptima. Nimius ſim, ſi perſequi ſingula velim; quæ tum hic ipſe tum cæteri Patres monuerunt. Nec illud Plutarchi judicium diſplicet; qui in Politicis, Hiſtriones, inquit, tibi ſunt imitandi, qui actioni afferunt non nihil ex ſe; affectus, inquam, exprimendis moribus, atque venuſtatem agendi: cæterum dictanti, ſuggerentiq; verba Poëtæ ſedulò obſequuntur; nihil numeri, nihil modi omninò tranſgreſſi. Sic enim Prælatus, & Rector, ab ijs, quæ præſcripta ſunt, & legibus ſancita, recedere non debet, quod eſt fortitudinis; at in modo ſuavitatem procuret omnem.

Digitized by Google

CAPUT XVIII.

Quomodò fortitudo, ſuavitaſque jungantur.

QUOMODÒ autem hæc duo, quæ tantoperè videntur eſſe diverſa, & veluti contraria, conjungi poſſint, docet Sanctus Bernardus ſermone 23. in Can. facilè namque fiet, ſi in nobis fuerint diſcretio, & charitas: [Pau-„ci, inquit ille, profectò ſunt, qui utiliter, pau-„ciores, qui & humiliter præſint: facilè ta-„men utrumque adimplet, qui matrem virtu-„tum diſcretionem adeptus, vim charitatis uſ-„que ad contemptum propriæ gloriæ, uſque „ad ſui ipſius oblivionem debrietur.]

Addit patientiam, ſeu longanimitatem in epiſtola 25. ad Hugonem Rothomagenſem Archiepiſcopum: [Quæ tanta gloria, quàm „dicere poſſe; Cum his, qui oderunt pacem, „eram pacificus? Eſto ergò patiens, quia es „cum malis; eſto pacificus, quia præes malis. „Habeat charitas zelum; ſed adhibeat pro tem-„pore modum ſeveritas. Cenſura quidem „numquam remiſſa, intermiſſa tamen ple-„rumque plus proficit. Vigor juſtitiæ ſemper „fervidus; ſed numquam præceps. Sicut non „omne, quod libet, licet; ſic non omne, quod „licet, ſtatim etiam expedit.]

Magnanimitatem quoque deſiderat Sanctus Chryſ. in libro ſecundo de Sacerdotio: his enim verbis eſt apud ipſum: [Magnum, ac ge-„neroſum animum adferre illum oportet, ut nè „animo deficiat, ac delaſſetur, ut nè erran-„tium ſalutem deſpondeat, ac deſperet: de-„nique ut numquam non illud ſecum cogi-„tet, ac dicat; Si quando det illis Deus verita-„tis agnitionem, ac reſipiſcant à diaboli la-„queis, 1. Tim. 2.] Hùc etiam ſpectat illud Sancti Bernardi in epiſtola 26. ad Guidonem Lauſanenſem Epiſcopum; [Manum miſiſti „ad fortia, opus eſt fortitudine: Speculator do-„mui Iſraël factus es. opus eſt prudentiâ; ſa-„pientibus, & inſipientibus debitor es, opus „eſt juſtitiâ: poſtremò opus eſt temperantiâ, „nè qui alijs prædicas, ipſe reprobus fias.]

Sanctus Gregorius imitari nos vult patres in gubernatione filiorum, ſic enim ſcribit interrogationibus Auguſtini reſpondens c. 4. [Fi-„delibus nos ſic diſciplinam tenère debemus, „ſicut boni patres carnalibus filijs ſolent, quos „& pro culpis verberibus feriunt; & tamen „ipſos, quos doloribus affligunt, habère hæ-„redes quærunt, & quæ poſſident, ipſis ſer-„vant, quos irati videntur inſequi.] Et Sanctus Bernardus in libro ſententiarum imitari paſtorem, qui in manu virgam habet, & baculum: virgam, quà oves ducat, & reducat: baculum, quo feriat lupum: hoc eſt, mites, & obedientes ſubditos debet leniùs corripere; duros corde, & improbos acriùs arguere.

Denique illud ſemper teneamus, quod docuit Sanctus Auguſtinus libro 19. de civitate Dei cap. 16. [Qui veri patres-familias ſunt, „omnibus in familia ſua tamquam filijs ad co-„lendum, & promerendum Deum conſulunt: „deſiderantes, atque optantes venire ad cœle-„ſtem domum, ubi neceſſarium non ſit offici-„um imperandi mortalibus, quia neceſſarium „non erit officium conſulendi jam in illa im-„mortalitate fœlicibus: quò donec veniatur, „magis debent patres, quod dominantur, quàm „ſervi tolerare, quod ſerviunt.]

Fortitudine igitur, & ſeveritate opus eſt multa, quoniam ſubditorum plerique libertatis amantiores ſuavitate abutuntur: præcipuumque Rectoris munus eſt tuêri leges, & exactam earum obſervationem procurare, & verò exigere. Neque ulli reipublicæ damnum majus, nihil pernicioſum magis, quàm peccandi licentia, atque impunitas; ſic enim leges omnes conculcantur, perindèque agitur, acſi ſine lege viverent. [Benignitas (ſcribit „in libro de agricultura Philo Judæus) res eſt „contemptibilis, tum Principibus, tum ſubdi-„tis noxia. Illis, dum contempti ſubjectis nec „privatim, nec publicè valent quidquam re-„ctè conſtituere: interdum etiam principatu „ſe abdicare coguntur. His verò dum ex con-„tinuo magiſtratuum contemptu negligenti-„ores facti, magnum morbum arrogantiam „ſibi contrahunt.]

Idcircò Tertullianus libro 2. adversùs Marcionem capite decimo ſexto ſeveritatem affirmavit eſſe juſtitiæ debitum, quoniam ſine hac retinêri juſtitia non poteſt: & ut licentiam, ac diſſolutionem omnem parit indulgentia, ſic ſeveritas diſciplinam, ac leges inviolatas conſervat. Sanctus Nazianzenus in or. ad 150. Epiſcopos, cùm ſucceſſorem ſibi deſignari Epiſcopum flagitaret; [Hoc unum, inquit, peto, ut ex „eorum numero ſit, qui invidiâ premuntur, „non qui miſericordiam movent: qui non „omnia omnibus indulgent; ſed qui nonnul-„lis etiam in rebus ob recti ſtudium in homi-„num offenſionem incurrunt. Alterum enim „in præſens jucundiſſimum eſt, alterum in po-„ſterum utiliſſimum.]

Ezechiëli Prophetæ cap. 4. dixit aliquando Deus: Et obfirmabis faciem tuam ad eam, hoc eſt ad civitatem Hieruſalem, quæ verba dum interpretatur Sanctus Gregorius hom. 12. in Ezech. [Illi, inquit, animæ, quam adhuc infir-„mari in ſuis actibus conſpicis, remiſſiorem, „& clementiorem te non oſtendas. Undè ſcrip-„tum eſt Eccleſiaſtici 7. Filiæ tibi ſunt? ſerva „corpus illarum, & nè oſtendas hilarem faciem „tuam ad illas. Infirmæ quippè animæ me-„liùs ex ſeveritate ſervantur, & ab omni ſpe-„cie frivolæ remiſſionis abductæ terrentur, &

à dele-

„ à delectatione vitiorum conſtringuntur; ſed „ dulcedo ſemper, & humilitas in corde te- „ neatur.] Paucis dicam, opus eſt fortitudi- ne animi, invictoque pectoris robore: ut ea non permittas, quæ permittenda non ſunt, legibusque adverſantur, & malo cæteris exemplo obeſſe poſſunt. At non utaris imperio, ſed manſuetudine ſumma, & ſuavitate. In re ipſa ſis fortis, & conſtans; nec movêri te patiaris ab eo, quod rectum eſt; in modo autem ſuavis.

Hoc & nos Chriſtus verbo docuit,& exemplo, hoc Apoſtoli confirmârunt, atque hic inſtituti noſtri præſcribitur gubernandi modus; ut in prælatione noſtra benignitatis, ac manſuetudinis, charitatisque Chriſti, Petrique, & Pauli memores ſemper ſimus: Ecce ego mitto vos, ſicut agnos inter lupos, dixit Apoſtolis ſuis Dominus: Ut ſcilicet ſenſum ſervantes innocentiæ, morſum malitiæ non habeatis. Quem locum perpendens Sanctus Gregorius homiliâ decimâ ſeptimâ in Evangelia. „ [Multi, inquit, cùm regiminis jura ſuſcipi- „ unt, ad lacerandos ſubditos inardeſcunt, ter- „ rorem poteſtatis exhibent, & quibus pro- „ deſſe debuerant, nocent; & quia charitatis „ viſcera non habent, Domini vidêri appe- „ tunt, pares ſe eſſe minimè cognoſcunt, hu- „ militatis locum in elationem dominationis „ immutant: ſed ſi quando zelus rectitudinis „ exigit, ut ergà ſubditos ſæviat, furor ipſe de „ amore ſit, non de crudelitate. Quatenùs & „ jura diſciplinæ foris exhibeat,& intùs pater- „ na pietate diligat,quos foris quaſi inſequen- „ do caſtigat.] Ita enim Sacerdotis non debet eſſe præceps, & perturbata, ſed magis ex conſilij gravitate metuenda. Ita conficit, & portare ergò debemus, quos corrigimus, & corrigere,quos portamus. Portamus enim per manſuetudinem, & corrigimus per fortitudinem, ac diſciplinæ zelum.

In libro Exodi capite trigeſimo quinto in ornamento tabernaculi coccus bis tinctus offerri præcipiebatur, quod de duplici charitate Dei, & proximi, interpretantur alij. Ego hoc loco maximum Prælati ornamentum eſſe dixerim duplicem hanc virtutem, fortitudinem, & ſuavitatem,quas Deo ſtatim offerre debet,cùm regiminis jura ſuſcipit.

Sed & in baſibus templi leones, & boves, & Cherubin ſculpta viſebantur: [Benè, in- „ quit Sanctus Gregorius,baſes templi ſunt pa- „ ſtores Eccleſiæ, qui ſolicitudinem regiminis „ tolerantes, quaſi baſes ſuperimpoſitum o- „ nus portant. In baſibus verò ſunt Cherubin „ quia paſtorum pectora decet ſcientiæ pleni- „ tudine ſint refecta. Per leones verò terror „ ſeveritatis; per boves patientia manſuetu- „ dinis figurantur. Itaque in baſibus nec leo- „ nes ſine bobus, nec boves ſine leonibus ex- „ primuntur; quia ſemper in Sacerdotali pe- „ ctore cum terrore ſeveritatis cuſtodiri debet „ virtus manſuetudinis, ut & iram manſuetu- „ do cuſtodiat, & manſuetudinem, nè for- „ taſsè diſſoluta ſit, zelus diſtrictionis accen- „ dat.]

In tertio libro Regum cap. 19. cùm Elias eſſet in monte Horeb, & tranſiret Dominus, factus eſt ſpiritus grandis, & fortis, ſubvertens montes, & conterens petras, hoc eſt, diſciplinæ zelus indiſcretus, & furibundus; ſed non in ſpiritu Dominus, non in commotione Dominus, non in igne Dominus: ſed poſt ignem ſibilus auræ tenuis, hoc eſt, ſpiritus manſuetudinis, & ſuavitatis. Hæc tamen ipſa manſuetudo, & ſuavitas fortitudinem ſociam, & diſciplinæ zelum adjunctum poſtulat. Quod ex verbis illis Cant. 1. colligit Sanctus Bernardus in ſerm.46.in Cant.Lectulus noſter floridus; tigna domorum noſtrarum cedrina, laquearia noſtra cypreſſina. Lectulum enim, in quo quieſcimus clauſtra interpretatur, & monaſteria, in quibus quietè à ſæculi curis, & ſolicitudinibus mundi vivimus: [Hic lectulus floridus eſt, cùm exem- „ plis,& inſtitutis Patrum,tanquam benè olen- „ tibus floribus, fratrum converſatio, & vita „ refulget.] Domos porrò populares conventus intelligit Chriſtianorum; tigna domorum, eos, qui in ſublimitate poſiti ſunt, & Superiores, qui quaſi tigna parietes, juſtis impoſitis legibus, fortiter ſtringunt, nè ſua quiſque lege, & voluntate viventes, diſſideant à ſemetipſis, & ſic omnis ſtructura ædificij corruens diſſipetur. Dixi de hoc anteà c. 1.

S.Chryſ. quoque homiliâ 6. ad populum de ſæcularibus Principibus loquens; [Quod in „ domibus, inquit,faciunt lignorum contigna- „ tiones, hoc Principes in civitatibus,& ſicut, „ ſi illas ſuſtuleris, diſſoluti parietes per ſeſe „ corruunt: ita ſi ex mundo Principes tollas,& „ horum metum, & domus,& civitates, & „ gentes cum multa inter ſe licentia corruunt, „ nemine exiſtente, qui contineat, & repellat, „ & pœnæ timore eos quieſcere perſuadeat.]

Concludam exemplo propoſito, quo utitur Sanctus Nazianzenus in Apologetico Cur in pontum fugerit; [Ut in ſublimi, inquit,ac „ pendulo fune gradientibus, hac, atque illac „ deflectere minimè tutum eſt, nec quamli- „ bet parva inclinatio, parvum periculum ad- „ fert: verùm eorum ſalus, ac ſecuritas in æ- „ quilibrio poſita eſt. Sic utramvis in partem, „ ſive ob vitium, ſive ob imperitiam propen- „ deas; haud leve periculum, tum tibi, tum „ ſubditis imminet. Quocircà via regia cum „ magna circumſpectione incedendum eſt,nec „ ad dexteram, nec ad ſiniſtram declinandum, „ nec ad ſeveritatem, nec ad indulgentiam.]

Digitized by Google

CAPUT XIX.

Severitatem indulgentiâ potiorem eſſe.

OMNINÒ extrema omnia vitioſa ſemper
ſunt. Itaque ſive ſeveritate excedas, ſive
ſuavitate, & indulgentia, in utroque vitium.
Nimia tamen ſuavitas, & indulgentia dam-
noſa magis. Severitas enim etſi paulò major,
leges, & diſciplinam tuetur, atque conſervat,
ſubditoſque à peccando cohibet; ut ſi non
amore virtutis, certè timore pœnæ in officio
contineantur. Quæ ſi diſcolis videatur gravis,
utilis tamen eſt, & ſalutaris.

Audi Sanctum Nyſſenum in orat. adversùs
eos, qui ægrè ferunt reprehenſiones: [Ego,
,, inquit, animo non valdè conturbor, tanquàm
,, aliquid novi mihi accidat, ſi ex meis diſcipu-
,, lis mihi ſuccenſeant, qui ſunt duriores, & per-
,, vicaciores. Gravis enim eſt Princeps, & ma-
,, giſtratus ijs, qui ejus reguntur imperio, ſce-
,, leratis autem, & iniquis etiam habetur odio
,, (quod de Sancto Benedicto legitur apud
,, Sanctum Gregorium libro 2. dialog. c. 3.)
,, eis enim eſt moleſtus, ut qui peccatum pro-
,, hibeat. Quis Moyſe melior paſtor? Quis
,, magis manſuetus, & mitis? & tamen ſedi-
,, tionibus fuit agitatus; & quæ ſequuntur.]
,, [Quid magnum (tandem concludit) ſi mur-
,, mur contrà nos excitetur, qui ſumus mini-
,, ſtri ejus, qui cruci eſt affixus?]

Audi Sancti Bernardi zelum in apologia ad
Guilielmum Abbatem; [Veraciter creditur
,, Sanctos Patres hanc vitam inſtituiſſe: & ut
,, in ea plures ſalvarentur, regulis temperâſſe
,, rigorem, ſed abſit, ut credamus tantos eos,
,, quantas in pleriſque videmus vanitates, &
,, ſuperfluitates præcepiſſe, vel conceſſiſſe.
,, Miror enim undè inter monachos tanta in-
,, temperantia in commeſſationibus, & pota-
,, tionibus, in veſtimentis, & lectiſternijs, &
,, in conſtruendis ædificijs, inoleſcere potuit:
,, ut ubi hæc ſtudioſiùs, voluptuoſiùs, atque
,, efficaciùs fiunt, ibi ordo meliùs tenêri dica-
,, tur, ibi major putetur religio. Parcitas enim
,, putatur avaritia, ſobrietas auſteritas credi-
,, tur, ſilentium triſtitia reputatur. E contrà
,, remiſſio diſcretio dicitur, effuſio liberalitas,
,, loquacitas affabilitas, cachinnatio jucundi-
,, tas, mollities veſtimentorum honeſtas, lecto-
,, rum ſuperfluus cultus munditia. Cumque
,, hæc alterutrum impendimus, charitas appel-
,, latur. Iſta charitas deſtruit charitatem; hæc
,, diſcretio diſcretionem confundit. Talis mi-
,, ſericordia crudelitate plena eſt, quâ ita cor-
,, pori ſervitur, ut anima jugulatur. Quæ enim
,, charitas eſt carnem diligere, & ſpiritum ne-
,, gligere? Quæ diſcretio totum dare corpori,
,, & animæ nihil? qualis verò miſericordia, an-
,, cillam reficere, & dominam interficere?]
Et in ſermone ad Clerum in Concilio Remen-
ſi congregatum, adferens Iſaiæ verba capite
trigeſimo octavo: Ecce in pace amaritudo mea
amariſſima; [Amara, inquit, priùs in nece
,, martyrum, amarior pòſt in conflictu hæreti-
,, corum, amariſſima nunc in moribus dome-
,, ſticorum.] Ita Sanctus vir luxum deplorat
monachorum, & clericorum ſui temporis, laxi-
tatemque nimiam, atque indulgentiam Præla-
torum. Quid diceret, ſi noſtris hiſce tempori-
bus viveret, noſtraque ſpectaret? ſed cùm mul-
tò plura lamentatus fuiſſet, ſubjungit tandem
hæc verba: [Vitia carpens ſcio me offendiſſe
,, vitioſos. Poteſt tamen fieri volente Deo,
,, aliquibus potiùs placiturum eſſe; ſed ſi deſi-
,, nant eſſe vitioſi.]

Ego verò magnoperè vereor, nè pleriſque
Prælatis, vel etiam religioſorum ordinum,
conſilium illud probetur, quod apud Clemen-
tem Alexandrinum legimus libro ſexto ſtrom.
Refert enim Gymnoſophiſtam quemdam ab
Alexandro Macedone interrogatum, qua ra-
tione fieri poſſet, ut quis maximè diligeretur;
Si cùm, inquit, ſit potentiſſimus, non fuerit
terribilis, nimirùm indulgentia conciliat amo-
rem: & ut libertas maximè placet; ſic amatur
is Rector plurimùm, qui eam indulget.

De hoc verè uſurpari poteſt illud Iſaiæ ca-
pite quadrageſimo ſecundo; Calamum quaſ-
ſatum non conteret, & linum fumigans non
extinguet. [Per quaſſatum enim calamum
,, (interpretatur Sanctus Baſilius in regulis
,, brev. 291.) is intelligitur, qui non ea, quâ
,, opus eſt, animi ſinceritate mandatum Dei
,, exequitur: quem non conterere convenit,
,, neque abſcindere; ſed ſanare potiùs. Linum
,, verò fumigans, qui mandatum quidem exe-
,, quitur; ſed non ardenti deſiderio, aut pleno
,, ſtudio, ſed ſegniùs, ac lentiùs, qui deteren-
,, dus non eſt, ſed excitandus admonitione aſ-
,, ſidua judiciorum Dei, & promiſſorum ip-
,, ſius.] At plus æquo indulgens homo, neque
ſanare ſtudet, neque excitare.

In conſtitutionibus porrò monaſticis capite
trigeſimo. Quatenùs lenitate aliqua uti liceat,
ad hunc modum præcipit: [Lenitas tantum-
,, modò locum habebit, ubi nullus omninò ex-
,, empli perverſitate deterior fiat. Lenitas au-
,, tem ex ea parte, ut nè præcidatur; non au-
,, tem ut ab admonitionibus, legitimiſque mul-
,, ctarum impoſitionibus deſiſtatur.] Alioqui
quod epiſt. 77. de Apollinariſtis legitur, eos
patientia Epiſcopi, ac lenitate factos deterio-
res fuiſſe, in cæteris quoque eveniet: [Per-
,, verſi namque, ait ille, nulla flectuntur æqui-
,, tate, ac manſuetudine.]

Et mea quidem ſententia veriſſimè pro-
nuntiavit Clemens Alexandrinus in ſecun-
do ſtrom. libro. [Ijs enim, inquit, qui ſunt
remiſſi,

Digitized by Google

,, remiſſi, & imbecilles, id quod eſt moderatum, videtur nimis intenſum, & tonum excedere: & id, quod eſt æquum, videtur eſſe ſummum jus. Quoſcunque enim, quod peccati amore tenentur, ſubit indulgentia; ij veritatem exiſtimant eſſe moleſtiam, & ſeveritatem ſævitiam, & eum, qui non ſimul peccat, & unà deorſum trahitur, immiſericordem.] Origenes autem h. 7. in Joſue, videns uno Achan peccante populum univerſum à Deo punitum fuiſſe; [Hoc, inquit, accidit, quando qui populo præſunt, ergà delinquentes benigni volunt vidêri, & verentes peccantium linguas, nè fortè malè de eis loquantur, ſeveritatis ſacerdotalis immemores nolunt implêre, quod ſcriptum eſt; Publicè peccantem publicè argue.]

CAPUT XX.

Politicam gubernationem vitandam eſſe.

MONUERUNT etiam interdùm Patres, abſtinendum nobis eſſe ab omni politica ratione, formamque gubernationis ſimplicem, ac ſinceram eſſe oportêre. [Benevolentia, & affabilitas (dixit Sanctus Ambroſius libro 2. officiorum cap. 19.) confirmat imperia: ſed hanc volumus eſſe ſinceram, & ſobriam, ſine ulla adulatione.] Et Philo Iudæus in libro de creatione Principis; cavet, nè reipublicæ Princeps doloſè verſetur inter ſuos ſubditos. Nam fallaces mores ad ſervile, non liberale ingenium pertinent, dum rebus ſimulatio prætexitur. At Princeps ad hunc modum ſuos tractare non debet, qui parentis locum inter eos obtinet, ac viciſſim tanquam à germanis filijs reverentiam poſtulat.

Sanctus Gregorius Nazianzenus in or. de ſe ipſo, & de cathedræ Conſtantinop. affect. hoc magnoperè deteſtatur, ac de ſe ipſo ita loquitur: [Non facetus quiſpiam, atque eleganti morum feſtivitate ſum præditus, aut, is qui verborum blanditijs hominum benevolentiam mihi conciliem: quales pleroſque eorum video, qui hoc tempore inter Eccleſiarum Antiſtites nomen profitentur: qui pietatem noſtram ſimplicem priùs, artiſque expertem fucârunt, ac novum quoddam politices genus effecerunt, à foro ad ſancta tranſlatæ, & à theatris, ad abdita ſacra. Ut ſi audaciùs loqui liceat, duæ iam ſcenæ ſint, hoc diſcrimine inter ſe diſtinctæ, quòd illa omnibus pateat, hæc quibuſdam: illa rideatur, hæc honore floreat; illa denique theatrica, hæc ſpiritualis nominetur. Nos ab hac parte minimè cenſemur: verùm eo animo ſumus, ut ruſticitatis potiùs, quàm adulationis, parumque liberalis animi crimen nobis impingi poſſit, quippè qui homines etiam nominis noſtri perquàm ſtudioſos aſperioribus interdum verbis accipiamus, ſi quid nobis non rectè, conſultèque facere videamur. Non enim hominum gratiam tam ſpectamus, quàm utilitatem.] Et rurſum or. 1. in Julianum: [Privato homini aſtutè aliquid facere, concedi fortaſſe poſſit. Nam qui aperta vi graſſari nequit, hic ſi vafrè, & callidè aliquid faciat, veniam meretur. Imperatori autem cùm vi & potentia ſuperari turpe admodùm ſit, tum turpius, ut opinor, & ſordidius, atque indignius, conatus ſuos, animique intentiones arte occultare.] At de Eccleſiaſtico Prælato, ac Superiore multò id magis exiſtimandum eſt. Quem optimè monet S. Greg. Papa in 2. parte Paſtor. curæ c. 8. ut videat, nè illum cupido placendi hominibus pulſet, nec ſe magis à ſubditis diligi, quàm veritatem quærat: [Hoſtis enim redemptoris eſt, qui ejus vice amari concupiſcit: & adulterinæ cogitationis eſt reus, ſi placêre appetit ſponſæ puer, per quem ſponſus dona tranſmittit.]

Minatur Deus Ezech. 13. Veh qui conſuunt pulvillos ſub omni cubito manus, & faciunt cervicalia ſub capite univerſæ elevationis ad capiendas animas. Hoc eſt, inquit idem Gregorius cadentes à ſua rectitudine animas blanda adulatione refovêre, & correptionis duritiam ſubtrahere peccanti.

Interdùm tamen diſſimulandum eſſe ſuadet prudentia, & connivendum tantiſper. Quod & conſuluit Sanctus Nazianzenus in apologetico ſæpiùs nominato: [In alijs, inquit, ad nonnulla connivere ſatiùs fuerit (ita ut videntes non videamus, & audientes non audiamus) nè nimium crebris objurgationibus confixi, & obruti ad deſperationem incitentur; tandemq; projecto pudore, quod ad inflectendos, alliciendoſque homines mirè efficax medicamentum eſt; ad quodvis nefas perpetrandum audaciores reddantur.] At hoc agere prudentiæ eſt non exiguæ; non politicæ, ac ſubdolæ artis. Sicut nec illud, quod pòſt idem ſubjungit autor, dicens; [Summoperè quoque neceſſe eſt, Antiſtitem ſimul, & ſimplicem eſſe, quantum ad eam, quam ad res omnes adhibêre debet, animi integritatem: & quàm maximè varium, ac multiplicem; quantum ad id attinet, ut uniuſcujuſque benevolentiam ſibi conciliet, omneſque apta, & apposita oratione alloquatur. Quidam enim lacte opus habent &c.] Prudens igitur quicunque alios regendos ſuſcipit, tempora, occaſiones, hominum mores, & temperationes obſervet, illiſque ſeſe accommodet; ut id, quod regimini propoſitum eſt, conſequi poſſit: politicus autem non ſit.

Digitized by Google

CAPUT XXI.

Prælati eſſe inſtruere, & corrigere.

CÆTERÙM ad hanc regiminis partem, quâ rectorem dictum eſt leges, ac diſciplinam debêre tuêri, duo planè pertinent, alterum eſt rudiores inſtruere; alterum peccantes corrigere.

Inſtruere. De primo verè pronuntiavit S. Nazianz. in or. in laudem Baſilij; tum actionem doctrinâ carentem, tum actionis expertem doctrinam, æquè imperfectas eſſe. Idcircò & actionis ſubſidium adjungatur doctrinæ, & adjumentum doctrinæ addatur actioni. Et ut Beſelcël Ex. 31. & 36. ſcientia, & arte à Deo inſtructus, lignorum materiam omnem ad opificium accommodans, arcam Dei ad eximiam pulchritudinem contexuit: ità rector gubernandi, & rerum divinarum ſcientiâ præditus erudiat, & inſtruat ad viri perfecti formam ſubditos ſuos. Et Sanctus Chryſ. homiliâ undecimâ in epiſtolam ad Epheſ. cùm Apoſtolum dicentem audiſſet; Poſuiſſe Deum alios quidem Apoſtolos, alios autem Prophetas &c. [Ad hoc, ,, inquit, donum iſtud accepiſti, ut alios æ-,, difices: honore te Deus affecit, & ad hoc ,, ordinavit, ut alios inſtrueres. Nam ad hunc ,, ſcopum datus eſt Apoſtolus, ad hunc Pro-,, pheta, &c.] Et Sanctus Gregorius homiliâ vigeſimâ primâ in Ezech. ita interpretatur illud: Alios autem Paſtores, & doctores, ut utraque vox rectores aliorum ſignificet, quia rector debet docendo paſcere. [Paſtores, in-,, quit, & doctores unum regentium ordinem ,, nominat; quia gregem Dei ille veraciter ,, paſcit, qui docet.] Propterea Epiſcopum Paulus in priore ad Timoth. epiſt. voluit eſſe doctorem, ut populum ſuæ curæ commiſſum docêre, & erudire poſſit. [Multum omninò ,, (ait S. Chryſ. hom. in eum locum 15.) ad ,, Eccleſiæ ædificationem confert, ſi Præſules ,, doctrinæ gratiâ polleant, quæ niſi adſit, plu-,, rima Eccleſiaſticæ diſciplinæ peribunt. Id-,, circò addit, Doctorem, ut quid enim do-,, ctor appelletur, niſi ut doceat?]

Eph. 4.

Corrigere. Quoad ſecundum autem Prælatus debet prò ratione muneris ſui peccantes arguere, atque ad id, quod rectum eſt revocare. Alioqui terribile illi judicium imminet (monet S. Baſilius in reg. fuſ. diſp. 25.) niſi delinquentes arguat. Nam & uno Achan peccante, ira Domini ſuper omnem populum venit, Joſ. 7. ,, [Paſtores, inquit Origenes h. 7. vides ovi-,, culam Domini ignaram periculi ferri per ,, præcipitia, & per prærupta pendêre; non ,, occurris? non revocas? non ſaltem voce co-,, hibes, & correptionis clamore deterres?] Paulus ad Rom. ſcribens; Paulus, inquit, vocatus Apoſtolus ſegregatus in Evangelium Dei. Non eſt ſatis, vocari nos; multi enim ſunt vocati, ſed non omnes electi. [Judas (inquit O-,, rigenes idem libro primo commentariorum ,, in eam epiſtolam) vocatus Apoſtolus, ſed ,, non electus Apoſtolus: & ille Propheta, qui ,, captus eſt à leone, 3. Reg. 13. vocatus fuit ,, Propheta, ſed neſcio an electus. Et virgo ,, vocata, ſed non electa, quæ non fuerit virgo ,, corpore, & ſpiritu; & eſt vocatus paſtor, ,, ſed non electus, qui præeſt gregi, & lacte ,, ejus utitur, ſed infirmum non requirit, & ,, claudum non colligit.]

Mihi verò magnoperè probatur id, quod monuit Philo Judæus in libro de Joſeph, & in ſuperioribus quoque commemoravi; Superiorem, & Principem medicum eſſe debêre, non coquum. Inter medicum enim, & coquum hoc aſſerit intereſſe; quòd ille quidquid ad ſanitatem conducit, etiamſi ægroto ingratum videatur, magno apparat ſtudio: hic verò ſuavia curat, utilia negligit. Ergò medicis ſimiles ſunt in civitate leges, & magiſtratus legitimi, ſenatores, judiceſque providentes communi ſaluti, & ſecuritati: & rurſum adjungit: [Si quis caſtigationes non amat, re-,, prehendat parentes, tutores, præceptores, & ,, omnes curatores, quia ſuos liberos, pupillos, ,, diſcipulos, objurgare non deſinunt; inter-,, dùm etiam verberant: nec tamen ſævire, ſed ,, amanter caſtigare dicuntur. Indignum enim ,, eſſet, ſi cùm meæ fidei commiſſa ſit admi-,, niſtratio reipublicæ in prævidendis commo-,, ditatibus cederem cuivis medicinæ profeſſo-,, ri. Nam ille in ægroto nullam ſplendoris for-,, tunæ rationem habens, nec quod claro genere ,, natus, aut opulentus, denique rex, aut tyran-,, nus unum hoc ſpectat, quomodo ſervare ,, queat hominem, & ſi fortè ſectione, uſtione-,, ve opus videt, ſecat, uritque Principem ſuum, ,, & dominum, ſervus ipſe, ac ſubditus.]

Peraccommodatum eſt hoc medici exemplum, & cuivis rectori accuratiſſimè imitandum. Alter enim corporum, alter animorum curator eſt, & medicus. [Emori præſtat, ,, inquit idem Philo, quàm loqui ad gratiam, ,, diſſimulata veritate, & utilitate neglecta.] Themiſtius Philoſophus, vel etiam inter amicos id prorſus voluit obſervari: ſic enim habet in oratione de amicitia: Senſim amici morbi, ac vitia curanda ſunt, ita nè nimium indulgeamus, nec illi nimis doleant. Ut medici, qui ferro ſæpè abſtinentes mitiora adhibent pharmaca. Hæc erunt ſermones libertate, ac benevolentia pleni: non dulces, & ad gratiam facti. Hi enim morbum irrigant, & alunt: ſed acres, veri, & liberi, quique à convitio diſtent. Nam inter admonitionem, & convitium, increpationem, & contumeliam, intereſt plurimùm.

San-

Digitized by Google

Sanctus Benedictus his verbis in regula ſua præcepit: [Non diſſimulet Abbas peccata de-
„ linquentium; ſed mox, ut oriri cœperint,
„ radicitùs ea, ut prævalet, amputet.] Et Paulus 2. Tim. 4. Argue, obſecra, increpa. Argue æquales, interpretatur S. Proſper in ſecundo libro de vita contemplativa capite quinto, obſecra ſeniores, increpa juniores. Et Sanctus Chryſ. homiliâ quadrageſimâ operis imperfecti in Matthæum, tractans illa verba; Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, &c. ædificantes intelligit eſſe Prælatos, qui reprehenſionibus, & increpationibus expoliunt lapides, & aptos ædificationi Eccleſiæ faciunt:
„ [Ædificatores, inquit, ſunt Sacerdotes, qui
„ generationes hominum ſuper generationem
„ per doctrinam ædificantes, quaſi lapides ſu-
„ per lapidem ponentes, domum Dei com-
„ ponunt; ſicut enim ædificatores nodoſos la-
„ pides, & habentes torturas ferro dolant, &
„ poſtponunt eos in ædificio, alioqui non do-
„ lati lapides lapidibus non cohærent: ſic &
„ Eccleſiæ doctores vitia hominum quaſi no-
„ dos acutis increpationibus primùm circum-
„ cidere debent. Et ſic in Eccleſiæ ædificatio-
„ ne collocare; alioqui vitijs manentibus, Chri-
„ ſtiani Chriſtianis concordare non poſſunt.] Et h. 51. Deum affirmat in populo ideò Sacerdotes ordinare, ut actionum populi diſcutiant ipſi rationem: proptereàque peccante populo, unumquemque quidem pro ſuo peccato puniri; Sacerdotem autem pro peccatis omnium. Non enim emendavit, quos emendare debuerat. Accommodato utitur exemplo in h. 14. in poſteriorem ep. ad Cor. [Quis
„ enim febrientem; & phræneſi laborantem
„ miſeretur? Ille nè, qui reclinat in lectum,
„ & ligat, & prohibet à cibo, & potu non con-
„ ducibili; an qui permittit ei meraco implê-
„ ri, & jubet eſſe liberum, & omnia facere,
„ quæ incolumes ſolent? nonnè is, qui videtur
„ miſericors eſſe, etiam morbum auget, alius
„ verò emendat? Ità ſanè, & hoc loco ſenten-
„ tiam feramus. Etenim miſericordia eſt, non
„ ſemper gratificari ægrotis, neque adulari il-
„ licitis illorum concupiſcentijs. Etenim ſi e-
„ quum videns præcipitem ferri, frænum im-
„ mittis, ac violenter reprimis, & multum fla-
„ gellas, hæc punitio mater ſalutis eſt.]

Eodem hoc ægroti exemplo uſus eſt S. Aug. ep. 48. ad Vincentium, ubi de Donatiſtis loquens: [Iſtos, inquit, inimicos noſtros, ſi ſic
„ contemneremus, & toleraremus, ut nihil ad
„ eos corrigendos ageretur à nobis verè ma-
„ lum pro malo redderemus. Si enim quis ini-
„ micum ſuum periculoſis febribus phræneti-
„ cum factum currere videret in præceps; non-
„ nè tunc potiùs malum pro malo redderet,
„ ſi eum ſic currere permitteret, quàm ſi cor-
„ ripiendum, & ligandum curaret? & tamen
„ tunc ei moleſtiſſimus, & adverſiſſimus vide-
„ retur.] [Sacerdotis eſt admonêre, quod
„ decet, ait S. Petrus Chryſol. ſer. 53. plebis
„ eſt audire, quod monet. Quidquid non licet,
„ Paſtoris eſt prohibêre, gregis audire, at velle,
„ nè fiat. Utraque ſi conveniant, ſalva ſunt
„ omnia. Nec Deus invenit in plebe, quod
„ puniat, nec Sacerdos poteſt habêre, quod
„ doleat.]

In primo libro Regum c. 3. Heli legimus à Deo reprehenſum, & verò punitum fuiſſe; quoniam filiorum ſuorum ſcelera, ut debuit, non correxit. Bonis namque ſubditis ut ratiocinatur S. Greg. lib. 2. in 1. Regum c. 3. benè vivere ad ſalutem ſufficit; Prælatis verò propria vita non ſufficit; ſed corrigere delinquentes debent. Et lib. 2. regiſtri c. 23. ſubjectorum culpa præpoſitorum deprimit vitam: & cùm in ſubjecto peccatum non corrigitur, in eos, qui præſunt, ſententia retorquetur.

Propterea meritò miratur S. Bern. in apologia ad Guillielmum Abbatem: quod tam incurij Prælati ſint in corrigendis ſubditis ſuis. At rationem exponit non improbabilem: [Mi-
„ ror, inquit, cùm ad magiſtrum reſpiciat quid-
„ quid à diſcipulis delinquitur: quomodò Ab-
„ bates noſtri patiuntur fieri talia: niſi fortè
„ nemo fidenter reprehendit, in quo ſe eſſe
„ reprehenſibilem non confidit. Siquidem hu-
„ manitatis eſt omnium, in quo ſibi quiſque
„ indulget, alijs non vehementer iraſci.] [Quo-
„ nam enim modo (ſcribit ad Cæſarium fra-
„ trem S. Nazianz. ep. 17.) eos, qui flagi-
„ tium admittunt, objurgare poſſint, ipſi à lare
„ libertatem loquendi non habentes?] A lare incipere, proverbiale dictum fuit, quo admonemur, ut priuſquam cenſoris perſonam in alios ſuſcipiamus, vitia caſtigemus noſtra. Ita à lare libertatem non habere dicuntur illi, qui eodem vitio obſtrictos ſe eſſe ſentiunt. Ariſtophanes ἀφ᾽ ἑστίας ἄρχε, A lare incipe.

A lare incipere.

CAPUT XXII.

Prælati correctio qualis.

IAM verò hanc Superioris increpationem oportet eſſe paternam, hoc eſt, gravem quidem, & ſeriam, ſed benignitate, & charitate conditam: [In omnibus (inquit S. Auguſti-
„ nus libro 3. contrà Creſconium Grammati-
„ cum c. 51.) tenendus eſt modus aptus hu-
„ manitati, congruus charitati: ut nec totum,
„ quod poteſtatis eſt, exeratur; & in eo, quod
„ exeritur, dilectio non amittatur: in eo autem
„ quod non exeritur, manſuetudo monſtretur.] S. Amb. lib. 1. de pœnit. c. 10. talem omninò eſſe vult, qualis fuit Evangelici Samaritani curatio, quæ & vinum infudit, & oleum, ſemivivum hominem curatura. [Infunde vinum, & oleum;

Gravis, & benigna.

non

Digitized by Google

,, non vinum ſine oleo; ſed quod & foveat, & ,, remordeat.]

Perſonæ ratio habenda. Habeatur autem ſemper ratio perſonarum. Non enim omnes eadem decet correctionis forma. Alio modo corrigendus eſt juvenis, alio ſenex, alio idiota, & ſimplex homo, alio vir primarius, & doctus. [Omnes filios (Am- ,, broſius loquitur ſermone tertio in Dom. 6. ,, poſt Epiphaniam) æqualiter diligit pater; & ,, indulgentia eſt pro diverſitate morum exhi- ,, bêre pietatis affectum: ut blandum filium ,, exhortatione provocet, contumacem auſte- ,, ritate conveniat, de utriuſque correctione ,, ſecurus: quopiam hunc amore verberat, il- ,, lum ſeveritate caſtigat.] Et S. Dorotheus ſermone 17. ad eos, qui monaſterio præſunt: ,, [In lapſibus, & erroribus nè nimium in- ,, digneris; ſed abſque animi perturbatione ,, deformitatem, ac damnum oſtende. Incre- ,, pa, ſi opus ſit, ſervata tamen utriuſque per- ,, ſonæ dignitate, & tempore opportuno. In ,, parvis erratis nè ſis nimius exactor, nec fre- ,, quenter, & aſſiduè increpes. Tempore, quo ,, turbatus frater reſiſtere tibi, ac repugnare ,, audet, moderare, & cohibe linguam tuam, ,, nè penitùs quidquam proferat irata, &c.] Monet quoque Sanctus Greg. in 2. parte paſtor. curæ cap. 6. his verbis: [Summus locus ,, benè regitur, cùm is, qui præeſt vitijs po- ,, tiùs, quàm fratribus dominatur. Quare cùm ,, delinquentes corrigit, ſi per diſciplinæ de- ,, bitum culpas jure poteſtatis ferit, per humi- ,, litatis cuſtodiam, æqualem ſe illis, qui cor- ,, riguntur, agnoſcat, & plerumque dignum ,, etiam eſt, ut eos, tacita nobis cogitatione ,, præferamus.] Et rurſum capite decimo aliud etiam monet: [Aliquando, inquit, vi- ,, tia diſſimulanda, ſed quia diſſimulantur, in- ,, dicanda: aliquando & apertè cognita, ma- ,, turè toleranda, aliquando ſubtiliter, & oc- ,, cultè perſcrutanda; aliquando leniter ar- ,, guenda; aliquando autem vehementer in- ,, crepanda.]

Vitia inquirenda. Sed & ex Dei verbis Ezech. octavo; Filij hominis, fode parietem, &c. Superiorem demonſtrat debêre ſubditorum vitia inquirere. Et rurſum ex verbis illis c. 4. Sume tibi laterem, & pones eum contrà te, &c. oſtendit quemadmodùm debeat illorum increpare vitia, & emendare. Ac demùm verbis illis Deut. decimo nono; Si quis abierit cum amico in ſylvam ad ligna cædenda, & lignum ſecuris exciderit, &c. Correctionem probat indiſcretam, & nimio fervore factam eſſe non debêre. Qui locus omninò legendus erit.

In tertia quoque parte, illa eſt admonitio ſecunda. Juvenes plerumque ſeveritas admonitionis ad perfectum dirigit; ſenes verò ad meliora opera deprecatio blanda componit. At universè in 3. lib. regiſt. c. 1. [Vitia ma- ,, turis objurgationibus increpate, ut ipſa quo- ,, que ſacerdotalis indignatio virtute ſit admi- ,, ſta dulcedinis: quatenus & tunc à ſubjectis ,, amari debeat, etiam cùm graviter timetur. ,, Sicut enim præceps furor deſpicitur; ita con- ,, trà culpas diſtricta indignatio plerumque quò ,, tarda fuerit, eò amplius ſit timenda.]

Sichimitas ſcimus Gen. 34. in circumciſionis dolore fuiſſe occiſos. Quod de hac, de qua loquimur, correctione, idem Gregorius intellexit libro ſecundo regiſt. capite centeſimo primo, quia plerumque magiſtri ſeveriores, ſi zelum ſuum moderari neſciunt, quamvis vitia corruptionis reſecant; cùm jam à delinquentibus plangitur, quod fuerat perpetratum; adhuc tamen ipſi per aſperitatem diſciplinæ ſæviunt, & duriores exiſtunt.

Ergò libro nono capite octavo: [In corre- ,, ctione hunc noveris eſſe ordinem obſervan- ,, dum; ut perſonas diligas, & vitia perſequa- ,, ris: nè ſi aliter fortaſſe agere volueris, tranſ- ,, eat in crudelitatem correctio, & perdas, ,, quos emendare deſideras. Dulcedo in te cau- ,, ta ſit, non remiſſa; correctio verò diligens, ,, non ſevera.] Hæc Gregorius; Auguſtini quoque præclara hac de re ſententia ex epiſt. 64. ad Aurelium Epiſcopum de corrigendi modo in ſuperioribus poſita eſt cap. 17. quæ nunc etiam legenda erit.

At ego de ſubditis Prælato dicam illud, quod de filijs parentibus Sanctus Nazianzenus loquitur ad Vitalianum ſcribens filiorum ipſius nomine: [Multa in filijs diſſimulanda: ve- ,, rendum enim, nè ſi ob quævis errata filios ,, patres coarguant, frontem tandem ipſi per- ,, fricent, abſterſoque omni pudore, qui non ,, leve parentibus adjumentum adfert, temerè ,, in ſcelus omne prorumpant. Clementia ve- ,, rò hoc efficit, ut hi, quibus noxa condonata ,, eſt, parciùs in poſterum peccent.] Et omninò verum eſt illud Sancti Chryſoſtomi ad caput primum epiſt. ad Gal. ut quibuſlibet ex cauſis irritari, hominis eſt puſillanimis, moroſi, miſerique; ſic in gravibus cauſis ſupinum, ac negligentem eſſe viri eſt inertis, & ſomniculoſi. Quod ſi gravis interdum correctio videatur, nec ſuſcipiatur libenter non eſt proptereà omittenda: *Correctio gravis.* [Multa enim bona (ut eſt ,, apud Sanctum Auguſtinum in enchiridio ,, cap. 72.) præſtantur invitis, quando eorum ,, conſulitur utilitati, non voluntati.] [Et fre- ,, quenter accidit (ut eſt in epiſtola octogeſima ,, ſeptima ad Fœlicitatem, & Ruſticum) ut ,, frater ad horam contriſtetur, cùm repre- ,, henditur, & reſiſtat, & contendat, & tamen ,, poſteà conſideret ſecum in ſilentio, & timet ,, diſplicêre hominibus, quia corripitur; ſed ,, timet diſplicêre Deo, quia non corrigitur; & ,, deinceps non faciat illud, in quo rectè re- ,, prehenſus eſt: & quantum odit peccatum ſuum,

Digitized by Google

,, ſuum, tantum diligat fratrem, quem ſenſit ,, hoſtem peccati ſui.] Et in ep. 50. ad Bonifacium, ex arborum inſertione accommodato utitur exemplo: [Quomodo, inquit, gaude- ,, bis te eſſe correctum, niſi doleas fuiſſe per- ,, verſum? cùm præciſus ramus inſeritur, fit ,, aliud vulnus in arbore, quo recipi poſſit, ut ,, vivat, ſi recipienti coaluerit, & vigor ſeque- ,, tur, & fructus. Si non coaluerit; ille quidem ,, areſcit, ſed vita arboris permanebit. Ita enim ,, prorſus in correctione evenit.]

Atenim quibuſdam iſta non proſunt. [Nun- ,, quid (inquit idem S. Pater in epiſt. 48.) ,, ideò negligenda eſt medicina, quia nonnul- ,, lorum eſt inſanabilis peſtilentia? Si terreren- ,, tur, & non docerentur, improba quaſi do- ,, minatio videretur. Sed rurſus ſi docerentur, ,, & non terrerentur, vetuſtate conſuetudinis ,, obdurati ad capeſcendam viam ſalutis pigtiùs ,, moverentur.]

CAPUT XXIII.

Verbis interdum gravioribus utendum.

GRAVIORIBUS interdum, ac durioribus utendum eſt etiam verbis pro qualitate criminis, & perſonæ. Nam & in Pſal. 140. dicitur; Corripiet me juſtus in miſericordia, & increpabit me; gravioribus ſcilicet verbis; & Gen. 16. contumacem ancillam affligebat Sara, inquit Sanctus Aug. epiſt. 48. non utique ex odio, ſed ut in ea ſuperbiam ſalubriter edomaret. Et Principes juſti exercent juſtitiam contrà delinquentes pro criminum qualitate punientes. Et durioribus lapidibus conterendis duriores adhibentur mallei. Et Paulus de quibuſdam dixit in ep. ad Titum cap. 1. Increpa illos durè. Et Heli 1. Reg. 3. privatus eſt ſacerdotio, quòd molliter, non durè filios increpâſſet ſuos. Noë quidem certè Gen. 9. duris uſus eſt verbis; Maledictus Chanaam; ſervus ſervorum erit fratribus ſuis. Et Jacob cap. 49. Ruben non creſcas, &c. Simeõn, & Levi vaſa iniquitatis bellantia: maledictus furor eorum. Et Moyſes omnium hominum mitiſſimus Deut. 31. Scio contentionem tuam, & cervicem tuam duriſſimam. Et Job 2. Quaſi una de ſtultis mulieribus locuta es. Et Iſ. 48. Scivi, quia durus es tu, & nervus ferreus cervix tua, & frons tua ænea. Et Jerem. 30. Propter multitudinem iniquitatis tuæ dura facta ſunt peccata tua. Et Petrus Act. 5. Cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto. Et cap. 7. Dura cervice, & incircumciſis cordibus, vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis. Et Paulus Gal. 5. O inſenſati Galatæ, &c. Immò & Chriſtus; Vos ex patre Diabolo eſtis; Genimina viperarum; ó duri, & tardi corde, &c.

Undè S. Iſidorus alicubi dixit; [Qui blandè caſtigatur, & non corrigitur, acriùs ne- ,, ceſſe eſt arguatur. Cum dolore enim abſcin- ,, denda ſunt, quæ cum lenitate ſanari non ,, poſſunt. Nam & ita medicj ægrotos ſanant.] S. Chryſ. autem in com. ad caput 1. epiſtolæ ad Gal. [Placidè, inquit, & leniter loqui diſci- ,, pulis, ubi opus eſt acrimoniâ, non doctoris, ,, ſed corruptoris potiùs eſt, & hoſtis.] Et S. Bern. ſer. 2. in die Apoſtolorum Petri & Pauli, adferens illud, quod de infructuoſa ficulnea narratur Luc. 13. [Neceſſe, inquit, habeo ,, interdum circumfodere, quia poſuerunt me ,, cuſtodem & cultorem in vineis. Moleſtum ,, eſt quidem, ſed diſſimulare non audeo: ſciens ,, multò ampliùs ſecurim nocituram, quàm ,, ſarculum, ignem quàm fimum. Itaque, ,, & arguere, & increpare interdum neceſſe ,, eſt: nec ignoro fimum eſſe verbum incre- ,, patorium, verbum improperij.] Neque verò propter hujuſmodi increpatoria verba opus eſt Superiorem aut à ſubditis poſtulare veniam, aut ullam illis ſatisfactionem offerre. Hoc enim & de correctionis utilitate, & de Superioris autoritate multum detraheret. Neque ubi non eſt peccatum, immò agnoſcitur debitum ſatisfactione opus eſt. Fecit enim Superior id, quod muneris ſui erat, & niſi feciſſet, non leviter peccâſſet. Ita docuit S. Aug. epiſt. 109. ad monachas: [Quando, ,, inquit, neceſſitas diſciplinæ minoribus coër- ,, cendis dicere vos verba dura, compellit non ,, à vobis exigitur, ut ab eis veniam poſtuletis, ,, nè apud eas, quas oportet eſſe ſubjectas, dum ,, nimia ſervatur humilitas, regendi frangatur ,, autoritas. Sed tamen ab omnium Domino ,, petenda eſt venia.]

Satisfactione non opus.

CAPUT XXIV.

A contumelia, & percuſſione abſtinendum.

OMNINÒ tamen à contumelijs eſt abſtinendum; multoque magis à percuſſione quavis juxtà illud Pſ. 14. Opprobrium non accepit adverſùs proximos ſuos. Quo loco S. Baſilius Paulum adnotat permiſiſſe Timotheo redargutionem, & increpationem, at non opprobrium, quod fraternæ adverſetur correctioni. Reprehenſio namque, & redargutio emendationem peccantis videtur ſibi ſcopum præſtituere; at opprobrium, ejus potiùs confuſionem: ut paupertatem, indocibilitatem, corporis defectum, & ſimilia exprobrare: quæ enim contrà voluntatem ſunt, convenit potius miſerêri. Et S. Chryſ. hom. 2. in epiſtolam ad Titum, corripiendo potius, quàm percutiendo, aut inferendo cotumelias, omnia agere oportet: [Nam cui infer- ,, tur contumelia audacior, atque impudentior fit,

,, ſit , & eum qui ſe ita affecerit , ut contem- ,, nat , magis inducitur. Nihil ferè ita con- ,, temptum facit, ſicut contumelia, & injuria. ,, Magna neceſſe eſt cum religione loquatur, ,, omniſque illius ſermo divinâ ſapientiâ con- ,, ditus peccantes terreat.] Ita quoque Sanctus Gregorius Nyſſenus loquitur in or. in eos , qui alios acerbiùs judicant : [Sacerdos , ,, inquit , eſt aliquis , populique regendi ,, munus ſortitus eſt ? privatorum caſus com- ,, miſereatur , memineritque ſe quamvis di- ,, gnitate præſtet ijs , quos gubernat , ac regit, ,, naturam tamen eandem habére: ideoque poſ- ,, ſe aliquando fortaſſe in eoſdem errores inci- ,, dere. Propterea conſtituit Moyſes , ut pro ,, Sacerdote vitulus immolaretur ; peccante ,, nimirùm & ipſo , expiationibuſque pluribus ,, indigente.] Atque quod ad percutiendum attinet , mox ſubjungit : [Tam alienus à cæ- ,, dendi acerbitate ſacerdos eſſe debet, tamque ,, promptus , & paratus ad excolendam huma- ,, nitatem , ut etiamſi Dominus aliquem , ut ,, plantam inutilem , excindere jubeat , ipſe ,, tamquam inſitor debeat ſupplicare , ut ig- ,, noſcat , parumper ac ſententiam differat.] Et adferens illud Lucæ capite decimo tertio addit ; [Noli tam facilis eſſe ad amputandum, ,, tu qui Dominum , nè id faciat , debes obſe- ,, crare. Diligentiam adhibito , reprehenſio- ,, nibus circumfodito , cohortationibus foveto ,, tamquam ſinu documentorum , quaſi aqua- ,, rum copia irrigato , præceptis ut vallo com- ,, munito. Tuum eſto placare judicis animum.] ,, [Paſtores facti ſumus (addit S. Greg. Papa ,, libro ſecundo regiſtri cap. 91.) non percuſ- ,, ſores , & Paulus dicit ; Argue , obſecra , in- ,, crepa cum omni patientia, & doctrina. No- ,, va verò , & inaudita eſt iſta prædicatio, quæ ,, verberibus exigit fidem] At univerſum hoc negotium corrigendi alios , quàm eſt moleſtum , & difficile !

CAPUT XXV.

Prælatus & humilis ſit , & gravis.

SUMMA quoque in eo difficultas, ut cum muneris dignitate, quâ & omnibus præeſt, & omnibus imperat , atque ab omnibus honoratur , interiorem ipſe cordis humilitatem retineat.

Dignitatem tueatur. Tuêri gradus dignitatem oportet. quoniam contemptus gubernare non poſſet. Quam ob cauſam Timotheo præcepit Paulus in priore epiſt. cap. 4. Nemo adoleſcentiam tuam contemnat. [Oportet , inquit S. Chryſ. h. 13. ,, eum,qui doctoris officium ſuſcipit, ita ſe ge- ,, rere , ut deſpici , contemnique non poſſit.] Itaque tum in doctrina, quâ docêre , & inſtruere omnes debet , tum in converſatione , quoniam cæteris propoſitus eſt ad imitandum. Et rurſum ad Titum 2. Argue cum omni imperio , nemo te contemnat. [Non dominatio- ,, nem potentiæ,inquit S. Greg. lib. 23. mor. ,, c. 7. ſed authoritatem ſuadet vitæ. Cum im- ,, perio quippè docetur , quod priùs agitur , ,, quàm dicatur. Nam doctrinæ ſubtrahit fi- ,, duciam , quando conſcientia præcedit lin- ,, guam. Hinc de Chriſto dicitur Matth. 7. ,, Erat docens , ſicut poteſtatem habens ; quia ,, ex infirmitate mala nulla commiſit.]

Authoritas igitur , quam conciliaverit virtus , non generis nobilitas , aut divitiæ , aut aliud quidvis humanum. Quantam autem authoritatem ad gubernandum Epiſcopatum S. Baſilio attulerit opinioni , quam omnes de illius virtute habebant , docet S. Nazianz. in or. in ipſius laudem. Et Moyſen notat S. Nyſſ. in lib. de hominis vita , antequam perfectiore ſe virtute formâſſet , duos inter ſe contendentes Hebræos conciliare non potuiſſe : pòſt verò cùm ſibi ipſi longo vacâſſet tempore , multorum millium protectorem fuiſſe receptum. Magna enim voce clamare Scriptura videtur ; non inſiliendum eſſe ad docendam multitudinem , niſi priùs magnâ diligentiâ , magniſque laboribus eam fueris authoritatem adeptus , ut auditores verbis tuis facilè acquieſcant.

Morum gravitas. Alij de exteriori morum , & corporis totius gravitate , quæ levitati opponitur , loquuntur , hancque item in Superiore requirunt. Non enim leviuſculum illum eſſe decet. Inter quos S. Ber. lib. 4. de conſideratione ad Eugenium ita ſcribit : [Memento quòd ſapiens ,, commonet (Eccl. 7.) Filiæ tibi ſunt noli ,, faciem tuam hilarem ad eas oſtendere. Non ,, auſteritatem ſuadeo tibi , ſed gravitatem. Il- ,, la infirmiores fugat , hæc reprimit leviores. ,, Illa ſi adſit,odibilem ; hæc ſi deſit,contemp- ,, tibilem reddit. In omnibus tamen modus ,, melior.] Equidem utrumque gravitatis genus in rectore requirerem ; & verò in eo magnoperè dixerim poſtulari : prius tamen illud potius eſſe , negari non debet.

Noxium duobus modis. Sed S. Greg. libro 26. Moral. c. 19. duo agnoſcit rerum diverſa genera ; quædam ſunt per ſe noxia , ut peccata ; alia non ex ſe , verùm ex ijs, quæ cum illis conjuncta ſunt. Bonum enim eſt conjugium ; ſed mala ſunt , quæ circà illud ex hujus mundi cura ſuccreſcunt ; Undè Paulus 1. Cor. 7. continentiam potiùs ſuadet. Nam & ſæpè rectum , mundùmque iter pergimus , & tamen ortis juxtà viam vepribus per veſtimenta retinemur. *Humilitatem ſervet.* Bona eſt etiam potentia temporalis , quæ habet meritum de bona adminiſtratione regiminis ; nonnumquam tamen eo ipſo , quo cæteris præëminet , elatione cogitationis intumeſcit : & dum ad uſum cuncta ſubjacent, dum ad votum velociter cuncta complentur ; ſeductus ab his animus

Digitized by Google

animus ſuper ſe tollitur: & quos ſorte poteſtatis excesſerit, tranſcendiſſe ſe etiam vitæ meritis credit, cunctis ſe æſtimat ampliùs ſapere, quibus ſe videt amplius poſſe. Job cap. 41. Omne ſublime videt, & ipſe eſt Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ. Et Prov. 30. Generatio, cujus excelſi ſunt oculi, & palpebræ ejus in alta ſurrectæ: ſic Apoſtatæ Angelo, Gregorius loquitur, ſimilis homo efficitur, qui ſingulare culmen appetens ſocialem Angelorum vitam deſpexit; & homo hominibus eſſe ſimilis dedignatur. Sic Saül ab humilitatis merito in tumorem ſuperbiæ culmine poteſtatis excrevit, & per ſuperbiam reprobatus eſt. Propterea clamat David Pſal. 130. Domine non eſt exaltatum cor meum, neque elati ſunt oculi mei. Et Petrus principatum Eccleſiæ tenens, à Cornelio ſe illi humiliter proſternente immoderatiùs venerari recuſavit, dicens; Surge, nè feceris; & ego ipſe homo ſum. Act. 10. Sed cùm Ananiæ, & Saphiræ culpam reperit, mox quanta ſuper cæteros potentia excreviſſet, oſtendit. Et Paulus benè agentibus fratribus prælatum ſe eſſe neſciebat, 2. Cor. 1. Non quia dominamur fidei veſtræ; ſed adjutores ſumus gaudij veſtri. Et prima Theſ. 2. Facti ſumus parvuli in medio veſtrum. Et 2. Cor. 4. Nos autem ſervos veſtros per Jeſum Chriſtum. At cùm culpam agnovit, quæ corrigi debuit, illicò magiſtrum ſe eſſe recoluit. 1. Cor. 4. Quid vultis? In virga veniam ad vos?

Horum igitur imitatione, ſervanda ſemper Prælato in corde humilitas eſt; & ſi cæteris Prælatus ſit; atque in opere diſciplina, nè propter humilitatem ſolvantur jura regiminis. Subtiliſſima tamen hæc ars eſt, culmen tenere, & gloriam premere; eſſe in potentia, ſed potentem ſe eſſe neſcire; ad largienda bona potentem ſe cognoſcere, & ad rependenda noxia, omne quod potenter valet, ignorare. Vicina namque ſuperbia eſſe potentibus ſolet, & penè ſemper rebus affluentibus elatio ſociatur, mirumque valdè eſt, cùm in cordibus ſublimium regnat humilitas morum. Secus verò de juſtis affirmat S. Auguſt. in libro 19. de civitate Dei c. 14. [In Domo, inquit, juſti adhuc à cœleſti civitate peregrinantis, & qui imperant, ſerviunt eis, quibus videntur imperare. Neq; enim dominandi cupiditate imperant, ſed officio conſulendi, nec principandi ſuperbiâ, ſed providendi miſericordiâ.]

CAPUT XXVI.

Quæ Prælatum ad humilitatem ſervandam juvent.

1. DUO porrò nobis adjumenta proponit S. Gregorius libro 21. moral. c. 10. alterum eſt, ut ſi eo quiſque extollitur, quo ſe eſſe ſuper alios videt, illum, qui ſupereſt, ſemper aſpiciat, ut ejus metu, qui ſuper omnia eſt, creſcentem intrinſecùs animi tumorem premat. Hùc ſpectat illud Job cap. 34. Qui dicit Regi; Apoſtata. [Superbus enim rector (ait idem Greg. lib. 24. c. 14) toties ad culpam apoſtaſiæ dilabitur, quo.i.s præeſſe hominibus delectatus, honoris ſui ſingularitate lætatur. Et quoties extollitur, toties per lapſum ſuperbiæ à ſummi Rectoris ſervitio ſeparatur. Et cùm æquales ſibi ſubditos deſpicit, ejus ſuper ſe dominium, ſub quo omnes æquales ſunt, non agnoſcit.] Hinc & ad Scapulam ſcribit Tertullianus c. 4. [Potes & officio juriſdictionis tuæ fungi, & humanitatis meminiſſe; quia & vos ſub gladio eſtis.]

Alterum, ut non honoris gradum, ſed naturæ conditionem attendamus. Sancti enim viri cùm præſunt, non in ſe poteſtatem ordinis, ſed æqualitatem conditionis attendunt. 2.
Nam & Ezechiël cùm ad videnda ſublimia rapitur, filius hominis vocatur, ut ductus ad cœleſtia hominem ſe eſſe meminerit. Præclarum hujuſce rei exemplum præbuit Job, qui de ſe ipſo ad hunc modum loquitur cap. 31. Si contempſi judicium ſubire cum ſervo meo, & ancilla mea, cùm diſceptarent adversùm me. Miratur Sanctus Gregorius quòd cùm in eo tanta eſſet authoritas regiminis, ut ad ſilentium reſtringerentur duces, tanta ſimul eſſet humilitas cordis, ut ex æquo ad judicium permitterentur venire ſervi, & ancillæ. In cœtu Principum memor regiminis, in certamine famulorum memor conditionis. Se quippè ſub vero Domino famulum conſpicit, ideoque ſe ſuper famulos non extollit, ſed ſubdit. Quid enim faciam, cùm reſurrexerit ad judicandum Deus, & cùm quæſierit, quid reſpondebo illi? Et rursùm conſpicit, quòd ſtatus eſt diſpar, ſed natura communis: undè & ſubdit; Nunquid non in utero fecit me, qui & illum operatus eſt, & formavit in vulva unus?

Tertium fuerit adjumentum, ſi cogitemus, nos pluribus præeſſe melioribus, quibus ſatiùs foret nos obedire, quique nobis majores ſunt coràm Deo æquiſſimo omnium Judice, atque in cœleſti gloria multò nobis ſuperiores erunt: etſi nos nunc ab hominibus meliores æſtimemur. Origenes homiliâ vigeſimâ in Lucam, Jeſum audiens Joſepho fuiſſe ſubjectum & Matri: [Intelligebat, inquit, Joſeph, quia major ſe erat Jeſus, qui ſubijciebatur illi. Et ſciens majorem eſſe ſubjectum, trepidus moderabatur imperium.] 3.

Quartum, & ultimum adjumentum fuerit ſi probè intelligas, munus hoc gubernandi, ac regendi alios, non tam honorem eſſe, ac dignitatem, quàm miniſterium, ac ſervitutem gravem. Conſule quæ c. 2. & 12. dicta ſunt. Atque Sanctum Hieronymum adde in 4. *Prælatura non eſt honor.*

caput Ezech. 33. ita loquentem : [Non pu-
,, temus honores nos accepiſſe, ſed miniſte-
,, rium. Nam Dominus pedes diſcipulorum
,, lavit, ut oſtenderet, omnes ſordes, & vitia
,, à magiſtris in diſcipulis debêre dilui, & pur-
,, gari.] Et S. Chryſ. h. 35. operis imperf. in
Matth. [Ipſi honores prima quidem facie vi-
,, dentur honores, reverà autem non ſunt ho-
,, nores, ſed miniſteria diverſa. Honor oculi
,, videtur, quia illuminat corpus; ſed ipſe ho-
,, nor illuminandi non eſt honor, ſed miniſte-
,, rium ejus. Et pedum humilitas eſſe videtur,
,, quia bajulant corpus, ſed ipſa humilitas ba-
,, julationis non eſt eorum contemptio, ſed
,, miniſterium eorum. Propterea dominus cor-
,, poris homo, nec oculum ſuum ampliùs ho-
,, norat, quàm pedem, nec pedem magis con-
,, temnit, quàm oculum, &c. Sic eſt in San-
,, ctis. Uniuscujuſque Sancti honor, non eſt
,, honor ejus, ſed actus ipſius. Apoſtolatus pu-
,, tatur à nobis honor eſſe Apoſtoli; verè au-
,, tem non honor, ſed miniſterium ejus eſt. Un-
,, dè Paulus de apoſtolatu ſuo dicebat; Si Evan-
,, gelizem non eſt mihi gloria: neceſſitas enim
,, mihi incumbit, & quæ ſequuntur.] Et homi-
liâ tertiâ in Acta; Petrum notat, etſi haberet
jus conſtituendi unum in locum Judæ, voluiſſe
tamen cæteros advocare: Quia tunc temporis
præfectura non erat honor, ſed cura ſubdito-
rum, hoc eſt, cura magis quàm honor puta-
batur. Et hom. 18. in poſteriorem epiſtolam
ad Cor. [Non eſt hìc faſtus Principum, & ſer-
,, vilitas ſubditorum: ſed Principatus ſpiritua-
,, lis hoc magis excellens, quò plus laborum,
,, & curarum pro vobis ſuſcipitur, non quod
,, plures honores inquirantur.] Et hom. 1. in
epiſtolam ad Titum; [Non ad Principatum
,, promovetur, ſed ad ſerviendum innumeris
,, dominis, qui contraria cupiunt ſemper, &
,, dicunt. Nam quod laudabit ille, culpabit
,, alius: rurſumque quod iſte vituperabit, alius
,, admirabitur.] S. Baſil. in reg. fuſ. 30. [An-
,, tiſtes dignitate illa extolli non debet; ſed il-
,, lud habêre ſibi perſuaſum, ut quò pluribus
,, præſit, hoc neceſſe ſit pluribus, ut miniſtret.
,, Ut igitur, qui ſaucijs multis miniſtrat, & ſa-
,, niem de ſingulorum vulneribus abſtergit, &
,, remedia adhibet accommodata; munere il-
,, lo, non ad animi elationem uti conſuevit,
,, ſed ad demiſſionem potiùs, & ſolicitudinem;
,, ita &c.] Et Origenes h. 6. in Iſaiam. [Non
,, ad Principatum Eccleſiæ venit, qui ſalvari
,, vult, etſi præeſt; ſed ad ſervitutem Eccleſiæ.
,, Principes gentium dominantur eorum; vos
,, autem non ſic, &c. Qui vocatur ergò ad Epiſ-
,, copatum, non ad Principatum vocatur, ſed
,, ad ſervitutem totius Eccleſiæ.] Et rursùm
tract. 31. in Matthæum. [Peccat in Deum qui-
,, cumque Epiſcopus, qui non quaſi conſervis
,, ſervus miniſtrat; ſed quaſi dominus. Fre-
,, quenter autem, & quaſi amarus dominus do-
,, minans per vim, ſimilis conſtitutus Ægyptijs,
,, qui affligebant vitam filiorum Iſraël cum vi.
,, Quod ſi quando arbitrantur ſe eſſe in magno
,, faſtigio, quia conſtituit eos Dominus ſuper
,, familiam ſuam, cognoſcant, quoniam non
,, hoc eos ſalvat; ſed illud, ut dent illis in tem-
,, pore cibos.] Huic conſentit S. Hier. qui in
caput Sophoniæ tertium ita ſcriptum reliquit:
,, [Non dignitas, & nomina dignitatum, ſed
,, opus dignitatis ſalvare conſuevit. Opus au-
,, tem eſt miniſterium. Ideò qui Epiſcopatum
,, deſiderat, bonum opus deſiderat. Opus di-
,, xit, non dignitatem.] Et iterùm exponens
illa Pauli verba in epiſt. ad Epheſ. c. 5. Subjecti
invicem in timore Chriſti. [Hoc intereſt, in-
,, quit, inter gentium Principes, & chriſtiano-
,, rum (de Epiſcopis loquitur) quod illi do-
,, minantur ſubditis, nos ſervimus: & in eo ma-
,, jores ſumus, ſi minimi omnium fuerimus.]

Jam S. Bernardus ſerm. 25. in Cant. cùm
ſponſam audiret illas ipſas appellare filias Hie-
ruſalem, quas malevolas ſuſtinebat, atque ma-
ledicas: [Sciunt, inquit, boni, fideleſque Præ-
,, lati languentium ſibi creditam animarum
,, curam, non pompam. Cumque internum
,, murmur cujuſpiam illarum querulæ vocis in-
,, dicio deprehendunt; etſi in ipſos uſque ad
,, convitia, & contumelias prorumpentis, me-
,, dicos ſe, & non dominos agnoſcentes, pa-
,, rant confeſtim adversùs phræneſim animæ,
,, non vindictam, ſed medicinam.] Vel etiam
Eugenium Papam in libro tertio de conſide-
ratione, non dominum illum eſſe monuit, ſed *Papa ſervus.*
ſervum. [Et villa, inquit, villico, & par-
,, vus dominus ſubjectus eſt pædagogo: nec ta-
,, men villæ ille, nec is ſui domini, dominus
,, eſt. Ita & tu præſis, ut provideas, ut conſu-
,, las, ut procures, ut ſerves. Præſis, ut proſis:
,, Præſis ut fidelis ſervus, & prudens, quem
,, conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam.
,, Ad quid? Ut des illis eſcam in tempore, hoc
,, eſt, ut diſpenſes, non imperes. Recordare
,, vocis illius: Sapientibus, & inſipientibus de-
,, bitor ſum. Memento debitoris moleſtum
,, nomen ſervienti potiùs, quàm dominanti
,, congruere.] Si Summus Pontifex Chriſti
Vicarius, ſervus eſt; immò ut ipſemet ſeſe ap-
pellitat, ſervus ſervorum Dei; quantò magis
cæteri omnes, qui inferiorem aliquam præla-
tionem habent?

Ergò ſi ea eſt Prælatorum conditio; qui fie- *Cur Prælatura quæratur.*
ri poteſt, ut à permultis tantoperè appetatur,
& verò etiam procuretur prælatio? cauſam
expoſuit Sanctus Bernardus in ep. 42. ad Hen-
ricum Senonenſem Archiepiſcopum; quòd
honor eſſe credatur: [Multi, inquit, non
,, tantâ fiduciâ, & alacritate currerent ad ho-
,, nores, ſi eſſe ſentirent & oneri. Gravari
,, profectò metuerent, nec cum tanto labore,
&

& periculo quarumlibet affectarent inſulas dignitatum. Nunc verò, quia ſola attenditur gloria, & non pœna, purum eſſe clericum erubeſcitur in Eccleſia, ſeque viles æſtimant, & inglorios, qui quocunque eminentiori in loco non fuerint ſublimati.]

Hanc etiam hominum ſuperbiam inſectatur Sanctus Nazianzenus in oratione in plagam grandinis; ubi ait: [Quid dicturi ſunt, qui ſublimiùs thronis inſident, imperijque larvam attollunt; ſupercilium theatris ipſis ſublimius: nec Principem omnium animo perpendunt, ut ſubditis tanquam conſervis ſuis imperent, qui eâdem clementiâ opus habent?] Et S. Hieronymus in caput quartum epiſtolæ ad Gal. [Supercilium decutiunt Epiſcoporum, qui velut in aliqua ſublimi ſpecula conſtituti, vix dignantur vidêre mortales, & alloqui conſervos ſuos, diſcant ab Apoſtolo errantes, & inſipientes Galatas fratres vocari; Diſcant poſt increpationem blanda verba dicentis: obſecro vos.] Verus Prælatorum, ac Rectorum honor, veraque gloria eſt ſubditorum profectus, & bonum. Ita interpretatur S. Gregorius lib. 11. mor. c. 9. verba illa Job c. 12. Ducit Sacerdotes inglorios. Eorum namque gloria eſt ſubditorum rectitudo. Sicut & teſtatur Paulus 1. Theſſ. 2. Cumque eorum profectum negligunt, inglorij dicuntur. Atque de ſeipſo ſcribit libro 7. regiſtri cap. 30. [Nec honorem eſſe deputo, in quo fratres meos honorem ſuum perdere cognoſco. Meus honor eſt honor univerſalis Eccleſiæ. Meus honor eſt fratrum meorum ſolidus vigor.]

Hæc igitur ſit concluſio Sancti Chryſoſtomi h. 44. in Acta, humilitatem his, qui præſunt, maximè congruere, eò, quòd facillimè in arrogantiam tolluntur. Sed niſi adferatur aliunde, vix in culmine honoris, ac dignitatis obtinetur. [Rarò enim evenit (ut ſapienter Leo Nonus loquitur in libro adverſùs præſumptiones Michaëlis, & Leonis Archidami cap. 30.) ut in culmine poſitus valeat humilitatem diſcere, qui in imis non deſijt ſuperbire.]

CAPUT XXVII.

Prælatus honoret & ipſe ſubditos ſuos.

EX hac porrò Rectoris humilitate, ac modeſtia quatuor fuerint conſequentia. Primum, ipſe ſubditos ſuos honorabit omnes, contemnet nullum, & velut Dei filios, ac ſervos curæ ſuæ commiſſos reverebitur. Ita verò & ille majorem ab illis honorem, ac reverentiam obtinebit. Sanctus Hieronymus in epiſtola ad Nepotianum de vita Clericorum c. 9. de Epiſcopis loquens: [Epiſcopi, inquit, Sacerdotes ſe eſſe noverint, non dominos: honorent clericos quaſi clericos, ut & ipſis à clericis quaſi Epiſcopis honor deferatur.] Scitum eſt illud oratoris Domitij; Cur ego, inquit, te habeam ut principem; cùm tu me non habeas ut ſenatorem?

CAPUT XXVIII.

Obediat & ipſe Prælatis ſuis.

SECUNDUM, obediens, & ipſe ſuperioribus ſuis ſuberit, obedientiæque quam ipſe à ſuis exigit ſubditis, exemplum præbebit omnibus. S. Auguſtinus in libro de opere monachorum cap. 31. [Quid iniquius, quàm velle ſibi obtemperari à minoribus, & nolle obtemperare majoribus?] Et S. Gregorius libro 1. dialog. cap. 1. [Præeſſe non audeat, qui ſubeſſe non didicerit, nec obedientiam ſubditis imperet, quam Prælatis non novit exhibêre.] Undè Jo. Caſſianus in libro de nocturna oratione c. 3. ita conſueviſſe veteres illos teſtatur monachos, ut nullus congregationi fratrum præficeretur, priuſquam idem, qui præficiendus erat, quid obtemperaturis oporteat imperari, obediendo didiciſſet, & quid junioribus tradere debeat, inſtitutis ſeniorum fuiſſet aſſecutus. Sanctus Leo magnus epiſt. 84. c. 1. Anaſtaſium Theſſalonicenſem Epiſcopum meritò reprehendit, qui propterea ad ipſum non ſcripſerat, nè prohiberetur facere, quod volebat: [Vices noſtras, inquit, ita tuæ credidimus charitati, ut in partem ſis vocatus ſolicitudinis, non plenitudinis poteſtatis.] Et rursùm capite undecimo. [Qui ſcit ſe quibusdam eſſe præpoſitum, non moleſtè ferat aliquem ſibi eſſe prælatum: ſed obedientiam, quam exigit, etiam ipſe dependat.] Et epiſt. 91. reprehendit etiam Theodorum Foroiulienſem Epiſcopum, qui antequam ex ipſo quæſiſſet, ad Metropolitanum non confugiſſet, Tantoperè neceſſarium judicabat inter Superiores ſervari ſubordinationem, & ſuam cuique obedientiam præſtari. *Superiorum ſubordinatio.* Sanctus Bernardus in libro ſententiarum, paſtorem ſcribit in manu habêre virgam, quâ ducat, & reducat oves. Quid eſt autem in manu habêre virgam, niſi in opere diſciplinam? ut ſubjectos exemplo magis inſtruat, quàm verbo. Et epiſt. 42. ſuperiùs citata; [Ut ſecurè præeſſe poſſitis, ſubeſſe & vos, ſi cui debetis, non dedignemini. Dedignatio quippè ſubjectionis, prælationis reddit indignum. Videant in vobis ſubditi, quid vobis redibeant, & quæ ſeq.] Et epiſtolâ 289. [Benè, inquit, non regis, ſi benè non regeris. Regina Auſtri venit audire ſapientiam Salomonis, ut regi diſceret, & ſic regeret: & ecce pluſquàm Salomon hic.]

Quamquam ut benè ſervetur hæc inter Superiores ſubordinatio, majores viciſſim oportet inferiorum quoque authoritatem tuêri.

Digitized by Google

„ [Multùm enim (inquit Sanctus Leo epiſt. „ 63. ad Theodoricum Cyri Epiſcopum) Sa- „ cerdotalis officij meritum ſplendeſcit, ubi ſic „ ſummorum ſervatur autoritas, ut in nullo in- „ feriorum putetur imminuta libertas.]

CAPUT XXIX.

Non omnia ſpecioſa exequatur ipſe.

TERTIUM. Non omnia ſpecioſa, & quæ apud homines honorifica judicantur, præſtabit ipſe, ſed pleraque committet alijs, atque per alios faciet: abjectiora ſcilicet interdum ſibi reſervans, hoc, ſi fuerit humilis, facilè præſtabit. Origenes h. 5. in Num. obſervavit, opera in lege mandari omnibus, opera autem operum, hoc eſt difficiliora quæq; Levitis præcipi: quoniam hi difficiliora, & quæ refugiunt alij, non ſpecioſiora, perſequi debent.

De Apoſtolo Paulo ita teſtatur S. Chryſoſtomus homiliâ ſecundâ in epiſtolam ad Titum ea, in quibus periculi plurimum, & difficultatis erat, præſens ipſe peragebat Paulus: quæ verò honoris magis, quàm laboris, habebant locum, diſcipulo permittebat; Epiſcoporum ordinationes, & cætera talia. Job capite 31. dixit; Si fructus ejus comedi abſque pecunia, & animam agricolarum ejus afflixi. Hæc faciunt Superiores, qui ſpecioſa, & honorifica ſibi ſumunt, abjecta, & laborioſa imponunt ſubditis. [Fructus enim terræ (inquit Sanctus „ Gregorius lib. 22. c. 16.) abſque pecunia co- „ medere, eſt ex Eccleſia fructus accipere, ſed „ ei prædicationis pretium non præbêre (ego dixerim, prælationis honorem accipere, ſed laborem operis non præbêre, verùm alijs imponere.) Agricolæ autem ſunt, qui minori „ loco poſiti; quanto poſſunt opere coöperan- „ tur: quos affligere non debet rector, dum „ ſoli ſibi jus prædicationis vendicat, ſordidio- „ res illis imponens operas.] Sanè non probavit Moyſes zelum Joſue miniſtri ſui Num. 11. dum audiens Eldad quoque & Medad prophetantes, voluit eos prohibêri: Moyſes enim reſpondit illi; Quid æmularis pro me? quis tribuat, ut omnis populus prophetet, & det eis Dominus ſpiritum ſuum?

Sanctus Baſilius in regulis fuſioribus 31. Superiores vult interdum etiam inferioribus miniſtrare, exemplo Chriſti, qui pedes diſcipulorum lavit: neque ſubditos debêre reſiſtere, aut prohibêre: [Inferiores, inquit, recu- „ ſare non debent, quò minùs interdum ſibi ab „ Antiſtite miniſtretur. Exemplo diſcipulo- „ rum, quibus Chriſtus pedes lavit non repu- „ gnantibus. Immò is, qui ob nimiam quam- „ dam reverentiam initio recuſavit, ſtatim at- „ que audivit periculum, acquievit.]

CAPUT XXX.

Non ulciſcatur injurias.

QUARTUM. Si fuerit humilis, non ulciſcetur, vel etiam à ſubditis ſuis contemptus aut non eo, quo par erat, affectus honore (niſi fortè in officij detrimentum, & damnum id redundet.) Ita Sanctus Chryſ. homiliâ 21. in poſteriorem epiſtolam ad Cor. „ [Hoc potiſſimum eſt præceptoris, non ſtatim „ ulciſci, ſed corrigere, ceſſareque ac moram „ nectere in pœnis.] Et hom. 34. in epiſt. ad Hebræos: [Superior ſi contemnatur à ſubditis, „ ulciſci ſe non debet; ſed ingemiſcere, & plo- „ rare; ſicut medicus ſi contemnatur ab ægro- „ to.] Et S. Gregorius libro 20. mor. cap. 28. „ [Plerumque qui præſunt, niſi in ore cordis „ Spiritus Sancti fræno teneantur in iratæ retri- „ butionis atrocitatem proſiliunt, quantumque „ prævalent agere, tantum æſtimant licêre. „ Amica etenim poteſtati penè ſemper impa- „ tientia eſt, ſed ſancti viri plùs ſe interiùs pa- „ tientiæ jugo ſubijciunt, quàm foris homini- „ bus præſunt: & eò veriorem principatum fo- „ ris exhibent, quò humiliorem Deo intrinſe- „ cùs famulatum tenent: atque idcircò ſæpè „ plùs quoſdam tolerant, quò ſe de eis ulciſci „ ampliùs poſſunt.] Et libro 4. in primum Regum capite 1. [Sancti viri cùm ſe à ſubditis „ contemni conſpiciunt, non tam eis diſpli- „ cet, quòd contemnuntur, quàm quòd con- „ temptores ſui Deo non placent.] Denique Sanctus Baſilius in regulis brevior. 232. cùm quæſiſſet, an injuriâ affectus ab aliquo, iſ patientiæ exercendæ causâ taceat, faciat ſecundùm Deum; Reſpondet: Hunc lenitatem animi oſtendere in eo debêre, ut Deum oret pro illo: Domine nè ſtatuas illis hoc peccatum, admonitione tamen levi, & caſtigatione uti, ut illum ab ira liberet, quæ venit ſuper contumaces. Alioqui dupliciter peccat: & quòd præcepto illi non paret; Caſtigatione caſtigabis fratrem tuum, & non ſumes ſuper eum peccatum, & taciturnitate ſua peccantis particeps fit. Et quòd quem caſtigatione lucrari poterat, in malo patitur perire.

Prælatus contemptus.

CAPUT XXXI.

Prælatus & ametur, & timeatur.

RECTOREM hominum oportet timorem, atque amorem conjungere: ita ut & timeatur à ſubditis, & ametur. Quod ſummam ſanè difficultatem habet. Quoniam hæc duo oppoſitum ferè, & contrarium animæ motum, atque affectum ſignificant. Nam qui amat, ad amatam rem movetur, totuſque

Amor, & timor oppoſiti.

ad

ad eam velut ad bonum deſideratum fertur, ut illi inhæreat. Qui verò timet, recedit, ac refugit, tanquam à malo, quod averſatur, ut inimicum naturæ, & noxium. [Rector, in-„ quit Hugo in regulam Sancti Auguſtini, ſuis „ exhibeat ſubditis timorem, & amorem. „ Timorem his, qui ſuperbi, & rebelles, & „ duræ mentis ſunt. Amorem verò iis, qui „ libenter, humiliter, & devotè ſerviunt Do-„ mino Deo.] Fateor hoc verè dici, faciliuſque eſt ita partiri, & exequi. Verùm is timor ſuperborum, ac rebellium ſubditorum, timor ſervorum eſt, non filiorum, de quibus potiſſimùm nunc eſt ſermo. Neque à rebellibus modò, ac ſervis, ſed & ab obtemperantibus, atque amantibus filiis timêri Superior debet. Sic enim & filii parentem, & maritum uxor, & ſancti viri, ac juſti Deum & amant, & timent.

Universè igitur ab omnibus timêri Rectorem oportet. Primùm quoniam ita ipſis expedit, tum quia, ut habet Sanctus Auguſtinus epiſt. 50. ad Bonifacium; ſicut meliores ſunt, quos amor dirigit, ita plures ſunt, quos timor corrigit, tum quia boni quoque interdum peccant, aut certè peccare poſſunt. Eſtque illis timor velut frænum, quo à peccando retinentur. In tertia ſua decretali epiſtola: [Neceſſe „ eſt, inquit Sanctus Anacletus Papa, ut Re-„ ctores à ſubditis timeantur, ab ipſiſque cor-„ rigantur; ut humana formidine peccare me-„ tuant, qui divina judicia non formidant.]

In hanc ſententiam Theodoretus ſermone ſeptimo de providentia, magiſtratus dixit inſtitutos à Deo fuiſſe; ut illorum metus peccatorum multitudinem imminueret. Timor enim rationi obſtrepentium affectuum motus frænare, & animæ propenſionem ad malum coercêre conſuevit. Eoque tandem diſputationem deduxit, ut magiſtratuum gubernationem, tanquam pharmacum quoddam depulſorium peccati ulceribus rerum creatorem impoſuiſſe concluſerit.

Deindè quoniam ita ſtatus poſtulat. Neque decet hominem præeſſe cæteris, qui ab illis non timeatur. Undè Gen. 9. cùm Deus dedit homini dominium ſuper animalia, & beſtias terræ, immiſit, & timorem; Terror veſter, ac tremor ſit ſuper cuncta animalia terræ.

Tum verò propter honorem Dei, cujus locum tenet Superior quivis. Non eſt enim poteſtas niſi à Deo; quare Lucæ decimo. Qui vos ſpernit, me ſpernit.

Timorem quæ conciliant. Hunc autem timorem conciliabunt, tum morum gravitas, atque opinio virtutis omnis: ac præſertim juſtitiæ. Si eum credatur à juſtitiæ legibus nullo modo declinaturum; neque id prætermiſſurum, quod illa poſtulet. Tum amor: timemus enim eum offendere, quem amamus.

CAPUT XXXII.

Potior tamen ſit amor.

ITAQUE potior omninò eſt amor, magiſque procurare Rector amorem debet, quàm timorem. Sic enim facilior multò, ac ſuavior erit gubernatio, magisque prompta, ac hilaris ſubditorum obedientia. Accedit, quod & Rector ipſe homo eſt, ut & cæteri, nec pauca deſunt interdùm, in quibus ille portari à ſubditis debeat, facilèque illos portamus, quos amamus; immò eos plurimum adjuvamus. Servos quoque colere potiùs, quàm timêre dominos ſuos, voluit Seneca epiſtolâ quadrageſimâ ſeptimâ, quam ob cauſam in 1. libro de ira magnoperè damnat illud à quopiam dictum; Oderint, dum metuant.

Sed audiamus veteres Patres, ac morum magiſtros noſtros. Origenes tractatu duodecimo in Matthæum hùc adfert illa Domini verba; Principes gentium dominantur eorum; Vos autem non ſic. Et inter cætera; ſpiritualia, inquit, in voluntate ſunt poſita, non in neceſſitate. Ideò qui Principes ſpirituales ſunt, principatus eorum in dilectione ſubjectorum debet eſſe poſitus, non in timore corporali. Sanctum Athanaſium ſcribit Nazianzenus oratione in ipſius laudem, fuiſſe velut magnetem, omnium animos ad ſe mira virtute trahentem. Athanaſius, inquit, percutientibus adamas, diſſidentibus magnes arcanâ naturæ vi ferrum trahens, & duriſſimam omnium materiam ſibi adjungens. Et in oratione ad patrem; cùm ei curam Eccleſiæ Nazianzenæ commiſiſſet: „ [Conducibilius eſt, & tutius, ut volentes „ volentibus præſint. Quandoquidem nemi-„ nem vi duci vult lex noſtra, & coactè, & „ non ſpontè gubernari.] Et Sancti Hieronymi in epiſtola 62. ad Theophilum adversùs Joannem Hieroſolymitanum fuerunt illa verba: [Amari parens, & Epiſcopus debet, non „ timêri.] Hoc eſt, amari magis, quàm timêri. Et Sancti Auguſtini illa in epiſtola quinquageſima antè indicata. [Melius eſt amore, „ quàm timore, homines gubernare, quia me-„ liores ſunt, quos dirigit amor.] Sed & Chriſtum notat, Petrum, ac Apoſtolos cæteros ſolo verbo vocâſſe, amoreque traxiſſe; ſolum Paulum Eccleſiæ ſuæ vaſtatorem poteſtate proſtrâſſe, & epiſt. 109. ad monachas; quamvis utrumque ſit neceſſarium, tamen plus à vobis amari appetat, quàm timêri.

S. autem Greg. libro 21. mor. c. 10. Deum obſervat Gen. 9. dixiſſe homini; Terror veſter, ac tremor ſit ſuper cuncta animalia terræ: [Non ſuper homines, inquit, ſed ſuper „ animalia terræ. Homo quippè animalibus „ irrationalibus, non cæteris hominibus, na-

Digitized by Google

turâ prælatus eſt; & idcircò ei dicitur, ut ab animalibus, non ab homine, timeatur. Quia contrà naturam ſuperbire eſt, ab æquali velle timêri. Quamvis plerumque à ſubditis etiam viri Sancti timêri appetunt.] Sed quando ab eis Deum minimè timêri deprehendunt, ut humana ſaltem formidine, ut dictum eſt, peccare metuant, qui divina judicia non formidant: dum autem à perversè viventibus metum exigunt, quaſi non hominibus, ſed brutis animantibus dominantur. Idem repetit, & inculcat in ſecunda parte paſtoralis curæ cap. 6. Et rurſùm libro 24. moral. cap. 14. [Plerique qui præſunt, inordinatum ſibi metum à ſubditis exigunt: & non tam propter Dominum, quàm pro Domino venerari volunt.] Atque in eandem ſententiam loquitur hom. 17. in Evangelium, cujus verba in ſuperioribus poſita ſunt.

At Sanctus Bernardus paulò pluribus monet Prælatos, ac Rectores omnes, ſermone 23. in Cant. [Audiant, inquit, Prælati, qui ſibi commiſſis ſemper volunt eſſe formidini; utilitati raro. Diſcite ſubditorum vos matres eſſe debêre, non dominos. Studete magis amari, quàm metui. Etſi interdùm ſeveritate opus eſt, paterna ſit non tyrannica; matres fovendo, patres vos corripiendo exhibeatis. Manſueſcite, ponite feritatem, ſuſpendite verbera; producite ubera; pectora lacte pingueſcant, non typho turgeant. Quid jugum veſtrum ſuper eos aggravatis, quorum potiùs onera portare debetis? Cur morſus à ſerpente parvulus fugit conſcientiam Sacerdotis, ad quêm eum magis oportebat, tanquam ad ſinum recurrere matris? Si ſpirituales eſtis, inſtruite hujuſmodi in ſpiritu lenitatis, conſiderans unuſquiſque ſeipſum, nè & ipſe tentetur: alioquin ipſe in peccato ſuo morietur; Sanguinem autem ejus, ait, de manu tua requiram.] S. Anſelmus quoque ad hunc loquitur modum, dùm caput 10. prioris ep. ad Cor. interpretatur: [Debet, qui præeſt, ſtudêre ſe diligi, quatenus poſſit audiri. Difficile enim eſt, ut quamlibet recta denuntians prædicator, qui non diligitur, libenter audiatur. Et tamen amorem ſuum pro ſemetipſo non quærat, nè inveniatur ei, cui ſervire per officium cernitur, occulta cogitationis tyrannide reſultare.] Et epiſt. 71. ad Paulum libro 1. [Plus ſtudete diligi ab omnibus manſuetudine, & miſericordiâ, quàm timêri nimis auſterâ, & nulli parcente juſtitiâ. Gaudeant omnes vobis commiſſi, ſeſe commendatos eſſe patri, & paſtori; non horreant ſeſe traditos eſſe tyranno, & exactori.] Monet tamen Sanctus Gregorius in ſecunda parte paſtoralis curæ cap. 8. [Rector videat, nè cum cupido placendi hominibus pulſet, nec ſe magis à ſubditis diligi, quàm veritatem quærat. Amari igitur velit, quatenùs amatus meliùs eos poſſit ad bonum promovêre.]

Conciliabunt autem amorem; Primùm quidem virtus, aut certè virtutis opinio. Mirum enim eſt, quantam hæc vim habeat ad excitandum amorem. Deindè modeſtia, & humilitas. Odibilis namque coram Deo, & hominibus eſt ſuperbia; Eccl. 5. Tum manſuetudo, affabilitas, liberalitas, & omninò morum ſuavitas. Nam Roboam tertio Regum capite duodecimo propter duritiam odio habitus fuit à populo; & monet Eccleſ. 3. Fili, in manſuetudine opera tua perfice, & ſuper hominum gloriam diligêris. Propterèa Rector cæteris omnibus ſe conformet, ſit quaſi unus ex illis, nec ulla in re ſingularis vidêri velit. Omne enim animal diligit ſibi ſimile, Eccleſiaſtici 13. Et ideò ſapienter monet cap 32. Rectorem te poſuerunt, noli extolli; eſto in illis quaſi unus ex ipſis. Hæc ſimilitudo mirum in modum conciliat amorem. *Amorem quæ conciliet.*

Denique verùm eſt illud latini poëtæ. Si vis amari, ama. Ingratus quippè, & inhumanus ſit, qui amantem non redamet. Scitum eſt illud apud Platonem in convivio, de Erote, & Anterote: quorum alter altero creſcente creſcebat. Et Sanctus Nazianzenus in orat. ad eos, qui ipſum acciverant, nec poſteà occurrerant; non eſt veritus Nazianzenis obijcere, quòd ſibi in amore non reſponderent; [Crimen, inquit, veſtrum illud eſt, quòd nequaquam in amore nobis reſpondetis, nec pro eo, quod morem vobis geſſimus, nobis viciſſim honorem rependitis.] Immò, & Corinthijs objecit Paulus in poſteriore epiſtola capite duodecimo. Licèt plus vos diligens minùs diligar.

Proderit etiam plurimùm, ſi æqualem ſe ergà omnes præbeat Rector. Namque obeſt plurimùm, ſi plus uni, quàm alteri faveat, & omninò acceptatorem ſe perſonarum oſtendat. Dolet hoc idem Nazianzenus in oratione ad Gregorium Nyſſenum: [Hoc, inquit, compluribus ætatis noſtræ judicibus uſu venire conſpicio, qui magnis, & excelſis viris graviſſima quæque faciliùs condonârint, quàm humilioribus quidquam vel leviſſimi momenti.]

CAPUT XXXIII.

Iram, & amorem caveat.

SED duas præcipuè paſſiones cavendas monuit S. Bernardus libro 2. de conſideratione, iram, & amorem. Hæ namque maximè rationis judicium turbant: [Judicij, inquit, caliginis duæ ſunt cauſæ, ira, & mollior affectus. Hic judicij cenſuram enervat, illa præcipitat. Turbatus præ ira oculus clementer nihil intuetur.

Digitized by Google

,, intuetur. Suffuſus fluxa quadam, & mulie-
,, bri mollitie animus, rectus non videt. Non
,, eris innocens, ſi aut punias eum; cui fortè
,, parcendum eſſet, aut parcas ei, qui fuerat pu-
,, niendus.] Et S. Baſilius in reg. fuſ. 34. lo-
quens de rerum diſtributione, quæ fit in mo-
naſterijs, ſic habet: [Qui res ad fratrum uſus
,, neceſſarias diſtribuunt, imitentur illos, de
,, quibus Act. 4. ſolitos eos fuiſſe diſtribuere,
,, prout unicuique opus erat. Faciles ſe ad om-
,, nes, & clementes exhibeant, neque ſuſpi-
,, cionem cuiquam commoveant majoris ali-
,, cujus ergà aliquos benevolentiæ, inclinatio-
,, niſve animi propenſioris; aut contrà ſimul-
,, tatis, contentioniſque ut propterea his ne-
,, ceſſarias res ſubtrahant, & illis ampliùs,
,, quàm ſit opus, largiantur: quorum alterum
,, fraterni odij, alterum amoris vitioſi; quod
,, eſt vitium maximè infame. Indè verò di-
,, ſtrahitur animorum unio, & charitas; o-
,, riuntur ſuſpiciones pravæ, æmulationes, ob-
,, trectationes, & ad labores in operibus ſubeun-
,, dos leteſcentis animi cunctatio.] Quam-
quàm Sanctus Nazianzenus in epiſt. 47. ad
Aſterium, poſſe Superiorem diligere præ alijs
ſubditum quemquam; exemplo Dei demon-
ſtrat, qui populum Iſraëliticum præ cæteris
dilexit, nec tamen propterea injuſtus æſtima-
tur. At ille Dominus omnium eſt, nec ulli
quidquam debet: atque in nobis dilectio, ſi
quæ paulò major fuerit, ſit potiùs interior, &
virtuti debita, aliorumque offenſione pror-
ſus careat, quibus nihil negandum erit, quod
ex communi lege debeatur.

CAPUT XXXIV.

Prælati patientia, in murmurationibus præſertim tolerandis.

ATENIM magna prorsùs aliorum Rectori opus eſt patientia; tum in tolerandis, & portandis plurimis ſubditorum imperfectionibus, tum in multis rebus adverſis indiès advenientibus, tum demùm in contradictionibus, querimonijs, & murmurationibus penè aſſiduis
Impatientes qui. perferendis. Cùm tamen impatientem ferè hominem facere ſoleant; tum gradus ipſe, & muneris dignitas, quippè faciliùs iraſci, & commovêri ſolent illi, qui ſuperiorem non habent, quem vereantur, quique eos reprimat, Prov. 28. Secundùm ligna ſylvæ ſic exardeſcet ignis, & ſecundùm virtutem, hoc eſt, potentiam hominis, ſic iracundia erit, tum verò muneris, & negotiorum gravamen. Ut enim corporis morbo gravati impatientes plurimùm ſunt, & patientiſſimus quoque Job, aliqua interdum impatienter locutus videtur, ità & ijs evenit, qui aliorum curam habent, plurimiſque negotijs, & difficultatibus opprimuntur.

At neſcio, quo pacto fiat, ut nihil offendat magis, magiſque ad impatientiam commoveat, quàm ſi poſtquam omnem adhibueris curam, nulli prorsùs te ſatisfeciſſe intelligas; multorumque ac penè dixerim omnium corda, & ora murmurare audias, atque de tua gubernatione obloqui. Hoc malè habebat Sanctum Nazianzenum dum in or. de moderatione in diſputationibus ſervanda ita loquebatur; [Neſcitis fratres, qua difficultatè
,, premamur nos, qui hìc magnificè, & fa-
,, ſtuosè præſidemus, ac fortaſſe nec veſtrûm
,, plerique (quod deplorandum eſt) intelli-
,, gunt, quo modo apud Deum cogitatio om-
,, nis, & ſermo, & actio, expendatur. Nec
,, apud Deum dumtaxat; verùm apud omnes
,, fermè homines, qui cùm rerum ſuarum tar-
,, di ſunt judices, in alienis tamen cenſoriam
,, virgulam celerrimè arripiunt, citiùſque alijs
,, graviſſima errata, quàm nobis leviſſima con-
,, ceſſerint. Ac licèt ipſi rudiores, atque in-
,, doctiores ſint, citiùs tamen nobis impieta-
,, tis crimen impegerint, quàm ut ignoran-
,, tiam ſuam accuſent.] Gneum Pompeium apud Romanos olim fuiſſe reprehenſum legimus, quòd unico digito caput ſcalperet. Quid levius? referunt tamen in Politicis Plutarchus alijque prophani ſcriptores. Sed ſunt & illa Job verba capite trigeſimo primo. Si adversùm me terra mea clamat. Et capite trigeſimo quarto: Ut pervenire facerent ad eum clamorem egeni, & audiret vocem pauperum; de Rectoris ſcilicet gubernatione murmurantium. Quæ duo loca, quemadmodùm ad rem noſtram interpretatus Sanctus Gregorius fuerit, dictum eſt c. 14.

Circà fimbriam veteris Sacerdotalis veſtis erant ubique tintinnabula. Non enim poteſt ſuperior, vel unum movêre paſſum, quin tintinnabula reſonent, omneſque audiant, & reſciant. Et grandis illa Nabuchodonoſor ſtatua caput habuit aureum, pectus argenteum, & reliqua omnia membra ex optimo metallo conflata; at pedes erant terrei, & abſciſſus lapis de monte percuſſit pedes. Nam, & Prælati permultis optimis ornati dotibus, ac virtutibus, pedes habent terreos, levem ſcilicet aliquam imperfectionem, & velut parvum in pulchra facie nævum (ſunt enim & ipſi homines; nemoque ſine crimine vivit) & murmuratoris lingua, relictis cæteris omnibus ornamentis, pedes ſolos percutit. Apoſtoli Domini, quamdiù piſcatores fuerunt, & privatam egerunt vitam, liberè omnia poterant facere, nec quidquam in illis notabatur: at ubi Chriſtum ſecuti ſunt, vel minimum illud obſervatum eſt; Quare diſcipuli tui non lavant manus, cùm panem manducant? quid levius?

At optimum eſt conſilium S. Hieronymi in

Digitized by Google

caput 7. Eccleſiaſtis. Quemadmodùm enim prudentis viri eſt murmurantem famulum non audire, nec curioſè aurem apponere, quid de ſe loquatur abſente (ſi enim hoc fecerit ſemper in tribulatione erit, & ad muſitationem ſervi iracundiâ commovebitur) ſic & ſapientis hominis eſt, ſapientiam prævium ſequi, & varios non conſiderare rumores. Item quomodò ſcit conſcientia tua, quòd tu de multis locutus es, & ſæpè alijs detraxiſti; ſic & alijs debes ignoſcere detrahentibus. Alteram illis adfert conſolationem S. Bernardus ex illis verbis Cant. 1. Recti diligunt te. Sic enim habet ſermone 24. „ [Bona conſolatio, cùm blaſphemamur à malis benè facientes, ſi recti diligant nos. Ubique penè in choro adoleſcentularum tales invenias, quæ acta ſponſæ curioſè obſervent, derogandi, non imitandi causâ. Torquentur in bonis ſeniorum ſuorum, malis paſcuntur. Videas ambulare ſeorſum, & quæ ſequuntur.] Quibus murmurantes pulchrè deſcribit. Quos tamen appoſitè monet Sanctus Greg. lib. 25. mor. c. 14. nè temerè Rectores ſuos judicent: [Habent enim illi judicem ſuum; ideò magna cautela ſubditorum eſt non temerè vitam judicare regentium. Nam per ſemetipſum Dominus æs nummulariorum fudit, & cathedras vendentium columbas evertit; quia per magiſtros quidem vitam judicat plebium, ſed per ſemetipſum facta examinat magiſtrorum.] Et cap. 15. „ [Sic reprehenſibilia magiſtrorum facta diſpliceant, quatenùs ſubditorum mens à ſervanda magiſterij reverentia non recedat. Sic debriati Noë nudata verenda boni filij averſi veniendo texerunt.] Et Sanctus Anſelmus enarrans illud Jo. 10. Ego ſum paſtor bonus; [Nullus, inquit, mordêre vitam Præpoſitorum, quam Chriſtus per ipſum diſcuſſurus eſt, audeat.] Sed & damnum nobis minatur noſtrum, lib. 3. epiſtolarum ep. 27. ad Baldricum Priorem: [Monaſterium, in quo ſubditi facta Prælati dijudicant, benigna Dei diſpoſitione non diſponitur, ſed per abrupta vitiorum diſſolvitur, & diſcordia ſcindente deſtruitur. Ubi verò Prælati facta, & ordinationes veluti à Deo inſpiratæ ab omnibus communiter ſuſcipiuntur, ibi Deus inhabitat, & quaſi propriam domum, cujus tota cura ſuper ipſum, jactatur, diſponit, & ordinat.] Et rurſum ep. 39. ad Beccenſes Monachos: [Qui Prælati judices fiunt, apertè Dei ordinationi, cujus diſpoſitione ſibi Prælatus eſt, detrahunt, & contradicunt, quibus Deus, & ſuæ gubernationis ſubtrahit auxilium. Ubi verò Prælatus cum veneratione tanquam Chriſtus ſuſcipitur, ibi tota domus Chriſti regitur conſilio, & ſuſtentatur auxilio.]

Quid de murmuratoribus?

S. Bern. ſer. 12. in Cant. quidpiam Epiſcopis loquitur, quod planè de Superioribus omnibus dici poteſt, ſic enim non eſſe illos temerè judicandos, neque de illis obloquendum oſtendit: [Si is, qui de clauſtro eſt, eum, qui verſatur in populo (hoc eſt Epiſcopum) interdum minùs diſtrictè, minuſvè circumſpectè agere deprehenderit, verbi gratia in verbo, in cibo, in ſomno, in riſu, in ira, in judicio non ad judicandum confeſtim proſiliat: ſed meminerit ſcriptum; Melior eſt iniquitas viri, quàm benè faciens mulier. Nam tu quidem in tui cuſtodia vigilans benè facis; ſed qui juvat multos, & meliùs facit, & viriliùs; Quod ſi implêre non ſufficit abſque aliqua iniquitate, hoc eſt, aliqua inæqualitate vitæ, & converſationis ſuæ, memento, quia Charitas operit multitudinem peccatorum.]

Hoc ipſum de Rectoribus omnibus dici poteſt, qui & ipſi curam aliorum habentes, juvant multos ſuæ curæ commiſſos, atque hæc charitas operit coràm Deo, & operire coràm hominibus debet multitudinem peccatorum.

Evenit nobis plerumque id, quod ſecundo Regum 6. legitur: Ozam videndo teſtamenti arcam inclinatam, temerè manum ſuam extendiſſe, ut eam ſuſtentaret. Sic enim præclarè interpretatus eſt Sanctus Greg. libro 5. mor. c. 10. [Sæpè, inquit ille, aliquid à majoribus diſpenſatione agitur, vel præcipitur, quod à minoribus error putatur: ſæpè multa à fortibus dicuntur, quæ infirmi idcircò dijudicant, quia ignorant. Quod benè bobus calcitrantibus inclinata teſtamenti arca ſignavit, quam quia caſuram credens Levites erigere voluit, mox ſententiam mortis accepit. Quid eſt namque mens juſti, niſi arca teſtamenti? quæ bobus calcitrantibus inclinatur, quia nonnumquam dum ſubditorum confuſione concutitur, ad diſpenſationis condeſcenſionem ex ſola dilectione permovetur. Et dum nonnulli ſubditi contrà hanc reprehenſionem manum mittunt, &c. Et Oza robuſtus Domini interpretatur, quia præſumptores quique, niſi audaci mente robuſtos ſe in Domino crederent, meliorum facta, vel dicta velut infirma non judicarent.] Sed & in lib. 12. regiſtri c. 31. copioſè demonſtrat, Epiſcopis, & Superioribus omninò detrahendum non eſſe.

CAPUT XXXV.

Seniorum conſilia audienda.

ADverſùs oblocutiones haſce, ac murmurationes optimum fuerit, ſi Rector non tanquam Dominus, & cum imperio gubernet ſolus, ſed aliorum quoque ſeniorum, ac prudentiorum exquirat, ac libenter audiat ſenten-

ſententiam. S.Doroth. ſer.17. ad eos,qui monaſterio præſunt; [Nè ſuperbè, & cum imperio præſis, & imperes, ſed cum animi humilitate, & manſuetudine conſulta cum fratre tuo.] Et S. Baſilius in reg. brev. 104. Antiſtitem, ait, nihil debêre facere ſine conſilio eorum,qui apti ſunt de rebus judicare.Et in caput primum Iſaiæ; [Intolerabilis, inquit, eſt ſuperbiæ argumentum, exiſtimare ſe nullius egêre conſilio, ſed ſibi uni attentum eſſe, quaſi ſolus poſſit ſibi conſilio decernere,quæ optima ſunt.] Et in caput 3. cùm diceret Propheta;Et admirabilem conſiliarium: [Non parum, inquit, utilitatis reſilit ex conſilio: quòd nemo unus par ſit moderandis omnibus; ſed opus eſt ad delectum eorum, quæ conducibilia ſunt in commune decernant plures. Homo inconſultus navis eſt ſuo deſtituta gubernatore, temerèque expoſita agitationibus ventorum.] Et or. de fœlicitate, & infortunio: [Superbia magna habetur, exiſtimare nullius ſe egêre auxilio, ac ſibi ipſi penitùs acquieſcere: quaſi vel ſolus ſapiat, vel quàm optima in medium conſulere valeat.] Moyſen obſervat Orig. h. 11. in Exod. etiamſi facie ad faciem cum Deo loqueretur, audiſſe tamen vocem Jethro Sacerdotis Madian, & gentilis hominis: [Quis hodie, inquit, eorum, qui populis præſunt, conſilium inferioris ſaltem Sacerdotis dignatur accipere? Moyſes homo manſuetus ſuper omnes, accepit conſilium inferioris Jethro, ut formam humilitatis populorum Principibus daret.] S. Juſtinus martyr in ep. ad Zenam, & Serenum fratres; [Taceo de his, qui ſibi placentes conſultorem reijciunt, faſtu mundano turgidi,& in promptu habent illud; Tu me nec ſervare potes, nec damnare.] Et rurſum paulò pòſt: [Quicúmque ſapit ſuo judicio, non cedit monitis, & repugnando adverſatur conſultoribus contentus ſuis cogitationibus, more hominum infidelium.] Sanctus Nazianzenus in oratione ad centum quinquaginta Epiſcopos,Paulum quoque adfert, Evangelium, quod ipſe prædicabat, etiamſi à Chriſto acceptum, cum cæteris Apoſtolis contuliſſe, ut ipſemet ſcribit ad Galathas 2. [Ipſe quoque Paulus cum Apoſtolis Evangelium conferebat, non ut ambitioſè ſe oſtentaret (procùl enim ab omni gloriæ cupiditate remotus eſt ſpiritus) ſed vel ut approbaretur, & confirmaretur, quod cum laude faciebat, vel corrigeretur, quod ipſi deerat.] S.Chryſ. h.3. in Acta,Petrum item adnotavit, etiamſi haberet jus conſtituendi unum in locum Judæ proditoris,voluiſſe tamen cæteros ad conſilium vocare, verba illius in ſuperioribus poſita ſunt, & h. 18. in poſteriorem epiſtolam ad Cor. exemplum illud Moyſis proponit, quo uſum Origenem fuiſſe dixit: [Si quis, inquit, non dixerit, quod oportet; ſurgat alius, & dicat: licèt minor ſit. Dicat autem aliquid utile, confirma ſententiam; licèt minimus ſit, nè deſpexeris. Nullus enim horum tantum diſtat à proximo, quantum Socer à Moyſe; nec tamen detrectavit audire, ſed & accepit ſententiam, & obedivit, & ſcriptis commendavit, ut multorum faſtum deſtruat. Nè deſpiciamus eos, qui utilia conſulunt, licèt ſubditi ſint, & viles: neque illa, quæ nos introduxerimus,vim habêre, ac robur omnia putemus: ſed ea, quæ apparent conducibilia hæc ab omnibus confirmentur. Sæpè enim fit, ut hallucinantes pleraque videant, quæ non cernant acutè videntes, eò, quòd diligentiores ſint, & circumſpectiores.]

Et quoniam conqueruntur interdum aliqui, quòd non ita fiat, ut ipſi conſulunt: audiant, quid de his loquatur hic ipſe graviſſimus vir, ſtatim enim ſubjungit: [Nè autem dicas; Quid me vocas in conſilium, ſi non audis, quæ dico? Non ſunt hæ objectiones conſiliarij, ſed tyranni. Conſideremus, non ſolùm, ut noſtra ſubſiſtant, ſed & utilis ſententia robur habeat, etſi à nobis non afferatur.]

Conſiliarij quales.

Non omnes tamen ad conſilium vocandi ſunt, ſed probati, & prudentes viri, & rerum maximè periti. Juvenes præſertim reijcit Sanctus Nyſſenus in libro de virginitate cap. 23. [Rerum incognitarum, inquit,periculum facere audêre non extrà diſcrimen poſitum eſt. Periculoſa eſt plerumque vel in omni negotio conſiliorum moderatrix adoleſcentia;neque facilè, quiſpiam aliquid earum rerum, quæ ſtudio dignæ ſunt, rectè ab eo factum comperit, à quo non eſt ſenectus in conſilij ſocietatem adhibita.] Exemplo ſit Roboam 3. Reg. 12. qui conſilio ſenum relicto, conſilium ſecutus juvenum, amiſit regnum.

Sed duo prætereà in conſultore S. Bern. requirit ep. 42. ad Henricum Senonenſem Archiep. Prudentiam, & Benevolentiam; omnes vel etiam inimici diligantur; ſed ad conſilium ſoli eligantur, qui & benevoli, & prudentes judicantur. Abſque prudentia & benevolentia non ſunt perfecta conſilia. Et Petro Dominus curam ovium ſuarum commiſſurus, ejus anteà benevolentiam probavit, ter ſciſcitatus an ſe diligeret: probavit & prudentiam, quando interrogavit; Quem dicunt homines eſſe filium hominis?

Quin etiam optimum fuerit,ſi plures diverſorum locorum Superiores,& Rectores conveniant interdum, deque rebus ad bonam gubernationem pertinentibus inter ſeſe conferant, ac deliberent. Fuit hæc ſententia Sancti Baſilij in reg. fuſ. 54. [Operæ pretium,inquit, eſt, ut Superiores ſtatis temporibus conve-

Digitized by Google

„ conveniant, & tractent de rebus, quæ ſibi
„ præter rationem acciderint, & cum difficili-
„ bus ad tractandum naturis, ac moribus, &
„ quomodo ſe in illis moderandis geſſerint. Ut
„ ſi quid minùs rectè factum fuerit, adhibitâ
„ multorum ſcientiâ judicetur: ſi verò rectè,
„ multorum teſtimonio comprobetur.]

Deum tamen in primis conſulendum eſſe
admonet S. Greg. libro 23. mor. cap. 12. ſic
enim loquitur: [Boni Rectores cùm ſe res
„ dubias diſcernere non poſſe cognoſcunt, ad
„ ſecretum mentis velut ad quoddam taberna-
„ culum cum Moyſe revertuntur, divinaque
„ lege perſpecta, quaſi coram poſita arca Do-
„ minum conſulunt, & quod priùs intùs tacen-
„ tes audiunt, hoc foris poſtmodum agentes
„ innoteſcunt.]

CAPUT XXXVI.

Neceſſitatibus liberaliter providendum.

ET quoniam oblocutiones plurimæ, &
expoſtulationes ſunt, quòd corporalibus
eorum neceſſitatibus haud ſatis à Superiore
provideatur; ſatius fuerit, cum quantum le-
ges tulerint, hac in re liberaliorem eſſe, quàm
oblocutionibus præbêre cauſam, atque animo-
rum amaritudinem nutrire; quæ omnem in
virtute progreſſum impedire ſolet. Sanctus
Gregorius ſecunda parte paſtoralis curæ cap.
7. ad hunc modum loquitur; [Superiorum,
„ qui ſubditorum neceſſitatibus non ſuccur-
„ runt, prædicatio deſpicitur, quia dum delin-
„ quentium facta corripiunt, ſed tamen neceſ-
„ ſaria non tribuunt, non libenter audiuntur.
„ Egentis enim mentem doctrinæ ſermo non
„ penetrat, ſi hunc manus miſericordiæ non
„ commendat. Tunc autem verbi ſemen faci-
„ lè germinat, quando hoc in audientis pecto-
„ re pietas prædicantis rigat.]

Nec juſtæ ſolùm querimoniæ magni facien-
dæ ſunt; ſed & injuſtæ quoque & falſæ crimi-
nationes non contemnendæ: immò illis mag-
noperè occurrendum voluit Sanctus Chryſ. li-
bro ſexto de Sacerdotio: [Antiſtitem, in-
„ quit, bonum oportet nullum contemnere,
„ ſed multa cum humanitate, facilitate, co-
„ mitate omnium criminationes diluere: inju-
„ ſtas potiùs accuſationes condonantem, quàm
„ ob eas ægrè ferentem, ac ſuccenſentem.] Et
rurſum: [Studium adhibêre oportet, ut ma-
„ las opiniones non ſolùm dum erumpunt, di-
„ luamus, arceamuſque, ſed & procul undè
„ erumpere poſſint, proſpiciamus: atque adeò
„ cauſas ipſas, è quibus enaſcantur, longo an-
„ tè tempore interimamus; non etiam dum
„ coäleſcant, & in vulgi ore verſentur, ac di-
„ vulgentur, expectemus.] Et quamvis eo
loco de mulierum converſatione loquatur,
idem tamen universè de omnibus rebus intelli-
gendum, eſt & accipiendum.

CAPUT XXXVII.

Prælatus non ſit juvenis.

EX his omnibus, quæ hactenùs non minùs
diligenter, quàm verè collecta ſunt, & diſ-
putata, facilè intelligas, ſapienter à patribus
definitum fuiſſe, nequaquam eſſe gubernan-
dis alijs juvenem præficiendum. Sed aliorum *Cur ſenior ſit.*
Rectorem provectioris ætatis eſſe oportére,
undè & ſeniorem plerumque appellant: tum
propter prudentiam huic perneceſſariam mu-
neri, quæ in juvene eſſe non poteſt: tum prop-
ter rerum peritiam, & virtutes, quas ille vix
potuerit comparâſſe: tum verò etiam propter
opinionem, quam de illo habêre omnes neceſ-
ſe eſt: ac demùm propter animi perturbatio-
nes, quas ſedatas, ac probè domitas munus hoc
poſtulat, atque in juvene vehementiùs adhuc
ſæviunt. [Rempublicam nolint adminiſtrare,
„ niſi perfecti (ſcripſit Sanctus Auguſtinus in
„ libro ſecundo de ord. cap. 8. & in ſermone
„ 14. ad fratres in eremo) non puer, non in-
„ ſenſatus vobis præeſſe debet, ſed annoſus,
„ prudens, caſtus, ſobrius, ut in progreſſu, &
„ ſtatu ſal terræ, & lux mundi cunctis appa-
„ reat. Tunc enim regnum Romanorum pa-
„ cificè perſeveravit, quamdiù ſapientes regere
„ permiſerunt, ſed dum juvenes, & inexper-
„ tos, dominium orbis terrarum perdiderunt.]
Juvenes ergò imprudentes, duces, vel Eccle-
ſiarum paſtores non conſtituendi ſunt; nè ipſi
ſimul cum populo pereant. Et S. Baſilius in
ſer. de inſtitutionibus monachorum: [Unus
„ totius diſciplinæ moderator ſit, qui propter
„ vitæ, ac morum probitatem, ac reliquis in
„ rebus moderationem cæteris antelatus ſit:
„ adhibita etiam ad hoc, ut cæteris præpone-
„ retur, ætatis maturitate: ſiquidem majorem,
„ neſcio quo modo, venerationem habet, quod
„ provectiore ætate eſt.] Sanctus Nazianze-
nus in apologetico, cur in Pontum fugerit,
magnoperè in concionatores, & Rectores ju-
venes invehitur, ac tandem concludit his ver-
bis: [Nè extrema quidem ſenectus huic mu-
„ neri præſtituta longum tempus cenſêri de-
„ bet. Senectus enim cum prudentia conjun-
„ cta, imperitæ juventuti anteponenda eſt,
„ & conſulta tarditas inconſultæ temeritati,
„ & regnum breve tyrannidi diuturnæ.] Et
rurſum: [Verendum nè perículoſa hæc cele-
„ ritas, præcepſque ſtudium ſeminibus illis non
„ abſimile ſit, quæ in petras ceciderunt: &
„ quia terræ profunditatem non habebant, ſta-
„ tim exorta, nè primum quidem ſolis calorem
„ ferre potuerunt: aut etiam fundamento in
„ arena jacto, nè tantillùm quidem adversùs
pluviam,

Digitized by Google

„ pluviam, ac ventos reluctanti. Veh tibi civi-„ tas, ait Sapiens, quæ juvenem Regem ha-„ bes.] Et in or. de funere Gregorij patris: „ [Gregorius, inquit, pater non ſtatim poſt „ baptiſmum factus eſt Epiſcopus: ſed aliquo „ interjecto temporis ſpatio, quo nimirum ad „ ſui purgationem aliorum quoque purgando-„ rum facultatem, atque peritiam adjungeret.] Mitto plurima, quæ de celeri, ac ſubita hac Epiſcoporum promotione in cygneis carminibus diſputat. Sanè in or. de dogmate, & ſtatu Epiſcoporum, non parùm indignabundus ſic loquitur: [Cùm ſapientes diei unius mo-„ mento exortos conſpicio, ac manuum im-„ poſitione Theologos factos, quibus ad ſa-„ pientiam comparandam ſatis ſuperque eſſe „ videtur ſolam voluntatem adferre, philoſo-„ phiæ ſupremæ deſiderio teneor; ac juxtà Je-„ remiam c. 9. extremum quemdam ſeceſſum „ requiro, mecumque ipſe ſolus vitæ conſue-„ tudinem haberê concupiſco.] Et iterùm poſt pauca: [Priuſquàm carnem, quantum fieri „ poteſt, ſuperaverimus, mentiſque aciem ſa-„ tis repurgaverimus, animarum præfecturam „ accipere tutum non exiſtimo.] Quod ex eo probat, quod Moyſes ſolus aſcendit, & nubem penetrat, & cum Deo loquitur, & legem accipit: etiamſi Aäron, & multi alij acceſſerint ad montem, qui tamen eminùs adorare juſſi ſunt. Et Oza 2. Reg. 6. extinctus eſt, quod arcam tetigiſſet, & nec parietes templi promiſcuæ multitudini liceret tangere: & ideò parietes alij exteriores conſtructi erant, nè cuivis Sancta Sanctorum adire, aut velamen, aut propitiatorium, aut arcam adire, aut ſpectare, vel attingere liberum eſſet. Ac demùm oratione in ſancta luminaria, tractans de Chriſti baptiſmo: [Hæc res, inquit, no-„ bis documento eſſe debet, adhibendam priùs „ eſſe purgationem, animique ſubmiſſionem, „ nec antè ſuſcipiendam eſſe concionandi, ſeu „ gubernandi provinciam, quàm ad ſpiritua-„ lis, & corporeæ ætatis perfectionem ventum „ fuerit.]

In libro Num. c. 8. ab anno vigeſimo quinto ſervire tabernaculo Levitæ jubebantur, atque ab anno quinquageſimo cuſtodes vaſorum fieri, & ut habet S. Ambroſius in tract. de 42. manſionibus in manſione 12. [Qui ad-„ huc impugnantium vitiorum certamina per „ conſenſum delectationis admittunt, alio-„ rum curam ſuſcipere non præſumant. Cùm „ autem tentationem bella ſubegerint, & apud „ ſe ſecuri probabiliter æſtimantur, tunc ani-„ marum cuſtodiæ deputari poterunt.] Eadem eſt illius loci interpretatio apud Sanctum Gregorium lib. 23. mor. c. 6. [Qui adhuc, „ inquit, vitiorum bello ſubjacent, nequaquàm „ per prædicationis uſum præeſſe magiſterio „ cæterorum debent. Nam ab anno vigeſimo „ quinto Levitæ tabernaculo ſerviunt, & à „ quinquageſimo cuſtodes vaſorum fiunt. Ut „ qui adhuc impugnantium vitiorum certami-„ na tolerant aliorum curam ſuſcipere non præ-„ ſumant. Cùm verò &c.] Et rurſum lib. 2. dial. c. 2. [In Exodo Levitæ à viginti quinque an-„ nis, & ſuprà miniſtrare jubentur, ab anno au-„ tem quinquageſimo cuſtodes vaſorum fieri, „ quia carnis tentatio in juventute fervet; ab „ anno autem quinquageſimo frigeſcit: & qui „ in tentatione adhuc ſunt, ſubeſſe etiam de-„ bent, & laboribus fatigari: cùm verò ætate „ procedente calor receſſerit tentationis, do-„ ctores animarum fiant.] Sed & in prima parte paſtor. curæ c. 9. aliud quiddam magnoperè conſiderandum addit: [Plerumque enim „ in occupatione regiminis, ipſe quoque bo-„ ni operis uſus perditur, qui in tranquillitate „ tenebatur: quia quieto mari navem rectè & „ imperitus nauta dirigit: turbato autem tem-„ peſtatis fluctibus, etiam peritus ſe nauta con-„ fundit. Quid enim eſt poteſtas culminis, „ niſi tempeſtas mentis? Ergò virtutibus pol-„ lens coactus ad regimen veniat, virtutibus „ vacuus nè coactus accedat. Qui enim curam „ populi ſuſcipit, quaſi ad ægrum medicus „ accedit: ſi ergò adhuc in ejus opere paſſio-„ nes vivunt, qua præſumptione percuſſum „ medêri properat, qui in facie vulnus por-„ tat?] Ita imperiti nautæ, ac novi, & inexperti medici exemplo, à gubernandi munere juvenes arcet. In 7. autem mor. lib. cap. 16. Davidem conſiderat prohibitum fuiſſe ædificare templum Domino, quòd vir ſanguinum eſſet, 2. Regum 7. [Quia qui adhuc actibus „ carnalibus incumbit, neceſſe eſt, ut inſtrue-„ re mentes proximorum erubeſcat.] Et libro octavo cap. 29. [Qui mundum deſerunt, ad „ exteriora officia provehi non debent, niſi „ per humilitatem diutiùs in ejuſdem mundi „ contemptu ſolidentur.] Subjungit exemplum nuper plantatæ arboris, quam ſi manus concutiens tetigerit, arefacit: at ſi in altum radix figitur, & manus impellit, & nihil lædit, & ventorum flatus tolerat: & paries nuper extructus facilè diruitur, ſiccatus nec arietum ictibus quaſſatur.

Hinc Deut. 15. Non operaberis in primogenito bovis, & non tondebis primogenita ovium, id eſt, bonæ converſationis primordia in exercitio publicæ actionis non oſtendes. Et Levit. 19. Quando ingreſſi fueritis terram, quam ego daturus ſum vobis, & plantaveritis in ea ligna pomifera, auferetis præputia eorum. Poma, quæ germinant, immunda erunt vobis, nec edetis ex eis: ligna pomifera ſunt opera virtutis: præputia auferimus, cùm primordia non approbamus: poma, quæ germinant, non edimus, dum primordia boni operis animum non paſcunt operan-

operantis. Et libro 3. in primum Regum cap. 5. qui converſatione fortiſſimi ſunt, ſcientia eruditi, amore fervidi, conſtantia robuſti, non ſolùm alieno non egent auxilio, ſed ſubvenire alijs poſſunt. Quibus autem aliena auxilia neceſſaria ſunt ad ſubveniendum alijs, promovendi non ſunt.

Jam S. Leo Papa in ep. 5. acriter Donum Epiſcopum Beneventanum reprehendit, quòd juvenes relictis ſenioribus promoviſſet, & in ep. 87. ad Epiſcopos Aphricanos c. 1. prolatis Apoſtoli verbis in 1. epiſt. ad Tim. c. 3. Manus citò nemini impoſueris: [Quid eſt, in-
,, quit, citò manus imponere, niſi antè æta-
,, tem maturitatis, antè tempus examinis, antè
,, meritum laboris, antè experientiam diſci-
,, plinæ ſacerdotalem honorem tribuere non
,, probatis ?] Noluit idem Apoſtolus ordinari Neophitum, nè in ſuperbiam elatus in judicium incidat, & in laqueum diaboli. S. Nazianzenus in or. in laudem Athanaſij de his ipſis Epiſcopis loquens; [Inſolentiâ, inquit,
,, efferri ob dignitatem, adulterinorum eſt, &
,, aſcriptorum Præſulum, eoque munere, quod
,, profitentur, indignorum. Qui cùm nihil
,, priùs ad ſacerdotium attulerint, nullos la-
,, bores, atque ærumnas virtutis causâ pertu-
,, lerint, diſcipuli ſimul, magiſtrique pietatis
,, deſignantur, alioſque antè purgant, quàm
,, ipſi purgati fuerint. Heri ſacrilegi, hodie
,, Sacerdotes, heri extrà Sancta, hodie San-
,, ctorum arbitri, & Antiſtites, veteres vitio,
,, pietate rudes, & recentes. Quorum non
,, mores dignitati, ſed dignitas moribus fidem
,, adſtruit, qui denique plura pro ſuis, quàm
,, pro populi ignorantijs ſacrificia debent. Ac
,, prorsùs duorum alterum peccant, vel quia ipſi
,, veniâ opus habent ultrà modum alijs ignoſ-
,, centes, ut non modò non reprimatur vi-
,, tium, ſed etiam doceatur, vel quia imperij
,, acerbitate peccata ſua tegunt.] Et S. Anſelmus illa ipſa exponens Apoſtoli verba: [Non
,, congruit, inquit, ut heri catechumenus,
,, hodie ſit Pontifex; heri in amphiteatro, ho-
,, die in Eccleſia; veſperè in circo, manè in al-
,, tari; dudum fautor hiſtrionum, nunc con-
,, ſecrator virginum. Ignorat momentaneus Sa-
,, cerdos humilitatem, & manſuetudinem, neſ-
,, cit ſeipſum contemnere. Non jejunavit, non
,, flevit, non mores ſuos ſæpè reprehendit, &
,, aſſidua meditatione correxit.]

Denique jocosè S. Bernardus Juvenes iſtos Rectores exagitat in ep. 42. jam ſæpiùs citata: [Scholares, ait, pueri, & impuberes ado-
,, leſcentuli promoventur ad Eccleſiaſticas di-
,, gnitates, & de ſub ferula transferuntur ad
,, principandum presbyteris; lætiores interim,
,, quòd virgas evaſerint, quàm quod meruc-
,, rint principatum: nec tam illis blanditur ad-
,, eptum, quàm ademptum magiſterium.]

Si quem tamen ejuſmodi contigerit ad regendi munus aſſumi, cum gravibus omninò verbis hic idem S. Pater hortatur, & animat in ep. 201. ad Balduinum Abbatem ſcribens:
,, [Officium tuum, inquit, attende: pelle pu-
,, dorem conſideratione officij, age, ut magi-
,, ſter, novus es, ſed debitor. Ex tunc te no-
,, veris debitorem, ex quo te alligaſti. Nun-
,, quid novitas excuſabit apud creditorem dam-
,, na lucrorum ? Nunquid prima tempora va-
,, cua præterire patietur fœnerator ?].

CAPUT XXXVIII.

Prælatus maximè ſit legum obſervans; deque accurata hac obſervantia.

ALIORUM igitur Rector ſit vir ætate maturus, ac multò magis moribus. Tum verò etiam maximè legum obſervans, ut non ſolùm jubeat verbo, ſed & facto oſtendat. Habes de hoc in ſuperioribus complura. Sed adde Sancti Chryſoſtomi verba in hom. 73. in Matthæum, exponens namque illud Domini de malis Doctoribus; Dicunt, & non faciunt:
,, [Criminandi, inquit, omnes ſunt, qui legem
,, transgrediuntur, ſed maximè omnium, qui
,, doctoris fungitur autoritate, tripliciter enim
,, condemnatur, primùm quia transgreditur,
,, deindè cùm in corrigendis alijs ipſe claudi-
,, cat, propter dignitatem, quam gerit, majo-
,, re dignus ſupplicio eſt, tertiò, quia, cùm ceu
,, doctor prædicat, nequitia ſua facilè cæteros
,, corrumpit.] Et mox ſubjungit: [In optimo
,, Principe duo requiruntur, ut ſcilicet adver-
,, ſus ſeipſum nullâ utatur veniâ, ſed ſeverum
,, in ſe judicem exhibeat, ergà ſubditos autem
,, mitior, & ad dandam pronior veniam ſit.]
Et h. 17. operis imperfecti; [Doctores quantò
,, majores ſunt in ordine, tantò perfectiores eſſe
,, debent in diſciplina. Doctores enim vult
,, Dominus primùm facere, deindè docêre, ut
,, doctrinam ſuam bonam meliori vita com-
,, mendent: ut benè docendo ſcientiam inſe-
,, rant, meliùs autem vivendo timorem; quia ſa-
,, les ſunt terræ, condientes omnes ſuæ vitæ ex-
,, emplo.] Et rursùm: [Omnis Sacerdos, ſi vult
,, docêre populum, priùs ſeipſum doceat: ſi au-
,, tem ſeipſum non vult docêre de omni, quod
,, docet, nec ſeipſum arguere de omni, quod ar-
,, guit, nec alios doceat, nec arguat quemquam:
,, ut ſi judicium Dei non evadit, vel hominum
,, opprobrium non patiatur.] Sed & S. Bernardus ad hunc modum loquitur in tract. de præcepto, & diſpenſatione, volens omninò diſciplinæ tenacem, ac legum obſervantem eſſe cæterorum Rectorem: [Magna pars re-
,, gularis traditionis ſubeſt ejus, qui præ-
,, eſt, ſi non voluntati, certè diſcretioni. Quid-
,, quid enim de ſpiritualibus in regula traditum
eſt,

Digitized by Google

„ eſt, in manu Abbatis nequaquàm relinqui-„ tur, quæ verò corporalibus conſtat obſervan-„ tijs, nè ipſa quidem in ejus ita voluntate po-„ ſita eſt, ut ejuſdem deſerviat voluntati, ſed „ magis charitati. Neque enim Abbas ſuper re-„ gulam eſt, cui & ipſe ſpontanea ſe profeſſi-„ one ſubmiſit: etſi Dei regula charitas regu-„ læ Sancti Benedicti præponitur. Super fra-„ trum ſanè transgreſſiones, non ſuper Pa-„ trum traditiones conſtituitur, qui Abbas eli-„ gitur, mandatorum cultor, & ultor vitio-„ rum. Arbitror namque ſanctas illas obſer-„ vantias Prælatorum prudentiæ, & fidei cre-„ ditas, non ſubditas voluntati.] Plura in eandem ſententiam addit, & pòſt ſubjungit. [Re-„ gularis profeſſio ipſa, qua ſe junior ſpontè „ ſubdit Priori, æquè alligat & Priorem. „ Communis pacti uterque neceſſitate tene-„ tur, fiuntque duo per unius ſponſionem „ alterutrum debitores; fidelis curæ unus, al-„ ter humilis obedientiæ, ſed is obedientiam „ non ſpondet omnimodam, ſed determinatè „ ad regulam, ut oporteat eum, qui præeſt, „ non fræna ſuæ laxare voluntati ſuper ſubdi-„ tos, ſed præfixam ex regula ſibi ſcire men-„ ſuram.]

Regularum cuſtodia. Nam & propterea regulas in religioſorum cœtibus, ut in quavis republica leges fuiſſe conditas, ſcribit Joannes Caſſianus in libro de nocturnarum orationum modo c. 5. ut idem vivendi modus inter omnes conſervaretur, nec ſinguli pro ſua voluntate agerent. His omnes ſeſe conformare debent.

Regulæ pater. Clemens Alexandrinus libro quarto ſtromatum patriam ſcripſit cuique homini matrem, ac nutricem eſſe; leges autem patrem; quippè νόμ☉ maſculini generis græcis eſt, paternique juris tota eſt filiorum gubernatio. Peculiari autem ratione vir religioſus dicat religionem ſibi eſſe matrem, regulas patrem, qui nos omnes gubernat. Illarum verò cuſtos, & velut anima Prælatus eſt, qui eas & in ſe, & in cæteris omnibus ſuæ curæ commiſſis illæſas, atque inviolatas conſervet.

Navis gubernaculum. Eccleſiam item univerſam ſcimus appellari navem tempeſtatibus jactatam plurimis, cujus figura fuit Arca Noë. Idem de religione dicas, in qua inter mundi procellas navigamus ad patriam, atque in ea ſalvamur ab aquis diluvij. Gubernaculum illius ſunt regulæ, ac leges, & ut habet Sanctus Cyprianus epiſt. 7. libri ſecundi, ſeu magis Romanus Clerus ad Cyprianum ſcribens: qui gubernaculum tenet, & dirigit omnia, Gubernator eſt, & Rector: „ [Quid magis, inquiunt illi, aut in pace tam „ aptum, aut in bellis perſecutionis tam neceſ-„ ſarium, quàm debitam ſeveritatem divini vi-„ goris tenêre? quam qui remiſerit, inſtabili „ rerum curſu erret, neceſſe eſt, & hùc, atque „ illùc varijs, & incertis negotiorum tempe-„ ſtatibus diſſipetur, & quaſi extorto de ma-„ nibus conſiliorum gubernaculo, navem Ec-„ cleſiaſticæ ſalutis illidat in ſcopulos, ut ap-„ pareat non aliter ſaluti Eccleſiaſticæ conſuli „ poſſe, niſi, ſi qui etiam contrà ipſam faciunt, „ quaſi quidam adverſi fluctus repellantur, & „ diſciplinæ ipſius ſemper cuſtodita ratio, quaſi „ ſalutare aliquod gubernaculum, in tempe-„ ſtate ſervetur.]

Anchoræ vis. Anchoras quoque ad retinendam navem adhibet Theodoretus in ſermone ſeptimo de providentia: [Legibus, inquit, velut anchoris „ opus fuit: quæ animum affectibus obrutum, „ velut navem ſiſterent, pronumque ejus im-„ petum inhiberent, ac gubernatorem denuò „ emergere, clavumque arripere permitterent.]

Amuſſis. Addit quoque leges eſſe velut amuſſim, quâ faber tabulas dirigit, & quod in illis ſuperfluum eſt, reſecat.

Murus, &c. Sunt & muri, ſeu maceria religioſi cœtûs, velut horti divinis plantati manibus. Ipſe namque elegit nos, & poſuit, ut fructum afferamus; diruta ſi fuerit maceria, conculcatur hortus, & diſſipatur. Prov. 24. Tranſivi per hortum pigri, & repleverant eum urticæ, & ſpinæ. Quid ita? quia maceria lapidum deſtructa erat. Nam ut loquitur Sanctus Gregorius libro vigeſimo moral. capite 20. [Quaſi „ rupto muro hoſtis ingreditur, cùm diſcipli-„ næ munimenta diſſipantur.]

Habenæ. Sunt etiam velut habenæ, & lora, quibus voluntas noſtra velut indomitus, & petulans equus frænatur, & regitur. Job cap. 39. Nunquid alligabis Rhinocerota ad arandum loro tuo? aut confriget glebas vallium poſt te? Quæ verba exponens Sanctus Gregorius libro 31. c. 3. [Præcepta, inquit, diſciplinæ lora ſunt „ Eccleſiæ, quibus Rhinoceros ſuperbus liga-„ tur, & à præſepi ad arandum ducitur.]

Frænũ. Theodoretus quoque vult eſſe frænum, quo peccati, ſeu affectus impetus cohibetur, cujus fræni habenæ magiſtratibus, & Rectoribus tanquam peritis aurigis commiſſæ ſunt.

Scutica. Accedit & ſcutica, quâ petulans caſtigatur equus, & gubernatur: [Quemadmodùm enim „ (inquit Sanctus Chryſ. in comment. ad ca-„ put quintum epiſtolæ ad Gal.) equi fræno „ morigeri non egent ſcutica; ſic anima, quæ „ impulſu ſpiritus regitur, non eget admoni-„ trice lege.] Ita dixit Paulus; Juſto non eſt lex poſita, &, Adverſus hujuſmodi non eſt lex: quoniam, Juſtus ipſemet ſibi eſt lex.

Speculum. Prætereà ſunt leges, velut ſplendidiſſimum ſpeculum, quemadmodùm de divinis præceptis Sanctus Leo ratiocinatur in ſer. 11. de quadrageſima, in quo quiſque faciem ſuæ mentis agnoſcat, dum ea præcipiunt, quæ agenda ſunt, & quæ non agenda prohibent; & intelligit quiſque quàm ſit imagini Dei conformis.

Sunt & religioſi hominis veſtis nuptialis,

Digitized by Google

Veſtis nuptialis. cum qua ad cœleſtes nuptias intrare illum oportet, interimque in terris converſari. Itaque juxtà Sancti Chryſoſtomi ſententiam in ſuperioribus ſignificatam, aut locum eligat ſecundùm veſtem, aut ſecundùm locum eligat veſtem. Et meritò quibuſdam dixit Sanctus Gregorius libro ſecundo regiſtri capite 91. [Si canones non cuſtoditis, & majorum „ vultis ſtatuta convellere, non cognoſco, qui „ ſitis.] Quia etſi religionis geſtamus veſtem, operibus tamen religioſos nos non probamus, ſi leges nobis impoſitas non ſervamus. Sanctus Anſelmus exponens illa Pauli verba ad Romanos 2. Si prævaricator legis es, circùmciſio tua præputium facta eſt: [Ita etiam, inquit, „ Chriſtiano: ſi prævaricator es Evangelij, „ baptiſmus tuus nihil tibi proderit: & mona- „ cho; ſi prævaricator es regulæ, cuculla tua „ inutilis facta eſt.]

Minima cavenda. Verùm ut in cæteris, ita & in hoc, vel à minimis maximè cavendum eſt. Fit enim ſenſim ad majora progreſſio, & tota tandem ſolvitur diſciplina. Sanctus Anſelmus libro tertio epiſt. 49. ad monachos Ceſtrenſes; [Ubi mi- „ nima diſtrictè cuſtodiuntur, ibi rigor ordinis „ permanet, & pax inter fratres. Ubi verò mi- „ nimi exceſſus negliguntur, ordo paulatim „ diſſipatur.] Pſal. 25. Non ſedi cum concilio vanitatis (inquiebat David) & cum iniqua gerentibus non introibo. Principiò vanitatis concilium eſt, in quo vana, & levia perſequimur: mox ad iniqua progredimur. Origenes h. 11. in Jerem. non vanitatis, ſed ludentium concilium legens; [Si concilium, ait, „ noſtrum ſolicitum eſt, ſi omnia cum Eccle- „ ſiaſtica diſciplina quærit, concilium eſt non „ ludentium, ſed ſolicitorum; ſin autem, &c.]

Univerſum autem hoc negotium ad Prælatos maximè, & Rectores pertinet. Quoniam, ut loquitur Sanctus Leo in extrema epiſtola 86. ad Nicetam Aquileienſem Epiſcopum: „ [Inferiorum culpæ ad nullos magis referen- „ dæ ſunt, quàm ad deſides, negligenteſque „ Rectores, qui multam ſæpè nutriunt peſti- „ lentiam, dum auſteriorem diſſimulant ad- „ hibêre medicinam.] Undè ad Martianum Auguſtum ſcribens epiſt. 54. de ſeipſo loquitur: [Diſpenſatio mihi credita eſt; & ad meum „ tendit reatum, ſi paternarum regulæ ſancti- „ onum, quæ ad totius Eccleſiæ regimen ſunt „ conditæ, me connivente violentur: & major „ ſit apud me unius fratris voluntas, quàm uni- „ verſæ domus Domini utilitas.] Ergò, & de Superioribus, & de inferioribus dicatur illud Pſ. 1. Et in lege Domini voluntas ejus. [Timo- „ ris enim eſt (inquit eo loco Sanctus Hilarius) „ non audêre timenda negligere: perfectæ ve- „ rò religionis eſt velle præſcriptis parêre: & „ ideò Beatus ille eſt, cujus in lege Dei non „ timor, ſed voluntas eſt.]

CAPUT XXXIX.

Prælatum qualem eſſe oporteat.

EX his omnibus, quæ hactenùs dicta ſunt, planum omnibus eſſe poteſt, qualem oporteat Prælatum eſſe, & optimè Sanctus Baſilius in ſerm. de abdicatione rerum: [Ornatus, „ inquit, virtutibus ſit, charitate, divinarum lit- „ terarum ſcientia, integer ſit, ab avaritia ab- „ horrens, gerendis negotijs non libenter ſe „ immiſcens, quietus, amans Deum, egentium „ ſtudioſus, non iracundus, injuriarum im- „ memor, natura propenſus ad eos docendos, „ qui ad illum accedunt: qui inani gloria non „ infletur, ſuperbia non extollatur, adulatio- „ ne non frangatur, ſeverus, & conſtans, cui „ denique nihil ſit præſtantius honore Dei.] Et in reg. fuſ. 35. providum requirit, eloquentem, vigilantem, mitem, & qui perfecto corde Dei juſtificationes requirat. Et 43. [Præ fer- „ vida in Deum charitate ſui modeſtiam expri- „ mat. Adeò ut vel tacens operibus ſuis exem- „ plum non fucatæ humilitatis relinquat. Mo- „ rum manſuetudo, & humilitas cordis, præ- „ cipua Antiſtitis veluti inſignia ſunto.]

Secundò, clementem ipſum eſſe oportet ejuſmodique, qui per rerum inexperientiam delinquentes leniter ſufferat: non tamen obticeſcat ad peccata; ſed immorigeros, & detrectantes imperium clementer toleret, & ipſis cum quanta maxima poſſit lenitate, moderationeque medicinam adhibeat.

Tertiò, idoneum, qui accommodata nobis remedia comminiſcatur.

Quartò, in rebus præſentibus adminiſtrandis pervigilem, & in futuris proſpiciendis ſagacem, talemque qui & certare cum valentibus poſſit, & infirmorum imbecillitates portare. Et in regulis brevioribus 98. cùm quæſiſſet, qualem animum habêre Antiſtes debeat in ijs, quæ imperat, reſpondet; quo ad Deum, tanquam miniſter ſit Chriſti, & diſpenſator myſteriorum Dei, metuens, nè quid præter voluntatem Dei ſtatuat, nè quid alienum inducat, aut eorum, quæ grata ſunt Deo, prætermittat. Quoad fratres verò, tanquam ſi nutrix ſit, quæ foveat filios ſuos: cupidus tradendi unicuique non ſolùm Evangelium Dei, ſed etiam animam ſuam.

Et Origenes homiliâ undecimâ in Exodum, Moyſen notat ex conſilio Jethro elegiſſe viros, & conſtituiſſe Principes populi. Viros, inquam, Deum colentes, & odientes ſuperbiam, tales enim oportet eſſe Principes populi, qui non ſolùm ſuperbi non ſint, ſed etiam qui oderint ſuperbiam, id eſt, non ſolùm abſque vitio ſint, ſed & in alijs oderint vitia. Et homiliâ tertiâ in Cant. Trabes Eccleſiæ interpretatur Epiſcopos,

Digitized by Google

Epiſcopos, tigna presbyteros. Et Epiſcopi, inquit, cypreſſi, quibus & fortitudo robuſtior, & odor ſuavitatis ineſt: quod & in operibus ſolidum, & in doctrinæ gratia fragrantem deſignat Epiſcopum. Tigna verò cedrina, ut incorruptionis virtutis, & odoris ſcientiæ Chriſti plenos deſignaret, debêre eſſe presbyteros.

Extat penè totus in hanc ſententiam, qualis eſſe debeat populorum Rector Sancti Nazianzeni apologeticus, cur in pontum fugerit, atque in Athanaſio optimam Epiſcopi, ac Superioris formam oſtendit in oratione in ipſius laudem. Extant & Sancti Chryſoſtomi libri de ſacerdotio; & Sancti Bernardi de conſideratione ad Eugenium Papam, & S. Gregorij de paſtorali cura, & Sancti Dorothei ſermo 17. ad eos, qui monaſterio præſunt,& penè omnia, quæ in ſuperioribus dicta ſunt.

Addam Sanctum Petrum Chryſologum; qui in ſermone primo de duobus Evangelicis filijs, prodigo, & frugi loquens, in illorum patre Superioris perſonam pulchrè deſcribit: „ [Eſt penes patrem, inquit, dulcis conditio, „ libera ſervitus, abſoluta cuſtodia, timor læ„ tus, blanda ultio, paupertas dives, ſecura „ poſſeſſio. Namque ad Patrem labor reſpicit, „ fructus redundat in filios.] Et paulò pòſt: „ [Sepiat nos paterna reverentia, matris com„ ponat affectio, cognatorum cuſtodiamur af„ fectibus. Inter propinquorum lumina non „ valent delicta verſari. Propinquorum quot „ oculi tot lucernæ. Dies eſt aſpectus matris, „ ſol patris rutilat in vultu. Undè viventi inter „ tot virtutum duces, criminum tenebræ pro„ pinquare non poſſunt: ſed menſa nos patris „ alit virtutis cibo, ſalutis epulo, delicijs ho„ neſtatis, & gloriæ.] Hæc Petrus de patre, deque paterna domo pereleganter, & verè ratiocinatur, ſed multò veriùs in rem noſtram dicentur, ſi paterna domus intelligatur religio, pater Superior, fratres, ac propinqui ſocij, cum quibus vivimus.

CAPUT XL.

Prælatis, & ſubditis pro ſe viciſſim orandum.

POSTREMÒ & Superior,& ſubditi monendi ſunt eos debêre mutuis auxilijs ſtare, mutuis, inquam, ad Deum precibus adjuvari. S.Chryſ. h. 11. in priorem epiſtolam ad Theſſ. cùm Paulum ſcribentem legiſſet; Fratres orate pro nobis, eum adnotavit modeſtiæ, atque humilitatis gratiâ preces aliorum poſtulâſſe: nos verò neceſſitatis causâ, & utilitatis. [Propterea, inquit, & nos dicimus: „ Orate pro nobis. Non temerè hoc dico; ſed „ admodùm precum veſtrarum cupidus. Si e„ nim omnium veſtrûm præſidem, ac tutorem „ agere debeo, & rationem redditurus ſum; „ multò magis debeo viciſſim, & veſtris poti„ ri precibus. Veſtri gratia major mihi red„ denda eſt ratio: habeam igitur, & majus à „ vobis auxilium.] Itaque eò rem deducit, ut ex juſtitia debeantur. Et rursùm homiliâ quartâ in poſteriorem epiſtolam: [Ad veſtram uti„ litatem poſiti ſumus, & quæ veſtra ſunt, cu„ ramus.] Ideò ſeriò, & multis rogat, ut pro ſe orent.

Hùc etiam ſpectant illa Sancti Leonis Papæ verba preces populi ſui obnixè poſtulantis in ſermone ſecundo de Paſſione Domini: [Ad „ commune enim pertinet lucrum, ſi potue„ ritis me habêre devotum; quia veſtræ im„ penditur ædificationi, quidquid noſtræ tri„ buitur facultati.]

Viciſſim autem debet, & Superior pro ſuis orare ſubditis. Quocircà Sanctus Chryſoſtomus homiliâ eâdem quartâ indicatâ. [Quantò „ putatis, inquit, mediocritatem noſtram ex„ cedit, ut pro tanto populo ad Deum acce„ dam, & ſupplicem? Non eſt aliqua alia pre„ catio, quæ Sacerdotem adeò deceat, atque „ ut pro populi commodis, priùs quàm pro ſui „ ipſius, ad interpellandum ad Deum acce„ dat.] Et Sanctus Bernardus in epiſtola ducenteſima prima ad Balduinum Abbatem, cùm tribus modis paſtorem vellet à Deo poſitum paſcere commiſſum ſibi gregem, ad complementum utique trinæ illius repetitionis in Evangelio de paſcendis ovibus: [Paſcas, in„ quit, verbo, paſcas exemplo, paſcas & fru„ ctu ſanctarum orationum; major autem ho„ rum eſt oratio. Nam etſi vocis virtus ſit opus; „ operi tamen, & voci gratiam, efficaciamque „ promeretur oratio.]

CAPUT XLI.

De malis Prælatis.

SED heu dolendum magnoperè eſt, quòd permulti animarum Rectores non ij ſunt, qui eſſe deberent, quibus veh minatur Sanctus Baſilius in com. ad caput primum Iſaiæ; ſi obtentam præſidentiam non adornaverint converſatione, quæ decenter ſuæ pollicitationi reſpondeat; & jure optimo dolet Sanctus Chryſ. libro tertio de Sacerdotio, quòd in illis conſtituendis haud major plerumque adhibeatur diligentia, quàm in agrorum, aut rerum temporalium curatoribus deputandis ſoleat adhibêri: [Rerum cœleſtium, inquit, „ certamen ſuſcipientes, perindè atque ſi de „ terræ jugeribus, aut alia id genus re delibe„ rarent, gregarios quoſdam homines teme„ rè aſſumptos, rebus ijs præficiunt, quarum „ nomine, & gloriam ſuam exinanire,& homo „ fieri, & ſervi formam accipere, & conſpui,

 &

„ & colaphis cædi; & morte ignominioſiſſi„ma occumbere ſecundùm carnem, unigeni„tus Dei Filius non deprecatus eſt.] Verendum eſt, nè illud eveniat interdùm, quod Iſ. 3. legimus; Veſtimentum habes, hoc eſt, exteriora quædam naturæ dona; Princeps eſto noſter. At benè inquit S. Baſilius eo loco; [Verus „ Princeps non per hæc exteriora inſignia in„ternoſcitur, ſed per id, quod in primis virtu„tem obtinet Principe dignam.] Sæpèque inter homines id evenit, quod de ſylvarum lignis ſacra narrat Hiſtoria. Neque enim oliva, neque ficus, neque vitis inter cætera ligna ſceptrum regni delatum acceperunt; ſed ineptiſsimus, atque infructuoſiſsimus rhamnus.

Samuël quidem certè, etſi Propheta eſſet, ut in libro 4. in primum Regum cap. 1. obſervavit Sanctus Gregorius; eos tamen, quos judices Iſraëli conſtituit, poſt avaritiam, & munera declinaturos, & judicium perverſuros non cognovit. Quid ergò mirum, ſi in diſponendis ordinibus falli poſſunt ij, qui prophetiæ gratiam non habent? [Sæpè quidem accidit „ (ut libro ſecundo in Num. Origenes loqui„tur) ut is, qui humilem ſenſum gerit, & ab„jectum, & qui terrena ſapit, excelſum Sacer„dotij gradum, vel cathedram doctoris obſi„deat: & ille, qui ſpiritualis eſt, & à terre„na converſatione tam liber, ut poſsit exami„nare omnia, & ipſe à nemine judicari, vel „ inferioris miniſterij ordinem teneat, vel „ etiam in plebe, ac multitudine relinquatur.]

Qui tamen indignos, & malos ſciens, & volens promovet, graviter peccat. Quoniam oves Lupis, non cuſtodiendas, & paſcendas, ſed perdendas, & devorandas tradit. [Qui ad „ culmen Sanctæ Eccleſiæ (inquit Sanctus „ Gregorius libro quinto in primum Regum „ c. 2.) carnales provehunt, graviſsimi pec„cati obligatione retinentur. Qui enim car„nalem præpoſitum conſtituit, tot incurrit „ pœnarum merita, quot ille fidelibus ſubditis „ præbet pravitatis exempla.]

Hi verè paſtores non ſunt, quia gregem non paſcunt; ſed paſtores videntur eſſe; quia nomen, officium, & locum paſtoris habent; ſed id quod eſt officij, nequaquàm præſtant. De hujuſmodi Epiſcopis alicubi loquens Sanctus Chryſ. verè dixit, eos habêre titulum ſine re. Atque de illis pronuntiavit Deus Dan. 13. Qui videbantur regere populum. Quo loco Sanctus Hieronymus: [Non, ait, Qui rege„bant; ſed, Qui videbantur regere, qui enim „ benè præſunt, regunt populum; qui autem „ non benè, regere magis videntur, quàm „ regant.]

CAPUT XLII.

Divina contrà hos expoſtulatio.

QUONIAM verò de malis Prælatis paſtorum nomine longa oratione loquitur, & vehementer dolet ipſemet Deus apud Ezechiëlem capite trigeſimo quarto ſatis fuerit expoſtulationem totam ad ſua capita revocare, & ſingula conſiderare. Ea porrò ferè ſunt quinque.

Primùm enim universè affirmat Deus, eos malos eſſe paſtores, qui ſeipſos, non oves, paſcunt. *Mali Paſtor qui.* Veh paſtoribus Iſraël, qui paſcunt ſemetipſos. Seipſum autem paſcere quid eſt, niſi ex paſtoris officio ſui ipſius propriam, non ovium, utilitatem quærere? Quemadmodùm enim inter tyrannum, & Regem hoc intereſt, quòd ille ſuam, hic populi ſui utilitatem procurat: ſic & inter bonum, & malum paſtorem. Quippè hoc officium, non in paſtoris, ſed in ovium bonum, & commodum, eſt inſtitutum. Quam ob cauſam ſæpè Sanctus Auguſtinus dixit: [Quòd Chriſtiani ſumus, „ nobis prodeſt; quòd præpoſiti, vobis.] Benéque gubernandi gratia, non eſt gratia gratum faciens, ſed gratis data, ad aliorum ſcilicet utilitatem. Itaque quod dicitur Iſ. 3. Rapina pauperis in domibus veſtris; de Superioribus appoſitè interpretatur Sanctus Baſilius. Rapiunt enim ſibi, quod ſubditorum eſſe oportebat. Et Petrus in prima epiſtola c. 5. Non turpis, inquit, lucri gratiâ. Nam turpe appellat lucrum, rem ſibi alienam rapere, velleque aliquid temporale pro prælationis officio: cùm ita res pretioſiſſima pro viliſſima vendatur. [Hos (S. Chryſ. homiliâ 59. in Mat„thæum) pejores eſſe voluit quàm latrones, „ homicidas, adulteros, & ſepulchrorum vi„olatores: nam & furantur aliena impudentiùs, „ occidunt crudeliùs, multò iniquiùs petulan„tiâ efferuntur, nec parietem unum, ſed in„numeras domos effodiunt, faciliùs omnia „ principatus licentia peragentes.]

Secundo loco exponit Deus, quid ſit ſe ipſum paſcere; *Quid ſit ſeipſum paſcere.* Lac, inquit, comedebatis, & lanis operiebamini; hoc eſt, ſeipſum paſcere. Lac victum, & veſtitum ſignificat, & quæ ad naturam ſuſtentandam pertinent. Namque in prima epiſtola ad Corinthios capite nono volens Apoſtolus probare, poſſe prædicatores hæc à populis accipere; Quis, inquit, paſcit gregem, & de lacte ejus non comedit? Quis militat ſuis ſtipendijs? Lanis autem operiri, eſt honorem à ſubditis exhibitum accipere. Ut enim veſtes tegunt corporis nuditatem, & faciunt unum hominem ab alio diſtingui; quia juxtà perſonarum, & graduum diverſitatem diverſæ ſunt etiam veſtes. Ita Superior, qui in ſe eſt homo, ſicut & cæteri, &

ſuas

Digitized by Google

ſuas habet paſſiones, atque infirmitates, vixque illi obedirent ſubditi, honore illo tegitur, quem illi exhibent cæteri: nec ſolùm exteriùs, aperiendo caput, cedendo primum locum &c. Sed etiam interiùs: habentes illum velut Angelum Dei, ut Chriſtum Jeſum; & Dominus: Qui vos audit, me audit; & alibi; Ego dixi, Dij eſtis, quod de Superioribus ipſemet interpretatus eſt, ubi citans hæc verba, ſubjunxit; Si illos dixit Deos, ad quos ſermo Dei factus eſt, &c. qui ſcilicet cum Deo loquuntur, & ab illo accipiunt mandata ad populum.

Quam ob cauſam Jo. Climachus gradu quarto Deum ſcripſit religioſis hominibus aperire oculos, ut videant Superioris virtutes, atque in eo Chriſti perſonam, & Dei; & claudere, nè videant defectus: contrà verò dæmonem &c. Sanè comedere lac ovium, & lanis operiri, licitum eſt, atque à Deo permiſſum: at non item paſcere gregem pro lacte, & lana: cùm contrà, hæc accipienda ſint, ut grex paſci poſſit: aut plus exigere, quàm neceſſarium ſit, ut paſcas: demùm his acceptis negligere oves, & non paſcere. Idcircò dixit Origenes in caput primum epiſtolæ ad Romanos: Eum, qui gregi præeſt, & lacte ejus utitur; ſed infirmum non requirit, & claudum non colligit (hoc eſt gregem non paſcit) vocatum quidem paſtorem eſſe, at non electum. Hos nimirùm deplorat Sanctus Bernardus ſermone decimo in Cant. [Quanti hodie, inquit, ſunt, qui Chriſti opprobria, ſputa, flagella, clavos, lanceam, crucem, & mortem, in fornace avaritiæ conflant, & pretium univerſitatis marſupijs ſuis includere feſtinant?] Et in libro de paſsione Domini, ſuper; Ego ſum vitis vera, capite vigeſimo primo: [Quot videmus ordinum diverſorum Prælatos, qui bona ſine dubio intentione nudi nudum Chriſtum ſunt ſecuti: & tamen, licèt inviti, ſi ad prælaturas trahantur, non poſt longum tempus corrumpunt intentionem, truncum vitiant, commutant propoſitum, ut prælaturis libenter inhæreant, præeſſe cupientes potiùs, quàm prodeſſe; lautioribus ferculis, & exquiſitis voluptati ventris potiùs, quàm utilitati, vel divinæ voluntati deſerviunt: nonnunquam & pecunias congregare dicuntur, non ut ſpiritualibus filijs neceſſaria, ſed ut carnalibus nepotulis, & amicis ſuperfluè aliquid largiantur.]

Non paſcere oves quid? Tertiò declarat Deus, quid ſit non paſcere oves, dicens; Quod craſſum erat, comedebatis; quod infirmum fuit, non conſolidaſtis, &c. Quibus verbis ſex ovium differentias facit. Aliquæ pingues ſunt, & fortes, aliæ debiles, aliæ ægrotæ, aliæ confractæ, aliæ errant, aliæ perierunt. Malus paſtor pingues, & fortes occidit, infirmas non conſolidat, &c. Pingues, & fortes ſunt viri boni, & ſpirituales, quos ille malo exemplo occidit, quos bono fovère debuerat. Cùm enim ſubditi paſtorem vident non recta agentem, facilè imitantur. Dicunt enim; Paſtor meus hoc facit; cur ego non faciam? Paſtor antè eas vadit, Joan. 10. & illæ paſtorem ſequuntur. Propterea Titum monet Paulus cap. 2. Te ipſum præbe exemplum bonorum operum; & Forma eſto fidelibus. Et Petrus primâ epiſtolâ capite quinto: Forma facti gregis ex animo. Et ſancti tam auſteri, & rigidi fuerunt in ſeipſis, quia erant dati mundo, & ſectatoribus ſuis in exemplum: & cùm homines viderent ad extremum vitiorum declinâſſe; ipſi ad aliud extremum declinabant, ut eos ad mediocritatem revocarent. Ita legimus Sanctum Franciſcum aliquandò reſpondiſſe. Reliquas item oves non benè paſcit, ſi debiles, & infirmas non confirmat, ægrotas non ſanat, &c. Quod aut ex negligentia prætermittit, aut ex humano timore; aut ſi facit, non eo modo facit, quo debet, cum charitate, prudentia, diſcretione, &c.

Duas omninò conditiones in paſtore deſideravit Dominus; cùm dixit: Fidelis ſervus, & prudens; fidelis, ut tractet oves, non ut ſuas, ſed ut gregem Chriſti; Paſce oves meas, non illis dominando; ſed conſulendo, & providendo. Item reſpiciat eas, ut Chriſti ſponſam, non ut ſuam; neque ut ad ſui, ſed ad Chriſti amorem inducat: alioqui infidelis eſt, & adulter. Deindè ut libertate utatur, & humano timore non impediatur, nè faciat id, quod debet; admonendo, increpando, corripiendo. Alioqui eſt ſimilis illi, qui videt lupum venientem, & fugit. Ad prudentiam verò pertinet diſcretio; ut opportunè omnia faciat, & det illis cibum in tempore, atque habita ratione perſonarum &c. Omnia porrò perficit charitas: ideò dictum eſt Petro; Amas me? paſce oves meas.

Quartò minatur Deus pœnam malis paſtoribus; Requiram gregem meum de manu eorum &c. Undè apparet, quàm ſit periculoſus paſtorum ſtatus, qui debent rationem reddere pro animabus ovium omnium ſuæ curæ commiſſarum, qua de re in ſuperioribus dictum eſt. Incredibili Chriſtus zelo animas amat, & ideò incredibiliter contrà illos accenditur, qui illas minùs benè cuſtodiunt. Sunt enim theſaurus ille, quem ſapiens mercator venditis omnibus comparavit. Ideò dicitur Petro; Amas me? paſce oves meas; quaſi diceret: Non potes magis tuum ergà me amorem oſtendere, quàm oves meas benè paſcendo. *Mali paſtoris pœna.*

Quòd ſi tam graviter minatur Dominus illi, qui etſi non ſit paſtor, ſcandalizaverit

Digitized by Google

tamen unum puſillum, ut ſatiùs foret, ſi alligatâ ad collum aſinariâ molâ in profundum maris demergeretur: quid fiet illi, cui ex officio incumbit ſalvare; ſi cauſa fuerit perditionis, non unius, ſed multorum?

Ovium conſolatio. Quintò, & ultimò ſubjungit Deus conſolationem pro ovibus, quæ à malis reguntur paſtoribus. Ego ipſe, inquit, paſcam oves meas &c. Malus enim paſtor plurimùm obeſt ovibus; nec Iſaias vidit viſionem, niſi poſtquàm mortuus eſt Rex Ægypti; & nè gemendi quidem, quamdiù ille vixit, facultatem liberam habuerunt: & omninò, ut adnotavit Origenes homiliâ primâ & quintâ in Iſaiam, malus Rex impedit, nè Prophetæ videant viſiones Dei, & vaticinari populo poſſint: & ut habet Sanctus Gregorius libro quarto in primum Regum capite ſecundo: [Cùm „ mali præſunt, difficile valdè eſt, ut qui eis „ ſubijciuntur, nulla religionis damna patian„tur.] Cujus rei ex corporibus noſtris exemplum profert Sanctus Chryſ. libro tertio de ſacerdotio: [Caput enim valentiſſimum eſſe „ oportet, ut pravas exhalationes ab inferiori „ reliqui corporis parte ſurſùm aſcendentes diſ„penſare, eaſque ritè, atque ordine compo„nere poſſit. Cùm verò caput infirmum eſt, „ ac fumorum inſultus illos morbificos repel„lere minimè potens, tum fit, ut ipſum etiam „ infirmius reddatur; tum autem reliquum cor„pus ſecum perdat.] Et Sanctus Bernardus ſer. 3. de Epiphaniâ Domini, Herode turbato totam civitatem Hieruſalem adfert fuiſſe turbatam: [Miſera, inquit, planè civitas, in „ qua regnat Herodes. Quoniam Herodianæ „ ſine dubio particeps erit malitiæ; & ad no„væ ſalutis ortum Herodiana movebitur tur„batione.]

Magna tamen ovibus eſt illa conſolatio divina; Ego ipſe paſcam oves meas. Quod pluribus ſanè præſtat modis. Primùm, quia ipſe ſæpè, nè oves abſque ſua culpa damnum patiantur, & pereant; malos dirigit paſtores, ut benè doceant, inſtruant, & regant: quamvis illi fortaſsè hoc neſciant, aut non intendant. Qui enim per aſinam novit docêre Prophetam; cur non noverit per malum Superiorem bonos docêre ſubditos? Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi, qui tamen bonam docebant doctrinam, & quorum mala erat vita, doctrinam bonam tenendam eſſe pronuntiat Dominus.

Secundò, quia ſæpè Deus in bonum ſubditorum vertit malum regimen Prælatorum: in meritum, inquam, patientiæ, atque humilitatis exercitium; dum in bonam partem accipiunt omnia, ſeque à Deo tentari, & probari exiſtimant, aut certè à Superiore; ſicut de illo monacho narrat Climachus gr. 4. quem Superior perpetuò verberabat.

Tertiò, quia bonos ſubditos docet Deus, ut ſi minùs benè à Superiore regantur, illi reſpiciant Chriſtum principalem paſtorem: ſi ille non eſt paupertatis amans, illi Chriſtum intueantur, qui non habuit, ubi caput reclinaret: ſi ille obedientiam non amat, conſiderent illum, qui factus eſt obediens uſque ad mortem &c. Si ſit iracundus, memores ſint manſuetudinis Chriſti; ſi ſuperbus, humilitatis; ſi impatiens, patientiæ; &c.

DE MORTE

LIBER XLIX.

VEREOR, nè ſciolus quiſpiam mortem dicat ad tractationem de virtutibus, & vitijs minimè pertinêre. At ſi ea nec virtus, nec vitium ſit, vitij tamen, & peccati filia eſt, & pœna, peccatique finis, ac terminus, ut noſtræ quoque tractationis de virtutibus, & vitijs finis, terminus, & clauſula eſſe poſſit.

CAPUT I.

Quid mors, & undè.

SI nominis notationem quæras, reſpondebit S. Auguſt. libro 1. Hypogn. à morſu dictam ideoque hoc vocabulum accepiſſe, quòd morſu venenoſi ſerpentis in paradiſo Adam fuerit interemptus. Tunc enim ſerpens morſu decepit Adam, quando per concupiſcentiam mordêre, *Mors quid & cur dicta.*

mordére, hoc eſt, edere ſuaſit illicita; undè & Dominus in Oſeë morti minitans dicit c. 13. Ero mors tua ô mors; ero morſus tuus inferne. Eandem ſententiam habet in ſer. 101. de tempore, & confirmat Sanctus Anſelmus in elucidario: cui adjungit alteram; mortem ab amaritudine dictam, juxtà illud Eccleſiaſtici capite quadrageſimo primo. O mors, quàm amara eſt memoria tua, homini habenti pacem in ſubſtantijs ſuis!

Sin verò rem ipſam, & naturam conſideres (ſi modò privationis, & ejus quod non eſt, res, & natura nominari poteſt) in libro de vita, & morte cap. 14. Ariſtoteles cauſam illius ſpectans potius, eam eſſe caloris extinctionem dixit; quoniam ut vita eſt animæ permanſio in calido, ita caloris extinctio adducit mortem (dixi de hoc pluribus, cùm naturalia tractarem) ex hac caloris extinctione ſequitur mors; animâ ſcilicet corpus, cui afferebat vitam, deſerente, atque ab illo ſeparatâ, relinquenteque corpus mortuum, & vita privatum (de homine loquor: nam in cæteris animalibus extincto calore, anima ſimul cum illo extinguitur) ita Sanctus Auguſtinus in lib. contrà Felicianum capite decimo ſexto mortem ſcripſit nihil eſſe aliud, quàm cum diverſarum rerum conſenſu vitam facientium, velut per diſſidium quoddam ab invicem fuerit facta diſſenſio, & Tertullianus in libro de anima cap. 52. vitæ naufragium appellavit.

Mors duplex. Hinc duplicem Patres omnes agnoverunt mortem, unam corporis, alteram animæ: ſicut enim anima corporis, ita Deus animæ vita eſt. Morſque corporis eſt, cùm illud deſerit anima; mors animæ, cùm eam deſerit Deus, ait idem Aug. lib. 13. de civitate Dei cap. 2. & libro quarto de Trinitate cap. 13. & conc. 2. in Pſal. 70. & quoniam mors nihil eſt, ſed privatio vitæ, & ejus, quod eſt; probavit in primo libro Hypognoſt. Deum non feciſſe mortem, quemadmodùm affirmavit quoque Sapiens in libro Sap. cap. 1. nomen quippè tantùm eſt non habens eſſentiam: quidquid autem ille fecit, eſſentiam habet, & ſpeciem.

Sed quoniam Eccleſiaſticus c. 11. adverſari videtur, cùm ait: Bona, & mala, vita, & mors à Deo ſunt; interpretatur in libro qq. ex veteri teſtamento q. 34. & lib. 5. contrà Julianum. Mortem à Deo, & à diabolo eſſe; ſed alio, atque alio modo. A diabolo tanquam autore, & inſtigatore ad peccatum, propter quod à Deo tanquam judice, & ultore illata eſt homini mors; ut quemadmodùm ratiocinatur S. Amb. in libro de bono mortis c. 3. finem peccandi faceremus: [Si recolamus, inquit ille, „ quòd Deus mortem non fecerit; ſed poſtquàm homo lapſus in flagitium eſt prævaricationis, & fraudis, ſententia eum comprehenderit, ut in terram ſuam terra remearet; „ inveniemus mortem finem eſſe peccati: nè, „ quò eſſet vita diuturnior, eò fieret culpa numeroſior. Paſſus eſt Dominus ſubintrare „ mortem, ut culpa ceſſaret; ſed nè iterùm „ naturæ finis eſſet in morte, data eſt reſurrectio mortuorum, ut per mortem culpa deficeret, per reſurrectionem autem perpetuaretur natura.] Eadem fuit S. Nyſſeni ſententia in or. in funere Pulcheriæ: [Nihil aliud, inquit, eſt mors in hominibus, niſi vitioſitatis „ expiatio. Nam cùm homo à Deo factus immortalis, in peccatum prolapſus eſſet, nè „ vitioſitas nobis inhærens perpetuò duraret, „ providentia meliori, morte vas ad tempus „ diſſolvitur, ut ubi vitioſitas effluxerit, reformetur genus humanum, atque integrum, „ & purum in priſtinum ſtatum reſtituatur. „ Id enim eſt reſurrectio, nempè naturæ noſtræ in priſtinum ſtatum reparatio. Quod „ cùm ſine morte fieri non poſſit, bona res fuerit mors, quæ initium, ac via mutationis in „ melius nobis exiſtit.] Itaque mors tranſitus eſt à corruptione ad incorruptionem, à mortalitate ad immortalitatem, à perturbatione ad tranquillitatem. Propterea mortem ſubjungit Ambroſius ſepulturam eſſe vitiorum, virtutum ſuſcitationem. Et in commentario in Pſalmum 61. Mortem juſto non naturæ finem eſſe, ſed culpæ. Et Sanctus Auguſtinus lib. 1. confeſſ. c. 1. teſtimonium peccati; hominemque dum mortalitatem ſuam circumfert, teſtimonium circumferre peccati ſui.

Mors à Deo, & diabolo.

Alibi verò paſſim peccati pœna nominatur, & ideò in libro 14. contrà Fauſtum cap. 3. peccatum quoque vocari ſcripſit, quia peccati pœna eſt, quâ ut anima mortui eramus propter peccatum, ita & corpore per peccati pœnam morte moreremur. Ita quod dixit Dominus Matth. cap. 8. Sine mortuos ſepelire mortuos ſuos; de hac duplici morte dictum voluit in 4. libro de Trinitate cap. 3. ut corpus mortuum ſepeliendum relinqueretur mortuis per infidelitatis impietatem. *Mors pœna peccati.*

Utrique morti medicina fuit reſurrectio Chriſti. Anima enim per fidem revixit; corpus per reſurrectionem redibit ad vitam, quâ ſimiles ei erimus. Juſtus enim ex fide vivit; & qui ſuſcitavit Jeſum, vivificabit, & mortalia corpora noſtra, Rom. 8. Qui ut à morte nos liberaret, occurrit nobis ad finem quò venimus; ut idem ipſe loquitur cap. 12. Sed non quà venimus. Nos enim ad mortem per peccatum venimus; ille per juſtitiam: & ideò cùm ſit mors noſtra pœna peccati, mors illius facta eſt hoſtia pro peccato; ut dum mors eum voraret, id ipſum illi accideret (ratiocinatur Sanctus Chryſ. homiliâ 24. in priorem ad Cor. epiſtolam) quod illis evenire ſolet, qui gravem aliquem comedunt cibum, quem coquere non poſſunt. Hi enim, & hunc, & *Reſurrectio medicina peccati.*

quem antè comederunt, propter illum evomunt. [Ita enim mors, cùm corpus, quod „ corrumpere non poterat, accepiſſet, etiam „ illa ejecit, quæ comprehenderat; cùm enim „ Chriſtum haberet, dolebat, & affligebatur, „ quouſque illum evomuit, ſolutis doloribus „ mortis, ut ait Petrus Act. 2. Neque enim ulla mulier, quæ filium parit, ita dolet, ut illa, cùm corpus Domini comprehendiſſet, diſtrahebatur, lacerabatur: & quod in Babylonio dracone factum eſt Dan. 14. qui accepto cibo crepuit medius, idem & morti „ accidit;] Quod obiter ſit adnotatum hoc loco. Nam plura de hoc dici poſſent, niſi properarem ad alia.

Mors finis certaminum.

Quippè S. Dionyſius Areopagita in libro de Eccleſiaſtica hierar. c. 7. mortem appellavit finem certaminum, ad quem læti veniebant veteres Chriſtiani, tum quòd à tentationibus, & ſalutis ſuæ periculis liberarentur, atque ad tutum pervenirent portum; tum etiam propter ſpem futuræ reſurrectionis ad fœliciſſimam, & ſempiternam vitam. Et Sanctus Greg. Nazian. in or. de funere patris; Quod navigantibus eſt portus, hoc ijs, qui hujus vitæ procellis agitantur, navigatio eſt in alteram vitam; meliorque eſt eorum conditio, qui ad ſupremum illud hoſpitium jam pervenerunt, quàm illorum, qui ſinuoſum adhuc præruptumque hujus vitæ iter immetiuntur, & or. in laudem Cypriani; [Sanctorum mors, non „ mors, ſed vel ad Deum diſceſſus, vel deſiderij cumulus, vel vinculorum ſolutio, vel „ oneris excuſſio appellanda eſt.] Finem quoque omnium quæſtionum nominavit Tertullianus in libro de Anima c. 50. Et finem laborum, & tranſlationem ad meliora; hoc eſt, ad coronas, & præmia pro pietate certantibus propoſita. Sanctus Joan. Chryſ. hom. 18. ad populum, & hom. 36. & 45. in Gen. & pluribus in locis; & plenam corruptionis conſumptionem, quæ non ſolùm corpus, ſed corporis quoque corruptionem abſumit, dum incorruptibile, & immortale mox reſurgit, hom. 1. de reſurrectione tom. 3. ſed & in concione 2. de Lazaro, præſentem hominis vitam ætatibus quinque conſtantem, comparat fabulæ, quæ actibus quinque abſolvitur, homines enim velut perſonæ ſunt in ſcena, & mors eſt fabulæ finis, & concluſio; quod pluribus verbis tractat. Quiſpiam parùm pius homo, animæque immortalitatem minimè credens, ſed cum corporis morte omnia finiri putans, cùm moribundus jaceret, ad aſtantes converſus dixit: Attollite carbaſum, jam acta eſt fabula. David autem Propheta in Pſal. 141. animam in corpore velut in carcere contemplatus, mortem velut à carcere liberationem poſtulabat illis verbis à Deo; Educ de cuſtodia animam meam ad confitendum nomini tuo. Hoc morte conſequimur. Undè & Hetruſcus Poëta cecinit.

Navigationis portus &c.

Vita noſtra fabula.

La morte è fin d'una prigione oſcura. *Petrarca.*
A gli animi gentili, à gli altri è noia,
Ch'hanno poſto nel fango ogni lor cura.

S. Greg. Nyſſen. in or. de dormientibus, mortem voluit velut obſtetricem eſſe infantibus educendis ex utero matris in hanc vitam; ſic enim ex hac vita mors in ſempiternam educit.

Alijs corpus placuit eſſe ceu animæ veſtimentum, mortemque nihil aliud, quàm veſtimenti depoſitionem. Ita S. Jo. Chryſ. h. 5. ad populum; [Quid eſt, inquit, mors? eſt „ veſtimentum exuere. Tanquam veſtimentum enim corpus animæ circumdatum eſt, „ & hoc brevi per mortem deponentes, clariùs iterùm reſumemus.] Interim, ut loquitur Paulus in poſteriore ad Cor. epiſtola cap. 5. Ingemiſcimus, habitationem noſtram, quæ de cœlo eſt, ſuperindui cupientes. Et rurſum; Ingemiſcimus gravati; eò, quòd nolumus expoliari, ſed ſuperveſtiri, ut abſorbeatur, quod mortale eſt, à vita.

Mors ſomnus, & dormitio.

Denique poſtquam mors per Chriſtum victa, & ſuperata fuit, juſque nobis ad reſurrectionem acquiſitum, mortem omnes dixerunt, non mortem, ſed ſomnum, & dormitionem juſtis eſſe. Cujus duplex apud Areopagitam extat ratio, altera, quòd laborum ſit finis, ſicut animalibus cunctis nocturnus ſomnus finis, & requies eſt diurni laboris, altera propter futuram reſurrectionem, quæ velut excitatio erit à ſomno; ſed ut loquitur S. Jo: Chryſ. conſueto longiore. Et S. Aug. in Pſ. 87. propterà mortuos adnotavit in ſacris litteris non mortuos, ſed dormientes vocitari; quia reſurgentes evigilabunt. Et de Lazaro dixit Dominus Jo. 11. Lazarus amicus noſter dormit; ſed vado, ut à ſomno excitem eum.

Sed & apud S. Amb. in Pſ. 1. altera extat ratio; quoniam ut navigantes, vel etiam dormientes feruntur in portum; ſic vita noſtra curſu latente ad finem deducitur. Ideò Paulus ad Epheſios 5. ſcripſit; Surge, qui dormis, & exurge à mortuis. Tu dormis, ſed tempus tuum ambulat. Si dormis, cor tuum vigilet. Et S. Greg. lib. 12. mor. c. 5. [Mors animæ per peccatum vera mors, & peccator verè mortuus: „ mors carnis, non mors, ſed ſomnus, propter „ reſurrectionis ſpem.] [Morimur quidem „ (ait Chryſ. h. 17. in ep. ad Hebr.) ſed non „ permanebimus in morte, quod nec mori eſt. „ Mortis enim tyrannis, & mors reverà eſt illa, „ quando nunquam permittitur mortuus ad „ vitam reverti: quando verò poſt mortem vivendum erit, & vitam meliorem, non eſt „ mors illa, ſed dormitio.]

Mors, & ſervitus nomina ſola.

Itaque & mortem, & ſervitutem re ſublatas fuiſſe per Chriſtum, & ad nomina tantùm adductas fuiſſe, ratiocinatur in h. 29. in Gen. Immò

Digitized by Google

Immò & nomina ipſa ſublata; quia mortem jam non dicimus, ſed ſomnum, & dormitionem, Jo. 11. & 1. Theſſ. 4. & de ſervitute dictum eſt Jo. 15. Jam non dicam vos ſervos, ſed amicos; & in priore ad Tim. ep. cap. 6. Qui fideles habent dominos, non contemnant, quia fratres ſunt.

Quid plura? Non defuerunt, qui mortem agnoſcerent velut remedium, & cœleſtis medici medicinam humanæ inſolentiæ excogitatam. Audi Tertullianum in libro de anima c. 30. [Oneroſi ſumus mundo, vix nobis elementa ſufficiunt, & neceſſitates arctiores, & querelæ apud omnes, dum jam nos natura non ſuſtinet. Reverà lues, & fames, & bella, & voragines civitatum, pro remedio deputanda, tanquam tonſura inſoleſcentis generis humani.]

CAPUT II.

Mortem non eſſe timendam.

MORTEM ſanè eſſe omnium rerum maximè horribilem, ac timendam, verè affirmavit Ariſtoteles in tertio libro de moribus ad Nicomachum capite ſexto: Eſt enim diſſolutio naturæ, quæ animal vitâ privat, & eo eſſe, quod habet: eſſe autem eſt bonorum omnium fundamentum. Quam ob cauſam nihil amplius homini mortuo eſſe, neque bonum, neque malum, philoſophus idem dixit. Nam etſi is hominis animam immortalem eſſe, & corpori ſuperſtitem intellexit (quod alio loco diſputavi) corporis tamen reſurrectionem & repetitam cum corpore conjunctionem, quâ homo rediret ad vitam, non cognovit, neque voluit à privatione ad habitum fieri poſſe regreſſum. Propterea naturalis eſt animalibus cunctis mortis timor, non opinione, ſed natura, ut in ſermone 34. de verbis Apoſtoli monuit S. Auguſtinus, & Poëta noſter cecinit.

Cur timetur mors.

Naturalmente s'aita
Contra la morte ogni animal terreno.

Quantò magis homo, ratiocinatur idem Auguſtinus, qui ſic fuerat creatus, ut ſi vivere ſine peccato voluiſſet, ſine termino viveret. S.Cyprianus in ſer.de Paſſione Chriſti, Dominum quoque naturalem hunc timorem habêre voluiſſe commemorat, cùm narrante Matthæo c. 26. dixit; Triſtis eſt anima mea uſquè ad mortem: [Audiens hæc ego, ait ille, expavi. Quis enim non timeat, ſi timet ille, quem omnia timent? ſi pavet ille, cui omne genu curvatur? ſi ille, qui mors eſt mortis, & morſus inferni, morte propinquante pertimeſcit? Sed metus ille infirmitatis humanæ communem exprimebat affectum, & generalitatem omnium in carne viventium hoc dolore urgêri, & diſſolutionem corporeæ, ſpiritualiſque naturæ hâc moleſtiâ non poſſe carêre, & hanc pœnam univerſæ ſucceſſioni Adam ſine exceptione impoſitam, ut difficultas extremi tranſitus timeretur.] Hanc nemo anxietatem evaſit, & nemo egrediente anima ſine amaritudine expiravit.

Chriſtus mortem timuit.

Aliam timoris cauſam habet S. Hieronymus in 2. lib. adversùs Pelagium c. 8. propter divinum judicium, quod mortem conſequitur. Ezechiam enim Regem, & juſtum hominem accepto mortis nuntio 4. Reg. c. 20. & Iſ. c. 38. converſum ad parietem audiens fletu magno flentem: [Certè, inquit, juſtus erat Ezechias, & corde perfecto, iturus ad Dominum plorare non debuit. Sed ſi cogitaveris hominem, non miraberis cauſas doloris. Nullus intrepidus vadit ad judicium Domini habens conſcientiam peccatorum.] De Apoſtolo Paulo audi quid S. Joan. Chryſ. dicat h. 6. in priorem ep. ad Cor. cùm enim ille dixiſſet; Et ego in infirmitate, & timore, & tremore multo fui apud vos; infirmitatem perſecutionem interpretatur, cui timorem, & tremorem multum adjungit. [Nam licèt Paulus eſſet, homo tamen erat. Neque hoc Pauli peccatum eſt, ſed naturæ infirmitas. Laus autem voluntatis eſt, quòd cùm mortem, & plagas formidaret, in nihil tamen ſe indignum metus cauſa prolapſus, &c.] Quare qui dicunt plagas eum non timuiſſe, non modò nullo eum honore afficiunt; ſed multum ex illius laudibus auferunt. [Diem mortis, inquit S. Aug. epiſtolâ 120. ad Honoratum c. 6. omnes quidem affuturum ſciunt; eum tamen omnes aut penè omnes differre conantur, etiam qui poſt mortem ſe beatiùs credunt eſſe victuros. Tantam habet vim carnis, & animæ dulce conſortium. Nolumus enim ſpoliari, ſed ſuperveſtiri.]

Secunda timoris cauſa.

At homini divina Chriſti fide imbuto, non ſolùm non timenda, quin optanda potiùs eſt mors. S. Cypr. in ſer. de mortalitate: [Ejus, inquit, eſt mortem timêre, quia ad Chriſtum nolit ire; ejus eſt ad Chriſtum nolle ire, qui ſe non credit cum Chriſto incipere regnare.] Et iterùm; [Mori timeat, qui ex aqua, & ſpiritu non renatus, gehennæ ignibus mancipatur; mori timeat, qui non Chriſti cruce, & paſſione cenſetur; mori timeat, qui ad ſecundam mortem de hac morte tranſibit; mori timeat, quem de ſæculo recedentem perennibus pœnis æterna flamma torquebit; mori timeat, cui hac mora longiore confertur, ut cruciatus ejus, & gemitus interim differatur.] Et rurſum ſub finem: [Si in Chriſtum credimus, fidem verbis, & promiſſis ejus habeamus; ad Chriſtum, cum quo & victuri, & regnaturi ſemper ſumus, læta ſecuritate veniamus.] Et iterùm poſt multa: [Si in habitaculo tuo parietes vetuſtate nutarent, tecta

Optanda potiùs mors.

Digitized by Google

„ tecta deſuper tumerent, domûs ruinam pro-
„ ximam minaretur; nonnè omni celeritate
„ migrares? Si te navigante turbida, & pro-
„ celloſa tempeſtas fluctibus vi venti excitatis,
„ prænuntiaret futura naufragia; nonnè por-
„ tum velociter peteres? Mundus ecce nutat,
„ & labitur, & ruinam ſui, non jam ſenectute
„ rerum, ſed fine teſtatur: Et tu non Deo
„ gratias agis, non tibi gratularis, quod exitu
„ maturiore ſubtractus, ruinis, & naufragijs, &
„ plagis imminentibus exuaris?] Et S. Auguſtinus ſer. 35. de verbis Apoſtoli, ex naturali timore fortitudinem commendat martyrum: [Si nulla, inquit, eſſet mortis amari-
„ tudo, non eſſet magna martyrum fortitudo.] Et in libro de diſciplina Chriſtiana cap. 2. non timendam eſſe mortem probat: [Quia ti-
„ meam, vel non timeam, omninò ventura
„ eſt; & ſi timeam, non efficiam, ut non ſit,
„ quod timeo. Peccatum potiùs timeam, quod
„ eſt in mea poteſtate.]

Irriſit aliquando Chriſtum Celſus Judæus; qui ſi mortem ſuam prævidit, non eam vitaverit, ſed reſpondit Origenes libro 2. contrà ipſum; Socratem quoque cùm venenum ebiberet, moriturum ſe præſciviſſe, potuiſſeque, ſi Critoni crediciſſet, carcerem exeundo nihil pati; ſed maluiſſe ut philoſophum mori, quàm non philoſophicè in poſterum vivere. Et Leonidam Lacedemoniorum præfectum, qui ubi ſe vidit cum his, qui ſecum eſſent, moriturum, non illud curavit, ut turpiter viveret, ſed ſocijs præfatus eſt; Eia comites, prandeamus ut paulò poſt apud inferos cœnaturi. Addit Paulum Apoſtolum, qui Act. 21. præmonitus, & rogatus nè aſcenderet Jeroſolymam, ubi alligandus, & gentibus tradendus à Judæis erat, reſpondit; Quid facitis flentes, & affligentes cor meum? Ego enim non ſolùm alligari, ſed & mori paratus ſum, propter nomen Domini Jesu. Addit & martyres, qui mori maluerunt, quàm fidem negando mortem evadere. Et in libro de incarnatione verbi, ejuſque corporali ad nos adventu, mortem adfert Sanctus Athanaſius per Chriſtum ſuperatam, deincepſque vel etiam à pueris, puelliſque contemptam. Et Sanctus Nazianzenus in or. de funere patris, nomine potiùs, quàm re formidabilem mortem dicit: una enim mors eſt peccatum, animæ interitus; corporis mors, velut nocturnum viſum, veris rebus impoſturam faciens, & fallax animæ ſpectrum; non mortem, ſed mortis umbram, & ſimilitudinem eſſe, ex Pſal. 22. Etſi ambulavero in medio umbræ mortis, adnotavit S. Nyſſenus in or. in diem Aſcenſionis. Et S. Jo. Chryſ. hom. 5. ad populum. [Pue-
„ rilem, ait, timemus pavorem, mortem ti-
„ mentes. Pueri enim parvi larvas timent, ig-
„ nem non timent; ſed ſi ad lucernam portari
„ contingat, manum immittant lucernæ, &
„ flammæ, ſic & nos timemus mortem, quæ
„ larva eſt contemptu digna; peccatum verò
„ non timemus, quod eſt verè timendum, &
„ velut ignis conſcientiam comedit.]

S. Nyſſenus in orat. catech. c. 8. mortem agnovit inſigne Dei beneficium: quia melius eſt non eſſe, quàm eſſe in doloribus, & miſerijs, quas hic viventes experimur. Et in or. de dormientibus; quoniam verum bonum in præſenti vita non conſiſtit, mortem conficit ſejunctionem non eſſe ab ullo bono, & ideò expetendam; quia qui à non vero bono recedit, ad verum illi contrarium bonum accedit. Sed nobis familiarem, & domeſticam ſemper eſſe ratiocinatur. Nam & præteriens vita ad futurum perpetuò contendit, neque ad præteritum unquam revertitur, nec homo eſt idem hodiè, qui heri fuit, & aliquid ex eo momentis ſingulis moritur, ac fœtet, & abijcitur, cum terrum natura fœtorem ex corpore tanquam fumum ex aliqua domo efferat, ac terræ tradat. Undè Paulus dicebat in priore ad Corinthios capite decimo quinto. Quotidiè morimur. Ipſi ſomnus, & vigilia, quid aliud ſunt, quàm mortis, & vitæ complexus? quid igitur eſt in ea timendum?

Vel ipſi agrorum, ac terræ cultores argumentum nobis ſuppeditant, ut adnotavit S. Jo. Chryſ. in commentario ad Pſalmum 48.
„ [Quemadmodùm enim agricola, cùm videt
„ frumentum diſſolvi, & interire, non mœro-
„ re afficitur, ſed exultat maximè, & lætatur;
„ ſciens fore, ut ille interitus ſit ortûs melioris
„ principium, & majoris fertilitatis fundamen-
„ tum; ita & juſtus, quando viderit mortem
„ antè oculos ſitam, non angitur, nec affli-
„ ctatur; ſcit enim mortem ijs, qui rectè vi-
„ xerunt, eſſe migrationem, & tranſitum ad
„ meliora, & curſum ad accipiendas coronas.] Plura quoque mortis commoda adfert in com. ad Pſal. 110. Et ex mercatoribus ratiocinatur in Pſal. 111. [Si enim mercatores, qui do-
„ mum multa onera præmiſerunt, properant
„ quotidiè vidêre ſuas divitias; multò magis,
„ qui in cœlis omnes ſuas facultates anteà de-
„ poſuit, volet à rebus præſentibus avulſus ad
„ futura feſtinare.] Et hom. 32. in Matth. propterea non eſſe timendam concludit, quia ad conditionem ſomni jam redacta eſt. Et h. 36. quoniam non mori malum eſt, ſed malè mori. Et homiliâ decimâ ſextâ operis imperfecti. [Quia homo plùs vivit poſt mortem,
„ quàm antè mortem: nam antè mortem in
„ tentatione vivit; poſt mortem autem in glo-
„ ria.] Quam ob cauſam homiliâ 82. in Jo. mortem dixit non timendam nobis, qui aliam ſperamus vitam; ſed illis, qui nihil aliud expectant. Atque ut multa paucis colligam, copioſè hunc locum habes tractatum hom. 6. de laudibus

Digitized by Google

laudibus Pauli, & h. 5. ad populum. Et hom. 4. in ep. ad Philip. quadam ex parte timuiſſe ſe mortem fatetur idem Chryſ. alia verò non timuiſſe: [Mortem, inquit, horremus om-„ nes. Iſti quidem propter peccatorum mul-„ titudinem, quorum ipſe unus ſum. Illi verò „ propter vitæ cupiditatem, & moriendi labo-„ rioſam miſeriam, quorum ego nunquam „ fuero.] Animales enim ſunt, qui hoc timore tenentur, quos in hom. 5. ad populum his planè verbis convenit: [Miles, inquit, es, „ & in conflictu ſemper conſtitutus; miles „ verò mortem timens, nunquam generosè „ ſe geret. Ità neque Chriſtianus pericula ti-„ mens, magnum quid, & admirabile exhibe-„ bit, ſed facilè expugnabitur.]

Cur mors timeatur. Cur autem mors timeatur à plurimis, quadruplicem adfert cauſam in homiliâ ſextâ, primam, quia cœleſtis regni nos amor non ſuccendit; ſecundam, quia gehennæ timor occupavit; tertiam, quia conſcientiam non habemus bonam; quartam, quia non vivimus in aſperitate Chriſtianis congrua; ſed facilem hanc & ſolutam, & mollem amamus vitam. Ad montium vertices aſcende; conſidera illic morantes Monachos in ſacco, in vinculis, in jejunijs, in tenebris incluſos, & omnes videbis mortem exoptantes, & illam requiem advocantes votis. In rigida enim, & aſpera vivens vita finem deſiderat, ut præſentibus eripiatur laboribus, & pro repoſitis valeat coronis confidere, ad tranquillum navigans portum, ubi non eſt ampliùs timendum naufragium. Propterea Deum affirmat laborioſam hic vitam, & gravem conſtituiſſe, ut præſenti tribulatione compulſi futuram deſideraremus. Nam & Judæos olim volens in Ægypti odium, & patriæ deſiderium inducere, permiſit eos lateritio opere, & luto laborare, ut cruciati clamarent ad Deum, & reditum poſtularent.

Denique vel etiam moralis Philoſophus Seneca epiſtolâ vigeſimâ quartâ non ſolùm non timendam voluit mortem, ſed beneficio ejus anteferendum nihil. Et epiſt. 30. dementis eſſe hominis eam timêre. Nam certa expectantur, dubia metuuntur; mors verò neceſſitatem habet; & epiſt. 36. nec infantes, nec mente lapſos timère mortem, turpiſſimamque eſſe, ſi eam ſecuritatem nobis ratio non præſtet, ad quam ſtultitia perducit, ſed & in 5. de beneficijs libro c. 17. ingratos nos omnes eſſe voluit, qui non ſine querela morimur. Quis enim non gemens exit? Ingrati verò eſt, non eſſe contentum præfato tempore. Plutarchus verò in lib. de Ei apud Delphos, ridiculos nos eſſe pronuntiavit, qui mortem timeamus: quippè ſolius Dei proprium eſt eſſe: nos autem dum propè per totam mutemur vitam, perpetuò, & ſingulis momentis morimur. Lege librum de conſolatione ad Apollonium.

CAPUT III.

De Mortis genere, & hora.

MORIMUR autem aut infantes, & pueri, aut juvenes, aut ſenes. Mors infantium, ac puerorum immatura eſt, juvenum acerba, ſenum naturalis, Sancti Anſelmi judicio in Elucidario; ſed ut ſapienter in epiſtola ſeptuageſima prima ratiocinatur Seneca, mors vitæ noſtræ velut navigationis portus eſt. Portus autem aliquando petendus eſt, nunquam recuſandus. In hunc ſi intrà primos annos deferaris, non magis queri debes, quàm qui citò navigavit. Alium enim venti ſegnes ludunt, ac ditinent, & tranquillitatis lentiſſimo tædio laſſant. Alium pertinax flatus citiſsimè perfert.

At naturalis mors ea ſemper cenſenda eſt, quæ caloris defectu evênit, quacumque ætate deficiat: & quicumque fuerit annorum vitæ numerus, ubi calor defecerit, hominis illius ſenium eſt. *Naturalis mors quæ.*

Cæteræ verò mortes omnes violentæ judicantur, & præter naturam, quæ non ab hoc interno, ſed ab alio externo principio, & adveniente cauſa, & vi oriuntur. Mortem hanc violentam ab externa profectam cauſa prodeſſe animæ ſcripſit Anſelmus; quia ſi quid peccati contractum ſit per humanam fragilitatem, relaxatur per mortis acerbitatem. *Quæ violenta.*

Sanctus Maximus Taurinenſis Epiſcopus de Sancto Laurentio Martyre dixit homiliâ ſecundâ. [Aduſtio illa membrorum fidelis „ animi erat æterna purgatio. Verè incom-„ parabile ſalutaris fidei Sacramentum; quo „ per tormenta beatitudo quæritur, & flam-„ mis refrigerium præparatur.] Et Origenes homiliâ decimâ quartâ in Levit. quærens, cur qui Deum maledixiſſet, peccatum tantum habêre dicatur Levit. 24. qui autem nominâſſet, morte mulctandus ſit; reſpondet, gravius eſſe peccatum, quàm mortem; quia mors, quæ pœnæ cauſâ infertur pro peccato, purgatio eſt peccati, pro quo jubetur inferri. Et tractatu octavo in Matthæum, Ananiam, & Saphiram ait Act. 5. punitos in hoc ſæculo à Petro fuiſſe, ut mundiores exirent ab hac vita, mundati caſtigatione ſibi illata per mortem communem.

Sed ſive citiùs, ſive tardiùs, ſive hac, ſive illa morte moriaris, nihil refert, ait Sanctus Auguſtinus libro primo de civit. Dei cap. 11. „ [Quid enim intereſt, quo mortis genere vi-„ ta iſta finiatur, quando ille, cui finitur, iterùm „ mori non cogitur? Cùm autem unicuique „ mortalium ſub quotidianis hujus vitæ caſibus innume-

Digitized by Google

„ innumerabiles mortes comminentur, quandiù incertum eſt, quænam earum ventura „ ſit; utrùm ſatius eſt unam perpeti moriendo, an omnes timêre vivendo?] Omninò mala mors putanda non eſt, quam bona vita præceſſerit, neque enim malam mortem facit, niſi quod ſequitur mortem.

Mortis hora. At non minùs verum illud in libro de ſpiritu, & anima c. 31. [Nihil eſt morte certius, „ & nihil incertius horâ mortis.] Quod etiam habet in lib. de contritione cordis c. 1. (adde & genere mortis) nam neſcimus quando, aut quomodo, aut ubi moriemur; quoniam mors ubique nos expectat. Idcircò ſemper debemus eſſe parati, ut cùm corpus revertetur ad terram, de qua ſumptum eſt, ſpiritus redeat ad eum, qui dedit illum. Et com. ad Pſal. 38. „ [Omnia incerta in hac vita;ſola mors certa.] Itaque S. Proſper exponens Pſalmum 100. propterea dixit tempus hujus vitæ eſſe tempus noctis, & ignorantiæ, quia nullus ſcit,in quem finem ſit venturus.

Cur incerta. Cur autem tantoperè voluerit Deus horam hanc eſſe nobis occultam, meritò Patres quæſierunt; omneſque propter noſtrum bonum atque utilitatem factum eſſe non dubitârunt. Lactantius in libro de opificio Dei c. 4. [Si „ mors, inquit, certæ conſtituta eſſet ætati, „ fieret homo inſolentiſſimus, & humanitate „ omni careret. Nam ferè jura omnia huma„ nitatis, quibus inter nos cohæremus, ex me„ tu, & conſcientia fragilitatis oriuntur.] Et Auguſtinus in Pſalmum 144. [Magna ejus „ miſericordia & in hoc, quod diem vitæ tibi „ incertum fecit, ut neſcias quando hinc emi„ grabis: ut cùm quotidiè ſperas, te aliquan„ do convertas. Si ſtatuiſſet diem, omnibus „ faceret abundare peccata de ſecuritate.] Et Sanctus Gregorius Papa lib. 12. moral. c. 20. „ [Deus latêre nos voluit finem noſtrum, ut „ dum incerti ſumus quando moriamur, ſem„ per ad mortem parati inveniamur.] Et h. 17.in Ezech. [Eſſe nobis conditor noſter diem „ mortis noſtræ incognitum voluit, ut dum „ ſemper ignoratur, ſemper eſſe proximus cre„ datur: Et tantò quis ferventior ſit in opera„ tione, quantò & incertus eſt de vocatione.] Et hom. 12. in Evangelia: [Si ſciret quiſque „ de præſenti ſæculo quo tempore exiret; a„ liud tempus voluptatibus, aliud pœnitentiæ „ aptare potuiſſet. Sed qui pœnitenti veniam „ ſpopondit, peccanti diem craſtinum non „ promiſit. Semper ergò extremum diem de„ bemus metuere, quem numquam poſſumus „ prævidêre.] Et h. 13. [Horam ultimam „ idcircò Dominus voluit nobis eſſe incogni„ tam, ut ſemper poſſit eſſe ſuſpecta, ut, dum „ illam prævidêre non poſſumus, ad illam ſi„ ne intermiſſione præparemur.] Et S. Athanaſius in orat. 4. contrà Arianos: [Deus no„ luit, nos ſcire diem mortis, & finis mundi, „ nè tempora intermedia neglectim habean„ tur, & comperendinationibus utantur ho„ mines, uſque ad dies fini conterminos.] Et in qq. ad Antiochum q. 28. majorem hominum partem noctu naſci obſervat, & noctu mori, ut obſcuram eſſe diſcamus præſentis vitæ nativitatem, & mortem. Et Sanctus Jo. Chryſ. h. 50. in Gen. [Diem mortis noſtræ „ incertum eſſe voluit Dominus, ut nos præ„ pararet continua ſobrietate, & vigilantia, „ & ita magis ad virtutum ſtudium provoca„ ret.] Et rurſum h. 23. in Acta. [Idcircò „ voluit Deus incertum eſſe quanto tempore „ duraturi ſimus, ut expectatione incerta vir„ tutem amplexemur ſemper.] Et h. 22. in poſteriorem epiſtolam ad Cor. [Nè mortem „ noſtram differendo pœnitentiam difficilio„ rem faciamus,incerta relicta eſt.] Ac demùm homiliâ nonâ in priorem ad Theſſ. tres complectitur cauſas; primam quia ſi ſciremus diem mortis, aut finis mundi, nemo virtutis curam haberet; ſed poſtquàm innumera perpetraſſet mala, tum demùm ad pœnitentiam converteretur; ſecundam quia ſi ſciret homo ſceleſtus ſe cras moriturum, nihil hodiè non auderet; ſed quos vellet, occideret, & omnia mala perpetraret; tertiam quia qui vitæ hujus cupidi ſunt, ſcientes ſe poſt tempus certum morituros, mœſtitia, ac dolore nimio interìm conſumerentur: ſtrenui autem viri virtutis ſuæ mercedem, & laudem non haberent; quippè dicerent cæteri, illos periculis ſe exponere, quòd ſcirent ſe hoc tempore non morituros.

Diſputavit aliquando Seneca in ep. 24. An ſint præmeditanda futura mala. Stultum enim eſt, inquit, quia quandoque ſis futurus miſer, eſſe jam miſerum; ſed optimum omninò fuit, & ſalutare maximè illorum conſilium, qui crebram mortis meditationem, ac ſubindè repetitam memoriam conſuluerunt, quò nos ad mortem quandocumque venturam præpararent. [Hæc ſolicitiſſima meditatio (in„ quit Sanctus Leo Papa in extremo ſermone „ quinto de jejunio ſeptimi menſis) ſapientis „ eſſe debet, ut quoniam breves dies iſtius vi„ tæ, & incerta ſunt ſpatia, numquam ſit „ mors improviſa morituro, nec inordinatum „ incidat finem, qui ſe novit eſſe mortalem.] Et S. Anſelmus ep. 113. ad Garnerium lib. 3. „ [Qualem te deſideras inveniri in diebus obi„ tûs tui, talem te quotidiè ſtude exhibêre; & „ ſemper quaſi cras moriturus, hodiè te præ„ para ad reddendam rationem vitæ tuæ, & „ ſic de virtute in virtutem proficies.] Nihil enim Sancti Auguſtini teſtimonio in ſecundo libro Geneſi contrà Manichæos c.28. ſic revocat hominem à peccato, quemadmodùm imminentis mortis cogitatio, quam non ſolùm *Mortis memoria.*

ſuperbiæ

Digitized by Google

ſuperbiæ, verùm etiam generaliter vitiorum omnium peremptoriam appellavit Joan. Caſſianus in libro de ſpiritu ſuperbiæ c. 33. & in collat. 16. Abbatis Ioſeph c. 6.

CAPUT IV.

Moribundis hominibus datam ſemper fuiſſe Eucharistiam.

Boni cur moriantur.

BONOS, ac juſtos viros mori plurimùm videmus, malos, & injuſtos vivere. Triplicem Sanctus Gregorius rationem habet in tertio dialogorum libro c. 37. dum ait: [Moriuntur boni, quia malitia remanentium meretur, ut hi, qui prodeſſe poterant, feſtinè ſubtrahantur. Et cùm mundi finis appropinquat, electi tolluntur, nè deteriora videant. Prætereà vivi lapides colliguntur, ut cœleſtis Ieruſalem conſtructio excreſcat.]

Eucharistia moribundis.

Jam verò de morientibus multa dicenda eſſent, in pauca contraham: Primum illud erit, quod antè noſtri temporis hæreticos, à nullo legimus negatam unquam ægrotis, ac moribundis Euchariſtiæ Communionem. Extant innumera Patrum teſtimonia; & inter cætera illud eſt ſingulare, quod de Serapione narrat Euſebius ſub finem libri ſexti hiſtor. qui omninò mori non potuit, antequam eam reciperet; & ægrotante presbytero, allata ad eum fuit à puero. Et illud apud Sanctum Joannem Chryſoſtomum libro ſexto de Sacerdotio: fuiſſe cuidam Sancto viro revelatum à Deo, animas eorum, qui antè mortem Euchariſtiam ſumpſiſſent, ab Angelis illicò in cœlum abduci: Idem extrema h. 1. in Acta, eos quidem reprehendit, qui baptiſmum ad mortem uſquè differrent; ſed illos teſtatur, & baptiſmum, & Euchariſtiam tunc accepiſſe.

Eucharistia Viaticum.

Romulam moribundam petijſſe viaticum, & accepiſſe, teſtatur Sanctus Gregorius homiliâ quadrageſimâ in Evang. & Sanctum Benedictum moriturum exitum ſuum Dominici corporis, & ſanguinis perceptione muniviſſe; lib. 2. dial. c. 37. & Spem Abbatem lib. 4. c. 10. & Joannem c. 35. & omninò morientium viaticum appellat 7. lib. regiſtri c. 1. & 62. & lib. 11. c. 50. Quod excommunicatis moribundis non vult negari. Et Sanctus Ambroſius in prima precatione antè miſſam: [Manducet te, inquit, peregrinus homo, nè deficiat in via, tali recreatus viatico.] Et ipſum ſcribit in ejus vita Paulinus accepto Domini corpore, ſtatim obijſſe. Et Sanctus Anſelmus ad caput decimum epiſtolæ ad Hebræos. [Sumunt fideles, ut viaticum carnem Chriſti, ut de hac vita recedentes, ingrediantur januam cœli.] Quod etiam habet S. Chryſ. hom. 24. in priorem ep. ad Cor. In eandem ſententiam plurima fuerunt in Concilijs decreta, in Ancyrano c. 6. Niceno can. 13. Arauſicano c. 3. Agathenſi c. 15. Carthag. 4. c. 76. & 77. Tibur. c. 31. & ex Vormacienſi adfert Gratianus decretum cap. Presbyter, de conſec. d. 2. ut pro infirmis habeat ſemper presbyter Euchariſtiam paratam, nè ſine Communione moriantur. Dumque moribundis dabatur, vocabatur ὁδοιπόρειον in Concilio Ancyrano, & ἐφόδιον in Niceno, ὁδοιπόρειοι enim apud prophanos ſcriptores mercedem ſignificat, & donum, quod itineris comiti datur; & ἐφόδειον auxilium viæ. Sanctus Cyprianus in ſermone de mortalitate commeatum appellavit, confirmans, conſueviſſe illos, qui ex hac vita diſcedebant, commeatum petere: & in Concilijs ferè vocatur Viaticum, eadem quidem ſignificatione; ſed ni fallor imitatione, & vocis traductione à veterum conſuetudine; qui ut eſt apud prophanos autores, cœnas habebant viaticas; hoc eſt poſtremas, quas cum amicis faciebant illi, qui erant diſceſſuri, quemadmodùm apud Plautum Bacchides. *Viaticum cur dictum.*

Ego ſorori meæ cœnam hodiè dari volo viaticam. hoc eſt, talem, ut ampliùs non comedat. Chriſtus dum in ultima cœna hoc inſtituit Sacramentum, & hanc viſus eſt conſuetudinem ſervare; nam & dixit; Non bibam de hoc genimine vitis: & ſatis apertè docêre, ſe hoc Sacramentum inſtituere, quod ægrotis ex hoc mundo diſceſſuris velut viaticum daretur, ſicut & ipſe ex hoc mundo, & à diſcipulis ſuis diſceſſurus ad Patrem ſumpſit, antequam moreretur, & diſcipulis dedit, ut eos ad mortem propter ipſum tolerandam corroboraret; ex cujus imitatione conſuetudo Eccleſiæ derivata videtur, quæ dat moribundis, ut eos ad mortem confirmet.

Illis verò, qui ad ſupplicium ducuntur, eam negant Hiſpani: quibus dum indignantur Sotus, atque Victoria, zelum excuſant, & ignorantiam. Sed non eſt cur negetur, eandem enim ob cauſam, quâ cæteris, poteſt & illis tanquam viaticum dari, ſive jejuni ſint, ſive non jejuni. Jus namque cæteris, qui moriuntur, ad hoc Sacramentum, non eſt, quia mors ſit naturalis; ſed quia migrant, & ſunt in via ex hoc mundo ad alium profecturi. At idem jus habent & illi, etſi mors futura ſit violenta. Extat de hoc decretum, cap. Quæſitum eſt 13. q. 2. & favet ultimus de his, qui ſuſpenduntur in patibulis, Vormacienſis Concilij Canon; qui non minus, quàm cæteris de peccatis ſuis confeſſis, & pœnitentibus, his quoque miſeris communionem, & in Eccleſia ſepulturam concedit. Quòd ſi vomitus timeatur, vel omitti poteſt, ut & in quibuſdam infirmitatibus; vel tanto tempore antevertere mortem, ut Sacramentales ſpecies conſumi poſſint. Videant ergò judices, ut decenter *De ſupplicio affectis.*

Digitized by Google

communicare poſſint, ad quod Eccleſiaſticis quoque cenſuris compellendi eſſent.

Euchariſtiam deferre.

Porrò dum ad moribundos, & omninò ægrotos Euchariſtia deferenda eſt: nunc ſanè in plerîſque locis ſignum campana datur, pluſrimuſque populus, & nobiles viri conveniunt ad templum, ad deducendam ad moribundum, reducendamque ad templum Euchariſtiam, & Principes interdum, & Reges ipſi hac in re pietatem, ac religionem ſuam teſtati ſunt. Olim tamen non ita. Sanctus Hieronymus in extrema epiſtola ad Ruſticum Monachum, laudat plurimùm Exuperium Toloſæ Epiſcopum; quòd omni ſua ſubſtantia in pauperes erogata, in ſumma viveret paupertate, atque in viminea ciſtula,& vitreo vaſe Corpus Chriſti portaret, & Sanguinem. [Nihil, inquit, „ illo ditius, qui Corpus Domini caniſtro vi„ mineo, ſanguinem portat in vitro.]

Euchariſtia utraque ſpecies.

Euchariſtia quippè eo tempore laicis quoque dabatur ſub utraque ſpecie. Et quoniàm vini ſpecies non poterant diù conſervari, & Sanguinem ægrotis, ac moribundis dare, aut etiam ad abſentes, & in carcere detentos deferre, difficile erat, & effuſionis periculoſum: propterea factum eſt, ut particula intincta portaretur, nè illi altera ſpecie fraudarentur. Hanc enim opinor fuiſſe cauſam, ut in Miſſæ Sacrificio Euchariſtiæ fractæ particula mitteretur in Calicem, ut utraque ſpecies quoquo modo aut ad abſentes mitteretur, hoc eſt, ad ægrotos, & moribundos, atque in carcere detentos, aut pro moribundis in Eccleſia conſervaretur.

Ad Diaconum porrò pertinebat ſanguinis calicem communicantibus diſtribuere, atque eundem ſolitum fuiſſe ſervare intinctam Euchariſtiam, atque ad abſentes, & moribundos ferre, tradidit Sanctus Juſtinus in apologia ſecunda pro Chriſtianis; quod ſanè ſine ulla pompa fiebat. Immò & Acolythum aliquando portâſſe, cognoſcimus ex Beda, qui in ſuo martyrologio, decimo octavo Calendas Septembris, Tarentinum Acolythum occultè narrat Euchariſtiam geſtâſſe, & ab obvijs paganis fuiſſe propterea cæſum; nec tamen repertam Euchariſtiam, & laicos quoque homines, ac fœminas: quod magnoperè condemnatum fuit in Concilio Remenſi apud Gratianum, cap. Pervenit. de conſec. d. 2. Et verò etiam pueros, ut vidêre eſt in hiſtoria Serapionis apud Euſebium. Sed nunc ſolus presbyter, & Sacerdos defert, atque ægroto porrigit communionem; quemadmodùm in dicto cap. Pervenit. decretum eſt.

Euchariſtia in navi.

Denique non moribundis modò data eſt ſemper Euchariſtia, ſed & qui magnum ingrediebantur periculum, eam ſecum portabant, nè in vitæ diſcrimine ſine illa morerentur. Ita de navigantibus tradit Sanctus Ambroſius in oratione de obitu Satyri fratris: [In „ naufragio, inquit, conſtiturus, nè vacuus „ myſterijs exiret è vita, divinum illud fidelium Sacramentum popoſcit, ut fidei ſuæ „ conſequeretur auxilium.] Et Maximinus Epiſcopus Syracuſanus apud Sanctum Gregorium libro quarto dialog. capite trigeſimo ſexto, gravi maris tempeſtate jactatus, cum omnibus, qui cum ipſo erant, Corpus, & Sanguinem Domini acceperunt.

Euchariſtia Martyribus & mortuis.

Et martyres Sanctus Cyprianus epiſtolâ ſecundâ ad Cornelium Euchariſtiâ vult armari, antequam ad martyrium accedant. Verùm quod magis mirum vidêri poſſit, mortuis quoque aliquando data eſt. Putârunt enim aliqui non minùs neceſſariam Euchariſtiam eſſe, quàm Baptiſmum, quia ut Joannis tertio capite dicitur; Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei; ita ſubjungit cap. 6. Niſi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Quare,ut aliqui propter illa Pauli verba in priore epiſtola ad Corinthios capite decimo quinto. Quid facient, qui baptizantur pro mortuis? mortuos baptizabant, ſic alij propter illa Joan. 6. dabant illis Euchariſtiam, ſed hi condemnati fuerunt in Concilio 3. Carthag. c. 6. & Antiſiodor. c. 12. & 6. Synodo generali c. 83. & utrumque reprehendit Sanctus Joannes Chryſoſtomus homiliâ primâ in Acta, verbis illis; [Nondum commemoro, quòd „ etiam mortuis infuſa eſt aqua, & quòd San„ cta projecta ſint in terram;] hoc eſt Euchariſtia mortuis data.

CAPUT V.

De extrema morientium unctione.

SED de hoc ſatis. Præter Euchariſtiam uncta etiam fuerunt oleo morientium corpora; ex Chriſti ſcilicet, & Apoſtolorum inſtitutione. Namque Apoſtoli, Chriſto doctore, ungebant oleo multos ægros, & ſanabantur, ut habemus Mar. cap. 6. quo ſanè oleo non utebantur ad ſananda corpora, tum quia oleum vim non habet curandi omnia morborum genera, tum quia putâſſent fortaſsè homines, ſe naturali virtute curatos; tum etiam alij quoque homines naturali hac olei virtute uti potuiſſent; ſed magis ad curandas animas; quod apertè Jacobus Apoſtolus in epiſtola ſua canonica ſignificavit c. 5. cùm dixit; Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus; &, ſi in peccatis ſit, remittentur ei.

Unctionis Sacramentum.

Propterea parentes ſcripſit S. Joan. Chryſ.

libro

Digitized by Google

libro tertio de Sacerdotio, in præſentem, Sacerdotes in vitam æternam generare. Illos corporalem interitum à liberis amoliri non poſſe, neque ingruentem morbum propulſare: hos laborantem, ac jam morti propinquam animam ſervare; non doctrinæ, & commonitionis, ſed etiam precum ſubſidio. Neque enim ſolùm cùm nos regenerant (baptiſmi ſcilicet Sacramento) ſed etiam poſteà condonandorum nobis peccatorum facultatem obtinent; quod ex his Jacobi verbis confirmat. Itaque duo prorsùs aſſerit; alterum unctionem condonandi peccata vim habere; alterum non minùs eſſe Sacramentum, quàm baptiſmum, nec minùs ex ea, quàm ex baptiſmo, ſacerdotalem dignitatem demonſtrari.

Non eſt hic locus cum hæreticis diſputandi. Video tamen Sanctum Bernardum in vita Malachiæ narrantem; hominem illum ſanctiſſimum magnoperè doluiſſe, mulierem quamdam abſque hoc Sacramento obiiſſe; quòd per illud ſciret peccata remitti. Et Sanctum Auguſtinum in ſecundo libro de viſitatione infirmorum capite quarto, propoſitis illis Jacobi verbis; unctionem hanc typicam appellâſſe Spiritus Sancti unctionem, hoc eſt, internæ Spiritus Sancti unctionis Sacramentum. Denique cùm cæremoniam quampiam contineat ſoli Sacerdoti commiſſam, quæ & peccata remittat, & conferat gratiam, negari non poteſt, eam Sacramentum eſſe.

Unctionis miniſter. Sacerdotis autem nomine, tum ſimplicem Sacerdotem intelligas, tum Epiſcopum: Utrumque Jacobus presbyteri, ſeu ſenioris voce comprehendit. Olim Epiſcopi ut carceres, & Xenodochia viſitabant, ita & ægrotos, & illis dabant hoc Sacramentum. Quod de Malachia teſtatur Sanctus Bernardus, & Innocentius Primus à Decentio de hoc interrogatus, dum reſpondit in epiſtola ad ipſum c. 8. Et habet Gratianus cap. Illud ſuperfluum. d. 95. presbyteros dare, quia interdum Epiſcopi gravioribus rebus occupantur, Epiſcopos ſignificavit ſolitos fuiſſe dare. Et Gratianus cap. Presbyteros. d. eadem, permitti, ait, presbyteris oleo ſanctificato infirmos ungere, quaſi proprium illud eſſet Epiſcoporum.

Unctionis effectus. Sed dum duplicem Sacramenti effectum Jacobus proponit; corporis ſanitatem, & peccatorum remiſſionem: quos propterea orationi fidei tribuit, quòd non orationem quamlibet fidelium intelligat; ſicut poſt ſubjungit; Orate pro invicem, ut ſalvemini: ſed ſacramentalem orationem, quæ Sacramenti forma eſt, à Sacerdote inter ungendum pronuntiata, & oratio fidei vocatur, ſicut & Euchariſtia myſterium fidei, quoniam in Sacramentis magna opus eſt fide.

Primo loco corporis ſanitatem memorat; tum quia de infirmis, atque infirmorum Sacramento loquitur; tum quia notior eſt, ac manifeſtior; ſicut & Chriſtus Matth. 19. ſequentibus ſe præmium promittens, primùm propoſuit centuplum in hac vita, deindè vitam æternam: nec dubium, quia æterna vita ſit melior. Sed præcipuus effectus remiſſio eſt peccatorum, nam & anima melior eſt corpore; & gravior eſt morbus animæ, quàm infirmitas corporis. Et Sacramenta omnia animam per ſe ſpectant, corpus ex accidenti.

Cùmque peccatorum remiſſionem audis, nolim te peccatorum reliquias intelligere, hoc eſt proclivitates ad peccandum, quæ ex peccatis nobis relictæ ſunt. Nam has nullum Sacramentum tollit: nullus hominum his caret; & Jacobus cum conditione loquitur; Si in peccatis ſit: Neque ſolùm hæ non tolluntur unctione, ſed in multis poſt recuperatam ſanitatem magis vigent, dum illi pejus vivunt; ſed ipſa peccata intellige; nec ſolùm venialia, ſed & mortalia, ſi quæ ſint (modò attritio ſaltem adſit, quæ contritio putetur.) Nam & Jacobus abſolutè loquitur; Si in peccatis ſit, dimittentur ei; & de his venialibus non dixiſſet, ſi in peccatis fuerit; quoniam ſine his nemo vivit; & Eccleſia, dum infirmos ungit, generali utitur verborum formâ: Indulgeat tibi Deus quidquid peccâſti. Accedit, quòd cur hoc peccatorum genus non ſit neceſſaria confeſſionis materia, ea creditur eſſe ratio; quia cùm ad illorum remiſſionem non ſit opus gratiâ, non fuit propter illa inſtituendum Sacramentum. Ergò ſi peccatorum reliquias volueris hoc Sacramento delêri; non proclivitates ad peccandum intelligendas, ſed peccata ex ſuperiori vita relicta, neque per alia Sacramenta remiſſa, ſivè ea mortalia fuerint, ſivè venialia.

Triaque ſunt Sacramenta, quorum præcipuus effectus eſt remiſſio peccatorum, reliqua alium primarium habent effectum. Baptiſmus remiſſionem habet originalis peccati, atque in adultis actualium: Pœnitentia actualium, quæ poſt baptiſmum commiſſa ſunt: & extrema unctio reliquorum, ſi quæ ſuperſint in nobis. Baptiſmus prima eſt in Chriſto regeneratio: Pœnitentia quaſi ſecunda poſt naufragium tabula, qua reſuſcitantur, qui poſt baptiſmum nati, per peccatum mortui ſunt: Extrema unctio, velut medicina, quâ per pœnitentiam ſuſcitati, à reliquijs peccatorum curantur.

Propterea extrema vocatur unctio: quia cùm in alijs quoque Sacramentis, Baptiſmo, Confirmatione, Ordine ungamur, hæc moribundis velut ultima adhibetur curatio. Sed in Baptiſmo ungitur ſummus capitis vertex, in Confirmatione frons, in hoc demùm Sacramento, quinque ſenſuum ſedes, & in quibuſdam Eccleſijs renes quoque, & pedes. *Unctio cur dicta.*

Digitized by Google

Etenim ad peccandum tres in nobis facultates conveniunt, cognoſcens, appetens, & exequens; cognitionis principium ſunt ſenſus; concupiſcentia in renibus dominatur; executionis miniſtri ferè ſunt pedes, & manus, ſed manus jam in tactûs ſenſu fuerunt unctæ. Dum autem ægrotus ungitur; aliquæ ſemper ſuper ægrotum recitatæ ſunt preces, & hymni, nunc ferè recitantur litaniæ, quibus Sanctos omnes ad ferendam illi opem in tanto agone invocamus.

Quibus detur unctio. Apertè autem dixit Jacobus, infirmorum eſſe Sacramentum: ideò non niſi illis dandum, nec niſi illis, de quorum vita timeatur: quod & in Concilio Florentino decretum eſt. Non eſt tamen neceſſe expectare, ut omnis ſalus deſperata ſit; non enim propterea unctio extrema vocatur; ſed quia cùm in alijs quoque Sacramentis ungamur, hæc omnium eſt poſtrema. Scribit Albertus Magnus in commentario ad librum Sancti Dionyſij Areopagitæ de Eccleſiaſtica hierarchia; olim poſt factam peccatorum confeſſionem datam fuiſſe extremam unctionem, antequam daretur Euchariſtia: nec modò ſemel, ſed per ſeptem continuatos dies; & fuiſſe unctum ægrotum, & Euchariſtiam ſumpſiſſe.

CAPUT VI.

Moribundos viſiones vidère.

Mortis difficultas. DUM verò ita moribundi jacent, ut penè ad extrema pervenerint, anguntur plurimùm, tum corpore, tum ſpiritu. Nam & confligunt cum morte, quam natura horret, ac refugit; & ea maximè timent, quæ mortem ſunt conſecutura, ut inter cæteros vidère eſt apud Sanctum Cyrillum Alexandrinum in oratione de exitu animi. Accedunt dæmones, qui in ultimo illo conflictu artibus omnibus hominem aggrediuntur, & omnia tentant. Hilarionem quoque poſt ſeptuaginta propemodùm ſanctiſſimæ vitæ in ſummis pœnitentijs, atque auſteritate transactæ, magnoperè tunc timuiſſe, teſtatur Sanctus Hieronymus. Neque eo tempore verêri diabolum ſanctiſſimos quoque aggredi viros, ex hiſtorijs Sancti Martini, aliorumque Sanctorum compertum eſt, cum enim adſtantem ſibi cùm vidiſſet Martinus; Quid adſtas, inquit, cruenta beſtia? Nihil in me funeſtè reperies.

At conſolatur nos vel etiam miſeros peccatores Job cap. 5. dum ait: In ſex tribulationibus, totius ſcilicet vitæ, liberabit te Deus, & in ſeptima, quæ erit in morte, non tanget te malum. In fame, & vaſtitate ridebis, & beſtias terræ non formidabis. [Callidi quippè ad„ verſarij, interpretatur Sanctus Gregorius li„ bro 6. c. 16. beſtiæ terræ dicuntur; quia ad„ rapiendas mortis tempore peccatorum ani„ mas violentia crudelitatis efferantur. Quos „ enim viventes decipiunt blandientes, mori„ entes rapiunt ſævientes.] Et h. 39. in Evang. ad mores accommodans illud, quod de obſidione, & deſtructione civitatis Jeruſalem à Domino fuit dictum Luc. 19. Venient in te dies, & circumdabunt te inimici tui vallo; de moriente exponit homine. [Qui enim ſunt huma„ næ animæ majores inimici, quàm maligni „ ſpiritus, qui hanc à corpore exeuntem obſi„ dent? Quam vallo circumdant, dum antè „ mentis oculos reductis iniquitatibus, quas „ perpetravit, ad ſocietatem ſuæ damnationis „ coarctant: ut in ipſa jam extremitate vitæ de„ prehenſa, & à quibus hoſtibus circumcluſa „ ſit, videat, & tamen evadendi aditum inveni„ re non poſſit; quia bona operari non licet, „ quæ cùm licuit, agere contempſit.]

Lege, quæ de Chryſaorio quodam idem Sanctus Pater narrat hom. 12. in Evang. qui moribundus, & dæmones ſibi adſtantes, urgentesque ut ſecum ad inferum raperent, vidit, atque inducias petens uſquè manè, minimè impetravit, ſed miſerè mortuus eſt. Alium refert in hom. 19. dæmonem draconis ſpecie ſe devorantem conſpexiſſe, & in 4. libro dialog. c. 18. quinquennis puer dæmones ad ſe rapiendum venientes vidit. [Quanto autem metu, ac „ terrore, ait Cyrillus, putas animum confli„ ctari, cùm videt terribiles illos, truces, im„ mites, immiſericordes, & ſævos dæmones, „ quorum vel ſola facies quovis cruciatu mo„ leſtior eſt?] S. Joan. Chryſ. quoque morientes confirmat ſæpè vidère dæmones, in extrema h. 54. in Matth. & 63. ad populum.

Contrà Sancti viri, & fœminæ Angelos ſibi aſſiſtentes, atque opitulaturos aſpexerunt, pſallentesque audierunt: quemadmodùm Romulam narrat idem Gregorius hom. 40. in Evang. Et Urſinum presbyterum in 4. dialog. c. 11. vidiſſe Apoſtolos Petrum, & Paulum ad cœleſtem gloriam invitantes; & Probum Epiſcopum c. 12. Juvenalem, & Eleutherium Martyres; & Gallam monialem c. 13. Sanctum Petrum Apoſtolum, & Servulum c. 14. & hom. 15. in Evang. cantantes audiſſe Angelos, & Muſam Puellam c. 17. Beatam Virginem cum puellarum choro vidiſſe. Et c. 19. ad Stephanum advenientes Angelos conſpexerunt, qui morienti adſtabant; & c. 34. Monachum moribundum ad ſe venientes Jonam, & Ezechielem, & Danielem Prophetas. Quid plura commemorem? Sanctus Cyrillus loco antè ſignificato, & Sanctus Gregorius Nazianzenus in oratione in laudem Baſilij, piorum ſcripſerunt animas ab Angelis in morte abduci. Quemadmodùm enim ſponſus, inquit in elucidario Sanctus Anſelmus cum multitudine militum ad deducendam ſponſam venit, *Morientium viſiones.*

Digitized by Google

venit, & eam cum cantu gaudens abducit: ita cùm juſtus in extremis agit, cuſtos ejus Angelus cum Angelorum multitudine venit, animamque Chriſti ſponſam de corporis carcere tollit, & cum maximo cantu ad cœleſtes deducit nuptias.

Porrò viſiones hæ, quæ morientibus acciderunt ſæpiùs, tum ad illos in eo conflictu conſolandos, atque animandos pertinent: tum verò, ut habet Sanctus Auguſtinus in libro de cognitione veræ vitæ c.44. ad viventes in fide confirmandos. Sanctus Cyprianus in ſermone de mortalitate, quemdam memorat aſtitiſſe moribundo, qui adſtantes cùm indignatione reprehendit, quòd mortem fugerent.

CAPUT VII.

De morientium pœnitentia, & moriendi modo.

Non differendum ad mortem.

IAm de illis, qui parùm de ſua ſalute ſoliciti uſquè ad illud tempus peccatorum ſuorum confeſſionem, ac pœnitentiam differunt, audi Sanctum Joannem Chryſoſtomum h. 52. operis imperfecti in Matthæum. [Cùm ſuper- „venit, ait, ſuper illos mors, feſtinant, & an- „xiantur, vocant ſacerdotes, pœnitentiam vo- „lunt agere, quando jam pœnitentiæ locus „non eſt. Itaque dum exponunt peccata ſua, „dum accipiunt pœnitentiæ tempus, capitur „anima eorum, & vadunt vacui, magis autem „ligati juſto judicio Dei: quia non propter „odium peccatorum volunt pœnitentiam age- „re, ſed propter mortis timorem.]

Licet & de confeſſione id dicere, quod de baptiſmo idem dixit in hom. 1. in Acta Apoſtolorum: [Myſteriorum tempus eſt ſanitas men- „tium. Si quis hoc modo affectus nolit ſcri- „bere teſtamentum, etſi ſcripſerit, dat an- „ſam reſcindendi (ſiquidem propterea ſolent „his verbis præfari; Vivus, ſanæque, & inte- „græ mentis ordinavi de meis bonis) quì fiet, „ut, qui jam ſui compos eſſe deſijt, poſſit ad „plenum initiari myſterijs, aut peccata confi- „têri ſua?] Lege quæ habet etiam in h. 4. in Symbolum, quæ eſt ad baptizandos, dum adversùs eos diſſerit, qui baptiſmum uſquè ad mortis tempus differebant.

Sed vide quid Sanctus Auguſtinus hoc ex inſtituto tractans loquatur in libro de vera, & falſa pœnitentia cap. 17. [Nullus expectet, „quando jam non poſſit peccare. Arbitrij quæ- „rat libertatem, ut dolêre poſſit commiſſa, non „neceſſitatem; qui priùs à peccatis relinqui- „tur, quàm ipſa relinquat, ea non liberè, ſed „quaſi ex neceſſitate condemnat.] Et rursùm: „[Qui cùm potuerunt, nunquam converti „voluerunt; confitentes cùm jam peccare ne- „queunt, non facilè acquirunt, quod vo- „lunt.] Et iterùm: [Converſio ſi contige- „rit alicui etiam in fine, deſperandum non „eſt de ejus remiſſione. Sed quoniam vix, vel „rarò eſt tam juſta converſio, timendum eſt „de pœnitente ſero. Et quoniam multa ſunt, „quæ impediunt, & languentem retrahunt, „periculoſiſſimum eſt, & interitui vicinum, ad „mortem protrahere pœnitentiæ remedium.] Et hom. 41. ex libro 50. homiliarum. [Si quis „poſitus in ultima neceſſitate ægritudinis ſuæ „voluerit accipere pœnitentiam, non illi ne- „gamus, quod petit, ſed non præſumimus, „quia benè hinc exit. Agens pœnitentiam „cùm ſanus eſt, & poſteà benè vivens, ſecu- „rus hinc exit: agens pœnitentiam ad ulti- „mum, ſi ſecurus hinc exit, ego non ſum ſe- „curus: pœnitentiam dare poſſum, ſecurita- „tem dare non poſſum.] Et ſerm. 30. ad fratres in eremo: [Qui uſquè ad ultimum vitæ „ſuæ diſtulerit confitêri; dat ſignum, quod „hoc libenter non facit, ſed coactus: at coacta „ſervitia quantum Deo, vel hominibus pla- „ceant, conſiderate.] Et S. Leo Papa ad Theodorum Foroiulienſem Epiſcopum ſcribens epiſtolâ 91. [Multum, inquit, utile, ac „neceſſarium eſt, ut peccatorum reatus an- „tè ultimum diem ſacerdotali ſupplicatione „ſolvatur.] Et poſt pauca: [Nè converti ad „Deum de die in diem differat, nec ſatisfacti- „onis ſibi tempus in fine vitæ ſuæ conſtituat, „quem periculosè ignorantia humana conclu- „dit, ut ad paucarum horarum ſpatium ſe re- „ſervet incertum.] Nulli tamen reconciliationem eo tempore vult negari. Quòd ſi moribundus amiſſa voce confitêri non poſſit, ſi petijt, vel ſignum petendi dedit, & circumſtantes id teſtentur, pœnitentiæ, & reconciliationis ei vult beneficium dari.

Morientium ritus.

Cæterùm morientes fuiſſe ſolitos recitare Pſalmos illi tempori accommodatos, manifeſtæ confirmant hiſtoriæ plurimæ, beatumque ac fœlicem eum prædicat Sanctus Gregorius Nazianzenus in extrema oratione in laudem Gorgoniæ, qui in verbis illis exhalaret ſpiritum; In pace in idipſum dormiam, & requieſcam. Qualia ſunt & illa; Me expectant juſti, donec retribuas mihi; quibus pronuntiatis S. Franciſcus Aſſiſinas efflavit animam. Dum autem recitarent Pſalmos, conſueviſſe illos Crucis ſe identitatem ſigno ſignare; teſtatur illud quod de Paula ſcribit in epitaphio ad Euſtochium Sanctus Hieronymus cap. 13. „[Digitum ad os tenens, Crucis ſignum pin- „gebat in labijs.]

Sed & morientibus conſueviſſe velum, ſeu linteum obtendi, diſcimus ex Sancto Gregorio Papa hom. 37. in Evang. ubi de beato Caſſio Narnienſi Epiſcopo ita ſcribit: [Voce terri- „bili clamavit; Hora eſt: moxque aſſiſtenti- „bus ipſe ſuis manibus linteum dedit, quod ex „more morientium, ſibi contrà faciem ten-

„ deretur, quo tenſo ſpiritum emiſit.] Cur id fieret, cauſam fuiſſe ſuſpicor, ſivè nè moriens adſtantium aſpectu turbaretur, illiuſque ſpiritus nimiùm eo tempore diſtraheretur, aut etiam plorantes, & lugentes intuens affligeretur, ſive nè adſtantes morientis anguſtijs, & fœdo plerumque vultus habitu terrerentur; ſive ut à rebus omnibus creatis ſeparatio in memoriam morienti reduceretur. Verùm Sanctus Auguſtinus libro decimo tertio de civitate Dei cap. 9. 10. & 11. acutè, ut ſolet, de morte diſſerens, toto nos vitæ tempore demonſtrat mori, dum momentis omnibus properamus ad mortem; Arguta eſt, & acuta argutiſſimi hominis diſputatio.

CAPUT VIII.

Non eſſe nimiùm in charorum morte lugendum.

SED non eſſe in morte charorum lugendum, quin illis potiùs gratulandum, qui ad meliora profecti ſint; nobiſque idem optandum, atque ſperandum; plurimi Patres pluribus in locis monuerunt. Tertullianus in libro de patientia: [Profectio eſt, inquit, quam „ putas mortem. Non eſt lugendus, qui antè „ cedit, ſed planè deſiderandus; ſi alios con„ ſecutos impatienter dolemus, ipſi conſequi „ nolumus.] Et in libro primo ad uxorem c. 7. [Recogites, moneo, neminem niſi ex Dei „ voluntate de ſæculo duci: ſi nec folium qui„ dem ex arbore ſine Dei voluntate dilabitur.] Et Sanctus Cyprianus de mortalitate diſſerens, à Deo ſibi præceptum affirmat, ut publicè prædicaret; Fratres non eſſe lugendos accerſione dominica de ſæculo liberatos; cùm ſciamus eos non amitti, ſed præmitti; recedentes præcedere, ut proficiſcentes, & navigantes deſiderari eos debêre, non plangi: nec accipiendas hic eſſe atras veſtes, quando illi indumenta ibi alba jam ſumpſerint: occaſionem dandam non eſſe Gentilibus, ut nos meritò reprehendant, quòd quos vivere apud Deum dicimus, ut extinctos, & perditos lugeamus: & fidem, quam voce depromimus, cordis, & pectoris teſtimonio reprobemus. Spei noſtræ, ac fidei prævaricatores ſumus: ſimulata, ficta, fucata videntur eſſe, quæ dicimus. Nihil prodeſt verbis proferre virtutem, & factis deſtruere veritatem.

Sanctus Auguſtinus in libro primo Confeſſ. cap. 13. Æneæ deplorat miſeriam, non miſerantis ſeipſum, & Didonem ob Æneæ amorem mortuam plorantis, & non plorantis mortem ſuam, quæ fiebat non amando Deum. Et ipſemet, ut habetur libro nono cap. 12. mortuam quidem luxit matrem. Sed compeſcuit lachrymas, quòd minimè deceret arbitraretur funus illud queſtibus lachrymoſis, gemitibuſque celebrare: quia his plerumque ſolet deplorari quædam miſeria morientium, aut quaſi omnimoda extinctio: [Neque affligitur mor„ te cujuſquam (ait in libro de vera religione „ c. 47.) qui toto animo Deum diligit: quo„ niam novit nec ſibi perire, quod Deo non „ perit. Deus autem Dominus eſt & vivorum, „ & mortuorum.] Et in ſer. 1. de conſolatione mortuorum, to. 9. antè Chriſti adventum veteres Patres vult meritò luxiſſe mortuos; tum quia nondum prædicata erat reſurrectio mortuorum; tum quia divina manebat adhuc ſententia contrà hominem peccatorem, & Joſeph obſervat S. Joan. Chryſ. h. 67. in Gen. multis diebus planxiſſe patrem mortuum. Gen. 50. quia nondum fuerant inferni portæ confractæ, nondum inferni vincula ſoluta; neque mors dicebatur ſomnus, & dormitio, & quia mortem timebat, ideò hæc faciebat: at poſt Chriſtum non ita agendum eſt. Nam ſi ipſemet Chriſtus mortis Dominus Lazarum ſepultum flevit Jo. 11. duas fletûs cauſas expoſuerunt Auguſtinus, & Hieronymus in epitaphio Nepotiani ad Heliodorum c. 5. tum ut per lachrymas verum ſe hominem, verumque corpus aſſumpſiſſe monſtraret; tum quòd Judæos Dei ſigno monſtrato credituros in eum non eſſe ſciebat. *Chriſt. fletus ſuper Lazarum.* Placuit quoque Alexandrino Cyrillo libro 7. in Jo. c. 21. humanam eum deploràſſe miſeriam duræ mortis ſervituti ſubjectam; & triſtem Lazari ſortem ad hanc mortalem vitam miſerijs plenam revocandi, quod habet etiam 3. Concilium Toletanum c. 22. Et tamen ex veteribus illis Davidem profert Auguſtinus in ſermone ſecundo, qui ut ſacra narrat hiſtoria 2. Reg. c. 12. ægrotante dilecto filio jejunavit, & jacuit ſuper terram; ſi fortè vitam illi à Domino impetraret; audita illius morte ſurrexit, & comedit, nec unam quidem lachrymam ſparſit. Et Heliodoro ſcripſit Hieronymus: [Non „ doleas, quòd talem amiſeris; ſed gaudeas, „ quòd tálem habueris.] Et ad Paulam, de obitu Bleſillæ filiæ: [Non vereris, nè tibi „ Salvator dicat; Iraſceris Paula, quia tua fi„ lia, mea facta eſt filia? indignaris de judi„ cio meo, & rebellibus lachrymis facis inju„ riam poſſidenti. Si viventem crederes filiam, „ nunquam plangeres ad meliora migràſſe.] Moxque Melaniæ profert exemplum; quæ calente adhuc mariti mortui corpuſculo, duos ſimul perdidit filios; & lachrymæ gutta non fluxit, & ad pedes advoluta Chriſti, quaſi ipſum teneret, arriſit: [Expeditiùs, „ inquit, tibi ſervitura ſum Domine, quia „ tanto onere me liberàſti.] Et iterùm poſt: „ [Deteſtandæ ſunt iſtæ lachrymæ, plenæ „ ſacrilegio, incredulitate pleniſſimæ, quæ „ non habent modum, quæ uſque ad vicini„ am mortis accedunt. Ululas, atque exclami„ tas, & quaſi quibuſdam facibus accenſa

quantum

Digitized by Google

„ quantum in te eſt, tui ſemper homicida es.] Et in conſolatione ad Julianum de morte uxoris, & filiorum, hiſce prorſùs verbis illius nomine Deum alloquitur: [Tuliſti liberos, quos „ ipſe dederas, recepiſti ancillam, quam mihi ob breve ſolatium commodaveras. Non „ contriſtor, quod recepiſti, ſed ago gratias, „ quod dediſti.] Atque in regula monachorum c. de Patientia; [Lugeatur mortuus, ſed ille, quem gehenna ſuſcipit, quem tartarus „ devorat, in cujus pœna æternus ignis exæſtuat.] Magni verò Gregorij illa fuêre verba in 7. regiſtri libro c. 111. [Indecens eſt „ de illis tædio affectionis addici, quos credendum eſt ad veram vitam moriendo perveniſſe.] Et alter Gregorius Nazianzenus in oratione funebri parentem ſuam commendat hoc nomine, quòd luctui nunquam indulſit tantùm, ut vel luctuoſa vox prior erumperet, quàm gratiarum actio; vel ex palpebris fluerent lachrymæ, vel triſtis corporis habitus luculento die permaneret. Et tertius Nyſſenus in oratione de dormientibus, eos, qui mortuos lugent, perſimiles voluit eſſe infantibus, qui ex matris egredientes utero plorant: quaſi indignentur, & doleant, quod à ſolita vita diſceſſerint, maluerintque ſemper in anguſtijs illis morari. Et ep. 104. Seneca tam ineptum hoc eſſe affirmavit, quàm flêre, quod arboribus amœnis, & domum tuam ornantibus decidant autumno folia. Nam ut frondium jactura facilis eſt, quia mox verno tempore renaſcuntur; ſic mortuorum, quos amabamus, damnum reſurrectione nimirùm reparabatur. Sed Sanctus Joannes Chryſoſtomus hom. 32. in Matth. copioſiùs diſputans non eſſe lugendum ijs, qui reſurrectionem credunt, hoc argumento id perſuadet, quia mors fuit per Chriſtum ſuperata, & in ſomnum redacta. Et hom. 21. in Acta ſolos peccatores mortuos lugêri; quem luctum Apoſtolicum vocat, & Dominicum. Et homil. 41. in priorem epiſtolam ad Corinth. „ [Mortuos, inquit, nè lugeamus; ſed perditè potiùs ex hac vita ſolventes.] Quin & gaudêre decet peccata impedita eſſe, & non accumulatum malum: niſique quantum fieri poteſt, ut juventur, non lachrymis, ſed precibus, ſupplicationibus, eleëmoſynis, oblationibus.

Conſolatio pro mortuis.

At dixerit quiſpiam, qui fieri poteſt, ut homo cùm ſim, non lugeam? Multis ille reſpondet homiliâ primâ in poſteriorem epiſtolam; Primùm, ſi Abraham cogites, & Job antè datam legem, antè effuſam gratiam id feciſſe; deindè ſi mortuum conſideres ad meliorem requiem tranſiſſe; tum verò te non amiſiſſe filium, ſed tutiùs poſſidêre, teque immortalis filij & in terra, & in cœlo vocari patrem; aliaque his ſimilia plura. Et hom. 3. in ep. ad Philip. & hom. 68. ad populum ita rurſùm loquitur: [Mortuos non eo nomine lugeamus, quòd mortui ſunt, neque vivorum gratiâ ob id ſimpliciter gaudeamus, quòd vivunt, ſed lugeamus peccatores, non ſolùm „ mortuos, ſed & viventes. Gaudeamus propter juſtos non ſolùm viventes, ſed & mortuos. Nam illi quidem etiam viventes mortui „ ſunt, iſti verò mortui quoque vivunt.] Et hom. 8. in eandem epiſtolam. [Gaudeamus ſi „ quando juſtum mori viderimus; immò etiamſi quem ex deploratis. Nam hic quidem „ abit mercedem laborum accepturus, iſte verò curſum peccatorum ſuorum amputavit.] Et hom. 69. ad populum, hoc luctu meritò Chriſto contendit injuriam fieri: [Nemo, ait, „ jam plangat, nec meritum Chriſti afficiat calumniâ; mortem enim vicit. Quid igitur ſuperfluas fundis lachrymas? ſomnus ea res eſt, „ quæ venia poſt tam manifeſtam reſurrectionis probationem?]

Denique omni pondere gravius eſt illud Apoſtoli teſtimonium in priore epiſt. ad Theſſ. qui nè contriſtari quidem nos voluit, & adjunxit illud; Sicut & cæteri, qui ſpem non habent; illud planè ſignificans Gentilium eſſe non Chriſtianorum. Monachos quidem certè Chryſ. homiliâ 14. in priorem ad Tim. hoc nomine laudat plurimùm, quòd apud illos, ſi quiſpiam nuntiatus fuerit mortuus magna oritur exultatio, ingenſque voluptas omnium. Immò nè mortuum quidem ullus appellare præſumit, ſed conſummatum.

Peſſimè verò apud Gentiles, Judæos, atque hæreticos, propter hunc luctum audiſſe aliquando Chriſtianos, teſtatur in h. 4. in epiſt. ad Hebræos: [Cùm, inquit, video luctus in plateis, & lamentationes ſuper eos, qui ex hac „ vitâ migrârunt, & ululationes, & ineptias „ alias, credite mihi, erubeſco, & paganos, & „ Judæos, & hæreticos iſta videntes. Dicunt „ enim Græci quomodo ex iſtis aliquis poterit „ contemnere mortem, qui nec alterum mortuum poſſunt vidêre patienter?] Idem repetit in homilia 70. ad populum, in qua multos etiam apud Gentiles teſtatur de reſurrectione nihil ſcientes defunctis filijs coronâſſe ſeſe, candidatoſque apparuiſſe, ut præſentem ſolùm gloriam conſequerentur: dum nos nec propter futuram muliebriter agere deſiſtimus. Hoc ex puſillanimitate contingere affirmat. Et hom. 26. in epiſt. ad Hebræos, & muliebrem appellat morbum in hom. 61. in Jo. [In „ alijs, inquit, malis hic muliebris jam prævaluit morbus. Oſtentant planctus, & dolores „ ſuos, cruentant brachia, ſcindunt capillos, laniant genas, partim ob dolorem, partim ob oſtentationem. Aliæ animo impudico in medio foro brachia nudant, & quæ ſequuntur.] Et h. 84. [Riſu digna ſunt, quæ nunc facimus „ cùm lugemus, cùm plangimus, cùm ſimul „ nos cum mortuo defodimus.] Quanquam

Digitized by Google

in primo libro de compunctione cordis, hunc aliquos fructum collegiſſe ſignificat, ait enim: ,, [Multos novi ego poſt amiſſionem charo-,, rum nec urbes habitare voluiſſe, ſed commi-,, gràſſe in agros,& ibi jejunam,& ſobriam du-,, xiſſe vitam cum omni ſilentio,& quiete:alios ,, in ipſis defunctorum ſuorum ſepulchris ha-,, bitaculum poſuiſſe; atque ibi vitam mortuo ,, ſimilem tranſegiſſe.]

Lyciorum fuiſſe præceptum refert Sanctus Ambroſius in oratione de obitu Satyri fratris, quo viros mœrori indulgentes muliebrem jubebant veſtem induere, quod mollem,& effœminatum judicarent in viro luctum. In libro de vitæ brevit. Seneca inter plurima, quæ adfert propterea naturam dixit (veriùs naturæ autorem Deum) id, quod graviſſimum fecit, commune feciſſe; ut crudelitatem fati conſolaretur æqualitas.

CAPUT IX.

De Lugentium ritu.

Capillos evellere, aut tondêre.

LUGENTIUM porrò multiplex fuit ritus: Primus erat capillos,aut evellere, aut tondêre, aut incultos nutrire. Veteres fuiſſe ſolitos tondêre cæſariem, adnotavit ad caput Jeremiæ nonum S. Hieronymus. Poſt verò comam dimittere, luctus indicium fuit, & rursùm ad caput 16. [Mos hic fuit apud vete-,, res, & uſquè hodiè in quibusdam permanet ,, Judæorum,ut in luctibus calvitium faciant.] Et ad caput Ezech. 24. [Coma tondetur in ,, luctu.] Et ad caput 27. [In luctu ſolent ,, tondere caput, & facere calvitium.] Et S. Aug. q.32. & 81. in Levit. lugentes, ait, nudàſſe caput: [Sicut enim nobis,inquit ille,ope-,, ritur in luctu; ſic illi, quia ornamento capi-,, tis ornabantur, nudandum putârunt, quia ,, detractio eſt ornamenti.] At ſacerdotibus Levit. 10. præceptum eſt: Capita veſtra nolite nudare,& veſtimenta nolite ſcindere. Sanctus Baſilius ſquallentem comam lugenti conſentaneam eſſe judicavit in hom. de gratiarum actione. Et S. Joan. Chryſ. hom. 3. de patientia Job; [Nobis, ait, flentibus nutriunt co-,, mam: ibi ſignum fletûs, ubi honoratur co-,, ma.] Et iterùm in ſer. in beatos Job,& Abraham; cùm Job audita filiorum morte totondit caput; Gentiles, ait, conſueviſſe capillos evellere, lugentes comam geſtare incultam: Job verò abraſiſſe, & abjeciſſe; inſultando videlicet diabolo; nam & proptereà ſcidit veſtimenta ſua, id, quod reliquum ſibi erat, abjiciens, & inexplebilem ejus, qui abſtulerat omnia, rapacitatem confundens, & dicens; Nudus egreſſus ſum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc.

Job radens capillos,& veſtimenta abyciens.

Nudis pedibus incedere.

Secundus ritus fuit nudis incedere pedibus. Calceamenta ſolent lugentes abjicere, ſcripſit Sanctus Hieronymus ad caput 24. Ezechielis. Et ad Paulam c. 4. [Nudati pedibus, & in ci-,, nere volutati.]

Cinis ſuper caput.

Tertius, cinerem ſuper caput ſpargere. Teſtatur idem ad caput 27. & in ſacris litteris ſæpiſſimè legimus lugentes, ac pœnitentes ita egiſſe, ut non ſit opus plura colligere.

Brachia nudare.

Quartus, nudare brachia, atque incidere, faciemque & genas lacerare. S. Hieronymus ad indicatum caput 16. [Mos fuit apud vete-,, res, ut in luctibus incidant lacertos.] Et S. Auguſtinus q.71. in Levit. [In luctu nonnul-,, læ gentes habent conſuetudinem ſecare, ſeu ,, incidere corpora ſua.] Et S. Joan. Chryſ. h. 61. in Io. [Cruentant brachia, ſcindunt capil-,, los, laniant genas.] Et h. 3. in epiſtolam ad Philip. [Defleamus peccatores,ſed non præter ,, decorum: non capillos evellentes, non bra-,, chia nudantes,non faciem lacerantes,non ni-,, gris nos veſtibus obvelantes: ſed in animo ,, dumtaxat amaras fundentes lachrymas.] Et h. 69. ad populum; [Non comas vellentes, ,, non detegentes brachia, oculos non diſſipan-,, tes, non pullis utentes veſtibus.]

Veſtis lugubris.

Quintus hic fuit poſtremò memoratus, veſtis, inquam, lugubris, pulla, nigra, atra. qua lugentes temporibus omnibus induti ſunt. Nam & triſtitiæ tempore, & lætitiæ ſolitos fuiſſe veteres mutare veſtem, teſtatur quoque Seneca ep. 18. ad Lucilium. De viduitate illud eſt apud Nyſſenum in lib. de virg. c. 3. [Quæ ,, lauta modo erat amictu candido, ornatuque ,, inſigni; repente quæ incidit calamitas, eam ,, pulla veſte, atroque habitu induit, dilacera-,, toque ſponſæ ornatu in luctum illam, & ,, ſqualorem conijcit.] Quod tamen à Sanctis Patribus video reprehenſum. Et nè Chryſoſtomi commemorata repetam verba à Sancto Cypriano in ſer. de mortalitate, non accipiendas eſſe, audies, atras veſtes, quando mortui indumenta jam alba ſumpſerint. Et S. Auguſt. in ſerm.2. de conſolatione mortuorum, veſtibus hiſce putavit nos miſeriæ teſtimonium dare: [Qua enim ratione veſtes tingimus, niſi ,, quos verè infideles, & miſeros, non tantùm ,, fletibus, ſed etiam veſtibus approbemus? ,, Infideles, qui reſurrectionem non credant, ,, & miſeros,qui ſempiternis torqueantur flam-,, mis.] S. Hieronymus in ep. ad Julianum c. 2. laudat hominem, quòd quadrageſimo dormitionis filiarum die lugubrem veſtem mutaverit; & dedicatio oſſium martyris candida illi veſtimenta reddiderit. Et quidem abjectam, & ſordidam veſtem illam fuiſſe, demonſtrant illa Sancti Gregorij Nyſſeni verba in funere Meletij; [In luctum nobis gaudium ,, converſum eſt,& lætitiæ amictus ſaccus eva-,, ſit. Nec habemus lautum, & ſplendidum ,, nuptiale indumentum, ſed atrum, & pullum

oratio-

Digitized by Google

„ orationis habitum afferimus, luctu repente „ atrati ſumus, & quâ ornabamur ſtolâ, nos in- „ vidia ſpoliavit.] Et S. Chryſ. hom. 49. operis imperf. [Patrefamilias moriente, tota do- „ mus turbatur; & omnis familia plangit, & „ conſciſſis tunicis ſuis, nigris ſe coöperit veſti- „ mentis.] Apud Plutarchum tamen in problemate 25. albas interdum veſtes fuiſſe aſſumptas legimus.

Lamentatrices inducere.

Sextus fuit mulierculas ad hoc inſtructas, & paratas conducere ad plorandum, lamentandum, & ululandum ſuper mortuum cadaver, atque in illius funere. Hoc ex probatiſſimis autoribus ſcimus, & noſtris quoque temporibus apud Siculos audivimus factitari. Sanè ex ſacris litteris id videtur acceptum, in quibus lamentationes hujuſmodi, & lamenta ſæpiùs legimus: & apertè Jeremias dixit capite nono. Vocate lamentatrices, & veniant: feſtinent, & aſſumant ſuper nos lamentum. Quo loco Sanctus Hieronymus ad ſua uſquè tempora morem hunc in Judæa permanſiſſe teſtatur, ut mulieres ſparſis crinibus, nudatiſque pectoribus, voce modulata omnes concitarent ad fletum. Et apud Græcos S. Baſilius in or. de gratiarum actione, cantilenas nominat ad ciendum lamentabilem mœrorem, & carmina querula, & inſuavem cantum in mortuorum luctu, & inamœnum alentem ſemper mœroris vulnus animæ impreſſum, jugiterque novantem. Et S. Chryſ. hom. 32. in Matth. [Incitatrices, „ inquit, fletus mulieres convocas, quarum „ flebili cantu incendatur, & inflammetur ve- „ hementiùs ægritudo tua.] Quod S. Chryſologus piaculum nominavit in ſer. 19. [Num- „ quid, ait, piaculum de pietate non faciunt, „ qui ad funera ſuorum extranea lamenta con- „ ducunt?] Tantoperèque damnavit Chryſ. ut h. 4. in ep. ad Hebr. & 70. ad populum, excommunicaturum ſe illos minatus fuerit, qui lamentatrices haſce conduxerint, ait enim: „ [Si lamentatrices iſtas conduxerint; per mul- „ tum eos tempus ab eccleſia vetabo, tanquam „ idolorum cultores. Nemo Eccleſiæ contem- „ nat vincula.] Sed & hoc prohibuiſſe videntur Patres Conc. 4. Toletani c. 22.

CAPUT X.

Moderatum luctum non eſſe damnandum.

HÆc cùm ita ſint, aliquid tamen naturæ indulgendum eſt. Non enim nos, ut Clemens Alexandrinus loquitur in 2. ſtrom. libro.

Annoſa aut quercus genuit, præruptave petra.

Inſenſibilis quippè hominis eſſet non dolêre, aut non nihil etiam in charorum morte lugêre. Angelos quoque in Moyſis morte fleviſſe, affirmat Philo in libro biblicarum antiquitatum, & leones Hilarionem mortuum plorantes, S. Hieronymus ipſius vitam deſcribens. Quid ni ergò moderatus homini concedatur fletus?

Dum Bleſillam filiam lugeret Paula; [Igno- „ ſcimus, inquit S. Hieronymus, matris lachry- „ mis; ſed modum quærimus in dolore. Si „ parentem cogito, non reprehendo, quòd „ plangis: ſi Chriſtianam, & monacham, his „ nominibus mater excluditur.] Et in ep. ad Saluinam; [Saluina mortem juvenis mariti ſic „ flevit, ut exemplum conjugibus dederit; „ ſic tulit, ut eum profectum crederent, non „ amiſſum.] [Doluiſſe plerumque ſolatium „ doloris eſt (dixit in or. de obitu Valentinia- „ ni S. Ambroſius.) Solvamus bono Principi „ ſtipendiarias lachrymas; quia ille nobis ſolvit „ mortis ſuæ ſtipendium.] Doluit plurimum, & flevit Satyri fratris mortem Ambroſius temperandaſque duxit lachrymas, nè de illius meritis deſperare videretur. Ploravit & in matris morte Sanctus Auguſtinus, eandemque ob cauſam lachrymas temperavit, ut ipſemet narrat in 9. confeſſ. libro cap. 12. legimus & ploráſſe Sanctum Gregorium Nyſſenum in diſputatione cum Sorore Macrina, ob mortem Baſilij fratris; & Sanctum Bernardum ob mortem Gerardi ſer. 26. in Cant. luxerunt, & alij plurimi ſanctiſſimi viri; ſed omnes temperatè, & cum menſura, ac decoro. De quibus illud planè dici poteſt, quod de Job propter filiorum mortem plorante dixit S. Chryſ. hom. 4. de ipſius patientia: [Niſi, inquit, paſſus fuiſſet, fortaſ- „ sè velut virtutis amator non laudaretur, ſed „ velut inſenſibilis damnaretur: ſed paſſus qui- „ dem fuit ut homo; ſuſtinuit autem velut ama- „ tor Dei, & naturæ infirmitatem reprehen- „ dendam prodidit.] Immò & Chriſtum fleviſſe ſuper Lazarum, ut lugendos eſſe doceret mortuos, ſed moderatè, autores nobis ſunt Sancti Cyrillus Alexandrinus libro ſeptimo in Jo. c. 20. & Baſ. in h. de gratiarum actione. „ [Nam omninò non compati, nec mœrere, „ inquit Cyrillus, ferinum eſt, & durum, im- „ moderatè autem, muliebre, & infidele.] Itaque concludit S. Auguſtinus ſerm. 34. de verbis Apoſtoli: [Permittantur pia corda charo- „ rum de ſuorum mortibus contriſtari dolore „ ſanabili, & conſolabiles lachrymas fundant „ conditione mortali, quas citò reprimat fidei „ gaudium; quia credunt fideles, dum moriun- „ tur, paululum à nobis abire, & ad meliora „ tranſire. Conſolentur eos & fraterna obſe- „ quia; ſive quæ funeribus exhibentur, ſive quæ „ dolentibus adhibentur.] Quod ipſum totidem verbis inculcat Sanctus Anſelmus ad 4. caput prioris epiſtolæ ad Theſſal. Sed nimium omninò fuerit illud, quod in libro de conſolat. ad Albinam refert Seneca; & confirmat epiſt. 64. Mulieribus viros lugentibus, decem menſes, aut annum fuiſſe datos (imbecillitati ſexus conde-

Chriſti fletus.

Digitized by Google

condonârunt) viris nullum legitimum tempus eſſe, quia nullum honeſtum. Nec ſicci ſint oculi, nec pluant: lachrymandum eſt, non plorandum. Plutarchus quoque dum Apollonium conſolatur, nec feram indolentiam probat, nec utilem nobis judicat. Aboleret enim, quam conſervari maximè oportet, mutuam hominum benevolentiam. At mœrore ultrà modum efferri à prava animi opinione proficiſci affirmat. Complures ſuorum mortem æquiſſimo tulerunt animo. Sed & dum uxorem ſuam conſolatur; Condonamus, inquit, dilectionem liberorum, deſiderium, honorem, & memoriam defunctorum; ſed lugendi inexpleta cupiditas ad lamentationes, planctuſque provehens, non minùs turpis eſt, quàm intemperantia voluptatum.

CAPUT XI.

De ſepulturæ ritu.

Mortuum lavare.

IAM ſepeliendi mortuos multiplex fuit ritus. Primus ille, quo tum Judæi, tum Græci, ac Latini uſi ſunt, in pleriſque nunc item ſervatur locis: mortuorum ſcilicet illicò lavare corpora. Apud Judæos corpus quoque Deiparæ Virginis aqua fuiſſe ablutum, narrat Sanctus Joan. Damaſcenus in orat. de illius Aſſumptione: [Abluitur, inquit, aquâ purâ: ,, non quâ ipſum purgaretur, ſed quò eam po- ,, tiùs purgaret.] Morem facilè ſuſcepit, retinuitque Eccleſia, ſive tanto invitata exemplo, ſive quòd ut animæ ſordes poſtremâ corporis unctione purgantur; ita rationi conſentaneum videretur corpus à ſordibus ex ægritudine perſæpè longa contractis, aqua mundatum reſurrectioni tradere. Eſt & mors dormitio, & ſomnus; & poſt lavacrum ſuavior dormitio, dulcior ſomnus.

De Græcis autem ſcripſit S. Chryſ. in h. 1. de patientia Job: [Cùm reddiderit animam ,, puer, jubent adhibêre officia. Manus com- ,, ponunt, oculos claudunt, caput directo ſta- ,, tuunt, pedes reducunt, lavant, ſepulchroque ,, condigno dignis funeralibus condunt.]

Denique de Latinis Sanctus Greg. Papa h. 36. in Evangel. & lib. 4. dialog. c. 27. Theophanium Comitem refert graviſſimè podagrâ laborantem, manibus, ac pedibus infectis ſanie, dum mortuus de more lavaretur, ita fuiſſe ſanatum, ut nunquam habuiſſe videretur vulnus. Et h. 38. & capite decimo ſexto ejuſdem dialogorum libri, Tarſillæ virginis mortuæ cùm corpus ex mortuorum more ad lavandum eſſet nudatum; longæ orationis uſu, in cubitis, & genibus camelorum more inventam fuiſſe obduratam excreviſſe cutem: & libro tertio capite decimo ſeptimo defunctum alium ex more lotum nominat.

Vngere, & condire.

Secundus ritus fuit olìm ungere, & unguentis, atque aromatibus condire corpora; ſive id carnis affectu facerent, ut quàm diutiſſimè poſſent, charorum corpora conſervarent ſecum, atque à corruptione, & putredine quoquo poſſent modo tuerentur; ſive ad honorandos eos, quos dilexerant, & omni honore, & cultu dignos putabant, ſive aliam quamcunque ob cauſam. Ita cum aromatibus ſepelire fuiſſe Judæorum morem, legimus apud Joannem capite decimo nono. Gen 50. mortuum patrem præcepit Joſeph ſervis ſuis medicis, ut aromatibus condirent. Et in templo, quod ab Helena Conſtantini matre magnificentiſſimè extructum Jeroſolymis etiam nunc extat, viſitur marmoreus lapis, ſuper quem Chriſti domini Corpus de Cruce depoſitum traditur fuiſſe optimè unctum, antequam conderetur ſepulchro. Et apud Marcum cap. 16. & Lucam cap. 24. pias mulieres legimus emiſſe aromata, ut venientes ad monumentum ungerent Jeſum. Idem poſt illa tempora factitaſſe Chriſtianos, teſtantur vetuſtiſſimi Patres Areopagita, & Tertullianus, alter enim lib. de Eccleſiaſtica hierarchia cap. 7. mortuos confirmat fuiſſe unctos oleo, ſicut & in baptiſmo. Ibi ut ad ſacra certamina præparentur, hic ut eos in certaminibus certaſſe, ac deceſſiſſe declaretur; alter verò in Apologetico adversùs Gentes cap. 42. [Thura, inquit, non ,, emimus. Si Arabiæ quæruntur; ſciant Sa- ,, bæi pluris, & charioris ſuas merces Chri- ,, ſtianis ſepeliendis profligari, quàm Dijs fu- ,, migandis.] Et in libro de idololatria c. 11. ,, [Thura etiam hominibus ad pigmenta medi- ,, cinalia nobis quoque inſuper ad ſolatia ſepul- ,, turæ uſui ſunt.] Et S. Greg. Naz. ep. 18. ad Sophronium Præfectum, Cæſarij fratris mortui corpus myrrhâ conditum memorat.

Mortuum in Eccleſiam portare.

Tertius ritus fuit mortuum corpus in Eccleſiam ſtatìm portare. Et Sanctus Hieronymus Paulam in media Eccleſia ſpeluncæ Salvatoris poſitam ſcribit.

Mortuum laudare.

Quartus fuit laudare mortuos. Undè complures funebres orationes, non apud ethnicos modò quemadmodùm Periclis apud Thucididem lib. 2. de bello Peloponeſiaco pro ijs, qui occubuerant in bello: verùm etiam apud SS. Patres, Nazianzenum, Ambroſium, Hier. Nyſſenum, & alios. Meminit & hujus ritus S. Dionyſius Areopagita, cùm ait; [Miniſtro- ,, rum primus catechumenos dimittit; ſanctoſ- ,, que qui jam dormierunt, prædicat: cum qui- ,, bus pari laude dignum judicat eum, qui paulò ,, antè exceſſit è vita.] Hoc parentibus filios mavult perſolvere in Epitaphio Nepotiani ad Heliodorum S. Hier. [Moris, inquit, quondam ,, fuit, ut ſuper cadavera parentum defuncto- ,, rum in concione pro roſtris laudes liberi dice- ,, rent, & inſtar lugubrium carminum ad fletus,

&

Digitized by Google

„ & gemitus audientium pectora concitarent.] Dixit & in funere Patris Nazianzenus: ſed verè Sanctus Auguſtinus epiſt. 125. ad Cornelium: [Anima in ſocietatem recepta fidelium „ laudes non curat, nec quærit humanas; ſed „ propter eos fiunt iſta, qui vivunt: nempè „ illi & aliquam in luctu conſolationem ha- „ bent, & honorem, & ad majorum virtutes „ imitandas excitantur.]

Catechumeni excluſi.

Quintus ritus fuit is, qui jam eſt indicatus, ut ab hac funeris pompa excluderentur catechumeni. Cauſam non facilè dixerim, eam tamen fuiſſe ſuſpicor, quòd rudes adhuc in fide, ſatis capaces myſterij reſurrectionis noſtræ non viderentur; priuſquam per baptiſmum generandi viderentur in Chriſto, quàm alteram regenerationem cœleſtis gloriæ per reſurrectionem audire. Et fortaſſe verendum, nè, quæ circà cadavera viderent fieri, irriderent. Nam propterea etiam cùm celebrandum erat Miſſæ ſacrificium, aut omninò inſtituendus de Euchariſtia ſermo, excludebantur illi; quòd nondum tantorum eſſent capaces myſteriorum, & regenerandi priùs, quàm divino cibo nutriendi, viderentur.

Mortuum ſalutare.

Sextus ritus; mortuum ſalutare. [Poſt fu- „ nebrem namque orationem, illiuſque com- „ memoratas laudes, accedens Miniſter, in- „ quit Areopagita, & eum qui è vita migravit, „ ſalutat, & ſecundùm eum omnes unà, qui „ adſunt.] Quæ ſalutatio non aliò ſpectat, quàm ad ſtabiliendam fidem, quam de mortuis habemus; non, inquam, cum pereunte corpore ſimul animam perijſſe, ſed eam in cœlis coram Deo vivere, & ad illud ipſum corpus aliquando reverſuram; ita ut cæteros coram nobis viventes ſalutat, ſic & mortuum pariter coram Deo viventem. Non enim mortuum, ſi extinctum crederet, ſalutaret.

Super mortuum orare.

Septimus ritus, ſuper illum orare, ac preces fundere. [Tum enim (ait idem Apoſtoli- „ cus vir) accedens Antiſtes, ei ſacratiſſimas „ preces adhibet;] & de Sancta Emerentiana Ambr. ep. 34. lib. 4. [Venientes, inquit, pa- „ rentes Beatæ Agnetis cum ſacerdotibus no- „ cte abſtulerunt corpus;] Orabatur autem, ut illi peccata remitterentur, & in regionem vivorum deduceretur. Quo tempore fœminam memorat Tertullian. in libro de anima c. 51. ad primum habitum orationis, manus à lateribus dimoviſſe, atque in habitum ſupplicem conformâſſe, ruſſumque condita pace ſitui ſuo reddidiſſe. Monachos pœnitentes legimus apud Climacum gra. 5. ſine pſalmodia, & precibus perijſſe, inſepultos projici. Conſuetæ igitur erant preces.

Mortuorum nomina.

Octavus; referre in codicem mortuorum nomina, diemque quo quiſque obijſſet. Ut ſcilicet pro illis orarent, atque in miſſæ ſacrificio memoriam illorum facerent. Hinc martyrologia in Eccleſia collecta fuerunt. S. Anſelmus ep. 21. libri primi ad Rodulphum ſcribit: [Mandate nobis nomen, & diem obitus „ ejus, ut in noſtro calendario ſcribatur.] Et antè illum S. Epiph. in epitome; [In his, qui vi- „ tà defuncti ſunt, ex nomine memorias fa- „ ciunt, orationes ad Deum perficientes, & cul- „ tus divinos, & myſteriorum diſpenſationes.]

De reſurrectione lectio.

Nonus; ſuper mortuum aliqua ex ſacris litteris de reſurrectione recitare, quemadmodùm nunc ex libro Job recitamus; & eo quoque tempore credi poteſt recitatum fuiſſe, nè extinctum mortuum adſtantes crederent, ſed aliquando reſurrecturum ſperarent. [Mini- „ ſtri, ait Dionyſius, promiſſis veris, quæ fe- „ runtur in ſcriptis divinis de ſancta noſtra re- „ ſurrectione recitatis, ſanctè canunt cantus „ Pſalmorum, qui ejuſdem rationis ſunt, atque „ idem valent.]

Pſalmos cantare.

Decimus; Pſalmos ſuper mortuum cantare, quod velut gratiarum actionem pro victoria ex mundo, diabolo, & carne reportatam fieri voluit Dionyſius: [Victoriæ, inquit, „ auctori gratias cum cantu agunt.] Et rurſum; [Sanctè canunt cantus Pſalmorum, qui „ ejuſdem rationis ſunt.] Et de Paula ſcribit Hieronymus: [Hebræo, Græco, Latino, „ Syroque ſermone Pſalmi in ordine perſona- „ bant, non ſolùm triduò, donec ſubter Eccle- „ ſiam, & juxtà ſpecum Domini conderetur, „ ſed per omnem hebdomadam.] Et de primo eremita Paulo mortuo Antonium narrat hymnos, & Pſalmos ſuper eum de Chriſtiana traditione decantâſſe. Illos tamen, qui ſeipſos occidunt, voluit Concilium Bracharenſe primum can. 34. ſine pſalmis ſepeliri, & meritò; non enim eſt cur in illorum morte agantur gratiæ. Idem de catechumenis ſtatuit c. 35.

Alleluia ſuper Mortuos.

Sed quod magis mireris, in mortuorum exequijs Alleluia cantatum ſcribit in morte Fabiolæ in epitaphio ad Oceanum c. 4. idem Hier. „ [Sonabant Pſalmi, & aurata tecta templo- „ rum, reboans in ſublime quatiebat Alleluia.] Verùm hæc lætitiæ, & gaudij vox non fuit generalis, neque luctui unquam accommodata; ſed virginibus dumtaxat; in quarum obitu, ut nos non nigris, ſed albis; hoc eſt non luctus, ſed lætitiæ veſtibus veſtimus, coronamuſque floribus; ſic illi veteres Alleluia cantabant. Porrò hæc pſalmodia ad ſepulturam quoque mortuum deducebat, ut mox dicetur.

Mortuum ſepelire.

Undecimus; ſepelire, humoque condere. Immane nimis, ac barbarum viſum eſt ſemper Chriſtianis, mortuorum corpora inſepulta canibus, ac volucribus diſcerpenda relinquere. Et Perſas quoque ita agentes, poſtquàm Chriſti fidem ſuſceperunt, terræ mortuos infodiſſe ſuos, neque Principum leges id fieri prohibentes curâſſe, ſcribit Theodoretus in nono de curandis Græcorum affectionibus

Digitized by Google

bus libro, & Clemens Romanus in ep. 1. ad Jacobum ex Petri traditione magnoperè commendat mortuos ſepelire, illorumque exequias peragere, pro eis orare, & eleëmoſynas dare. Cujus rei, dum Sanctus Dionyſius meminit in libro antè indicato; rationem quoque facti proponit. [Pontifex, ait, reponit in loco ho„ neſto corpus cum alijs ejuſdem ordinis ſan„ ctis corporibus. Si enim animo, & corpore „ Deo gratam vitam egit, in honore etiam, „ & pretio erit cum ſancto animo corpus, „ quod ſacris ſudoribus cum eo certavit.] Sed Sancti Ambroſij duo alia fuêre argumenta in lib. de Tobia hoc ergà mortuos officij genere præclarè perſuncto, c. 1. [Si enim viventes „ operire nudos lex præcipit, quantò magis „ debemus operire defunctos? ſi viantes ad „ longiora in domum deducere ſolemus; quan„ tò magis in illam terram profecturos, undè „ jam non revertuntur?]

Quartum addit Lactantius in libro de verò cultu c. 12. quia homo imago Dei eſt, neque patiemur figuram, & figmentum Dei feris, ac volucribus in prædam jacere; ſed reddamus id terræ, undè ortum eſt.

Quintum Sanctus Auguſtinus libro 1. de civitate Dei c. 13. & libro de cura pro mortuis gerenda c. 3. [Si enim paterna veſtis, & an„ nulus, ac ſi quid hujuſmodi, tantò charius „ eſt poſteris, quantò ergà parentes major ex„ titit affectus; nullo modo ipſa ſpernenda „ ſunt corpora, quæ multò familiariùs, atque „ conjunctiùs, quàm quælibet indumenta, „ geſtamus. Hæc enim non ad ornamentum, „ vel adjumentum extrinſecum; ſed ad ipſam „ naturam hominis pertinent.]

Id verò miro modo comprobavit in obitu Pauli primi eremitæ Deus; cùm enim Antonius ſarculum, quo terram foderet, corpuſque ſepeliret, non haberet; & ſi aliundè quæreret, vereretur, nè ſancti viri corpus interim voraretur à feris, duos Deus immiſit ex interiore eremi parte leones; qui humum ſcalpentes pedibus, cadaveris capacem locum foderunt, in quem mox Antonius depoſitum corpus, congeſta humo tumulum ex more compoſuit. Ita narrat S. Hieronymus, & inter illius opera quædam circumferuntur epiſtolæ illi adſcriptæ; quarum 13. eſt ad Ruſticum Narbonenſem Epiſcopum, de ſeptem gradibus Eccleſiæ; quorum primus eſt foſſariorum, quem clericorum ordinem facit, cujus officium eſſet foſſas fodere, ac mortuos ſepelire. Sanctus Anſelmus in com. ad cap. 3. ep. ad Hebr. iram Dei fuiſſe monet; quòd cadavera eorum, qui in deſerto mortui ſunt, non ſunt ſepulta, ſed inhumata beſtijs relicta.

Foſſariorum gradus in Eccleſia.

Duodecimus; Sepelire in loco ſacro, nam etſi Paulus hic in loco non ſacro ſepultus fuerit; locus tamen ſolitarius aliud non permittebat; & ipſe ſua ſanctitate locum ſanctificabat. Alioqui antiquiſſima fuit ſemper Eccleſiæ traditio, in Eccleſia, aut cœmeterio Eccleſiæ conjuncto ſepelire: Nam & Dionyſius non temerè non quovis in loco, ſed honeſto cum alijs ſanctis corporibus ſepultum dixit. Et Sanctus Cyprianus in ep. 4. libri primi de Martiale, & Baſilide tanquam grave crimen Martiali objicit, filios exterarum gentium more apud prophana ſepulchra depoſitos, atque alienigenis conſepultos. Tertullianus & cœmeteria nominat, & ſepultos mortuos, in libro de anima cap. 51. Et à Deo factum commemorat, ut in eo corpus corpori juxtà collocando, hoc alteri advenienti ſpatium receſſu communicaverit.

Sepelire in loco ſacro.

Sanè Monica Auguſtini Mater moritura non magnoperè de ſepulturæ loco fuit ſollicita; ſed ut ille refert in 9. confeſſ. libro c. 11. „ [Ponite, inquit, hoc corpus ubicumque, „ nihil vos ejus cura conturbet: tantùm vos „ rogo, ut ad Domini altare memineritis mei, „ ubi fueritis.] Providerat tamen ipſa ſibi ſepulchrum juxtà viri ſui corpus. Et in q. 161. in Geneſim, cur Jacob noluerit in Ægypto ſepeliri, ſed in terra Chanaän, ut eſt in libro Gen. cap. 47. eam reſpondit fuiſſe cauſam; quia cùm ſepultura mortuorum remiſſionem ſignificet peccatorum, juxtà illud Pſ. 31. Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quo„ rum tecta ſunt peccata: ibi voluerunt Patriarchæ ſepeliri, ubi crucifigendus erat ille, cujus ſanguine fieri debebat remiſſio peccatorum. Et veteres Chriſtianos quoque legimus affectâſſe ſemper ſepulturam propè Martyrum, ac Sanctorum corpora. [Nam ideò hoc à majori„ bus proviſum eſt (inquit S. Ambr. in ſer. de „ Sanctis Octavio, Adventitio, & Solutore) „ ut Sanctorum oſſibus noſtra corpora ſocie„ mus, ut dum illos tartarus metuit, nos pœ„ na non tangat.] Et Cynegius apud Auguſtinum in libro de cura pro mortuis gerenda c. 1. in baſilica Sancti Felicis voluit ſepeliri illius ſe meritis juvandum ſperans. Itaque mirari poſſis in Concilio Bracarenſi primo c. 36. fuiſſe decretum, nè corpora defunctorum intrà baſilicam Sanctorum ſepelirentur, ſed potiùs circà baſilicæ murum. Verùm Sanctorum Martyrum, qui intrà baſilicam ſolent quieſcere, reverentia ad hoc Patres illos induxit, quibus corpora noſtra non judicârunt eſſe ſocianda. Porrò ſcripſit de hoc argumento totum illum librum à Paulino requiſitus Auguſtinus, & in primo libro de civit. Dei cap. 12. & 13. eoque rem diſputando deduxit, ut iſta omnia, curatio funeris, conditio ſepulturæ, pompa exequiarum, magis vivorum ſolatia ſint, quàm ſubſidia mortuorum; ſi quid enim prodeſt impio ſepultura pretioſa, oberit pio vilis, aut nulla. Et rurſum in ſerm. 34. de

verbis

Digitized by Google

verbis Apoſtoli. [Pompa funeris, agmina „ exequiarum, ſumptuoſa diligentia ſepultu„ ræ, monumentorum opulenta constructio, „ vivorum ſunt qualiacunque ſolatia, non ad„ jutoria mortuorum, orationibus verò San„ ctæ Eccleſiæ, & ſacrificio ſalutari, & eleë„ moſynis, quæ pro eorum ſpiritibus erogan„ tur, non eſt dubitandum mortuos adjuvari : „ ut cum eis miſericordiùs agatur à Domino, „ quàm eorum peccata meruerunt.] Hoc enim à Patribus traditum in univerſa obſervatur Eccleſia.

Sepultura locus. Itaque locum, ubi ſepelitur, nihil vult per ſe prodeſſe mortuo, ſed affectionis humanæ ergà illum argumentum eſſe ; eatenùs autem prodeſſe dumtaxat, quatenùs dum recolunt vivi, ubi ſint poſita eorum, quos diligunt, corpora, eisdem Sanctis illos tanquam patronis ſuſceptos apud Dominum adjuvandos orando commendent. Propterea memorias, & μνημεῖα vocamus, & monumenta ; quòd eos, qui ibi conditi ſunt, in memoriam, & mentem revocant, ut pro illis oremus, eosque Sanctis tut claribus commendemus;quod ſanè illis prodeſſe dubium non eſt. Sed & in c. 6. Sanctorum corpora profert ab hæreticis in Gallia (quod noſtris quoque temporibus factum vidimus Lugduni, & alijs pluribus in locis) & canibus expoſita, & ignibus concremata, & in Rhodanum projecta. Quod à Deo propterea permiſſum aſſerit, ut Chriſtiani in confitendo Chriſtum, dum hanc contemnunt vitam, multò magis contemnere diſcerent ſepulturam. [Nihil enim nocet bonis, ait in „ elucidario Sanctus Anſelmus, ſi in cœme„ terio non ſepeliantur, quia ubicumque ſint, „ ſemper in gremio Eccleſiæ confoventur. „ Qui autem in pœnis ſunt, prodeſt, quòd in „ locis ſanctis corpora ſepeliantur; quia eorum „ precibus adjuvantur, quibus per ſepulturam „ ſociantur. Et cùm amici ibi conveniunt, de „ monumentis admoniti, preces pro eis Domi„ no fundunt. Contrà obeſt malis, ſi eis ſepul„ turà junguntur, à quibus per meritum longè „ disjunguntur. Undè & multi leguntur per „ dæmones effoſſi,& à ſacris longiùs projecti.]

Mortuorum funus. Decimus tertius ; concurſus, & frequentia populi ad deducendum ad ſepulturam mortuum cum cereis, & luminibus, & Pſalmis. Sanctus Joannes Chryſoſtomus hom. 4. in ep. ad Hebræos : [Quid ſibi volunt iſtæ lampades „ tam ſplendidæ ? nonnè ſicut athletas mortu„ os comitamur ? quid etiam hymni? nonnè ut „ Deum glorificemus, & gratias agamus,quòd „ jam coronavit diſcedentem,& à laboribus li„ beratum apud ſe habet ? nonnè propter hoc „ hymni,& pſalmodia ?] Et h.6. de pœnitentia, ſi pompæ in funeralibus defunctorum & primus, & medius, & noviſſimus eſt David. Quin etiam quinam cantarentur Pſalmi, in priori loco ſignificat ; cogita, inquit,quid pſallas in illo tempore ; Convertere, ais, anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi ; & iterùm : Non timebo mala, quoniam tu mecum es. Et iterùm ; Tu es refugium meum à tribulatione, quæ circumdedit me : Pſal. 114. 22. 31. Sed & cœleſtium, ac beatorum ſpirituum pſalmodiam in quorumdam obitu dum in cœlum deducerentur, anteà memoravimus ; & habet S. Greg. Papa hom. 40. in Evang. & libro 4. dialog. cap. 15. & Abrahami funus ab Imperatore, & Reginis, & toto populo deductum cum pſalmodia fuiſſe, leges apud Theodoretum in hiſtoria Sanctorum Patrum c. 17.

Sanctus Hieronymus in epitaphio Paulæ,ad illius funus conveniſſe narrat complures Epiſcopos, & ſacerdotum inferiorum innumerabilem multitudinem, omneque monaſterium virginibus,& monachis fuiſſe repletum, Paulamque Epiſcoporum manibus, & cervice fuiſſe tranſlatam, cùm alij Pontifices lampadas, cereoſque præferent, alij choros pſallentium ducerent, tota ad funus ejus Paleſtinarum urbium turba convenit, & in media Eccleſia ſpeluncæ Salvatoris eſt poſita.

Ad Fabiolæ item funus Roma tota convenit. Lege epitaphium ad Oceanum. Et in or. in laudem Cæſarij fratris Sanctus Nazianzenus Cæſarium mortuum ait cum multiplici hymnorum cantu fuiſſe deductum, celebrique pompa ad martyrum ſedes elatum ſanctis parentum manibus, matreque accenſas faces geſtante, & pſalmorum cantu luctum conſopiente ; & rurſùm in laudem Baſilij : [Effereba„ tur vir Sanctus Sanctorum manibus exalta„ tus : atque omnes operam dabant, partim ut „ fimbriam arriperent, partim ut umbram, par„ tim ut pheretrum vel ſolùm attrectarent. „ Pſalmodiæ luctu interrumpebantur, ac vin„ cebantur.] Et S. Nyſſenus in funere Pulcheriæ; [Tunc etiam magnus David ſuos hym„ nos, & laudum decantationes lamentationi„ bus accommodavit,ac pro hilari choro ſump„ to invicem triſti, ac lugubri, cantilenis,ad la„ mentationes invitavit.]

Hæc omnia, quæ nunc quoque factitari videmus ; hæretici noſtri temporis irrident, ac reſpuunt. Sed in Chriſti Eccleſia cognoſcimus omni tempore uſitata, ſummaque pietate retenta. Quin etiam in Conſtantij Imperatoris Ariani hominis funere facta fuiſſe, ſcribit Sanctus Nazianzenus oratione ſecundâ in Julianum : [In Conſtantij, inquit, Imperatoris fu„ nere publicæ laudes, pompæ, religioſi cultus, „ cantus, facium geſtationes,quibus nos Chri„ ſtiani pium è vita diſceſſum honore proſequi „ conſuevimus.]

Decimus quartus ; alicubi hoc in ſepeliendis mortuis ſervatum legimus, ut extrà civitatem *Extrà civitatem ſepelire.*

Digitized by Google

tatem potiſſimùm ſepelirentur, ut ingredientes haberent, quaſi antidotum adverſùs vanitates, & peccati occaſiones, quas in civitate eſſent viſuri. Meminit hujus rei Sanctus Joannes Chryſoſtomus in com. ad Pſalmum 5. dum illa tractat verba; Sepulchrum patens eſt guttur eorum; homines enim hoſce à nobis abigendos ſuadet hoc argumento; quòd mortua corpora extrà urbem ſepelimus; & h. de fide, lege naturæ, & Spiritu Sancto to. 3. [Om-„nis civitas, omne caſtellum, antè ingreſſum „ſepulchra habet, ut contendens intrare in ci-„vitatem, quæ floret divitijs, & potentatu, „videat primùm, quod ſit, dum antè oculos „eſt noſtræ humilitatis ſchola, & docemur in „quid deſinamus tandem.]

Servos veſtire. Decimus quintus divitum, & magnatum proprius: in quorum funere ſervi quoque, ancillæ, & equi ſacco amicti circumducebantur. Quod teſtatur Sanctus Chryſ. hom. 3. ad populum: [Divite aliquo mortuo, non ſer-„vos ſolos, & ancillas, ſed & equos ſacco ami-„cientes, & agaſonibus tradentes, ad ſepul-„chrum ſequi jubent, calamitatis magnitu-„dinem oſtendentes, & omnes ad miſericor-„diam allicientes.]

Hæc ſanè omni tempore, & in univerſa Eccleſia in mortuis ſepeliendis obſervata ex Apoſtolorum traditione video. Aliqua minoris momenti ſingularum Gentium propria fortaſsè reperias; in quibus Sanctus Auguſtinus tract. 120. in Joannem prudenter dixit, cujuſque Gentis morem eſſe ſervandum. Nam & Chriſtus ſepultus eſt, ut mos erat Judæis ſepelire, ut dicitur Jo. 19.

Animas non errare. Neque prætermittendus eſt error quorumdam, qui ut eſt apud Tertullianum in libro de anima c. 56. & Sanctum Cyrillum Alexandrinum in libro duodecimo in Jo. c. 36. mortuorum animas oberrare in terris, nec antè ad inferos redigi, quàm juſta ſepulturæ perceperint. Quin & immatura morte præventos eò uſque vagari, donec reliquatio, inquit Tertullianus, compleatur ætatis, quà cùm perveniſſent, ſi non intempeſtivè obijſſent. At in re ſeria, quid eſt opus fabulis? Accipiunt ſtatim ſententiam ſuam, atque ad promerita deſtinantur; deducunturque ad loca; ſive purgationis, ſive beatitatis, aut miſeriæ.

Nec minùs ridendum eſt illud, quod ut idem Tertullianus habet in libro de ſpectaculis c. 12. olim creditum eſt, defunctorum animas humano ſanguine propitiari; quam ob cauſam captivos, vel malo ingenio ſervos mercati, in exequijs immolabant. Non enim alieno, ſed proprio res agitur ſanguine; & propria cujuſque merita juſtus judex examinat, ut ſingulis præmia retribuat, aut pœnas. Orationibus, eleëmoſynis, cæteriſque pietatis operibus, ac præcipuè corporis Chriſti ſacrificijs adjuvantur, ut in libro de oratione ſatis eſt explicatum. Undè & annua defunctorum omnium commemoratio in Eccleſia, cujus & meminit Sanctus Auguſtinus in libro de cura pro mortuis gerenda c. 4. & S. Bern. in ſermone de tranſitu Malachiæ; & oblationes annuæ in die dormitionis, apud Tertullianum in libro de exhortatione caſtitatis c. 11. & in libro de monogamia c. 10. ſeu dies anniverſaria apud Sanctum Cyprianum epiſtolâ quintâ libri 4. & Auguſtinum ſermone 35. de verbis Apoſtoli. Et anniverſarij honores, & commemorationes apud Nazianzenum in laudem Cæſarij, & anniverſaria depoſitio apud Joannem Caſſianum collatione decimâ nonâ Abbatis Joannis c. 1. & natales dies defunctorum, hoc eſt, obitus, apud Sanctum Ambroſium in oratione de fide reſurrectionis. Et dies ſeptimus, & triceſimus apud Sanctum Anſelmum in elucidario, & triceſimus, & quadrageſimus apud Sanctum Ambroſium in oratione de obitu Theodoſij. Monicam Auguſtini matrem morientem poſtulâſſe, ut pro ſe mortua miſſæ ſacrificium offeretur, teſtis eſt ipſemet Auguſtinus in nono confeſſionum libro capite 11. 12. 13. proque Auguſtino item mortuo oblatum ſcribit in vita Poſſidonius c. 31. & Jacobum Epiſcopum pro quodam mortuo orâſſe, Theodoretus in hiſtoria Sanctorum Patrum c. 1. Et Sanctus Joannes Chryſoſtomus pluribus in locis non ſolùm ad hæc hortatus eſt populum hom. 32. in Matthæum, & 61. in Jo. & 21. in Acta, & 41. in priorem ad Corinthios, ſed etiam in homilia tertia in epiſtolam ad Philippenſes, & 69. ad populum, ab Apoſtolis confirmat inſtitutum fuiſſe, ut in Miſſæ ſacrificio mortuorum fieret commemoratio; propter ingentem ſcilicet utilitatem illorum. Hoc enim illis prodeſſe plurimùm ad ſatisfactionem, atque à pœnis liberationem, ſæpè Auguſtinus quoque demonſtravit in epiſtola 64. ad Aurelium, & in Enchyr. cap. 110. & ad Dulcitium quæſtione 2. & ſermone trigeſimo quarto de verbis Apoſtoli, & ſermone 44. ad fratres in eremo, & ex inſtituto in libro de cura pro mortuis gerenda. *Mortuorum commemoratio, & natio.*

Eleëmoſynæ pro mortuis. Conſueviſſe etiam Chriſtianos pro defunctis in die aut depoſitionis, aut anniverſario, convocare religioſos, Sacerdotes, & pauperes, illiſque parare epulum, ac multam largitionem facere, manifeſtum eſt, tum ex alijs omnibus, tum ex illis Origenis verbis libro 3. in Job: [Celebramus nimirùm, religioſos cum „Sacerdotibus convocantes; fideles unà cum „clero; invitantes adhuc egenos, & pauperes, „pupillos, & viduas ſaturantes, ut fiat feſtivi-„tas noſtra in memoriam requiei defunctis „animabus, quarum memoriam celebramus; „nobis autem efficiatur in odorem ſuavitatis „in conſpectu æterni Dei.]

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT XII.

Mortuorum animas non evocari à Magis.

UBI mortuus conditus ſepulchro fuerit, piorumque ſuffragijs commendatus, ſatis de morte dictum videri poſſit. At curioſitati aliquid indulgendum, quæ fortaſsè quærat; Num ſepulchri quies tanta ſit, ut inquietari non poſſit, mortuorum animabus ad nos evocatis. Nihil Poëtis familiare magis; ſed Poëtas, & Poëtarum fabulas mittamus. Magis moveat id, quod in primo Regum capite 28. factum legimus, muliere Pythoniſſa Samuëlis animam evocante, Saulique ſiſtente; quam mulierem, ut obiter dicam, Sanctus Hieronymus in traditionibus hebraicis, Hebræos tradit voluiſſe fuiſſe matrem Abner filij Ner, & propter illum reſervatam, dum Saulis juſſu cæteræ perimerentur Pythoniſſæ. Verè autem evocatum fuiſse Samuëlem viſus eſt ſentire Sanctus Juſtinus in dialogo cum Tryphone, cùm ejus animam dixit jubente Saule evocatam fuiſse per ſagam ventriloquam. Et Sanctus quoque Ambroſius lib. 1. in Lucam; eum dixit, poſt mortem ſecundùm Scripturæ teſtimonium futura non tacuiſse. Sic enim legimus in libro Eccl. c. 46. Sanè Scriptura apertis verbis Samuëlem evocatum dicit, & ille ſe inquietatum conqueſtus eſt; Quarè, inquit, inquietaſti me ut ſuſcitares? ac demùm ille annuntiavit Sauli futura, quæ dæmon annuntiare haud potuit, qui futurorum præſcius non eſt.

Verùm ad hæc omnia facilis eſt reſponſio; Umbram illam Samuëlem appellari, qui & ſe inquietatum dixerit, ex opinione Saulis, & Pythoniſsæ, qui Samuëlis animam eſse putarent. Alioqui dæmonem quempiam fuiſſe, per quem Deus futura prædixerit; ſicut & Act. 16. Pythoniſſa puella atteſtata eſt Paulo, & ut loquitur Auguſtinus, Evangeliſta eſſe conata eſt. Neque magnum erat diabolo antè diem occaſum corporis prævidêre, cùm ſigna quædam ſoleant apparêre morituris. Et Juſtinus idem apertè magis loquitur in qq. ad Gentiles q. 52. non Samuëlis animam evocatam, ſed præſtigijs dæmonis viſum Samuëlem fuiſſe. Quod veteres omnes ſenſiſſe video. Tertullianus in libro de anima c. 57. [Abſit, ut „ animam cujuſlibet Sancti, nedum Prophe„ tæ à dæmonio credamus extractam, edo„ cti, quòd ipſe Satanas transfiguratur in An„ gelum lucis, nedùm in hominem lucis ad „ evertendos, ſi fieri poteſt, electos.] Et S. Hier. in comment. ad caput 7. Iſaiæ, Samuëlem per incantationes, & artes magicas, ait viſum fuiſſe ſuſcitari. Et Sanctus Auguſtinus pluribus in locis hanc quæſtionem accuratè tractans, eandem ubique habet ſententiam. In ſecundo libro de mirabilibus Sacræ Scripturæ c. 11. his argumentis perſuaſus. Qui enim credi poſſit, Prophetam Dei dæmoniacis incantationibus, & præſtigijs à muliercula evocatum quietis ſuæ reliquiſſe locum? Num Propheta Dei Sanctus magiam, rem flagitioſiſſimam, comprobâſſet? quomodo Saul, qui à viventibus Prophetis Dei reſponſum non habuit, ſuſcitatum à morte audire meruit? quomodo iniquo regi diceret Propheta Sanctus, tu, & filij tui cras mecum eritis? quomodo eos ſui meriti conſortes eligeret, qui non ad quietis, ſed ad pœnarum locum abierunt? Neque vir juſtus adorari ſe permiſiſſet, qui ſolum Deum prædicaverat adorandum; permiſit autem ſub nomine Samuëlis Satan. Et in ſecundo libro qq. ad Simplicianum q. 3. & q. 6. ad Dulcitium; Samuëlem ait appellari phantaſma Samuëlis, & imaginariam illuſionem diaboli; quoniam ſolent rerum imagines nominibus earum appellari; ſicut pictura Cæſaris, aut Romæ, vocatur Cæſar, Romaque, & qui ſomniat quidpiam, vidiſſe illud dicitur; & Pharao Gen. 41. ſpicas, & boves vidiſſe affirmatur in ſomnis. Immò vero in q. 27. ex veteri teſtamento indignum facinus æſtimat arbitrari, arte magica attractum virum & nativitate ſanctum, & vitæ operibus juſtum. Idem penè habet in libro de cura pro mortuis gerenda c. 15. & Procopius in ſuis commentarijs in primum Regum, & Iſidorus libro octavo ethym. c. 9. & Gratianus c. Nec mirum 26. q. 5. alijque complures. Et Sanctus Joannes Chryſoſtomus homiliâ 29. in Matthæum. Si quando dæmoniacos audimus clamantes, anima talis ego ſum, fraudem, ac deceptionem diabolicam eſſe contendit. Non enim anima defuncti eſt, quæ iſta dicit; ſed dæmon, ut audientes decipiat. Nec enim poteſt, inquit, anima à corpore ſeparata in his regionibus errare. Non ergò poteſt evocari à magis, & necromantis.

At cùm Angeli, & boni, & mali non rarò ſponte appareant, Deo ſcilicet permittente; quid ni appareant interdum animæ? Si enim Paulus ex vivis in paradiſum raptus eſt, quemadmodùm ratiocinatur Sanctus Auguſtinus in libro de cura pro mortuis gerenda cap. 15. cur non poſſit aliquis ex mortuis ad vivos mitti? Et in Evangelio Matthæi c. 17. Moyſes, & Elias apparuerunt loquentes cum Jeſu. Et plurimas hujuſmodi viſiones, & apparitiones mortuorum apud SS. Patres, & in hiſtorijs legimus. Quanquàm non ſemper credendum eſt, id quod apparet, Angelum eſſe, aut bonum, aut malum, aut mortui cujuſpiam animam. Eſt enim non rarò imaginatio mera timidi hominis, nimiove dolore affecti. Videas homines, qui quot noctu in cœmeterijs, vel circà ſepulchra ſaxa vident, tot ſe animas vidêre arbitrentur. Interdum etiam bonus, vel ma-

Digitized by Google

lus apparet Angelus; dum de bono, malove aliquo agendo deliberamus, ſed & interdum ipſæ apparent animæ, aut ſuffragia poſtulantes, aut aliud quidpiam nos admonentes. Itaque magna eſt opus tum pietate, tum prudentiâ. Nec facilè credendum timidioribus tum mulierculis, tum etiam viris; adhibendæque orationes, eleëmoſynæ, aliaque his ſimilia; & ſi opus videatur, Eccleſiæ quoque exorciſmi: Eſt quippè res plena periculi, dæmonumque deceptionibus expoſita: nec temerè quidquam ſtatuendum. Porrò hunc Samuëlem; quem non hominis animam, ſed dæmonis præſtigium diximus, ſolito veſtimento veſtitum apparuiſſe, commemorat in quarto libro de anima, & ejus origine capite decimo nono Auguſtinus.

DE
MARTYRIO
LIBER I.

Martyrij mors. ALTER hic erit de morte liber, in quo de Martyrio diſſeram, hoc eſt, de morte omnium optima, & glorioſiſſima, quæ pro Chriſti fide, ac virtutis bono toleratur. Ut enim maximè in Deum charitatis eſt; ita maximum habet præmium, maximam gloriam, quod illis verbis teſtatus eſt Dominus Jo. 15. Majorem hâc dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Quam jure optimo David pretioſam appellavit in Pſalmo 115. verbis illis; Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus. [Pretioſa mors „ hæc eſt (inquit Sanctus Cyprianus epiſtolâ „ ſextâ libri ſecundi ad martyres, & confeſſo„ res Chriſti) quæ emit immortalitatem pre„ tio ſui ſanguinis, quæ accepit coronam de „ conſummatione virtutis.] [Namque, ut in „ comment. habet Sanctus Hieronymus, qui„ cumque Sanctus moritur ſua morte, licèt ſit „ Sanctus, non moritur ſecurus; horreſcit ejus „ conſcientia, quando videt Dominum. Mar„ tyr autem ſi & poſt baptiſmum peccaverit, „ tamen ſecundo baptiſmate martyrij ablutus, „ ſecurus vadit ad Dominum. Quare etiam „ lætus canit; Dirupiſti vincula mea. In mar„ tyrio quippè dirupiſti vincula meorum pec„ catorum, & de vinculis plicâſti mihi coro„ nam victoriæ.] Addit Sanctus Bernardus in extrema epiſtola 98. de Machabæis martyribus, duas res mortem facere pretioſam, vitam, & cauſam; ſed ampliùs cauſam, quàm vitam; illam in martyribus, hanc in confeſſoribus quoque; porrò illam eſſe pretioſiſſimam, quam & cauſa commendat, & vita.

CAPUT I.

Glorioſiſſimam ſemper fuiſſe martyrum mortem.

QUATUOR modis hanc martyrum gloriam conatus eſt obſcurare dæmon. *Contrà Martyres.* Primùm enim, ut habet S. Epiph. hær. 24. Baſilides ideò martyrium ſubeundum negavit, & ſine mercede affirmavit eſſe, quòd non pro Chriſto, ſed pro Simone toleratur, quippè illum, dum portaret Crucem, transformaſſe ſe dicit in Simonem Cyrenæum, & Simonem in ſe; neque ipſum, ſed Simonem crucifixum fuiſſe. Deindè conatus eſt ſimplicioribus quibusdam perſuadêre, animas violenta morte decedentium fieri dæmones. Nimirùm ut martyrum obſcuraret gloriam; cùm illi violenta morte decedant. autor eſt Sanctus Jo. Chryſ. concione 2. de Lazaro. Tum verò per Julianum apoſtatam, qui Imperator creatus martyrij gloriam Chriſtianis invidens, id egit, ut qui propter Chriſti fidem cruciabantur; non ut Chriſtiani, ſed ut facinoroſi afficerentur ſupplicio, autores ſunt Sancti Greg. Nazianz. orat. in laudem Cæſarij, & orat. in laudem Athanaſij, & orat. 1. in Julianum, & Theodoretus libro tertio hiſtor. c. 15. quam ob cauſam audita illius morte, velut martyribus agentes gratias, atque illorum gloriæ gratulantes, Chriſtianos ad illorum monumenta egiſſe choreas, & ſaltâſſe, c. 27. ſubjungit. De Valente quoque Imperatore ita ſcribit idem Nazianzenus in oratione ad centum quinquaginta Epiſcopos: „ [Chriſtianis ſub Valente, ut facere impi„ um, ita pati inglorium erat: quod nè injuriam quidem accipere viderentur; nec illuſtre

„ ſtre martyrij nomen ſupplicijs accederet; ſed „ hic quoque veritati fucus fieret, ut qui velut „ Chriſtiani cruciatus perferebant, velut im„ pij, & facinoroſi pœnâ afficerentur.]

Denique hæreticos etiam excitavit diabolus, ut Sanctus Epiphanius refert hær. 80. qui propterea Martyriani dicebantur, quòd eorum corpora ſepelirent, qui pro idolis martyrium ſubijſſent, ut & dæmones quoque ſuos habêre martyres viderentur.

Martyrem facere cauſam. Sed ut verè ratiocinatur S. Aug. in 4. libro de baptiſmo contrà Donatiſtas c. 17. Martyrium extrà Eccleſiam nullum eſt, nec quidquam prodeſt; quia ubi non eſt charitas, nec martyrium eſt, quod totum nititur charitati. Et Sanctus Ambroſius exponens caput 31. Proverbiorum; Mulierem fortem, quam quærebat Salomon, interpretatur Eccleſiam, quæ propterea fortis dicitur, quia mater eſt martyrum. Et S. Epiphanius hær. 68. Eccleſiam Catholicam Eccleſiam martyrum appellavit. Neque martyrem pœnam facere, ſed cauſam omnium fuit ſemper certa ſententia: [Non ſtatim martyr eſt, ait Sanctus Cyprianus in „ libro de duplici martyrio, qui occiditur: oc„ ciduntur, & ſicarij, & piratæ: non ſuppli„ cium facit martyrem, ſed cauſa.] Plurimum intereſt inter Barbaricam immanitatem, & martyrum modeſtiſſimam conſtantiam, in ſe imbecillem, in Chriſto fortem. Quod multis ſanctiſſimus martyr, eo loco perſequitur. Et Sanctus Auguſtinus epiſtolâ 61. ad Dulcitium; [Hæretici non poſſunt habêre marty„ rum mortem, quia Chriſtianorum non ha„ bent vitam, cùm martyrem non faciat pœna, „ ſed cauſa.] Quod etiam habet in epiſt. 167. ad Feſtum de Donatiſtis differens, & libro primo contrà epiſt. Parmeniani cap. 9. & libro tertio contrà Creſconium c. 47. & conc. 2. in Pſ. 34. & conc. 1. in Pſ. 68. & in ſer. 11. de Sanctis, in martyribus, dixit non pœnam in laude eſſe, ſed fidem in honore, & lib. contrà litteras Petiliani c. 23. [Si omnes, inquit, qui oc„ ciduntur, ſanguine ſuo baptizantur, omnes la„ trones, iniqui, ſcelerati, qui damnati feriun„ tur, martyres habendi ſunt, quia ſuo ſangui„ ne baptizantur. Si autem non baptizantur „ ſanguine ſuo, niſi qui occiduntur propter ju„ ſtitiam, priùs quærendum eſt propter quid „ patimini, & poſteà quid patiamini.] Et S. Jo. Chryſ. dum exponit caput primum epiſtolæ ad Galatas, & medicum, & latronem, ait, ſecare carnem, & oſſa frangere, & homicidas pariter, & martyres torquêri; nec tamen quia eadem patiuntur tormenta, eodem habêri loco; ſed plurimùm inter hos intereſſe, & illos; & orat. 1. adversùs Judæos, tom. 5. Nos amare martyres, & venerari; non quòd crucientur, ſed quòd ob Chriſtum cruciatus ferant. Et Sanctus Bernardus epiſt. 77. ad Hugonem de Sancto Victore, Martyrem non facere pœnam, ſed fidem, ſine qua martyrium nihil eſt, niſi pœna. Et martyrum mortem Sanctus Petrus Chryſologus in ſer. 101. pretioſam fieri dixit, non ſui qualitate, ſed cauſâ.

Cauſam verò tum Chriſti fidem, & confeſſionem dicimus, tum juſtitiam, & virtutem. *Martyrij cauſa duplex.* Quippè pro virtutis quoque, ac juſtitiæ defenſione plurimos fortiter occubuiſſe legimus, proque tuenda virginitate quot millia virginum pluſquam virilem conſtantiam, ac fortitudinem oſtenderunt? In quibus excruciandis, ut verbis utar Lactantij in libro de vero cultu c. 17. nova, & inuſitata excogitata ſunt: [Horret animus recordari, cùm im„ manium beſtiarum, ultrà ipſam mortem car„ nificina ſævierit. Has tamen execrabiles cor„ porum lacerationes invicta martyrum pati„ entia ſine ullo gemitu pertulit. Hæc virtus „ omnibus populis, atque provincijs, & ipſis „ tortoribus miraculum maximum præbuit, „ cùm patientiâ crudelitas vinceretur.] Atque hanc virtutem nihil aliud, quàm Dei, ac virtutis amor fecit; qui tantus etiam interdum fuit, ut quemadmodùm in tertio libro de virginibus Sanctus adnotavit Ambroſius, carnificum quoque manus non rarò prævenerint; & mulierculam cum infantulo in ulnis ad martyrium properantem, legis apud Theodoretum lib. 4. Hiſtoriar. c. 17. & de Melithone, & matre martyrum vehicula proſequentibus, audimus quotannis in Eccleſia recitari 7. Idus Martij. Veriùs de his dixeris illud, quod de antiquis Romanis epiſtolâ 24. ſcripſit Seneca: Acrior omninò ad occupanda pericula fuit virtus, quàm crudelitas ad irroganda. [Neque „ enim ad fuſtes (ſcribit ad Nemeſianum San„ ctus Cyprianus epiſt. 25. lib. 3.) Chriſtia„ num corpus expavit, cui erat ſpes omnis in „ ligno. Sacramentum ſalutis ſuæ Chriſti ſervi „ agnoverunt, redempti ligno ad vitam æter„ nam, ligno profecti ſunt ad coronam.] Et Tertullianus in libro adversùs Gnoſticos c. 5. in memoriam nobis primum noſtrum parentem revocat tam promptè currentem ad mortem. [Quid enim gravetur nunc pati homo „ ex remedio, quod non eſt tunc gravatus pati „ ex vitio? diſpliceat occidi in ſalutem, cui „ diſplicuit occidi in perditionem? nauſeabit „ ad antidotum, qui hiavit ad venenum?] Origenes libro 4. in epiſt. ad Rom. ad caput 5. verè dixit, ſolam mortem pro Chriſto cum audacia ſuſcipi, reliquam omnem mortem vix tolerari. Cauſam ſi quæras, reſpondebit Sanctus Bernardus ſermone 61. in Cant. quia non ſentit martyr ſua, dum Chriſti vulnera intuetur. „ [Stat tripudians, & triumphans, toto li„ cèt lacero corpore, & rimante latera ferro: „ non modò fortiter, ſed & alacriter ſacrum è „ carne ſua circumſpicit ebullire cruorem. Ubi

 tunc

Digitized by Google

„ tunc anima martyris? nempè in tuto, nem-„pè in petra, nempè in viſceribus Jesu, „ vulneribus nimirùm patentibus ad introeun-„dum, & quæ ſequ.] Extat epiſtola Sancti Ignatij Epiſcopi, & martyris glorioſiſſimi ad Romanos duodecima, ex qua tam ardens apparet martyrij deſiderium, ut pluribus non ſit opus.

CAPUT II.

Quid, & quotuplex Martyrium.

Martyr quid. SANCTUS Auguſtinus concione nona in Pſalmum 118. cùm in illa Davidis incidiſſet verba; Aufer à me opprobrium, & contemptum, quia teſtimonia tua exquiſivi. Teſtimonia, inquit, Græcè martyria nuncupantur; undè illos, qui propter teſtimonium Chriſti diverſis paſſionibus humiliati ſunt, & uſquè ad mortem pro veritate certârunt, nos latinè teſtes, græcè martyres appellamus, quos martyres dictos ait Sanctus Joannes Chryſoſtomus homiliâ quadrageſimâ ſeptimâ in Acta, quia cùm juberentur confitêri, omnia ſuſtinuerunt, ut veritatem dicerent: Nec mireris hanc Prophetæ orationem, in martyrum perſonâ petentis; Aufer à me opprobrium,& contemptum: quoniam illos aliquando contemptos, & irriſos teſtatur in Apolog. Tertullianus c. 50. [Sarmentitios, ait, & ſemarios appel-„latis; quia ad ſtipitem dimidij axis revincti „ ſarmentorum ambitu exurimur.] Sed reſpondet ille; [Non debetis contrà Chriſtianos „ martyres inſultare; quia volentes patiuntur, „ & condemnantur.] Quòd Judæis quoque irridentibus, & inſultantibus Chriſto in Cruce pendenti poteſt reſpondêri, reſpondet & Auguſtinus loco citato; Nullam hæc pœnam reputâſſe martyres, cùm indè potiùs pervenirent ad coronam: neque eos pro ſe, ſed pro irriſoribus orâſſe, quibus illud erat noxium, & damnoſum crucem, & martyrium Chriſti in martyribus irridêre.

Martyres Sarmentitij, & Semarij.

Martyrium duplex. Ergò ſi martyr teſtem, & martyrium teſtimonium ſignificat, quicunque pro veritate teſtimonium dederit, martyr eſt. Ità collegit idem Auguſtinus ſermone 232. de tempore. Et in libro de bono conjugali capite vigeſimo primo, martyrium nominat; tum in effectu, ut in Petro; tum in habitu, ac præparatione animi, ut in Joanne. Et in Com. ad Pſ. 140. & ſer. 44. & 60. ad fratres in eremo, non ſolùm in effuſione ſanguinis, ſed & in abſtinentia peccatorum, & obſervatione præceptorum Dei, vult eſſe martyrium. Itaque in unaquaque actione martyres nos eſſe poſſe affirmavit Clemens Alexandrinus lib. ſtrom. 4 Et Paulam in epitaphio ad Euſtochium, longo ſcripſit Sanctus Hieronymus martyrio coronatam, quod de confeſſoribus cunctis dixit Sanctus Bernardus in ſermone de Sancto Benedicto, & ſer. 1. de octava Paſchæ. Et confirmat Sanctus Joannes Chryſoſtomus com. in Pſal. 95. & hom. 9. in epiſt. ad Philippenſes, & homil. 11. in epiſt. ad Hebræos, & or. 5. adversùs Judæos. Verùm ex inſtituto Sanctus Cyprianus ep. 6. lib. 3. illis, qui in carcere moriuntur, etſi torti non fuerint, martyrum honorem exhibêri, & inter martyres vult habêri. Et in libro de duplici martyrio; etſi Eccleſiæ conſuetudo martyres propriè illos appellet, qui in tormentis uſquè ad mortem perdurârunt in profeſſione nominis Chriſti, & Evangelicum inſtrumentum ſanguine ſuo, velut obſignârunt: omnis tamen, ait, qui mortem ſubire propter nomen Domini paratus erat, & in tormentis confeſſus eſt; omnis, qui carnem ſuam crucifixit cum vitijs, & concupiſcentijs, Chriſto verè commortuus, & omninò quiſquis hoc animo juſtitiam ſequitur, ut mortem citiùs admiſſurus ſit, quàm velit à juſtitia deflectere; huic voluntas pro martyrio deputabitur, quemadmodùm contrà, mercedem apoſtatæ feret, qui hoc animo vivit, ut Chriſtum ſit negaturus, aut juſtitiam deſerturus, ſi jactura bonorum, aut corporis cruciatus, aut mors ſit accipienda. Nam & in martyre, inquit Sanctus Hieronymus lib. 2. adversùs Jovin. c. 17. voluntas, ex qua ipſa mors naſcitur, coronatur.

Ita duplex omninò conſtat martyrij genus, alterum cum ſanguinis effuſione, alterum ſine ſanguine, quæ pluribus Cyprianus tractat; & paucis confirmat Chryſ. oratione quintâ adversùs Judæos. [Non is modò, ait, marty-„rium peragit, qui juſſus ſacrificare, potiùs „ ducit emori, verùm etiam ſervare, quod „ juſtum eſt, ac ſponte propter Deum mortem „ accerſere, manifeſtum eſt martyrium.] Abel in lege naturæ Deum honorans, teſtis,& martyr ſanguinis effuſione fuit: Et Abraham, item Iſaäc, Jacob, & Job, ſine ſanguinis effuſione, ſecundo loco teſtes, & martyres Cyprianus agnovit. Atque in lege veteri Machabæos, & tres pueros in caminum ignis injectos, *Machabæi martyres.* illos morientes, hos incolumes à Deo ſervatos; Origenes libro quarto in caput quintum epiſtolæ ad Romanos, & Sanctus Nazianzenus orat. de Machabæis, & Sanctus Athanaſius oratione 3. contrà Arianos, & in Synopſi Scripturæ,& S. Io. Chryſ. h. 4. de verbis Iſaiæ: Vidi Dominum, & h. de nativitate illorum, tom. 1. & Sanctus Ambroſius lib. 1. offic. c. 41. fuerunt, & alij complures; ſed cur ab Eccleſia ſoli præ cæteris celebrentur Machabæi, diſputat Sanctus Bernardus epiſtolâ 98. in nova dènique lege innumerabiles utriusque generis fuere martyres, quorum etſi primus numerari ſoleat Stephanus, quòd primus poſt Chriſti paſſionem, & mortem paſſus pro illo fuerit

Digitized by Google

rit act. 7. & antè illum SS. Innocentes martyres, Matth. 2. omnium tamen ſummus, & primus, ſi non tempore; certè dignitate, & virtute, qui & in martyribus cunctis pugnat, & vincit, & verò etiam paſſionum acerbitate Chriſtus agnoſcitur, propter cujus fidem cæteri omnes paſſi ſunt, nec modo qui poſt, ſed & qui antè illum fuerunt, quod apertè locutus eſt Sanctus Gregorius Nazianzenus in orat. ſignificata, cùm neminem dixit, eorum, qui antè Chriſtum natum martyrio perfuncti ſunt, id ſine Chriſti fide conſecutum fuiſſe. Nam & quotquot omni tempore ſalutem conſecuti ſunt, per hanc conſecuti ſunt fidem, ut alibi ex omnium Patrum ſententia dictum eſt. Propterea ſummum martyrum Sanctus Cyprianus appellavit, & caput martyrum Sanctus Auguſtinus ſermone 2. de Sanctis, & primum martyrem Sanctus Nazianzenus oratione in laudem Cypriani.

Chriſtus primus martyr.

CAPUT III.

De Martyrio ſanguinis.

DUo ſanè præcipua fuerunt teſtimonia, quibus Chriſti religio in animis hominum, ſtabiliretur, miracula & martyria, nullum tamen, inquit Cyprianus eſt illuſtrius teſtimonium apud homines, quàm ſanguinis; hoc eſt vitæ propter Deum contemptæ, & mortis fortiter toleratæ. Nullum indubitabilius inſtrumentum; quàm quod Chriſti, ac tot martyrum ſanguine ſignatum eſt. Accommodatè ſanè in hanc ſententiam ratiocinatur Sanctus Jo. Chryſ. hom. 4. in priorem epiſtolam ad Cor. verba illa Pauli tractans, Judæi ſigna petunt, & Græci ſapientiam quærunt; Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum, Judæis ſcandalum, Gentibus ſtultitiam. Crux enim non ſignum videtur eſſe, ſed ſigni abolitio; non virtutis oſtenſio, ſed imbecillitatis argumentum; non ſapientia, ſed ſtultitiæ opinio. Cùm igitur illi, qui ſigna, & ſapientiam quærebant, per contraria, hoc eſt, per crucem, & mortem, fuerint perſuaſi; nonnè Dei virtus magis oſtenditur? ſi quis in mari jactatum, & quærentem portum ad aliam pelagi turbulentiorem deducens partem ſalvaret: & medicus non per medicinam; ſed per aliud gravius vulnus ſanaret; nonnè majoris exiſtimaretur eſſe virtutis? Ita Chriſtus Jo. 9. per lutum, quod excœcare poterat, cœcum illuminavit, & maris tumorem, ac impetum Deus arena cohibuit, cruceque, morte, per martyrium mundum convertit, religionem fundavit, homini attulit vitam. Et cùm totus mundus, Imperatores, philoſophi, & ſapientes omnes extinguere crucifixi nomen, ac fidem conarentur, tantò tamen magis illuſtrârunt. Ut omninò verè, ac ſapienter à ſapientiſſimis Patribus argumento à terræ ſementibus ducto, fuerit pronuntiatum, martyrum ſanguinem ſemen eſſe Chriſtianorum, quod jactum in terram multiplicet plurimum, quod in apologetico dixit Tertullianus c. 50. Et Sanctus Cyprianus in libro ſæpiùs indicato, de duplici martyrio, & Sanctus Auguſtinus in Pſ. 40. [Occiſi, ait, ſunt martyres ad „ multiplicandam Eccleſiam, valuit ſanctus „ ſanguis ſeminatione.] Et in Pſ. 88. [Mar„ tyres occidit, ſemen ſanguinis ſparſit, ſeges „ Eccleſiæ pullulavit.] Et Sanctus Leo ſer. 6. de Epiphania; [Cruenta impietate in Dei po„ pulum ſæviebant, neſcientes Eccleſiam Dei „ per furorem ſuæ crudelitatis augêri;] Et ſer. 1. in Natali Petri, & Pauli; [Non minuitur „ perſecutionibus Eccleſia, ſed augetur, & „ ſemper dominicus ager ſegete ditiori veſti„ tur, dum grana, quæ ſingula cadunt multi„ plicata naſcuntur.]

Martyrium fidei teſtimonium.

Sanguis martyrum ſemen Chriſtianorum.

Alij velut aquam irrigantem Eccleſiæ terram, ut majorem afferat fructum. Ita Sanctus Auguſtinus in libro de catechizandis rudibus c. 24. & in Pſ. 140. [Quid eſt factum de tot „ mortibus martyrum, niſi ut tanquam irriga„ ta terra ſanguine teſtium Chriſti, pullularet „ ubique ſeges Eccleſiæ?]

Aqua irrigans Eccleſiæ terram.

Alij velut oleum in ignem injectum, & velut ſylvæ ſucciſionem, vitiſve putationem Theodoretus libro 9. de curatione Græcarum affect. [Fidem Chriſti multiplicârunt, ſicut „ qui oleum in ignem injicit, flammam auget; „ & qui ſuccindit ſylvam, plures facit propagi„ nes pullulare; cruorque illæ cæſorum cor„ porum irrigatio quædam erat, novis in Ec„ cleſia emergentibus plantis.] Utrùm Tertul. eandem ſylvæ ſucciſionem, an pratorum, ſeu herbarum reſpexerit, non facilè dixerim: dixit tamen ille loco jam notato; [Plures efficimur, „ quoties à vobis metimur.] Et Cypr. Davidicum illud attendens in Pſ. 79. de Eccleſiâ dictum; Extendit palmites ſuos uſque ad mare, &c. [Quò plus, inquit, ſanguinis effuſum eſt, hoc magis, ac magis effloruit mul„ titudo fidelium; hoc latius ſparſit ſuas pro„ pagines illa beata vitis à Chriſto ſtirpe ſur„ gens, & occupans orbem univerſum.]

Oleum in ignem injectum.

Rem concludam verbis Sancti Ambroſij ſcribentis ad Valentinianum Imperatorem: „ [Nunquam nobis ampliùs contulerunt, quàm „ cùm verberari Chriſtianos, atque proſcribi, „ & necari juberent. Præmium fecit Religio, „ quod perfidia putabat eſſe ſupplicium.] Virginum voluit S. Cypr. ep. 25. lib. 3. ad Nemeſianum, fructum eſſe ſexageſimum, martyrum centeſimum, ubi de virginibus martyribus ſcripſit; [Nec Virgines deſunt, quibus ad ſexagenarium fructus centenus acceſſit, quaſ„ que ad cœleſtem coronam gloria germinata provexit.]

Digitized by Google

Martyrij corona. „ provexit.] Duplicem namque habent coronam virginitatis candidam, martyrijque purpuream. [Erat anteà in operibus fratrum candida (ſcribit idem ipſe ad martyres extremâ epiſtolâ ſextâ lib. 2.) nunc facta eſt in martyrum cruore purpurea, certent ſinguli ad utriuſque honoris ampliſſimi dignitatem. Accipiant coronas, vel de operibus candidas, vel de ſanguine purpureas. In cœleſtibus caſtris, & pax, & acies habent flores ſuos, quibus milites Chriſti ad gloriam coronantur.] Extat, & alibi ſæpè hujus coronæ mentio. Donante Chriſto, ut Ambroſius loquitur in ſecundo libro de vocatione Gentium cap. 5. imitatoribus ſuis de perſecutionibus regum æternarum ſtemmata coronarum.

Martyrum veſtimentum purpureum. At non ſolùm coronas martyrum purpureas in capite legimus: ſed etiam propter ſanguinem corpore toto manantem, purpureum totius corporis veſtimentum. Etenim Sanctus Auguſt. libro primo de conſenſu Evangeliſtarum c. 32. Eccleſiam dixit non timuiſſe hominum minas, & furias, quando in ſanguine martyrum, tanquam honore purpureo veſtiebatur. Et Sanctus Proſper in libro de promiſſionibus, & prædictionibus Dei par. 1. cap. 27. propterea Joſeph in Ægypto venditum coquorum præpoſito dixit, quia coco rubra veſtis paſſionis Chriſti ſignificabatur, quâ Chriſtianus populus primatum alteri auferret populo, & in Sanctis martyribus veſtiendus erat. Nam & Gen. 49. legitur; Lavabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine uvæ pallium ſuum; & Cant. 5. Dilectus candidus, & rubicundus deſcribitur. Et apud Iſaiam cap. 63. quæritur; Quare rubrum eſt indumentum tuum, & veſtimenta tua, ſicut calcantium in torculari? Salomon quoque in libro Cant. c. 3. feciſſe ſibi narratur reclinatorium, cujus aſcenſus erat purpureus; quod Sanctus Gregorius Papa martyres interpretatur ad beatam vitam per aſcenſum purpureum effuſi ſanguinis aſcendiſſe: ſicut & c. 4. mala punica, quæ ſub rubro cortice rubra item grana continent; & c. 5. genas ſponſæ eoſdem intelligit martyres, qui effuſo rubeſcunt ſanguine, quod Sanctus anteà confirmaverat Ambroſius in tertio exameron. libro c. 13. cùm dixit; Ut cortex mali punici genæ tuæ: [Eccleſia enim bonum fidei fulgorem, confeſſioniſque prætendit, tot martyrum ſanguine ſpecioſa, & Chriſti cruore dotata.]

Martyres quid. Hos, & Heroäs Eccleſiæ nominavit Sanctus Auguſtinus libro 10. de civitate Dei c. 21. & ligna imputribilia, ex quibus fabricata erat arca, idem in tract. 6. in Jo. & Orionas Sanctus Gregorius libro 9. moral. cap. 6. quia ut illi hyemis tempore orti, tempeſtates excitant, & maria, terraſque perturbant, ſic martyres pondus perſequentium, moleſtiaſque paſſuri, ad cœli faciem, quaſi in hyeme venerunt. Et Eccleſiæ theſaurum Sanctus Ambroſius in tertio libro de virginibus; quia Chriſtum portant in ore, cùm Chriſtum in confeſſione loquuntur; & paradiſi clavem Tertullianus in libro de anima c. 55. [Tota, inquit, Paradiſi clavis tuus ſanguis eſt;] Et veræ vitæ principium Clemens lib. 4. ſtrom. & totius mundi nodum Nazianz. or. ad Julianum de ſuis ſermonibus; & animatas columnas or. in laudem Baſilij; & Chriſti triumphum, Ambroſius in exhortatione ad Virgines Chriſti ait; [Principis noſtri triumphi ſunt martyrum palmæ;] Et Hieronymus in epiſtola ad Hedibiam q. 11. triumphus Dei eſt paſſio martyrum pro Chriſti nomine cruoris effuſio, & inter tormenta lætitia; quod totidem verbis habet etiam Anſelmus ad caput 2. poſterioris epiſtolæ ad Cor. Et vindemiam Ambroſius ſer. in feſto Sancti Cypriani martyris; ſicut enim uvarum expreſſione vinum funditur, ita etiam Sanctorum martyrio ſanguis effunditur; & apud Bernardum ſer. 60. in Cant. vineæ noſtræ flos eſt opus, odor opinio, fructus martyrium; & ebrietatem, Martyres quippè ebrij erant vino charitatis, & amoris divini, ut neque parentes agnoſcerent, neque filios, neque uxores, ut habet Auguſtinus in Pſ. 65. & 74. Quare & in Pſ. 22. dicebat David; Et calix meus inebrians quàm præclarus eſt! [Rectè enim, inquit Ambr. ſermone proximè citato, calix martyrio comparatur; quia ſicut calix lætificat, cùm bibitur, ac omnis humor noxius vini calore decoquitur, ita & martyrij poculum cùm hauritur, omnes terrenarum affectionum fœces expurgantur.]

Planè martyrum fides, ut habet Sanctus Bernardus ſer. in vigilia Sancti Andreæ Apoſtoli, eſt granum ſynapis, quod martyrij piſtillo attritum, fervorem tantum protulit. Atque hoc demùm eſt, quod Matth. c. 10. Dominus dixit; Qui perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam. Perdere namque, ut Sanctus Athanaſius loquitur ſer. in illud profecti in pagum, &c. non eſt, ut perniciem animæ noſtræ conciliemus; ſed ut tempore martyrij neque poſſeſſionibus, neque liberis, neque parentibus, neque corpori, neque ipſi quidem animæ parcitum velimus; ſed nos offeramus uſquè ad mortem. In his enim maximè verum eſt illud Apoſtoli in 2. ad Cor. ep. c. 6. Quaſi morientes, & ecce vivimus; quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes, quoniam ut eo loco adnotavit Anſelmus in adverſis dictum eſt (quaſi) in proſperis non item, ſed Semper autem gaudentes. *Quaſi.* Triſtitia noſtra habet (quaſi) quia velut ſomnium tranſit, & qui ſomnium narrat, addit (quaſi) ut videre eſt Gen. 37. Putabam quaſi conſurgere manipulum meum; &

Digitized by Google

& rurſum; Vidi quaſi ſolem, & lunam. Et Judic. 7. Videbatur mihi quaſi ſubcinericius panis. Et Dan. 2. Quaſi ſtatua una grandis. Et nos dicimus; Quaſi ſedebam, quaſi prandebam, & ſimilia. Verè quaſi quia cùm evigilaveris, non invenis id, quod videbas. Martyrum paſſiones, & tormenta fuerunt quaſi; quia citò tranſierunt; at de gloria, quæ ſubſecuta eſt, dicitur: Semper autem gaudentes. Itaque ut or. in laudem Cypriani dixit Nazianzenus: [Hæc eſt omnium præſtantiſſima „ negotiatio; quâ perexigui ſanguinis pretio „ cœleſte regnum emitur; ac brevia & fragilia „ bona cum ſempiterna gloria commutantur.]

CAPUT IV.

Martyrium ceu baptiſmum peccata remittere.

SED illud ad martyrij commendationem plurimùm facit, quòd peccatorum omnium remiſſionem habet; nec actualium modò, ſed & originalis. Quare & cathecumenos quoque martyres legimus, quod de Geneſio ſcribit Euſebius Emiſſenus in homilia de illius natali, & de Sancta Emerentiana Ambroſius in ſerm. ſeu epiſt. ad virgines ſacras ep. 34. & à veteribus velut alter baptiſmus ſemper eſt habitus. S. Auguſtinus in libro de Eccleſiaſticis dogmat. c. 74. & habetur cap. Cathecumenum. de conſec. d. 4. Nullum ſine baptiſmo ſalutem, ait, conſequi, & ſi cathecumenus, & in bonis operibus moriatur, excepto martyrio, in quo omnia baptiſmi ſacramenta complentur. Nam ut baptizandus, fidem coràm ſacerdote confitetur; ita & martyr coram perſecutore; ille poſt confeſſionem aſpergitur aqua, vel intingitur; hic ſanguine ſuo lavatur. Et lib. 13. de civit. Dei c.6. & 7. [Mors, inquit, eſt „ pœna peccati, hominiſque naſcentis; ſed ſi „ pro pietate, juſtitiaque pendatur, fit gloria „ renaſcentis; & cùm peccati ſit retributio, „ aliquando impetrat, ut nihil retribuatur: & „ qui non percepto regenerationis lavacro pro „ Chriſti confeſſione moriuntur; tantum eis „ valet ad dimittenda peccata, quantum ſi „ abluerentur ſacro fonte baptiſmatis, & quæ „ ſeq.] Et libro quartò de bapt. contrà Donatiſtas cap.22. & habetur cap. Baptiſmi vicem. d. ead. Martyrium ſupplêre baptiſmi vicem, oſtendit ex latrone, cui non baptizato dictum eſt à Domino: Hodiè mecum eris in paradiſo. *Luca 23.* Et lib. 1. de anima, & ejus origine cap. 9. „ [Nemo fit membrum Chriſti, niſi aut bap„ tiſmate in Chriſto, aut morte pro Chriſto.] *Latro martyr.* Undè & latro ille non antè crucem Domini ſectator, ſed in cruce confeſſor, à Sancto Cypriano inter martyres computatur, qui ſuo ſanguine baptizatur; quod pleriſque non baptizatis fervente perſecutione evênit. Quanquàm incertum eſſe ſubjungit, an anteà fuiſſet latro ille baptizatus: neque incredibiliter dici poſſe, eum aquâ illâ, quæ de latere Chriſti exivit, velut baptiſmo fuiſſe perfuſum; Et S. Jo. Chryſ. com: in Pſ. 95. ex his, qui occiduntur, non nullos, ait obnoxios eſſe peccatis; Dominum autem per temporariam afflictionem diluere peccatum, & per corporum plagas extinguere animæ vulnera. Et homiliâ 35. operis imperfecti, baptiſmum dixit appellari ſimilitudine lanæ intinctæ. Sicut enim intingitur naturalem habens colorem, ut coloretur purpura, aut colore alio; ſic & nos in mortem corporales deſcendimus, & reſurgimus ſpirituales, ſicut ait Apoſtolus; Seminatur in infirmitate, ſurget in gloria. Ac demùm Euſebius Emiſſenus de Sancto Geneſio loquens cathecumeno, non alio baptiſmo, quàm ſuo ſanguine, baptizato. [Non tingi„ tur, inquit, fonte, ſed abluitur paſſione; „ non vivificatur baptiſmate, ſed morte rege„ neratur.] Et quid de Sanctis parvulis Innocentibus Matth. 2. ab Herode trucidatis dicendum eſt; quos ut Sanctos martyres colit Eccleſia; nec alio, quàm ſui ſanguinis baptiſmo regenerati ſunt?

Atque hûc ſpectat illud, quòd martyrio dicuntur peccata remitti omnia; hæc enim baptiſmi gratia eſt. *Peccata cuncta remittit.* Tertullianus in extremo apologetico. Ut totam, ait, Dei gratiam redimat, ut omnem veniam compenſatione ſanguinis ſui expediat. Omnia enim huic operi delicta donantur. Et libro adversùs Gnoſticos c.6. [Poſuit ſecunda ſolatia; & extrema præ„ ſidia dimicationem martyrij, & lavacrum „ ſanguinis exindè ſecutum. De cujus fœlici„ tate David; Beati, quorum dimiſſa ſunt deli„ cta, & quorum opertæ ſunt iniquitates; Be„ atus, cui non imputavit Deus delictum. Pro„ priè enim martyribus nihil jam reputari po„ teſt, quibus in lavacro ipſa vita deponitur; „ ſic Dilectio operit multitudinem delicto„ rum.] Sed & in libro de pudicitia c. 22. alterum baptiſmum martyrium appellat: [Ha„ beo enim, ait, aliud baptiſma, undè & ex „ vulnere lateris Dominici aqua, & ſanguis „ utriuſque lavacri paratura manavit.]

Nec ſolùm martyribus omnia teſtatur relaxari peccata; ſufficiat, ait, martyrij propria delicta purgâſſe: ſed illos etiam abſolviſſe alios, dum commendatitios lapſis libellos dabant. *Martyrum libelli commendatitij.* Cùm enim in Eccleſia dixiſſet eſſe poteſtatem remittendi peccata; juxtà illud, Tibi dabo claves, &c. mox ſubjungit. At tu jam & in martyres tuos effundis hanc poteſtatem, &c. Et in libro quoque ad martyres c. 1. lapſos narrat petijſſe à martyribus in carcere conſtitutis libellos hoſce commendatitios, ut ad pœnitentiam reciperentur; quin etiam

etiam Origenes homiliâ ſeptimâ in lib. Judic. Baptiſmum ſanguinis affirmat puriores nos facere, quàm baptiſmus aquæ fecerit: quoniam hoc accepto peccare rursùm potes, illo autem non item: Hoc præterita peccata purgantur, illo & futura perimuntur; hoc peccata dimiſſa ſunt, illo excluſa.

Dum verò petijſſent diſcipuli ſedêre ad dexteram Domini, & ad ſiniſtram; reſpondit illis (Matth. 20.) Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? & addidit Marc. 10. Aut baptiſmo, quo ego baptizor, baptizari? quæ ambo ad martyrij paſſionem voluerunt aliqui pertinêre: ſed mavult Origenes homiliâ duodecimâ in Matth. calicem ſignificare paſſionem dolorum; baptiſmum verò peccatorum remiſſionem, quam in paſſione martyr accipit; ideò enim martyrium baptiſmus vocatur, quòd in eo, ut in baptiſmo, remiſſionem accipimus peccatorum. Et in Pſal. 31. à Davide tria audivimus pronuntiata, primum; Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates; alterum: Et quorum tecta ſunt peccata, tertium; Beatus, cui non imputavit Dominus peccatum; quem locum accipiens hic ipſe Origenes in 2. lib. ad caput ſecundum epiſt. ad Rom. Iniquitates remiſſas, ait, per baptiſmum, peccata tecta per pœnitentiam, neque imputatum peccatum per martyrij gloriam. Deque Sancto Cypriano prodidit Sanctus Auguſtinus in epiſt. 48. ad Vincentium, ſi quid ab eo fortaſſe fuit erratum, atque in eo emendandum purgatum in illo fuiſſe falce paſſionis.

CAPUT V.

Martyribus plurimum ſemper honorem fuiſſe exhibitum.

ETENIM quò magis in præſenti vita conculcata ſunt, acerbioribuſque tormentis lacerata Sanctorum martyrum corpora, eò magis glorioſa nunc ſunt in cœlis coram Deo, & verò etiam in terris apud homines. Ut nimis omni nò honorati ſint amici Dei; neque jam condignæ toleratæ paſſiones appareant, dum revelata in illis gloria conſideratur. De divina, ac cœleſti gloria nihil attinet dicere, neque à nobis ſatis dici poteſt: dicam ſolùm de ea, quæ apud homines eſt. Universè, & paucis collegit S. Auguſt. conc. 26. in Pſalm. 118. [Purpurata eſt „ universa terra ſanguine Martyrum, floret „ cœlum coronis Martyrum, ornatæ ſunt Ec„ cleſiæ memorijs Martyrum, inſignita ſunt „ tempora natalibus Martyrum, crebreſcunt „ ſanitates meritis Martyrum.]

Martyres in carcere viſitati. Principio igitur ſolitos fuiſſe veteres Chriſtianos in carceribus detentos Martyres viſitare, pièque illorum vincula, & catenas oſculari, teſtatur Tertullianus lib. 2. ad uxorem cap. 4. [Quis in carcerem ad oſculanda vincula „ Martyris reptare patietur?] Immò & lapſos ad pœnitentiam redeuntes, petijſſe à Martyribus pacem, commendatitioſque libellos, ut ad pœnitentiam reciperentur, in præcedenti capite dictum eſt ex eodem Tertulliano. Deindè illorum jam defunctorum corpora diligenter conſtat conquiſita ſemper fuiſſe, atque ſub altari Eccleſiæ condita S. Ambroſius in lib. de hortatione ad virginitatem, cùm templum extructum dedicaret; [Munera, inquit, ſalutis accipi„ te, quæ nunc ſub ſacris altaribus recondun„ tur.] Et in epiſt. ad Marcellinam ſororem, de inventione SS. martyrum Gervaſij, & Protaſij; „ [Succedant victimæ triumphales in locum, „ ubi Chriſtus hoſtia eſt. Sed ille ſuper altare, „ qui pro omnibus paſſus eſt: iſti ſub altari, qui „ illius redempti ſunt paſſione. Hunc ego lo„ cum prædeſtinaveram mihi (nam & ſacerdo„ tes ſub altari condebantur) dignum eſt enim, „ ut ibi requieſcat ſacerdos, ubi offerre conſue„ vit: ſed cedo ſacris victimis dexteram porti„ onem.] Locus iſte martyribus debebatur. Et S. Auguſtinus ſermone 11. de Sanctis; [Mar„ tyrum, inquit, corpora rectè ſub altari collo„ cantur, ubi mors Domini quotidiè celebra„ tur, & ſanguis effunditur.] Hic locus, ubi conditus erat, Martyrium, quaſi martyris locus vocabatur. Sanctus Auguſtinus libro 22. de civitate Dei cap. 8. [Cùm loci Sancti cancel„ los, ubi martyrium, hoc eſt, locus marty„ ris erat, idem juvenis orans teneret.] Poſt tamen ad aliorum etiam Sanctorum ſignificanda ſepulchra, traducta fuiſſe vox videtur. Quippè in Sancti Hilarionis, non martyris, ſed confeſſoris vita ſcripſit S. Hieronymus cauſam occultandi tumuli juxtà præceptum Antonij fuiſſe, nè pergamus, qui in illis locis ditiſſimus erat, ſublato ad villam ſuam Sancti corpore, martyrium fabricaretur.

Corpora conquiſita.

Martyrium.

Martyrum hiſtoria. Martyrum porrò hiſtoriam accuratè collectam, & diligenter à viventibus conquiſitam, & conſervatam, nominis, inquam, loci, temporis, paſſionis, tyrannorum, ac præfectorum, manifeſtum eſt, ex illis, quæ in martyrologijs quotidiè leguntur in Eccleſia. Sanctusque Clemens Papa ſeptem notarios Romæ inſtituit, qui martyrum adnotarent geſta. Et Sanctus Fabianus ſeptem ſubdiaconos creavit, qui à notarijs ea colligerent; atque martyrum omnium geſta habita fuiſſe Romæ, indèque cæteris Eccleſijs communicata, conſtat ex Sancto Gregorio libro ſeptimo regiſtri capite vigeſimo nono, & Sanctus Cyprianus epiſtolâ ſextâ lib. 3. diligenter notari vult dies, quibus excedunt.

Martyrum templa, & feſta. Tum verò in Eccleſia extructa ſemper fuerunt illis templa, ut pòſt dicetur, & dies illorum feſti inſtituti Sanctus Martialis, Apoſtolicus vir ad Burdegalenſes ſcribit ſe Beato Stephano

Digitized by Google

Stephano extruxiſſe templum; quod & confirmat Aurelianus in illius vita. Et Epheſi dicatum templum Joanni Apoſtolo, Abdias teſtatur in quinto libro, & Sanctis Judæ, & Simoni, libro ſexto deque diebus feſtis ſic habet in 8. conſtit. Apoſtolicarum c. 39. Clemens; „ [In die Stephani prothomartyris quieſcant „ ſervi, & reliquorum Sanctorum martyrum, „ qui Chriſtum propriæ vitæ antepoſuerunt.] De Policarpo poſt toleratum martyrium refert Euſebius libro quarto hiſtoriarum c. 15. monitum fuiſſe Proconſulem, nè corpus illius traderet Chriſtianis, nè Chriſto relicto colere illum inciperent. Ipſos verò collegiſſe oſſa pretioſis lapidibus pretioſiora, eaque ubi decebat condidiſſe, ibique natalem martyris diem celebratum à Chriſtianis fuiſſe. Et Sanctus Cyprianus epiſtolâ quintâ libri quarti: [Sacrifi„ cia pro eis ſemper offerimus, hoc eſt, in me„ moriam, & honorem eorum, quoties mar„ tyrum paſſiones, & dies anniverſariâ com„ memoratione celebramus.] Romæque fuiſſe aliquando congregatam Synodum ad piam hanc conſuetudinem confirmandam, conveniendi ad orationem in martyrum templa, illorumque memoriam celebrandi, ſcimus ex ſecunda epiſtola Felicis Papæ, quæ eſt in to. 1. Conciliorum, quam qui riſerunt, habiti ſunt hæretici in Gangrenſi Concilio, & ſchiſmatici appellati ab optato Milevitano in ſecundo libro contrà Donatiſtas; occaſione tamen horum conventuum, & celebritatum ad ſepulchra, templave martyrum, introductæ alicubi fuerunt nundinæ, temporaliumque negotiationes, quas magnoperè damnavit Sanctus Baſilius in regulis fuſioribus 40. [Nullam „ enim aliam, inquit, ob cauſam convenire „ decet ad martyrum conditoria, quàm oran„ di causâ.] Denique veteres Chriſtianos ſcimus templa dæmonum, ac falſorum Deorum aut diruiſſe, & alia Deo, & in honorem Sanctorum extruxiſſe, aut illa certè in meliorem hunc uſum convertiſſe, ut de templo Romæ Dijs omnibus dicato, alijſque permultis conſtat. Et imagines quoque dæmonum addit Sanctus Joannes Damaſcenus oratione ſecunda & tertia, de imaginibus fuiſſe ab illis ſublatas, atque earum loco Chriſti, & Dei Genitricis, & Sanctorum imagines poſitas, quæ omnia maximum Sanctis honorem exhibitum oſtendunt. Sed nihil uſitatum magis, quàm ad illorum ſepulchra convenire ad orandum, & pſallendum, atque apud illos vigilias celebrare. Ad corpora Sanctorum Gervaſij, & Protaſij tota nocte vigilatum, ſcribit ad Marcellinam ſororem Ambroſius, & in ſermone de Martyrio Sanctæ Agnetis, dum parentes ad illius tumulum pernoctarent, exercitum vidiſſe virginum, inter quas Agnes, & ad dexteram ejus agnus nive candidior. Et Conſtantia Conſtantini Imperatoris filia, toto malè affecta corpore, licèt ethnica, ad ejuſdem ſepulchrum orans ſanitatem recepit: & quotquot illùc advenifſent, ſanabantur, quacumque fuiſſent infirmitate detenti. Lege Ambroſium. [Inundans populus (ſcribit ad Lætam, „ de inſtitutione filiæ capite primo Hierony„ mus) antè delubra ſemiruta currit ad mar„ tyrum tumulos.] Deque Aſella admirandum ſcribit ad Marcellam; [Ad martyrum li„ mina penè inviſa properabat.] Et de ſe ipſo ad caput quadrageſimum Ezechielis; [Dum „ eſſem Romæ puer, diebus dominicis ſole„ bam ſepulchra Apoſtolorum, & Martyrum „ circuire.] Theodoretus in octavo libro de curandis Græcorum affectionibus jure optimo miratur Imperatorum ſepulchra vel ignorari, vel certè non honorari; Martyrum ſumma apud omnes veneratione coli. Imperatores ingentia ſibi extruxiſſe templa, quæ poſt eorum mortem honore omni privata ſunt: at martyrum templa cerni conſpicua, magnitudine, præſtantia, & omni ornatûs genere variata. Neque ad hæc per annum ſemel, vel bis, aut quinquies adventare nos; ſed in illis ſæpè dies feſtos peragere, ſæpè diebus ſingulis Domino laudes, hymnoſque cantare. [Quique „ proſpera ſunt valetudine, conſervari eam à „ martyribus petunt, qui verò ægritudinem „ aliquam patiuntur, ſanitatem expoſcunt, quin „ & ſteriles viri, & mulieres dari ſibi filios „ petunt &c. Piè verò, ac fideliter precatos „ ea conſequi, quæ deſiderant, teſtantur illa, „ quæ votorum rei dona perſolvunt: manife„ ſtæ nimirùm adeptæ ſanitatis indicia. Nam „ alij oculorum, alij pedum, alij manuum ſi„ mulacra ſuſpendunt ex argento, auroque „ confecta, & quæ ſeq.] Lege, quæ de reliquijs Sancti Stephani commemorat S. Auguſt. lib. 22. de Civitate Dei cap. 8. & ſerm. 7. de Sanctis, & alibi de reliquijs Sanctorum Gervaſij, & Protaſij, atque aliorum. Non enim à me prolixior hoc loco requiritur diſputatio.

Ad ſepulchrum convenire.

Noſtri temporis hæretici hæredes ſeſe oſtentant impietatis veterum Græcorum, quibus dixit Theodoretus; [Vos autem Græci cùm „ deriſu damnatis eum, qui à cunctis latè „ mortalibus eis honor defertur; abominan„ dum ſcelus admittere vos putantes, ſi ad eo„ rum buſta propiùs accedatis.] Sed & veterum hæreticorum, nam Vigilantius apud Sanctum Hieronymum, in epiſtolâ ad Riparium Sanctorum nos reliquias venerantes, cinerarios, & idololatras appellabat, & Fauſtus apud Sanctum Auguſtinum libro ſecundo contrà ipſum capite vigeſimo primo, in hoc nos calumniabatur idola convertiſſe. *Hæretici.*

CAPUT

CAPUT VI.

De Martyrum adoratione, & cultu.

APUD Senecam epiſt. 65. Socratem lego veneratum fuiſſe veteres Philoſophos; & Catonem, ac Lelium apud Romanos, illorumque imagines habuiſſe, celebrâſſe natales, nominibus aſſurrexiſſe. Et Martyres noſtros, fatentur hæretici noſtri ex civili quadam urbanitate colendos eſſe. At religioſum cultum ſoli Deo exhibendum, creaturæ nulli; alioqui idololatriæ vitium eſſe primo Dei præcepto prohibitum.

Nos verò non ita deſipimus, ut non intelligamus, unicum eſſe ſupremum numen ſupremo venerandum cultu, atque primitijs, ac ſacrificijs colendum, & velut principium, & autorem omnium adorandum. Sed non unum intelligimus eſſe cultus, atque adorationis modum; quod tum ex ſacris litteris, tum ex veteribus Patribus didicimus. Apertè namque legimus Angelos ab hominibus adoratos, non urbanitate, ſed religione. *Adoratio duplex.* Et ut mittam tres illos adoratos ab Abraham Gen. c. 18. de quibus reſponderi poſſet; unum ex illis fuiſſe filium Dei incarnandum; quemadmodùm ſenſerunt Tertullianus libro de carne Chriſti, & lib. adversùs Praxeam c. 22. & S. Juſtinus in dialogo, & Orig. & S. Chryſ. eo loco, & S. Hilar. lib. 4. de Trinit. & S. Athan. orat. 2. contrà Arianos, & S. Ambr. lib. 1. de Abraham cap. 5. & S. Hier. ad caput 6. Iſaiæ, & Dan. 8. & S. Aug. libro 2. de Trinit. c. 10. & lib. 3. contrà Maxim. c. 26. & Eulogius lib. 3. contrà Eutychem, & alij. Lot cap. 19. duos Angelos ad ſe miſſos adoravit pronus in terram; quod ampliùs quàm civilem urbanitatem ſignificat, ſicut ſignificare fateor c. 23. cùm bis Abraham adorâſſe dicitur populum terræ, id eſt, honorâſſe, ac reveritum fuiſſe; & capite 33. 42. 43. 49. & alibi ſæpè, nam & cap. 24. ſervus Abraham cùm inaures, & armillas donâſſet Rebeccæ, pronus dicitur adorâſſe Dominum, non ſanè urbanitatem ſignificans, multò minùs ſi pronus in terram adorâſſe dicatur, ut paulò poſt ſubjungit. Adoravit & Balaâm Num. 22. pronus in terram Angelum à Deo ſalutis ſuæ cauſâ miſſum, confeſſuſque eſt peccatum, ac paruit imperanti. Joſue item c. 5. adoravit Angelum pronus in terram; quod non urbanitatis, ſed religionis fuiſſe oſtendit, non adorans, niſi poſtquàm audivit eſſe miniſtrum Dei, principem exercitûs ejus; propter ſanctitatem inquam, & miniſterium.

Mitto cætera; venio ad homines, quippè hos quoque legimus adoratos. Nam Dan. 2. Nabuchodonoſor Rex cadens in faciem ſuam adoravit Danielem, & hoſtias, & incenſum præcepit, ut ſacrificarent ei. Si urbanitatis adoratio fuiſſet; meritò miratus ineptam urbanitatem fuiſset Porphyrius, ut in com. loci ſcribit S. Hieronymus tantum Regem antè tantillum ſervum, & captivum ſuum procidentem, & adorantem. At religionem fuiſſe, ac propter Deum tanto illum honore affectum verba Regis apertè demonſtrant; Verè, inquit, Deus veſter Deus Deorum eſt, & Dominus Regum, ac revelans myſteria, quoniam tu potuiſti aperire hoc ſacramentum. Propterea Danielem tanquàm virum Dei, & virum Sanctum adoravit. Propterea adolevit illi incenſum, hoſtiaſque ſacrificari juſſit: non quòd Deum arbitraretur illum, cui dicebat; Deus veſter, & quem captivum tenebat: ſed quod virum Dei, & pluſquàm hominem, ſed inferiorem Deo.

Denique non Angelis modò, & hominibus, ſed rebus quoque inanimis religionis honorem, & cultum exhibitum fuiſſe non ignoramus. Arca teſtamenti tanto fuit in honore, ac veneratione, ut nullus præter Sacerdotem auderet illam attingere, auſus eſt Oza, & iratus indignatione Dominus percuſſit eum ſuper temeritate, & mortuus eſt ibi juxtà arcam Dei 2. Regum cap. 6. & dum populus arcam ſequens tranſire Jordanem debuit, præcipitur Joſue capite ſexto, ut illam procul aſpicerent, nec propiùs accederent, quàm duobus millibus cubitis. In templo quoque magno in religionis honore habebatur pars illa, quæ dicebatur Sancta Sanctorum, quam nullus præter Sacerdotem Summum ingrediebatur. Quæ omnia non ad urbanitatem, ſed ad religionis cultum pertinebant, ſicut & honor, qui divino nomini tetragrammato deferebatur. Prætereà in Pſalmo nonageſimo octavo adorare jubemur ſcabellum pedum Dei; nec tamen ſcabellum pedum Dei Deus eſt. Adorandum autem propterea præcipitur, quoniam ſanctum eſt, hoc eſt, non ex urbanitate, ſed ex religione. Sanè omni virtuti ſuus debetur honor. Sanctitas autem major virtus eſt, quàm humana, civiliſque, & major illi debetur honor. At ut multò minùs eſt ſcabellum pedum, quàm Deus, ita multò minor illi cultus, & honor, quàm Deo tribuendus eſt.

Chriſtus quoque Matth. 5. prohibuit jurare, neque per Cœlum, quia thronus Dei, neque per terram, quia ſcabellum pedum Dei eſt. Et Exodi 23. prohibitum jam pridem fuerat jurare per nomen externorum, falſorumve Deorum, quoniam jurare actus eſt religionis, quo Deus vocatur teſtis ejus, quod dicitur: neque voluit Deus falſis Dijs tribui religionem, religioniſve honorem, neque veri Dei thronum, aut ſcabellum ita contemni, ut paſſim, ac temerè ſingulis propè verbis per illa juraremus. Nam ut habetur Matth. 23. Qui jurat in Cœlo, jurat & in eo, qui ſedet ſuper illud;

illud, & qui juraverit in templo, jurat in illo, qui habitat in ipſo, & qui jurat in altari, jurat in eo, & in omnibus, quæ ſuper illud ſunt, hoc eſt, injuria, aut honor, qui fit cœlo, aut terræ, aut templo, aut altari, fit Deo, qui habitat in illis. In Pſalmo quoque 131. dixit Propheta David; Introibimus in tabernaculum ejus, adorabimus in loco, ubi ſteterunt pedes ejus, ſeu adorabimus ſcabellum pedum ejus. Aliqua igitur eſt religionis adoratio creaturæ abſque idololatria.

Adoratio duplex.

Ergò ex ſacris, ac divinis litteris didicimus duplicem adorationem ſeparare, ac diſtinguere; unam Dei, alteram creaturæ; alteram λατρείαν appellatam; alteram δουλείαν: illam ſupremi Numinis, hanc ſervorum illius. Neque has voces eſſe novas, atque à nobis nuper excogitatas, ſed ab ipſo Deo pronuntiatas oſtendit Sanctus Auguſtinus in libro quæſtionum in Exodum quæſtione 94. cùm enim dixiſſet Deus Exodi 23. Si ſervieris Dijs eorum, erunt tibi offendiculum. Hic Græcus, inquit Auguſtinus δουλεύσης habet, non λατρεύσης. Undè intelligitur, quia & δουλεία debetur Deo tanquam Domino; λατρεία verò nonniſi Deo tanquam Deo, & in Levit. q. 66. dicente Domino cap. 18. De ſemine tuo non dabis ſervire Principi, Principem interpretatur, qui pro Deo colatur. Non enim, ait, δουλεύειν ſed λατρεύειν. Plurimùm autem intereſt: nam hominibus δουλεύειν ſcriptura non prohibet, ſed λατρεύειν, quod eſt ſolius Dei, ut habet etiam libro decimo quinto contrà Fauſtum c. 9. & ep. 49. ad Deo gratias q. 3. & libro contrà ſermonem Arianorum c. 29. & 5. libro de civitate Dei c. 15. & lib. 6. c. 1. & lib. 10. c. 1. λατρεύειν, ſervire, & λατρείαν, ſervitutem in ſacris litteris, ait, ſignificare. Sed ſervitutem eam, quæ ſoli Deo debetur; alio autem nomine ſignificari eam, quæ hominibus debetur, quaque Apoſtolus ſervos præcepit dominis ſuis ſubditos eſſe debêre, quæ nimirùm δουλεία dicitur, quare in libro primo de Trinitate cap. 6. Idololatras dictos fuiſſe à latria affirmat, ut vox ipſa ſatis manifeſtat, quòd eam ſimulacris exhibeant ſervitutem, quæ vero ſoli debetur Deo. Et ſermone ſeptimo ad Fratres in eremo, tunc à nobis reddi, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo: quemadmodùm Matthæi 22. voluit Chriſtus quando latriam Deo, duliam Sanctis Dei, & Prælatis noſtris reddimus. Ac demùm in libro quæſtionum in Geneſim q. 61. Abrahamum monet, cùm populum quemdam ſic honoravit, ut etiam adoraret, quemadmodùm dicitur Gen. 23. non tamen fuiſſe idololatram, neque peccâſſe contrà præceptum Dei Deut. 6. quoniam eo præceptum non fuit, Dominum Deum tuum ſolum adorabis: ſicut dictum eſt, illi ſoli ſervies; quod græcè eſt λατρεύσεις. Talis enim ſervitus non niſi Deo debetur: adoratio autem non item: licetque alium præter Deum adorare, ſed non alteri præter Deum λατρεύειν. Autor eſt idem Auguſtinus libro vigeſimo contrà Fauſtum capite vigeſimo primo, ut cap. præcedenti diximus: Fauſtum quoque objeciſſe Chriſtianis, eos martyrum memorias honorantes idola colere. At nunquam ille reſpondit, nos non religione, ſed urbanitate illos honorare: quod facile erat reſpondêre, ſi ille foret cultus noſter. Quin populus, inquit, Chriſtianus memorias martyrum religioſa ſolemnitate concelebrat; idque tres ob cauſas, & ad excitandam imitationem: & ut meritis eorum conſocietur: & ut orationibus adjuvetur, deindè alio, atque alio nos cultu & Deum, & martyres honorare affirmat. Nam nulli martyrum, ſed ipſi Deo martyrum, quamvis in memoriam martyrum, altaria conſtituimus, non martyribus, ſed Deo ſoli, qui martyres coronavit, offerimus ſacrificium, apud memorias eorum, quos coronavit. Itaque duplicem cultum tandem diſtinguit, ſubjungens: [Colimus ergò martyres eo cultu dilectionis, & ſocietatis, quo & in hac vita coluntur ſancti homines Dei, quorum cor ad talem pro Evangelica veritate paſſionem paratum eſſe ſentimus; ſed illos tantò devotiùs, quantò ſecuriùs poſt incerta omnia ſuperata. At illo cultu, qui græca voce, λατρεία, dicitur; cùm ſit quædam propriè divinitati debita ſervitus, nec colimus, nec colendum docemus, niſi unum Deum.] Et apud Sanctum Joannem Damaſcenum quoque oratione primâ & tertiâ de imaginibus plures habes adorationis modos; latria ſolius eſt Dei, reliqui rerum quoque creaturarum. Quare inter cætera argumenta quibus veteres omnes Patres uſi ſunt adversùs Arianos, & Macedonianos, & alios quoſcunque, Filij, ac Spiritus Sancti divinitatem negantes, illud fuit ex adoratione ſumptum; quòd non minùs hi, quàm Pater adorentur latriâ, tanquam ſimul cum Patre veri Dij; hoc eſt, unus Deus. Nam de filio intellexit Paulus ad Hebræos 1. illa verba Pſalmi 96. Adorate eum omnes Angeli Dei, & de Spiritu Sancto ſcripſit ad Philippenſes 3. οἱ πνεύματι θεῷ λατρεύοντες. At de hoc pluribus agere, non eſt hujus loci.

Idololatræ dicti.

Cultus martyrum cauſa.

Cultus Dei, & martyrum differentia.

Latria, & Dulia.

Etſi verò prima vocum ſignificatione idem ſignificarent latria, & dulia, quippè latria quoque ſervitus eſt: omninò tamen ſapienter factum eſt, ut duplici voce, ad duplicem religioſam ſervitutem noſtram, & cultum ſignificandum uteremur; alteram Principis Dei; alteram ſervorum illius Sanctorum. Quanquam propter primævam illam, & inſitam communem ſignificationem, interdùm legimus duliam de Deo dictam, deque nobis latriam. Nam ad Romanos cap. 7. ubi nos legimus.

mus: Ita ut ſerviamus in novitate ſpiritûs; Græci eſt ὥστε δουλεύειν ἡμᾶς ἐν καινότητι πνεύματος. Et cùm dicitur Levit. cap. 23. Omne opus ſervile non facietis in eo; ſervile eſt λατρευτὸν. Verùm nos latriam, & duliam dum dicimus, duas diverſas adorationis diſtinguentes formas, non novas excogitamus voces, ut adverſarij calumniantur noſtri; non ſomnia noſtra narramus; ſed illis utimur vocibus, & illam religionem profitemur, quam ex divinis Scripturis hauſerunt vetuſtiſſimi Patres, nobiſque tradiderunt, latriam ſoli Deo tribuentes, duliam Sanctis omnibus.

Hyperdulia. Et quoniam inter Sanctos eſt Beata Virgo Maria, quæ cæteris omnibus antecellat, non modò ſingulari ſanctitate; ſed etiam quòd non ſolùm creatura eſt, & ſerva, ut cæteri omnes; ſed etiam mater Dei præ cæteris, ut unicuique debitus honor, & cultus tribueretur: poſteriores cultum Sanctorum, & ſervorum Dei in δουλείαν, & ὑπερδουλείαν diſtinxerunt; illa Sanctorum omnium eſt; hæc velut excellens, quædam, & melior δουλεία, Beatæ Virginis Dei Genitricis Mariæ. Itaque non idololatræ ſumus; quia latriam Dei proprium cultum non damus creaturis velut idolis, ſed neque εἰδωλοδοῦλοι hoc eſt, idolorum ſervi; quia non damus illis, ut dominis, ſed ut Domini Dei ſervis, & Sanctis Dei. In quibus vera, & viva ſanctitas; quæque ſunt vera, & viva Dei, & Spiritus Sancti templa.

CAPUT VII.

Antiquitatis teſtimonia.

ATQUE hæc fuit ſemper catholica fides. Sanctus Juſtinus in apologia 2. pro Chriſtianis, apertè fatetur, eos colere Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum; atque univerſum bonorum Angelorum exercitum. Et Sanctus Nazianzenus or. in Chriſti nativitatem: [Infantes ab Herode occiſos venerare coætaneam Chriſto victimam, quæ antè novam victimam mactata eſt.] Et in or. in laudem Baſilij, divinam appellat animam, ſibique venerandam. Et or. 1. in Julianum, his illum increpat verbis: [Non victimas pro Chriſto cæſas reveritus es? nec magnos pugiles extimuiſti?] Mitto omnia illa loca, in quibus Julianum teſtatur martyribus invidiſſe plurimùm, & obſcurare conatum eſſe honorem illum, qui à Chriſtianis deferebatur martyribus. In oratione de pauperum amore; [Martyribus, ait, veritatis diem feſtum agitantes, ut quorum certamina honore proſequimur, eorumdem pietatem imitemur.] Et or. in laudem Cypriani martyris: [Annui martyrum dies feſti, & honores.] Et or. de Machabæis. [Cruoris guttas rapiebat, fragmenta membrorum excipiebat, reliquias adorabat.] Extat in hanc ſententiam integra oratio alterius Gregorij Nyſſeni de Sancto Theodoro martyre. Et Emiſſenus h. de S. Stephano: [Sancti à fidelibus excolantur, ut ſedulis cultoribus ſuffragentur; ut dum in exemplum devotionis, & fidei poſteris proponuntur, novis ſemper meritis augeantur, ut diabolus ſentiat pœnam malitiæ ſuæ; & quos hic perſpicit honoratos, illìc non dubitet vindicandos; & cùm totus mundus celebrat interempti coronam, neceſſe habeat interemptor propriam lugêre victoriam.] Et iterùm: [Paſſionis inſignia ferventibus pietate ſtudijs celebrantur ab oriente uſquè in occidentem.] Et homiliâ de Sanctis Ephipodio, & Alexandro; omnes quidem martyres docet eſſe colendos, ſed eos ſpeciali affectu, qui indigenæ loci ſunt. Quid verò illud Sancti Ambroſij in epiſtola ad Marcellinam ſororem, de inventione corporum Gervaſij, & Protaſij? [Quanta oraria jactitantur? quanta indumenta ſuper reliquias ſacratiſſimas, ut tactu ipſo medicabilia repoſcantur? gaudent omnes extrema linea contingere, & qui contigerit, ſalvus erit.] Quid illud, quod idem Ambroſius Sanctis illis dexteram, honoris causâ, ſepulchri ſui partem ceſſit? ejuſdem ſunt illa verba in ſermone undecimo de Sanctis, in feſto Sanctorum Petri, & Pauli: [Quotieſcunque martyrum memorias celebramus, prætermiſſis omnibus ſæculi actibus, concurrere debemus ad domum Dei, reddere honorificentiam illis, qui nobis ſalutem effuſione ſui ſanguinis pepererunt; præſertim cùm dicat ad Sanctos ſuos Dominus; Qui vos audit, me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit.] Quiſquis ergò honorat martyres, honorat Chriſtum; & qui ſpernit Sanctos, ſpernit & Chriſtum Dominum noſtrum. Et ſermone decimo quarto in feſto Sanctorum Nazarij, & Celſi: [Meritò eos colimus, qui periculis ſuis pugnant, & noſtris utilitatibus militant; qui per lucis, vitæque contemptum edocent nos, quantum Deo noſtro debeamus affectum.] Et rurſùs ſub finem prolatis Prophetæ verbis in Pſ. 138. Mihi autem nimis honorificati ſunt amici tui Deus: [Honorare, inquit, debemus ſervos Dei, quantò magis amicos Dei? Honoro in carne martyris exceptas pro Chriſti nomine cicatrices; honoro viventis memoriam perennitate virtutis; honoro per confeſſionem Domini ſacratos cineres; honoro in cineribus ſemina æternitatis; honoro corpus, quod mihi Dominum meum oſtendit diligere, quod me propter Dominum mortem docuit non timêre. Cur autem non honorent corpus illud fideles, quod reverentur & dæmones? quod & afflixerunt in ſupplicio, ſed glorificant in ſepulchro.

Digitized by Google

„ pulchro. Honoro itaque corpus, quod Chri-
„ ſtus honoravit in gladio, quod cum Chriſto
„ regnabit in cœlo.] Et in ſermone de Sanctis Octavio, Adventitio, & Solutore; non ſolùm colendos dixit, ſed percolendos; hoc eſt, magno cultu colendos. [Cuncti, ait, Mar-
„ tyres devotiſſimè percolendi ſunt: ſed ſpe-
„ cialiter ij venerandi ſunt à nobis, quorum
„ reliquias poſſidemus.]

Sanctus Hieronymus in epiſt. ad Riparium, Vigilantio reſpondet; Samaritanum illum eſſe, & Judæum, qui mortuorum corpora pro immundis habeat: nos autem martyrum reliquias honorare, ut eum, cujus ſunt martyres, adoremus; honoramus ſervos, ut honor ſervorum redundet ad Dominum. Et in epiſtola ad Julianum laudat hominem, quod in dedicatione oſſium martyris lugubrem veſtem mutaverit, candidaque veſtimenta acceperit. Et in Pauli primi Eremitæ vita, Pauli tunicam narrat accepiſſe ſibi Antonium, quâ diebus Paſchæ, & Pentecoſtes religioſè veſtiebatur; & Hilarionem ad Antonij defuncti cellam venientem, cubile illius piè oſculatum, atque Heſychium diſcipulum corpus ejus furatum, in Hilarione memorat. Atque in libro adversùs Vigilantium capite tertio, cereos profert in honorem accenſos martyrum; & Romanum Epiſcopum ſuper corpora Petri, & Pauli veneranda offerre Domino ſacrificia, & tumulos eorum Chriſti arbitrari altaria; & totius orbis Epiſcopos baſilicas ingredi martyrum, in quibus pulvis viliſſimus jacet: & capite quarto, fatetur ſe, quando iratus fuerit, aut mali aliquid cogitaverit, aut illum nocturnum phantaſma deluſerit, baſilicas martyrum ingredi non audêre; ita totus corpore, & animo pertremiſcebat: tanta erat ergà martyres reverentia. Et in caput 65. Iſaiæ, dæmones fortitudinem, & flagella cinerum Sanctorum martyrum non ferebant.

Sanctus Auguſtinus libro octavo de civitate Dei capite 27. & libro 20. contrà Fauſtum cap. 21. ut ſuperiori capite dictum eſt, & venerari nos martyres affirmat, & quomodo veneremur oſtendit. Non offerendo illis ſacrificium, quod ſoli Deo offerimus: ſed honorando memorias eorum tanquàm Sanctorum hominum Dei, qui uſquè ad mortem ſuorum corporum pro veritate certârunt, ut innoteſceret vera religio, falſis religionibus, fictiſque convictis. Et ſermone 25. de Sanctis: [Petrum,
„ ait, piſcatorem modò genibus provolutis ad-
„ orat gentium multitudo credentium.] Fuiſſe etiam memorat aliquorum, quàmvis non meliorum Chriſtianorum conſuetudinem, ut epulas ſuas eò deferrent, ut per merita martyrum ſanctificarentur, quibus vel ipſi, vel pauperes veſcerentur. Quod Monicam quoque matrem in Aphrica feciſſe, voluiſſeque Mediolani facere, ſed prohibitam ab Ambroſio fuiſſe, narrat in 6. confeſſ. libro c. 2. Et in comment. ad Pſalmum 96. Nec homines Sanctos, nec Angelos bonos coli ſe, & adorari velle affirmat ut Deum, & pro Deo: quod de Paulo, & Barnaba legitur Act. 14. & de Angelo Apo. 19. Non penitùs colendos, & adorandos negat, ſed oblatis ſacrificijs, & latria ſicut Deo. Alio igitur modo colendi ſunt, & adorandi: [Utinam, inquit, ipſos colere vel-
„ letis, facilè ab ipſis diſceretis non illos cole-
„ re, latriâ ſcilicet, & tanquam Deos.]

Denique apud Sanctum Gregorium Papam reperies plurima, illud ſolùm commemoro, quod eſt in 3. Dial. cap. 24. [Quidquid pro
„ Sanctorum veneratione agimus, ipſi hoc pro
„ mercede retributionis, ſine intermiſſione
„ ſemper vident.] Et complura hujuſce cultus argumenta collegit Sanctus Joannes Damaſcenus libro quarto de fide c. 16.

CAPUT VIII.

De Martyrum Baſilicis, & memorijs.

CÆTERÙM his tria nos addimus argumenta cultûs, ac venerationis in univerſa Eccleſia Sanctis martyribus ſemper exhibitæ; primum ex templis ubique terrarum in illorum honorem extructis; alterum ex illorum invocatione, atque interceſſione, tertium ex ipſorummet miraculis.

Templa fuerunt ſemper propter ſacrificium extructa, atque ad ſacrificandum præparata, velut ſacrificij domus; tum apud Judæos, & Gentiles, tum apud Chriſtianos. Sacrificium autem ſoli Deo debetur. Eo namque ſpectat, ut ſuam homines infirmitatem, Deique majeſtatem agnoſcant, ac teſtentur. Quò factum eſt, ut id omne, quo id quocunque modo fit, vocatum ſit ſacrificium. Ita ſpiritus contribulatus ſacrificium dicitur in Pſalmo 50. quia dum animo te ſubmittis Deo, potentiam illius, & imbecillitatem tuam agnoſcis: continentia, ſeu caſtigatio corporis, ut habet Sanctus Auguſtinus libro decimo de civitate Dei capite 6. nè ad ea relabatur vitia, ad quæ eſt proclive; ita ad Rom. 12. hortatur Paulus; Exhibeatis corpora veſtra, hoſtiam viventem Deo. Et Martyrium, Sap. 3. quaſi holocauſti hoſtiam accepit eos. Et quodvis votum, quo ſe homo conſecrat Deo, ut adnotavit Auguſtinus, & ſi illa ipſa divinæ majeſtatis teſtatio verbis fiat; oratio quoque vocalis, & Dei laudes, quibus omnium bonorum autorem profiteamur, ſacrificium nominantur. Pſal. 49. & 106. Sacrificium laudis, & Pſal. 115. & Heb. 13. Hoſtiam laudis: Pſal. 26. Hoſtiam vociferationis; & Oſ. 14. Vitulum labiorum. Eleëmoſynis idem teſtamur, & hoſtiæ vocantur; Hebr. 13.

Templa ad ſacrificium.

Sacrificium, quid.

Digitized by Google

Talibus hoſtijs promeretur Deus. Et juſtitiæ operibus, quæ ſacrificium juſtitiæ dicuntur Pſal. 50. Apoſtolus quoque ad Romanos 13. Converſionem Gentium ad fidem, oblationem nominavit, & ſacrificium, Phil. 2. Immò & quælibet actio propter Deum ſuſcepta, omniſque divini muneris functio, ſicut ad Romanos 15. Obſequij ſui oblationem dixit.

Verùm his omnibus extructa non fuiſſe templa manifeſtum eſt: neque enim hæc tali proprio, ac peculiari egebant loco. Sed alia quadam acceptione frequentiſſima legimus in ſacris litteris ſacrificium pro rei cujuſpiam externæ oblatione Deo facta. Quod Judæis fuit uſitatiſſimum. Atque ex materia, forma, & fine, pluribus modis diſtinguebatur. Nam ſi erat res animata, & vivens, victima dicebatur: ſi inanimata, ſolida tamen, ut ſimila, ſal, & ſimilia, oblatio ſolùm vocabatur; ſi fluens, & liquida, ut oleum, libamen. Quo ad formam verò; ſi totum igne abſumebatur, erat holocauſtum; ſi partem unam vorabat ignis, alteram edebat Sacerdos, ſacrificium erat pro peccato; ſi tertiam partem comedebant illi, qui obtulerant, hoſtia pacifica dicebatur. Denique quo ad finem, propter ſolam Divinæ majeſtatis agnitionem offerebatur holocauſtum; quod ideò totum igne abſumebatur; ut quidquid boni habent homines totum eſſe Dei teſtarentur. Ad obtinendam peccatorum remiſſionem, & peccatum, & ſacrificium pro peccato dicebatur. In gratiarum actionem, aut pro victoria, aut re alia proſperè geſta, victima, hoſtiave pacifica, aut etiam abſolutè hoſtia: quemadmodùm quidam dixit.

Sacrificium propriè.

Sacrificia Iudæorum.

Hoſtibus à demitis Hoſtia nomen habet.

Ovid. 1. Faſt.

Sacrificium ſoli Deo.

Porrò hoc genus ſacrificij inter actus numeratur illius ſpeciei religionis, quæ ſoli debetur Deo, & latria dicitur: & ut in veteri lege cautum erat, nè quis alium adoraret, quàm Deum, neque per falſos quiſquam juraret Deos; ita Ex. 22. prohibebatur, nè quis alij, quàm ſoli Deo ſacrificaret; nec Paulus, & Barnabas Act. 14. permiſerunt ſibi tanquàm Dijs ſacrificari. Noſque Chriſtiani miſſas celebramus quidem in memoriam Sanctorum; ſoli tamen Deo ſacrificium offerimus, non Sanctis. [Quis enim audivit unquam „ (ait S. Auguſtinus libro 8. de civi. Dei cap. „ 27. & lib. 20. contrà Fauſtum c. 21.) fide„ lium ſtantem ſacerdotem ad altare, etiam ſu„ per ſanctum corpus martyris, ad Dei ho„ norem, cultumque conſtructum, dicere in „ precibus; offero tibi ſacrificium Petre, vel „ Paule, vel Cypriane, cùm apud eorum me„ morias offeratur Deo, qui eos & homines, „ & martyres fecit, & ſanctis ſuis Angelis cœ„ leſti honore ſociavit.]

Interim tamen manifeſtum eſt, templa non urbanitatis causâ, ſed religionis conſtrui, cultumque templis extructis martyribus exhibitum, non urbanitatis, ſed religionis eſſe. Quanquam & Auguſtinus, & cæteri Patres, dum templa ſoli Deo dicari volunt; proptereà, quòd ſoli ſacrificatur, & templa propter ſacrificium ædificantur; ſi propriè, & accuratè loquendum ſit; templa ſoli Deo, martyribus non templa, ſed Baſilicas, & Memorias extrui volunt. Templa dici noluerunt, quoniam inter fideles, & idololatras verſantes, qui falſos colentes Deos, illis in templis à ſe ædificatis ſacrificabant: voluerunt declinare calumniam, nè & ipſi idololatræ appellarentur, ſi hominibus ædificare ſe templa faterentur, in quibus hominibus martyribus ſacrificare putarentur. Maluerunt appellare baſilicas, quaſi regias ædes ob ſplendorem, & amplitudinem; & memorias, quòd in martyrum memoriam eſſent extructæ; non ut illis ſacrificarent, ſed ut illorum memoriam in illis cultam conſervarent. Quare nulli ædificabatur martyri, niſi aliqua ſaltem illius reliquia ibi poneretur, ut habetur in Concilio tertio Carthaginenſi c. decimo quarto. & Sanctus Ambroſius ædificavit, & dedicavit templum, ſeu baſilicam Sanctis martyribus Gervaſio, & Prothaſio à ſe inventis, ibique illorum condidit corpora. Idemque factum eſſe in toto mundo, tam eſt apertum, ac manifeſtum, ut ineptum ſit majorem quærere, aut adferre probationem.

Martyrum non templa ſed Baſilicæ, & memoriæ.

Baſilicæ cum reliquijs.

Poſt verò multiplicatis templis, & deficientibus martyrum corporibus, accepta ſunt aliorum Sanctorum corpora, eorumve partes, quibus ædificanda templa in honorem Dei, & memoriam Sanctorum exornarentur.

CAPUT IX.

De Martyrum pro nobis interceſſione.

ALTERUM argumentum ex Sanctorum pro nobis apud Deum interceſſione, noſtraque ipſorum invocatione ſumitur. Si enim illi à nobis implorantur, implorarique pro nobis intercedunt, manifeſtum eſt eos à nobis religioſè debêre coli, cultoſque ſemper fuiſſe. Nam & noſtra neceſſitas, atque utilitas id à nobis exigit, & grati animi ſignificatio poſtulat.

Neque enim, cùm hoc credimus nos, atque aſſerimus, injuriam facimus Chriſto, cujus hoc eſt officium, & munus, ut advocatus, & interceſſor pro nobis ſit apud Patrem, & mediator; 1. Tim. 2. & ad Hebræos 8. & 9. & 1. Jo. 2. & Jo. 14. & 16. Duplicem namque intercedendi modum agnoſcimus; Alterum, ſi is, qui intercedit, & roget, & ſolvat pretium; alterum, ſi ſolas offerat preces,

Interceſſio duplex

Digitized by Google

ces, pretium non ſolvat. Prior ſanè multò eſt efficacior, quia & in eo, qui intercedit, præter preces adeſt pretium, quod ſolvit: & in eo, qui rogatur, eſt juſtitia, quâ ſoluto pretio tenetur dare, quod petitur, nè injuſtus videatur. Poſterior verò, tum in rogante habet preces, tum in rogato liberalitate nititur, & miſericordia, ac benignitate. In Chriſto uterque modus reperitur, in Sanctis poſterior ſolus. Non enim ipſi ſolverunt redemptionis noſtræ pretium, ſed Chriſtus. Ipſi verò ſolis agunt precibus, & meritis illis, quibus divinam amicitiam, & benevolentiam adepti ſunt. Abraham Gen. 20. orans pro Abimelech impetravit veniam; & Moyſes in libro Exodi ſæpiùs fuit pro populo interceſſor apud Deum, nec aliter egit, quàm precibus. Et Paulus orabat pro Philippenſibus,& Coloſſ. & Theſalon. quemadmodùm ad ipſos ſcribit cap. 1. & 1. Tim. 2. vult orationes fieri pro omnibus in Eccleſia. Et Romanos capite decimo quinto vult adjuvare illum orationibus pro illo ad Deum. Et Job capite quinto dicitur; Voca, ſi eſt, qui reſpondeat tibi, & ad aliquem Sanctorum convertere. Eodem enim modo, quo Abraham, Moyſes, Paulus, & alij rogando interceſſerunt, intercedunt & Sancti pro nobis, dum vivunt.

Sanctos pro nobis intercedere.

De mortuis autem teſtantur Sanctus Auguſtinus libro 21. de civitate Dei capite 18.& 24. Et Sanctus Hieronymus ad caput primum Lamentationum Jeremiæ, & ad caput tertium Jonæ; opinatos quoſdam aliquando fuiſſe, Sanctorum precibus, atque interceſſionibus Deum in extremo judicio ita flectendum ad miſericordiam, ut omnibus parcat, debitaſque condonet pœnas. Nunquid enim obliviſcetur miſerêri Deus, inquit David Pſal. 76. aut continebit in ira ſua miſericordias ſuas? & Ninivitis minatus ſubverſionem, nonnè flexus eſt ad ignoſcendum? ſed aperta nimis eſt Judicis illa ſententia Matthæi vigeſimo quinto. Ite maledicti in ignem æternum; & illa Evangeliſtæ interpretatio; Et ibunt illi in ſupplicium æternum, & hi in vitam æternam. Et Mar. 9. Vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. Nam quod ex Pſalmo ſeptuageſimo ſexto profertur, tum de prædeſtinatis intelligendum eſt cùm Auguſtino, tum de Deo ex parte ſua, quâ ſemper miſerêri paratus eſt, niſi noſtra impediant peccata. Neque Ninivitæ illis ſuffragantur, tum quia egerunt pœnitentiam prædicante Jona; tum quia ut habet Auguſtinus, ſi non ſubverſi ſunt ut Sodomitæ, ipſa certè peccata in illis pœnitendo deſtructa ſunt, & Ninive ex mala in bonam ſubverſa.

Hæreſis Vigilantij

Quod autem magis ad nos pertinet, fuit hæreſis Vigilantij, Sanctos nobis mortuos, Deoque viventes in cœlo pro nobis nequaquàm orare; qui error poſterioribus quoque temporibus habuit ſectatores. Optimè verò adverſus Vigilantium argumentatus eſt Sanctus Hieronymus. Si Sancti martyres, & quilibet homines viventes in corpore, deque ſeipſis vehementer ſoliciti poſſunt orare pro cæteris, quantò magis poſt victorias, & triumphos de ſeipſis ſecuri, atque in charitate perfecti? Sanè orantem Angelum habes Zachariæ capite primo. Domine exercituum uſquequò tu non miſereberis Jeruſalem, & urbium Juda, quibus iratus es? iſte jam ſeptuageſimus annus eſt. Si Angeli, cur non & Sancti, qui ſunt in cœlo, orent pro nobis? Nam quod aliqui reſpondêre conati ſunt; Angelos adminiſtratorios eſſe ſpiritus, in miniſterium miſſos, propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis, ut dicitur Hebræorum primo parùm accommodatè dictum eſt; quoniam, quòd ſint adminiſtratorij, non facit, ut orent, neque contrarium prohibet Sanctos, nè orent pro nobis; ſed facit ut illi mittantur, vel hi non mittantur ad nos. Deindè nec Romani, qui orabant pro Paulo, nec Sancti viventes, adminiſtratorij erant, & tamen orabant. Ergò & Sancti in cœlo viventes orare poſſunt, etſi adminiſtratorij non ſint.

Latini Patres.

Tum verò Sanctus Petrus moriturus, Clementi curam Eccleſiæ relinquens, pollicetur, ſe pro omnibus oraturum Deum poſt mortem. Sic enim ad Jacobum fratrem Domini ſcribit Clemens epiſtolâ primâ. [Si periculum, inquit, peccati timens, ſuſcipere refugis Eccleſiæ gubernacula, certus eſto quòd neceſſe eſt te ſuſcipere omne periculum, quia nec ego pro ſalute omnium ab obſecrando ceſſabo.] Et S. Cyprianus in extrema epiſt. 1. ad Cornelium Papam: [Memores noſtri invicem ſimus, concordes,atque unanimes,utrobique pro nobis ſemper oremus; preſſuras,& anguſtias mutua charitate relevemus; & ſi quis hinc noſtrûm prior divinæ dignationis celeritate præceſſerit, perſeveret apud Deum noſtra dilectio, pro fratribus, & ſororibus noſtris apud miſericordiam Patris non ceſſet oratio.] Et in ſer. de ſtella, & Magis ita de Sanctis Innocentibus loquitur: [In ordine Sanctorum prothomartyres primum habent locum, & ſecretorum conſcij divinorum propinquitate familiariſſima clementiam Dei pro noſtris exorent laboribus.] Et S. Ambroſius libro 5.exam.cap.25. [Fleat pro nobis Petrus, qui pro ſe benè flevit, & in nos pia Chriſti ora convertat.] Et in libro de viduis; [Et tu habes proximos, qui pro te Deo ſupplicent. Petrus, & Andreas pro nobis rogent, poſſunt pro nobis, & pro omnibus impetrare. Obſecrandi ſunt Angeli,qui nobis ad præſidium dati ſunt: martyres obſecrandi, quorum videmur nobis quodam

 corporis

Digitized by Google

,, corporis pignore patrocinium vendicare. ,, Non erubeſcamus eos interceſſores noſtræ ,, infirmitatis adhibêre, quia ipſi infirmitatem ,, corporis, & cùm viverent, cognoverunt.] Et precatione ſecunda antè miſſam: [Ut effi- ,, cax ſit mea deprecatio, B. Mariæ Virginis ,, ſuffragia peto, Apoſtolorum interceſſionem ,, imploro, Martyrum preces poſco, Con- ,, feſſorum orationes expoſtulo. Talium Do- ,, mine Deus preces nunquam ſpernis, ſi ut pro ,, me exorent, ipſe inſpiraveris.] Et in oratione de obitu fratris Satyri: [Tuis votis impetratum ,, cognoſcimus commeatum. Potuiſti annos ,, plurimos impetrare vivendi, qui potuiſti ,, commeatum impetrare veniendi.] Et rursùm in fine: [Quid mihi ſupereſt ſolatij, quàm ,, quòd me citiùs ad te frater ſpero venturum, ,, tuis interceſſionibus mihi hoc poſſe conferri, ,, ut citiùs deſiderantem tui advoces.] Et in or. de obitu Theodoſij: [Theodoſium ſpera- ,, mus, quòd liberis ſuis apud Chriſtum præſul ,, aſſiſtat.] Et in epiſt. ſæpiùs citata ad ſororem Marcellinam, de inventione corporum Gervaſij, & Prothaſij: [Veniant, & videant ,, ſtipatores meos: talibus me armis ambiri non ,, nego; videmus auxilia, quibus ſumus ſæpè ,, defenſi: non videbamus hæc, ſed habeba- ,, mus tamen; patronos habemus, & neſcie- ,, bamus.] Et ſer. de Sanctis Octavio, Adventitio, & Solutore; [Licèt univerſi Sancti om- ,, nibus proſint, ſpecialiter tamen illi pro no- ,, bis interveniunt, qui & ſupplicia pertulêre ,, pro nobis.] Et iterùm: [Illi nos orationibus ,, adjuvant: & in corpore nos viventes cuſto- ,, diunt, & de corpore recedentes excipiunt.]

Sanctus Auguſtinus quæſtione 108. in Exodum, operimentum illud, quod ex pellibus rubricatis juſſit Deus fieri tabernaculo, Exodi 26. voluit ſignificare martyres, quorum orationibus propitiatur Deus peccatis Populi ſui: & quæſtione 149. Moyſen intercedentem ad Deum pro populo, admonuiſſe nos voluit; cùm merita noſtra nos gravant, nè diligamur à Deo, relevari nos apud illum poſſe orationibus eorum, quos ille diligit. Et in concione contrà Judæos, Paganos, & Arianos c. 3. Apoſtolos vult eſſe velut cœleſtes juriſperitos, patronos noſtros apud Deum. Et libro quinto de Baptiſmo contrà Donatiſtas, cap. 17. & lib. 7. cap. 1. Cypriani orationibus optat adjuvari: quantum enim hæc Sanctorum valeat interceſſio, ex interceſſione Moyſis pro populo demonſtrat in com. ad Pſal. 105. & in extremo com. Pſ. 88. [Natalitia Sanctorum cum ſobrietate ,, celebrate, & imitemur eos, qui præceſſerunt, ,, & gaudeant de vobis, qui orant pro vobis, ,, ut benedictio Domini in æternum maneat ,, ſuper vos.] Et ſer. 30. & 46. & 47. de Sanctis, & 181. de tempore cap. 13. imitandos ſuadet Sanctos; quia debent illi in nobis aliquid recognoſcere de ſuis virtutibus, ut pro nobis dignentur Domino ſupplicare. [Pro ,, nobis autem abſque ulla dubitatione (addit in ,, ſermone 244.) intercedunt, quando in nobis ,, aliquid de ſuis virtutibus recognoſcunt.] Et in libro medit. cap. 35. & 36. [Interceden- ,, te, inquit, & orante, & impetrante glorioſa ,, Virgine Maria cum omnibus Sanctis tuis.] Et in ſermone 35. de Sanctis, ſunt illa verba ad Beatam Virginem: [Cùm ſuſceperis vota, ,, culpas noſtras orando excuſa, admitte pre- ,, ces noſtras, & reporta nobis gratiam recon- ,, ciliationis. Impetra, quod rogamus, ſuc- ,, curre miſeris, juva puſillanimes, ora pro ,, populo, interveni pro clero, intercede pro ,, monachorum choro, exora pro devoto fœmi- ,, neo ſexu; fletus noſtros ad Deum admittas, ,, eumq; pro nobis interpelles. Cùm toto men- ,, tis affectu Beatiſſimæ Virginis nos interceſ- ,, ſionibus committamus; omnes ejus patroci- ,, nia omni niſu imploremus, ut dum nos ſup- ,, plici eam obſequio frequentamus in terris, ,, ipſa nos ſedula prece commendare dignetur ,, in cœlis.]

Denique apud Sanctum Gregorium Papam h. 32. in Evang. Matronæ crebrò viſitanti corpora Sanctorum Proceſſi, & Martiniani apparuerunt illi, pollicentes ſe illam in die judicij requiſituros, & adjuturos; moxq; ille hortatur populum, ut hoſce martyres patronos accipiat. Et lib. 5. regiſtri c. 155. & 158. [Petrus Apoſto- ,, lus ſua vobis & hìc, & in futura vita inter- ,, ceſſione reſpondeat.] & lib. 7. c. 25. [Deus ,, Beati Petri interceſſione à malis omnibus te ,, ſervet.] Et c. 126. [Solatium ſemper noſtri ,, Salvatoris per interceſſionem Præcurſoris e- ,, jus habeatis.] Et lib. 9. c. 38. [Ejus nos inter- ,, ceſſio ab omnibus peccatis protegat in cœ- ,, lo.] Idem lib. 10. cap. 12. & lib. 11. cap. 8.

Neque Latinorum modò, ſed & Græcorum hæc fuit ſemper fides. *Græci Patres.* Euſebius Cæſarienſis libro ſexto hiſtoriæ c. 4. Potamiænam virginem narrat cùm ad ſupplicium duceretur, Baſilidi carnifici fuiſſe pollicitam, ſe poſt mortem oraturam Deum pro illo: quare poſt triduum ille Chriſti fide ſuſcepta, martyrio coronatus eſt. Ægyptios à Jeremia apud eos ſepulto pluribus officijs ab eo adjuvari tradit Sanctus Epiphanius in Hiſtoria Prophetarum. Et Origenes homiliâ decimâ ſextâ in Joſue. ,, [Ego, inquit, ſic arbitror, quòd omnes ,, illi, qui dormierunt antè nos, patres pu- ,, gnant nobiſcum, & adjuvant nos orationi- ,, bus ſuis.] Sic aliquos, ait, interpretatos fuiſſe illud Num. 22. Ablinget Synagoga illa Synagogam hanc; ſicut ablingit vitulus herbam viridem in campo, quia ſcilicet Synagoga Domini, quæ nos præceſſit in Sanctis, ore, & lingua conſumit adverſariam Synagogam; id eſt, orationibus, & precibus adverſarios noſtros

Digitized by Google

noſtros abſumit. Et homiliâ tertiâ in diverſos, Sanctorum Innocentium interceſſionem apud Deum parentibus illorum profuiſſe plurimùm affirmat. Sanctus Gregorius Nazianzenus in oratione de funere patris, eum non dubitat pro ſuis orare ovibus. Et oratione in laudem Baſilij. [Ac nunc ille, inquit, in cœlis eſt, illic-
„ que ut opinor, ſacrificia pro nobis offert, ac
„ pro populo preces fundit.] Et or. in Ægyptiorum Epiſcoporum appulſum; [Athanaſius
„ vitâ defunctus nunc res noſtras cœlitùs in-
„ ſpicit, ac virtutis causâ laborantibus manum
„ porrigit.] Et Sanctus Gregorius Nyſſenus oratione 2. de Sanctis quadraginta martyribus;
„ [Intrà Paradiſum perveniamus per illorum
„ interceſſionem confirmati.] Et or. in funere Meletij. [Non ampliùs per ſpeculum, &
„ ænigma, ſed ipſe facie cum facie collata in-
„ tercedit apud Deum; intercedit autem prò
„ nobis,& populi erratis.] S. Joannes Chryſoſtomus extremâ homiliâ 9. in Gen. [Miſeri-
„ cordiam à Deo conſequemur precibus, &
„ interceſſionibus eorum, qui Deo maximè
„ placuerunt.] Et h.44.[Quando quod in no-
„ bis eſt, afferimus, & accedit interceſſio San-
„ ctorum plurimùm nobis confert. Qui enim
„ virtute præditi ſunt, non ſolùm cùm in hac
„ vita ſunt, ſed & poſt vitæ exitum plurimùm
„ prodeſſe poterunt his, qui in ſe reſpexerint.] Et hom. 2. de patientia Job, Deum ait nobis concedere, quæ poſtulamus, patrum interveniente legatione Sanctorum, & in Pſalm. 9.
„ [Talia ſunt Sanctorum viſcera; ut non ſo-
„ lùm ſint de ſe ſoliciti, ſed perindè acſi una ſit
„ domus orbis terrarum,vel unum corpus mul-
„ titudo hominum, ita precantur Dominum.] Et in Pſ. 22. dæmonum adfert teſtimonium; ubique enim ſpiritus immundi clamant ſe ardêre orationibus, & meritis eorum martyrum, & Sanctorum. Et extremâ h. 2. in Pſ. 50. & plurimis alijs in locis: Davidem non ſolùm viventem, ſed & mortuum profuiſſe civitati Jeruſalem; demonſtrat verbis Dei Iſ.37. Protegam civitatem iſtam propter me, & propter David ſervum meum. [David multo antè
„ tempore mortuus erat, & vivis patrocinaba-
„ tur: ô juſtorum, & poſt conſummationem
„ inexpugnabilis pugna virorum!] Et h. 5. in Matth. [Habent vim pro nobis, & quidem
„ maximam, orationes ſupplicationeſque San-
„ ctorum, cùm nos quoque idipſum per pœ-
„ nitentiam poſtulamus.] Et extremo ſermone in Juventinum, & Maximum martyres:
„ [Sicut militis vulnera, quæ in prælijs acce-
„ perunt, regi monſtrantes, fidenter loquun-
„ tur; ita martyres in manibus abſecta geſtan-
„ tes capita, quæcumque voluerint, impetrare
„ poſſunt.] Et hom.14.in epiſtolam ad Rom. Moyſes orabat Deum pro populo; & nunc idem factitat: & extremo ſer. in dictum Pauli; Nolo vos ignorare fratres: [Fiat precibus
„ Sanctorum, & patronorum omnium, ut ſer-
„ vemus dogmatum rectitudinem, quam à
„ progenitoribus accepimus.] Et alijs plurimis in locis ſimilia loquitur.

Theodoretus in Hiſtoria Sanctorum Patrum, Publij hiſtoriam ita concludit; [Planè
„ ſcio, quòd ſi eorum memoriam fecero in
„ hominibus; illi mei meminerint apud De-
„ um univerſorum.] Et in Simone Priſco his verbis; [Oro, ut quam dare poteſt, ejus con-
„ ſequar interceſſionem, & ſcio me conſecu-
„ turum.] Idem & in Palladio, & in Aphrate, & in Petro, & Theodoſio, & Zenone, & Macedonio, & Mæſyma, & Acpſema, & Euſebio, Jacobo, & Thalelæo. Et in octavo libro de Græc. affect. Sanctos martyres velut urbium cuſtodes habêri à nobis vult, quorum precibus, & interventu apud Deum utentes, per eos divina conſequimur munera, & pòſt: [Hi ſunt, inquit, hominum duces,
„ principes, pugnatores, cuſtodes, per quos
„ à nobis infortunia avertuntur, proculque ar-
„ centur, quæ à dæmonibus inferuntur mala.] Et Euſebius Emiſſenus hom. de Sancta Blandina: [Apud domeſticos Dei tantum interceſ-
„ ſionis promereris, quantum venerationis
„ impenderis.] Et Sanctus Joannes Damaſcenus in quarto libro de fide capite decimo ſexto, hoc inter cætera oſtendit argumento, colendos eſſe à nobis, & honorandos Sanctos, quoniam advocati noſtri ſunt, qui pro nobis intercedunt, & loquuntur cum Deo, noſtrâque illi causâ ſupplicant: [Et quis non laboris
„ ſuſcipias, inquit ille, ut patronum quemdam
„ nanciſcaris,qui te mortali regi offerat,ac tuo
„ nomine ad eum verba faciat?] Sic & hiſtoriam Barlaäm, & Joſaphat concludens, orationes nobis omnibus, & interceſſiones utriuſque obnoxiè precatur.

CAPUT X.

De noſtra martyrum invocatione.

CUM interceſſione Sanctorum conjuncta eſt invocatio noſtra: propterea enim invocantur à nobis, quoniam promptos pro nobis apud Deum interceſſores experimur. Conſtat verò duabus partibus hæc invocatio noſtra, altera eſt, quâ Deum per Sanctorum merita rogamus; altera, quâ Sanctos quoque ipſos rogamus, ut pro nobis orent.

Priorem partem ex ſacris didicimus litteris, in quibus Moyſes Ex. 32. oravit pro populo; Quieſcat ira tua, & eſto placabilis ſuper nequitia populi tui; recordare Abraham, Iſaäc, & Jacob ſervorum tuorum. Et Deut. 9. Nè diſperdas populum tuum, recordare ſervorum *Deum per Sanctorum merita rogamus.*

tuorum, Abraham, Iſaäc, & Jacob. Et Azarias in medio ignis oravit, Dan. 3. Nè quæſumus tradas nos in perpetuum propter nomen tuum, neque auferas miſericordiam tuam à nobis propter Abraham dilectum tuum, & Iſraël Sanctum tuum, hoc eſt, propter illorum merita. Quemadmodùm etiam in 3. Reg. 11. dixit Deus Salomoni, ſe ſciſſurum illius regnum, ſed non in diebus illius, propter David patrem ejus, hoc eſt, propter Davidis merita. Et c. 15. dedit prolem Abiæ propter David; eò quòd feciſſet David rectum in oculis Domini, & lib. 4. c. 19. protecturum ſe pollicetur urbem Jeruſalem propter ſe, & propter David ſervum ſuum; quod etiam repetit Iſaiæ 37. hoc eſt, propter benevolentiam ſuam, & Davidis merita. Ita ſanè interpretati ſunt veteres Patres; in quibus S. Joannes Chryſoſtomus homiliâ 42. in Gen. [Sæpè, inquit, „ quando non eſt inventus in præſenti vita juſtus, propter defunctorum virtutem viventium miſeretur, & curam habet. Undè clamat, dicens; Protegam civitatem hanc propter me, & propter David puerum meum, quaſi diceret; licèt ipſi indigni ſint; verùm quia ſolitus ſum miſericorditer agere, & ad miſerandum propenſus ſum, propter me ipſum faciam; & propter puerum meum David, qui antè hos annos è vita migravit; hic erit autor ſalutis his, qui ſua ſe perdiderunt deſidia.] Et Sanctus Auguſtinus libro 20. contrà Fauſtum c. 21. Chriſtianum populum docuit memorias martyrum celebrare, & ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum conſocietur, atque orationibus adjuvetur.

Sanctos orare pro nobis. Poſteriorem autem partem non ſolùm Deum, ſed Sanctos quoque ipſos rogandos eſſe à nobis, demonſtrant primùm veteres omnes liturgiæ Baſilij, Chryſoſtomi, & aliorum, & uſus ab initio Eccleſiæ ſemper retentus ſalutationis Angelicæ, in qua oratur Dei genitrix Virgo. Amici enim Dei ſunt omnes Sancti, noſtræque ſalutis percupidi, & majore nos charitate, quàm cùm apud nos viverent, diligentes; quo tempore pro nobis utique precabantur. Neque quòd procul à nobis remoti ſint, impedire poteſt, nè orationes noſtras audiant; quod inſulſi homines aiunt. Nam ſi Angeli audiunt, etiamſi aures non habeant, cur non audiant & Sancti homines? audiunt autem ambo ex verbo Dei, quod vident, & audiunt; illi ut mittantur; hi ut orando ſubveniant, quanquàm ſi Sacras requiramus Scripturas, nec illi facilè nobis probabunt audire Angelos. Cùm enim Cornelio dixit Angelus Act. 10. Exaudita eſt oratio tua, non à ſe auditam dixit, ſed ſolùm auditam in conſpectu Dei, poſſetque intelligi auditam à Deo, qui Angelum miſit: nam & quivis noſtrûm poſſet ad amicum mittere ſervum, qui eadem ſignificet illi verba, nec tamen erit conſequens ſervum orationem illam audiviſſe.

Nobis autem faciliùs eſt oſtendere Sanctos homines audire. Nam Lucæ decimo ſexto capite, Abraham audivit orationem divitis rogantis, ut mitteret Lazarum: audivit, inquam, etſi inter illos magnum chaös firmatum eſſet. Cur igitur Sancti in cœlo preces noſtras non audiant? Sanctus quidem certè Auguſtinus pluribus in locis univerſè quæſivit, an mortui ſciant ea, quæ apud nos fiunt, ut in libro de ſpiritu, & anima c. 29. & libro de cura pro mortuis gerenda c. 14. & 15. & in expoſitione Pſalm. 108. locumque illum Lucæ conſiderans plurimùm affirmavit; mortuos vi ſua neſcire omninò quid apud nos agatur, ſicut nec nos ſcimus, quid apud illos: aliqua tamen audire vel ab ijs, qui hinc moriendo ad illos tranſeunt, quatenùs eos audire oportet, atque permittit Deus, vel ab Angelis, aut Deo demùm ipſo revelante. At quantò faciliùs fuerit preces noſtras ſive ab Angelis ſuggeri Sanctis apud Deum beatis, ſive à Deo ipſo manifeſtari? docuit etiam Dominus Matth. 22. & Mar. 12. & Luc. 20. Sanctos futuros ſimiles, & æquales Angelis; &, ſi Angeli cognoſcunt, cur non & Sancti? Prophetæ quoque cognoſcunt orationes, & occulta eorum, qui abſunt; cur non item Sancti, & Beati, in quibus evacuatum eſt id, quod erat ex parte, & venit id, quod eſt perfectum, ut loquitur Paulus in priore ad Cor. cap. 13. Sanctos quoque conſtat orationibus noſtris vocatos adfuiſſe nobis ſæpiſſimè; quemadmodùm non incertis rumoribus, ſed teſtibus certis de Fœlice refert S. Aug. c. 16. libri de cura pro mortuis gerenda. Et Moyſes multò antè mortuus Deut. 34. apparuit cum Chriſto in monte loquens Matth. 17. & Samuël audivit, & Sauli adfuit, ut habetur in 1. Reg. 28. Et, ſi ille adjurantem pythoniſſam audivit, cur non audiant nos orantes Sancti? Et quamvis non conſtet Samuëlem ipſum adveniſſe, immò in ſuperioribus dictum ſit fuiſſe dæmonem quempiam, qui Sauli apparuit, hoc tamen argumento uſus eſt S. Aug. c. 15. ejuſdem libri. Et, ſi dæmon audivit, & venit; cur non Sancti veniant, & adſint nobis? Porrò idem S. Aug. lib. 13. de Trinit. c. 5. & 6. beatum illum eſſe definit, qui habet omnia quæ vult, & nihil mali vult, atque in com. ad Pſ. 108. rursùm de mortuis loquitur; [Paucos eſſe dico ejus animi homines, qui „ poſt mortem ſuam, quid ſuis boni, malive „ contingat, ſaltem dum vivunt, negligant, „ atque omninò contemnant.] Sancti igitur, qui & homines ſunt, & beati, tum ſcire cupiunt; tum quia beati ſunt, ſciunt quid ſuis in hac vita contingat: & cùm charitate plurima ferveant, promptè illis rogati ſubveniunt.

Chriſto non fieri injuriam. Nequè Chrſto cauſentur injuriam fieri,

ſi

ſi alios invocemus Patronos. Nam nec Paulus injuriam putavit ſe illi facere, cùm Romanos, & Philemonem voluit pro ſe orare: multoque minor erit injuria, ſi interceſſoribus utamur, quos certò ſciamus Sanctos, & amicos Dei eſſe. Quòd ſi Paulus in 1. Tim. 2. unum dicat eſſe Dei, & hominum mediatorem Chriſtum; tum de priori mediationis modo in ſuperiori c. 9. expoſito loquebatur: quippè ſtatim adjungit; Qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus: & Joannes in prima epiſtola capite ſecundo advocatum ſcripſit nos habère illum apud Patrem,& ipſum eſſe propitiationem pro peccatis noſtris. Hoc modo ſanè unicus eſt ille mediator, unicus advocatus, unicus interceſſor. At, ſi orationibus ſolis, ac precibus agendum ſit, tot nimirùm fuerint, quot Sancti,Sanctæque pro nobis orabunt. Tum verò dixit etiam idem Paulus in eadem epiſtola; Deum ſolum habère immortalitatem: & in priore epiſtola ad Corinthios capite tertio, ſolum Chriſtum eſſe fundamentum, præter quod aliud poni non poſſit; ſed aliter abſque aliter, & Deus immortalis eſt, & Angeli, & anima noſtra, & Chriſtus fundamentum, & Apoſtoli, & Prophetæ, ut dicitur ad Epheſios 2. Deus immortalis naturâ ſuâ, Angeli, & anima voluntate Dei: & alia ratione Chriſtus fundamentum, alia Apoſtoli, & Prophetæ. Ita mediator, & advocatus appellatur Chriſtus ſanguine, & precibus; Sancti precibus, non ſanguine.

Cap. 6.

CAPUT XI.

Temporibus omnibus Sanctos invocatos fuiſſe.

HANC verò fuiſſe Eccleſiæ Catholicæ fidem, tum ex ijs manifeſtum eſt, quæ anteà dicta ſunt de interceſſione. Si enim intercedunt Sancti pro nobis, nimirùm invocandi à nobis ſunt: tum veteres omnes ſcriptores teſtantur. Jacobus Apoſtolus frater Domini in ſuâ liturgia Mariæ Virginis, & Sanctorum omnium commemorationem fieri voluit, ut illorum ſupplicationibus, atque interceſſionibus divinam miſericordiam conſequamur, & ſtatim poſt Apoſtolorum tempora Sancti Martialis viri Apoſtolici vitam ſcribens Aurelianus apud Lipomanum, Sanctum invocat, illiuſque orationes expoſcit. [Adſit, inquit, nobis ille, „ qui fuit paſtor pius, & orationibus ejus muniti mereamur hæreditatis æternæ participes „ adſciſci Sanctorum collegio.] Nec multò pòſt Sanctus Irenæus libro tertio adverſùs hæreſes c. 33. de Maria Deipara ita loquitur, ut ſicut Eva mortis, & perditionis fuit nobis cauſa, ſic illa vitæ, atque ſalutis & ſibi, & univerſo generi humano; noduſque inobedientiæ Evæ ſolutus per obedientiam Mariæ fuerit:

Iacobus Apoſt. *Martialis.* *Irenæus.*

quam ob cauſam in quinto libro c. 19. Evæ advocatam eam appellat: [Sicut, inquit, illa „ ſeducta eſt, ut effugeret Deum, ſic hæc ſuaſa eſt obedire Deo; uti virginis Evæ Virgo „ Maria fieret advocata.] Ex quibus verbis manifeſtum eſt, veterem illam Eccleſiam ab Apoſtolis edoctam invocâſſe Mariam, & ut ſingularem patronam, & apud Deum, ac filium advocatam coluiſſe. Hoc ipſum ex Tertulliano cognoſcimus, cujus hæc fuère verba in libro de carne Chriſti: [In Virginem adhuc Evam „ irrepſerat verbum ædificatorium mortis. In „ Virginem æquè introducendum erat Dei „ Verbum extructorium vitæ, ut quod per „ hujuſmodi ſexum abierat in perditionem,per „ eundem ſexum redigeretur in ſalutem: crediderat Eva ſerpenti, credidit Maria Gabriëli: quod illa credendo deliquit, hæc credendo delevit.] Si igitur nos eam Patronam,& advocatam appellamus noſtram; ſi eam piè precamur; Solve vincla reis; & veterem, atque Apoſtolicam retinemus fidem, & cum Irenæo loquimur, ac Tertulliano Chriſtum tamen præcipuum ſemper ſalutis noſtræ agnoſcentes autorem. At non ſolùm Matrem, ſed & cæteros omnes Dei amicos, & domeſticos imploramus. De Sancto Joanne Baptiſta ſcribit Sanctus Cyprianus in or. de revelatione capitis illius: [Petebant auxilium à Domino „ per præcurſorem ſuum Joannem, promittentes ſe tantam fidem habère, ut quidquid „ peteretur,Sanctus Joannes Domino annuente tribuere poſſet.] Et imploravit Origenes „ Sanctum Job, his verbis concludens tertium librum in Job; [O beate Job vivens in perpetuum apud Deum, & victor permanens „ in conſpectu Regis Domini, ora pro nobis „ miſeris, ut etiam nos terribilis Dei miſericordia protegat in omnibus tribulationibus, „ & eripiat ab omnibus oppreſſionibus maligni, & connumeret cum juſtis, & conſcribat „ cum his, qui ſalvi fiunt.] Et 8. lib. contrà Celſum, cum homine diſputans; [Unus, inquit,nobis placandus eſt Deus, & ut propitius ſit exoptandum: quòd ſi quos alios velit „ præter Deum placari; intelligat quemadmodùm, & corpus, cùm movetur, & umbram „ habet ſe ſubſequentem: ſic & qui ſummum „ Deum placârit, & illius amicos propitios ut „ habeat, ſequitur.] Angelos ſcilicet, animaſque, & ſpiritus cæteros beatiores; quippè qui ſimul & ſentiant, quinam Dei ſint benignitatem promeriti. Nec ſolùm ſe hi ergà digniores quoque propitios reddunt; ſed & Deo gratificari volentibus opitulantur; hiſque & placatiorem hunc faciunt, unàque & ſupplicant, & precantur. Et in primo Conciliorum tomo extat epiſtola Cornelij Papæ in qua dum narrat tranſlationem Apoſtolorum Petri, & Pauli è catacumbis ad Vaticanum, popu-

Tertullianus. *Cyprianus.* *Origenes.* *Cornelius Papa.*

Digitized by Google

populum, ait, Romanum oráſſe Deum, ut illis intercedentibus Eccleſiam regeret. Et Sanctus Gregorius Nazianzenus in oratione de funere patris, defunctum jam patrem invocat; invocat & Gorgoniam in oratione in ipſius laudem. Et oratione in laudem Cypriani, Juſtinam memorat à Cypriano adhuc mago miſerè amatam, atque de honeſtate periclitantem, Mariam ſemper Virginem invocâſſe, ut periclitanti auxilium ferret: quæ preces illicò fuerunt auditæ, & Cyprianus ad Chriſtum converſus, quem rursùm ipſe tandem invocat Nazianzenus; ut gregem ſuum univerſum ab hæreticis tueatur, & ad meliora dirigat. Et ad initium orationis in laudem Baſilij, precatur illum ſuprà ſe poſitum, ut facilem ſe ſibi, exorabilemque præbeat. Totius verò orationis illa eſt invocatrix concluſio: [Tu verò ſacrum, „ & divinum caput nos cœlitùs inſpicias, carniſque ſtimulum à Deo nobis ad diſciplinam „ datum, aut precibus tuis ſiſtas, aut perſuadeas, ut forti animo perferamus, omnemque „ vitam noſtram ad id, quod maximè conducibile eſt, dirigas; noſque poſteaquàm ex „ hac vita migraverimus, tuis tabernaculis excipias.] Et oratione in laudem Athanaſij, ſic tandem illum alloquitur: [Nos autem ipſe benignus è cœlis aſpicias, atque hunc populum „ gubernes.] Ac demùm ſub finem Tragediæ Chriſti patientis, ad Beatam Deiparam inquit:

„ [*Veneranda ô Virgo caſta fœliciſſima,*
„ *Quando beata nunc Beatorum in polo,*
„ *Exuta quidquid fecis humana, ſedes*
„ *Æternitatis pallio ornata, ut Dea*
„ *Habita, ſenecta expers, ſupremo ex æthere*
„ *Benigna adeſto vocibus meis: preces*
„ *Admitte Virgo, ô inclyta hic quando tibi*
„ *Verbi parenti, ſed ſuprà modum tamen*
„ *Legemque ſolus inter omnes contigit*
„ *Honor. Ego fretus his tibi me audentiùs*
„ *In verba ſupplex offeram, &c.*]

Et Sanctus Athanaſius in ſermone de Deipara; [Audi filia David, & Abrahæ, & inclina aurem tuam in preces noſtras, & nè obliviſcaris populi tui; nequè noſtri, qui ſumus „ de familia, & domo patris tui.] Et iterùm; „ [Vultum tuum deprecantur omnes divites „ plebis. Ad te clamamus, recordare noſtri „ Sanctiſſima Virgo.] Euſebius Emiſſenus h. in litanijs. [Præſidia, inquit, invocata Sanctorum.] Et h. de Sanctis Ephipodio, & Alexandro, ſpeciales illos civitatis patronos appellat; quoniam ibi erant ſepulta illorum corpora; & ideò dulcius eis ait eſſe obſequium, ſi indè ad ſuffragium invocentur, undè primo reſurrectionis ſigno evocabuntur ad præmium. Et h. de Sancto Geneſio: [Fideles populi peculiariùs exultantes de perpetui propugnatoris auxilio, ferunt ad tumulum vota; de tumulo votorum referunt gaudia. Pulſant hi „ precibus, reſpondet ille virtutibus; vincuntur per quotidiana martyris beneficia alumnæ urbis obſequia. Undè meritò in proſperis colunt; quem præſentem in periculis cognoverunt: frequentibus tribulationibus approbârunt, quantum apud Deum poſſit proprius ſuffragator.] S. Baſilius h. in quadraginta martyres; [Paratum eſt hìc Chriſtianis „ auxilium. Qui aliqua premitur anguſtia, ad „ hos confugiat; qui rursùm lætatur, hos oret, „ hic ut à malis liberetur, ille ut duret in rebus „ lætis. Hìc mulier pro filijs orans auditur, „ peregrinanti viro reditum incolumem, ægrotanti verò ſalutem implorat. Cum his „ ergò noſtras effundamus preces.] Nequè abſimilia inculcat in homilia de Martyre Mamante S. Gregorius Nyſſenus in oratione de S. Theodoro martyre, de martyrum reliquijs ita loquitur: [Quaſi corpus per ſe vivens, & florens „ intuentur, amplectuntur, oculis, ori, auribus, „ omnibus ſenſuum inſtrumentis adhibentes. „ Deindè officij, & affectionis lachrymas martyri, tanquam integer eſſet, & appareret, ſuperfundentes, ut pro ipſis deprecator intercedat; ſupplices preces offerunt, tanquam „ ſatellitem Dei orantes, quaſi accipientem „ dona cùm velit invocantes.] Et rursùm ſub finem: [Tu verò hûc jam ades ad nos, & „ deprecatus veni ad hos, qui te honorant, inviſibilis amicus: intercede, ac deprecare pro „ nobis apud communem Regem, & Dominum: timemus afflictiones, expectamus pericula: ut miles pugna pro nobis, ut martyr „ pro conſervis utere libertate loquendi, &c. „ quòd ſi majori etiam opus fuerit advocatione, ac deprecatione, fratrum tuorum martyrum coge chorum, & cum omnibus unà deprecare, admove Petrum, excita Paulum, „ Joannem, &c.] Apud S. Joannem Chryſoſtomum autem quid ſibi volunt ultima illa verba in h. 2. de patientia Job? Orationibus, lectionibuſque Sanctorum Patrum intendentes. Et h. 52. operis imperfecti: verba illa fatuarum virginum; Date nobis de oleo veſtro, Matth. 25. dici à nobis vult Sanctis, qui opera larga juſtitiæ habent nobis quoque ſufficientia; hoc eſt, intercedite pro nobis peccatoribus ad Dominum. Et extremâ h. in dictum Pauli; Nolo vos ignorare fratres: [Fiant hæc precibus Sanctorum, & patronorum omnium, ut ſervantes dogmatum rectitudinem, quam supernè, „ & à progenitoribus accepimus, & adijciamus illis congruam vitam.] Immò verò in hom. 26. in poſter. epiſt. ad Cor. & h. 66. ad populum; peregrinationes adfert ad Sanctorum ſepulchra: [Nam & ille ipſe Imperator „ purpura indutus peregrè proficiſcitur, ſepulchra illa complexurus, & faſtu poſito conſiſtit Sanctos rogans, ut ſibi apud Deum patrocinentur, & tabernaculorum artificem, ac

Nazianzenus.
Athanaſius.
Emiſſenus.
Baſilius.
Nyſſenus.
Io. Chryſ.

Digitized by Google

„ ac piſcatorem patronos etiam mortuos pre-„ catur ipſe diadema geſtans.] Et hom. 5. adversùs Judæos; [Si videris te puniri à Deo, nè „ profugias ad inimicos Judæos, nè magis etiam illum in te provoces: ſed ad amicos illius martyres, ac Sanctos, qui illi placuerunt; „ quique multam apud illum habent autoritatem.] S. Hilarius in Pſal. 124. Apoſtolos, Patriarchas, & Prophetas ſimul cum Angelis præſidio nobis eſſe aſſerit; & Sanctus Hieronymus hac de re ex inſtituto adversùs Vigilantium ſcripſit; & ipſemet in extremo epitaphio ad Euſtochium invocavit Paulam: [Vale „ ô Paula, & cultoris tui ultimam ſenectutem „ orationibus juva.] S. Ambroſius pluribus in locis invocavit; quæ ferè commemorata ſunt, cùm de interceſſione dictum eſt c. 9. S. Auguſtinus in lib. de ſpiritu, & anima c. 59. Sanctos omnes invocat, ut pro ipſo orent: [Vos, „ qui meruiſtis conſortes fieri ſupernorum civium, & perfrui æternæ charitatis gloria; „ orate pro me ad Dominum, ut educat me de „ iſto carcere, in quo teneor captivus, & ligatus.] Et tractatu 84. in Joan. [Ideò ad menſam Domini non ſic eos commemoramus, „ quemadmodùm alios, qui in pace requieſcunt, ut etiam pro eis oremus; ſed magis ut „ orent ipſi pro nobis.] Et ſer. 1. de Sanctis, ita Sanctum invocat Stephanum: [Commendamus nos orationibus ejus: multò magis „ enim nunc exauditur pro benè oratoribus „ ſuis.] Et ſer. 18. qui eſt ſecundus de Annuntiatione dominica, & ſer. 35. in feſto Aſſumptionis; [Sancta Maria ſuccurre miſeris, „ juva puſillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto fœmineo ſexu.] Et in libro medit. c. 24. univerſos Sanctos verbis hiſce precatur; „ [Orate Dominum agmina omnia Sanctorum, & univerſi cœtus Beatorum, ut univerſis precibus, meritiſque adjuti pervenire „ mereamur ad portum perpetuæ ſalutis.] Et c. 40. tum Beatam Mariam, tum Angelos, & Sanctos omnes rursùm obſecrat, ut pro ſe intervenire, & ſupplicare dignentur. Et lib. 7. de Baptiſmo contrà Donatiſtas c. 1. [Beatus Cy-„ prianus adjuvet nos orationibus ſuis in iſtius „ carnis mortalitate.] S. Cyrillus Hieroſolymitanus catech. 5. myſtag. de Miſſæ loquens ſacrificio; [Mentionem, inquit, facimus eorum, qui antè nos dormierunt, Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum: ut Deus orationibus illorum, & deprecationibus ſuſcipiat preces noſtras.] Theodoretus quoque initio commentariorum in Ezechiëlem, invocat hunc Prophetam; & in hiſtoria Sanctorum Patrum ſæpiùs illos invocat, ut in ſuperioribus quoque adnotavi. Victor Uticenſis in tertio libro de perſecutione Aphricana, Prophetas invocat; & Apoſtolos, ut afflictis Eccleſiæ rebus ſubveniant. Et S. Fulgentius in ſermone de Mariæ laudibus, eam dixit eſſe refugium omnium fœminarum, ut omnibus ad eam confugientibus ſubveniret. S. Gregorius Papa libro decimo ſexto moral. c. 22. non confidentes de noſtris operibus, ait, nos ad Sanctorum martyrum protectionem currere, deprecarique, ut illis intercedentibus veniam promereamur; & in c. 5. Cant. dum hoc facimus, adjurare nos interpretatur filias Jeruſalem. Et libro primo Dialog. c. 4. Monachos narrat à Longobardis vexatos Equitium invocâſſe ad ſepulchrum ejus confugientes. Et libro quinto regiſtri c. 119. pro ſe orari poſtulat apud Sanctum Cyprianum; ſicut ille pro illis ad Sancti Petri corpus orabat. Denique S. Joannes Damaſcenus in or. 1. de B. Mariæ nativitate, Beatos Joachinum, & Annam orat, & invocat: atque ex omnibus hiſtorijs conſtat invocanti illi Beatam Mariam reſtitutam fuiſſe abſciſſam manum.

Hilarius. *Hieronymus.* *Ambroſius.* *Auguſtinus.* *Cyrillus Hieroſol.* *Theodoretus.* *Victor Uticenſis.* *Fulgentius.* *Greg. Pa. pa.* *Damaſcenus.*

Sed hoc jam pertinet ad aliud caput de miraculis factis ad invocationem Sanctorum; quæ nimis eſſet longum perſequi, & fortaſsè non neceſſarium; cùm nimis ſint omnibus manifeſta, & certa. Manifeſtus etiam omnibus eſt litaniarum uſus in Eccleſia, in quibus invocantur Sancti omnes, ut pro nobis orent. Quem uſum ſi quis fortaſsè à Sancto Gregorio Papa principium dicat habuiſſe; id tamen non recens, ſed antè mille annos jam fuerit, & antè Gregorium in actis Liberij Papæ c. 9. traditur eum monaſteria, & plebem Sanctam Chriſtianorum ad Beatum Petrum cum litanijs convocâſſe; & circà Hormiſdæ, & Clodovæi Francorum Regis tempora in Concilio Aurelianenſi canone vigeſimo nono antè Domini Aſcenſionem triduanæ indicuntur Rogationes, id eſt litaniæ cum ſolemni jejunio, ac rursùm temporibus iiſdem in Concilio Gerundenſi in Hiſpania canone tertio alia legitur litania Kalendis Novembris habenda; & in expurgatione Sixti Papæ III. c. 11. litaniæ habentur ab omnibus præ gaudio factæ. Cùm verò Conſtantinopolitana civitas graves terræ motus pateretur; ad propulſandam iram Dei litanias factas ſcribunt Aſclepiades, & Cincianus Epiſcopi ad Petrum, ut habetur in quinta Synodo Conſtantinopolitana, & Pelagius Papa primus cum litania veniſſe ad Sanctum Petrum, narratur in libro Pontificali, & circà idem tempus in Turonica ſecunda Synodo c. 18. litaniæ habentur Kalendis Januarij à Patribus inſtitutæ; & hæc omnia antè Gregorium fuêre facta. Sed & ex ipſomet Gregorio cognoſcitur multò fuiſſe antiquiores; nam in libro quarto Regiſtri capite 58. de uſu pallij in litanijs ſcribens ad Ravennatem Epiſcopum; prohibet in litanijs geſtari pallium, quia extrà Eccleſiam geſtari non

Litaniæ.

Digitized by Google

non debet, nec ullus ſuperioribus temporibus geſtâſſe inventus eſt. Ex quo duo planè habemus, & litanias antiquiores fuiſſe Gregorio, & eas extrà Eccleſiam factas. Sed & in libro 7. c. 76. indictionis ſecundæ ipſemet, & qui pro Ravennate Epiſcopo agebant de uſu pallij in litanijs retinendo, priſcam, & antiquam conſuetudinem appellant. Et dum libro 9. c. 44. adversùs Barbaros Siciliam invadentes indicit feriâ quartâ, & ſextâ litanias; non rem novam inſtituit, ſed velut jam pridem in Eccleſia uſitatam, in præſenti neceſſitate injungit. Eodem modo in libro 11. c. 2. ſeptem litanias diviſim, Clericorum, virorum, monachorum, ancillarum Dei, conjungatarum, viduarum, pauperum, & infantium, à diverſis Eccleſijs mortalitatis tempore ordinavit. Sanè antè Gregorium vixit Baſilius circà annum 380. qui de litanijs diſputat cum Eccleſia Neocæſarienſi in epiſt. 63. caſque jam tum in uſu fuiſſe teſtatur. Et Euſebius Emiſſenus circà annum 350. in litanijs habuit homiliam, in qua triduanas legimus ſupplicationes, in quibus Deum exorabant, & præſidia Sanctorum invocabant pro infirmitatibus, pro peſtilentijs, hoſtilitatibus, grandine, ſiccitate, & ſimilibus. Vixit etiam circà quadringenteſimum Maximus Taurinenſis Epiſcopus, apud quem ſimilis extat de litanijs homilia; in qua legationem nos ad Deum ait deſtinare, ſicut homines ſolent, quoties neceſſitatem patiuntur, ad proximas gentes auxilij causâ deſtinare legatos; & ut habet Sanctus Bernardus, quanquam his omnibus poſterior, in ſermone de quatuor modis orandi; [Qui timent per ſeipſos accedere, „ ſtudent, quaſi per alios ſupplicare, & qui „ patitur fluxum ſanguinis, id eſt, peccatorum, „ huic minimè expedit per ſeipſum ad Chri- „ ſtum accedere, ſed tangere, ſi quam invene- „ rit, ejus fibriam.] Hoc nos Sanctos rogantes agimus: & quis niſi extremè impudens, & impius reprehendat? Si verbum Dei ſcriptum requiris, habes in capite decimo; ſi traditum, in c. 11. in quo ſi obſervare non piguit, ætatum omnium, & ſæculorum ab Apoſtolorum temporibus habes teſtimonia; Sanctos à Chriſtianis ſemper invocatos fuiſſe: neque his Sanctorum hoſtes poterunt quemquam opponere.

CAPUT XII.

De Sanctorum miraculis.

TERTIUM, ac poſtremum argumentum, quo Sanctos martyres demonſtramus preces noſtras, & invocationes audire, proque nobis intercedere apud Deum, ex miraculis petitur; quæ invocantibus nobis, & illis intercedentibus fiunt à Deo. Horum & in ſuperioribus facta eſt mentio; & ab Innocentio Abbate ad Sancti Joannis Baptiſtæ reliquias orante ſcribit Palladius repente ſanatum paralyticum: & Conſtantiam Conſtantini filiam toto ulceroſam corpore, Beatam Agnetem ad illius ſepulchrum invocantem, fuiſſe illicò ſanatam, ſcribit S. Ambroſius epiſt. 34. ad Virgines ſacras; & cæcum precibus Sanctorum Gervaſij, & Protaſij reſtitutum ſe vidiſſe narrat in ſermone de his Sanctis: & plurima habet Sanctus Auguſtinus libro vigeſimo ſecundo de civitate Dei capite octavo, deque illorum reliquijs loquens Sanctus Joannes Damaſcenus libro quarto de fide capite decimo ſexto: [In veteri, ait, lege quiſquis „ mortuum contigiſſet, immundus cenſebatur. „ Verùm hi in mortuorum numero habendi „ non ſunt; qui enim mortuum corpus mira- „ cula edere queat? quonam modo per ea dæ- „ mones expelluntur, morbi profligantur, æ- „ groti ſanantur, cœci proſpiciunt, leproſi „ mundantur, tentationes, ac mœrores diſcu- „ tiuntur, ac denique omne donum optimum à „ Patre luminum eorum opera ad eos, qui fide „ minimè dubia poſtulant, deſcendit?] Theodoretus verò in libro de Martyribus hoc utitur argumento; quòd illorum templa plena viſuntur donis, quæ votorum rei perſolvunt; nam alij oculorum, alij pedum, alij manuum ſimulacra ſuſpendunt ex argento, auroque confecta, quæ manifeſta ſunt adeptæ ſanitatis indicia. Et Euſebius Emiſſenus hom. de Sancto Geneſio: [Ferunt ad tumulum vota, & de „ tumulo votorum referunt gaudia. Pulſant „ hi precibus, reſpondet ille virtutibus; vincun- „ tur per quotidiana martyris beneficia alum- „ næ urbis obſequia. Meritò in proſperis co- „ lunt, quem præſentem in periculis cogno- „ verunt.] S. Baſilius quoque in h. de quadraginta martyribus eadem propemodùm de illis confirmat. Et S. Gregorius Nyſſenus locum, ubi corpus jacebat S. Theodori martyris, variorum dixit morborum medicinæ officinam eſſe factum, & portum eorum, qui afflictionum tempeſtatibus jactabantur, & advenientium multitudine viam ſemper velut formicis plenam eſſe. Et S. Nazianzenus or. in laudem Cypriani, Cypriani corpus publicum orbis bonum appellat; & paulò pòſt; [Omnia, vel ci- „ neres ipſi, Cypriani efficiunt, quemadmodùm „ nôrunt, qui hujus rei periculum fecerunt, „ ac miraculum ad nos uſquê tranſmiſerunt, „ ejuſdemque memoriam poſteris quoque tra- „ dituri ſunt.] Et or. 1. in Julianum. [Dæmo- „ nes propelluntur, & morbi curantur, & vel „ ſola corpora idem poſſunt, quod animæ ſan- „ ctæ, ſive manibus contrectentur, ſive ho- „ norentur; & vel ſolæ ſanguinis guttæ, atque „ exigua paſſionis ſigna, idem poſſunt, quod „ corpora.] Sed & S. Cyrillus Hieroſolymitanus catecheſi 18. Eliſæum memorat non ſolùm

Digitized by Google

lùm viventem, ſed & mortuum ſuſcitâſſe mortuos; ut non ſolùm anima Sanctorum honoretur, ſed in corporibus etiam mortuorum credatur ineſſe virtus, & poteſtas miraculorum: quippè in quarto libro Regum capite decimo tertio, cadaver projectum in ſepulchro Eliſæi, ubi oſſa tetigit Eliſæi, revixit, & ſtetit ſuper pedes ſuos. Et de Sancto Joanne Chryſoſtomo pulchrum eſt illud, quod narrat Niceph. libro decimo quarto capite quadrageſimo tertio, corpus illius nulla vi potuiſſe moveri, ut Conſtantinopolim portaretur; per litteras Theodoſius Imperator obſecravit Sanctum, ut ſe deferri pateretur, & leviſſimè fuit portatus; & illud in libro decimo quinto capite 5. poſt longam diſputationem in Calcedonenſi Concilio decreviſſe Patres, ut ſententiæ omnes conjicerentur in tumulum, quo Beatæ Euphemiæ continebatur corpus; totaque nocte oratum, poſtero die catholicæ omnes ſententiæ in manibus repertæ fuerunt, reliquæ poſt pedes projectæ.

Pluribus detinêre lectorem ſupervacaneum: cùm nostris quoque temporibus audiantur plurima certiſſimis teſtibus comprobata.

CAPUT XIII.

Quinam Sancti invocandi.

Sanctorum quatuor claſſes.

HOc unum addendum; Sanctos, quos invocamus, ad quatuor claſſes revocari. Aut enim ſacrarum litterarum teſtimonio conſtat eos eſſe Sanctos, ut Moyſen, & Abrahamum in veteri teſtamento; & Apoſtolos in novo, atque ex Diaconis Stephanum. Aut Eccleſiæ traditione habiti ſemper fuerunt Sancti; ut inter veteris teſtamenti Patres primos generis noſtri parentes fuiſſe ſalvos; & Tatianus negans, ut eſt apud Irenæum libro primo capite trigeſimo primo, & Tertullianum libro de præſcript. capite quinquageſimo ſecũdo habitus eſt hæreticus ab Epiphanio hæreſi quadrageſimâ ſextâ, & Auguſtino libro de hæreſibus capite vigeſimo quinto, & Irenæo libro tertio capite trigeſimo nono, quem legas etiam capite trigeſimo quarto, trigeſimo quinto, trigeſimo ſeptimo. Sed Auguſtinus in epiſtola nonageſima nona ad Evodium, inter cæteros à Chriſto ad inferos deſcendente liberatos, atque ad cœlum traductos, credendum eſſe ait, Eccleſiamque ferè totam credere, fuiſſe primum illum hominem, etiamſi canonicarum ſcripturarum expreſſa non proferatur auctoritas; profert tamen illud ex libro Sap. capite 10. Hæc illum, qui primus formatus eſt, à Deo pater orbis terrarum cuſtodivit, & eduxit illum à delicto ſuo. Et in ſecundo libro de peccatorum meritis, & concupiſcentia capite trigeſimo quarto. [Primi illi homines (de Adamo, „ & Eva loquitur) poſteà juſtè vivendo meritò „ creduntur per Domini ſanguinem ab extre-„ mo ſupplicio liberati.] Et in novo teſtamento de B. Maria, etſi nullum ſit ſcripturæ teſtimonium, ita tamen perpetua traditione tenetur, ut pluſquam hæreticus diceretur, qui negaret. Tertia claſſis eſt martyrum, quos pro Chriſto conſtat interemptos fuiſſe; hi enim ſemper pro Sanctis fuerunt habiti, propter eximiam ſcilicet charitatem, & amorem Dei. Quarta eorum, qui legitimam ſanctitatis probationem habuerunt, quam Eccleſiæ canonizationem vocamus. Quod ſanctitatis teſtimonium non dat Eccleſia niſi divino fulta teſtimonio, hoc eſt, certis miraculis, quibus Deus hominis ſanctitatem declaraverit.

CAPUT XIV.

Martyrium non temerè quæritandum.

VERùm de his hactenùs, in quibus etſi de martyribus dicere aggreſſi ſumus, permulta tamen communia Sanctis omnibus dicenda fuerunt. Ita namque ferè accidit, ut dum de ſpecie ſuſcipitur diſputatio, de genere quoque univerſo diſſerendum ſit. At ut primam illi tractationis noſtræ partem habuerunt, ſic poſtremam quoque hanc habebunt. In qua ut permultos ſcimus virtute, ac ſanctitate præſtantes viros, martyrij gloria inflammatos, divinaque charitate ferventes, occaſiones quæſiſſe martyrij, ſeque ipſos ultrò ſæpiùs obtuliſſe, neque tamen voti compotes factos; quia non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei donum, & gratia. Ita Sanctos quoque Patres monentes audio, non debêre nos temerè certamini tanto offerre, cui impares ſunt ſemper vires noſtræ; &, ſi cadas, damnoſum nimis ſit, & exitioſum: quare & interdùm declinandum monent. „ [In omnibus, quæ agimus (inquit S. Am-„ broſius lib. 1. offic capite trigeſimo ſeptimo) „ non ſolùm quid honeſtum, ſed etiam quid „ poſſibile ſit, quæramus, nè fortè aggrediamur „ aliquid, quod non poſſimus exequi.] Undè nos tempore perſecutionis de civitate in civitatem cedere, immò ut ipſius verbo utar, fugere vult Dominus, Matthæi decimo, nè temerè aliquis dum martyrij deſiderat gloriam, offerat ſe periculis, quæ fortaſſe caro infirmior, aut remiſſior animus ferre, ac tolerare non queat. Providentiâ tamen præparandum eſſe ſubjungit animum, exercendam mentem, atque ad conſtantiam ſtabiliendam. [Ut enim in bello „ improviſus hoſtis vix ſuſtinetur; ſic animum „ mala inexplorata plus frangunt.] Et S. Gregorius Nazianzenus or. in laudem Cæſarij fratris: [Lex noſtra præcipit, ut oblata quidem „ occaſione veritatis cauſâ periculum adeamus, nec fidei piètatem per animi ignaviam „ deſeramus: cæterùm quandiù licet, pericula „ ipſa nè excitemus; ſive id ea ratione præſcri-

„bat, quòd animabus noſtris metuat ; ſive
„quòd eorum exitio occurrendum putet, à
„quibus nobis periculum vitæ creatur.] Et
rurſum in oratione in laudem Baſilij : [Lex
„martyrij hæc eſt, ut non noſmetipſos in peri-
„culum ultrò conijciamus, ut & perſecutori-
„bus, & infirmioribus athletis conſulatur; nec
„in diſcrimen adducti certamen detrectemus.
„Illud quippè temerarij, ac præcipitis eſt ani-
„mi, hoc timidi, & ignavi.] Et oratione 1. in Ju-
lianum ; in perſecutione fugiendum conſulit
juxtà præceptum Domini Matthæi 10. [Ne-
„que enim Chriſtianos quantumvis fortes, ſuæ
„tantùm ſalutis rationem habêre oportet, ſed
„perſecutoribus quoque conſulere, ut quan-
„tum in ipſis eſt, ad hoſtile periculum nihil
„conferant.]

Extat etiam Sancti Athanaſij apologia, de fuga ſua; & Clemens Alexandrinus libro quarto ſtrom. non fugiendum ait, quod malum ſit perſecutionem pati, vel ob timorem mortis; ſed ut nulli ſimus cauſa mali, ſive nobis ipſis, ſive perſecutori, & carnifici. Chriſtum quoque Dominum legimus interdum declinâſſe, quouſquè hora adveniret conſtituta; quare Joannis 11. dicitur, eum non palam ambulâſſe apud Judæos, ſed abijſſe in regionem juxtà deſertum in civitatem Ephren, & ibi cum Diſcipulis ſuis moratum. Quem locum tractans Origenes tractatu 28. in Joannem: [Præcla-
„rum eſt, inquit, non recuſare confeſſionem,
„nec dubitare mori pro veritate. Non minùs
„tamen etiam præclarum eſt non dare cauſam
„tali periculo, ſed omni ratione ei obſiſtere,
„non ſolùm quia incertus eſt nobis ejus even-
„tus; verùm etiam nè cauſa ſimus, cur ſcele-
„ſtiores ſint, majoribuſque peccatis ſe contami-
„nent ij, qui profuſionis ſanguinis noſtri rei
„fient, & in graviori ſupplicio erunt, ſi nos a-
„mantes, neque illis conſulentes morti nos of-
„feramus; cùm ad hoc non præcurrerit neceſ-
ſitas.] Et ſub finem libri primi contrà Celſum, qui fugam hanc impugnabat; Chriſtum, ait, exemplo ſuo nos docuiſſe, vitæ conſtantiam, & fortitudinem non in eo eſſe, ut fruſtrà, & intempeſtivè, aut temerè adeamus pericula; Ariſtotelisque adjungit exemplum, qui cùm ob dogmata quædam vereretur adverſùm ſe Athenienſes judices concitatos, indè excedens migravit Chalcidem, ubi diù manſit; Athenis, inquiens, ſe receſiſſe; nè cauſam daret Athenienſibus ſecundò ſcelus committendi, quale in Socratem commiſerant. Verùm quid ego Philoſophos memoro? Apoſtolorum conſtitutionem refert Clemens libro quinto capite ſeptimo. [Oportet orare, nè intremus in tenta-
„tionem. Quòd ſi ad martyrium vocemur,
„conſtanter confitêri pretioſum nomen; acſi
„propter hanc cauſam ſupplicio afficiamur,
„lætemur, quòd ad immortalitatem propere-
„mus, & quæ ſeq.] Ergò Chriſti doctrinam, & exemplum, Sanctorumq; Patrum conſilium ſecuti, ſi confeſſionis, ac martyrij incumbat neceſſitas, fortes, & conſtantes veritati teſtimonium demus; nos verò periculis non objiciamus, niſi de divina nos impellente conſtiterit voluntate; quod de aliquibus Sanctis viris credi poteſt.

FINIS.

IN-

A.

ABel, & Cain duo hominum genera fol. 282. Virtutis, & vitij figura. 4.
Abraham. 82. dupliciter obediens. 577.
Achab. 463.
Actio bona, & intentio bona in operibus noſtris. 282. noſtra quomodo habeat plus meriti, vel ſit vitioſa. 479. omnis ad Deum referenda. 277.
Actionum genera tria. 555.
Adam cur de ligno comedit. 195. cur ſolus creatus. 100. & Eva in Paradiſo virgines. 125. punitus ob pauculam eſcam. 307. tentatus. 395.
Admittendi ad religionem examinandi. 506. probandi. 507. probati admittantur. ibid. qua ætate. 508. qui. 507.
Adoleſcentium virtutes. 342.
Adoratio duplex. 660. & 661.
Adverſa afferunt cœleſtem coronam. 373. augent bona. 372. cur bonis à Deo permittantur. 366. & ſeq. dant intellectum. 374. & proſpera æquè toleranda. 375. & proſpera in temporalibus, & ſpiritualibus. 377. oſtendunt amicos. 374. pala ventilans. 371. pietatem confirmant. 373. probant nos. 371. proſperis potiora. 370. purgant animam. 371. ſanant animam. 372. ſcala Iacob. 371. tenent nè cadamus. 372.
Adverſitas medicina. ibid.
Adulatio, & detractio vulpes parvulas *Canticorum*. 354. malum cognatum virtutibus. ibid.
Adulator auceps. 356. corrigendus. ibid. fugiendus. ibid. hypocrita. 362. infidelis. 355. inimicus blandus. 356. proditor. 355. ſimulator. ibid. vendit oleum. 356. vulpis 346.
Æneas deplorans Didonem deplorandus. 642.
Æs alienum ſolvendum antè religionis ingreſſum. 508.
Æſchinis donum Socrati gratum. 297.
Affectio ſingularis turbat charitatem. 106. triplex. 97.
Affectus ſpectat ad voluntatem. 264.
Affectus equi mali. 175. mortificandi. 174.
Agag Rex Amalec trucidatus. 149. & 157.
A lare incipere. 609
Alexander Macedo. 296. & 330. victas mulieres formoſas aſpicere noluit. 530.
Altaria duo in veteri templo. 282. 315. & 328.
Amandi præceptum. 95.
Ambitio avaritia pejor. 362. cœca. 363. diabolica ſuperbia. ibid. hæreſum cauſa. 67. humilis. 363. ſimulata. ibid. ſitis inexplebilis. ibid. vana. 364. undè. 362.
cum Ambitioſis ut agendum. 365.
Amen quid. 430.
Amor divitiarum vocationem impedit. 503. & timor oppoſiti. 616. fervidus, & ardens. 98. filij, mercenarij, & ſervi. 95. obedientiam facilitat. 572. parentum, & ſanguine junctorum vocationis tentatio. 502. purus, & purgatus ab omni affectu humano, & terreno. 98. ſuperſtit rei amatæ. ibid.
Amorem quæ concilient. 618.
Amoris cauſæ tres. 94. Dei multæ cauſæ. 95. latitudo. 165. vis. 105.
Ananiæ, & Saphiræ votum. 476.
Anaxarchus. 249.
Angelorum defenſio, & tutela. 393.
Anima auriga corporis. 159. cur corpori juncta. 164. currus, virtutes boni equi. 175. duas habet partes. 152. Samuëlis non apparuit Saüli. 651.
Animæ carnales, & ſæculares nomine mulieris appellantur. 192. mortuorum apparere poſſunt. 651. mortuorum non errant. 650. mortuorum non evocantur à Magis. 651. rationales quomodò diligendæ. 98.
Animalia munda, & immunda virtus, & vitium. 4
Anna, & Phenenna fides, & opera. 40.
Annulus in quo digito ferendus. 330. nobilitatis inſigne. ibid. quibus permiſſus. ibid. ſignaculum. ibid.
Antiſthenes Philoſophus. 173. vendidit omnia palliolo tantùm retento. 513.
Antonius Abbas. 228. 317. 319. & 323.
Aod ambidexter. 287.
Apellis dictum. 203.
Apoſtaſia duplex. 60. Eccleſiæ utilis. ibid. religioſorum. 61.
Apoſtata, & apoſtatare quid. 60.
Apoſtatarum dira exempla. 61.
Apoſtoli cur dicti *Piſcatores hominum* à Chriſto. 154.
Apotheca communis in religione. 524.
Appetitus gloriæ inſitus homini. 265. maris, & fœminæ utriſque ſexui inſitus. 192.
Aqua in ſacris litteris aliquando pro ſcientia. 285.
Arbor ſcientiæ cur prohibita. 556.
Arca in Eccleſia. 426. & 445.
Ariſtotelis opinio de mulieris formatione. 192.
Arrogantia quid. 262.
Arrogantiæ gradus quatuor. 186. & 191.
Arrogans qualis. 263.
Arſenius. 320.
Artium initium laborioſum, finis lucroſus. 12.
Aſpectus mulierum cavendus. 210.
Aſſentio, & cognitio. 25[illegible]
Atheiſmi origo. 57.
Atheiſmus. 56.
Athenienſes noluerunt dare Philoſophos obſides. 286.
Avaritia abyſſus inſatiabilis. 462. amphora *Zacchariæ*. 5. 464. appetitus inſatiabilis. 460. bona, & mala. ibid. ebrietas inſatiabilis 461. & ambitio. ibid. febris. ibid. germinat ex amore proprio. 459. idolorum ſervitus. 463. ignis. 461. impetigo. 460. morbus communis totius naturæ. 459. noverca. 464. peccatum quàm grave. 463. & ſequ. quid. 460. radix omnium malorum. ibid. vitium vetuſtiſſimum. 459.
Avaritiæ partes. 465.
Avari dictum. ibid. impia verba quædam. 457.
Avarorum ab eleëmoſyna excuſationes, & his reſponſiones. ibid. voces. 463.
Avarus Ænergumenus. 464. fœdior fornicatoribus. 461. hydropicus. ibid. idolorum cultor. 463. impudens. 464. induſtrius, & argutus ſibi videtur. 463. quis. 460.
Sancti Auguſtini verba quædam explicantur. 551.
Autor nuncius Apoſtolicus ad Maronitas montis Libani. 546.
Auxilium ſpeciale. 84. ſpeciale non omnibus conceſſum. 306. ſufficiens omnibus datum. ibid.

B.

BAptiſmi mors. 403.
Baptiſmus in Paſchate. 412.
Baſilicæ cum martyrum reliquijs. 664.
Baſilius introduxit monachos in urbes. 491.
Bellum triplex. 145.
Beneficiorũ Dei memoria in tentationibus adjumentũ. 402.
Beneficium in voluntate conſiſtit. 297.
Bernardus Abbas. 322.
Beſtiæ nobis præbent exemplum. 320.
Bibaces qui. 133.
Bigamiæ irregularitas. 553.
Bona celanda. 339. propria Chriſtianorum non ſunt temporalia. 368. temporalia bonis, & malis communia. 366. tẽporalia ut petenda à Deo. 434. terrena ſunt onera. 516.
Boni cur præmoriantur. 637. difficilè emendantur, ſi cadant. 385. & mali quomodò à dæmonibus tententur. 298. ſe-

Digitized by Google

298. ſemen mundi. 384. ſpiritualibus divitijs , & bonis abundant. ibid.
Bonitas duplex. 276.
Bonorum confirmatio ex malorum proſperitate. 366.
Bonum, & commodū noſtrum duplex ex oblationibus. 472.
Brachia nudare in luctu. 644.

C.

CAin avaritiæ author. 459.
Calcei curioſitas. 329.
Calcei mulieribus interdicti ab Ægyptijs. 198.
Capilli cogitationes mentis , & ſuperflua. 510. ſoluti & concinnati. 206.
Capillos evellere, vel tondere in luctu. 644.
Capitis corona. 207. & 510.
Caput. 344.
Carnalis homo inverſus. 151.
Carneades. 356.
Carnis cum ſpiritu pugna periculoſa. 143. qualis. 144. à quibus non ſentiatur. 150. quorum ſit. 151. undè orta. 144.
Carnis, & ſpiritus concordia à Deo petenda. 152. exercitus. 149. ſequaces multi. 148.
Caro concupiſcit adverſus ſpiritum. 143. & 526. hypocrita 150. injuſtè pugnat cum ſpiritu. 148. meretrix. 151. mortificanda. 164. quatenùs amanda. ibid. ſpiritus hoſtis. 166. ſpiritus remora. ibid. ut infirma. 149.
Caſtitas. 475. & 499. Angelica virtus. 526. balſamum. ibid. carnis , & mentis. 528. divina concurrente gratia ſervari poteſt. 550. Evangelica. 527. hæreticorum , & Ethnicorum. 543. martyrij genus. 537. omnibus virtutibus jungi debet. 538. violata non amittit coronam. 537. voto conſecrata ſemper fuit in Eccleſia. 540.
Caſtitatis argumenta. ibid. corona. 537. divinum conſilium. 527. gradus. 538. & 539. indicia 539. tentatio. 527.
Caſtus à continente differt. 539. quis. 526.
Catharina Senenſis. 305.
Cathecumeni excluſi à funere. 647. à ſacrificio. 435.
Cedrus ſuperbum denotat. 255.
Cella regularium. 493.
Centuplum in caſtitate. 499. in obedientia. ibid. in paupertate. 500. promiſſum religioſis. 498. promittitur illis, qui omnia reliquerunt. 500.
Ceraſtes. 388.
Chananæus populus non occiſus. 307.
Charitas adjuvat caſtitatem. 535. æs alienum. 104. bipartita. 91. Chriſtianis objecta. 97. cibus. 90. de Deo triumphat. 89. Dei inſita à natura. 93. & Amor. 85. facilitat obedientiam. 572. fortem facit. 89. fortis , ut mors. ibid. hæreditas. 88. ignis. ibid. in Prælatis. 593. inſanum facit. 89. jugum. 91. major inter religioſos , quàm in ſæculo. 499. mandatum novum. 88. 89. & 108. navis. 594. omnia vincit. 89. ordinata eſſe debet. 99. patiens eſt. 251. potior quàm ſcientia. 292. potus. 91. præſtantior ſignis. 90. ſola ex Virtutibus Theologalibus remanet in Beatis. 21. Spiritus , qui ferebatur ſuper aquas. 90. velut imago Principis. 37. vera omnes propter Deum amat. 99. vera ſit , & ſincera. 98. verbum breviatum. 91. veſtis nuptialis. 93. via ad Cœlum. 87. via ad homines. 88. vinculum perfectionis. 87. virtus propria bonorum. 98. vita animæ 109. ut ſpectet Deum. 487
Charitate cum Deo contendere poſſumus. 89.
Charitatis bonum. 86. opera exercens mala morte non moritur. 454. præcepta duo. 92.
Chriſtiani cur ad orientem orent. 437. fratres. 47. tentantur. 380.
Chriſtiani nomen. 5.
Chriſtianiſmus quid. 85.
Chriſti fletus. 642. & 645. geſta adjuvant humilitatem. 238. humilitas adjumentum humilitatis. ibid. prima tentatio quæ. 187.
Chriſto injuriam non fieri Sanctos invocando. 668.
Chriſtus Apoſtolos idiotas elegit. 48. cur dextrum latus ſibi voluit fodi. 595. cur in convivijs , & nuptijs. 406. cur in cruce mortuus. 402. Deus caſtitatis. 538. finis noſter. 284. humilitatis doctor. & præceptor. 230. mortem timuit. 633. noluit fieri Rex. 580. paupertatem elegit. 522. poſt miracula recedebat. 271. primus martyr. 655. quædam ſpecialiter , & quædam generaliter præcepit. 418. ſedit ſuper aſinum. 240. ut diligendus. 96.
Cibi delectus 412. fames. 132. modus. 131. qualitas. 413.
Ciborum abſtinentia caſtitati non ſufficit , niſi aliæ adjungantur virtutes. 536.
Cineres undè. 442.
Cinis ſuper caput in luctu. 644.
Circumciſio duplex. 40.
Clerici animarum curam habentes. 489. uxorati apud Maronitas, quos Author correxit. 546.
Clericorum cœlibatus. 545.
Clamor in locutione ſuperbiæ ſignum. 338.
Cœlibatus ſtatus. 548.
Cogitatio præcurſor diaboli. 389.
Cogitationes immundæ abigendæ. 532. immundæ fontes libidinis. 533. immundæ velut ſerpentis caput. ibid. malæ præcedunt tentationi. 389.
Cognitio Dei inſita à natura. 56. ſui humilitatis adjumentum. 236.
Collectæ in Eccleſia. 445.
Colligere , & συνάγειν. 429.
Collocutio mulierum fugienda. 212. & 215.
à Collocutione mulierū ſe excuſantibus reſpondetur. 216.
Commemoratio duplex in miſſa. 426.
Commoda propria turbant charitatem. 106.
Commoditates animæ nocent. 184. corpori inimicæ. ibid. fugiendæ à religioſis viris. 181. quæruntur dæmonis fraude. 189. religionis ruina. 181.
Commoditates quærens delicatus. 183. Epicuri , non Chriſti diſcipulus. 188. mortuus. 183. non idoneus operarius. ibid.
Compoſitio Morum. 312. honeſta in exteriori converſatione ædificat proximos. 313.
Conciliorum decreta de ſervando caſtitatis voto. 543.
Concordia, & unionis argumenta plura. 100.
Concordia hoſtibus noſtris terribilis. 101.
Concupiſcentia antè , & poſt peccatum. 140. beſtiarum ibid. canis rabidus. 137. carnis primò mortificanda. 179. conſtat anima , & corpore. 140. cur remaneat poſt baptiſmum. 138. ignis. 140. inſatiabilis. 141. major in homine. 138. ut peccatum , & lex peccati. 139. quid. 137.
Concupiſcentiæ ſtatus. 139.
Confeſſarius non debet meditari turpia audita in confeſſione. 533.
Confeſſio fidei præceptum affirmativum. 51.
Conjugati ut admittendi in religione. 508.
Conſcientiæ examen. 199.
Conſilia Evangelica multis ſacrarum ſcripturarum teſtimonijs confirmantur. 471.
Conſiliarij quales. 621.
Conſiliorum meritum. 475. tria capita. 474.
Conſolatio pro mortuis. 643.
Conſtantiæ in religione tentatio. 503.
Conſultor ſit prudens , & benevolus. 621.
Contemplatio. 425. à tentationibus liberat. 406.
Contemptus quid. 305.
Contentionum remedium. 337.

Conti-

Digitized by Google

Continentia, & caſtitas differunt. 539. quid. 540.
Continere, & ſuſtinere. 370.
Contritio cordis adjuvat humilitatem. 237.
Convivia vitanda. 340.
Conviviorum vitia. ibid.
Corallium. 493.
Corporis incultus cultus adjumentum humilitatis. 336. infirmitas in jejunio. 418. nimia cura reddit hominem ad ſpiritualia ineptum. 184.
Corpus cur mortale homini. 167. noſtrum multa cura non indiget. 191. ſpiritale. 150.
Correctio gravis. 610. non ſit indiſcreta. ibid. Superioris ſit gravis, & benigna. 609.
in Correctione abſtinendum à percuſſione, & à contumelijs. 611. quid obſervandum. 610. ſatisfactione non eſt opus. 611. utendum aliquando verbis gravioribus. ibid.
Craſſus ſemel riſit. 331.
Crates Thebanus paupertatem affectavit. 513.
Creatis in rebus plurima non intelligimus. 31.
Credere Deum, Deo, & in Deum. 35. *in* cui conveniat. ibid.
Credibilium genera tria 34.
Credulitas Chriſtianis objecta. 26.
Crucis ſignum. 402. cur dextra manu fiat. 437.
Culpa levis in anima velut macula in veſte. 298. velut næus in corpore. ibid.
à Culpa omni vel leviſſima abſtinendum. 297.
à Culpis gravioribus multi mundi vivunt, à levioribus pauci. ibid.
Cultus corporis. 178. & ornatus mulierum. 202.
Cultus Dei, & Martyrum differentia. 661. Martyrum cauſa. ibid.
Cupiditas. 85.
Curioſitas in divinis ſtultiſſima. 32. in fide fugienda. 27. nimia in fidei myſterijs perquirendis hæreſum cauſa. 68.
Cuſtodia ſui in tentationibus. 405.
Sancti Cypriani verba quædam explicantur. 551.

D.

DÆmon antè caſum Seraph. poſt Cherub. 293. nos inſtigat ad vitium. 17.
Dæmones vitiorum præſides. 390.
Daniël. 81.
Dathan, & Abiron. 349.
David manſuetus. 241. oculos non cuſtodiens peccavit. 532. patienter tolerat Semei maledicta. 115.
Dei præſentia. 534.
Delectatio moroſa. 389. ſpiritualis quanta. 499.
Demetrius Cynicus. 377. & 513.
Deſperatio opponitur ſpei. 85. undè. 82.
Deſperationis exempla. 85.
Detractio vanæ gloriæ remedium. 268.
Detractor ſerpens. 247. tritur ore diaboli. ibid.
Detrahitur quoque bonis. 345.
Deum per Sanctorum merita rogamus. 667.
Devotio. 424.
Deus adjuvat ad bonum, & à malo. 83. amandus ex toto corde. 95. Charitas. 86. conſulendus in primis. 622. creavit omnes homines capaces gloriæ, & Regni cœleſtis. 2. cur bonis permittat adverſa. 366. & ſeq. cur nos petere velit. 423. deploratis rebus ſubvenit. 81. exaudit alios ad ſalutem, alios ad voluptatem. 443. fidelis. 21. habet homines pro liberis. 367. manuducit nos ad virtutem. 17. miſericors quomodo. 446. nobis ſe accommodat. 386. non exaudit interdùm, quia nobis non expedit. 443. odit ſervantem inimicitias. 109. orationes aliquando ſtatim non exaudit, ut probet orantium fidem. 442. paſcit oves, ſi Paſtor ſit malus. 630. prima ſpes. 84. propter hominem factus homo. 101. refugium altum, & humile. 84. ſolus ex toto cordè amandus. 98. ſtatim eſt ſequendus. 505.
Dextera, & ſiniſtra virtutes, & vitia. 4.
Diaboli aſtutia. 385. inimicitia melior, quàm pax. 394.
Diabolus ambiſiniſtér. 40. aperit os detractoris. 347. bonis cur inſidietur. 384. bonis potiſſimùm inſidiatur. 382. Cancer, & Polypus. 387. contegit peccata voluptatibus. 142. cur nos perſequatur. 381. fur. 387. hæreſum parens. 68. inclinationes noſtras obſecundat. 386. leo, & draco. ibid. ligatus. 392. Myrmicoleon. 388. & 393. nec Sabbatharius, nec Dominicarius. 380. peccando naturam non amiſit. 393. pirata. 379. primus hypocrita. 360. ſervus ex pacto. 391. ſervus perpetuus. 395. ſpiritus Domini malus. 391. tentando quid poſſit. 390. tentare poteſt, at nolentes cogere nequit. 391. velut ſerpens latitat in divitijs. 516. venator. 381. uſurarius. ibid.
Diaconi caſtitas ex Concilijs. 549.
Diaconiſſæ. 200.
Diaconiſſarum caſtitas. 549.
Dictum cujuſdam mulieris. 198.
Dies, & nox proſpera, & adverſa. 314.
Dignitates in ſuperbiam elevant. 585. mundi quid. 364.
Dilectio angelorum. 92. Dei in hac vita non eſt perfecta. 97. proximi duobus præceptis continetur. 99. proximi facilis. 97. proximi qualis. 98. ſui. 91.
Dimittendum quoties. 117.
Dina oculos non cuſtodivit. 532.
Dipſas vipera. 461.
Diſcordia 104.
Ditis. 464.
Dives verè quis. 462. ut ſalvetur. 516.
Divina gratia in tentationibus præſidium noſtrum. 401.
Divitiarum cuſtodes, & diſpenſatores ſumus non domini. 455. voluptas. 519.
Divitiæ hoſtes virtutis. 521. laqueus diaboli. 516. non bonæ. 447. non bonæ per ſe. 521. non ſummum bonum. ibid. ſtatua Nabuchodonoſoris. ibid.
Divitum ars. 454.
Dominico die non jejunandum. 415. orando non flectimus genua. 437.
Dominicum agere quid. 429.
Duces belli. 386.
Dulia. 661.

E.

EBrietas bona. 133. in mulieribus punita. 199. quid. 133. ebrietatis peccatum. ibid.
Ebrius dæmoniaco comparatur. 134. velut mortuus. ibid.
Eccleſia civitas in quadro poſita. 40. hortus. 511. navis. ibid. orientalis ſabbatho non jejunabat. 416.
Eccleſiæ jus in hæreticos. 74.
Eccleſiaſtici apertè ſe profitentur adverſarios diabolo. 384. diabolum vexant, & perſequuntur. ibid.
Eccleſiaſticus emunctorium in Eccleſia Dei. 311.
Edere neceſſarium. 130.
Egeni qui ſint. 456.
Egenis non ſubveniendum aſſerentes confutantur. 445.
Egnatius Mæcenius. 200.
Eleëmoſyna alter baptiſmus. 450. clàm elargienda. 455. copioſior in ſolemnitatibus. 454. donum, & mutuum. 449. duplex. 117. eroganda dum vivimus. 455. eroganda religioſis. 457. & oratio comites jejunij. 414. & 422. fœnus Deo. 448. gratia. ibid. gratis danda. 456. hilari, & prompta. 453. jejunio melior. 444. in concione. 445. in tentationibus prodeſt. 404. juſtitiæ pars. 446. lavacrum animarum. 450. manu propria, non per famulos danda. 455. negotiatio bona. 448. non facienda de furto. 452. omnibus danda. 456. quanta. 454. quid valeat. 452. remedium

Digitized by Google

adverſus tentationes. 450. remittit peccata. 451. utilior danti, quàm accipienti. 447. ut peccata remittat. 451. uxoris. 453.
Eleëmoſynæ merces. 456.
Eleëmoſynæ tria neceſſaria. 445.
Eleëmoſynæ erubeſcentibus. 456. pro cathecumenis. 427. pro mortuis. 650.
Elephantis venatio. 386.
Elias. 397. & 448. quandiù miracula fecit. 421.
Eliſæus ægrotus ſagittas jacit. 378. duplicem poſtulavit ſpiritum. 596. ut pueros ultus eſt. 113.
Epictetus. 249.
Epiſcopatus bonum opus. 580.
Epiſcopi perfectionis doctores. 488.
Epiſcopus lucerna Eccleſiæ. 590.
Equi, & aſini. 174.
Equus ſuperbum ſignificat. 255.
Eſau venator. 380.
Eva Adamo data ad ſobolem. 214. oculos non cuſtodivit in terreſtri Paradiſo. 531. omnium malorum cauſa. 196. præcepto Domini addidit verbum *Fortè*. 301.
Evagrius. 448.
Evangelium quadriga Dei. 64.
Euchariſtia antè martyrium ſumebatur. 404. defertur ad ægrotos. 638. fugat tentationes. 403. in navi. 638. in quadrageſima. 412. martyribus, & mortuis. 638. moribundis. 637. non neganda ſupplicio affectis. 637. ſub utraque ſpecie. 638. viaticum, & cur ita appelletur. 637.
Euclides. 249.
Euſebius monachus. 307.
Examen conſcientiæ præmittendum orationi. 441.
Excuſationes quærentium commoditates in religione reijciuntur. 187. & ſeq.
Exempli vis magna. 314. & 318.
Exemplum bonum omnibus dandum. 312. bonum plus prodeſt, quàm miracula. 314. malum Eccleſiaſticorum laqueus ſæcularium. 310. malum religioſorum, & Eccleſiaſticorum obeſt alijs. 315.
Ezechiel filius hominis. 234. & 274.

F.

FAcetiæ vitandæ. 332.
Facies ſerena in Prælatis. 323. ſerena in Sanctis. ibid. ſerena interiorem pacem denotat. ibid. ſpeculū animi 322.
Fama bona curanda. 309. Eccleſiaſticorum, & religioſorum. 310. & conſcientia. ibid. & opinio bona neceſſaria propter proximum. 311. & vita bona neceſſaria ad juvandas animas. ibid. & vita Eccleſiaſtici hominis ſignificatur per duas tubas Moyſis. ibid. ex converſatione provenit. 309.
Fide non ratione opus eſt in divinis myſterijs. 29.
ſine Fide non eſt meritum. 45.
Fidei confeſſio. 51. myſteria non prodenda. 52. neceſſitas quanta. 45. officium duplex. 23.
Fidei veræ argumentum confeſſio dæmonum. 48. conſenſio. ibid. Martyrium. 47. miracula. ibid. prædicatio. 49. ſucceſſio continuata Pontificum. 48. vitæ integritas. ibid.
Fidem diſſimulare ut liceat. 52.
Fides anchora ſacra. 54. aſſentio, non cognitio. 25. auctoritate nititur. 26. baculus. 23. certiſſima. 24. Chriſti amplexa ab univerſo mundo. 50. Chriſti blanditijs, & pollicitationibus non allicit. ibid. Chriſti conſtituta ſimplici prædicatione. ibid. Chriſti non oppreſſa perſecutionibus. ibid. Chriſti vera religio. 486. collum ſponſæ. 39. cur dicta. 38. cum operibus bonis conjungenda. 41. & ſeq. Dei donum, ſed cum libero arbitrio. 36. duplex. 21. facies animæ. 39. fundamentum firmum, & certum ſalutis, & religionis noſtræ. 22. & 54. implicita, & explicita. 36. informis, & formata. ibid. initium ſalutis noſtræ. 54. lapis pretioſiſſimus. ibid. lorica, & ſcutum. ibid. lumen noſtræ intelligentiæ. 55. miraculorum. 37. mortua ſine charitate. ibid. non ſerviat ſtatui. 33. obſcura. 24. oſſa. 23. pecunia probata. 55. prima virtus hominis. 54. primogenita noſtra. ibid. quid. 21. rationes non quærit. 27. ſine operibus non eſt ſatis. 37. ſcutum in tentationibus. 403. tenenda. 55. triplex. 35. veſtimentum Chriſtiani nominis. 54. virga Moyſeos. 23. una, & eadem ſemper. 33. ut ſpectet Deum. 487.
Filij Iob. 18. Iſraël quàm juſtè aſportaverint Ægyptiorum ſpolia. 122.
Flagella hujus vitæ, quaſi flagella. 378.
Sancta Fœlicitas. 80.
Fœmina nomen ſexus in univerſo animalium genere. 191.
Fœminæ quomodo, & quæ diligendæ. 99.
Fortitudo animi quid. 123. corporis. ibid. & ſuavitas in Superiore jungenda. 604. triplex. 123.
Foſſariorum gradus in Eccleſia. 648.
Sanctus Franciſcus Aſſiſinas. 322.
Frons rugoſa. 323.
Frui, & uti. 92.
Fructus trigeſimus, ſexageſimus, centeſimus. 475. & 499.
Fucare faciem inventum diaboli. 208.
Furti materia. 256.

G.

GArrulitas. 337.
Gedeon madianitarum victor. 167. probat milites ad aquas. 185. & 596.
Genitalia pudenda. 144. & ſeq.
Geſticulatio cavenda. 338.
Gion fluvius. 527.
Gloria duplex. 265.
Gloriæ appetitus inſitus homini. ibid. ſtudium utile Reipublicæ. 271.
Gneus Pompeius. 619.
Græci Patres de Sanctorum interceſſione. 666.
Grandines, & ſimilia. 450.
Gratia benè gubernandi gratia gratis data. 628. præveniens, & ſubſequens. 83.
Gravitas morum in Superiore. 612. pudicitiæ inſtrumentum. 205.
Gubernatio politica in religione vitanda. 607.
Gula diſſipat rem familiarem. 129. & luxuria cognatæ. 126. luxuria quædam. 125. mentem obſcurat. 127. mortificetur. 532. privat cœleſti gloria. 129. privavit nos immortalitate. 125. quotuplex 131. ſanitatem corporis corrumpit. 128. virtutes deſtruit. ibid. vitia inducit. ibid.
Gulæ damna quæ. 125. vitium. 418.

H.

HAbitus Religioſorum qualis. 509. triplex in religione. ibid.
Hæreſes oriuntur ex ſcientia à virtute disjuncta. 288. quomodo Eccleſiæ proſit. 69.
Hæreſis cur inter opera carnis. 66. dæmonum fœtus. ibid. Eva. 65. lepra Eccleſiæ. 66. meretrix. 65. mulier *Proverb.* 9. 66. myſterium iniquitatis ibid. nævus Eccleſiæ. ibid. peccatum, cauſa, & pœna peccati. 65. pertinax. 63. peſtis. 66. pix. ibid. poculum lethale. ibid. portæ inferi. ibid. quid. 63. tibia. 66. vallis ſalſa. ibid. Vigilantij. 665.
Hæretici amici Iob. 65. Dathan, & Abiron. ibid. inquirendi. 76. noſtri temporis circà martyres. 659. quid de caſtitate. 550. quid de ſepultura. 649. reſipiſcentes ut recipiendi. 75. vitandi, & quatenus. 70.
Hæreticis, & infidelibus an danda eleëmoſyna. 456.
cum Hæreticis non diſſimulandum. 72. non ſerro agen-

Digitized by Google

agendum, ibid. non ſemper eodem modo actum. 73.
ut diſputandum. 74.
pro Hæreticis orandum. 75.
Hæreticorum pertinacia. ibid.
Hæreticus an Chriſtianus. 64. & 65. Goliath. 65. membrum putridum Eccleſiæ. 73. non habet fidem. ibid. qualis. ibid. quis dicatur. 63. ſerpens Evæ ſeductor. 66.
Halleluia ſuper mortuos. 647.
Hebdomada ſancta ut jejunatum. 415.
Heliogabalus Imperator. 364.
Helluo ſtella piſcis. 183.
Hercules, & Anteus. 149.
Herodes hypocrita. 539.
Herodis jusjurandum. 477.
Sancti Hieronymi reſponſio quædam explicatur. 552.
Hilarion. 329. & 448.
Holocauſtum. 664.
Homines in Deos relati. 58. liberi habent plures peccandi occaſiones. 383.
Hominis creatio 100. irati deſcriptio. 245. natura turbata. 144. ſtatus. 139.
Hominum genera tria. 151. gradus quatuor. 589. ſtatus duplex. 474. ſtatus tres. 174.
Homo ad gloriam conditus. 265. centaurus 153. creatus inermis. 82. cur natus ploret. 331. cur non laudatus in mundi creatione. 193. Dei, & diaboli. 10. Deo de parvis etiam culpis eſt redditurus rationem. 299. & peccator ſeparandi. 109. fidelis. 21. pudicus, & Angelus. 526. quatenùs diabolo fortior. 393. quid. 4. quis verè dicatur. 5.
Honor parentum primæuè, an ſecundæ tabulæ. 467.
Hora comedendi die jejunij. 415.
Hoſtia. 664.
Humanarum rerum conditio. 481.
Humiliatio. 237.
Humilis amatur. 226.
Humilitas avarorum 222. caſtitati neceſſaria. 536. cognitionis, & affectionis. 221. commendatur in juvenibus, & in ſenibus. 234. dæmonem fugat. 228. dux ad Deum. 227. & 229. Ethnicorum, & Hebræorum. 239. facilior, quàm ſuperbia. 233. facilitat obedientiam. 571. fucata. 222. hypocritarum. ibid. indiſcreta. ibid. manſueta, & magnanima. 232. multiplex. 221. neceſſaria. 233. nimia. 222. patiens. 232. perfectio noſtra. 227. rara in quibus. 232. Sanctorum virtus. 231. ſcala Iacob. 227. ſignum electorum. 259. ſuperborum. 222. tentationes vincit. 405. Theoretica. 222. vera. ibid. via ad cœlum. 227. virtutum cuſtos. 225. & 237. virtutum fundamentum, & parens. 224. virtutum maxima. 225.
Humilitatis gradus. 235. indicia, & ſuperbiæ. 223. meritum. 230.
Humilium orationes. 232.
Hyperdulia. 662.
Hypocriſis cum mundo nata. 360. malum. 361. puniendà. ibid. ſimulatio. 358. undè dicta. ibid.
Hypocrita arrogans. 360. cupidus humanæ laudis. ibid. fur. 359. hiſtrio. 358. & 360. imitator diaboli. 360. impius 361. non vult corripi. ibid. Pardus, & Tigris. 360. paries dealbatus. 359. pernicioſus. 361. phantaſma, & ſomnium. 359. ſepulchrum dealbatum. ibid. Struthio. ibid.
Hyſopus humilitas. 228.

I.

IAcob à Deo panem, & veſtem tantùm petijt. 523. & Eſau virtus, & vitium. 3. & 146.
Iacobus Apoſtolus. 431. & 435.
Iacobus Niſibita. 197.
Iactantia in bonis, & malis. 264.
Iactantiæ damnum. ibid.
Idololatræ cur dicti. 661.
Idololatria. 58.
Idololatriæ origo. ibid. partes. ibid.
Iejunandum à peccatis. 419.
Iejunia Chriſtianorum magis ſpiritualiter, quàm corporaliter obſervanda. 420. Chriſti, & Apoſtolorum. 407. Hebræorum. ibid.
Iejunij bonum. 420. forma. 412. genera. 413. genus. duplex. 417.
Iejunium à diabolo timetur. 421. ad plures ſpectat virtutes. 406. à quibus repudiatum. ibid. compenſetur alijs operibus. 419. cum homine, & mundo incepit. 407. cur in quarta, & ſexta feria. 408. decimi menſis. ibid. facit nos ſimiles Deo. 421. feriæ ſextæ, & ſabbathi. 409. frænum corporis. 420. in tentationibus præſidium. 404. moderatum. 414. neceſſarium. 407. operimentum, murus. 421. Sabbathi undè. 416. ſine eleëmoſyna non ſufficiens. 414. vanæ gloriæ expoſitum. 419.
Iephte votum. 477.
Ignobiles magis, quàm nobiles commoditates in religione quærunt, & qua de cauſa. 187.
Ignorantia in voto. 477.
Imaginem, & ſimilitudinem Dei quomodo habeamus. 418.
Imitandæ virtutes, una in uno, alia in alio. 320.
Imitandi primi Patres, & majores noſtri. ibid. ſæculares etiam, ſi virtute fulgeant. ibid.
Imitatio aliorum bona. 317. ex paucis ſumenda. 320. incitat ad virtutes. 317. virtutis alienæ. 319.
Imitationis utilitas alios revereri. 320. comparatio meritorum. ibid. humilitas. ibid.
Immortificationis malum. 168.
Impatientia à quo orta. 250. hæreſum cauſa. 67.
Impuritas vitæ pernicioſa. 287.
Inaures, & armillæ Rebeccæ. 38.
Inauris diaboli ſignum. 204.
Inceſſus modeſtia. 313.
Incontinentiæ clericorum pœna. 548.
Incredulitas nimia hæreſum cauſa. 68.
Indifferentia. 555.
Inferiorum culpæ ad Superiores referuntur. 626.
Infernus plenus bona voluntate. 294.
Infidelitas quale peccatum. 60. triplex. 56.
Inimici dilectio conſentanea naturæ. 110. ex novo teſtamento. 107. ex veteri. ibid. præceptum, & conſilium. 108. proprium Chriſtianorum. ibid.
pro Inimicis orandum. 114.
Inimicos diligendo Dei ſimiles ſumus. 111.
Inimicus diligendus, ut Deo lucretur. 110. diligi poteſt. 108. ut diligendus. 99.
Injuria facientis eſt. 115.
Injuriæ condonandæ ſunt. 111. quot. 112.
Injuriæ illatio. 248.
Injuriarum oblivîſci debemus. 117.
Injurias remittens aſſimilatur Deo. 113.
Inobedientes puniebantur. 574.
Inobedientia hæreſum cauſa. 67. peccatum, pœna, & cauſa peccati. 574. quod malum. 573. rapina, & furtum. 574. vitiorum indicium. 573.
Inobedientiæ pœna. ibid.
Inſipiens non unus. 576.
Intelligentia ſacrarum ſcripturarum mala, & perverſa hæreſum cauſa. 68.
Intemperantia duplex. 125.
Intentio ad Deum dirigenda. 280. & 283. diſtinguit bonorum, & malorum opera. 282. facies principis. 278. operum. 269. operum medulla. 283. quantam vim habeat. 282. quid. 294. veſtis nuptialis. 279.
Interceſſio duplex. 664. Sanctorum pro nobis. 665.

Digitized by Google

Sancti Ioannis Apoſtoli caſtitas. 540.
Io. Calvini aſſerta de Evangelicis conſilijs confutantur. 472. & 471. interpretatio loci in 1. *ad Tim. c.* 5. confutatur. 544.
Sanctus Ioannes Baptiſta lucerna ardens, & lucens. 599.
Job afflictus. 368. & 378. radens capillos, & veſtimenta abijciens. 643. radit teſta ſaniem. 374. ſcidit veſtem. ibid. tentatus. 595.
Iob virtus. 375.
Ioci. 333.
Ionathas. 417.
Ioſeph fidelis. 267. fugit à domina. 138. & 517. in carcere ſe commendat Pincernarum magiſtro. 82. noluit ſepeliri in Ægypto. 295. propter caſtitatem amatus à parentibus. 540. qualis in proſperis, & adverſis. 376.
Ira boni particeps. 242. cauſa odij. 247. cur in nobis. 241. data ad aliorum defenſionem. 242. data ad educandos alios. ibid. data nobis in aliorum bonum. ibid. duplex. 243. & 247. & odium velut canes. 242. feſtuca, odium trabes. 247. in homine tantùm. 242. iracundia, & odium. 247. non ſemper vindictæ appetitus. 242. quid. 241. & 243. undè oriatur. 243.
Iræ malum. ibid. partes tres. 247. remedia. 245.
Iraſcendum non eſt injurijs. 114.
Irriſio, & reprehenſio. 336.
Iſmael ludens cum Iſaac. 145. venator. 380.
Ite miſſa eſt. 436.
Iudaiſmus. 59.
Iudęi recipient Antichriſtum. 60. tandem & Chriſtum. ibid.
Iudæorum diſperſio. 59. maledicta. ibid. obſtinatio. ibid.
Iudicium proprium turbat Charitatem. 105.
Iudith. 79. 81. 200. & 300.
Jugum Chriſti, & diaboli. 12. Charitatis, & peccati. 92.
Iuliani apoſtatæ calumnia de mulieris formatione refellit. 193. mors. 62. perſecutio. ibid. perverſitas à Nazianzeno in pueritia cognita. 312. phyſionomia. 63. ſepultura. ibid.
Iulianus apoſtata contrà Martyres. 652. idololatra. 62. interdixit ſcientias Chriſtianis. 286. Iudæis, & hæreticis favit. 62. qualis aliquando. ibid.
Iulianus monachus. 185.
Iurare actus religionis. 660.
Ius diſpenſandi, vel irritandi vota quis habeat. 486.
Iuſti arbores fructibus onuſtæ. 231.
Iuſti, & injuſti ſigna. 121.
Iuſtitia commutativa. ibid. dimidiata, & integra. 20. diſtributiva. 121. duplex. 120. emendativa. 121. omnem virtutis ſpeciem ſignificat. 19. quid. 120. ſpecialis duplex. 121. vindicativa. ibid.
Iuſtitiæ argumentum. 122. neceſſitas. 121.
Iuſtus gubernator. 376. palmæ ſimilis. 522. unus, & idem. 376.
Iuvenes ad religionem allici poſſe. 504. ad religionem apti. 501. à religione non retrahendi. 505. electi Rectores monentur. 624. non conſtituantur Rectores aliorum 622. qua ætate admittendi in religione. 508.

L.

LAbia. 323.
Lacedemonij meretricibus ſolùm floridas veſtes, & aurum permiſêre. 202.
Lamentatrices in funere. 645.
Lana, & linum quid. 528.
Lapſus cauſæ duæ. 303.
Laquei in bonis. 388. in toto mundo. 492. obumbrati. 388. ubique. 387.
Latini Patres de Sanctorum interceſſione. 665.
Latria. 661.
Latro martyr. 657.
Laudare ſe ut liceat. 339.
Lectio. 425. de reſurrectione ſuprà mortuos. 647. in menſa. 340.
Legata morientium. 455.
Legis naturalis partes tres. 314.
Lenitas in Superiore. 606.
Leonides Lacedemoniorum Rex. 634.
Levitas ex gula. 129.
Lex contra Poëtas. 349.
Libamen. 664.
Libertas in religione nulli concedenda. 565.
Liberti non liberi ſumus. 10.
Libido luxuriæ ſtimulus. 137. quid. ibid.
Libri gentilium. 72. Hæreticorum quatenùs permittendi. ibid. Hæreticorum vitandi. 71.
Lingua obtrectatoris novacula. 347.
Linguæ remedium. 335.
Litaniæ. 671.
Loca duo Pauli *ad Romanos c.* 3. & 4. exponuntur. 44.
Loci circumſtantia in loquendo. 339.
Locuſtæ in Ægypto adulatores. 355.
Locutio non contentioſa. 336. non geſticulatoria. ibid. non mordax. ibid. qualis. ibid.
Lollia Paulina. 203.
Loquacitas ex gula. 129.
Loquendi cauſæ. 334. libertas. ibid.
Loquentes nè interrumpas. 337.
Loqui de defectibus alienis quando licet. 350.
Lot ebrius. 135. & uxor ab incendio liberati, duo hominum genera in religione. 504.
Lotio manuum duplex. 436.
Lucretia romana. 123. & 537.
Luctus moderatus non damnandus. 645.
Lugendum non eſt nimium in morte charorum. 642.
Lugentium ritus. 644.
Lumbos præcingere quid. 528.
Luxuria 137. à Deo revocat. 140.
Luxuriæ incitamenta. 142. materia. 529. peccatum. 141. remedia. 142. tentatio. ibid.
Luxurioſi equi diaboli. 146. onocentauri. ibid.
Lyciorum præceptum de viris lugentibus. 644.

M.

MAchabæi martyres. 654.
Magiſtratus ſæculares non poſſunt ſe intrudere in cauſas fidei, & religionis. 32.
Magnanimitas in ſuperiore. 604.
Majores honorandi. 557.
Malachia. 223.
Maledictio Adæ. 13. ſerpentis. 516. & 528. terræ. 156.
Malorum radices tres. 474.
Malum quod. 15.
Mammona duplex. 462.
in Mandatis Dei nihil admirabilius. 109.
Manſueti pax. 240.
Manſuetudo gratiſſima Deo. ibid. quid. 239. ut dicta. 240.
Manus. 344. expanſæ in oratione. 439.
Manuum elevatio in oratione quid. 438.
Beatiſſima Virgo Maria non exivit cum Filio ad hortum. 198. turbatur ad ſalutationem Angeli. 197.
Beatiſſimæ Virginis Mariæ caſtitatis votum. 543. pudor. 197.
Maria Moyſis lepra percuſſa. 349.
Maritus nimium uxoris ornatum permittere non debet. 209.
Martinus Turonis Epiſcopus. 80. 297. & 323.
Martyr quid. 654.
Martyrem cauſa facit. 653.
Martyres à quibuſdam hæreticis improbati. 652. in antiqua lege. 654. quid. ibid. *ſine* ſanguine qui. 294. ſermentitij, & ſemarij. 654. viſitati in carcere. 658. ut adorentur. 662.
Martyrij cauſa duplex. 653. corona. 656.

Marty-

Martyribus Baſilicæ, & memoriæ extructæ non templa. 664. honorem ſemper fuiſſe adhibitum. 658.
Martyrium Baptiſmum. 657. duplex. 117. & 654. non temerè quæritandum. 673. peccata omnia remittit. 657. quid. 658. teſtimonium Fidei. 655.
Martyrologia undè. 428.
Martyrum ad ſepulchra convenire. 659. corpora conquæſita. 658. hiſtoria. ib. invocatio 667. libelli cōmendatitij. 657. ſanguis aqua irrigans Eccleſiæ terram. 655. Sanguis oleū in ignē injectum. ibid. ſanguis ſemen Chriſtianorū. ibid. templa, & feſta. 658. veſtimentum purpureum. 656.
Mas ad fœminam magis trahitur, quàm è contrà. 192. & fœmina virtutis, & vitij ſymbolum. 4.
Meditatio. 424.
Melania filiorum, & mariti mortem non flevit. 642.
Mendici ad fores templi. 445. & 449.
Menecrates medicus. 364.
Mentis vagatio in oratione. 442.
Meritum omne ut tribuatur Charitati. 87.
Meſſina. 448.
Meum, & tuum. 518. prohibitum religioſis. 519.
Minima cavenda. 626.
Minuta duo viduæ. 38. 95. & 296.
Miſericordia cur dicta: 446. & judicium pedes Dei. 80. oleum. 446. & 450. quid. 446.
Miſſa pro mortuis. 426. pro vivis. 427.
Miſſæ poſt prandium. ibid. pro martyribus. ibid.
Modeſtia cur dicta. 321. duplex. ibid. exterior cui neceſſaria. 322. exterior in omni noſtra actione. 312. in publicè orando. 431. quid. 321.
Modeſtiæ finis duplex. 322.
Modeſtus de ſe, ſuiſque nè loquatur. 338. quomodò loquatur. 342. ſe ipſum non laudet. 339.
Modius temporalia commoda ſignificat. 182.
Monica Divi Auguſtini mater. 650.
Monachi, & ſæcularis differentia. 1.
Monachiſmi antiquitas. 490.
Monachorum caſtitas. 544. ordo duplex. 490.
Monachus Cœli civis, & terræ hoſpes. 493. operari an debeat. 457.
Morientium ritùs. 641. viſiones. 640.
Mors à Deo, & à diabolo. 631. duplex. ibid. & ſervitus nomina ſola. 635. finis certaminum. 632. martyrij. 652. naturalis. 635. navigationis portus. 632. & 635. optanda potiùs, quàm timenda. 633. pœna peccati. 631. quid, & cur dicta. 630. remedium humanæ inſolentiæ. 633. ſomnus, & dormitio. 632. timetur, & cur. 633. & 635. tranſitus. 631. veſtimenti depoſitio. 632. violenta. 635.
Mortificatio amor corporis. 165. amor ſui. 164. bellum. 161. carnis neceſſaria. 167. conjuncta orationi. 171. difficilis. 161. & 162. duplex. 153. in tentationibus auxiliatur. 404. moderata. 169. martyrium. 161. moralis. 166. neceſſaria. 153. occulta, & cum licentia. 170. quàm utilis. 157.
Mortificationis exempla. 159. & ſeq.
Mortis difficultas. 640. hora; & cur incerta. 636. memoria. ibid.
Mortui orationibus juvantur. 427. ſepeliebantur extrà urbem. 649.
Mortuorum commemoratio, & oratio. 650. funus. 649. nomina ſcripta. 547.
Mortuum in Eccleſiam portare. 646. in loco ſacro ſepelire. 648. lavare. 646. laudare. ibid. ſalutare. 647. ſepelire. ibid. ungere, & condire. 646.
Morum gravitas in Superiore. 652. levitas cavenda. 533.
Moyſes. 174. & Aaron fides, & opera. 40. manſuetus. 241. nolebat eſſe dux Iſraël. 580.
Mulier à Deo maledicta. 194. ad quid formata. 193. antè peccatum viro æqualis, poſt ſubjecta. 194. deceptrix. 195. devota. 192. dicitur Iſſa. 191. ex coſtâ hominis formata. 193. formata ad hominis adjutorium. ibid. habet eandem naturam cum viro. ibid. ignis 214. inſtrumentum diaboli. 195. intemperantiæ, ac libidinis noſtræ ferè materia. 191. interdum opponitur virgini. ibid. mollior viro corpore, animo, & viribus & qua de cauſa. 138. & 192. propenſior ad pietatem viro. 192. pulchrum malum. 194. quod malum ſit 195. quo ſenſu dicatur Beatiſſima Virgo. 195. ſubjecta viro, at ſubjectio ei ſalutaris. 194. venenum, & diaboli viſcus. 254. virum appetit. 192. vocabulum ſexus in humana ſpecie. 191.
Mulieres Ægyptiorum templis perſimiles. 203. avaræ. 459. caput velent. 199. convivia vitent. 197. corporis partem non nudent, quod exemplis confirmatur. 198. doctæ. 220. domi ſe contineant. 197. fucatæ faciunt injuriam Creatori. 207. fucatæ idola. 206. fucatæ impudentes. 308. fucatæ malam de ſe gignunt ſuſpicionem. ibid. fucatæ ſimiæ, & ſerpentes. 206. fucatæ tabulæ viventes. ibid. fucatæ videntur velle emendare opus Creatoris. 208. fugiendæ. 529. immutant fucis faciem. 204. modeſtæ incedant. 197. nè vagent. 196. non loquantur in Eccleſia. 201. non prædicent 200. non tangendæ. 211. ornatæ nimis in Eccleſiam ingredi non debent. 209. pavones. 205. pudicæ non multæ. 196. pudicæ, ſive impudicæ non aſpiciendæ. 211. & 530. quæ permittantur ſe ornare. 201. quatenùs amandæ. 220. quomodo viſitandæ. 217. quo tempore velandæ. 199. vino non utantur. ibid.
cum Mulieribus non cohabitandum. 219
Mulieris dictum. 325.
Mulierum inſignis vanitas. 204. pudor. 196. vanitas in ornatu. 202.
Multa nobis deſunt. 237.
Munditia cordis. 527.
Murmurandum non eſt contrà Prælatos. 575.
Murmuranti nè credas. 353.
Murmurare, & audire. 351.
Murmuratio contrà charitatem. 347. de nobis. 352. quid. 346. quorum. 347. ſuccus venenoſus, lepra. ibid. vitium hominum otioſorum, & hypocritarum. 345.
Murmurationis mala. 348. pœna. ibid. utilitas. 353.
Murmurator canis. 347. prodeſt. 353. proditor. 346. punitus. 349. qualis. 345. & 346. quomodo repellendus. 351. ſcarabæus. 346. tertia lingua. 347. tribus nocet. 348. vitandus. 352. ut audiendus. 351. vulpis. 346. vultur. ibid.
Murmuratoribus quid nonnulli Sancti Patres reſponderint. 352. & ſeq.
cum Murmuratoribus ut agendum. 349.
Murmuratorum excuſationes. 350. & 620.
Myſteria divina quò obſcuriora, eò magis veneranda, & credenda. 32.
Myſteriorum divinorum modum, quem nobis indicare noluit Deus, à nobis ſciri non oportet. 31.

N.

NAbuchodonoſoris ſtatua. 619.
Negatio Petri. 301.
Neglectus quid. 305.
Negligentia Catholicorū, & Epiſcoporū cauſa hæreſū. 69.
Nemo repente peſſimus. 303.
Nemrod. 380.
Noe ab ebrietate excuſatus. 135.
Nomina divitum magis nota, quàm pauperum. 228.
Nominis mutatio. 80.
Noviſſimorū memoria in tentationibus prodeſt. 401. & 534.
Novitius in religione. 508.
Noxium duplex. 612.
Nudis pedibus incedere in luctu. 644.

Digitized by Google

O.

OBediendum ad nutum. 567. ad primum mandatum. ibid. cuilibet Superiori etiam malo. 560. ubi non ſit peccatum. 561. & 568.
Obediens in una, & non in alia re ut puniatur à Deo. 562. quietam ducit vitam. ibid.
Obedientia. 475. & 500. Abrahæ. 576. Chriſti. 572. circà indifferentia verſatur. 557. cœca. 566. doctiorum. 565. & caſtitas. 558. filiorum. 561. in omnibus rebus conditis apparet. 553. Iſaiæ. 578. Moyſis. ibid. Prælatorum. 557. prompta. 566. rota. 576. ſeniorum. 565. ſervorum. 562. ſubditorum. ibid. triplex. 553. vera libertas. 559. voluntaria. 554.
Obedientiæ bonum. 194. & 554. cœcæ exempla. 570. gradus. ibid. objectum. 555.
ad Obedientiam adhortatio. 562.
Obedire in una, & non in alia re eſt error. ibid.
Oblatio. 664.
Obſtinatio turbat charitatem. 105.
Oculi cur nobis à Deo dati. 531. & aures feneſtræ. 324. & 532. in alterius vultum non defigendi. 325. Sol, & Luna. 324. valdè diliguntur. ibid.
Oculorum cuſtodia. 530. modeſtia. 325. ſitus. 324.
Oculos tollere quod malum. 325.
Odio habebis inimicum tuum, quomodo intelligendum. 107.
Odiſſe inimicum eſt contrà naturam. 110.
Odium Dei. 106. duplex. ibid. hominis. 107. ira inveterata. 247. mors animæ. 109.
Odores ad libidinem incitant. 209.
Officia abjectiora ſuſcipienda. 576.
Omnipotentia divina in fide conſideranda. 28.
Onocentaurus. 2.
Opera ex voluntatis affectu æſtimari varijs Scripturæ locis comprobatur. 295.
In Operibus quatuor ſpectanda. 276.
Operum bonitas undè. ibid.
Opportunè omnia dicenda. 342.
Opus bonum propter vanam gloriam non deſerendum. 273.
Orandi veteres ritus. *I.* Baptiſmus. 435. *II.* Cœlibatus Sacerdotum. ibid. *III.* Excluſio criminoſorum. ibid. *IV.* Manuum lotio. 436. *V.* Salutatio, & oſculum. ibid. *VI.* Orare ad Orientem. 437. *VII.* Stantes orare. ibid. *VIII.* Manuum elevatio. 438. *IX.* Non nudis pedibus. 439. *X.* Crucis ſignum. ibid. *XI.* Orationis concluſio. ibid.
Orandum Deum propter ſe ipſum, non ut beneficia ab eo conſequantur. 442. non eſt pro Beatis. 434. neque pro damnatis. ibid. pro mortuis. ibid. pro vivis. ibid. ſemper quomodo. 432.
Orare ſedens irreligioſum. 438. ſuprà mortuos. 647.
Oratio comis. 337.
Oratio auxiliatur nobis in tentationibus. 423. crebra. 433. diurna. ibid. dominica. 425. dominica baptizatorum oratio. ibid. dominica breviarium Evangelij, & orationum. ibid. dominica recitabatur antè Euchariſtiæ communionem. 426. dominica recitabatur in miſſa. 425. dominica remittit peccata venialia. ibid. duplex. 423. & eleëmoſyna jejunij comites. 414. flexis genibus. 438. juſti, & peccatoris. 441. mentalis. 423. mentalis potior vocali. 444. neceſſaria pro remiſſione peccatorum. 422. nocturna. 432. peccatoris. 441. potior in Eccleſia. 431. pro alijs. 443. quid. 423. & 425. refectio jejunij. 415. ſimplicium. 444. vocalis. 424. vocalis brevis, & crebra. 444.
Oratione adverſus luxuriam pugnandum. 535.
Orationem negantes. 422.
Orationes Chriſtianorum. 426. jaculatoriæ cur dictæ 444. in miſſa. 428. in miſſa collectæ dicuntur. 429. noſtræ cur non exaudiantur. 439. noſtræ non exaudiuntur, quia malè petimus. ibid.
Orationi incumbendum ut caſtitas ſervetur. 535.
Orationis alæ jejunium, & eleëmoſyna. 441. attentio. 424. neceſſitas. 422. utilitas. 423.
Oris dilatatio. 324.
Ornatus auri, annullorum, inaurium &c. aſſimilatur vinculis. 203. capillorum. 207. corporis interiorum affectuum indicium. 206. mulierum diaboli inventum. 203. proſtitutionis crimen. 205. velamen Antichriſti. 206.
Osbernus monachus moribundus à dæmone tentatus. 497.
Oſcitatio. 324.
Oſculum in Eccleſia non promiſcuum. 436 triplex. 270.
Otij damna. 536.
Otium vitandum. 404.
Oves non paſcere quid. 629.
Ovium conſolatio. 630.
Oza arcam ſuſtinere tentat. 765.620. percuſſus. 367. 660.

P.

PAndoræ fabula. 205.
Panis, & vinum ad ſepulchra. 427.
Papa ſervus. 614.
Paſſio Chriſti in tentationibus auxilium. 402.
Paſcere ſe ipſum quid. 628.
Paſtor, & mercenarius ut differat. 592. fidelis, & prudens. 629. malus quid. 628.
Paſtores, & amatores ijſdem litteris Hebræi ſcribunt. 603. mali. 300.
Paſtoris mali pœna. 629.
Pater ſpiritualis. 497.
Patiendum propter juſtitiam. 248.
Patientia Annæ. 115. Chriſti. 250 Chriſtianorum. ibid. facilitat obedientiam. 572. fortis. 252. humilis. 251. in Deo. 250. in injurijs. 115. in Superiore. 604. & 619. in tentatione. 400. martyrium. 249. obediens. 251. Philoſophorum. 249. quid. 248. ſervat Charitatem. 105. virtutis probatio, & ſuſtentaculum. 252.
Patientiæ deſcriptio. 249. materia triplex. 248.
Patientiam duo faciunt. ibid.
Patres veteres luxerunt mortuos. 642. Prælaturas declinaverunt. 581.
Patri ſpirituali obediendum. 558.
Pauli primi eremitæ ſepultura. 648.
Paulus Abbas. 211.
Paulus Apoſtolus an virgo. 473. cæcus didicit Evangelium. 26. cum alijs Apoſtolis contulit Evangelium. 621. impoſuit orare publicè viris, non mulieribus. 201. non impetrat tentationis liberationem. 396. quomodo dixit: *Epiſcopum unius uxoris virum*. 532. tradidit hominem ſatanæ. 114. vas electionis. 286.
Paulus primus Eremita. 490.
Pauperes ad januam templi. 445. & 449. altare. 449. blandè excipiendi. 458. cellarium. 449. conſtructores, & ædificatores. ibid. laturarij noſtri. ibid. paſcuntur à Deo. 519 patroni, & advocati noſtri. 449. ſpiritu qui. 514.
Paupertas. 474. adjumentum virtutis. 520. animi pacem affert. 518. animæ theſaurus. ibid. à tentationibus liberat. 519. Chriſtiana. 514. coadjutrix virtutis. 521. divitijs melior. 522. divitijs opportunior ad colendam pietatem. 520. excitat æternorum deſiderium. ibid. inaudita Iudæis. 514. in menſa. 523. in veſtitu. ibid. multiplex. 511. Nabuchodonoſor fornax. 521. nobilis. ibid. quæ. 523. quàm utilis. 515. religioſa. 499. Romanorum. 515. ſedat appetitum habendi. 518. tollit lites, & contentiones. ibid. veterum Chriſtianorum 514. veterum Patrum. 523. veterum Philoſophorum. 513. voluntaria Evangelicum conſilium. 514.
Pauperum artes. 458. catalogus. 445. examen. 458.
Pax Chriſti teſtimonium. 100. interna. 157.
Pax vobis cur ab Epiſcopo dicatur in miſſa. 636.

Peccan-

Digitized by Google

Peccantium excuſatio. 316.

Peccata gravia, & levia. 297.

Peccata venialia ædificium malè tectum. 302. aqua guttatim decidens. ibid. arena. 304. contemnuntur. 305. corriguntur per accuratum examen. 308. corriguntur per bonas, & ſtudioſas actiones. ibid. debilem reddunt animam ad reſiſtendum tentationibus. 303. deturpant animam. 305. Deum offendunt. 298. difficilè emendantur. 300. diſponunt ad gravia. 301. 303. & 304. exiguum vulnus neglectum. 302. facilè admittuntur. 300. guttæ parvæ. 302. lædunt plurimum. 299. morborum initia. 302. multa non faciunt unum mortale. 304. palmes, & arbor à radice ſeparata. 302. parva, & levia verè non ſunt. 298. penitus vitari non poſſunt. 307. profeſſionem noſtram maculant. 297. remittuntur eleëmoſyna, & pectoris tunſione. 309. remittuntur oratione dominica. 425. ſemen viperæ. 302. ſpecialibus auxilijs nos privant. 306. ſuaptè multitudine poſſunt nos obruere. 304. ſunt velut ſcintillæ. 302.

Peccati fomes. 153. malum. 83. progreſſus. 301. ruina. 153. ſuggeſtio. 389.

Peccator non poteſt dicere Pater noſter. 441. nullus in Scriptura ſacra dicitur magnus. 8.

Peccatoribus an danda eleëmoſyna. 456.

Pro Peccatoribus an orandum. 434.

Peccatoris opera bona. 452.

Peccatorum venialium, genera ſeptem. 308.

Peccatum. 377. Cauſa, & pœna peccati. 306. fœtidum. 13. & 377. nullum dicendum leve. 299.

Perdicis aſtutia. 401.

Per Dominum noſtrum, &c. 429.

Perſecutio Adulatorum gravis. 355. duplex. ibid.

Perſecutiones Antichriſti. 399. hæreticorum. ibid. Imperatorum. ibid.

Perſeverantia in bono non tuta. 237.

Perſonæ ratio habenda in correctione. 610.

Perturbationes domandæ. 173. ebrietates. 177. Hecho. ibid. immanes beſtiæ. ibid. inter ſe connexæ. 178. judicium perturbant. 176. morbi animi. 172. omnes caſtigandæ. 179. partus viperæ. 177. præcipuæ tres. 179. ſeges virtutum. 173. ſemper pullulant. 175. ſingulæ aggrediendæ. 179 ſyrenæ. 177. Tyran. ibid. vincendæ. 168.

Perturbationibus vexati, velut à dæmone poſſeſſi. 177.

cum Perturbationibus ut agendum. 178.

Perturbationum genera duo. ibid. remedia. 179. & ſeq.

Petrus Apoſtolus à Paulo reprehenſus. 52. in mari. 318. in monte Thabor. ibid. pro Chriſto pauper. 515.

Philoſophi antiqui. 59. amentes. 513.

Phœnicis renovatio. 482.

Piſcis. 386.

Pœnitentes excluſi à ſacrificijs. 436.

Pœnitentia ad mortem non differenda. 641.

Pœnitentiam agere quid. 452.

Polypus. 375

Ponamius Epiſcopus. 212.

Populus Iudaicus, & Chriſtianus. 492.

Poteſtas periculoſa. 586.

Potus Aquæ. 132. vini. ibid.

Præcepta Divina naturæ conformia. 468. divina ſervari facilè poſſunt. 468. & conſilia. 466. & conſilia duplex hominis perfectio. 471. & conſilia in quibus differant. 469. & ſeq. lanx, & ſpeculum. 468. moralia ex charitate. 467. moralia quæ. ibid. primæ, & ſecundæ tabulæ. ibid.

Præceptorum partitio. ibid. promulgatio. ibid.

Præeſſe alijs difficillimum. 589.

Prælati columnæ, & contignationes. 579. Eccleſiæ oculi. 590. & ſubditi pro ſe invicem orent. 627. mali. ibid. oſſa. 579. & 586. ſpeculatores 590. vigiles. 589.

Prælatorum electio à Deo petenda. 585. gloria ſubditorum profectus. 615. malum exemplum. 600. peccata graviora. 587. vigilantia. 591.

Prælatura non eſt honor. 613.

Prælaturæ difficultates. 586. pericula. 585.

Prælaturæ cur quærantur. 614. fugiendæ. 580. quàm grave onus. 582. quatenùs admittendæ. 583. quibus dandæ. 585.

Prælaturas oblatas renuentes contrà juſtitiam faciunt. 584.

Prælatus ab externis negotijs ſe abſtineat. 594. ædificator. 609. amandus potiùs, quàm timendus. 617. attendat naturæ conditionem, non gradum. 613. contemptus. 616. corrigat ſubditos ſuos, non ulciſcatur. ibid. caput. 579. Deus quiſpiam. 580. Deum ſemper aſpiciat. 613. dignitatem tueatur. 612. exemplum ſit omnium virtutum. 596. fortis ſit, & ſuavis. 601. gubernator navis. 591. hiſtriones imitetur. 603. humilitatem ſervet. 612. inſtruere, & corrigere debet. 608. lenis, & ſeverus. 602. magiſter. 578. martyr. 586. medicus. 579. melior ſit ſuis ſubditis. 596. non ſemper ſummo jure agere debet. 603. oculus. 579. os. ibid. paſtor. 579. & 590. paſtor hominum. 603. pater. 578. patiens in murmurationibus tolerandis. 619. præeſt melioribus ſe. 613. qualis. 626. quatenùs temporalia tractare debeat. 595. reddere debet rationem Deo pro ſuis ſubditis. 588. ſcopulus in mari. 586. ſuos ſubditos honoret. 615. timeatur, & ametur. 616. totus utilitati ſubditorum ſervire debet. 591.

Præſumptio opponitur ſpei. 85.

Prætextatæ dirum exemplum. 207.

Presbyteri, Diaconi, cæterique clerici nuptiarum convivia non adeant. 549.

Prima tonſura. 509.

Princeps baſis populi. 586.

Principes Sæculares, & Eccleſiaſtici ut differant ex Chryſoſtomo. 591. & 614. ſæculares intrudere ſe non poſſunt in cauſas Fidei, & Religionis. 32.

Principijs reſiſtendum. 175. & 401.

Probatio, & admiſſio veterum Monachorum. 508.

Profeſſionis tempus. 541.

Profeſſus dimiſſus à religione non liberatur votis. 484. dimitti poteſt à religione. ibid.

Pronuntiatio. 338.

Proprietarij pœna. 525.

Proprietas quid. 524. ſacrilegium. ibid.

Proprietatis gradus. ibid.

Proſperitas diaboli benedictio à quibuſdam appellatur. 366. præſentis vitæ cur data. 268.

Prudentia eſt Superioris. 568. quid. 119. pro aſtutia interdum. ibid. ſerpentis. ibid.

Pſalmodiæ modus. 424.

Pſalmos ſuper mortuos cantare. 647.

Pudicitia caſtitatis gladius. 533. præcipua mulierum virtus. 156.

Pudor mulieris frænum. ibid. mulierum in quibus conſiſtat. ibid. pudicitiæ cuſtos. ibid. Saræ commendatus. 197.

Pueri qui dicti. 234.

Pulchritudo interior, & exterior. 315.

Puritas, & ſanctitas vitæ, morumque prodeſt plurimum ad acquirendas ſcientias. 289.

Putatio vitium caſtitatis ſymbolum. 557.

Q

Quadrageſima à Chriſto inſtituta. 410. cur inſtituta. 412. Quadrageſimæ indictio. 411. præceptum. 417. quale præceptum. 418. tempus ſanctum. 412.

Quadrageſimale jejunium violans ut peccet. 417.

Quaſi. 656.

Quatuor tempora cur inſtituta. 408. Iudæorum. 407.

Quæ petenda à Deo in oratione. 434.

Quæſtiones Fidei ad Eccleſiam referendæ. 32.

Qui vivis, & regnas, &c. 430.

Quomodo verbum infidelium, & hæreticorum. 27.

Ratio

Digitized by Google

R

Ratio de omnibus Deo reddenda. 237. & 299.
Rebecca. 556.
Reccaredus Viſigothorum Rex. 383.
Recreationes cur inſtitutæ. 341.
Recreationis monita. ibid. tempus. ibid.
Regimen aliorum ars artium. 589. ars ſubtiliſſima. 613.
Regula in religione amuſſis. 625. anchora navis. ibid. frænum. ibid. gravis non natura, ſed pigritia. 512. habena, & lorum. 511. & 625. lanx. 611. murus. 625. navis gubernaculum. ibid. Pater. ibid. ſcutica. 511. & 625. ſpeculum. ibid. ſtatera, &c. 512. veſtis nuptialis. 626.
Regularis diſciplina. 511.
Regularum cuſtodia. 625.
Religio cur dicta. 487. cum votis ſimplicibus. 491. duplex. 486. mater. 511. martyrium. 494. moralis virtus. 487. navis. 511. Paradiſus. 493. perfectionis ſtatus. 488. pœnitentiæ, & mortificationis ſtatus. 509. quid. 486. ſecundus baptiſmus. 497. ſtatus perſonarum in Eccleſia. 488. tria hominum genera continet. 509. velut caſtellum, & arx. 493. ut ſpectet Deum. 487.
Religionis perfectio ex fine, & medijs. 489. vota. 488.
Religionum confirmatio. 491.
Religioſi animalia volantia *Ezechiēlis*. 318. dentes. 100. & ſæculares. 310. & 492. fratres. 97. Illuſtres. 495. quærentes commoda ſæculares offendunt. 183. velut crucifixi. 494.
Religioſorum conditio duplex. 489.
Religioſus Propheta. 495. quę relinquat. 499. ſervus Dei. 495. ſine licentia Superioris nihil dare, vel accipere poteſt. 524.
Renovatio ſpiritus neceſſaria. 482. quomodo facienda. ibid.
Renovationem præcedat peccatorum confeſſio. 483.
Reſurrectio medicina peccati. 631.
Retrahentes alios à religione quales. 505.
Rex, & tyrannus ut differat. 628.
Ridicula. 333.
Ridiculi homines à republica expellendi. 332.
Riſus cohibendus. 333. immoderatus damnatus. 331. & 332. importunus. 331. in Eccleſia. ibid. interdictus. ibid. moderatus permittitur. ibid.
Rogerius Frater Ordinis Divi Franciſci. 307.
Romani cur luctatorum effecerint ſtatuas. 321.
Romulus. 49.
Rubus ardens. 113.
Rugæ Eccleſiæ qui. 323. in naribus. ib. mœſtitiæ indicia. ib.

S

Sabbathum Pentecoſtes. 417.
Sacerdos in miſſa cur oſculetur altare. 436. punitur pro populi peccatis. 609. purior cæteris eſſe debet. 547. uxoratus quomodo permiſſus. 546.
Sacerdotis officium. 548. cœlibatus ex Concilijs. ibid.
Sacrificia Iudæorum. 664.
Sacrificium propriè. ibid. quid. 663. ſoli Deo. 664.
Sæculares terræ cives, hoſpites cœli. 493.
Sæcularium vita mare. 494.
Salicis flos caſtitatis ſymbolum. 537.
Salomon paupertatis amans. 521.
Sampſon. 150. Oculos non cuſtodivit. 532. ſitiens. 282.
Samuēl. 556.
Sancti, & hypocritæ differentia. 359.
Sancti pro nobis orant. 668. qui invocandi. 673. ſeverè cum ſuo corpore egerunt. 190. ſua bona occultant. 339. ſunt ambidextri. 40. & 287.
Sanctorum exempla humilitatem adjuvant. 238. interceſſio. 462. miracula. 672. quatuor claſſes. 673.
Sanctos temporibus omnibus invocatos teſtant Patres. 669.
Saræ riſus. 197. & 331.
Sara ſpiritus. 150. virtus, Agar ſcientia. 292.
Satisfacere Deo facilius eſt, quàm hominibus. 294.
Saul. 226. & 598.
Scandalum 218. Prælatorum majus. 384.
Schiſma ab hæreſi ut differat. 76. quid. ibid.
Schiſmatis malum. ibid.
Scientia adjuvat nos in ſpiritualibus. 286. ancilla ſapientiæ. 286. & 292. cum charitate jungenda. 289. inflat. 285. & 288. machina ad ædificium charitatis adhibenda. 287. neceſſaria Eccleſiæ Dei. 286. optima omnium cognitio ſui. 285. poſt vitæ integritatem quærenda. 293. poteſt eſſe cum peccato. ibid. ſine bona vita non prodeſt. 287. ſine bona vita pudorem adfert. 291. ſine charitate inutilis. 285. ſine virtute, & pietate non ſufficit. 286. ſine virtute obeſt. 288. ſubtrahitur, ſi vita bona deſit. 287. valorem habet à charitate. 292.
Scientiæ damna. 288.
Scientiam tantummodò quærentes quàm errent. 193.
Scriptura ſacra non abutenda ad facetias. 333.
Scripturæ ſacræ lectio in tentationibus adjuvat. 403.
Sedendum quomodo. 344.
Seniorum exemplum. 566.
Senſus quinque Reges. 174. vitiorum portæ. 324.
Senſuum cuſtodia. 325
Separatio mulierum, & virorum in Eccleſia. 213. & 529.
Sepulturæ locus. 649.
Serpens tortuoſus. 390.
Serpentes igniti contrà murmuratores miſſi. 349.
Servi Dei, & ſervi diaboli qui dicantur. 10. veſtiebantur in dominorum funere. 650.
Servilis conditio herili jucundior. 581.
Servitus Dei ſuavis. 496.
Servus Dei. 435. fidelis quis dicatur. 281. & 472.
Severitas in Superiore debitum juſtitiæ. 604. potior indulgentia. 606.
Silentij bonum. 116.
Silentium. 335. in menſa. 340. optimum. 334. propria mulierum virtus. 201. Pythagoricum. 335
Simplicitas. 39. facilitat obedientiam. 572. nimia hæreſum cauſa. 68.
Simulatio quæ permittenda. 322. turbat charitatem. 105. vitium damnoſiſſimum. 357.
Simulator anguis. 358. cancer. ibid. canis. ibid. decipit homines. ibid. Polypus. ibid. purpura. ibid.
Singularitas fugienda in refectorio. 186. fuit cauſa incredulitatis D. Thomæ Apoſt. ibid. nocet ſibi, & alijs. ibid. provenit ex immoderato vitæ amore. 188. quintus gradus ſuperbiæ. 186. vitioſa etiam in mortificationibus. ibid. vitioſa in religione. ibid.
Socrates. 18. 249. & 297. eundem lætum ſemper habuit vultum. 322. paupertatem affectavit. 513. venenum ebibit. 634.
Solitudo. 218.
Solon. 127
Solus nè mulieres adeas. 217.
Spei definitio. 78. & fidei cognatio. 77. & fidei differentia. ibid.
Sperare in Deo, & Deum. 84.
Spes baculus. 78. catena. 79. fur timoris. 80. galea, & anchora. 78. in anima, ut oſſa in corpore. ibid. in Deo ponenda. 81. humana relicta compenſatur ſpe divina. 500. laboris levamen. 79. lucerna. ibid. media inter præſumptionem, & deſperationem. 80. medicina. 79. murus. 78. naſus Sponſæ. 82. nobis neceſſaria. 78. portus. 79. principium omnium bonorum. 78. ſalſamentum. 79. ſanguis fidei. 77. ſomnium ſomniantis. 78. timorque duæ molæ. 80. timorque duæ pennæ. ibid. timorque jungantur. ibid. turris. 82. virtute niti debet. ibid. vitæ vita. 79. ut ſpectet Deum. 487.
Spiritus Sanctus bis Apoſtolis datus. 93. ſub columbæ ſpecie. 98. 527.

Spi-

Digitized by Google

Spiritus, & caro auriga, & equus. 147. & caro dominus, & domus. ibid. & caro mas, & fœmina. 146. & caro vir, & uxor. ibid. promptus caro infirma. 171.
Spiritus ſequaces pauci. 148.
Stationes in Eccleſia. 408.
Status civilis triplex. 488. cur dictus. ibid. triplex in Eccleſia. ibid.
Status mutatio. ibid.
Stephanus. 376.
Sternutatio. 324.
Subdiaconus uxorem ducere nequit. 547. & 549.
Subditus pro Superiore oret. 627. Superiorem compatiatur. 588.
Superbia abjecti eſt animi. 237. adeps. 235. & 260. bona quæ. 262. differt ab inani gloria. 253. divitum, & nobilium 235. doctorum. 234. gaudet ſingularitate. 186. & 258. hæreſum cauſa. 67. imperitia. 258. inflatio. 254. in oculis 258. inſania. ibid. mater peccatorum omnium. 257. oritur ex benefactis. 259. peſtis animæ. 257. quale peccatum. 256. quid. 253. reproborum ſignum. 259. tyrannis. 255. virtuti contraria. 261.
Superbiæ brevitas. 254. definitio. 253. fumus. 254. genus vile. 234. modi. 262. remedia. ibid. tentatio undè. 259.
Superbiendum non eſt. 233.
Superborum inceſſus. 259.
Superbus ambulat extento collo. 255. ambulat ſummis pedibus. ibid. Dei æmulator. ibid. habitare dicitur in aëre, & in fumo. 254. impudens. 256. odio habetur ab omnibus. 226. qualis. 253. & 254.
Superior æqualem ſe præbeat ergà omnes. 618. amari ſe à ſubditis procuret. ibid. audiat ſeniorum conſilia. 621. diſſimulare interdum debet. 607. divina ope nitatur. 584. ignoſcat murmurantibus de ſe. 620. imitetur Patrem, & Paſtorem. 604. impatiens qui. 619. inferioribus interdum miniſtret. 616. iram, & amorem caveat. 618. leges obſervet. 624. medicus. 608. neceſſitatibus ſubditorum liberaliter provideat. 622. non ſpecioſa omnia, ſed aliquando abjectiora exequatur. 616. pædagogus noſter. 559. pater, & mater. 603. præcipiendo diſcretus. 571. pro æquitate agat omnia non pro poteſtate. 586. prudens, quæ obſervare debeat. 607. ſenior, & non juvenis. 622. ſuſpicioſus non ſit. 590. tentatur vehementiùs à diabolo. 587. timeatur ab omnibus. 617.
in Superiore congratulatio, & compaſſio. 593.
Superiore inſcio nihil agendum. 563.
Superiores diverſorum locorum aliquando conveniant. 621. majores tueantur minorum Superiorum authoritas. 615. non temerè judicandi. 620. vigiles. 589.
Superiori omnia aperienda. 235.
Superioris præcepta non diſcutienda. 567.
Superiorum peccata gravia propter exemplum. 587. ſubordinatio. 615.
Suſanna. 81. 116. & 333.
Suſpicio turbat charitatem. 105.
Symbolum fidei à quo compoſitum. 54. breviarium fidei. ibid. regula prædicationis. 53. ſignum Apoſtolorum. ibid. ſumma divini cultus. 54. triplex. 53.
Symbolum quid. ibid.

T.

TAbulæ ſacræ in Eccleſia. 426.
Tacendum in injurijs. 116.
Taciturnitas nimia obeſt. 335.
Tarpeia Virgo Romana. 127.
Tarſilla. [illegible]38.
Temperantia duplex. 124. quid. ibid.
Templa ad ſacrificium. 663.
Temporis circumſtantia in loquendo. 339.
Tempus ludendi, & operæ. 342. paſchale non jejunandum. 416. perturbationis. 342.
Tentare quid ſit. 379.
Tentatio bipartita. 389. carnalis, & ſpiritualis. 398. carnis oculorum, & ambitionis. ibid. cribrum 379. duplex. ibid. & probatio differunt. ibid. Evæ, & noſtra 389. experimentum. 379. gulæ fuit prima. 125. intermiſſa. 389. non permittitur à Deo ſuprà vires. 394. propria quæ. 380. quadripartita. 400. ſenioribus aperienda. 405. ſubita, & tarda. 398. ſuburra navis. 397. triplex. 398. venter purgans. 396. vox diaboli. 401.
in Tentatione quid cogitandum. 402.
in Tentationem induci quid. 393.
Tentationes parvæ magni faciendæ. 301.
Tentationum cauſa cognitio virtutis noſtræ. 396. confuſio diaboli. 394. gloria hujus vitæ. 395. gloria noſtra. 394. humiliatio noſtra. 397. incrementum virtutis. 396. manifeſtatio divinæ gloriæ. 398. probatio bonorum, & malorum pœna. 397. ſeparatio bonorum à reprobis. 396. virtutis exemplū. ibid. ut levius foret peccatū noſtrū. 395.
Thau littera. 284.
Theages Taſius. 353.
Theodectes. 141.
Theodoſius imperator. 113.
Tiberius Auguſtus. 340.
Timon Athenienſis. 107.
Timor in vitio ſuperat delectationem. 13.
Timorem quæ concilient. 617.
Titillari quid. 473.
Tonſura monachorum, & clericorum. 510. monialium. ibid. quid ſignificet. ibid. ſervorum. 509. ſignū pœnitentiæ. 510.
Tonſuræ antiquitas. ibid.
Traditiones. 416.
Turbatio bonorum ex malorum proſperitate. 365.
Turpiloquium. 333.
Turtur caſtitatis ſymbolum. 537.
Turturis caſtitas. 529. Sacrificium. ibid.

V.

VAlens imperator. 195.
Valentinianus imperator. 353.
Vana gloria abuſio virtutis. 269. adulterium. 267. aggreditur ſub virtutum ſpecie. 272. baſiliſcus. 275. cepæ ſimilis. 272. cavenda in virtute. 259. diligentiſſimè vitanda à virtutes quærentibus. 273. duplicitas. 268. flabellum. 271. fœminarum maximè vitium. 266. fornicatio. ibid. fraus. 268. idololatria. 266. inceſtum. 267. ingratitudo in Deum. 270. inſidiatur bonis operibus. 273 latrunculus. 267. maledictio Dei. 269. mons altiſſimus antè portam Paradiſi, *ex Auguſtino*. 265. negotiatio iniqua. 270. non eſt gloria, ſed gloriam imitatur. 265. opus iniquitatis. 270. pirata. 268. provenit ex animo abjecto. 265. qualis. ibid. ſagitta. 275. vanum reddit martyrium. 271. viperæ parientis ſimilis. ibid. virtutum virus. ibid. zizanium diaboli. 270.
Vanæ gloriæ remedia. 274. tentatio. 268.
Vanitas, & dolus. 301. & iniquitas. ibid. mulierum vel in veſtibus, vel in capitis ornatu. 202.
Varronis dictum. 320.
Venator in malam, piſcator in bonam partem accipitur in ſcripturis. 380. figuram diaboli. ibid.
Verba aſpera in pauperes. 458.
Verbum otioſum quid. 335.
Verecundia caſtitati prodeſt. 535.
Veſpera tentatio. 394.
Veſtes. 326. interioris animæ indicium. 328. longæ. 329. lugubres. 644. molles. 327. ſacræ. 329.
Veſtiri duplicibus. 315.
Veſtis mutatio. 510.
Veſtitus curioſus undè. 328. honeſtus. ibid.
Veſtium modus. 328. mundities. ibid. prolixitas in mulieribus reprehenſa. 202. qualitas. 328. ſordes. ibid. uſus. 326.
Via duplex. 368.

Digitized by Google

Victima. 664.
Videte, & cavete ab omni avaritia, Luc. 12. ut intelligendum. 46?.
Vidua domi manere debet. 198. velut altare in Eccleſia. 539.
Viduarum genus duplex. ibid.
Vigiliæ Apoſtolorum, & martyrum. 409. nocturnæ. ibid. quibus horis. ibid. Sanctorum. 410. ſublatæ. ibid.
Vini damna. 133.
Vir aperit mulierem, & cur. 192. dicitur Is. 191. mulier in quatuor præſtat. 194. ſpiritualis debet ſpiritui obedire. 187. ſpiritualis non debet corporalia quærere. ibid. uxorem amare debet. 194.
Virgines hominum, & virgines Dei. 540. ſacræ, & velatæ. ibid. velut thuribulum, & incenſum in Eccleſia. 539.
Virginum habitus. 541.
Virgo, Nupta, & vidua ſunt nomina diverſum mulierum ſtatum ſignificantia. 141. vocatur mulier. ibid.
Viri libidinoſiores, fœminæ avariores. 459.
Virorum culpa in mulierum ornatu. 209.
Virtus amorem conciliat. 618. animæ ſanitas. 5. animæ vita. 7. circulo ſimilis. 2. clavis cœlorum. 11. difficilis. 12. dux ad Cœlum. 2. eſt ſecundùm naturam. 5. & ſcientiæ. 289. & vitium ſibi invicem pugnant. 3. fortis. 9. hominem liberum facit. 10. hominibus omnibus communis. 2. hominis honor, & laus. 7. hominis naturæ conformis. 2. hominis propria veſtis. 9. hominis proprium bonum. 5 hominis vita. 6. illuſtrior in perſecutione. 8. labore paranda. 17. laudatur quoque à malis. ibid. magnum facit. 8. occultata conſervatur. 264. perſecutionem patitur. 8. quid. 2. ſcala Iacob. 11. ſimplex. 10. ſine divina ope non acquiritur. 17. ſterilis. & fœcunda. 11. vera virtus non eſt, & perfecta ſine religione. 18. una ad alias diſponit. 19. una eſſe poteſt ſine altera. ibid. una ſine alia vel parva, vel minima. ibid.
Virtutem ſectari, & vitium fugere inſitum nobis à natura. 5.
Virtutes Cardinales cur quatuor. 119. Cardinales quæ. 20. Cardinales quales. 118. civiles purgatoriæ, & exemplares. 20. ſunt connexæ. 18. Theologicæ, & morales. 20. Theologicæ tres. 21. & 77. veterum Philoſophorum, & Gentilium non veræ virtutes. 18. & 46 veterum Philoſophorum, & Gentilium temporalibus bonis à Deo compenſatæ. 46.
Virtutis, & honoris templum. 365. fructus ſuaviſſimus. 12. medium quid. 121. odor, 13. ſplendor. 7.
Virtutum progreſſio. 20. Theologicarum ordo. 21.
Vita bona ſine exemplo bonum dimidiatum. 310. Cœnobitica melior, quàm ſolitaria. 489. delicioſa damnabilior in religioſis. 185. delicioſa dicitur meretrix. ibid. hominis triplex. 20. juſtorum liber apertus. 318. mala hæreſum cauſa. 66. mixta perfectiſſima. 489. noſtra fabula. 632. religioſa omnium optima. 501. religioſa pro quibus inventa. 187.
Vitæ generis electio quanti momenti. 501. genus triplex. 488. mutatio. 492.
Vitia cognata virtutibus. 15. inquirenda à Superiore. 610. virtutes nominantur, & è contrà. 14. virtutibus plura. 3.
Vitij fructus amariſſimus. 12.
Vitiorum genera duo. 317. & 519.
Vitium clavis inferni. 11. facile. ibid. facit hominem parvum, & exiguum. 8. improbatur etiam à malis. 16. infirmum, & timidum. 9. moribus animæ. 5. mors hominis. 6. præter naturam. 5. quid. 2. & 14. ſervitus. 10. ſubdolum. 11. triplex opponitur Fidei. 56. virtutem ſimulat. 14.
Vivere quis verè dicatur. 7.
Ulciſcendum non eſt. 112.
Uliſſes. 524.
Extrema Unctio cur dicta. 634. quibus detur. 640.
Extremæ Unctionis effectus. 639. miniſter. ibid. peccata remittit. ibid. ſacramentum. 638.
Vocatio examinanda. 507. longa deliberatione non indiget. 506.
Vocationes variæ. 504.
Vocationis tentationes tres. 502.
Vocis modus in loquendo. 333. & 337.
Voluntas bona cum opere conjungenda. 294. bona præmio non caret. ibid. bona mater virtutum. 17. circà bonum. 107. dantis, non quantitas rei datæ à Deo attenditur. 296. noſtra divinæ ſubjiciatur voluntati. 556. propria. 557. propria murus ferreus, & petra repercutiens. 558. propria ſervitus. 559. Superioris voluntas Dei. 571.
Voluptas. 173. & timor. 390. in cibo cavenda. 130. ſub prætextu neceſſitatis invadit. 190.
Vota ad ſepulchra martyrum. 476. conjugum. 480. filiorum. ibid. impoſſibilium. 481. per metum. 478. perpetua ut tollantur. 485. quis commutare poſſit. 484. realia, vel perſonalia quomodo mutari poſſint. 485. religionis. 492. religioſorum. 481. ſervorum. ibid.
Voti commutatio. 484. diſpenſatio. 485. irritatio. 486 materia. 476. meritum. 478. redemptio. 484. renovatio. 481. ſolemnitas. 491. tempus. 481.
in Voto duo conſideranda. 476.
Votorum differentia. 489. uſus. 476.
Votum caſtitatis. 489. caſtitatis ſervandum. 541. caſtitatis ſervandum ex Scripturarum teſtimonio. 543. debet eſſe de meliori bono. 476. libertatem non minuit. 479. obedientiæ. 490. obligat nos jure naturali, & divino. 479. Paupertatis. 489. quid. 477. reale, & perſonale. 480. religionis. 484. Sanctorum. 476. Simplex à quo diſpenſari poſſit. 485 ſimplex, & ſolemne quid differant. 483. ſimplex quid. ibid. ſimplex quomodo emittatur. 491. ſolemne quid. 483. ſolemne an diſpenſari poſſit. 485.
Vovens dat Deo operationem, & voluntatem. 479.
Vox nè nimis feſtina, lentave. 338. qualis. ibid.
Uri quid ſit. 473.
Urias. 318.
Utilitates ex inimicis quæ. 111.
Vulpes ſimulata. 537.
Uxor ut diligenda. 99.
Uxorati promoti ad ordines uxores relinquebant. 546.

X.

Xenophon. 18.

Y.

Yliaſtes Significat eſſentiam. 23. fundamentum. 22. ſubſiſtentiam. ibid. veritatem. ibid.

Z.

Zeno Philoſophus. 513.
Zoilus canis rethoricus. 354.
Zona Veſtes cingendæ. 329. virtutis inſigne. 330.
Zoroaſter natus riſit. 331.

FINIS.

TITU-

TITULORUM, AC MATERIARUM DISPOSITIO.

DE Virtute, & Vitio in genere. I. fol. 1.
De Virtutibus Theologicis, Prima Pars.
De Fide. II. 21.
De Vitijs Fidei oppoſitis. III. 56.
De Spe, & deſperatione. IV. 77.
De Charitate. V. 85.
De Odio, & inimicorum dilectione VI. 106.
De Morum Virtutibus, Secunda Pars.
De Virtutibus Cardinalibus. VII. 118.
De Gulæ intemperantia. VIII. 125.
De Luxuriæ intemperantia. IX. 137.
De Carnis, & Spiritus pugna. X. 143.
De Mortificatione univerſè. XI. 152.
De Carnis, Corporiſvè mortificatione. XII. 163.
De Animi perturbationum mortificatione. XIII. 172.
Corporis commoditates, & quod ſingulare eſt vitare oportere. XIV. 181.
De Mulieribus. XV. 191.
De Mulierum cultu, atque ornatu. XVI. 201.
Cum Mulieribus parcè, & cautè agendum eſſe. XVII. 210.
De Cæteris Virtutibus Morum, Tertia Pars.
De Humilitate. XVIII. 221.
De Manſuetudine, & Ira. XIX. 239.
De Patientia. XX. 247.
De Superbia. XXI. 253.
De Arrogantia, & Iactantia. XXII. 262.
De Vana gloria. XXIII. 265.
De Operum intentione. XXIV. 276.
De Bono Scientiarum uſu. XXV. 285.
De Voluntatis affectu. XXVI. 294.
De Levioribus culpis. XXVII. 297.
Bonæ Famæ conſulendum eſſe. XXVIII. 309.
Bonum omnibus exemplum dandum. XXIX. 312.
Aliorum Virtutes imitandas eſſe. XXX. 317.
De Modeſtia. XXXI. 321.
De Murmuratione, & Detractione. XXXII. 345.
De Adulatione, & Simulatione. XXXIII. 354.
De Hypocriſi. XXXIV. 358.
De Ambitione. XXXV. 362.
De Proſperis, & Adverſis. XXXVI. 365.
De Tentationibus. XXXVII. 379.
De Jejunio. XXXVIII. 406.
De Oratione. XXXIX. 422.
De Eleëmoſyna. XL. 444.
De Avaritia. XLI. 459.
De Evangelicis Conſilijs, Quarta Pars.
De Divinis præceptis, Evangelicisque conſilijs. XLII. 466.
De Votis. XLIII. 476.
De Religione. XLIV. 486.
De Paupertate. XLV. 512.
De Caſtitate. XLVI. 526.
De Obedientia. XLVII. 553.
De Prælatis, & aliorum Rectoribus. XLVIII. 578.
De Morte. IL. 630.
De Martyrio. L. 652.

CAPITUM ELENCHUS.

Libri. I. De Virtute, & Vitio, *Capita XXVII.*
VIRTUS omnium bonum, cap. j. fol. 1.
Quid Virtus, quid Vitium. ij. 2.
Virtus, & Vitium pugnant. iij. 3.
Virtus naturæ hominis conformis. iv. 4.
Virtus hominis bonum. v. 5.
Virtus hominis vita. vj. 6.
Virtus hominis honor. vij. 7.
Virtutis ſplendor. viij. ibid.
Virtus magnum facit. ix. 8.
Virtus perſecutionem patitur. x. ibid.
Virtus illuſtrior in perſecutione. xj. ibid.
Virtus hominis veſtis. xij. 9.
Virtus fortis, vitium infirmum. xiij. ibid.
Virtus libertas, vitium ſervitus. xiv. 10.
Virtus ſimplex, vitium ſubdolum. xv. ibid.
Virtus ſcala Iacob. xvj. 11.
Virtus difficilis, vitium facile. xvij. 12.
Virtutis odor, & fama. xviij. 13.
Vitium ſimulare virtutem. xix. 14.
Quid ita. xx. 15.
Virtutem à malis quoque laudari. xxj. 16.
Virtus eſt voluntaria. xxij. ibid.
Divina ope niti. xxiij. 17.
Cum vera religione cohærere. xxiv. ibid.
Virtutum connexio. xxv. 18.
Virtutum progreſſio. xxvj. [illegible]
Virtutum diviſio. xxvij. 20.

Libri II. De Fide, *Capita XXVIII.*

Fides duplex. j. 21.
Fidei definitio. ij. ibid.
Fidei officium duplex. iij. 23.
Fides certa. iv. 24.
Fides obſcura. v. ibid.
Fides authoritate nititur. vj. 25.
Fides rationes non quærit. vij. 26.
In rebus Fidei non quærendum Quomodo. viij. 27.
Fidei quæſtiones ad Eccleſiam referendæ. ix. 32.
Fides non ſerviat ſtatui. x. 33.
Una, & eadem ſemper Fides. xj. ibid.
Credere Deum, Deo, & in Deum. xij. 34.
Fides Dei donum. xiij. 35.
Fides implicita, & explicita. xiv. 36.
Fides informis, & formata. xv. ibid.
Fidem ſine operibus ſatis non eſſe. xvj. 37.
Græcorum teſtimonia. xvij. 40.
Sacræ Scripturæ teſtimonia. xviij. 43.
Loca contraria exponuntur. xix. 44.
Fidei neceſſitas quanta. xx. ibid.
Sine Fide non eſt meritum. xxj. 45.
De Gentilium virtutibus. xxij. 46.
Veræ Fidei argumenta. xxiij. 47.
Fidei confeſſio. xxiv. 51.
Myſteria non prodenda. xxv. 52.
Fidei ſymbolum. xxvj. 53.
Fidei bonum. xxvij. 54.
Fides tenenda. xxviij. 55.

Libri III. De vitijs Fidei oppoſitis, *Capita XVI.*

Atheiſmus. j. 56.
Deum eſſe. ij. ibid.
Atheiſmi origo. iij. 57.
De Idololatria. iv. 58.
De Iudaiſmo. v. 59.
Infidelitatis peccatum. vj. 60.

Digitized by Google

De Apoſtaſia duplici. vij. 60.
De Juliano Apoſtata. viij. 62.
De Hæreſi. ix. 63.
Contrà Hæreticos quid Patres. x. 65.
Hæreſes undè. xj. 66.
Hæreſes Eccleſiæ nihil obeſſe. xij. 69.
Hæreticos eſſe vitandos. xiij. 70.
De Hæreticorum libris. xiv. 71.
Cum Hæreticis quomodo agendum. xv. 72.
De Schiſmate. xvj. 76.

Libri. IV. De ſpe, & deſperatione, *Capita. VIII.*

Fidei, & Spei comparatio. j. 77.
Spei neceſſitas, & bonum. ij. 78.
De ſpe, & timore. iij. 80.
Spem in Deo ponendam eſſe. iv. 81.
Spem virtuti niti debere. v. 82.
A Deo nos in omnibus adjuvari. vj. 83.
Deum ſpem noſtram eſſe debere. vij. 84.
Vitia ſpei oppoſita. viij. 85.

Libri. V. De Charitate, *Capita. XIX.*

Charitas quid. j. 85.
Charitatis vis quanta. ij. 86.
Charitas ignis. iij. 88.
De vi Charitatis iterùm. iv. ibid.
Charitas fortis ut mors. v. 89.
Charitas præſtantior ſignis. vj. 90.
Charitas cibus, potus, jugum. vij. ibid.
Charitas bipartita. viij. 91.
De Charitate Dei ix. 93.
Cur Deus amandus. x. 94.
Quatenùs amandus. xj. 95.
Chriſtus ut diligendus. xij. 96.
Charitatis præceptum ut ſervetur. xiij. ibid.
De proximi dilectione. xiv. 97.
Dilectionis modus. xv. 98.
Charitatis ordo. xvj. 99.
De fraterna Charitate, & pace. xvij. 100.
Charitatem vix celari. xviij. 104.
Charitatem quæ turbent. xix. 105.

Libri VI. De odio, & inimicorum dilectione, *Capita VIII.*

De duplici Odio duplici Charitati oppoſito. j. 106.
Inimicorum dilectio ex Sacris Litteris. ij. 107.
Inimicos diligi poſſe. iij. 108.
Condonandas injurias eſſe. iv. 112.
Quomodo reſpondendum objectionibus. v. 113.
In injurijs non iraſcendum. vj. 114.
In injurijs tacendum. vij. 116.
Injurias oblviſci. viij. 117.

Libri VII. De virtutibus Cardinalibus, *Capita VII.*

Cardinales virtutes quatuor. j. 118.
De Prudentia. ij. 119.
De Iuſtitia generali. iij. 120.
De Iuſtitia ſpeciali virtute. iv. 121.
Quàm juſtè filij Iſraël Ægypti aſportârint ſpolia. v. 122.
De Fortitudine. vj. 123.
De Temperantia. vij. 124.

Libri VIII. De Gulæ intemperantia, *Capita* XIV.

Gulæ tentatio. j. 125.
Gulæ damna, & caſtitatis jactura. ij. ibid.
Gula mentem obſcurat. iij. 127.
Corporis ſanitatem corrumpit. iv. 128.
Virtutes deſtruit, vitia inducit. v. ibid.
Rem familiarem diſſipat. vj. 129.
Cœleſti privat gloria. vij. ibid.
Voluptatem in cibo cavendam eſſe. viij. 130.
De cibi modo. ix. 131.
Gula quotuplex. x. ibid.
De potu. xj. 132.
De Ebrietate. xij. 133.
De Noë inebriato. xiij. 135.
De Lot item inebriato. xiv. ibid.

Libri IX. De Luxuriæ intemperantia, *Capita VII.*

Quid Concupiſcentia, Libido, & Luxuria. j. 137.
Quantus ſit concupiſcentiæ motus. ij. ibid.
Cur baptiſmo concupiſcentia non tollatur. iij. 138.
Concupiſcentia ut peccatum, & lex peccati. iv. 139.
Concupiſcentia ut antè, & poſt peccatum in homine. v. 140.
Luxuriæ malum quantum. vj. ibid.
Luxuriæ remedia. vij. 142.

Libri X. De carnis, & ſpiritus pugna, *Capita* IX.

Quomodo caro adverſus ſpiritum concupiſcat. 143.
Quàm periculoſa lucta. ij. ibid.
Qualis pugna, & undè orta. iij. 144.
Spiritum carni dominari debere. iv. 146.
Carnis adverſus ſpiritum petulantia, & ſpiritus repugnantia. v. 147.
Hoc bellum quatenùs juſtum. vj. 148.
Ut carnem infirmam eſſe dixerit Chriſtus. vij. 149.
Quinam pugnam carnis, & ſpiritus non ſentiant. viij. 150.
Quorum ſit hæc pugna, & quomodo in ea agendum. ix. 151.

Libri XI. De Mortificatione universè, *Capita* V.

Duplici nobis opus eſſe mortificatione. j. 152.
Mortificatio quid, & quàm neceſſaria. ij. 153.
Quàm utilis. iij. 157.
Exemplis mortificatio docetur. iv. 158.
Difficilem mortificationem eſſe. v. 161.

Libri XII. De Carnis mortificatione, *Capita VIII.*

Carnem mortificandam eſſe. j. 163.
Caro quatenùs amanda, & nutrienda. ij. 164.
Carnem eſſe maximum inimicum noſtrum. iij. 166.
De carnis mortificatione rurſum. iv. 167.
Mortificationem moderatam eſſe debere. v. 169.
Mortificatio occulta ſit, & à ſeniore permiſſa. vj. 170.
Mortificatio conjunctam habeat orationem. vij. 171.
Quomodo ſpiritus promptus, & caro infirma. viij. ibid.

Libri XIII. De perturbationum mortificatione, *Capita VI.*

Perturbationes virtutis ſegetem eſſe. j. 172.
Perturbationes domandas eſſe. ij. 173.
Perturbationes penitùs extingui non poſſe. iij. 175.
Perturbationum morbus qualis. iv. 176.
Cum perturbationibus ut agendum. v. 178.
Perturbationum remedia. vj. 179.

Libri XIV. De corporis commoditatibus, *Capita VII.*

Religioſis viris id maximè cavendum. j. 181.
Inanem, & pernicioſum laborem eſſe. ij. 183.
Et corpori, & Animæ noxias eas eſſe. iij. 184.
Quanta ſit rei turpitudo. iv. 185.
Quicquid eſt ſingulare vitioſum eſſe. v. 186.
Gravius in hoc ſordidos peccare homines. vj. 187.
Quomodo reſpondendum ſit excuſationibus. vij. ibid.

Libri XV. De mulieribus, *Capita* XII.

Mulier quid j. 191.
Mulier cur viro mollior. ij. 192.
Mulier cur formata. iij. ibid.
Cur ex viri coſta. iv. 193.
De Evæ maledictione. v. 194.
Alia mulierum probra. vj. ibid.
De mulierum pudicitia. vij. 196.

Mulie-

Digitized by Google

Mulieres nè vagentur. viij. 196.
Nè corporis partem nudent. ix. 198.
Mulieres caput velent. x. 199
Nè vino utantur. xj. 199.
Nè doceant, nec loquantur in Eccleſia. xij. 200.

Libri XVI. De mulierum cultu, & ornatu, *Capita XI.*

Poſſe mulieres modeſtè ornari. j. 201.
De veſtitu mulierum. ij. 202.
De Gemmis, Annulis, &c. iij. ibid.
De faciei, & capitis ornatu, & vanitate. iv. 204.
De Proſtitutionis crimine. v. 205.
De Capillis. vj. 207.
De Creatoris injuria. vij. ibid.
Quanta harum mulierum impudentia. viij. 208.
De Odoribus ix. 209.
De Eccleſiæ ingreſſu. x. ibid.
Quanta virorum culpa. xj. ibid.

Libri XVII. De Converſatione mulierum, *Capita VII.*

Mulierum aſpectus cavendus. j. 210.
Multò magis tactus. ij. 211.
Collocutio quoque fugienda. iij. 212.
Excuſationes qua ratione tollantur. iv. 215.
Mulieres quatenùs viſitandæ. v. 217.
Cum mulieribus non habitandum. vj. 219.
Mulieres quatenùs amandæ. vij. 220.

Libri XVIII. De Humilitate, *Capita XIX.*

Humilitas multiplex. j. 221.
Vera Humilitas quid. ij. 222.
Humilitas virtutum parens. iij. 224.
Humilitas virtutum omnium cuſtos. iv. 225.
Humilitas virtutum maxima. v. ibid.
Humilitas perfectio noſtra. vj. 227.
Humilitas dux ad Deum. vij. ibid.
Humilitas dæmonem fugat. viij. 228.
Humilitas Deum conciliat. ix. ibid.
Humilitatis meritum. x. 230.
Humilitatis doctor Chriſtus. xj. ibid.
Humilitas Sanctorum virtus. xij. 231.
Humilium orationes. xiij. 232.
Humilitas patiens, manſueta, & magnanima. xiv. ibid.
Humilitas rara. xv. ibid.
Humilitas facilis, & neceſſaria. xvj. 233.
Humilitas in quibus commendetur. xvij. 234.
Humilitatis gradus. xviij. 235.
Humilitatis adjumenta. xix. 236.

Libri XIX. De Manſuetudine, & Ira, *Capita IX.*

Manſuetudo quid. j. 239.
Manſuetudinis virtus. ij. 240.
Moyſis, & Davidis manſuetudo. iij. 241.
De Ira. iv. ibid.
Ira duplex. v. 243.
Ira undè oriatur. vj. ibid.
Ira frænanda. vij. ibid.
Iræ remedia. viij. 244.
Ira, Iracundia, & Odium. ix. 247.

Libri XX. De Patientia, *Capita VII.*

Patientiæ materia. j. 248.
Patientia quid. ij. ibid.
Patientia cur. iij. 249.
Philoſophorum Patientia. iv. ibid.
Dei, Chriſti, Chriſtianorumque Patientia. v. 250.
Ex Impatientia vitium, ex Patientia virtus. vj. ibid.
Patientiæ bonum. vij. 252.

Libri XXI. De Superbia, *Capita XIV.*

Superbiæ nomen. j. 253.
Superbia quid. ij. ibid.
Superbus qualis iij. 254.
Superbia quale peccatum. iv. 256.
Superbia mater peccatorum omnium. v. 257.
Superbia peſtis animæ. vj. ibid.
Superbiam imperitiam, & inſaniam eſſe. vij. 258.
Superbiæ ſigna. viij. ibid.
Superbia à diabolo. ix. 259.
Superbia ex benè factis. x. ibid.
Superbia virtuti contraria. xj. 260.
Superbiæ remedia. xij. 261.
Superbiæ modi. xiij. 262.
Superbia bona quæ. xiv. ibid.

Libri XXII. De Arrogantia, & Iactantia, *Capita IV.*

Arrogantia quid. j. 262.
Arrogans qualis. ij. 263.
De Iactantia bonorum, & malorum. iij. 264.
Iactantiæ damnum. iv. ibid.

Libri XXIII. De vana gloria, *Capita XXI.*

Gloriæ appetitus j. 265.
Vana gloria cur dicta. ij. ibid.
Vana gloria quid. iij. ibid.
Vana gloria quorum. iv. ibid.
Vanam gloriam idololatriam, & fornicationem eſſe. v. 266.
Et Adulterium. vj. 267.
Et Inceſtum. vij. ibid.
Et Latrocinium. viij. ibid.
Vanæ gloriæ tentatio. ix. 268.
Vana gloria fraus, & duplicitas. x. ibid.
Maledictio Dei. xj. 269.
Abuſio Virtutis. xij. ibid.
Iniqua negotiatio. xiij. 270.
Ingratitudo in Deum. xiv. ibid.
Opus iniquitatis. xv. ibid.
Diaboli zizanium. xvj. ibid.
Gloriæ ſtudium. xvij. 271.
Vana gloria virtutum pernicies. xviij. ibid.
Difficilis conflictus. xix. 272.
In quibus tentatio major. xx. 273.
Vanæ gloriæ remedium. xxj. 274.

Libri XXIV. De operum intentione, *Capita V.*

Quatuor in operibus ſpectanda. j. 276.
Actiones ex fine judicantur. ij. ibid.
Actiones ad Deum referendas eſſe. iij. 277.
Idem rurſum oſtenditur. iv. 280.
Actio bona, & intentio bona. v. 282.

Libri XXV. De bono ſcientiarum uſu, *Capita VII.*

Scientia inflat. j. 285.
Scientiæ neceſſitas. ij. ibid.
Scientia non eſt ſatis. iij. 286.
Scientiam ſine virtute obeſſe. iv. 288.
Cum ſcientia ſit Charitas. v. 289.
Charitatem ſcientia potiorem eſſe. vj. 292.
Concluſio. vij. 293.

Libri XXVI. De voluntatis affectu, *Capita III.*

Operandum ſi poſſis. j. 294.
Voluntatem præmio non carere. ij. ibid.
Voluntatis affectu opera æſtimari. iij. 295.

Libri XXVII. De Levioribus culpis, *Capita XIII.*

Prima ratio. j. 297.
Secunda ratio. ij. 298.
Tertia ratio. iij. 300.

Digitized by Google

Quarta ratio. iv. 300.
Quinta ratio. v. 301.
Exemplis oſtenditur. vj. 302.
Nemo repentè peſſimus. vij. 303.
Sexta ratio. viij. 304.
Multa levia non facere unum grave. ix. ibid.
Cur contemnantur. x. 305.
Septima ratio. xj. 306.
Penitus non vitari. xij. 307.
Remedium. xiij. 308.

Libri XXVIII. De bona Fama, *Capita* IV.

Bonæ Famæ cura. j. 309.
Fama ex converſatione. ij ibid.
Eccleſiaſticorum Fama. iij. 310.
Eorum, qui alios juvant. iv. ibid.

Libri XXIX. De bono Exemplo dando, *Capita* V.

Prima ratio. j. 312.
Secunda ratio. ij. ibid.
Tertia ratio. iij. 313.
Interior, & exterior pulchritudo. iv. 314.
Quarta ratio. v. ibid.

Libri XXX. De imitandis alijs, *Capita* V.

Bonum eſſe imitari. j. 317.
Imitationis utilitas prima. ij. ibid.
Secunda utilitas. iij. 319.
Utilitates aliæ. iv. ibid.
Imitandi qui. v. 320.

Libri XXXI. De Modeſtia, *Capita* XV.

Modeſtia quid. j. 321.
Modeſtia exterior. ij. 322.
Facies ſerena. iij. ibid.
De fronte, & labijs. iv. 323.
Oculorum modeſtia. v. 324.
Veſtium modeſtia. vj. 326.
De Zona, ſeu Cingulo. vij. 329.
De Annulis. viij. 330.
De riſus modeſtia. ix. 331.
De ridiculis, & multiloquio. x. 332.
De loquendi modeſtia. xj. 335.
De circumſtantijs loci, & temporis. xij. 339.
De circumſtantia perſonarum. xiij. 342.
De inceſſu, & motu corporis. xiv. 343.
De ſeſſione, & manibus. xv. 344.

Libri XXXII. De Murmuratione, *Capita* VII.

Bonis quoque detrahi. j. 345.
Quorum vitium ſit. ij. ibid.
Quid, & quorum ſit murmuratio. iij. 346.
Quale peccatum murmuratio. iv. 347.
Quæ murmurationis pœna. v. 348.
Murmuratorum excuſationes. vj. 350.
Cum murmuratoribus ut agendum. vij. ibid.

Libri XXXIII. De Adulatione, *Capita* III.

Adulationis malum. j. 354.
Fugiendos adulatores eſſe. ij. 356.
De Simulatione. iij. 357.

Libri XXXIV. De Hypocriſi, *Capita* V.

Hypocriſis quid. j. 358.
Hypocritam laudis appetentem eſſe. ij. 360.
Hypocriſis antiquum, & commune malum. iij. ibid.
Hypocritæ impii, & pernicioſi. iv. 361.
Caſtigandos eſſe Hypocritas. v. ibid.

Libri XXXV. De Ambitione, *Capita* VI.

Ambitionis malum. j. 362.
De inſito homini gloriæ, honoriſque appetitu. ij. ibid.
Diabolica Superbia Ambitio. iij. 363.
Ambitio ſimulata eſt, & cœca. iv. ibid.
Ambitio quàm vana. v. 364.
Cum Ambitioſis ut agendum. vj. 365.

Libri XXXVI. De Proſperis, & Adverſis, *Capita* VI.

Bonorum ex malorum proſperitate turbatio. j. 365.
Cur adverſa bonis permittat Deus. ij. 366.
Adverſa proſperis eſſe potiora. iij. 370.
De multiplici adverſitatum utilitate. iv. 371.
Æquè adverſa, & proſpera toleranda eſſe. v. 374.
Quatenùs in præſenti vita tribulationes afficiant juſtum. vj. 377.

Libri XXXVII. De Tentationibus, *Capita* XIII.

Tentatio quid. j. 379.
Et Deum, & Diabolum tentare. ij. ibid.
Diabolum bonis potiſſimùm inſidiari. iv. 381.
Cur bonis maximè inſidietur. v. 384.
Quanta tentans utatur arte. vj. 385.
Quid diabolus tentando poſſit. vij. 390.
Cogere nos diabolum non poſſe. viij. 391.
Homo quatenùs diabolo fortior. ix. 392.
Cur Deus tentari nos permittat. x. 393.
De varijs tentationum generibus. xj. 398.
Tentationibus patienter reſiſtendum. xij. 400.
Tentationem adjumenta. xiij. 401.

Libri XXXVIII. De Iejunio, *Capita* XVI.

Iejunium à quibus repudiatum. j. 406.
De antiquitate Iejunij. ij. 407.
De Iejunio quatuor temporum. iij. ibid.
De Iejunio quartæ, & ſextæ feriæ, & Sabbathi. iv. 408.
De vigilijs. v. 409.
De quadrageſima. vj. 410.
De Iejunio quadrageſimæ. vij. 412.
Quale debeat eſſe Iejunium. viij. ibid.
De cibi quantitate. ix. 414.
De hora comedendi. x. 415.
Quibus temporibus jejunare non liceat. xj. ibid.
De Iejunio ſabbathi. xij. 416.
De præcepto Iejunij. xiij. 417.
De illis qui nequeunt, aut nolunt jejunare. xiv. 418.
Iejunandum quoque à peccatis. xv. 419.
Iejunij bonum. xvj. 420.

Libri XXXIX. De Oratione, *Capita* XIII.

De Orationis neceſſitate, utilitateque. j. 422.
De duplici oratione Mentali, & Vocali. ij. 423.
De Oratione Dominica. iij. 425.
De Eccleſiæ orationibus pro vivis, & defunctis. iv. 426.
De Orationibus miſſæ. v. 428.
Cur hæ orationes collectæ dicantur. vj. 429.
De illarum concluſione. vij. ibid.
Orationem in Eccleſia potiorem eſſe. viij. 431.
Quàm ſæpè, & quibus temporibus orandum. ix. 432.
Pro quibus orandum. x. 434.
De veteri orationum ritu. xj. 435.
Orationes noſtræ cur non exaudiantur. xij. 439.
De Orationibus jaculatorijs. xiij. 444.

Libri XL. De Eleëmoſyna, *Capita* X.

Eleëmoſyna ex ſacris litteris ſtatuitur. j. 445.
Eleëmoſynam Miſericordiæ, & juſtitiæ alumnã eſſe. ij. 446.
Eleëmoſynam utiliorẽ danti eſſe quàm accipienti. iij. 447.
Quàm ſit utilis nobis eleëmoſyna. iv. 449.
Eleëmoſynam peccata remittere. v. 450.
Quatenùs peccata remittat. vj. 451.

Quo-

Digitized by Google

Quomodo facienda ſit eleemoſyna. vij. 452.
Eleëmoſyna quibus danda. viij. 456.
Quibus gravis eleëmoſyna ſit. ix. 457.
Blandè pauperes excipiendos eſſe. x. 458.

Libri XLI. De Avaritia, *Capita* VI.

Avari magis viri, an Mulieres. j. 459.
Avaritiam duplicem eſſe bonam, & malam. ij. 460.
Avaritiam inſatiabilem habendi cupiditatem eſſe. iij. ibid.
Divitias cur iniquitatis mammona dixerit Chriſtus. iv. 462.
Cur idolorum ſervitutem Paulus. v. 463.
Quantum avaritia malum. vj. 464.

Libri XLII. De Divinis Præceptis, Evangelicisſque conſilijs, *Capita* V.

De præceptis primæ, & ſecundæ tabulæ. j. 467.
Divina præcepta facilè ſervari poſſe. ij. 468.
Quid præceptum, & conſilium differant. iij. 469.
Evangelica conſilia ſcripturis ſacris confirmantur. iv. 471.
Conſilia præcipua quæ. v. 474.

Libri XLIII. De votis, *Capita* VIII.

Votum quid ſit. j. 476.
Votum debere eſſe liberum, & de voto Iephte. ij. 477.
De voti merito. iij. 478.
De voti obligatione. iv. 479.
De votis crebrò renovandis. v. 481.
Votum ſolemne, & ſimplex quid differant. vj. 483.
De voti redemptione, & commutatione. vij. 484.
De diſpenſatione, atque irritatione. viij. 485.

Libri XLIV. De Religione, *Capita* XIV.

Religio virtus qualis. j. 486.
Religio cur dicta. ij. 487.
Religioſus ſtatus qualis. iij. 488.
Quæ religio perfectionis majoris. iv. 489.
De Religionum origine, earumque confirmatione. v. 490.
De Religioſi ſtatus bono. vj. 492.
De centuplo religioſis promiſſo. vij. 498.
De Religionis vocatione, vocatorūq; iterationibus. viij. 501.
De allicientibus; & retrahentibus. ix. 504.
Non differendam eſſe vocationem. x. 505.
De admittendis ad Religionem. xj. 506.
De habitu Religioſorum. xij. 509.
De Religioſorum tonſura. xiij. ibid.
De Regulari diſciplina. xiv. 511.

Libri XLV. De Paupertate, *Capita* IX.

Paupertas multiplex. j. 512.
De veterum Philoſophorum paupertate. ij. 513.
Paupertatem Iudæis inauditam eſſe. iij. 514.
Paupertatem voluntaria Evangelicum conſiliū eſſe. iv. ibid.
Quàm utile conſilium. v. 515.
Quantum paupertas bonum. vj. 518.
Paupertatem divitijs meliorem eſſe. vij. 522.
Veteres Patres quid de paupertate. viij. 523.
Proprietatem eſſe tolendam in religioſis. ix. 524.

Libri XLVI. De Caſtitate, *Capita* XXVIII.

Caſtitas quid. j. 526.
Caſtitatis conſilium Dei eſſe. ij. ibid.
Caſtitatem novæ legis conſilium eſſe. iij. 527.
Quid ſit lumbos præcingere. iv. 528.
Mulieres vitandas eſſe. v. 529.
De oculorum cuſtodia. vj. 530.
Cibi, potuſque moderatio. vij. 532.
Immundę cogitationes, & levitas omnis abigendę. viij. ibid.
Chriſti, & Dei memoria. ix. 533.
Noviſſimorum recordatio. x. 534.
Orationi incumbendum. xj. 535.
Alia caſtitatis adjumenta. xij. ibid.
Otium vitandum. xiij. 536.
Caſtitatis ſymbola in natura. xiv. 537.
Caſtitatem martyrij genus eſſe. xv. ibid.
Caſtitas violata xvj. ibid.
Caſtitatem virtutes omnes comitantur. xvij. 538.
Caſtitatis triplex gradus. xviij. ibid.
Caſtitas, & continentia quid differant. xix. 539.
Caſtitatis argumenta. xx. ibid.
Caſtitatem voto quoque fuiſſe ſemper in Eccleſia conſecratam. xxj. 540.
Ex ſacris litteris idem oſtenditur. xxij. 543.
De monachorum Caſtitate. xxiij. 544.
De clericorum cœlibatu. xxiv. 545.
Idem ex ſacris Concilijs demonſtratur. xxv. 548.
Caſtitatem omnes ſervare poſſe. xxvj. 550.
Quo intellectu quædam Patrum verba accipienda ſint. xxvij. 551.
Quomodo Apoſtolus Epiſcopum dixerit unius uxoris virum. xxviij. 552.

Libri XLVII. De Obedienta, *Capita* XVII.

Obedientia quotuplex, & quàm bona. j. 553.
In quibus verſetur obedientia, & cur Adamo arbor prohibita. ij. 555.
Majoribus ſuis obediendum eſſe. iij. 557.
Prælatis omnibus obediendum eſſe. iv. 559.
Quatenùs obediendum ſit. v. 561.
Nihil inſcio Prælato agendum eſſe. vj. 563.
De ſeniorum, & doctiorum virorum obedientia. vij. 565.
Obedientia ſit prompta. viij. 566.
Obedientia ſit cœca. ix. 567.
Obedientiæ cœcæ exempla. x. 570.
Quæ facilem obedientiam faciant. xj. 571.
De inobedientia. xij. 573.
Inobedientium pœnæ. xiij. 574.
Non murmurandum contrà Prælatos. xiv. 575.
De abjectioribus officijs domeſticis. xv. 576.
De Abrahæ obedientia. xvj. ibid.
De Moyſe, & Iſaia. xvij. 577.

Libri XLVIII. De Prælatis, & aliorum Rectoribus, *Capita* XLII.

Prælatorum appellationes, & munera. j. 578.
Prælaturas eſſe fugiendas. ij. 580.
Veteres ſemper Patres declinâſſe. iij. 581.
Quatenùs admittendæ ſint iv. 583.
Divina ope nitantur qui præſunt. v. 584.
Prælatorum electionem à Deo petendam eſſe. vj. 585.
Alijs præeſſe quàm periculoſum. vij. ibid.
Prælatos gravius à dæmone impugnari. viij. 587.
Prælatis reddendam eſſe Deo rationē pro ſubditis. ix. 588.
Alijs præeſſe difficillimum. x. 589.
De Prælatorum vigilantia. xj. ibid.
Prælatum debere totum utilitati ſubditorū ſervire. xij. 591.
De Prælati Charitate. xiij. 593.
Ab externis abſtineat negotijs. xiv. 594.
Prælatus virtutum omnium ſit exemplum. xv. 596.
Prælati mali exemplum. xvj. 600.
Prælatus fortis ſit, & ſuavis. xvij. 601.
Quomodo fortitudo, ſuavitaſque jungantur. xviij. 604.
Severitatem indulgentia potiorem eſſe. xix. 606.
Politicam gubernationem vitandam eſſe. xx. 607.
Prælati eſſe inſtruere, & corrigere. xxj. 608.
Prælati correctio qualis. xxij. 609.
Verbis interdùm gravioribus utendum. xxiij. 611.
A contumelia, & percuſſione abſtinendum. xxiv. ibid.
Prælatus & humilis ſit, & gravis. xxv. 612.
Quę Prelatum ad ſervandam humilitatem juvent. xxvj. 613.
Prælatus honoret & ipſe ſubditos ſuos. xxvij. 615.
Obediat & ipſe ſuis Prælatis. xxviij. ibid.
Non omnia ſpecioſa exequatur ipſe. xxix. 616.
Non ulciſcatur injurias. xxx. ibid.

Præ-

Digitized by Google

Prælatus & ametur, & timeatur. xxxj. 616.
Potior tamen ſit amor. xxxij. 617.
Iram, & amorem caveat. xxxiij. 618.
Prælati patientia in murmurationibus præſertim tolerandis. xxxiv. 619.
Seniorum conſilia audienda. xxxv. 620.
Neceſſitatibus liberaliter providendum. xxxvj. 622.
Prælatus non ſit iuvenis. xxxvij. ibid.
Prælatus maximè ſit legum obſervans, deque accurata hac obſervantia. xxxviij. 624.
Prælatum qualem eſſe oporteat. xxxix. 626.
Prælatis, & ſubditis pro ſe viciſſim orandum. xxxx. 627.
De malis Prælatis. xxxxj. ibid.
Divina contrà hos expoſtulatio. xxxxij. 628.

Libri IL. De morte, *Capita XII.*

Quid mors, & undè. j. 630.
Mortem non eſſe timendam. ij. 633.
De mortis genere, & hora. iij. 635.
Moribundis hominibus datam ſemper fuiſſe Euchariſtiam. iv. 637.
De extrema morientium unctione. v. 638.
Moribundos viſiones videre. vj. 640.
De morientium pœnitentia, & moriendi modo. vij. 641.
Non eſſe nimium in charorum morte lugendum. viij. 642.
De lugentium ritu. ix. 644.
Moderatum luctum non eſſe damnandum. x. 645.
De ſepulturæ ritu. xj. 646.
Mortuorum animas non evocari à Magis. xij. 651.

Libri L. De Martyrio, *Capita XIV.*

Glorioſiſſimam ſemper fuiſſe Martyrum mortem. j. 652.
Quid, & quotuplex martyrium. ij. 654.
De martyrio ſanguinis. iij. 655.
Martyrium, ceu Baptiſmum peccata remittere. iv. 657.
Martyribus plurimum ſemper honorem fuiſſe exhibitum. v. 658.
De Martyrum adoratione, & cultu. vj. 660.
Antiquitatis teſtimonia. vij. 662.
De Martyrum Baſilicis, & Memorijs. viij. 663.
De Martyrum pro nobis interceſſione. ix. 664.
De noſtra martyrum invocatione. x. 667.
Temporibus omnibus Sanctos invocatos fuiſſe. xj. 669.
De Sanctorum miraculis. xij. 672.
Quinam Sancti invocandi. xiij. 673.
Martyrium non temerè quæritandum. xiv. ibid.

FINIS.

Imprimatur.

ARNOLDUS EYBEN *Eccleſiæ Cathedralis Divæ Virginis Antverpiæ Canonicus Theologalis, Librorum Cenſor.*

TENOR PRIVILEGII.

CAROLI II. Hiſpaniarum Regis Catholici, Ducis Brabantiæ &c. Privilegio cautum eſt, nè quis citrà Viduæ RENERI SLEGERS Typographi ac Bibliopolæ voluntatem, librum cui titulus eſt, *Hieronymi Dandini Ethica Sacra*, &c. in Belgio imprimat, aut alibi locorum impreſſum in has Inferioris Germaniæ ditiones importet, venalémve exponat. Qui ſecùs faxit, confiſcatione exemplarium & aliâ gravi pœnâ mulctabitur, uti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ die quintâ Septembris 1674.

Signat

LOYENS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

6-2-1

Digitized by Google

Digitized by Google